SACRORUM

CONCILIORUM

NOVA

ET AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS TRIGESIMUS QUINTUS.

In quo continentur reliqui textus ab anno MCDXIV. ad annum MDCCXXIV. pertinentes.

IN PRÆSENTI VOLUMINE CONTINENTUR TEXTUS AB ANNO 1414 AD ANNUM 1724 PERTINENTES, QUOS QUIDEM IN TOMIS VIGESIMO OCTAVO ET TRIGESIMO PRIMO, SECUNDO, TERTIO ET QUARTO INSERERE DEBUISSEMUS, SED NON POTUIMUS PROPTER GENUS REPRODUCTIONIS. IN INDICE VERO EORUMDEM TOMORUM, MENTIONEM OMNIUM TEXTUUM ORDINE CHRONOLOGICO FECIMUS, UT FACILIUS INVENIANTUR. HI TEXTUS SUMUNTUR EX TOMO V A COL. 193 AD COL. 1352, ET EX TOMO VI A COL. 1 AD COL. 378, 461 AD 464, ET 671 AD 720. SUPPLEMENTI QUOD MANSI AD COLLECTIONEM CONCILIORUM COLETI ADDIDIT.

REPRODUCTION

EN FAC-SIMILÉ

TIRÉE A 250 EXEMPLAIRES SEULEMENT

PAR LES PROCÉDÉS ANASTATIQUES

DE

CARL REINECKE NACHF.

A BERLIN

POUR

H. WELTER, ÉDITEUR

RUE BERNARD-PALISSY, N° 4, PARIS

ET A LEIPZIG, SALOMONSTRASSE, 16

1902

SACRORUM
CONCILIORUM

NOVA ET AMPLISSIMA COLLECTIO

CUJUS

JOANNES DOMINICUS MANSI

ET POST IPSIUS MORTEM FLORENTINUS ET VENETUS EDITORES

AB ANNO 1758 AD ANNUM 1798, PRIORES TRIGINTA UNUM TOMOS EDIDERUNT
NUNC AUTEM CONTINUATA, ET DEO FAVENTE, ABSOLUTA.

TOMUS TRIGESIMUS QUINTUS.

In quo continentur reliqui textus ab anno ***MCDXIV.*** *ad annum* ***MDCCXXIV.*** *pertinentes.*

ALMA COLLEGE
263.1
LIBRARY
A318
Alma, California

PARISIIS
MDCCCCII

EXPENSIS HUBERTI WELTER, BIBLIOPOLAE.

0970

f
BX
825
S3
1901
V,35

SYLLABUS

EORUM QUÆ IN TOMO XXXV. CONCILIORUM CONTINENTUR.

Anno Christi			Anno Christi		
1414.	Catologus orationum in concil. Conſtant. habitarum. *Ex cod. ms.. Vindobon nunc primum datur.*	1589	1440.	Collecta per D. card. S. Syxti, tempore SS. D. N. Eugenii P. IV. ſuper petitione D. regis Franciæ, ut aliud III. celebraretur univerſale concilium, *ex M. S. codice Lucenſi nunc primum datur.*	43
1438.	Ad concilium Florentinum Ferrariæ coeptum, Florentiæ continuatum, & Romæ abſolutum ab an. 1438. ad an. 1446. additio.	1	1443.	Græcorum concilium, in quo Metrophanes CPtanus patriarcha, itemque & Latinis adhærentes omnes anathemate damnantur anno 1443. habitum.	55
	Collectoris Præfatio.	*ibid.*		Decretum trium patriarcharum Syriæ, Philotei Alexandrini, Joachim Hieroſolymitani, Joachim Hieroſolimitani, & Dorothei Antiocheni contra Florentinam ſynodum. G. L. *cum variantibus ex codice Taurinenſi. ibid.*	
	Documenta varia ad concilium Florentinum ſpectantia.	5		Eorumdem Patriarcharum littera ad imperatorem, G. L.	59
	Capitula pro concilio venturo Ferrar. *ex M. S. cod. Cl. V. Joſephi Antenoris Scalabrini canon. majoris eccleſiæ Ferrar. nunc primum edita.*	*ibid.*	1447.	NICOLAUS PAPA V.	65
	V. Cl. Joſeph Antenoris Scalabrini adnotatio.	9	1447.	Ad Lauſannenſe concilium, in quo concilii Baſileenſis ſchisma continuatur, & demum extinguitur, ab anno 1447. uſque ad 1449. appendix.	65
	Breve Eugenii papæ IV. ad Johannem Cabilon. epiſcopum.	9		Epiſtola Nicolai papæ V. ad Carolum VII. regem Francorum.	*ibid.*
	Fidei formula de dogmate proceſſionis Spiritus S. a Latinis propoſita Græcis, & ab eis reiecta, G. L.	11	1448.	Decretum I. S. concilii Lauſanenſis.	66
	Formula fidei de dogmate proceſſionis Spiritus S. a Græcis propoſita Latinis, & ab eis partim improbata, G. L.	13	1449.	Bullæ Nicolai papæ V. ſuper reſtitutione occaſione diſſenſionis eccleſiæ dudum ſpoliatorum &c.	69
	Animadverſiones ad formulam ſuperiorem, G. L.	13		Felicis V. antipapæ bulla, qua uſurpatæ dignitati renunciat.	75
1439.	Copia expoſitionis legatorum Armenorum ad S. pontificem. *Ex M. S. cod. Bibliot. PP. ord. Serv. B. M. V. Venetiis nunc primum datur.*	17		Seſſio altera ſynodi Lauſannenſis &c.	77
	Collectoris Præmonitio ad ſequentem epiſtolum.	17		Epiſtola Jacobi Juvenalis de Urſinis epiſcopi Pictav. & patriarchæ Antioch. ad præpoſitos Pariſienſis cameræ computorum, de renunciatione S. Pontificatus facta a Felice V.	81
1440.	Copia litteratum Armeniorum S. D. N. miſſarum per Fr. Albertum: *ex eodem cod. nunc primum editur.*	19		Bullæ Nicolai papæ V. ſuper approbatione actorum etc. quorundam Felicis in ſua obedientia papæ nominati.	82
	Ambaſciata Æthyopum ad D. Eugenium P. IV. *ex alia verſione quam in editis, ex eodem codice.*	19	1451.	Ad Moguntinum concilium anno 1451. habitum emendationes & additio.	89
1441.	Copia Literarum patriarchæ Jacobitarum ad D. N. S. P. Eugenium, *ſuppleta ex eodem codice.*	21	1453.	Concilium Provinciale Caſhelenſe, Limerici celebratum, anno 1453.	91
	Copia literarum Alexandr. (Melchitarum) ad D. N. Eugenium. *ex altera verſione, quam in editis, ex eodem codice.*	21	1455.	CALLISTUS PAPA III.	105
	Philethei patriarchæ Alexandriæ et totius Ægypti, epiſtola ad papam *ex eodem codice cum variantibus ex edito Labbei,*	22	1458.	PIUS PAPA II.	105
	Canon, ſeu Hymnus in VIII. Synodum Florentiæ habitam, authore Johanne Pluſiadeno, G. L.	24	1459.	Ad Mantuanum concilium pro decernenda in Turcas expeditione coram Pio II. P. anno 1459. habitum, additio.	*ibid.*
	Synaxarium ſanctæ & oecumenicæ ſynodi, G. L.	29		*Præmonitio collectoris.*	*ibid.*
1440.	Monitio & citatio facta Felici V. antipapæ in concilio Florentino.	38		Pii II. pontif. max. in conventu Mantuano adlocutiones *ex M. S. codice Lucenſi nunc primum editæ.*	107
	In ſeq. opuſculum Joannis de Turrecremata, præmonitio ejusdem authoris.	42		Oratoribus ducis Sabaudiæ in conventu Mantuano.	108
				Ad eosdem ibidem.	108

SYLLABUS

Anno Christi		
1459.	Ad oratores imperiales.	109
	Ad Albertum Marchionem Brandeburgenſem.	111
	Ad oratores Venetos.	112
	Oratio Pii papæ in diſceſſu, vel in fine diætæ Mantuæ; *ex M. S. cod. Ambroſ. bibliot. Mediol. miſſa a Cl. Saxio, nunc primum datur.*	113
	De modis & formis, quibus futurus pontifex ad obſervantiam promiſſorum poſſit aſtringi, *ex M. S. codice Lucenſi nunc primum editur.*	119
1460.	Cantuarienſe concilium anno 1460. habitum.	135
1461.	PAULUS PAPA II.	141
1471.	SIXTUS PAPA IV.	*ibid.*
1475.	Londinenſe concilium anno 1475. habitum.	*ibid.*
	Supplicationes cleri factæ prælatis &c.	*ibid.*
1480.	Londinenſe concilium anno 1480. habitum.	145
1484.	INNOCENTIUS PAPA VII.	147
1486.	Concilium Londinenſe.	147
1488.	Concilium provinciale Eboracenſe.	151
1492.	ALEXANDER PAPA VI.	153
1503.	PIUS PAPA III.	153
1503.	JULIUS PAPA II.	153
1510.	Concilium Patercavvenſe in Polonia.	153
1511.	Piſanum conciliabulum a cardinalibus ſchiſmaticis an. 1511. indictum, & aliquandiu Piſis habitum, dein Lugdunum tranſlatum.	155
	Convocatio concilii Piſani per cardin. ſchiſmaticos.	157
	Litteræ. ejusdem concilii rev. & egr. patribus, rectori &c. a. univerſitatis Heydelbergenſis.	161
	Aliæ ejusdem concilii litteræ.	162
	Bulla monitorii, & declarationis incurſus privationis & aliarum poenarum contra prælatos Gallicæ nationis &c.	164
	Epiſtola cardin. ſchiſmatic. ad Margaritam Auſtriæ archiduciſſam, &c.	171
	Leo PAPA X.	215
	Ad Concilium Lateranense V. G. Additio.	1539
	Epiſtola Pauli de Middelburgo ad idem concilium pro calendarii emendatione, ut legitima Paſchæ obſervatio in uſum revocetur.	1539
	Ad concilium Lateranenſe V. oecumenicum anno 1511 habitum, additio nova.	1563
	Epiſtola Julio papæ R. &c.	1563
	Oratio angeli anachoritæ Vallisumbroſæ pro Conc. Later.	1563
	Epiſtola ejuſdem ad Julium II. &c.	1569
	Ad Bernardinum Carvagal tunc cardinalem S. Crucis.	1570
	Ad regem Francorum.	1571
	Ad Julium II. Pont. Max.	1572
	Ad eundem.	1573
	De correctione Kalendarii propoſitiones XIII. recollectæ ex multis diſceptationibus habitis per D. ad hoc deputatos ex parte S. D. N. Papæ & ſacræ deputationis fidei in concilio Later. pro Paſcha rite celebrando.	1574
	Summaria Kalendarii correctio.	1579
	Breve Leonis PP. X. ad correctores ſuper correctione Kalendarii.	1580
	Edictum contra ſubjectos R. P. D. almæ Urbis &c. in ſpiritualibus Vicarii generalis pro Sacri Lateranenſis Concilii constitut. obſervatione.	1582
	Edictum contra transgreſſores earumdem.	1584

Anno Christi		
1511.	Monitorio per la obſervatione &c.	1586
1517.	Concilium Florentinum provinciale anno 1517. habitum, & ſequenti 1518. a Leone X. Pont. max. confirmatum, *ex edito Florentiæ anno* 1564.	215
	Epiſtola R. Julii de Medicis, S. R. E. vicecancellarii & archiep. Florent., ad archidiac. & canonic. eccleſiæ Florentinæ.	*ibid.*
	Conſtitutio Leonis approbantis, confirmantis &c.	*ibid.*
	Conſtitutiones, ſeu ordinationes Florentinæ ſynodi &c. in unum digeſtæ ac diſpoſitæ volumen per R. D. Petrum Andream Gammarum de Caſali Bon. præfati R. archiep. vicarium &c.	217
	Bulla Leonis P. X. approbantis eaſdem conſtitutiones.	309
1518.	Conſtitutiones Eboracen. provinciæ a Thoma archiep. & legato recognitæ &c.	173
1521.	Mandatum cardinalis Vvolſeji epiſcopo Herefordenſi, de exquirendis libris M. Lutheri prohibitis, cum catalogo 42. errorum in iis contentorum.	319
	Concilium provinciale Pariſiis celebratum ab archiep. Senonenſi & ſuffraganeis.	325
1522.	HADRIANUS PAPA VII.	329
1523.	CLEMENS PAPA VII.	329
1529.	Convocatio prælatorum & cleri provinciæ Cantuar.	329
1530.	Statuta & ordinationes prælatorum in eo concilio edita.	331
1534.	PAULUS PAPA III.	345
	Collectoris præfatio in ſequentem lucubrationem.	345
1538.	Conſilium delectorum cardinalium & aliorum prælatorum de emendanda eccleſia, S. D. N. D. Paulo III. ipſo jubente conſcriptum &c.	347
1545.	Ad Tridentinum concilium oecumenicum ab anno 1545 ad 1562. celebratum, additio.	357
	Collectoris Præfatio.	357
	Pauli P. III. bulla, qua concilium Mantuam indicit.	359
	Ejusdem bulla prorogationis concilii &c.	363
	Altera prorogatio concilii &c.	366
	Tertia prorogatio concilii &c.	368
	Bulla declarationis non inchoandi concilii &c.	369
	Bulla ſuſpenſionis concilii &c.	370
	Bulla revocatoria ſuſpenſionis, & indictionis concilii in civitate Tridentina &c.	375
	Bulla mandati apoſtolici in perſonam RR. præſidentium S. conc. Tridentini.	379
	Bulla poteſtatis transferendi concilium ex Tridento ad quancumque aliam civitatem.	389
	Bulla inhibens prælatis ne compareant in concilio per procuratorem.	382
	Bulla indictionis ſupplicationum per univerſum orbem chriſtianum pro celebratione concilii &c.	385
	Aperitio concilii Tridentini,	386
	Breve aperitionis ejuſ.	*ibid.*
	Bulla per quam prælati præſentes concilio eximuntur a ſolutione decimarum &c.	387
	Bulla indulgentiæ pro pace publica & exſtirpatione hæreſum.	390
	Epistola Pauli III. ad patres concilii Bononiæ coacti.	393
	Bulla qua retardari jubet pontifex concilii progreſſum &c.	394
	Nomina patrum qui Bononienſis concilii inchoationi interfuerunt.	395
	Breve apoſtolicum ad epiſcopos Galliæ.	399

TOMI TRIGESIMI QUINTI

Anno Christi		
1545.	Nomina cardinalium, oratorum &c. qui seſſioni XI. Tridentinæ interfuere.	400
	S. ſynodi proteſtatio ante Galliæ regis literarum lectionem facta.	401
	Bulla S. D. N. D. Julii P. III. novæ monitionis &c. prælatorum, ut ad concilium perſonaliter accedant, &c.	401
	Literæ miſſivæ regis Galliæ ad concilium Trident.	404
	Proteſtatio ejus nomine facta.	405
	Reſponſio ſynodi poſt literarum lectionem.	408
	Decretum prorogationis IV. articulorum de ſacramento Euchariſtiæ, & salvi conducti proteſtantibus dati.	409
	Prælati qui interfuere seſſioni III. Tridentinæ ſub Julio III.	410
	Copia decreti ſuſpenſionis concilii &c.	414
	Proteſtatio oratoris regis catholici ſuper præcedentia.	415
	Reſponſum oratorum chriſtianiſ. regis ad proteſtationem oratoris catholici.	416
	Epiſtola Anonymi de inchoatione concilii ſub Pio IV. *ex M. S. cod. senat. Vene. excel. D. Petri Gradenigo nunc primum datur.*	417
	Capita ad levandas diſſenſiones inter oratores Principum.	418
	Deputationes ſuper indice librorum prohibitorum.	418
	Litteræ ad S. D. N. Pium IV. nomine illorum, qui tenent reſidentiam eſſe de jure divino.	419
	Pii papæ IV. reſponſum ad patres quoſdam occaſione reſidentiæ.	421
	Patres deputati ad conficiendum canones & doctrinam de sacrificio miſſæ.	422
	Deputati ad colligendos abuſus de sacrificio miſſæ.	*ibid.*
	Dogmata tradita patribus conſideranda.	*ibid.*
	Proteſtatio patrum inferius ſubſcribentium contra decretum ſuſpenſionis ad biennium concilium Trident. &c.	423
	Pii IV. P. M. oratio poſt abſolutum concilium Tridentinum in conſiſtorio, Julio Pogiano auctore, *ex M. S. cod. apud P. Hieronymum Lagomanſium S. J. nunc primum datur.*	425. 426
1549.	Concilium provinc. cleri Scoticani habitum Edinburgi an. 1549.	429
	Acta ejuſdem.	432
1550.	JULIUS PAPA III.	452
1551.	Concilium provinciale cleri Scoticani habitum Edinburgi anno MDLI.	452
	Acta ejuſdem.	452
1552.	Concilium provinciale prælatorum & cleri Scotiæ Lythquoi habitum anno MDLII.	459
1554.	Cardinalis Poli literæ diſpenſatoriæ cum iis, qui bona eccleſiæ poſſident, & illicita matrimonia contraxerunt.	460
1555.	MARCELLUS PAPA II.	464
1555.	PAULUS PAPA IV.	*ibid.*
	Cardinalis Poli monitio ad ſynodum Legatinam celebrandam apud Veſtmonaſt. &c.	*ibid.*
1556.	Lovvitienſe in Polonia concilium Provinciale ab Aloyſio Lippomano A. S. L. anno MDLVI. habitum.	505
	Fragmentum epiſtolæ Aloyſii Lippomani &c. *ex M. S. cod. excel. D. Petri Gradenigo Senat. Venet. hic primum editum.*	506
	Conſideratio principum tam ſpiritualium, quam fæcularium &c. Regni Poloniæ in Regnicolas inobedientes &c.	510

Anno Christi		
1556.	Formula chriſtianæ & catholicæ fidei tradita in s. ſynodo Lovviti celebrata &c.	511
	Epiſtola Nicolai, archiep. Gnesnenſis, ad Paulum IV.	514
	Literæ Palatini Vilnenſis reſponſivæ ad literas nuncii apoſtolici &c.	515
	Reſponſiones prælatorum &c. cathedralium Gneſnenſis &c. ad conſultationem R. D. nuncii apoſtolici ſuper negotio fidei &c.	517
1557.	Convocatio prælatorum & cleri provinciæ Cantuar. auctoritate brevis regii celebrata per D. Reginaldum Polum &c.	475
1559.	Concilium provinciale totius cleri Scoticani habitum Edinburgi &c.	525
	Literæ Johannis Hamilton, archiep. S. Andreæ, &c.	526
	Mandatum Jacobi, archiep. Glasguen., pro convocatione abbatum &c.	528
	Mandatum Malcolmi Vicarii, G. eccleſiæ Candidæ caſæ, quo convocat abbates &c. ad concilium.	529
	Acta concilii ejuſdem.	530
1559.	PIUS PAPA IV.	549
	Collectoris monitum.	*ibid.*
1565.	Acta concilii provincialis Trajectenſis per R. D. Fredericum, archiep. Traject., præſentibus &c.	550
1566.	S. PIUS PAPA V.	583
1567.	Conſtitutiones & decreta provincialis ſynodi Sipontinæ.	865
1568.	Provincialis ſynodus Ravennatenſis.	584
	Hiſtoria concilii.	*ibid.*
	Decreta ejuſ.	585
1569.	Decreta provincialis concilii Urbini.	646
	Acta conc. provincialis Capuani.	707
1572.	GREGORIUS PAPA XIII.	899
1573.	Synodus Florentina provincialis.	723
1576.	Conſtitutiones & decreta provincialis ſynodi Neapolitanæ.	807
1577.	Decreta edita in ſynodo provinc. Capuana, Cæſare Coſta archiep. *ex M. S. eccleſiæ Capuanæ nunc primum dantur.*	899
1579.	Conſtitutiones & decreta condita in Provinc. ſynodo Conſentina, archiep. Fantino Petrignano.	905
1585.	SIXTUS PAPA V.	965
1590.	URBANUS PAPA VII.	965
1590.	GREGORIUS PAPA XIV.	*ibid.*
1591.	INNOCENTIUS PAPA IX.	*ibid.*
1592.	CLEMENS PAPA VIII.	*ibid.*
1596.	Concilium provinciale Salernitanum, archiep. Mario Bolognino, *ex M. S. eccleſiæ Cajacen. nunc primum editur.*	965
	Acta ſynodi provincialis Maronitarum in Monte Libano, ab D. Sergio Petro patriarcha Antiocheno, habitæ.	1021
	Additio ad ſuperiorem ſynodum ſub Joſepho Petro patriarcha.	1026
	Concilia provincialia duo S. Severinæ a s. Congregat. concilii reviſa.	1029
	Collectoris adnotatio.	1067
	Conſtitutiones & decreta provincialis ſynodi Amalphitanæ, ſub D. Julio Roſſinio archiep. *ex MS. cod. archivii Amalph. nunc primum dantur.*	1069
1599.	Diamperitana ſynodus in Malabaria, qua Chriſtiani S. Thomæ vulgo dicti, fidem catholicam amplexi ſunt, & diſciplina in tota Malabaria inſtituta, anno 1599. habita.	1161—1368
	Collectoris præmonitio.	1161
	Ejus publicatio & indictio.	1163

SYLLABUS TOMI TRIGESIMI QUINTI

Anno Christi		
1599.	Actiones & Decreta.	1168
1603.	Decreta concilii provincialis Capuani.	1369—1372
1605.	LEO PAPA XI.	1373
	PAULUS PAPA V.	*ibid.*
1621.	GREGORIUS PAPA XV.	*ibid.*
1623.	URBANUS PAPA VIII.	*ibid.*
1644.	INNOCENTIUS PAPA X.	*ibid.*
1655.	ALEXANDER PAPA VII.	*ibid.*
1667.	CLEMENS PAPA IV.	*ibid.*
1669.	CLEMENS PAPA X.	*ibid.*
1676.	INNOCENTIUS PAPA XI.	*ibid.*
1689.	ALEXANDER PAPA VIII.	*ibid.*
1691.	INNOCENTIUS PAPA XII.	*ibid.*
1700.	CLEMENS PAPA XI.	*ibid.*
1703.	Concilium provinciale Albanum Clemente XI. P. M. Albani.	1375—1436
	Literæ indictionis ejuſdem.	1375
	Cohortatio ad synodum.	1379
	Ejus decreta.	1381
1721.	INNOCENTIUS PAPA XIII.	1437
1724.	BENEDICTUS PAPA XIII.	*ibid.*

Anno Christi		
1720.	Synodus provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamoſciæ anno 1720.	1437—1538
	Ejuſdem approbatio & confirmatio facta a Benedicto Papa XIII.	1439
	Decretum ſuper ea s. Congregationis de Propaganda Fide.	1441
	Sacræ Congregationis s. concilii Tridentini.	*ibid.*
	Oratio R. D. Hieronymi Grimaldi, archiep. Edeſſeni, nunci apoſtolici, habita ad patres in ea Synodo congregatos.	1443
	Taxa cancellariæ.	1447
	Profeſſiones fidei emiſſæ ab omnibus, qui interfuerunt synodo.	1449
	Decretum s. Congregationis de Propaganda fide habitæ die 27. Maji 1715. permittentis ejuſdem synodi celebrationem.	1469
	Leonis Kiszka, archiep. Metropolit. Kyovienſis Halicienſis, & totius Ruſſiæ &c. epiſtolæ.	1469
	Acta ejuſdem Synodi.	1474 *& ſeq.*
	Jo. Dominici Manſi monitum.	1589
1414.	Catalogus orationum in concil. Conſtant. habitarum. *Ex cod. ms. Vindobon. nunc primum datur.*	1589

ANNO CHRISTI 1438.

AD SACROSANCTUM OECUMENICUM CONCILIUM

ANNO CHRISTI 1438.

Ferrariæ coeptum, Florentiæ continuatum, & Romæ absolutum,

Ab anno 1438. *ad annum* 1446.

ADDITIO.

COLLECTORIS PRÆFATIO.

ACtorum Florentini oecumenici concilii partes sunt duæ, quarum alia gesta in reductione Christianorum orientalium ad ecclesiam catholicam complectitur; altera vero ea continet quæ ad retundendam Basileensis conciliabuli audaciam visa sunt expedire. Ad utramque partem additamenta hic exhibeo, nec spernenda nec proletaria. Quoad Græcorum cum Latinis causam palam & ante selectos a concilio judices actitatam, omnia quidem diligentissime collecta exhibentur in actis Labbeanis Græcis Latinisque, nihilque in iis desiderandum supereſt. Haud ita tamen idem diligentiæ servatum est, sive in iis quæ Græci apud suos ventilarunt priusquam cum Latinis conferrent, sive quæ proposita a Græcis, rejicenda, seu reformanda Latini judicarunt. Horum vero quædam accipere licet ex Sguropulo, cujus fides, & si minus probetur cum adversus Latinos debacchatur; cur tamen etiam in aliis neutri parti faventibus sollicitetur, nihil est. Ex hoc igitur damus fidei formulam a Græcis exhibitam Latinis cum in dogmate processionis Spiritus Sancti a Patre & Filio inter ecclesiam utramque conveniendum esset: ambigua in ea plura offenderunt Latini, earumque expositionem postularunt.

Præterea ad conjunctionem Christianorum orientalium cum Latina ecclesia pertinent nonnulla hic primum a me, ut arbitror, prolata ex MS. codice æqualis cum concilio vetustatis, quem mecum communicavit vir de me deque re tota ecclesiastica hac sua liberalitate optime meritus, P. Josephus Bergantini Ord. Servorum B. M. V. Venetæ provinciæ tunc Antistes meritissimus. Parvus ille, sed probatissimus codex plura exhibet monumenta ad reductionem Christianorum Orientalium spectantia, quamvis Græcorum tantummodo meminit titulus, ita conceptus: De unione Græcorum. *Ex his autem quædam accepta credo a scriptore codicis ex ipso ore interpretis, qui pro concilio ea Latine effabatur, quæ orientales vernacule promebant. Hinc fit ut nonnulla ibi occurrant, quæ pariter leguntur in collectione Justiniani a Labbeo edita, sed interpretationis diversæ. Omnium primam ex eo codice damus brevem orationem, qua Armenorum legati in conspectum admissi Pontificem compellarunt. Succedunt dein literæ Gregorii Armenorum patriarchæ; de quibus vide ibi præmonitionem nostram. Tertia ab his oratio Æthyopum legatorum ad Eugenium papam, eadem quidem cum vulgata apud Labbeum, sed interpretatione diversa. Succedit exordium literarum patriarchæ Jacobitarum, quod in editis non apparet; forte tamen hæc non portio literarum habenda est, sed allocutio legatorum a Jacobitis missorum; qui postquam perorarunt, literas exhibuerunt apud Labbeum legendas. Ea vero legatorum oratio in Labbeo deest. Demum subjunguntur Philethei Alexandrini patriarchæ literæ binæ scriptæ (ut in postrema epistola adnotatum est) anno Græcorum 6949. i. e. Christi 1441. In his vero recipere se scribit Patriarcha fidem in concilio definitam, prout didicerat ex literis pontificis ad se delatis a F. Alberto (Sartianensi, viro doctrina & morum sanctimonia cele') Minorita, eo directo ab Eugenio, itemque ex aliis literis paulo post ab ipso Græcorum imperatore receptis. Hic idem est Philotheus, qui biennio post, ideſt anno Græcorum 6951. Christi 1443. una cum cæteris Orientalibus patriarchis synodicam scripsit, omnem revocans cum Latinis communionem. Quare vel postremæ hæ literæ commentitiæ habendæ sunt pro Græcorum quorumdam more; vel levitatis patriarchæ hujus ac cæterorum insigne monumentum exhibent posteritati. Hunc vero patriarcham Melchitis Ægyptiis præfuisse judico, cum Jacobitarum Ægyptiorum patriarcham tunc ageret Joannes, qui pariter literas suas pro synodi receptione dedit, legendas in Labbeo tom. XVIII. pag. 1217. Non desunt quidem & apud Labbeum literæ Philothæi; sed hic dantur ex alia versione.*

Altera actorum pars, quæ res in concilio Florentino gestas adversus Basileenses offert, additamentis æque nobilibus hic augetur. Nam præter ea quæ ex Martene Vet. Mon. tom. VIII. huc transtulimus, petita sunt quædam e MSS. Felini codicibus, quæ huc faciunt, at scripta quædam Turrecrematæ in hoc ipso concilio producta, & nunquam alibi excusa. Sunt insuper nonnulla ex novissima editione Galliæ Christianæ deducta. Atque ita demum tota de concilio isto commentatio absolvetur. Sed & ante ista & superiora omnia collocare visum est scriptum de pactis conventis inter Estensem Marchionem Ferrariæ dominum, & Eugenium papam IV. ut in ea urbe concilii securitati, & quieti provideretur. Misit ineditum hoc monumentum vir eruditissimus & in antiquitatibus patriæ suæ apprime versatus D. Joseph Scalabrini Ferrariensis majoris ecclesiæ canonicus. Illa vero de pactis scriptio lituris subinde & reformationibus altera manu adjectis emendata in Scalabrini codice legitur, quo indicio intelligimus, hanc ipsam chartam alterutram ex partibus porrexisse alteri ut

ANNO CHRISTI 1438.

probaretur. Nunciavit insuper per literas ad me datas, vir doctus, habere se in suo Museo portionem inscriptionis sepulcralis impositæ tumulo nunc diruto Dionysii Sardicensis metropolitæ, qui dum ageretur concilium mortalitatem exuit, ibique in cœmeterio ecclesiæ S. Mariæ de Bucca conditus est. En fragmentum ΔΙΟΝΙ CAPΔΙΧ CΩM.

Afferenda hic essent quædam ad absolutissimam concilii hujus historiam necessaria. Sed iis quæ ab authoribus tracta sunt pauca vel nulla animadvertenda supersunt. Unum aliquid suggeram de tempore quo concilium hoc duravit. Sunt qui non ultra tempus permansionis Græcorum prorogent, quos tamen in errore versari tam certum est, quam ut hic refutari mereantur. Constat enim post Græcorum recessum auditos fuisse pro concilio legatos Armenorum & Copthorum. Demum translatum fuisse idem concilium Romam discimus ex litteris Eugenii, Laterani datis in publica sessione synodi, *anno* 1444. *prid. Kal. octob. apud Labbeum. In eodem quoque Lateranensi concilio Eugenius signavit constitutionem pro Chaldæis & Marotinis anno* 1445. *VII. non. augusti. Lateranensis hujus concilii sessionem primam die XIII. octobris anni* 1443. *habitam testatur Paulus filius Lelii Petroni, qui tunc Romæ agens Miscellaneam historiam scribebat, vulgatam Rer. Italic. tom. XXIV. col.* 1125. *De ejus dissolutione nihil uspiam legisse me fubit; forte tamen obeunte post biennium, anno scilicet* 1446. *Eugenio, patres ad propria redierunt.*

ANNO CHRISTI 1438.

DOCUMENTA VARIA

AD CONCILIUM FLORENTINUM SPECTANTIA.

CAPITULA

Pro concilio venturo Ferrariæ.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti amen. Capitula tractata, & concluſa inter reverendiſſimum in Chriſto patrem & dominum, dominum Franciſcum tit. S. Clementis presbyterum cardinalem Venetiarum, domini papæ camerarium, vice, & nomine SS. domini noſtri Eugenii papæ IV. & illuſtrem dominum Nicolaum marchionem Eſten. Ferrariæ, & clarum, ſive egregium virum Auguſtinum de Villa ipſius domini Marchionis cancellarium & ad hæc nuntium ſpecialem, (a) *prædicti domini Marchionis nuncios ad hæc ſpecialiter deputatos pro concilio, quod Ferrariæ celebrabitur.*

I. Quod ipſe illuſtris dominus marchio ejusdemque filii, officiales, magiſtratus, & ſubditi omnes, tam mediate, quam immediate ſubjecti, recipiant ipſum dominum noſtrum papam, reverendiſſimos dominos cardinales cum eorum ſocietate, & familiis, omneſque ad concilium venientes, ac prælatos & Romanam curiam in ipſa civitate Ferrariæ, terris ſuis & quas gubernant, cum honorificentia omnimoda, ſecuritate, libertate, immunitate & privilegiis, ac cerimoniis conſuetis.

II. Item quod ipſe dominus marchio ejuſque filii officiales, & ſubditi, ut ſupra dicitur, recipient ſereniſſimum dominum imperatorem Romanorum, illuſtriſſimos reges, principes, & barones omnes, ac omnes eorum ambaſiatores ad concilium & Romanam curiam venientes, honorifice & cum ceremoniis conſuetis; ita quod eiſdem imperatori, regibus, principibus, baronibus, & ambaſſiatoribus licebit ſtare in civitate & cæteris ſupradictis, & inde diſcedere pro libito voluntatis, omni impedimento ceſſante.

III. Item quod ipſe dominus marchio ejuſque filii, officiales, & ſubditi, ut ſupra dicitur, recipient ſereniſſimum dominum imperatorem Romanorum, & reverendiſſimum D. patriarcham Conſtantinopolitanum, aliosque prælatos Græcos cum eorum familiis, & ſocietate venientes ad dictum concilium, honorifice & cum ceremoniis conſuetis; ita quod eisdem imperatori, patriarchæ & Græcis licebit ſtare in civitate, & locis prædictis, & ab eis recedere ſine impedimento quocumque.

IV. Item quod libertas eccleſiaſtica, & plena ſecuritas in civitate & per totum ſuum dominium illibate ſervabuntur omnibus prædictis & aliis ad concilium venientibus & Romanam curiam ſequentibus, & recedentibus ab eadem in ære & perſonis & bonis quibuſcumque generaliter & ſpecialiter cum effectu; (b) *& hæc intelligantur non derogando quartodecimo cap.* (b) *linea. ta ſunt.*

V. Item quod dictus D. Marchio per ſe vel officiales aut alios quoſcumque directe, vel indirecte nullatenus impediet quominus SS. dominus noſter per ſe, vel officiales ſuos libere exerceat omnem jurisdictionem ſuam.

VI. Item quod ſi aliquis Ferrarienſis aut ſubjectus dictæ civitati contra aliquem ex corteganis ſeu concilium, & Romanam curiam ſequentibus, vel qui cauſa concilii & dictæ curiæ ibi erunt delinqueret, vel excederet, officiales civitatis faciant celerem & expeditam juſtitiam in civilibus, vel criminalibus de eodem; & ſimiliter faciant officiales ipſius D. N. papæ, ſi aliquis ex corteſanis, ſeu concilium & Romanam curiam ſequentibus, excederet contra aliquem jurisdictioni dictæ civitatis ſubjectum; & ubi non miniſtraretur juſtitia corteſanis, facta prius notificatione per D. camerarium D. marchioni, ſeu officialibus ſuis, liceat officialibus D. N. papæ per ſe ipſos de talibus facere, & miniſtrare juſtitiam, ſicut et illis qui ſpectant ad forum eorumdem curteſanorum.

VII. Item quod licitum ſit cuilibet, qui erit ibi cauſa concilii ſeu curiæ, de die vel de nocte, etiam poſt ſonum campanæ vel alterius ſigni, ambulare per civitatem pro ſuis agendis, ſine armis, et cum lumine.

VIII. Item quod prælatis & officialibus, & omnibus ad concilium venientibus, ac Romanam curiam ſequentibus de domibus, & habitationibus ſufficientibus, utenſilibus neceſſariis, pro ſalario & mercede competentibus provideant opportune.

IX. Item quod illuſtris dominus marchio, & ſui non impediatur ſe aliqualiter de locis eccleſiaſticis, & religioſis; cum ſint neceſſaria pro generalibus & magiſtris ſecum venturis.

X. Item, ut omnia & ſingula cum moderatione procedant, quod D. N. papa deputet duos corteſianos, & dominus marchio vel civitas ſeu officiales civitatis, duos etiam de ſuis, qui quatuor aut tres eorum, prius præſtito juramento in manibus domini camerarii, in concordia habeant taxare penſiones domorum, & utenſilium, ſalaria ſive precia, prout domorum tam intus quam extra, & utenſilium qualitate penſata rationabiliter viderint expedire. Et ſi tres ex quatuor prædictis concordes non eſſent, habeant recurſum ad duos reverendiſſimos D. cardinales, vel duos prælatos per ſanctiſſimum dominum noſtrum ad hoc & infraſcripta deputandos, qui eos concordabunt vel aliter providebunt; quorum judicio debeat ſtari.

XI. Item quod taxæ prædicto modo fiendæ ſtetur per utramque partem inconcuſſe,

x M. S. od. Joſephi Anenoris calabrini anonici ajor. ccl. Ferr.

a) Verba neis notata ſunt n M. S. jus.

ANNO CHRISTI 1438.

non obstantibus quibuscumque contrariis; etiamsi pactum aliquod secus vel aliter inter locatorem & conductorem factum fuisset; etiamsi pactum illud esset juramento vel alia firmitate, etiam pignore vel fidejussione de non contraveniendo, vallatum; etiamsi precium esset solutum cum promissione, & juramento de non repetendo: a quo juramento ex nunc intelligantur omnes esse absoluti. Et declaret S. D. N. tales non teneri in foro litigioso, vel conscientiæ, etiamsi huic taxæ tacite vel expresse renunciatum foret; ita quod taxa, ut præmittitur facienda, pactis, & promissionibus omnibus prævalebit, & servabitur ab utraque parte effectualiter, & servari debeat omni appellatione, & contradictione cessantibus; & quandiu conductor velit inhabitare, locator, vel quivis alius prohibere non possit. Et prædicta intelligantur tam pro iis, qui domos ipsas conduxerint pro ipsa causa concilii ante adventum dicti D. N. papæ & suæ curiæ per quatuor menses, quam qui in futurum conducturi sunt. Et si locator nollet consentire, sub illis poenis, quæ videbuntur reverendis dominis cardinalibus vel prælatis, compellatur; & prædicta etiam intelligantur e converso pro parte civium.

XII. Item quod quilibet, qui domum, aut possessionem aliquam in civitate vel extra, ante vel post adventum concilii, & curiæ sub quovis pacto conduxisset domum aut possessionem ipsam in totum seu pro parte libere, etiam non petita licentia, possit, & valeat cortesano, seu concilium & Romanam curiam sequenti, vel ad illam venienti locare pro tempore pro quo illam primo conduxerat. Et talis locator secundus a primo locatore vel alio nullatenus perturbari possit vel molestari aliquo non obstante. Ita tamen quod persona, cui secundo fiet locatio, sit honesta.

XIII. Item quod dominus marchio, civitas, ejusque officiales & subditi per se vel alios providebunt effectualiter, & provideri facient de victualibus, & vestibus abundanter, tam pro personis, quam pro animalibus & pro condecenti precio pro concilio & tota curia & etiam sequentibus (c). *Quod quidem pretium rerum teneantur in eo statu, ut fuerunt per duos menses ante in dictum concilium; nec augeantur aut crescant nisi in casu necessitatis. Quin potius in casu abundantiæ supervenientis minuantur, prout de prædictis videbitur prædictis duobus reverendis dominis cardinalibus, aut prælatis.*

(c) Ita quæ sequuntur non lineosa, quia inter partes non concordata.

XIV. Item quod D. Marchio, & civitas, ejusque officiales & subditi non imponant datium, pedagium, theloneum, angariam, perangariam, gabellam aut quodvis onus reale, personale, aut mixtum pro omnibus & singulis venientibus ad concilium & Romanam curiam sequentibus rebus ac bonis, in auro, argento, jocalibus, equis, pannis, victualibus & utensilibus in quacumque materia consistentibus per terram & aquam, neque post exigantur, prout etiam in salvis conductibus continetur; non obstante quocumque casu superveniente. Et prædicta intelligantur de rebus cortesanorum, & venientium ad concilium ipsos spectantibus pro usu suo, exceptis rebus, quæ pro mercatura conducerentur, *pro quibus solvantur consueta datia; & tamen per hoc non derogetur salvo conductui per Marchionem concesso.*

XV. Item quod dictus D. Marchio, civitas, & officiales & C. per totum territorium, & ditionem suam tenebunt stratas & vias securas, & apertas toto posse; ita quod omnes venientes ad dictam curiam, aut recedentes ab eadem libere, & tute absque alicujus offendiculo possint recedere, & venire.

XVI. Item quod dictus D. Marchio, filii, & cives, exceptis datiis consuetis quæ ante indictum illuc concilium solvebantur per cives, nullum datium, aut gabellam exigent a conducentibus victualia, & quæcumque usui tam hominum, quam animalium necessaria. Et quod talibus volentibus conducere undecumque talia victualia & usui hominum, ac animalium necessaria ex nunc data sit plena licentia. Nec debeant tales conductores solvere alicubi per loca marchioni subjecta aliquam extraordinariam solutionem; & ordinariam solvant solummodo, prout solvebatur ante indictum concilium per cives Ferrarienses. Et hoc intelligatur tam in civitate Ferrariæ, quam extra.

XVII. Item quod omnibus, & singulis curiam ipsam sequentibus, aut venientibus ad concilium sit licitum & permissum quæcumque cambia, mercantias, & artes juxta consuetudinem curiæ, etiam in vendendo vinum, panem, carnes, pisces, hospitalitatem, & cibaria quæcumque alia quævis ad usum vitæ tam personarum, quam animalium, exercitia per se, vel alios in civitate gerere, & exercere durante dicto tempore, sine aliqua contradictione, solvendo, prout solvum cives pro hujusmodi exercitiis.

XVIII. Item quod si aliquis de concilio, vel cortesanus cujuscumque gradus, & præeminentiæ existat, in aliquo deliquerit, puniatur, nec suum delictum S. D. N. aut concilio, vel curiæ imputari possit. Nec per hujusmodi privata delicta intelligantur rupta capitula hujusmodi.

XIX. Item si contigerit, quod absit, præfatum S. D. N. papam Eugenium, durante residentia hujusmodi, rebus eximi ab humanis; quod præsentia capitula, & omnia in eis contenta pro concilio sacro collegio cardinalium & aliis cortesanis, deinde pro successuro summo pontifice remaneant illibata.

XX. Item quod super dubiis aut contrarietatibus quæ super effectu, aut observatione ipsorum capitulorum, vel alicujus eorum, seu contentorum in illis oriretur, declaratio, & interpretatio spectet, & pertineat dumtaxat ad prædictos DD. cardinales, vel prælatos, & M. Ugucionem de Contrariis, per dictum illustrem D. Marchionem (d), *seu ad alium deputandum per ipsum D. Marchionem loco dicti magnifici Ugucionis.*

(d) in margine addita sunt sequentia quæ omnia capitula seu & bono statuto intellecta intelligi semper debeant, & interpretari. Hæc sunt addita.

XXI.

ANNO CHRISTI 1438.

XXI. Item quod ſupradicta capitula, & eorum quodlibet, & contenta in eis pro tempore acceſſus, reſidentiæ, & receſſus D. N. papæ, DD. cardinalium, officialium & curiæ prædictorum, durante dicto tempore concilii & per quatuor menſes (*f*) *ante adventum & totidem* poſt receſſum ejusdem D. N. papæ in civitate, ejuſque territoriis, & dominiis, & recommendatis effectualitet ſtabunt in ſingulis eorum partibus, bona & ſincera fide, pro D. N. papa, & concilio, & cardinalibus, cortegianis venientibus ad curiam, & recedentibus ab eadem in perſonis & ære, aliquo faciente in contrarium non obſtante.

XXII. Item quod D. Marchio, civitas, ejusque officiales, & ſubditi per ſe, vel alium, ſeu alios non permittent, nec facient aliquem hoſtem vel rebellem S. D. N. papæ, eccleſiæ Romanæ civitatem ipſam, exiſtente D. N. papa, ingredi, nec in ea morari, neque poſt duos menſes poſt discessum D. N. papæ; & hoſtes idem D. N. per ſe ſeu ejus camerarium omni caſu habeat declarare, ejusque declarationi ſtari debeat omni contradictione ceſſante. Et ſi forte aliqui venient hoſtiliter, vel alio quoquo quod marchio prædictus occurrere, & eos expellere, & proſequi teneatur cum toto poſſe ſuo tam de territorio Ferrarienſi, quam de cæteris aliis, quas tenet ei &c.

XXIII. Item ut in prædicta civitate Ferrariæ habeatur in competenti foro de bladis pro equis, pro prædictis concilio, & curia, debeat fieri determinatio per reverendiſſimos D. Cardinales S. Marcelli, cardinalem S. Marci, & cardinalem Venetiarum ac illuſtriſſimum D. Marchionem, pro quo pretio nunc, & in futurum in omnem eventum vendi debebunt ipſa blada, quæ ab extra territorium Ferrariæ a quibuſcumque conducentur, ſeu dicta declaratio fieri debeat per duos deputandos per S. D. N. & prædictum Ill. D. Marchionem.

XXIV. Item quod pretia frumenti, vini, ſtraminum, & bladorum ab equis, quæ collecta ſunt, & colligentur in diſtrictu & territorio Ferrariæ, ponantur, & declarentur per ſupradictos B. cardinales & D. Marchionem; determinationi quorum debeat ſtari. Et ſimiliter omnium aliarum rerum aliqualiter dubiarum, quæ in his capitulis comprehenſæ non eſſent, declaratio, & certa determinatio prævia fiat per ſupradictos D. cardinales & marchionem de iis rebus dubiis, et quæ indigerent proviſione, vel declaratione.

Item quod precia impoſita concordi precio conſenſu infraſcriptis ſervabuntur, nec aliqualiter excedentur & ſimiliter fient omnia, quæ in iſtis inſtructionibus & declarationibus continentur.

ANNO CHRISTI 1438.

Alio charactere ſed coevo.

Alio charactere, ſed coevo.

In margine addunt ſequenti. Quæ omnia capitula ſano & bono inſtituto intellecta intelligi ſemper deceant & interpretari. *Hæc ſunt addita.* (*f*) verba deleta. Alio charactere ſed coevo.

V. C.

JOSEPH ANTENORIS SCALABRINI

ADNOTATIO.

QUÆ alio charactere adnotata eſſe admonuimus, judico eſſe imbreviaturas, ut dicunt Notarii, capitulorum illorum, quæ teſtibus Nicolao de Valle Cameræ Apoſtolicæ Clerico & Chriſtophoro a Beate Scriptore literarum Apoſtolicarum die XVI. Januarii 1438. Bononiæ in domo habitationis Card. Antonii de S. Marcello inita ſunt inter Card. S. Clementis Eugenii papæ nomine, & Auguſtinum de Villa Cancellarium & nuncium ſpecialem Marchionis Nicolai, & rogata per Blondiam Antonii Blondri de Forlivio pontificis a ſecretis & ejuſdem Cald. Camerarii & Cameræ Apoſtolicæ Notarium, ut ex actis Concilii apud Labbe.

BREVE EUGENII PAPÆ IV.

Ad Johannem Cabilon. epiſcopum, quo ipſum de fauſto Græcorum in Italiam adventu certiorem facit & ad concilium oecumenicum proxime celebrandum evocat.

Ex Gall. Chriſt nov. edit. to. 4. pag. 260. App.

EUgenius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri epiſc. Cabilonenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Benedicimus & laudamus Deum qui cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis Palæologi Romanorum Imperatoris illuſtris, & venerabilis fratris noſtri Joſeph Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Græcorum corda inſpiravit, & ſancta eis ſubminiſtravit conſilia, cum octava die præſentis menſis Venetias applicuerint, & ad civitatem Ferrarienſem pro oecumenico concilio ibidem celebrando venturi ſint; quod inter cæteros prælatos, fraternitati tuæ ſignificandum eſſe duximus, ut tu nobiſcum in Domino gratuleris, & vero gaudio replearis; nam ob hujuſmodi Græcorum adventum, jacta ſunt fundamenta pacis & unionis in fide Chriſtiana & Dei eccleſia, quam divina ſuffragante clementia, noſtris etiam temporibus cum grege Dominico, nobis deſuper credito, aſſequuturos eſſe ſperamus. Hunc ſiquidem Græcorum adventum populo tibi commiſſo, ad communem ipſorum lætitiam denunties, & ut hoc ſanctum opus, orationibus ad Deum emiſſis, & proceſſionum ſolemnitatibus, & aliis operibus adjuvent, inducere ſtudeas. Verum quia tuæ devotionis ac fidei ardor, & zelus erga incrementum Chriſtianæ religionis & ſedis apoſtolicæ, nobis notus, eſt ut hujus communis & ſalutaris boni particeps ſis, eandem tuam fraternitatem ex corde requirimus, & hortamur in Domino; tibi etiam in virtute ſanctæ obedientiæ & præſtiti juramenti præcipimus & mandamus, ut confeſtim

ANNO CHRISTI 1438.

festim iter assumas ad oecumenicum concilium, & ob hanc Dei causam (quæ cæteris rebus præponenda est) accedas, & insuper his tuæ dioecesis, qui de jure seu antiqua consuetudine ad generalia concilia venire tenentur, nostro & tuo nomine sub eadem præstiti juramenti virtute & obedientia præcipias & mandes, ut quam primum se ad iter ponant, & ad hoc oecumenicum concilium accedant, & in eo, Spiritus sancti gratia adjuvante, per tuam assistentiam & sapientiam, & aliorum prælatorum, ea tractentur & agantur, quæ ad ipsius Dei laudem cedant, fideique Christianæ unionem & incrementum, reformationem & exaltationem ecclesiæ suæ sanctæ. Cæterum aliqua commisimus dilecto filio Petro de Comitibus, juris utriusque doctori, nuntio nostro, tibi referenda, cui debes fidem credulitatis plenariam adhibere. Datum Ferrariæ, an. incarnat. Dom. MCCCCXXXVII. 12. cal. Martias, pontificatus nostri an. VII.

ANNO CHRISTI 1438.

FIDEI FORMULA

De dogmate processionis Spiritus S. a Latinis proposita Græcis, & ab eis rejecta.

Ἐπειδὴ ἐν ταύτῃ τῇ ἱερᾷ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ τῇ τῶν παντοδυνάμου Θεοῦ χάριτι ἡμεῖς λατῖνοι, καὶ οἱ γραικοὶ συνήλθομεν, ὑπερ τοῦ μεταξὺ ἡμῶν την ἁγίαν ἕνωσιν τελεσθῆν σωσθῆν ἀλλήλοις ἐθέμεθα ὥςε τὸ ἄρθρον ἐκεῖνο τὸ περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος, κατὰ μεγάλης ἀκριβείας καί συνεχῶς διασκέψεως ἐξετασθῆναι. προκομισθέντων δε λόγων ἀπο τῶν Θείων γραφῶν, καὶ πολλῶν χρήσεων ἁγίων διδασκάλων ἀνατολικῶν τε καὶ δυσικῶν, ἡμεῖς οἱ γραικοὶ ἀποφαινόμεθα, ὅτι τῶθ' ὅπερ λέγομεν το Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, ἐ ταύτῃ τῃ διανοίᾳ φαμὲν, ὥςε ἡμας ἀποκλείειν τον ὑὸν, ἐξ ὦ οὐκ ἀρνέμεθα τὸ Πνεῦμα το ἅγιον ἀϊδίως ἐκπορεύεσθαι, καὶ τὴν ὐσίαν ἔχειν καθάπερ ἐκ τοῦ πατρὸς, ἄλλα διδὶ ὑπελάβομεν τοὺς λαίενες λεγειν, Πνεῦμα ἅγιον ἐκπορεύεσθαι ἐκ τοῦ πατρος καὶ τοῦ υἱῦ, ὡς ἀπὸ δύο ἀρχῶν καὶ δύο Πνεύσεων, ἀπὸ τοῦ δὲ τοῦ τρόπω τῆς ὁμιλίας, τῦτ' ἐςιν ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ὑῦ ἐκπορεύεται ἐφυλάχθημεν. ἡμεῖς θὲ οἱ λατῖνοι διισχυριζόμεθα, ὅτι τῶθ' ὅπερ λέγομεν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ του ὑῦ ἐκπορεύεσθαι, ἐ ταύτῃ φαμὲν τῇ διανοίᾳ ὥςε ἡμας ἀποκλείειν τόν πατέρα τοῦ εἶναι πὴν καὶ ἀρχὴν ὅλης τῆς θεότητ@ τοῦ ὑῦ δηλονότι, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματ@. ἢ τῦθ' ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅ ιον ἐκ τοῦ ὑῦ ἐκπορευεται, τον ὑον μὴ ἔχειν παρὰ τοῦ πατρὸς ἢ ὅτι δύο ἀποφαινόμεθα εἶναι ἀρχὰς ἢ δύο προβολὰς τοῦ ἁγίου Πνεύματ@, ἀλλὰ μίαν μόνην ἀρχὴν, καὶ μοναδικὴν προβολήν. Εν τῶ ὀνόματι τοίνυν τῆς ἁγίας τριάδ@, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ὑῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματ@, ἐν ταύτῃ τελευταίον τῃ ἁγίᾳ καὶ θεοφιλεῖ ἑνώσει τῷ αὐτῷ νοι τῃ αυτῇ ψυχῇ καὶ τῇ αὐτῃ διανοίᾳ, ἡμεῖς οἵ τε λατῖνοι καὶ οἱ γραικοὶ ἀλλήλοις συντιθέμεθα καὶ ὁμογοῦμεν, ὡς ἂν παρὰ πάντων τῶν χριστιανῶν αὕτη ἡ τῆς πίςεως ἀλήθεια πιστευηται τε καὶ ςέργηται. καὶ ὅτως ὁμολογῦμεν δηλονότι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρος καὶ τοῦ ὑῦ ἀιδίως ἐςὶ, καὶ τὴν ἑαυτῦ ὐσίαν, καὶ τὸ ὑπαρκτικὸν εἶναι ἔχει ἐκ τοῦ πατρος ἅμα καὶ τοῦ ὑῦ, καὶ ἐξ ἀμφοτέρων ἀιδίως, ὡς ἀπὸ μιας ἀρχῆς, καὶ μοναδικῆς προβολῆς ἐκπορεύεται. καὶ ἐπεὶ πάντα ὅσα ἐςὶ τοῦ πατρὸς αὐτὸς ὁ πατὴρ τῷ μονογενεῖ αὐτῦ ὑῶ ἐν τῶ γεννᾶν δέδωκε πλὴν τοῦ εἶναι πατέρα. τῦτ αὐτὸ, ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ ὑῦ ἐκπορεύεται, αὐτος ὁ ὑὸς παρὰ τοῦ πατρος ἀϊδίως ἔχει, ἀφ' ὦ ἀϊδίως τω γεμήννη@.

Quandoquidem in hanc sacram & oecumenicam synodum omnipotentis Dei singulari nutu, & gratia nos Latini & Græci convenimus, ut inter nos unio sancta perficeretur: utrique invicem summam exercuimus diligentiam, & ut articulus ille de Spiritus S. processione acerrima indagine & perveſtigatione continua discuteretur: nam post varias a sacra scriptura rationes in medium allatas, multaque sanctorum utriusque ecclesiæ, tam Orientalis quam Occidentalis patrum testimonia, nos Græci declaramus illud, quod nos asserimus Spiritum S. a Patre procedere, non ea mente a nobis proferri, ut Filius excluderetur, a quo non negamus Spiritum S. æternum processisse, suamque essentiam derivasse æque ac a Patre; sed quia suspicabamur Latinos affirmasse a Patre & Filio Spiritum S. promanasse, tanquam a duobus fontibus, aut duobus sacrosanctæ Trinitatis spiramentis; ideo ab hoc loquendi modo & in eo sensu Spiritum S. a Patre & Filio procedentem dicere cavimus. Consimili ratione & nos Latini illud quod nos contendimus, Spiritum S. a Patre & Filio procedere non in eo mentis sensu a nobis asseri quasi Patrem excludere niteremur, quo minus fons esset ac principium totius Deitatis, tam Filii, quam Spiritus S.; aut quasi illud quod dicimus Spiritum S. a Filio procedere, crederemus Filium a Patre non derivasse, aut quasi duo principia aut duas proseminationes Spiritus S. introduceremus, & non unicum tantum principum, unicam proseminationem. In nomine igitur Sacrosanctæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus S. tandem in hanc piam divino numine afflatam unionem, nos Latini, Græcique uno eodemque mentis, animæ ac rationis nodo revincti coalescimus & conspiramus, ut ab omnibus Christianis hæc fides credatur & sanciatur, quam in hæc verba explicatam profitemur. Spiritus S. a Patre & Filio æternis æternus profluxit, et ab utroque traxit essentiam simul et personæ subsistentiam individuam, atque ita ab utroque æterne tanquam ab uno eodemque principio et origine promanans. Et si quidem omnia quæ Patris sunt Pater ipse Filio unigenito impertiit, præterquam ut Pater sit, in prima sui generatione etiam et illud ut Spiritus Sanctus a Filio una cum Patre procederet, Filius a Patre in ipsa generatione æterna acceptum refert, a qua æternus ipse extitit.

Sgur. L. Hist Conc. Florent. pag. 36.

FOR-

ANNO CHRISTI 1438.

FORMULA FIDEI

De dogmate processionis Spiritus S. a Græcis proposita Latinis, & ab eis partim improbata.

Ἐπειδὴ ὑπελαμβάνομεν πρότερον ἡμᾶς οἱ Γραικοὶ τοὺς λατίνους λέγειν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι, ὡς ἀπὸ δύο ἀρχῶν καὶ δύο Πνεύσεων, ἔτι μὴ λέγειν τὸν πατέρα ἀρχὴν καὶ πηγὴν ὅλης τῆς θεότητος τοῦ υἱοῦ δηλονότι, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. καὶ διὰ τοῦτο ἀπὸ τῆς ἐν τῷ συμβόλῳ προσθήκης ἢ ἀναπτύξεως αὐτῶν, ὡσαύτως δὲ καὶ τῆς κοινωνίας αὐτῶν ἐφυλάχθημεν. νῦν ἐν ταύτῃ τῇ ἱερᾷ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ συνελθόντες Θεοῦ χάριτι ὑπὲρ τῆς ἁγίας ἑνώσεως, πολλῶν γενομένων συζητήσεων, καὶ διαλέξεων καὶ προκομιδῆς ῥητῶν ἀπό τε τῆς ἱερᾶς γραφῆς, καὶ τῶν ἁγίων διδασκάλων τῆς ἐκκλησίας. ἡμεῖς μὲν οἱ λατῖνοι διϊσχυριζόμεθα, ὅτι τοῦτο ὅπερ λέγομεν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἑνὸς ἐκπορεύεσθαι, ἐ ταύτῃ φαμὲν τῇ διανοίᾳ ὥςε ἡμᾶς ἀποκλείειν τὸν πατέρα τοῦ εἶναι ἀρχὴν καὶ πηγὴν ὅλης τῆς θεότητος τοῦ υἱοῦ δηλονότι, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. ἢ τοῦτ' ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται τὸν υἱὸν μὴ ἔχειν παρὰ τοῦ πατρός. ἢ ὅτι δύο ἀποφαινόμεθα εἶναι ἀρχὰς, εἴτε δύο προβολὰς τοῦ ἁγίου Πνεύματος. ἀλλ' ὁμολογοῦμεν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀϊδίως ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ, ὡς ἀπο μιᾶς ἀρχῆς, καὶ μοναδικῆς προβολῆς ἐκπορεύεσθαι. ἡμεῖς δὲ οἱ γραικοὶ ὁμολογοῦμεν μὲν καὶ πιςεύομεν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, ἰδιαν δὲ τοῦ ἑνὸς εἶναι, καὶ ἐξ αὐτοῦ ἀναβλύζειν, καὶ διαδόσις ἐξ ἀιδοῦ ἦγεν ἐκ πατρὸς δι' ἑνὸς προχεῖσθαι διϊσχυριζόμεθα τε καὶ ἐπιςεύομεν. καὶ ἤδη ἑνώμεθα ἀλλήλοις καὶ θεοφιλῶς συνωπτίζομεθα. πεῖραν δεδωκότες ἀλλήλοις τῆς ἰδίας πίςεως καὶ ὁμολογίας, καὶ ὑδέτεροι ἀπὸ τῆς ἑτέρων ἑνώσεως ἢ κοινωνίας φυλαττεσθαι λοιπὸν διακρίνομεν. ἀλλὰ πάλιν συντιθέμεθα ἀλλήλοις καὶ ὁμονοοῦμεν καὶ εἰς μίαν ἐκκλησίαν Θεοῦ χάριτι πάντες ἀποκαθιςάμοθα.

QUoniam nos Græci, antehac arbitrabamur Latinos affirmasse, Spiritum Sanctum a Patre et a Filio procedere, tanquam a duobus principiis aut duobus spiramentis, & præterea non affirmasse Patrem esse principium & fontem totius Deitatis Filii, nempe & Spiritus Sancti; propterea nos & ab Additamento, seu a vocula quam Latini symbolo explicando adjiciunt, pariter, & ab eorum communione aversati declinavimus: nunc autem in hanc sacram oecumenicam Synodum congregati, singulari Dei gratia, ut sancta inter nos unio procuretur, post multas hac illac ventilatas quæstiones, acerrimas disceptationes, & producta in medium quamplurima testimonia, e sacris litteris simul, & e sanctis ecclesiæ doctoribus: Nos Latini asserimus & profitemur, id quod nos affirmamus, Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere, non eo sensu dicere, quasi aut Patrem excluderemus, quo minus esset fons ac principium totius Deitatis Filii, scilicet & Spiritus Sancti, aut quasi crederemus illud, Spiritum Sanctum a Filio procedere, Filium a Patre non accepisse: aut quasi duo principia, aut duas productiones Spiritus Sancti exhiberemus: sed firmiter credimus & & profitemur, Spiritum Sanctum a Patre & a Filio tanquam ab uno principio, & una singulari productione, ab æterno profluxisse. Similiter & nos Græci asserimus & profitemur Spiritum Sanctum a patre procedere, proprium autem esse Filii et ab illo promanare, & ab utroque, scilicet a Patre per Filium, secundum substantiam profundi credimus et affirmamus: Et nunc sub hac unanimi professione in mutuam unionem coalescimus, dextrasque conjungimus: Quin & hoc ut specimen damus invicem, peculiaris, fidei, ac professionis tesseram, & ut nemo ab alterutrius Communione abstinere in posterum debeat dijudicamus, sed rursum invicem in unum integrum coimus, et concordamus, ac in unam denuo ecclesiam Dei Opt. Max. benignitate restituti redintegramur.

Iaid. cap. cap. XVIII.

Animadversiones ad formulam superiorem.

α. Ἐπεὶ ἐν τῇ ἀρχῇ τοῦ γράμματος ὑμῶν περιέχεται ὅτι, ἐπειδαὶ ὑπελαμβάνετε τοὺς λατίνους λέγειν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι ὡς ἀπὸ δύο ἀρχῶν, καὶ τ' ἄλλα, διὰ τοῦτο ἐφυλάχθητε ἀπὸ τ' προσθήκης ἢ ἀναπτοξεως τ' γενομένης ἐν τῷ συμβόλῳ, καὶ ἀπὸ τ' κοινωνίας ἡμῶν. ἀλλ' ἐπειδὴ ἐπληροφορήθητε τοὺς λατίνους κρατεῖν τοναντίον, οὐκ ἔτι ὀφείλετε ἤδη φυλάττεσθαι τὴν προειρημένην προσθήκην καὶ ἀναπτυξιν, καὶ γὰρ τῆς αἰτίας ἀργούσης ἀργεῖν ὀφείλει καὶ τὸ ἀποτέλεσμα. ἐπὶ τόδε ἐν ζητοῦμεν ἀπολογίαν.

β. Ἐκλίθεσθε τὴν τῶν λατίνων πίςιν. αἰτοῦμεν ἵνα ἀποκριθῆτε ταύτην νομίζητε ἀληθεύειν

QUandoquidem in ipso limine vestræ schedulæ hæc continentur: Quoniam arbitrabamini Latinos affirmasse Spiritum Sanctum a Patre ac Filio procedere, tanquam a duobus principiis &c. Propterea et ab additamento, seu explicatione ad Symbolum interjecta, et a communione nostrorum refugistis: At jam cum pro compertissimo habeatis, Latinos contrarium profiteri, an ulterius ab Additamento seu explicatione refugere debetis? cessante causa cessat effectus: responsumque huic scrupulo imprimis postulamus.

Dicitis vos etiam Latinorum fidem exposuisse in vestra formula: quærimus ut respondea-

ANNO CHRISTI 1438.

θῆ, καὶ τῇδε θέλητε συνθέσθαι.

γ. Ἐκτιθέατε τὴν πίστιν ὑμῶν. λέγοντες πιστεύειν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, ζητοῦμεν ἵνα ἀποκριθῆτε, ἂν πιστεύητε ἀϊδίως ἐκπορεύεσθαι ἐκ τοῦ πατρὸς μόνου, οὐχὶ δὲ καὶ ἐκ τοῦ ἡοῦ;

δ. Λέγετε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἴδιον εἶναι τοῦ ἡοῦ. ζητοῦμεν ἵνα διεύκρινήσητε πότερον ἴδιον νοεῖτε τοῦτ' ἐστὶν ὁμούσιον μόνον, ἢ ἴδιον τοῦτ' ἐστὶν ἔχον ἀϊδίως τὸ εἶναι ἐξ ἑαυτοῦ τοῦ ἡοῦ, καθάπερ ἐκ τοῦ πατρὸς.

ε. Λέγετε ἐξ αὐτοῦ ἀναβλύζειν. ζητοῦμεν σαφήνειαν, πότερον ἡ λέξις ἥδε τὸ ἐξ αὐτοῦ πρὸς τὸν πατέρα ἀναφέρεται, ἢ πρὸς τὸν υἱόν.

ς. Εἰ πρὸς τὸν υἱὸν ἀναφέρεται, πότερον ἀναβλύζειν ἀϊδίως νοεῖτε καὶ οὐσιωδῶς καὶ προσωπικῶς ἐκ τοῦ υἱοῦ ἢ οὔ;

ζ. Ζητοῦμεν διασάφησιν τὶ ἂν σημαίνοι παρ' ὑμῖν τὸ ῥῆμα τὸ ἀναβλύζειν; εἰ τὴν οὐσίαν δηλονότι καὶ τὸ ὑποστατικὸν εἶναι ἔχει τε καὶ λαμβάνει ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἡοῦ; καὶ εἰ ταυτὸν σημαίνοι τῷ ἐκπορεύεσθαι, καὶ εἰ ἔν τινι διαφέρει, καὶ ἔν τινι.

η. Λέγετε οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν ἤγουν ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ προχεῖσθαι. ζητοῦμεν διασάφησιν, ἂν οὐσιωδῶς νοῆτε καὶ ἀϊδίως.

θ. Τὶ ἂν σημάινοι τὸ οὐσιωδῶς καὶ ἀϊδίως προχεῖσθαι ἐξ ἀμφοῖν; εἰ δηλονότι τὴν οὐσίαν ἔχειν, καὶ λαμβάνειν ἐξ ἀμφοῖν. καὶ εἰ ἐν τῷδε τῷ πράγματι ταυτόν ἐστι τὸ προχεῖσθαι; καὶ εἰ ἔν τινι διαφέρουσι, καὶ ἔν τινι;

ι. Ἂν ἡ πρότασις αὐτὴ ᾖ ἀληθὴς, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον προχεῖται καὶ ἐκπορεύεται ἀϊδίως ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ, ἄνευ ταύτης τῆς ἐξηγήσεως ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ, ἢ ἑτέρας ἐξηγήσεως.

ια. Ἡνίκα λέγετε δι' υἱοῦ ἂν ἡ λέξις αὐτή γε ἡ διὰ, κατά γε τὴν ὑμετέραν ἔννοιαν λέγη καὶ τὸν υἱὸν αἰτίαν εἶναι καὶ ἀρχὴν τοῦ ἁγίου Πνεύματος;

ιβ. Λέγετε ἤδη ἑνούμεθα, καὶ θεοφιλῶς συναπτόμεθα. ἐρωτῶμεν οὖν λαβεῖν σαφήνειαν ἔν τινι ἑνούμεθα, καὶ συναπτόμεθα. πότερον ἐν ᾧ λέγομεν ἡμεῖς, ἢ ἐν ᾧ ὑμεῖς λέγετε; καὶ ἡνίκα κατέχωμεν ὡς ἐγκρατοῦμεν, καὶ ὑμεῖς κρατεῖτε, ὅπερ κρατεῖτε. ἀλλὰ μὲν τὸ τελευταῖον οὐ δυνατὸν συνίστασθαι εἴπερ ἀπ' ἀλλήλων διαφερόμεθα. ἓν γὰρ καὶ ταυτὸν δεῖ ὑπάρχειν, ἐν ᾧ ἂν γένοιτο δύο διχονούντων ἕνωσις. ἢ ἵνα ἡμεῖς μὲν κρατοῦμεν τὴν ἡμετέραν ἅμα καὶ ὑμετέραν ὁμολογίαν, ὑμεῖς δὲ τὴν τε ὑμετέραν καὶ ἡμετέραν. οὐδὲ τοῦτο δυνατὸν συνίστασθαι. καὶ γὰρ εἰ διανοία καὶ τῷ σκοπῷ αὐταὶ αἱ ὁμολογίαι διαφωνοῦσι τίνι τρόπῳ ἅμα τἀναντία κρατήσομεν ἐπεὶ δὲ τῶν ἐναντίω θάτερον δεῖ ψεῦδες εἶναι, πῶς τὸ κρατεῖν τὸ ψεῦδος ὅμου μετὰ τῆς ἀληθείας ἐν τοῖς τῆς πίστεως πράγμασι γένοιτ' ἂν θεωφιλὴς σύνδεσμος. ἀλλ' ἴσως τὴν ἕνωσιν ἐν τῇ κοινωνίᾳ μόνῃ νοεῖτε, ὡς τὰ ἑπόμενα τοῦ γραμματίου ὑμῶν ὑπεμφαίνει. ἀλλά τις ποτ' ἂν εἴη ἥδε ἡ ἕνωσις συναναστρέφεσθαι μὲν ἅμα τῷ σώματι, διαφωνεῖν δὲ τῇ διανοίᾳ, καὶ τοῖς ῥήμασιν ἐν τοῖς τῆς πίστεως, καὶ πρὸς σωτηρίαν ἀναγκαίοις; προσῆκον οὖν δοκεῖ καὶ ἀναγκαῖον τὸ τῶν λατίνων γραμμαάτιον, ἐν ᾧ πρότερον ἐκτίθεται ἡ τῶν ἀμφοτέρων μερῶν διάνοια, κἀντεῦθεν τίθεται ἡ ἀληθὴς καὶ κοινὴ τῆς αὐτῆς πίστεως ὁμολογία ἐν τῇ αὐτῇ διανοίᾳ, καὶ τοῖς αὐτοῖς ῥήμασι. παρακαλοῦμεν οὖν καὶ αἰτοῦμεν, ἵνα κατὰ μέρος ἐφ' ἕκαστον τῶν προειρημένων κεφάλαιων, ἄνευ τῆς τῶν ῥημάτων ἀμφισβητήσεως, δόσητε τὴν ἀπολογίαν καὶ διευκρινήσητε τὴν διάνοιαν ὑμῶν ὡς τάχιον

A deatis, an eam veram creditis? & in eam desideratis unionem pangere?

In vestra fide exponenda, affirmatis vos credere Spiritum Sanctum procedere: at nos quærimus ut respondeatis, si ab æterno creditis eum a Patre solo procedere, et non pari modo a Filio?

Dicitis Spiritum Sanctum proprium esse Filii: quærimus ut illa vox nobis accuratius explicetur, utrum per illud proprium intelligitis Spiritum Sanctum Filio tantum Consubstantialem? an proprium i. e. trahentem æternum esse suum a Filio, æque ac a Patre?

Dicitis ab eo scaturire: Petimus et hujus vocis explicationem: utrum illud ab eo, ad B Patrem an ad Filium referatur?

Si ad Filium, utrum scaturire ab æterno intelligitis, et secundum substantiam, et personaliter nec ne?

Quantum valet istud verbum apud vos scaturire? et quid proprie significat? an substantiam nempe ac personalem substantiam Spiritum Sanctum habere ac trahere ab ipso Filio: et an idem significat quod verbum procedere, vel in aliquo sensu differat? et in quo sensu differt?

Affirmatis substantialiter ab utroque profundi, nempe a Patre per Filium. Scire cupimus an substantialiter etiam et æterne intelligatis?

C Et quid sibi vult illud substantialiter et ab utroque profundi? an scilicet habere ac sumere substantiam ab utroque: Et si in hoc negotio idem sonet profundi ac procedere? et si differunt in aliquo sensu? et in quo sensu differunt?

An ipsa hæc propositio in seipsa, Spiritus Sanctus profunditur ac procedit æternum, sine hac illustratione, a Patre per Filium, aut quavis alia illustratione aut Commentario sit vera, nec ne?

Ubi affirmatis per Filium, quærimus an dictio per, in vestro sensu dicat Filium Spiritus Sancti causam esse vel principium?

Dicitis jam unimur, et faventi divino nu- D mine conjungimur: at nos quærimus clare ac perspicue doceri, in quam rem? aut in quod vinculum unimur ac conjungimur? utrum in ea dogmata, quæ nos profitemur? an in ea quæ vos profitemini? An quum nos propugnamus quod retinemus? aut quum vos defenditis quæ defenditis? Sed quod ut ultimum omnem controversiam dirimit, nunquam in unum coalescere poterimus, si invicem discriminamur: Unum et idem oportet id esse, in quod unio conflabitur animorum antea dissidentium: Enim vero aut necessum erit, ut nos nostram adhuc retineamus, et vestram simul amplectamur confessionem: aut vos vestram pariter & nostram: Sed ne sic E quidem possibile erit copulari: Nam si confessiones ambæ et mentis operatione, et fine et scopo discrepabunt, quomodo aut ipsæ res contrariæ invicem sociabuntur, aut nos easdem profitebimur? Unum contrariorum oportet esse falsum, quomodo igitur in rebus fidei mixtum cum veritate falsum sic tuebimur, ut exeat in laudabilem, Deoque caram conjunctionem? Sed fortasse unio-

nem,

NNO HRISTI 1439.

nem, in ſola communionis participatione conſiſtere intelligitis, ut quæ ſequuntur in veſtra ſcedula nobis ſubinnuunt: Atque aut qualis hæc futura eſt Unio? Corporibus invicem converſari, anima vero et communi intelligendi ſenſu, in rebus fidei, ſalutem æternam ſpectantibus, toto Coelo diſterminari? Conducet igitur multum ut res omnino perneceſſaria ſchedulam Latinorum, in qua utriuſque partis et ſenſus et ratio exprimitur, et vera, genuina, ac communis unius ejusdemque fidei perhibetur confeſſio, in eodem ſenſu, iiſdem verbis quibus par eſt, excutere atque examinare. Quare vos obnixe hortamur atque obſecramus, ut ſigillatim ad ſingula hic a nobis objecta capita, ſine æquivocatione verborum aut ambiguitate, reſponſa paretis et ſenſa mentium veſtrarum illuſtretis, quam diligenter ac expedite poteritis: Aut (quod nos malemus) ſchedulam fidei quam vobis nuper tranſmiſimus, ſimpliciter et ſine ulteriori tergiverſatione aut mora amplexi profiteamini.

A δυνατὸν γένεσθαι, ἤγουν ἁπλῶς τὸ γραμμάτιον ἐκεῖνο ὅπερ ὑμῖν ἐδεδώκειμεν δέχεσθε.

ANNO CHRISTI 1439.

B

COPIA EXPOSITIONIS LEGATORUM ARMENORUM

Ad ſummum pontificem nuper factæ MIIIIXXXVIIII. die Auguſti Florentiæ.

CHriſti ſedem tenes. Chriſti vicarius es in ſede Apoſtolorum. Venimus ad caput noſtrum. Venimus ad paſtorem. Tu es fundamentum eccleſiæ quod membrum elongavit ſe a te elongavit; et gregem qui ſe a te ſeperavit fera peſſima laceravit. Eccleſia quæ te non fuit ſecuta vel ſubſtentata, funditus fuit everſa. Caput condole membris. Paſtor collige gregem. Fundamentum confirma eccleſiam. Tu qui habes poteſtatem clavium celeſtium, aperi nobis portam vitæ æternæ. Cum auctoritate patriarchæ noſtri et epiſcoporum omnium gentis noſtræ, C venimus ad ſanctitatem tuam et vidimus. Noſtrum ſimbolum et fidem ſi eſt defectus, doce. Via tantum retinuit nos; quare tardavimus. Servi tui ſumus.

AD SEQUENTEM EPISTOLAM

COLLECTORIS PRÆMONITIO.

ARmenorum Chriſtianorum ſumma & ſacra dignitas ex una, ut olim obtinebat, nunc in duas ſcinditur. Harum eſt altera penes epiſcopum reſidentem nunc in Monaſterio Ecſmiaſin ab Erivau, urbe majoris Armeniæ metropoli, binis leucis diſtante; aliam vero tenet epiſcopus Sidae in Cilicia, uti opportune monet P. Galanus Clericus regularis Theatinus in præclaro opere conciliationis eccleſiæ Armenæ cum Romana. Sidenſem patriarcham probatam concilio fidem admiſiſſe certum eſt. Qui vero nunc in monaſterio Ecſmiaſin reſidet Catholicus, paulo poſt concilium Florentinum patriarchæ inſignia ſuſcepit; cum antea nullus ejus loci patriarcha fuerit. Quis ergo Patriarcha ille ſtatuatur, qui vulgandas hic primo literas ſcripſerit, in obſcuro eſt. Sidenſis literas apud Labbeum legimus; hic noſter a Sidenſi illo Labbeano nomine differt. Quis ergo Patriarcha iſte? Forte unus ex pluribus illis Armenis epiſcopis cenſendus, qui ſubinde nomen ſibi & inſignia Patriarchæ uſurpabant, quamvis reipſa nihil eſſent ſupra epiſcopos. Hujus enim affectatæ dignitatis exempla ſæpe in Armenis epiſcopis occurrere, monuit me per literas D. Joan. Aga Armenus Liburni agens, quo viro doctiorem neminem inter ejus nationis homines offendi. Facile etiam Gregorius hic noſter in dignitate Catholici Sidenſis Conſtantino, cujus extant literæ apud Labbeum, ſucceſſit; quare literas ad concilium miſerit Conſtantinus; reſcriptas vero a concilio Gregorius receperit; qui viciſſim ſuas dederit ad Eugenium, iiſque adhærere ſe concilio ſignificaverit.

ANNO CHRISTI 1440.

ANNO CHRISTI 14.0

COPIA LITTERARUM

Armeniorum S. D. N. missarum per fratrem Albertum.

GRegorius servus servorum Domini nostri Jesu Christi, & Dei nostri sapientia & caritas, catholicus quoque omnium provinciarum & episcopus episcoporum utriusque Armeniæ, benedictionem scribit omnibus. Benedicat Deus & custodiat sanctissimam sedem Latinam glorioſissimi fortissimique pastoris & sancti patris papæ Eugenii sacrorumque assessorum & ministrorum ac nobilium ejus. Peto ego a Deo, & a sancto Gregorio Illuminatore, ut custodiat te in pace dum vivis, B.P. vivasque usque in senectam & senium in sancta sede apostolorum Petri & Pauli, in quorum recordatione successor positus es. Amen.

Noverit S. T. perveniſſe ad nos altissimum sermonem literarum tuarum instar solis resplendentis & stellæ ac sereniſſimo coelo similem, & tanquam aurum precioſum ex anima immaculata sensibus quidem procedens. P. sancte, bene te video esse vere principalem veritatis pastorem & ordinatorem catholicorum juxta ritum præteritorum patrum. Ego vero confiteor Trinitatem, unum Deum patrem & Filium & Spiritum Sanctum; veritatem Filii quoque mei spirituales Sarchis Uhartabeth, & Thomas Vhartabeth venerunt ad te meam personam repreſentantes. Quicquid tecum fecerint & dixerint, totum gratioſe accepto, quod a te altiſſimo sit statutum. Multos ad te magistros & episcopos volebam mittere, sed hoc metu infidelium complere nequivi. Niſi tamen duos predictos Magistros, per quos quicquid constituisti, complector. Noverit præterea S. T. quod ad nos apud Cayrum pervenerit legatus tuus frater Albertus sapiens, & sanctus Domini prædicator, cum ego jam ad Soldanum veniſſem. Attulit vero ad me literas tuas, quos Jeroſolymis miſſas ad Dominum episcopum martyrum legi eas juſſimus, in quibus omne quod ſcripſeras intelleximus; sacram videlicet synodum caritatis & unitatis esse completam. At vero ego super omnes episcopos & magistros immeritus Catholicon in Jeroſolymis constitutus, cum hæc omnia comperiſſem, vehementiſſime exultavi referens gratias Deo nostro; qui per te hæc geſſit in famam nominis tui nulla unquam oblivione delendam.

Scripta in medio magni milleſimi Armeniorum, anno octingenteſimo* nono IIII. Septembris.

* Deeſt forte octuageſimo anno 889. Chr. 1440.

AMBASCIATA ÆTHIOPUM

Ad Dominum Eugenium papam quartum die tertia Septembris. Retulit vulgariter Interpres. Sed quædam in latinum non bene poſuit.

Edita apud Labbeum, ſed interpretatione diverſa.

OMnes homines qui perveniunt ad tuam S. B. pater habent multum regratiari Deo, eo quod eos fecerit dignos videre in te Chriſtum adhuc converſari inter homines peccatores. Sed nos nati in Æthyopia habemus multas occaſiones in quas non habere partem cum nobis extranei; quare debemus reddere gratias Deo infinitas eo quod nos fecerit dignos videre benedictum tuum vultum in præſenti die. Primo, quia non credimus quod aliquæ perſonæ venerint de longioribus partibus ad te, quam nos qui ſumus poſiti in fine mundi. Secundo, quia ſalva pace quibuſcunque non credimus, quod gentes in mundo ſint qui majorem portent devotionem, fidem, atque reverentiam papæ Romanæ eccleſiæ quam nos. Et hoc eſt ita notum inter nos, quod per tranſactam experientiam nos opportet quidem timere de periculo humanæ aplauſionis. Redeundo nos ex Roma ad domum noſtram, eo quod conſuetudo eſt in toto noſtro Imperio quod qui venit de papa Romano omnes magni & parvi maſculi & fœminæ currunt ad oſculandos pedes ſuos; & beatus ille qui poterit habere partem veſtimentorum ſuorum. Unde quanta ſit exiſtimatio de tua ſanctitate ſatis per hoc & multos ſimiles actus intelligi poterit. Tertio, propter magnam prærogativam imperii noſtri, quoniam nos æſtimamur multo majus aliis, quod etiam hodierna die Imperator noſter habet centum reges coronatos ſub ſe, & adhuc eſt noſtra antiqua gloria Reginæ Sabbæ quæ venit Jeruſalem ad famam Salomonis; ſicut nos ad quæ qui es plus quam Salomon, quamquam nos minores ſimus regina Sabba: etiam regina Candacis, & Eunuchus, quem baptizavit Philippus fuerit de partibus noſtris. Et tu qui es major omnibus magnis debes videre nos parvi propter iſtas res magnas. Ultima ratio eſt divina conſervatio circa nos, ex qua eſt manifeſtum, quod omnis eccleſia & populus ſeparatus a te corruit in ruinam; ſed nos ſoli inter omnes eccleſias receſſas a Romana ſede ſumus adhuc fortes, potentes & liberi. Unde a ſapientibus ex ratione trahitur quod aliis ſunt elongati a te per perfidiam, & ideo ſunt percuſſi; ſed noſtra extraneitas a te eſt citius propter longam locorum diſtantiam & propter pericula intermedia, & propter negligentiam priorum paſtorum circa nos. Quare nobis non eſt memoria aliqua veſtræ viſitationis & curæ veſtrarum ovium diſperſarum, ſed credimus quod ſint plus quam octingenti anni, quod non fuit Papa qui miſit nobis dici bona dies. Et hæc eſt ſumma laus tua, & noſtra leticia, quod tu es ſolus ille, qui vis nunc querere facere ſanctam unionem cum noſtro imperatore per medium veſtræ congregationis & noſtri abbatis Nicodemi ſervi tui, in Jeruſalem, qui mittit nos ad te, ſecundum evidentiam noſtrarum literarum, & recommendat ſe & omnes ſuos filios tuæ ſanctitati, offerendo ſe ad omnem laborem pro ſancta Unione facienda, prout tuæ ſanctitati placebit ſibi committere. Certificando S. T. quod noſter Imperator de Ethyopia nullum majus deſiderium habet quam quod ſit unitus eccleſiæ

Ro-

Romanæ, & esse sub pedibus Sanctitati tuæ; tam magnum est in conspectu ejus nomen Romanum & fides Latina, quam tecum Christus prosperat, & conservet in secula seculorum Amen.

COPIA LITERARUM

Patriarchæ Jacobitarum ad dominum nostrum summum Pontificem Eugenium Die XXXI. Augusti MIIII. XLI. protulerunt.

IN nomine illo quo Deus in anima humana rerumque ymaginibus trine & unice laudatur, qui cum natura verus ac unus ac simpliciſſime simplex sit, ex nullo genere rerum prodire potuit; cujus personarum trinitatem earumque unitatem plures animi vires operando declarant. Nec est certe ei ulla participatio cum illo qui in perditionem sponte deciderat. Sed ipsius presertim nomine qui summam caritatem ex veritate naturæ conjunctos in eo sacratiſſimo numero Patris ac Spiritus unus est. Qui dispensationis usu ex immaculata matre luteam carnem susceptit. Admirabilis quidem naturæ proprietate & corporali fecunditate, qui eo tempore suam bonitatem hominumque salutem conferre dignatus est; quoniam peccatum genus humanum omni ex parte devicerat; tunc vocatur: tunc attendit; tunc aptiſſimus mediator efficitur. Cumque in humanitate delituit prophetæ oraculo Emanuel. Cum vero ab Archangelo nuntiatur, Jesus nomen accepit, qui etiam post perpetuam æternitatem ab utroque mundo Christus appellandus est. Nunc cherubicis & superceleſtibus ordinibus laudamus eique gratias agimus. Primo quidem quia nobis dignoscendi virtutem largitus est. Secundo quia nos ad se evocaverit. Agamusque & pro ejuscemodi benefitio gratias quas enumerare non possumus. Credimus quoque nos ex propriis ac alienis operibus beneficium susceptures. Huic gloria cum optimo ejus patre & spiritu sancto nunc & semper in secula seculorum Amen. Joannes humilis servus, *ut apud Labbeum tom. XVIII. pag.* 1217.

COPIA LITERARUM

Alexandrini (Melchitarum) *ad Dominum nostrum Eugenium de Greco in latinum traducta.*

PErsanctiſſime, probatiſſime religioſiſſime, juſtiſſime, terrestris Angele, & cæleſtis homo, qui cum gratia Dei indutus sis, cum sacrata veste ornaris, boni gregis optime pastor, qui doctrina tua insipientes lupos ob ovibus rationalis ovilis depellis; Christi nostri benefactoris primo deinde Apostolorum Petri & Pauli Vicarie; petra fidei, caput omnium Christianorum ecclesiarum, qui ex Christo domino sacram potestatem accipiens, Papa magnæ Urbis Romanæ & protector ceterorum patriarcharum factus es comminister, & frater in Spiritu Sancto. Domine sancte Papa Eugeni sit tibi gratia magnificentia simul & gloria a Deo patre omnipotente & Dom. nostro Jesu Christo, qui tribuens suis discipulis in sancta Syon: *pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo vobis*; non sicut ad ceteras gentes, sed per igneas linguas illis advenerat; aperiensque corda eorum adimplevit eos quantum quisque capere poterat, ac sic institutos in universum orbem ipsos divisit; quantoque naturalis ac gentilis philosophiæ indocti fuerint, tanto veræ, fidei ac justitiæ erudimenta susceperunt. Hanc igitur gratiam, pacem, & benedictionem in maxima tua beatitudine, primo, deinde in sanctis fratribus meæ moderationis pontificibus, omnibusque Christiano nomine appellatis, idem spiritus multiplicare dignetur! intercedentibus & hoc munus assequentibus sanctiſſima Regina ac Dei genitrice Maria, beato Marco Apostolo & evangelista ac demum omnibus sanctis Dei. Amen.

Mea humilitas pater beatiſſime audiens hæc, tuæ maximæ sanctitatis a filio meo in Spiritu Sancto Fratre Alberto Monacho sacro ordinis minorum misso in Egyptum refero; ut scilicet huc ad nos veniens detulerit sanctiſſimas literas sanctitatis tuæ, quas diligentiſſime legimus, & præcepta in illis & mandata de sacra & oecumenica synodo cum omnibus patribus loca tenentibus sanctorum patriarcharum, & potentiſſimo Imperatore nostro Johanne Paleologo de omnibus pontificibus ac doctoribus orientalibus ac occidentalibus satis intelleximus: cognovimusque quo pacto unio & pax in tota catholica ecclesia celebrata est caritate perfecta, anima una, fide una ac symbolo; abjectoque veteri scisimate ac inimicitia in latriam *troem* misticam Dei omnipotentis amor & pax revocata sunt per gratiam & miserationem domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum Amen.

PHILETHEUS

Miseratione divina papa, & Patriarcha magnæ Civitatis Alexandriæ & totius Ægypti.

LEctis igitur sacerrimis literis tuis *perſanctiſſime* pater, omnes adorantes gratias *agimus* Domino Jesu Christo de tam excellentiſſimo dono ecclesiæ tuæ catholicæ elargito. Huic nostræ alacritati aliud quoque lætitiæ genus additum est; siquidem eodem pene momento, quo dominus frater Albertus huc accesserat, redditæ sunt mihi literæ ex magna urbe Constantinopoli sereniſſimi Domini *nostri* imperatoris, & locum nostrum tenentium patrum, *quorundam* nobilium perlatæ manibus persacratiſſimi fratris meæ moderationis metropolithæ *Theodori* domini *Nathamathis*. Legimusque utrasque græcas scilicet & latinas; contulimusque eas orationem orationi, versum quoque versui, & similes omnino illas reperimus stipulatas subscriptionibus sanctorum patrum & fratrum archiepisc. & magistrorum orientalium, atque occidentalium, obsignatas sigillis tuæ magnæ sanctitatis, & potentiſſimi principis D. imperatoris. Unde *tunc* Ægytiispontificibus & ceteris clericis nostris statuimus ut

Extat etiam apud Labb ex quo hic variantes dantur. Lab. perfectiſſime. L. egimus. Deest. L. quorumdamque. L. Rhodi. L. Anathermetis. L. cum.

ANNO CHRISTI 1441.

ubique in omnibus Christi ecclesiis inter missarum solemnia *per* ceteris patriarchis memoriam tuæ beatitudinis faciamus, sicut in sacris canonibus *tactum* est. Ego vero, pater *sanctissime*, decretum sacræ Synodi summa cum veneratione suscipiens in pectore meo æterna *inscriptione* infixi, sequi instituens T. S. vestigia sacra, & synodos, et apostolicos canones. Agimus præterea gratias Deo piissimo cum his populis christianis, quod nos tanto dono dignos efficere voluerit, constitueritque nos omnes ut sub auctoritate et potentia S. T. regamur atque sub umbra alarum tuæ pietatis doceamur. Te autem, pater *sanctissime*, felicem summæque beatitudinis dignum esse omnes gentes existimabunt; nam fons vitæ in Evangelio beatos dicit ac filios Dei qui pacem hominibus comparant. Et certe beatus es, pater sanctissime. Multi enim *superiorum* pontificum ao regum cupierunt videre hoc unionis

L. pre.
L. cautum.
L. beatissime.
L. inspectione.
L. sanctorum.

munus et non potuerunt. Tu vero non solum hoc præ ceteris assequi meruisti; sed & summam mercedem habebis coronaque veritatis cum omnibus justis coronaberis Amen.

Scripsit mea humilitas literas ad potentissimum principem dominum Imperatorem, & ad quosdam pontifices Constantinopolim, significans, ut si quis ea quæ in sacra Synodo decreta ac deffinita sunt non recipit, tanquam tyrannus & hæreticus habeatur, *decidaturque* a communione sanctæ catholicæ ecclesiæ. Inclino meipsum P. B. sub scabello pedum sanctitatis tuæ cum *quo* sit gratia benedictio & pax cum omnibus utriusque ordinis viris sub tua potestate constitutis. Et benedictio tuæ beatitudinis sit cum omnibus nobis Amen.

Data festo millenario nongentesimo quadragesimo nono, primo die mensis Septemb.

ANNO CHRIST 1441.

L. decidatque.
L. qua.

Deest in Labbeo.

CANON, SEU HYMNUS

Κανὼν τῆς ὀγδόης συνόδου τῆς ἐν Φλωρεντίᾳ γενομένης. ποίημα ἱερέως Ἰωάννου τοῦ Πλουσιαδινοῦ ἢ ἀκροστιχίς. ἔπεσι τερπνοῖς τὴν σύνοδον γεραίρω Ἰωάννης.

In octavam Synodum Florentiæ habitam, authore Johanne Plusiadeno, efficiens hanc acrostitidem: Suavibus verbis Synodum celebro Johannes.

Ἐκ τῶν περάτων θεαρχίῳ νεύματι συναθροισθέντες εἰς ἓν, ἐν τῇ λαμπρᾷ πόλει, Φλωρεντίων σήμερον οἱ ἱεροὶ διδάσκαλοι. δυναρχίας τὸ ψεῦδος συναλοιφῆς τὸ παλίφημον δόγμα ἐκποδὼν ἀπεδίωξαν.

Παρὰ Χριστοῦ τοῦ βασιλέως ἄνωθεν μεμνημένος σαφῶς. ὡς ἀῤῥαγεῖς σύλοι, γεγονότες ὤφθησαν οἱ ἐκκλησίας πρόεδροι. οἱ Χριστοῦ στρατιῶται, τῆς ἀσεβείας ἀντίπαλοι, καὶ τῆς εὐσεβείας διδάσκαλοι.

Εὐσεβοφρόνως οἱ πιστοὶ συνδράμωμεν, χάρας κρατοῦντες πιστῶς, καὶ τὴν λαμπρὰν ταύτην, καὶ ἁγίαν σύνοδον, ὕμνοις ἀναφημίσωμεν, τὸ συνάψαντα πάντας ἐν ὁμοίᾳ τῆς πίστεως, Ἰησοῦν Χριστὸν μεγαλύνοντες.

Συναπτικὴ τῆς διεστώτων ἕνωσις, παρθενομήτωρ ἁγνή. τοῦ Ἰησοῦ μήτηρ, σὺ ὑπάρχεις δέσποινα, καὶ τοῦ Δαβὶδ ἀπόγονος. θεοτόκε Μαρία, καὶ τῶν ἀγγέλων ἀγλαΐσμα καὶ τῶν γηγενῶν ἀγαλλίαμα.

Ἱερῶς ἀθροισθεῖσα ἡ ἱερὰ σύνοδος. καὶ τῆς ἐκκλησίας λογάδες πάντες συνήχθησαν εν τῇ ἑνώσει Χριστέ τοῦ θειοτάτης σου ποίμνης ἐν τῷ σῷ ἐσπιλωμένῃ αἵματι δέσποτα.

Τῶν πατήρων ἁπάντων ἡ κορωνὶς σήμερον καὶ τῶν θεολόγων, ἀκρότης πᾶσα συνέδραμε. καὶ πρὸς δυσμὰς ἐν ταυτῷ συναθροισθεῖσα ἐν τάχει. σκότος ἐξηφάνισε τοῦ διαζόσεως.

Εὐσεβείας οἱ πύργοι, ἐκκλησιῶν πρόμαχοι. καὶ τῆς οἰκουμένης ποιμένες τε καὶ διδάσκαλοι. οἱ θεολόγοι λαμπρῶς, ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ Υἱοῦ τε. εὐσεβῶς ἐκήρυξαν τὸ Πνεῦμα σήμερον.

Ῥῦσαι πάσης ἀνάγκης καὶ πειρασμῶν ἅπαντας. τοὺς προσκαλουμένους, τὸ θεῖον ὄνομα δέσποινα. σὺ τὸ πανάγιον νῦν θεοτόκον κυρίως. εὐσεβῶς δοξάσοντας καὶ μεγαλύνοντες.

Παρὰ Χριστοῦ τὴν ἐξουσίαν ἐλήφατε. τὰς αἱρέσεις πάσας καὶ τὰ σχίσματα, ἐκ τῆς αὐτοῦ ποίμνης ἀληθῶς Πνεύματος ἰσχύει. ἐκτέμνειν καὶ ἀποκρούεσθαι. πατέρες θεοφόροι. συνελθόντες διόπερ. κατάχρεως ὑμᾶς μεγαλύνομεν.

Νέα Σιὼν, ἡ Φλωρεντία ἐγένετο. τοὺς πανταχόθεν συνάψασα πρὸς ἑαυτὴν καὶ τὸν ἑῷον ὅρον θεοφρόνως εἰς πᾶσαν γῆν ἐξαπέστειλεν.

EX totius terræ finibus, Divino spiritu in unum congregati hodie in præclara Florentinorum civitate sacri Doctores duorum principorum falsitatem, & commixtionis execrandum dogma procul amoverunt.

Sursum a Christo rege manifeste ducti, tamquam infractæ columnæ facti apparuerunt Ecclesiæ præsules, Christi milites, impietatis hostes & pietatis magistri.

Religiose, fideles, conveniamus, & communi plausu præclaram hanc, sanctamque synodum hymnis concelebremus, quæ fideles omnes Jesum Christum prædicantes in ejusdem fidei consensionem adduxit.

Tu Virgo casta Jesu Mater, quæ dissitos apte conjungis, tu Domina, progenies David, Deipara Maria, Angelorum splendor, terrigenumque gaudium.

Divinitus congregata sacra Synodus, ecclesiæque doctores omnes convenerunt in unionem, Christe, divini tui gregis, quem proprio redemisti sanguine.

Patrum omnium corona hodie, atque Theologorum cœtus una concurrit, atque in occidentalibus partibus hic congregatus brevi omnes dissidii tenebras disperdit.

Religionis munimina, ecclesiæ defensores, totiusque terræ pastores, ac magistri Theologi insigni hodie pietate procedentem ex Patre, Filioque Spiritum deprædicant.

Ab omni necessitate, ac tentatione libera invocantes divinum nomen, sanctissimumque, ac divinum tuum natum pie glorificantes, ac prædicantes, Deipara.

Potestatem a Christo accepistis hæreses omnes, & schismata ab ejus grege virtute Spiritus Sancti vere exscindendi, atque propulsandi, optimi Patres convenientes: quocirca jure meritoque vos prædicamus.

Nova Sion facta est Florentia, Patres undique ad se congregans, & sacrum decretum divino consilio in universas terræ partes misit, quo multiplici Theologica doctri-

ANNO CHRISTI 1441.

πολλῇ θεολογίᾳ καὶ σοφίᾳ συνῳδᾶσα. τὴν ὀρθόδοξον πίστιν κηρύττοντα.

Ὁ ἱερὸς, καὶ πανσεβάσμιος ὅμιλος τῶν πατέρων, πᾶσαν τὴν δυσχέρειαν τῶν πονηρῶν, ἔλεγχε σαφῶς. καὶ τὸ θεῖον δόγμα, τὸ τ Τριάδος ἐξέδωκεν. ὀρθῇ ὁμολογίᾳ καὶ σοφῇ διανοίᾳ τὸ τ πίστεως ἅγιον σύμβολον.

Ἵνα τὴν σὴν θεολογῶμεν θεότητα, ὀρθοδόξως, πάντας θείῳ νεύματι, τοὺς ἀρχηγοὺς τ ἐκκλησιῶν ἐν τῇ Φλωρεντίᾳ, σύναψας πάντα τὰ σκάνδαλα. ἠφάνισας ἐκ μέσου δι' αὐτὸν τὴν ἀρήνην. καὶ ὁμόνοιαν πᾶσιν ἐχώρισας.

Σὺ τῶν βροτῶν ὡραιότης παρθένε τὸ καύχημα, καὶ ἀγγέλων πέλεις ἀναλλίαμα, ὡς τὸν Χριστὸν, τέξασα σαρκί. τ παμβασιλέα, καὶ ποιητὴν πάσης κτίσεως. διὸ παρθενομήτωρ διά σε οἱ σωθέντες εὐλογοῦμεν ἀπαύστως τ τόκον σου.

Τὴν σεβάσμιον ταυτην καὶ ἁγίαν σύνοδον πιστῶς γεραίρομεν. τὴν ἐν Φλωρεντίᾳ ἱερῶς συναχθεῖσαν ἐν Πνεύματι. καὶ τὰς ἐκκλησίας διερρηγμένας ἀνιάτως. ἐν ἑνώσει αὐτὰς κατευθύνασαν.

Ἡ φωνὴ τοῦ Σωτῆρος ἀληθῶς πεπλήρωται, ἡ πάλαι φήσασα. ἱερὼς τῷ Πέτρῳ ἐπιστρέψας στηρίξεις ἀδελφούς σου. ἐγὼ γὰρ Πέτρε ἐδεήθην, ἵνα μήποτε λείψῃ ἡ πίστις σου.

Νῦν ὁ Ῥώμης προσάτης ὁ κλεινὸς, Εὐγένιος, πάντας συνήθροισε ἐν τῇ Φλορεντίᾳ ὡς τὴν πίστιν κατέχων ἀκλόνητον. καὶ στηρίσας πάντας, καὶ πρὸς αὐτὴν καθοδηγήσας. τὸ Σωτῆρος τὸν λόγον ἐπλήρωσε.

Συνελθόντες ἐν πίστει. πάντες μακαρίζομέν, σε τὴν παναμωμον. τὴν τὰ διεστῶτα, παραδόξως παρθένε συνάψασαν τῷ σεπτῷ σου τόκῳ, ἀλλὰ καὶ νῦν ταῖς ἐκκλησίαις τὴν ἀρήνην καλῶς προξενήσασαν.

Ὑψισε παμβασιλεῦ. τῶν ἁπάντων παντεπόπτα καὶ κτιστά. σὸν ἀληθῶς γὰρ ἔργον τὸ παρὸν παντοδύναμε, τῇ ἑνώσει τὰ μακρὰ καὶ πρὸ πολλοῦ διεστῶτα δύο Σωτήρ μου γένη κάλλισα.

Νῦν ἐπέλαμψε φαιδρῶς. ἡ χαρμόσυνος ἡμέρα κυρίου, ἐν ᾗ τ θεῖον ὄρον τ ἀρήνης τὸν σύνδεσμον, τῶν πατέρων ὁ χορὸς, συνέθετο ὀρθοδόξως, καὶ θεοφρόνως ἐπαγάλλεται.

Οἴματα αἱρετικῶν καὶ κακία ἡ διάστασις πᾶσα θεολογούντων ἤρθη. ἐκ ποδῶν καὶ ἠφάνισαι. τῶν πατέρων ἡ πιστοὶ συνήλθησαν ἐν ἑνώσει τῆς ἀληθοῦς καὶ θείας πίστεως.

Δεῦτε ἄσωμεν πιστοί. τὴν ὑπέραγνον μητέρα κυρίου. τὴν φωταυγῆ νεφέλην, τὴν ὑράνιον κλίμακα. τὴν παστάδα τὴν χρυσῆν. σκήνωμα θέρτερον τοῦ ὑψίστου. ἐν ᾧ ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο.

Ὅμιλος ὤρθη τ πατέρων. ἐκ περάτων ἀθροισθεὶς ἐν Φλωρεντίᾳ ὁπλοφόρος στρατὸς, κατὰ τ ἀντιπάλων καὶ τούτων καταβέβληκε τὴν ὀργὴν γλυκυφρόνως.

Νεύσει κυρίου πανταχόθεν συνηθροίσθησαν πατέρες θεηγόροι. τῇ ἑνώσει τὰ πρὶν κακῶς διερρωγότα καὶ μελῳδοῦντες ἄσωσιν, ἄσμα θεῖον τῷ δεσπότῃ.

Τέγονεν ὀρθὸς τῆς συνόδου, καὶ κατέσχυνεν ἐχθρῶν τὰς φλυαφίας. καὶ τὸ δόγμα σαφῶς, ἐδίδαξε τοῦ σεβεῖν. τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεσθαι ἐκ Πατρὸς καὶ δι' Υἱοῦ τε.

Ἓν ἀμφοτέρωθεν ἠγεῖται. τὸ γινόμενον ἡ σύνοδος ἡ θεία δι' ἄζυμα αὐτὸ ἄρτα καὶ δ' ἐνζύμου. σῶμα σεπτὸν καὶ ἅγιον τοῦ κυρίου παραδόξως.

Ῥῦσαι κινδύνων θεοτόκε τοὺς ὑμνοῦντας σε τὸν

A ctrina, sapientiaque conjuncta orthodoxam fidem promulgat.

Sacer, & venerandus Patrum coetus omnem impiorum difficultatem perspicue diluit, divinumque Trinitatis dogma, nec non sanctum fidei symbolum recta confessione, aptaque intelligentia exposuit.

Ut de tua divinitate recte, convenientique modo loquamur, divino nutu omnes Ecclesiarum præsules Florentiam congregans omnia scandala de medio eorum sustulisti, pacem & concordiam disseminans.

Tu Virgo, mortalium gloria, & Angelorum es gaudium, Christum in carne pariens omnium Regem, atque rerum creatarum factorem: idcirco Virgo mater per te
B servati indesinenter Filio tuo benedicimus.

Venerandam hanc, sanctamque Synodum fideliter celebramus, quæ Sancto spiritu affiante Florentiam congregata est, quæve divisas insanabili ferme modo Ecclesias, ad unionem composuit.

Vere impletus est servatoris sermo ad Petrum olim habitus: conversus confirma in unum fratres tuos: Ego enim Petre, rogavi, ut non deficiat fides tua.

Nunc Romanus pontifex celebris Eugenius omnes Florentiam congregavit, incorruptam fidem velut effundens, cunctosque confirmans, & viam ad ipsam monstrans, Servatoris dictum implevit.

C Convenientes in fide universi laudamus te maculæ omnis expertem, quæ disjunctas Ecclesias præter opinionem venerabili Filio tuo concilias, & nunc pacem inter eas perbelle confirmas.

Altissime rex, rerum omnium author, atque creator omnipotens vere tuum opus est duas partes eximias, valde, longeque inter se dissitas, Servator mi, conjunxisse.

Nunc vere illuxit dies Domini lætitiæ plena, in qua Patrum cœtus divinum decretum, tamquam societatis vinculum, recte statuit, ut cælesti repletus sapientia exultat.

Hæreticorum opinamenta, & impietas,
D atque divisio omnis sublata est, & procul abjecta, ac in veræ, divinæque fidei unionem convenerunt fideles Patres.

Agite jam fideles, canamus castissimam Domini matrem, splendidam nubem, cælestem scalam, thalamum aureum, præstantius altissimi tabernaculum, in quo Verbum caro factum est.

Visus est Patrum coetus ex terræ finibus Florentiam congregatus tamquam exercitus armis instructus adversus hostes, ipsorumque audaciam strenue dejecit.

Divino afflatu convenerunt undique Patres Theologi ad consocianda, quæ prius nefarie divisa fuerant, jamque concinentes
E divinum canticum domino persolvent.

Prodiit synodi decretum, statimque animum dimiserunt oblaterantes adversarii, & dogma nos perspicue docet venerari Spiritum ex Patre Filioque procedentem.

Unum utrobique sentit divina Synodus venerandum, sanctumque Christi corpus, sive azymo pane, sive fermentato perficiatur mysterium.

Ab omnibus periculis immunes serva Dei-

para

ANNO CHRISTI 1441.

ANNO CHRISTI 1441.

τόκον παναγία καὶ ἐξ ὅλης ψυχῆς βοῶσί σοι τ ὕμνον κ τὴν ὠδὴν σοι μέλπουσιν ἀεί....

α Ἐπ' ἄκρου γῆς ἀς πέρατα. συνεξέλαμψε σήμερον. ἡ ἐν Φλωρεντίᾳ πανάγια σύνοδ© πιςοὺς ἐκδιδάσκουσα, τὴν τῶν ψυχῶν ἀπόλαυσιν νῦν. τῶν ἐν τῷ παρόντι, ἱκανῶς δεδοξασάντων. προθύμως τῷ Σωτῆρι, καὶ αὐτῷ μελοδόντων, τῷ τῶν ψυχῶν νυμφίῳ, τὸν ὕμνον ἀς αἰῶνας.

Ἵνα λυθῇ μεσότοιχον. τὸ τῆ σχίσμα©· κάκιςον. καὶ ἀφανιςῇ ἡ ἀυχηρὰ διάςασις. ἑνώσεως ἔλαμψεν ἡ φωταυγὴ πανήγυρις νῦν. καὶ τὴν τ ψυχῶν καθαρτικὴν τιμωρίαν δοξάζουσα διδάσκει, τοὺς πιςῶς δεχομένους. τ ὅρον τ συνόδε ὡς ἀληθείας τόμον.

Ῥῦσαι λιμοῦ καὶ ςάσεως καὶ κινδύνων τοὺς δούλους σου. τοὺς τὸν ἱερὸν καὶ ἀληθῆ διδάσκαλον. τῆ Πέτρε διάδοχον. τῆς ἐκκλησίας καθηγητήν. καὶ τῆς οἰκουμένης ὁδηγὸν καὶ ποιμένα. καὶ θεῖον κορυφαῖον ἱερέων ἁπάντων. ὅλῃ ψυχῇ τιμώντων, ὡς ἐπηγγέλω....

Ὡς θαυμαςὰ τὰ ἔργα σου Ἰηςοῦ παντοδύναμε τοῖς θεοσεβέσιν θαυμαςίως δεδωκας. ἰδεῖν τὸ μυςήριον τ ἱερᾶς ἑνώσεως καὶ γὰρ πρὸ ἡμῶν ἐπιθυμήσαντες ἄλλοι σοφοὶ, πατριάρχαι, ἀλλ' οὐκ ἔτυχον τότε. ἡμεῖς δ οἱ ἰδότες δοξάσομέν σε Σώτερ.

Ἵνα συνάψῃ πάναγιε τὰ οὐράνια ἅπαντα μ τῶν γηΐνων, σάρκα ἀνελάβετο. καὶ μήτραν κατῴκησε. τὴν σὴν παρθενομήτωρ ἀγνή. μονογενὴς ἐκ τοῦ Πατρὸς πρὸ αἰώνων. ὡς ἄνθρωπ©· ἐφάνη, κ ἐκ σου ἐπεχάτων μονογενὴς ἐκλήθη ἀτρέπτως ἀσυγχύτως.

Ὦ κτιςὰ τῶν ἁπάντων κ ποιητὰ ὁρατῶν ἀοράτων κ Κύριε πάσης σαρκὸς, δόξαν σοι προσάγομεν βασιλεῦ. τὴν ἡμῶν μετάνοιαν καὶ τὴν σωτηρίαν ἐπιζητῶν καὶ θέλων ἡμᾶς εἶναι, πιςοὺς ἐν ὁμονοίᾳ καὶ ἐν ἀλλήλοις εἰρωεύοντας.

Ἀνέβητε εἰς ὕψ© τ ἱερᾶς καὶ ἁγίας καθέδρας μακάριοι. τὸ ἱερὸν χρίσμα περικέιμενοι εὐσεβῶς. καὶ τοὺς πιςοὺς διδάσκετε. λόγον εὐσεβείας παναληθῆ. πατέρες θεηγόροι, ὅθεν ὑμᾶς τιμῶμεν. εὐσεβοχρόνως καὶ γεραίρομεν.

Νῦν θεῖοι ἱεράρχαι παρὰ Χριςῦ ἐπαξίως τῶν πόνων ἀλήφατε τὰς ἀμοιβάς. ὧν εὐσεβοφρόνως ἐπὶ τῆς γῆς. μεγάλως ἠγωνίσαθε. καὶ σκίαν ἐκθέμενοι τῆς σαρκὸς, οἰκεῖτε σὴν ἀγγέλοις, χορεύοντες ἀπαύςως. περὶ τὸν θρόνον τῦ παντάνακτ©·.

Νῷ κεκαθαρμένῳ, τ εὐσεβῆ οἱ πατέρες ἐξέθεντο σήμερον, ὅρον σαφῶς. πάντοθεν κοσμούμενον ἱεροῖς καὶ ὀρθοδόξοις δόγμασι. αἰσχυνέσθω δη.... χισματικῶν τὸν τῦτον μὴ τιμώντων. μὴ δὲ ὁμολογούντων· ὥσπερ ἡ συνόδος ἐκήρυξεν.

Ἡλίε λαμπροτέρα ἡ ἑορτὴ τῆς συνόδε τῆς θέας ἐπέλαμψε πᾶσαν τὴν γῆν αἱρέσεως σκοτομένην καὶ πονηρῦ σχίματ©· τῦ πρὶν ἐξαίρυτα τὴν πλάνην, καὶ πάντας διεγέρει πρὸς τὴν ἑνότητα τ πίςεως.

A para Sanctiſſima tuum natum celebrantes, omnibuſque animi viribus hymnis ad te clamantes, & cantica tibi jugiter perſolventes.....

Velut in ſublimi poſita terræ fines omnes lucis ſplendore conſperſit hodie Florentina Synodus, edocens animarum fruitionem non defuturam iis, qui ſervatori alacri animo famulantur, & animarum ſponſo hymnum jugiter canunt.

Solutus eſt interjectus paries ſchiſmatis peſſimus, & diſſidii ſquala evanuit, jamque unionis publica celebritas miro ſplendore illuxit, & poenas animum expiantes prædicans, docet fideles Synodi decretum ut veritatis dogma accipere.

B Ab inopia, ſeditionibus, aliisque periculis libera famulos tuos, qui ſacrum, verumque doctorem, ſucceſſoremque Petri eccleſiæ præſulem, tonuſque terræ ducem, & paſtorem, & divinum Sacerdotum omnium Coriphæum toto animo colunt, ſicut .....

Quam mirabilia ſunt opera tua, Omnipotens Jeſu, qui Deum colentibus mirabili ſane modo dediſti videre ſacræ unionis myſterium! Ante nos enim Sapientes alii, & Patriarchæ id vehementi deſiderio cupiebant, ſed non aſſecuti ſunt. Nos vero præ oculis jam habentes, te celebramus, Servator noſter.

C Ut cæleſtia omnia cum terrenis conciliaret, carnem aſſumpſit, & in tuum uterum deſcendit; Virgo mater caſta, Unigenitus Patris ante ſæcula velut homo apparuit, atque ex te prodiens unigenitus appellatus eſt citra ullam mutationem, atque inordinationem.

O Creator omnium, tam viſibilium, quam inviſibilium factor, totiuſquecarnis Domine, gloriam tibi proferimus Rex, qui converſionem noſtram, atque ſalutem expetis, & in concordia nos fideliter perſtantes eſſe, nec non pacem invicem ſervare jubes.

D Aſcendite ſuper ſacram, ſanctamque ſedem beati ſacro Chriſmate religioſe circumliniti, atque fideles pium veritatis ſermonem edocete, Patres digna Deo loquentes: quocirca vos magno honore, atque veneratione proſequimar.

Nunc divini ſacerdotes dignam laboris mercedem a Chriſto accepiſtis, propter quam pie & ſtrenue certaviſtis & cum umbram corporis depoſueritis, habitabitis cum Angelis, exultantes perenniter circa thronum regis regum.

Mente pura ſacrum hodie decretum poſuerunt patres, omnino conveniens ſacris, & orthodoxis dogmatibus. Pudeat ..., ſchismaticos, qui debitum huic honorem deferre recuſant, atque confiteri, ſicut definit Sy-
E nodus.

Sole ſplendidior divinæ Synodi celebritas terram omnem hæreſeos caligine obductam illuſtravit, peſſimique ſchiſmatis errorem primum auferens, omnes in unionem fidei adduxit.

ANNO CHRISTI 1441.

ANNO CHRISTI 1441.

Συναξάριον τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου.

Ἡ ἁγία αὕτη καὶ μεγάλη σύνοδος γέγονεν τῷ ϛυλθ ἔτει ἀπὸ τῆς τοῦ Κυρίου ἐνανθρωπήσεως. ἐν ταῖς ἡμέραις Ἰωάννου Παλαιολόγου τοῦ τελευταίου βασιλέως τῶν Ῥωμαίων καὶ Ἰωσὴφ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. συνήθροισε δὲ αὐτὴν ὁ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἀρχιερεὺς, ὁ μέγας Εὐγένιος. ἀνὴρ ὡς ἄλλος τις τῶν μακαρίων ἀνδρῶν, θεοφόρος τῷ ὄντι καὶ μέγας θεῖος ἱεράρχης. καὶ τὴν ἕνωσιν τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας πνέων ἀπὸ ψυχας, ἐπικαθαιρέσει τῶν ἀρνουμένων τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, μὴ ἔχειν πάντα τὰ φυσικὰ τοῦ Πατρὸς ἀγαθά. οἱ γὰρ ἀρνούμενοι τὸν Υἱὸν μὴ ἐκπορεύειν τὸ Πνεῦμα, ἀρνοῦνται μὴ ἔχειν τὰ φυσικὰ τοῦ Πατρὸς ἀγαθά. καὶ τοῦτο γὰρ φυσικόν ἐϛι τοῦ Πατρὸς ἀ, αὐτὸν ἐκπορεύειν τὸ Πνεῦμα. ἔτι κατὰ τῶν ἀμαθῶς φλυαρούντων ὡς τὸ δι' ἀζύμου θυόμενον, οὐκ ἔϛι σῶμα Χριστοῦ. πρὸς ὃ καὶ τῶν εὐσεβῶς ἀρνουμένων μὴ ἔχειν τὰς ψυχὰς τῶν ἐν μετανοίᾳ κεκοιμημένων βοήθειαν μὴ θάνατον μηδὲ καθαίρσεσθαι αὐτάς. ἔτι μὴ ὄντας τῶν ἁγίων ψυχὰς μὴ ἀπολαμβάνειν νῦν καθ' ὅσον εἰσὶ ψυχαί ἔτι καὶ πρὸς τοὺς μὴ βουλομένους κλῖναι τὴν κεφαλήν. καὶ δοῦναι τῷ Ῥώμης ἀρχιερεῖ, τὴν αἰδῶ τε καὶ ὑποταγήν. ὡς ἄνωθεν καὶ πρὸ παραδότως ἐξεδόθη καὶ ἐτυπώθη ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι. συνήχθη μὲν οὖν ἡ εἰρημένη ἁγία σύνοδος ἐν Φεραρίᾳ καὶ Φλωρεντίᾳ· πόλεσιν ἀξιολόγοις τῆς Ἰταλίας. παρῆσαν δὲ ἐν αὐτῇ πολλοὶ δὲ καὶ καλοί. σοφίᾳ καὶ ἀρετῇ διαλάμποντες ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν. ἐπλήρουν γὰρ τὸν ἱερὸν τοῦτον θίασον πλέονες ἢ ω ἄνδρες. ἀπὸ μὲν τοῦ μέρους τῶν Ἰταλῶν. ὁ τε ὁσίας μνήμης Εὐγένιος ὁ Ῥώμης ἀρχιερεὺς μέγιστος. σὺν πάσῃ τῇ κατ' αὐτὸν ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ, δηλονότι ἱερεῦσι, Καρδηνάλεσιν. Ἀρχιεπισκόποις Ἐπισκόποις. Ἀββάσιν Ἱερομονάχοις καὶ Μοναχοῖς. ἱερεῦσι καὶ διακόνοις. πλείοις ἢ ἑξακοσίοις. χωρὶς τῶν τοποτηρητῶν, καὶ τῶν ἄλλων ἀρχόντων τῆς Ἰταλίας. Ἀπὸ δὲ τοῦ μέρους τῶν Ἀνατολικῶν. ὁ γαλανότατος βασιλεὺς Ῥωμαίων Ἰωάννης ὁ Παλαιολόγος. Ἰωσὴφ ὁ φρονιμότατος καὶ φοβερώτατος πατριάρχης. σὺν πάσῃ τῇ κατ' αὐτον ἐκκλησίᾳ, Ἀρχιεπισκόποις Ἐπισκόποις καὶ τοῖς ἄλλοις ἐκκλησιαστικοῖς σταυροφόροις. ἡγουμένοις, ἱερεῦσιν, ἱερομονάχοις καὶ μοναχοῖς. ἔτι δὲ καὶ ἡ τοῦ βασιλέως σύγκλητος πλεῖοι καὶ εὐχυεῖς ἄνδρες. ἐκόσμει γὰρ καὶ αὐτὸν ἡ βατιλικὴ σύταξις ὡς εἰκός. ἦλθεν δὲ ὁ καιρὸς τῆς διαλέξεως, καὶ συνῆλθον ἅπαντες ἐν τῇ διαλέξει ἰδεῖν τὴν διαφοράν. ἦσαν δὲ καὶ αὐτοὶ ὑπὲρ τοὺς διακοσίους. ἐκτὸς τῶν ἀρχόντων. διεφέροντο γὰρ πέντε καὶ μόνοις κεφαλαίοις, ἥως, τὸ περὶ τῆς θέας ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος τὸ περὶ τοῦ ἀζύμου καὶ τοῦ ἐνζύμου περὶ τοῦ καθαρτηρίου πυρὸς περὶ τῆς ἀπολαύσεως τῶν ψυχῶν τῶν ἁγίων καὶ περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα. Ταῦτα γὰρ ἀκούσας ὁ Ἐφέσου εἷς ὢν καὶ αὐτὸς τῆς ἱερᾶς ἐκείνης διαλέξεως. ὃ περὶ πάντων ἡ διάλεξις ζητήσεται ἔφη, ἐπειδὴ δὲ διαφερόμεθα περὶ

ANNO CHRISTI 1441.

SYNAXARIUM Sanctæ, & Oecumenicæ Synodi.

SAncta hæc, magnaque Synodus facta eſt anno ab Incarnatione Domini 1439. in diebus Johannis Palæologi poſtremi Romanorum imperatoris, & Joſephi patriarchæ Conſtantinopolitani. Eam autem congregavit ſummus præſul ſenioris Romæ magnus Eugenius, vir, ſi quis alius, beatorum virorum divino numine plenus, & magnus, divinuſque Pontifex, ad eccleſiæ Chriſti unionem toto animo anhelans, ut condemnaret eos, qui negant Dei Filium habere omnem naturalem Patris virtutem. Nam qui ſentiunt, Filium haud producere Spiritum S. iidem exiſtimant, eum non habere omnem naturalem Patris virtutem: hoc enim ad naturam Patris ſpectat producere Spiritum. Tum adverſus eos, qui indocte garriunt, azymum panem conſecratum haud fieri corpus Chriſti, & qui pio quodam affectu negant morientes in poenitentia poſſe poſt mortem juvari ſuffragiis, aut ipſorum animas purgari, ſimulque Sanctorum animas perfectam fruitionem adipiſci, quatenus animæ ſunt. Tandem adverſus illos, qui caput inclinare nolunt, debitamque Romano pontifici venerationem, & obedientiam teſtari, quemadmodum ex vetuſta traditione habetur, atque in ſacris canonibus ſtatutum fuit. Convenit igitur dicta ſancta Synodus in civitates Italiæ præſtantiſſimas, Ferrariam, atque Florentiam; aderantque multi optimi, ac præſtantes viri ſapientia, virtuteque celeberrimi ex utraque parte. Componebant enim iſtum cœtum pluſquam octingenti viri. Ex parte quidem Italorum ſanctæ memoriæ magnus Eugenius romanorum pontifex maximus cum omni eccleſia ipſi ſubjecta, nimirum ſacerdotibus, cardinalibus, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, Hieromonachis, monachis, presbyteris, & diaconis pluſquam ſexcentum, omiſſis locorum præpoſitis, aliiſque Italiæ præſulibus: ex parte vero Orientalium ſere niſſimus Romanorum imperator Johannes Palæologus, Joſephus intelligentiſſimus, reverendiſſimuſque patriarcha cum omni ſua eccleſia, archiepiſcopis, epiſcopis, aliiſque eccleſiaſticis viris crucis inſignibus decoratis, præfectis, presbyteris, hieromonachis, & monachis, ſimulque imperatoria cohors multis, nobilibuſque viris conſtans. Secutus eſt enim eum imperatorius comitatus, uti par erat. Quum fuit itaque diſceptandi tempus, convenerunt omnes, ut ex diſputationibus partium diſcrimen obſervarent. Erant autem & ipſi ſupra ducentos abſque principibus. Ac diſcrimen quidem quinque capitibus continebatur; de proceſſione Sancti Spiritus, de azymo, & fermentato, de igne purgatorii, de beatitudine animarum ſanctorum, de poteſtate Papæ. Hæc audiens Epheſinus, qui & ipſe ad diſputandum electus fuerat, non de omnibus, inquit, inſtitui oportet diſputationem, quoniam non in omnibus ſimpliciter differimus. Sed unum dumtaxat ſedulo inveſtigandum eſt, atque de

ANNO CHRISTI 1441.

πάντων ἁπλῶς. ἀλλ' ἑνὸς καὶ μόνου ἡ ἔρευνα γενέσθω καὶ ὁ ἀγών, τὸ περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος. περὶ τούτου γὰρ βούλομαι ἀδεῶς τοῦ δόγματος. τὰ δ' ἄλλα πάντα, μιᾶς ὥρας ἀρκέσει σπουδή. ὅθεν καὶ περὶ τούτου ἡ διάλεξις ἤρξατο. καὶ ὁ ἀγὼν ἠντρεπίζετο. καὶ ἠγρύπνουν ἐπὶ τοῦτο πάνυ τε καὶ ἐσπούδαζον ἕκας ὑπὲρ τοῦ μέρους αὐτοῦ ἀγωνίζεσθαι. ἤρξατο τοίνυν ἡ σύνοδος διαλέγεσθαι Ἀπριλλίῳ θ. τῷ φυλῇ ἔτει ἀπὸ Χριστοῦ καὶ διαλέγοντο μῆνας ιδ μέχρι καὶ τοῦ λθ ἔτους Ἰουλίου ς. καὶ οὐχ ἡσυχίαν εἶχον τὰ μέρη. ἀλλ' ἠγωνίζοντο ἀμφότεροι σπουδῇ μεγάλῃ. καὶ ὁ ἀγὼν τῶν ἀγώνα διεδέχετο. καὶ ἡ διάλεξις τὴν διάλεξιν. ἕως ὁ Ἐφέσου Μάρκος μὴ δυνάμενος ἀντιλέγειν πρὸς τὰ φανώτατα, ἀπέδρα τὸν ἀγῶνα διαλιάσας τῆς διαλέξεως. οἱ δὲ λοιποὶ πατέρες ἀρξάμενοι ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ἱεροῦ πατριάρχου. καὶ τοῦ μεγαλωτάτου κυρίου τοῦ βασιλέως, πάντες συνήνεσαν ἐν τῇ ἑνώσει τῆς πίστεως. ἐρευνήσαντες γὰρ τοὺς ἱεροὺς θεολόγους τῆς ἐκκλησίας. καὶ εὑρόντες αὐτοὺς συμφωνοῦντας τῷ δόγματι, ἔκριναν δίκαιον εἶναι ἑνωθῆναι τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ, ἧς χωρὶς οὐκ ἔστιν ἐλπὶς σωτηρίας, ἢ μένειν ἐν τῷ χωρισμῷ καὶ τῷ σχίσματι, ἔνθα ἀδεμία ἐστὶ σωτηρία. ἠνώθησαν τοίνυν. ὥσπερ ἐν τῷ δόγματι οὕτω καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς κεφαλαίοις. πάντα γὰρ διὰ μαρτυρίων, τῶν τῆς ἐκκλησίας διδασκάλων συσήσαντες, ὁρον ἐξεφώνησαν τῇ ἐκκλησίᾳ χαρμόσυνον. εὐφραινέσθωσαν οἱ οὐρανοὶ καὶ ἀγαλλιάσθω ἡ γῆ, λέγοντες. ὅτως ὧν τὸν ὅρον τελέσαντες ἐν αὐτῷ τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ παναγίου Πνεύματος, ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ σαφανίζουσι. καὶ τὴν δι' ἀζύμου θυσίαν μίαν καὶ τὴν αὐτὴν εἶναι τὴν μετὰ τοῦ ἐνζύμου γινομένην, καὶ τὴν τῶν ψυχῶν κάθαρσιν. καὶ τὴν τῶν ἁγίων ἀπόλαυσιν καὶ τὸν ἄκρον ἀρχιερέα τῆς Ῥώμης διάδοχον τοῦ μακαρίου Πέτρου εἶναι σαφῶς παρισᾶσι. ὃν σημάναντες ἀποστολικοῖς τε καὶ εὐρυθροῖς γράμμασι εἰς ἅπασαν οἰκουμένην ἀπέστειλαν. καὶ πάντες ἐσυρίξαν καὶ ὡμολόγησαν. καὶ συνεφώνησαν καὶ ἱερούργησαν ὁμοῦ μετὰ τοῦ Ῥώμης ἀρχιερέως. καὶ αὐτὸς ὁ Ἐφέσου συνεφώνησεν ἐν τῇ ἀναγνώσει τοῦ ὅρου. οὐκ ἠθέλησε δὲ ἀπογράψαι, προφασιζόμενος διωρίαν. ἠχύετο γὰρ ἀντιλέγειν οὕτω σφοδρῶς. τῆς ἱερουργίας δὲ τελεσθείσης ἀνεγνώσθη ὁ ὅρος, ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ τῆς Φλωρεντίας. Ῥωμαϊστὶ καὶ Ἑλληνιστί. καὶ ἔδωκαν ἀμφότερα τὰ μέρη ὅρκον ἐς τοῦ Χριστοῦ τὸ σῶμα. ὅτι οὕτω ς ἔργοιεν ὥσπερ ὁ ὅρος διαλαμβάνει. κ' ὅτως ἔλαβε τέλος ἡ σύνοδος. Ἀλλ' ὑποστρέψας εν Κωνσταντινουπόλει, συνεχὲς καὶ συνετάραξε πᾶσαν τὴν ἀνατολὴν γράφων καὶ λεγων ἐναντία κατὰ τῆς ἱερᾶς συνόδου. ἀλλ' οὐκ ἠμέλησε καὶ περὶ τούτου ἡ ἐκκλησία τῆς Ῥώμης φροντίσαι. ἀπέστειλε τὸν Κορώνης ἐπίσκοπον ἄνδρα πάσης σοφίας πεπαιδευμένον καὶ θεολόγον ἄριστον ἐν Κωνσταντινουπόλει διαλεχθῆναι μετὰ τοῦ Ἐφέσου. ἵνα μὴ ἔχειν λέγειν. ὅτι διὰ φόβον τινὰ οὐκ ἠδύνατο λέγειν ἐν Ἰταλίᾳ. ἀλλὰ κακεῖσε μίαν καὶ δευτέραν διάλεξιν ποιήσας προσάξει τοῦ βασιλέως, ἐξέφυγε τὴν διάλεξιν. ἔνθα γὰρ ἐξητάσθη, οὐκ ἤθελε διαλέγεσθαι. καὶ κατὰ μόνας ἐν ταῖς γωνίαις συνετάραττε πᾶσαν τὴν πόλιν. ἔτι γεμὴν καὶ τὰς νήσους, καὶ ἀπ' ἐκείνου μέχρι τοῦ νῦν ἡ ἐκείνου λύμη πολλοὺς διέφ-

A de eo disputandum, nempe de processione Spiritus Sancti, hoc enim præsertim dogma scire volo: cetera vero omnia unius horæ spatio expediri possunt. Quocirca de hoc institui cœpta est quæstio, atque parabatur certamen, & super hoc admodum vigilabat unusquisque ex parte sua, & vehemens studium in certando adhibebat. Cœpit igitur disputari in Synodo aprilis nona die anno a Christi incarnatione 1438. atque disputatum est mensibus XIV. nimirum usque ad diem sextum Julii anni 1439. neque partes otio vacabant, sed magna utrinque contentione certabatur, atque certamen certamini, disputatio disputationi succedebat, donec Marcus Ephesinus, rebus jam in aperto positis; B contradicere non valens, atque disceptando adhuc certare formidans aufugit. Ceteri autem patres ab ipsomet sacro patriarcha, maximoque imperatore omnes in unionem fidei convenerunt. Investigantes enim sacros ecclesiæ doctores ipsi, ipsisque dogmati consentientibus repertis, æquum existimarunt, se potius ecclesiæ Dei conjungere, extra quam nulla fulget salutis spes, quam manere diutius in separatione, & schismate, in quo nulla est salus. Convenerunt igitur tam in hoc dogmate, quam in reliquis capitibus, omniaque doctorum ecclesiæ testimoniis confirmantes decretum promulgarunt, quod lætitiæ multum attulit ecclesiæ, dicentes, C exultent cœli, & lætetur terra. Sic igitur decretum exarserunt, & eodem declararunt processionem Sancti Spiritus ex Patre, Filioque, atque azymi consecrationem perinde valere, ac fermentati, tum animarum purgationem, Sanctorumque fruitionem, denique summum pontificem Romanum successorem beati Petri aperte definierunt. Quod quidem decretum apostolicis, rubrisque literis signatum, in omnia terrarum loca missum est, atque omnia pacis amore, communique consensu eandem fidem confessi sunt, peractis sacris una cum Romano pontifice. Ipse etiam Ephesinus consensit lectioni decreti, noluit tamen subscribere, dilationem D temporis prætendens; pudebat enim eum nimia anxietate adhuc contradicendo impietatem suam aperire. Sacris igitur peractis, lectum est decretum in magna Ecclesia Florentiæ, Latino, Græcoque sermone, & utraque pars jure jurando in sacrosanctum Christi corpus sese obstrinxit, fore ut ea omnia complecteretur, quæ in decreto statuta fuerant. Constantinopolim autem reversus, commovit, perturbavitque Orientalem ecclesiam, scribens, ac loquens contraria synodi statutis. Curam & in id suam convertit Romana ecclesia, misso Coronensi episcopo, viro omni sapientia instructo, theologo optimo Constantinopolim, ut cum Mar- E co Ephesino disputaret, ne ullum amplius subterfugium haberet, dicens se propter metum quemdam causam suam defendere haud potuisse in Italiæ partibus; sed facta ibi una, & altera disceptatione ex imperatoris mandato, certamen vitavit, & quamvis requisitus, noluit amplius disputare: verum privatim, occulteque commovebat omnem civitatem, simulque insulas, & ab illo usque ad præsens tempus orta ab ipso per-

ANNO CHRISTI 1441.

θειρε. καὶ μᾶλιστα τὴν περίφημον ταύτην νῆσον, ἀλλ' ἐκείνῳ μὲν ἐπίχειρα τῆς αὐτῷ θυσιδαιμονίας τε καὶ ἀλαζονίας ἔλαβεν ἐπαξίως τῆς αὐτῷ βλασφημίας καὶ ἀναιδείας. ὅτι εἷς ὢν τῇ οἰκουμενικῇ Συνόδῳ ἐμάχετο τῇ γὰρ ὥρᾳ τῆς αὐτῷ ἀναλύσεως. ἴλεώ τὸν βίον κατέστρεψε. οἱ δ' ἐκείνου μιμηταί τε καὶ ὀπαδοὶ, εὐχόμενοι ὁμοίῳ τέλει ἐκείνου χρήσασθαι. ὧ τῶν κριμάτων σου Χριστὲ βασιλεῦ. καθ' ἑκάστην ὁρῶμεν αὐτοὺς τούτῳ τῷ τρόπῳ τοῦ τῇδε βίου ἀπερχομένους. ἡμεῖς δὲ τοῖς αὐτοῦ λόγοις ἀποστραφέντες τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ, ἡνώθημεν, καὶ εὐχόμεθα. ἵνα μέχρι τέλους διαμένωμεν ἕνα. ταῖς τῶν θεοφόρων σου πατέρων πρεσβείαις ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐλέησον ἡμᾶς.

A pernicies multos pervasit, præsertim vero celeberrimam hanc insulam. (*a*) Ast ille quidem promptam subiit poenam suæ ostentationis, dignam sane impietate, & impudentia, qua solus Oecumenicæ Synodo adversari ausus est. Cum enim resolutionis ejus tempus adveniſſet, convolvulo correptus e vita migravit. Ipsius autem imitatores, & assecłæ similem huic finem habere precantes, justo tuo judicio, Christe rex, singulis diebus videmus eodem prorsus modo interire. Nos autem ab ipsius dictis recedentes, Sanctæ Dei ecclesiæ unionem amplexi sumus, atque obsecramus, ut ad finem usque in ea permanere possimus. Sanctis patribus intercedenB tibus miserere nostri Deus noster. (*b*)

ANNO CHRISTI 1440.

(*a*) Designare videtur Cyprum; quod si admiserimus, Joannes Plusiadenus longe alius est a Josepho Methonensi in Peloponneso episcopo quod visum Allatio.

(*b*) Scriptum hoc Joanni Plusiadeno ex stili similitudine tribuunt editores Taurinenses Et quidem in eodem codice hæc velut lacinia superioris hymni adjungitur.

MONITIO ET CITATIO FACTA

Felici V. antipapæ, in concilio Florentino.

EUgenius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Multa sanctorum patrum veteris ac novi testamenti exempla nos admonent, ut crimina, præsertim gravia, & quæ in scandalum ac divisionem publicam tendunt populi nobis commissi, neque prætereamus silentio, neque ullatenus impunita relinquamus. Si C ea enim quibus vehementer Deus offenditur insequi vel ulcisci differimus, ad irascendum itaque divinitatis patientiam provocamus. Nam & culpæ nonnullæ sunt, in quibus culpa est relaxare vindictam. Justum quidem est ac rationi consonum, juxta sanctorum patrum sententiam, ut qui divina contemnunt mandata, & inobedientes paternis existunt sanctionibus, severioribus corrigantur vindictis, quatenus & ceteri talia committere vereantur, & omnis gaudeat fraterna concordia, antiquæ sumat severitatis & honestatis exemplum. Nam si, quod absit, ecclesiasticam sollicitudinem vigoremque negligimus, perdit desidia disciplinam, D & animabus fidelium permaxime nocebitur. Resecandæ sunt ergo putridæ carnes, & scabiosa ovis a grege repellenda est, ne tota domus massa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur & pereant. Nam & Arrius, teste B. Hieronymo, in Alexandria una scintilla fuit: sed quia non est statim oppressus, totum orbem ejus flamma depopulata est. Præterea in persona B. Petri Romano pontifici a Salvatore nostro ligandi atque solvendi datæ sunt claves, ut in via veritatis & justitiæ tramite delirantes debitis ligentur ac coerceantur poenis. Apostolicæ quippe.... ... exemplo didicimus, errantes & alios in errorem mittentes, per censuras ecclesiaE sticas satanæ esse tradendos, ut spiritus eorum salvus fiat, ut & tam ipsi quam reliqui blasphemare dediscant, &, ut beatus inquit papa Sixtus, memores simus sub illius nomine præsidere ecclesiæ, cujus confessio a Domino Jesu glorificata est, & cujus fides nullam hæresim umquam fovet, sed omnes quidem hæreses destruit. Intelligimus autem nobis aliter non licere, quam ut omnes conatus nostros ei causæ impendamus, in qua universalis ecclesiæ salus infestatur.

Sane proximis diebus in generali hujus sacri concilii congregatione, in ea nobis præsidentibus, dilectus filius magister Justinus de Planta legum doctor & fisci nostri advocatus, nomine dilectorum filiorum magistri Joannis de Prato legum doctoris, ipsius sacri concilii promotoris, & magistri C Veitini de Castello, fisci cameræ apostolicæ procuratoris, in legibus licentiati, publice lamentabilem quamdam sub his verbis que relam exposuit:

„ Quamquam, beatissime pater, vosque alii „ reverendissimi reverendique patres, in hoc „ sacro generali & ycumenico concilio in Spi„ ritu sancto legitime congregato, unam san„ ctam catholicam & apostolicam Romanam „ ecclesiam Spiritus-sanctus ex persona Do„ mini nostri Jesu Christi in cantico canti„ corum designet, dicens: *Una est columba* „ *mea, perfecta mea, & una est matris suæ* „ *electa genitricis*; & vas electionis apostoD „ lus Paulus hanc ecclesiæ unitatem ipsius„ que unitatis sacramentum ostendat, in„ quiens: *Unum corpus & unus spiritus, una* „ *spes vocationis, unus Dominus & una fi*„ *des, unum baptisma, & unus Deus*, &, „ ut B. Cyprianus ait, unum caput est, & „ una origo, & una nostræ fœcunditatis „ causa adulterari non potest, Christi spon„ sa incorrupta & pudica est, unam do„ mum novit, cujus cubilis sanctitatem ca„ sto pudore custodit. Et alio loco idem „ Cyprianus: Non habet ecclesiasticam or„ dinationem, qui ecclesiæ non tenet uni„ tatem. Et ut Pelagius papa, ex verbis „ præclarissimi doctoris ecclesiæ B. Augusti„ ni, asserit, quoniam ecclesia nulla esse non „ potest, crescat, ut ea simul quæ est in E„ apostolicæ sedis per successionem episcopo„ rum radice constituta; nihilominus ab i„ psis, ut ita dixerim, ecclesiæ incunabulis „ quorumdam pestiferorum hominum effre„ nata libido hanc sanctam unitatem eccle„ siæ scindere & lacerare tentat, adversus „ quos divina ultio & sanctorum patrum „ postea auctoritas insurrexit.

„ Quiquis ergo hanc sanctam & imma„ culatam ecclesiæ unitatem ausu sacrilego „ & diabolica persuasione temerare præ„ sumserit, hic, ut sacri canones edocent, „ alienus est, profanus est, hostis est.

ANNO CHRISTI 1440.

„ Habere non potest Deum patrem, qui
„ universalis ecclesiæ non tenet unitatem;
„ non potest cum aliquo convenire, qui cum
„ corpore ipsius ecclesiæ & cum universa
„ fraternitate non convenit. Si autem, cum
„ propter ecclesiam Christus passus sit, &
„ ecclesia sit corpus Christi, non est du-
„ bium, quod qui ecclesiam dividit, Chri-
„ sti corpus lacerare convincitur. Hinc in
„ schismaticos illa vindicta Domini volun-
„ tate profecta, ut Chore, Dathan & Abi-
„ ron contra virum Dei Moysen schisma
„ facientes, hiatu terræ una absorpti sunt,
„ ceteris cœlesti igne consumtis; idololatria
„ vero gladio punita est, & exustio libri
„ bellica cæde & peregrina captivitate vin-
„ dicata.

„ Denique quam sit inseparabile unitatis sa-
„ cramentum, & quam sine spe sint, perdi-
„ tionemque sibi maximam de indignatione
„ Dei acquirant qui schismata faciunt, & re-
„ licto vero ecclesiæ sponso, sibi pseudo
„ episcopum constituunt, in libris regum
„ scriptura divina declarat, ubi cum a
„ tribu Juda & Benjamin decem tribus scis-
„ sæ fuissent, & relicto suo rege, alterum
„ sibi foras constituissent, *indignatus est*,
„ inquit, *Dominus omni semini Israel, & de-
„ dit eos in direptionem, donec abjiceret eos
„ a facie sua*. Indignatum Dominum esse di-
„ xit, & eos in perditionem dedisse, qui
„ ab unitate dissipati, alterum sibi regem
„ constituissent, & tanta indignatio Domini
„ extitit adversus illos qui schisma fecerant,
„ ut etiam cum homo Dei ad Jeroboam mis-
„ sus esset, qui ei peccata sua exprobraret,
„ atque ultionem futuram prædiceret, pa-
„ nem apud illos edere & aquam bibere ve-
„ taretur: quod cum non custodisset, & con-
„ tra præceptum Domini prandisset, statim
„ divina censura percussus est, & inde re-
„ grediens, impetu ac morsu leonis in iti-
„ nere necaretur. Ex quibus, ut B. Hiero-
„ nymus asserit, nullus jam dubitaverit, fa-
„ cinus schismatis sceleratius esse commis-
„ sum, cum sit gravius vindicatum.

„ Sane cum olim in sacro generali conci-
„ lio Constantiensi veteranum illud ac per-
„ niciosissimum schisma, quod ecclesiam Dei
„ & Christianam religionem magno cum ani-
„ marum interitu, & non solum hominum,
„ sed multarum quoque urbium & provin-
„ ciarum strage crudeli & diuturno mor-
„ bo afflixerat atque vexaverat, fuisset per
„ omnipotentis Dei ineffabilem misericor-
„ diam, multorumque regum & principum
„ tam ecclesiasticorum quam sæcularium,
„ multarum insuper universitatum, aliorum-
„ que Christi fidelium infinitis laboribus &
„ angustiis, expensarumque profluviis tan-
„ dem aliquando sedatum; & universalis
„ ecclesia, tam per electionem felicis recor-
„ dationis domini Martini, quam post ejus
„ obitum per indubitatam, sinceram, una-
„ nimem atque canonicam sanctitatis ve-
„ stræ ad apostolatus apicem assumtionem,
„ crederetur optata cunctis pace gaudere;
„ ecce rursus cum Jeremia propheta multis
„ cum lacrymis dicere compellimur: *Expe-
„ ctavimus pacem, & ecce turbatio*. Et
„ iterum cum Isaia: *Expectavimus lucem,
„ & ecce tenebræ*. Nonnnulli siquidem per-
„ ditionis filii, & iniquitatis alumni, pau-
„ ci numero, & auctoritate leves, Basileæ
„ etiam post translationem concilii, quod
„ ibidem aliquandiu viguerat, per sanctita-
„ tem vestram justis & evidentibus, urgen-
„ tibus & necessariis ex causis, canonice &
„ legitime factam, primo sanctissimam &
„ universo populo Christiano desideratissi-
„ mam Græcorum & totius orientalis ec-
„ clesiæ unionem toris viribus ac omni do-
„ lo, astu & fallacia impedire conati sunt.
„ cum prædicti scandalorum
„ patratores, qui Basileæ remanserant, ip-
„ sis Græcis in promissione defecissent, &
„ ab ipsorum Græcorum & orientalis ec-
„ clesiæ oratoribus percepissent, sereniss-
„ mum principem dominum Johannem Pa-
„ læologum Romeorum imperatorem, ac
„ bonæ memoriæ Joseph Constantinopolita-
„ num patriarcham, cum aliis plurimis præ-
„ latis ceterisque orientalis ecclesiæ viris,
„ ad locum pro celebrando œcumenico con-
„ cilio esse venturos, ac sanctitatem vestram
„ plures prælatos & oratores cum nonnul-
„ lis galeis multisque cum sumtibus & ex-
„ pensis destinasse; ad disturbandum præfa-
„ torum imperatoris & Græcorum adven-
„ tum, quoddam detestabile monitorium con-
„ tra sanctitatem vestram, & reverendissi-
„ mos dominos meos, dominos S. R. E. car-
„ dinales decernere ausi sunt; & ex post
„ cum prædictos imperatorem & patriar-
„ cham aliosque orientales venire percepis-
„ sent, quamdam sacrilegam suspensionis
„ ab administratione papatus contra vestram
„ sanctitatem de facto sententiam protule-
„ runt. Quibus aliisque eorum nefariis co-
„ natibus, ausibusque sacrilegis non obstan-
„ tibus, cum vestra hujusque sacri concilii
„ pervigili cura, multisque laboribus assum-
„ tis, variisque disputationibus adhibitis,
„ tandem divina miseratio concessisset, ut
„ prædictum Græcorum & orientalis eccle-
„ siæ schisma, quod per quingentos ferme
„ annos maxima cum totius populi jactura
„ Christiani duraverat, de medio ecclesiæ
„ tolleretur, & optatissima unio, quæ fieri
„ vix posse credebatur, occidentalis & orien-
„ talis ecclesiæ, summa cum concordia se-
„ queretur; ex tam sanctis vestris & hujus
„ sacri concilii operibus, qui potius vehe-
„ mentissime admirari & summis cum lau-
„ dibus & exultationis jubilo, prout tota
„ reliqua Christiana religio fecerat, vene-
„ rari debebant, & gratias Altissimo de tam
„ admirabili dono referre, crudeliores &
„ obstinatiores effecti, volentes potius præ-
„ dictæ nequissimæ belluæ eorum jam con-
„ ceptum incendium, cum totius reipublicæ
„ Christianæ ruina, ad executionem dedu-
„ cere, in reprobum sensum dati, famæ suæ
„ prodigi, & proprii persecutores honoris
„ *præfecti* temeritate pestifera unitatem S. f. effecti.
„ R. & universalis ecclesiæ, ac inconsuti-
„ lem Domini tunicam, quantum in eis est,
„ scindere moliti sunt, & ipsius piæ & san-
„ ctæ matris uterum viperinis morsibus la-
„ niare.

„ Horum dux & princeps ac totius tam
„ nefarii operis architectus extitit primo-

geni-

ANNO CHRISTI 1440.

„ genitus ille ſatanæ, infeliciſſimus Amede-
„ us, olim Sabaudiæ dux & princeps, qui
„ jam diu iſta animo ſuo præmeditans, &
„ ut a pleriſque aſſeritur, præſtigiis, ſor-
„ tilegiis, ac phantaſmatibus nonnullorum
„ infelicium hominum ac mulierculorum,
„ qui ſuo Salvatore relicto, retro poſt ſa-
„ tanam converſi, dæmonum illuſionibus
„ ſeducuntur, qui vulgari nomine Stregnes
„ vel Stregones ſeu Waldenſes nuncupan-
„ tur, & quorum in patria ſua permagna
„ copia eſſe enarratur, ſeductus dudum ante
„ aliquos annos, ut monſtruoſum ſe caput
„ in Dei eccleſia erigi aliquando faceret,
„ eremitæ habitum, vel potius falſiſſimi hy-
„ pocritæ aſſumſit, ut ſub ovina pelle, agni
„ ſpecie, lupi feritatem indueret; ac de-
„ mum procedente tempore ipſis Baſileæ
„ exiſtentibus confoederatus, vi, fraude,
„ pretio, pollicitationibus & minis, ma-
„ gnam ipſorum Baſileenſium partem, quæ
„ ſuæ ditioni ſeu tyrannidi ſubdita erat, ut
„ ſe in idolum & Beelzebut, ipſorum no-
„ vorum dæmoniorum principem adverſus
„ ſanctitatem veſtram, veriſſimum Chriſti vi-
„ carium & Petri ſucceſſorem indubitatum
„ in Dei eccleſia, indixit. Itaque eumdem in-
„ feliciſſimum Amedeum inſatiabilis & inau-
„ ditæ cupiditatis hominem, & quem ſem-
„ per avaritia, quæ ſecundum apoſtolum
„ eſt *idolorum ſervitus*, excæcavit, illa ſce-
„ leratiſſima ſynagoga, perditiſſimorum ho-
„ minum colluvies, & totius Chriſtianita-
„ tis erubeſcenda ſentina, certis ad hoc ne-
„ fandiſſimis hominibus, vel potius dæmo-
„ nibus ſub hominum ſpecie & figura la-
„ tentibus, pro electoribus ſeu verius pro-
„ fanatoribus deputatis, tandem in ido-
„ lum & veluti quamdam Nabuchodonoſor
„ ſtatuam in Dei eccleſia erexit; ipſeque
„ etiam ſuorum facinorum furiis agitatus,
„ in profundum malorum omnium deſcen-
„ dens, more Luciferi, *Ponam*, inquit, *ſe-
„ dem meam in Aquilone, & ero ſimilis Al-
„ tiſſimo*. Et ſic prædictam electionem, im-
„ mo verius profanationem de ſe factam,
„ quæ perprius tanto mentis æſtu & animi
„ anxietate quæſiverat, ſumma & deteſta-
„ bili aviditate amplectens, papalia indu-
„ menta, ornamenta & inſignia aſſumere
„ & inducere, ac pro Romano & ſummo
„ pontifice ſe gerere, tenere, & exercere,
„ et a quibusdam pro tali venerari ſe fa-
„ cere non exhorruit; et inſuper litteras
„ ſuas bulla plumbea Romanorum pontifi-
„ cum more bullatas, in quibus ſe Felicem,
„ cum ſit omnium mortalium infeliciſſimus,
„ appellat, et cum quibus in plebem Chri-
„ ſti diverſa ſuarum artium venena conatur
„ effundere, ad quamplura et diverſa mun-
„ di loca ſcribere et deſtinare, ſimiliter non
„ expavit.

„ Quid hic primum querar, beatiſſime pa-
„ ter, et ſacratiſſima ſynode, aut quid pri-
„ mum accuſem, aut qua vi vocis, qua gra-
„ vitate verborum, quo dolore animi, quo
„ nimbo, aut qua orationis procella tantum
„ facinus deplorem? Quæ oratio tanta af-
„ fluentiæ ubertate decurrens ſcelus hoc te-
„ terrimum, nedum ſatis digne defleverit,
„ ſeu expreſſerit? Non poteſt profecto hæc
„ res pro magnitudine facinoris enarrari.
„ Vincit namque officium linguæ tanti ſce-
„ leris magnitudo. Sed, ut video, beatiſſi-
„ me pater et reverendiſſimi reverendique
„ patres, jam tempus eſt magis remedii,
„ quam querelæ. Ecce enim ſancta mater
„ eccleſia, quæ in perſona ſanctitatis tuæ,
„ ſui indubitati ſponſi, ſincera perprius uni-
„ tate et pace gaudebat, reſeratis lacry-
„ marum fontibus, multis cum ſuſpiriis ac
„ ſingultibus, ad te ſponſum ſuum, ad
„ vos reverendiſſimos et reverendos patres,
„ qui eſtis in parte ſollicitudinis, et ad hoc
„ ſacrum et oecumenicum concilium evo-
„ cati, clamare et vociferare compellitur:
„ *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem
„ vos amici mei:* Viſcera namque mea ama-
„ ritudine ſunt repleta. Nam vineam Dei
„ Sabaoth vulpes exterminant, et Chriſti
„ inconſutilem tunicam impii lacerant. *Ex-
„ ſurgat ergo Deus, & diſſipentur omnes ini-
„ mici ejus;* et tu, beatiſſime pater, cum
„ omnia adeo manifeſta ſint prædicta, pu-
„ blica et notoria, quod nulla poſſint ter-
„ giverſatione celari, nec excuſatione de-
„ fendi, in virtute Altiſſimi, una cum hoc
„ ſacro concilio, exurge, et judica cauſam
„ ſponſæ tuæ, et memor eſto filiorum tuo-
„ rum. *Accingere gladio tuo ſuper femur
„ tuum potentiſſime. Intende, proſpere pro-
„ cede, & regna*; et dic una cum Pſalmi-
„ ſta: *Perſequar inimicos meos, & conte-
„ ram, & non revertar donec conſumam eos.
„ Conſumam & confringam, & non conſur-
„ gent, cadent ſub pedibus meis.* Nec enim
„ decet tam nefarium facinus abominan-
„ dumque portentum ſub diſſimulatione trans-
„ ire, ne forte impunita temeritas atque
„ malitia inveniat ſucceſſorem; ſed potius
„ punitæ tranſgreſſionis exemplar retrahat
„ alios ab offenſa.

„ Exemplo itaque ipſis Moyſi viri Dei per
„ ſanctitatem veſtram et hanc ſanctam ſy-
„ nodum univerſæ plebi Chriſtianæ dicen-
„ dum eſt: *Recedite a tabernaculis hominum
„ impiorum*. Exemplo etiam beatiſſimi Leo-
„ nis papæ prædeceſſoris tui, qui ſecun-
„ dam Epheſinam ſynodum ſubmovit, et
„ Dioſcorum ſuoſque fautores et ſequaces in
„ Chalcedonenſi, quam poſtea inſtituit, ſy-
„ nodo condemnavit, aliorumque ſummorum
„ pontificum prædeceſſorum tuorum, qui
„ ſemper inſurgentes in Dei eccleſia hære-
„ ſes et ſchiſmata cum ipſorum auctori-
„ bus, fautoribus, ſequacibus, a Dei ec-
„ cleſia et communione fidelium ſacratiſſimo
„ Chriſti corpore eliminarunt, et aliis mul-
„ tiplicibius et condignis poenis exigente ju-
„ ſtitia afflixerunt; hanc novam rabiem in
„ tuam et ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſponſæ
„ tuæ injuriam, et totius Chriſtiani populi
„ apertiſſimum ſcandalum conflatam, hoc
„ ſacro oecumenico approbante & auxi-
„ liante concilio, condigna penarum exag-
„ geratione ulciſcere, et prædictos impios
„ tam prodigioſi ſceleris patratores, una
„ cum eorum hæreſiarcha infeliciſſimo, et
„ vero in Dei eccleſia antichriſto, cumque
„ omnibus eorum fautoribus, adhærentibus
„ et ſequacibus, et præſertim nefandiſſimis
„ ejus electoribus ſeu verius profanatori-

ANNO CHRISTI 1440.

„ bus, omnipotentis Dei et beatorum Petri
„ et Pauli apoſtolorum ejus et tua au-
„ ctoritate, perpetuo anathemate a liminibus
„ ſanctæ Dei eccleſiæ remove et ſegrega. Abijciatur ipſe omneſque prædicti ſicut
„ antichriſtus et invaſor, et deſtructo totius
„ Chriſtianitatis; nec aliqua ei omnibuſque
„ prædictis ſuper hoc aliquando audientia
„ reſervetur, ſintque ab omni eccleſiaſtico
„ et mundano gradu et dignitate quacumque ipſi eorumque poſteri et ſucceſſores
„ ſine reclamatione privati, omneſque perpetuo anathemate et excommunicatione
„ damnati exiſtant, et cum impiis, qui in
„ judicio non reſurgent, computentur, omnipotentis Dei contra ſe iram ſentiant,
„ et ſancto um apoſtolorum Petri et Pauli,
„ quorum præſumunt eccleſiam confunde-
„ re, in hac vita et in futura furorem ſentiant. Fiat habitatio eorum deſerta, et
„ in eorum habitaculis ſeu tabernaculis nullus inhabitet. Fiant filii eorum orphani,
„ et uxores eorum viduæ. Orbis terrarum
„ pugnet contra eos, et omnia ſint eis elementa contraria, adeo quod abjiciantur,
„ exterminentur, et abominentur ab omnibus, ut eis perpetua egeſtate ſordentibus,
„ ſit merito mors ſolatium, & vita ſupplicium, et omnium ſanctorum merita illos
„ confundant, et in hac vita ſuper eos apertam vindictam oſtendant, et cum Chore,
„ Dathan, et Abiron debitam portionem
„ ſuſcipiant; et tandem, niſi ad cor reverſi
„ dignos poenitentiæ fructus egerint, et ſanctitati tuæ et univerſali eccleſiæ pro tantorum reatuum immanitate digne ſatisfecerint, cum impiis in infernas tenebras
„ recondantur, ad æterna ſupplicia digno
„ Dei judicio deſtinati. Nos autem omnes
„ et univerſos Chriſti fideles, qui prædictos
„ hæreſiarchas eorumque nefandiſſimum idolum et antichriſtum meritis blaſphemiis
„ exſecramur, et te Chriſti vicarium et digniſſimæ eccleſiæ ſponſum confitemur, et
„ devota reverentia et conſtanti fide et obedientia veneramur, omnipotentis Dei gratia protegat, et auctoritas beatorum Petri et Pauli et tua ab omnibus peccatorum vinculis abſolvat, et in hac peregrinatione omnibus benedictionibus repleat,
„ et ſua tandem ineffabili miſeratione ad
„ æterna gaudia perducat. Amen.

Nos vero, ut primum fide dignorum relatione tantam percepimus impietatem foris commiſſam, magno quidem, prout decebat, dolore & mœrore afflicti ſumus, tum pro tanto eccleſiæ ſcandalo nuper exorto, tum pro animarum eorum, qui talia perpetrarunt, interitu, & præſertim ipſius Amedei antichriſti, quem in viſceribus complectebamur caritatis, cujuſque preces & deſideria, quantum cum Deo potuimus, exaudire ſemper curavimus; & cum jam dudum adverſus hujuſmodi abominationem, juxta noſtri paſtoralis officii debitum, in animo geramus ſalutaribus providere remediis; nunc tamen publice in facie eccleſiæ ad occurrendum his malis requiſiti, celerius atque inſtantius pro defenſione eccleſiæ inſurgere, & tanto ſceleri obviare diſponimus. Quamobrem ut res iſta tam enormis & exſecrabilis in ipſo ortu, adjuvante Domino, cujus res agitur, radicitus exſtirpetur, una cum hoc ſacro concilio, ſine cunctatione qua poſſumus, juxta canonicas ſanctiones adhibemus remedium.

Attendentes igitur memoratam promotoris & procuratoris petitionem eſſe juſtam, ac divino & humano juri conſonam, licet prædicta ſcelera & exceſſus ſint uſque adeo publica & notoria, quod nulla poſſint tergiverſatione celari; nec alia foret informatio neceſſaria; admajorem tamen cautelam, certitudinemque præmiſſorum, ſacro approbante concilio, nonnullis inſignibus viris ex omni ipſius concilii ſtatu commiſimus, ut ſe de præmiſſis diligenter informarent, & quæ per hujuſmodi reperirent informationem, nobis & ipſi ſacro concilio referrent. Iidem vero commiſſarii ſuper præmiſſis, quantum pertinet ad hujuſmodi ſchiſmaticæ pravitatis indagationem, diligenti habita inquiſitione, nobis & ipſi ſacro concilio in ſynodali congregatione ea quæ per fide dignarum perſonarum examinationem repererant, fideliter retulerunt. Et tamen quamvis ſuper his tam publicis, manifeſtis & notoriis, ſine alia expectatione, per pœnarum ſeveritatem, juxta ſanctiones canonicas, in prædictos flagitioſos & ſcandaloſos homines animadverti potuiſſet; nihilominus nos & hæc ſancta ſynodus, omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat, omni qua poſſumus pietate uti decrevimus, & quantum in nobis eſt agere, ut propoſita manſuetudinis via ad cor revertatur, & a prædictis reſipiſcatur exceſſibus, ut ipſos tandem, ſicut filium illum prodigum, ad gremium eccleſiæ revertentes, benigne ſuſcipiamus, & paterna caritate amplectamur.

Ipſum igitur Amedeum antichriſtum, & præfatos electores, ſeu verius profanatores, & quoſcumque eidem Amedeo credentes, adhærentes, receptatores, & quoquomodo faventes, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & per aſperſionem pretioſi ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti, in quo & per quem humani generis redemtio & ſanctæ matris eccleſiæ ædificatio facta eſt, ex toto corde hortamur, precamur & obſecramus, ut ipſius eccleſiæ unitatem, pro qua ipſe Salvator tam inſtanter oravit ad Patrem, violare amodo deſiſtant, fraternam quoque dilectionem ac pacem, quam totiens & tam accurate idem redemtor tranſiturus ex hoc mundo diſcipulis commendavit, & ſine qua nec orationes, nec jejunia, nec eleemoſynæ Deo acceptæ ſunt, ſcindere & lacerare expaveſcant, & a prædictis quantocius tam perniciosis & ſcandaloſis prorſus deſiſtant exceſſibus, inventuri profecto apud nos & hoc ſacrum concilium, ſi effectualiter paruerint, prout tenentur, paternæ in omnibus caritatis affectum. Et ut ipſos, ſi forte juſtitiæ & virtutis amor a peccato non retrahat, pœnarum terror & rigor coerceat diſciplinæ, præfatos Amedeum antichriſtum, electores, immo profanatores, credentes, adhærentes, receptatores & quomodolibet faventes, eodem ſacro approbante concilio, requirimus

&

ANNO CHRISTI 1440.

ANNO CHRISTI 1440.

& monemus, & in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub anathematizationis & criminum hæreſis ac ſchiſmatis & læſæ majeſtatis, in quibuſcumque contra tales ab homine vel a jure inflictis pœnis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra quinquaginta dies, ab affixione præſentium immediate ſequentes, ipſe Amedeus antichriſtus pro Romano pontifice ulterius ſe gerere ac nominare deſiſtat, nec per alios, quantum in ipſo eſt, haberi ac nominari pro tali ſe patiatur, inſigniiſque papalibus ac aliis ad Romanum pontificem quoquo modo ſpectantibus, nullatenus uti de cetero præſumat: memoratos vero electores, immo profanatores, adhærentes, receptatores ac faventes, ulterius ipſi Amedeo in hoc ſchiſmatis crimine non aſſiſtant, nec credant, adhæreant, vel faveant, quoquo modo per ſe vel per alios, directe vel indirecte, in quovis quæſito colore. Sed tam ipſe Amedeus, quam prædicti electores, credentes, adhærentes, receptatores, & fautores, nos in verum Romanum pontificem, ac Chriſti vicarium, & Petri legitime ſucceſſorem habeant, recognoſcant, & venerentur; nobiſque tamquam patri & paſtori animarum ſuarum reverenter pareant & intendant, ac de iis infra prædictum terminum nos & hoc ſacrum concilium legitime certificare ſtudeant: ita ut de eorum vera obedientia nullus dubitationis ſcrupulus valeat remanere.

Si Amedeus, eligentes, credentes, adhærentes, receptatores, ac faventes prædicti ſecus, quod abſit, egerint, ſeu præmiſſa omnia & ſingula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleverint, ex tunc prout ex nunc, hujuſmodi pœnas incurrere ipſo facto volumus ac decernimus. Et nihilominus faventes prædicti conjunctim ſeu diviſim quinta decima die præfatum terminum immediate ſequente, ſi non fuerit feriata, alias proxima ſequente non feriata, compareant perſonaliter coram nobis & præfato concilio, ubi tunc erimus, ad videndum & audiendum ſe, & quemlibet eorum, etiam nominatim, quos & ſic citamus ad diem eumdem, declarari ſchiſmaticos, blaſphemos, & tamquam hæreticos, & reos crimine læſæ majeſtatis, fore puniendos, ac cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe, & alias infligi, prout viſum fuerit & juſtitia ſuadebit: certificantes eoſdem & eorum quemlibet, quod ſive venerint, ſive non, & ſe paruiſſe non oſtenderint, ad declarationem prædictarum pœnarum, juſtitia mediante, procedemus, eorum contumacia vel abſentia non obſtante, proceſſuri ulterius ad aggravationem & reaggravationem, prout juſtitiæ rigor poſtulaverit, & eorum demerita exegerint.

Ut autem hujuſmodi noſtra monitio ac citatio ad eorumdem monitorium ac citatorium, aliorumque quorum intereſt notitiam deducantur, cartas ſive membranas eam continentes eccleſiæ B. Mariæ Novellæ de Florentia & palatii noſtri apud eamdem eccleſiam ſiti, & eccleſiæ cathedralis Florentinæ portis ſive januis affigi faciemus, quo monitionem eamdem ſuo quaſi ſonoro præconio ac patulo indicio publicabunt, ut idem moniti, quod ad ipſos non pervenerit, & eamdem monitionem ignoraverint, nullam poſſint prætendere excuſationem, vel ignorantiam allegare; cum non ſit verosimile, quod ad eos remaneret incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

ANNO CHRISTI 1440.

Volumus etiam, & apoſtolica auctoritate decernimus, quod hujuſmodi noſtra monitio in eisdem valvis ſeu portis intimata perinde valeat, & plenum robur obtineat firmitatis, dictoſque monitos perarctet, quacumque conſtitutione contraria non obſtante, ac ſi eiſdem monitis & eorum ſingulis intimata ac inſinuata perſonaliter & præſentialiter extitiſſet; ne tandem moniti & citati prædicti ipſum concilium & curiam Romanam, communem omnibus patriam, locum ſibi minus tutum, & propter præmiſſa aliaſve inimicitias, vel ex cauſis aliis imminere periculum in veniendo, ſtando & redeundo, ad excuſationis ſuæ velamen forſan allegent, ipſos tenore præſentium ſecurantes, univerſos & ſingulos patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos & alios eccleſiarum, monaſteriorum prælatos, & clericos ac perſonas eccleſiaſticas, necnon duces, marchiones, principes, poteſtates, capitaneos, & quoſcumque alios officiales & eorum loca tenentes, necnon communitates, univerſitates civitatum, caſtrorum, oppidorum, villarum, & aliorum locorum, tenore præſentium requirimus & exhortamur, ipſiſque patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis & aliis prælatis, ceteriſque ſubditis noſtris diſtricte mandamus, quatenus præfatis monitis & bonis aut rebus eorum nullam inferant, nec ab aliis, quantum in eis fuerit, permittant inferri injuriam vel offenſam.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis, &c. Datum Florentiæ in ſeſſione publica ſynodali, in eccleſia B. Mariæ Novellæ ſolemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo, XIX. calendas Aprilis, pontificatus noſtri anno I.

IN SEQUENS OPUSCULUM

Joannis de Turrecremata

Præmonitio ejusdem Authoris.

QUoniam non hominis ſed divinitatis eſſe convincitur omnia inconcuſſe tunere in memoria, ut ca. de veter. jur. enucleando, l. *tanta*, §. *ſi quiſcumque*; ob id inter alias cauſas ſiteræ nobis a divina providentia datæ ſint, ut ea quæ pro debilitate cellulæ memorialis fixa permanere non poſſunt, ſed cum tempore dilaberentur, ſaltem literis viverent, et ad notitiam futurorum perpetua firmitate durarent; arbitrati ſumus bonum eſſe ut ea quæ ſuperioribus diebus inter reverendiſſimos patres et dominos meos, videlicet reverendiſſimum dominum ſancti Angeli, et dominum Morinenſem, et me tituli ſancti Syxti presbyteros cardinales per ſanctiſſimum dominum noſtrum Eugenium deputatos ſuper petitionem illuſtris.

ANNO CHRISTI 1440

ſtriſſimi domini regis Franciæ de celebrando alio generali concilio in tertio loco et reverendos patres domini oratores præfati domini regis ſuper materia antedicta ſapientiſſime ventilata et diſputata fuere, ad futuram rei memoriam et ad utilitatem legentium commendaremus ſcripturæ.

Collecta per dominum cardinalem ſancti Syxti tempore ſanctiſſimi domini noſtri Eugenii papæ IV. ſuper petitione domini regis Franciæ, ut aliud tertium celebraretur univerſale concilium.

Quod autem convenientiſſimum eſſet convocare tertium univerſale concilium viſi ſunt oſtendere rationibus ſubſequentibus oratores illuſtriſſimi regis Franciæ. Primo, ex ca: *ſi duo contra fas!* in 9. diſt. 1. ſecundo, ex ca: *frequens*, concilii Conſtantienſis; tertio, ex practica antiquorum patrum, qui pro ſedandis ſciſmaticis leguntur adunaſſe concilia; ſicut proxime praticatum fuit in concilio Conſtantienſi: quarto, quia contra poteſtatem ſummi pontificis reſpectu conciliorum ſunt variæ opiniones & valde contrariæ; Baſilienſes enim in ſuis diſinitionibus illam nimium ſuppreſſerunt; concilium vero Florentinum illam videtur plurimum exaltaſſe. Quare pro declaratione hujus materiæ quæ tangit fidem, videtur non modo conveniens, ſed neceſſario congregare tertium concilium pro illuminatione populi chriſtiani. Quinto, apud multos ſunt ſcrupula conſcientiarum, quia variæ Conſtantiæ et Baſileæ et hic Florentiæ ſunt factæ definitiones circa materiam fidei, quæ ſibi ad invicem videntur repugnantes: et ſunt hinc inde magiſtri et doctores varia ſapientes et docentes: videtur quod dominus noſter teneatur pro ſerenitate conſcientiarum fidelium tertium convocare concilium; quia alia via non videtur eſſe aptior; quia etſi ſedis apoſtolicæ authoritas poteſtatis ſit ſuprema in eccleſia Dei; authorias tamen repugnatione videtur eſſe major in concilio univerſali. *Sic.* Sexto, quia reformatio eccleſiæ, pro qua ſynodus Baſilienſis fuit inſtituta, nondum eſt facta neque Baſileæ neque Florentiæ; & nihilominus eſt neceſſaria, neque commodius fieri poteſt quam in concilio univerſali. Septimo, quia neceſſario videtur danda aliqua regula circa uſum poteſtatis apoſtolicæ; quia videmus plures ſummos pontifices ſæpenumero abuſos fuiſſe hac poteſtate in magnum diſpendium eccleſiarum particularium et regnorum chriſtianitatis; quod convenientius non poteſt fieri quam per concilium univerſale. VIII. quia multa mala dicta, ſcripta, et prædicata ſunt per multas provincias per damnatiſſimos Baſilienſes, et delata ſunt ad aures principum de ſanctiſſimo domino Eugenio, unde nonnulli ſcandalizati ſunt: quare videtur quod ſanctiſſimus dominus noſter inſtar Leonis, Xiſti, Damaſi ſummorum pontificum deberet congregare unum tertium concilium, in quo ſe purgaret, et innocentem oſtenderet a criminibus impoſitis coram patribus eccleſiæ. IX. ſanctiſſimus dominus noſter cum ſit paſtor chriſtiani populi tenetur de jure divino

A removere ſcandala de medio populi ſibi commiſſi; cum autem ſcandalis, quæ nunc ſunt in eccleſia Dei, non videatur poſſe provideri quam per convocationem tertii concilii, videtur quod ſanctiſſimus dominus noſter graviſſime peccet non aſſentiendo petitionibus regis domini Franciæ. X. quia ſi dominus noſter refugit congregare concilium univerſale, videretur apud multos timere de juſtitia ſua; et ita retraherentur a devotione ſanctitatis ſuæ. XI. quia Baſilienſes petentes congregationem tertii concilii ad oſtendendum juſtitiam et legitime cuncta facta per eos eſſe contra ſanctiſſimum dominum noſtrum; ſi ſanctiſſimus dominus noſter B refugit congregationem tertii concilii, plurimi converterentur ad Baſilienſes credentes illos habere juſtitiam. XII. quia ſi dominus noſter non vocet concilium, ſicut petitur; timendum eſt quod principes ſæculares authoritate alterius congregentur, quod eſſet multum ſcandaloſum pro ſanctitate ſua. XIII. dicebant quod dominus noſter non deberet confidere in principibus, quia non ſunt firmi; niſi enim ſemper accipiant, cito vertunt tergum. XIV. quod multiplices principes tenuerunt Baſilienſium congregationem facere concilium univerſale, etiam poſt tranſlationem factam per dominum noſtrum; nec crediderunt quod Ferrariæ aut Florentiæ celebraretur ſynodus uni- C verſalis. Quare videtur neceſſario convocandum tertium concilium, quod indubitatum haberetur ab omnibus. XV. quia niſi dominus noſter velit convocare hoc tertium concilium videbitur confirmari quod hodie multi de eo referunt, quod ſanctitas ſua odit concilia univerſalia; quorum tamen Auguſtinus ſcribens ad Januarium dicit ſaluberrimam eſſe authoritatem.

Quod vero convocatio tertii concilii in hoc tempore non ſit conveniens per reverendos dominos deputatos multipliciter oſtenſum eſt, præſupponentes pro fundamento firmiſſimo quod ſynodus Florentina ſit vera ſynodus œcumenica; dubitare enim de hac D ſynodo eſt ſcandaloſum & periculoſum in fide, quod ei ſummus Romanus pontifex, cujus a domino totius eccleſiæ cura commiſſa eſt, non potuerit pro reductione tantorum populorum errantium a via veritatis concilium de Baſilea transferre, aut illo diſſoluto aliud inſtituere, non videtur bene ſapere in fide apoſtolici principatus, neque de fide divinæ providenciæ in gubernatione populi chriſtiani. Immo videtur manifeſte errot contra articulum *unam ſanctam*. Tum ſecundo, reddita enim dubia iſta ſynodo, rederentur univerſa in ea definita dubia, & reductio Græcorum, Armenorum & Jacobinorum ad Romanam eccleſiam, in maximum E ſcandalum totius populi chriſtiani. Secundo, præſuppoſito argutum eſt ſic: primo quod non ſit conveniens convocatio tertii concilii gratia diſcutiendi ea quæ in hac ſynodo determinata ſunt. Et primo, quia contra inſtituta ſanctorum patrum, ſcribitur enim in ea, *majores*, 24. q. 1. *majores divina inſpiratione cernentes, neceſſarie præcaverunt, ut quod circa unamquamque hæreſim coacta ideſt coadunata ſemel ſynodus pro fidei commu-*

ANNO CHRISTI 1440

ANNO CHRISTI 1440.

munitone & veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent novis post hoc retractationibus mutilari; & sequitur in fine: *synodus semel gesta condemnans, ulterius ad nova concilia venire non sinit*, quod cautum est in ea *quod bene*, 6. q. 4. *quod semel bene deffinitum est, nulla debet reiteratione retractari, nisi fortassis ubi major authoritas sit;* sed nulla major authoritas nec potestas nec reputationis potest esse in aliqua alia synodo quam in præsenti synodo Florentina, in qua omnes patriarchæ præsentialiter aut per procuratores suos sufficienter, præsente etiam Romeorum imperatore, interfuerunt. Tertio, etiam arguitur ex ca. *si quis episcopus*, 11. q. 3. ubi definitum est per patres in concilio Antiocheno quod si quis episcopus damnatur a synodo, non liceat ei in alia synodo spem restitutionis aut locum satisfactionis habere. Quarto, quia discutere ea quæ determinata sunt in hac synodo pertinere ad fidem christianam in materia potestatis Romani pontificis est multum scandalosum, etenim est præbere offendicula fidei christiano populo, quod nos maxime vitare debemus secundum illud Isaiæ LVII. *auferte offendicula de via populi mei*; quod ostenditur sic: quia ducere ea iterum ad discussionem, est ea reddere dubia, disputatio enim agitur argumentis; argumentum autem est ratio rei dubiæ faciens fidem. Reddita autem dubia, jam haberentur tam quam ad fidem catholicam non pertinentia, quia ut ait Bernardus: *fides ambiguum non habet; aut si habet, fides non est, sed opinio:* et ita læderetur veritas fidei eorum quæ hic determinata sunt cum Græcis & Armænis in magnum scandalum fidei et ecclesiæ sanctæ Dei. Quinto, in confirmatione hujus rationis facit illud beatissimi Leonis papæ in epistola ad Martianum imperatorem, qui ad suggestionem quorumdam nolentium recipere fidem determinatam in Calcedonensi concilio de incarnatione Dei, scripserat papæ Leoni ut aliud concilium convocaret; ubi sic Leo papa respondet, *nimis autem inimicum est, ut propter paucorum insipientiam, ad conjecturas opinionum & ad carnalium disceptationum revocemur bella; & utrum perverse Dioscorus judicaverit, qui in sanctæ memoriæ Flaviano condemnationem protulit, & ut simpliciores, quos in eamdem ruinam provolverentur, impegit.* Sexto, in firmitatem & robur præfatæ rationis est beatus Augustinus, qui contra Julianum et ejus sequaces, non recipientes doctrinam fidei jam per patres definitam, sed petentes publicas disputationes, ita loquitur: *scripturarum sanctarum clarissima lumina certa varietate fulgentia vos pravarum disputationum perplexitate obscurare conamini.*

Septimo, arguitur quia talis convocatio tertii concilii esset præjudicialis authoritati œcumenicorum conciliorum, quorum authoritas tanta est, ut beatus Gregorius in ca. *sicut*, dist. 15. sicut sancti evangelii quatuor libros sic ea suscipere et venerari se fateatur. Hoc patet, si ea quæ in hoc synodo œcumenica semel definita sunt, iterum discutienda in alia synodo venirent. Hinc imperator Martianus dicit de summa Trinitate et fide catholica, *injuriam facit judicio reverendissimæ synodi, si quis semel judicata ac recte disposita revolvere & publice disputare contendit.* Octavo, convocatio tertii concilii gratia discutiendi ea quæ hic determinata sunt, est inconveniens; quia esset præjudicialis privilegiis; & prærogativis præjudicari est magnum periculum, ut habet in ca. *omnes*, dist. 22. ubi dicitur: *qui autem Romanæ ecclesiæ privilegium, ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur.* Privilegium autem apostolicæ sedis est, ut judicium ejus in his quæ fidei sunt sit indefectibile; & per consequens indiscutibile postquam semel est datum, quod privilegium colligitur ex illo Matth. XVI. *tu es Petrus &c.* & in illo Luc. XXII. *ego autem rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, cum notatis ibid. in gloss. per sanctos doctores. Hinc Augustinus, ut in ca. *in canonicis*, dist. 19. inter canonicas scripturas enumerat sanctiones apostolicas. Agatho papa dicit in ca. *sic omnes*, ead. dist. accipiendæ sunt tamquam ipsius dominici voce Petri firmatæ. Non est autem dubium, quod convocare tertium concilium ad discutiendum ea, quæ hic definita sunt per apostolicam sedem, esset præjudicare præfato privilegio ejusdem sedis. Nono, convocatio præfata tertii concilii propter causam dictam est derogare honori, quem concilia universalia solita sunt exhibere apostolicæ sedi; ait enim Agatho papa in suggestione, quam scripsit imperatori Constantino, quæ lecta in sexta universali synodo, fuit ab omnibus patribus venerabiliter suscepta: *hæc apostolica sedes numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est; cujus authoritatem, utpote apostolorum omnium principis, omnis catholica Christi ecclesia, & universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles patres apostolicam ejus doctrinam amplexi.* Non est autem dubium, quin præjudicaretur præfato honori per antedictam convocationem. Decimo, præfata convocatio præjudicaret supremæ authoritati apostolicæ sedis, cujus authoritatis celsitudo non permittit judicia sua venire alio judicio, quam divino judicanda. Unde in ca. *patet*, 9. q. 3. dicit textus: *patet profecto sedis apostolicæ, cujus authoritate majus non est judicium, a nemine retractandum.* Item in sequentibus canonibus, scilicet ca. *nemo*, ca. *facta subditorum*, ca. *isti sunt canones*, ca. *cuncta per mundum*, causa et q. eisdem. Undecimo, convocatio tertii concilii ad examen eorum, quæ hic definita sunt per apostolicam sedem, est manifeste contra rationem; ratio enim dictat, ut membra caput sequantur, et non ut e converso; unde 12. dist. dicit textus: *non decet a capite membra discedere; sed juxta scripturæ testimonia, omnia membra caput sequantur.* Nulli vero dubium, quod apostolica ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, a cujus regulis nullatenus convenit deviare. Duodecimo, talis convocatio tertii concilii esset scandalosa Græcorum, & Armenorum, quorum reductio & concordia ad Romanam ecclesiam

ANNO CHRISTI 1440.

&

ANNO CHRISTI 1440.

& concluſio omnium articulorum, in quibus inter ipſos & Latinos erat diſcordia, habita eſt in hac œcumenica ſynodo. Nulli dubium quòd ſcandalum maximum oriretur, ſi de veritate hujus ſynodi & determinatorum in ea diſcuſſio veniret fienda in alia ſynodo; infirmata enim authoritate hujus ſynodi..... viderentur univerſa in ea concluſa. Decimotertio, convocatio præfati concilii eſſet nimium ſcandaloſa & chriſtiani nominis plurimum offenſiva; quoniam apud omnes quidem orbis partes divulgata eſt ſynodus Florentina, potentiſſima in authoritate, & in operibus clariſſima; ſicut patuit de Græciś, Armænis, Jacobitis, Ægyptiis, Indis, & etiam Teucris & diverſis aliis provinciis. Magna profectò eſſet confuſio authoritatis chriſtiani nominis ſi apud præfatas orbis partes ſciretur, quod Latini diſputant & diſcutere volunt de veritate hujus ſynodi, quam princeps chriſtianorum, Romanus pontifex, cum tanta patrum eccleſiæ præſentia celebravit, & per omnes partes orbis promulgavit. Decimoquarto, ſi concilium univerſale plenarium eſſet convocandum; neceſſario omnes patriarchæ Græcorum, Armænorum & Jacobitarum, qui nobiſcum per gratiam Chriſti in uno corpore eccleſiæ conveniunt, eſſent convocandi; cum plenarium concilium, ut ait Auguſtinus contra Donatiſtas lib. 1. de unico baptiſmo, ſit, quod ex partibus totius orbis congregatur. Hoc autem quam grave & difficile ſit temporibus præſentibus, tam propter expenſas quas oporteret eis refundere, quam propter labores & fatigationes; & fortaſſis audita tanta irrationabilitate convocationis tertii concilii, neque vellent venire ad illud, neque aliquid ſuſciperet concluſum in illo.

Decimoquinto, præfata convocatio tertii concilii eſt inconveniens, quia videtur eſſe occaſio magni ſcandali futuris temporibus; ſi enim petitio domini regis Franciæ admitteretur, quilibet alius rex etiam pro parva occaſione futuris temporibus poſſet petere & requirere celebrationem concilii generalis, in magnum ſcandalum & præjudicium apoſtolicæ ſedis. Quare cum Romanus pontifex non ſolum ad præſentia tempora, ſed etiam ad futura debeat providentiæ ſuæ oculos extendere, non videtur quòd ſanctiſſimus dominus noſter debeat talem petitionem admittere. Decimoſexto, convocatio præfati concilii videretur inconveniens; quia non ſolum præjudicaret primatui apoſtolicæ ſedis, ſed etiam libertati totius eccleſiæ, quia cum clerici & prælati pro majori parte propter peccata noſtra nihil faciant in conciliis, niſi juxta mandata ſuorum principum, ſicut exploratiſſimum habemus de ambaxiatoribus regum & principum in conciliis univerſalibus noſtri temporis; nulli dubium, quin ex tali celebratione concilii timeatur depreſſio apoſtolici principatus, & ſuffocatio libertatis eccleſiæ.

Decimoſeptimo, non omnes reges & principes ſunt unius affectus & devotionis ad ſanctiſſimum dominum noſtrum; immo quidam fuerant apertiſſimi hoſtes ſui, ſicut rex Aragonum, & dux Mediolani, & multi prælati & clerici, quibus quia complacere non potuit juxta vota eorum, moverunt ſibi bellum in concilio Baſilienſi, quod notum eſt toti orbi. Convocare autem novum concilium univerſale, eſt dare occaſionem ut iterum præfati hoſtes moleſtent cum ſuis complicibus ſanctiſſimum dominum noſtrum.

Decimoctavo, præfata convocatio tertii concilii videretur multum præjudicare veritati circa determinanda & declaranda in eodem concilio; quia ad tale concilium veriſimiliter creduntur non ſolum patres eccleſiæ, videlicet epiſcopi, ſed alii inferiorum ſtatuum conventuri; puta doctores, magiſtri in artibus, canonici eccleſiarum, & rectores parochialium eccleſiarum, quale autem judicium ſit popularis multitudinis, quæ, ut ait Chryſoſtomus, mater eſt ſeditionis & contumaciæ, errores & ſcandala Baſilienſium apertiſſime demonſtrarunt.

Decimonono, præfata convocatio tertii concilii non videtur conveniens, quia propter guerras & diverſitates, quæ ſunt inter principes chriſtianitatis, & viarum diſcrimina, & gravamina expenſarum, cederet ad magnam vexationem eccleſiarum & moleſtiam prælatorum: eo maxime attento, quod ante decem annis continuata ſunt concilia univerſalia. Vigeſimo, quia talis celebratio tertii concilii non videtur bene poſſibilis, cum non videatur poſſibilis haberi concordia cum Baſilienſibus ſuper authoritate inſtitutionis ejuſdem, ſuper præſidentia, ſuper forma & ordine ſervandis in eodem; ſicut manifeſte arguitur ex contradictionibus alias factis per eos Baſileæ adverſus præſidentem ſanctiſſimi domini noſtri. Vigeſimoprimo, præfata convocatio eſt inconveniens, quia præjudicaretur juſtitiæ ſanctiſſimi domini noſtri, quia celebrare concilium pro diſcuſſione eorum, quæ hic ſanctitas ſua fecit, eſt juſtitiam ſuam reddere dubiam, & ſtatum ſanctitatis ſuæ certiſſimum reddere ambiguum; quod eſſet contra omnem juſtitiam.

Vigeſimoſecundo, præfata convocatio eſt inconveniens, quia præjudicaretur per eam obedientiæ ſanctiſſimi domini noſtri; facta enim convocatione tertii concilii pro diſcuſſione præfata facienda, reddita dubia juſtitia ſanctiſſimi domini noſtri, omnes vellent eſſe neutrales uſque ad finalem concluſionem habitam in præfato tertio concilio congregando; & hoc manifeſtum eſt derogare obedientiæ ſanctiſſimi domini noſtri. Vigeſimotertio, præfata convocatio eſſet inconveniens, quia cum celebratio talis concilii deberet eſſe ſimul cum Baſilienſibus perfidis & excommunicatis; talis celebratio non poſſet eſſe congrua & licita, ut in ca. *cum quibus erat ſynodus ineunda*, 24. q. 3. ubi dicit textus: *cum perfidis non licet habere conventum dicente pſalmiſta: non ſedi cum concilio vanitatum, & cum iniqua gerentibus non introibo.* Nec eccleſiaſtici moris eſt cum his, qui pollutam habent communionem, permixtumque cum perfidis miſcere concilium. Vigeſimoquarto, quia talis celebratio concilii non videtur neceſſaria nec propter diſcuſſionem quorumcumque dubiorum, nec propter ſchiſma tollendum, nec propter aliquam reformationem faciendam; tum quia ſanctiſſimus dominus noſter eſt paratus cum

præ-

ANNO CHRISTI 1440.

ANNO CHRISTI 1440.

præsenti synodo declarare universa dubia quæcumque sint apud quoscumque, de singulis definitis & conclusis per eum in hac synodo; & ita solitum est in similibus dubiis recurrere ad sedem apostolicam, juxta dictum beati Gregorii in ca. *nec licuit*, 27. dist. sic dicentis: *quoties aliqua de universali synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendum de eo quod non intelligunt ad apostolicam sedem pro recipienda ratione convenient*; tum secundo quia sanctissimus dominus noster est paratus per se, aut cum præsenti synodo dare reformationem juri consonam; tum tertio quia genus hujus schismatis currentis, quod est per intrusionem cujusdam, qui nullum habet colorem prætensi episcopatus sui, sed est adulter atque extraneus, a desertoribus, imo schismaticus per ambitum introductus, juxta ca. *Novatianus*, 7. q. 1. contra quem ferro & gladio procedendum magis esset, quam alia via. Vigesimoquinto, quia præfata congregatio tertii concilii videretur præstare multum favoris Basilienſibus, & esset dare cornua peccatoribus; quia cum dominus noster non possit complacere omnibus, cum varia sint merita personarum & variæ affectiones hominum; multi quibus sanctissimus dominus noster complacere non posset, converterentur ad Basilienses, sicut exemplariter visum est Basileæ de quibusdam etiam in magnis in ecclesia Dei, qui prout intelligebant dominum nostrum respondere votis suis, mutabant vota in synodo: & ita timendum esset quod error novissimus esset pejor priore. Vigesimosexto, talis convocatio concilii istis temporibus, maxime extra Italiam, sicut continebat petitio oratorum illustrissimi regis Franciæ, esset multum damnosa domino nostro & periculosa; quia si dominus noster illuc præsentialiter se conferret, non dubium quin totum patrimonium ecclesiæ exponeretur periculo perditionis; si autem non se conferret ad locum concilii, timendum esset non convenire causæ suæ.

Ad has responsiones reverendissimorum dominorum deputatorum præfati domini regis oratores nisi sunt respondere, & reducentes earum universitatem ad septem puncta; sic, si bene mente teneo, sententialiter processerunt. Primus punctus est de veritate hujus synodi Florentinæ, ad quem respondebant quod apud multos etiam principes, qui tenuerunt Basileæ esse concilium, dubium erat de veritate hujus synodi; & ideo rationes fundatæ dominorum super hoc puncto, non videbantur procedere. Contra hanc responsionem extitit replicatum, quod sicut dictum est, dubitari de veritate hujus synodi, quam præsentialiter Christi vicarius & princeps ecclesiæ celebrat, non videtur bene sapere in fide Christi circa pontificatum Romani pontificis, cui dictum est a Domino in distinctione: *pasce oves meas*, Jo: ult. Secundo, negare veritatem hujus synodi est male sapere contra doctrinam sanctorum patrum, qui authoritatem celebrandorum conciliorum dixerunt esse penes apostolicam sedem, ut dist. 17. per totum. Tertio, dubitari de veritate hujus synodi non modo est maculam erroris & mendacii perpetuam ponere in ecclesia Romana; sed etiam est destruere universa bona acta & concluſa in hac synodo Florentina, quo nihil posset esse scandalosius. Ad id quod dicebatur, quòd aliqui principes tenuerunt Basileæ esse concilium; respondetur quod verum est antequam dissolveretur aut transferretur idem concilium; etsi aliqui non bene informati aut male consulti etiam postea ita crediderint, non propter hoc derogatur veritati synodi Florentinæ. In talibus enim magis credendum est apostolicæ sedi, quam quibuscumque aliis; dicit enim textus in c. *rogamus*, XXIV. q. 1. *rogamus vos, fratres dilectissimi, ut non aliud doceatis, neque sentiatis, quam quod a beato Petro apostolo & reliquis apostolis & patribus accepistis. Ipse est caput totius ecclesiæ, cui ait Dominus: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Secundus punctus est, quod Florentiæ facta sit jam definitio circa potestatem Romani pontificis & conciliorum. Ad hoc respondebant, quod Constantiæ prius & postmodum Basileæ erat prius facta definitio de potestate conciliorum; cui videbatur contrariari definitio hic Florentiæ facta; quare videbatur necessaria celebratio tertii concilii. Contra istam responsionem fuit replicatum per dominos; primo, quod patres de Constantia non videntur habuisse illum erroneum sensum de potestate conciliorum, quem habuerunt Basilienses & practicarunt. Secundo, dixerunt, quod definitio facta in Constantia fuit facta tempore schismatis ab una obedientia tantum, videlicet Johannis XXIII. & non a tota universali ecclesia; unde cum omnes obedientiæ simul Constantiæ convenirent, decreverunt in sessione trigesima sexta, quod papa cum concilio haberet declarare propter quæ, & quomodo papa posset corrigi. Tertio, quia in determinatis per Basilienses numquam adfuit assensus nec authoritas sedis; quare juxta canonem *regula vestra*, 17. dist. nullas habent vires. Quarto, quòd definitio facta hic Florentiæ facta est in tynodo universali, Romano pontifice præsidente & definiente; quare definitioni factæ per sanctissimum dominum nostrum in hac Florentina synodo est maxime standum.

Tertius punctus est, quod articulus fidei semel definitus sine fidei præjudicio & universalis synodi, non poterat iterum in alia synodo venire discutiendus. Ad hoc respondebant dupliciter præfati oratores; negando hoc; dicebant enim, quod sine præjudicio fidei & synodi potest iterata vice discuti articulus prius definitus, sicut exemplariter dicebant patere: primo, de articulo consubstantialitatis Patris & Filii in concilio Nicæno; qui tamen in aliis conciliis sequentibus, ut dicebant, fuit discussus. Secundo, de articulis Constantiæ definitis contra Bohemos, iterum Basileæ resumptis; item de articulis hic Florentiæ definitis cum Græcis & discussis; quorum tamen aliqui in superioribus conciliis fuerunt prius definiti. Secundo, respondebant, quod articuli hic definiti non venirent iterum definiendi propter dubium; sed gratia reductionis Basilienſium. Contra ista replicatum est per dominos; & primo ad primum, quod falsum erat, quod

ANNO CHRISTI 1440.

fine.

ANNO CHRISTI 1440.

articulus ſemel definitus per univerſale concilium veniret iterum per aliud concilium, tamquam dubius, & de veritate ſuſpectus, examinandus. Licet autem aliqua definita in prioribus conciliis legantur repetita in poſterioribus per modum confeſſionis & acceptationis; non tamen cauſa examinis. Neque pro articulo conſubſtantialitatis inter Patrem & Filium, pro quo fuit congregata ſynodus Nicæna, congregata legitur aliqua alia ſynodus poſterior; ſed quælibet ſynodus habuit ſpecialem articulum ſuæ congregationis; ſicut manifeſte colligitur ex ca. *ſacroſancta octa concilia*, diſt. 16. Præterea neque Baſileæ congregatum fuit concilium ad diſcutiendum & definiendum iterum ea quæ Conſtantiæ diſcuſſa & definita erant contra Bohemos; unde nulla facta fuit Baſileæ de hac re definitio. Verum quia conquerebantur Bohemi, quod non fuerant auditi; & dicebant populis nos non eſſe auſos conveniendi cum eis in diſputatione; data eſt eis audientia & ſignati ſunt eis certi magiſtri, qui rationibus eorum reſponderent. Et ita ſanctiſſimus dominus noſter paratus eſt facere Baſilienſibus in hoc loco, ſi contumacia & temeritate depoſita, vellent informari de veritate. Id vero quod dicebatur de Græcis etiam non procedit, cum Græcis enim conventum eſt ſynodaliter; quia, ut ipſi afferebant, numquam ipſis præſentibus & auditis in aliqua ſynodo de proceſſione Spiritus Sancti & reliquis articulis definitum fuerat. Petierunt ergo ſynodum œcumenicam celebrari, ubi omnes patriarchæ convenientes audirentur ſuper præſtitis articulis; ſubmittentes ſe determinationi ſynodi. Quod autem ſecundo dicebant, quod non dubitationis gratia, ſed reductionis Baſilienſium diſcuſſio fieret, non tollit inconveniens; quia licet hoc ipſi verbo dicerent, alii tamen, & maxime ipſi Baſilienſes, nonniſi cauſa ſuſpitionis de veritate factorum hic dicerent talem diſcuſſionem fiendam. Præterea, cum omnia iſta in hoc loco fieri poſſent pleniſſime, ſicut cum Græcis & Armænis factum eſt; nulla neceſſitas eſt congregandi tertium concilium. Quartus punctus quod injuria fieret apoſtolicæ ſedi, ſi cauſa diſcutiendi definita per eam, congregaretur univerſale concilium; reſpondebant præfati oratores, quod tam dominus noſter, quam apoſtolica ſedes in cauſa iſta eſt ſicut pars; & ideo ſine injuria ipſius recurrendum videtur ad alium judicem. Ad iſtam reſponſionem replicatum fuit per dominos tripliciter; primo, quod iſta materia non eſt propria papæ ſed fidei principaliter, quia quæſtio eſt quæ ſit poteſtas data a Chriſto Romano Pontifici. Item quæ ſit intelligentia evangelii, ubi dictum eſt Petro ſuiſque ſucceſſoribus: *tibi dabo claves regni cœlorum &c.* Matth. XVI. &: *paſce oves meas* Jo: ult. & ſimilia. Nulli autem dubium quin in tali quæſtione, ubi de fide agitur aut de injuria pontificatus Romani pontificis, & præjudicio apoſtolicæ ſedis, papa ſit judex, ſicut poteſt colligi ex ca. *ſi quis ſuper his nos*, 2. q. 7. Secundo, fuit replicatum quod apoſtolica ſedes in materia, quæ tangat ejus poteſtatem, ſicut neque in quacumque alia fidei eſt habenda ſuſpecta, cujus fides nullam hæreſim numquam fovet, ſed omnes hæreſes deſtruit, ut in ca. *Memor.*, 24. q. 1. Tertio, quia etſi in cauſa poteſtatis inter papam & concilium judicio papæ ſive apoſtolicæ ſedis non eſſet ſtandum quia pars; pari ratione nec judicio concilii. Quintus punctus eſt, quod ruerent univerſa concluſa cum Græcis & Armenis ſi convocaretur &c. reſpondebant oratores, quod non ruerent propter ea, etiamſi in angulo terræ definita fuiſſent; tum quia veriſſima ſunt; tum quia etiam alias definita fuerunt. Contra iſtam reſponſionem fuit replicatum per dominos, quod licet articuli definiti cum Græcis & Armenis veriſſimi ſint in ſe; & quidam eorum a Latinis fuerint alias definiti; Græcis tamen & Armenis non ita viſi ſunt; acceptaverint autem definitionem illorum nunc ratione authoritatis hujus œcumenicæ ſynodi, quæ ipſis intervenientibus præfatos articulos definivit; unde dubitare de veritate hujus ſynodi, eſt deſtruere omnem authoritatem definitorum & concluſorum in eadem apud illos. Sextus punctus eſt, quod in tali caſu vocatianis eſſent convocandi Græci & Armeni, reſpondebant oratores quod non erat neceſſarium, quia per eorum reductionem non impediebantur Latini quin poſſent concilia univerſalia celebrare in eccleſia occidentali. Contra hoc fuit replicatum per dominos, quod licet ante Græcorum & Armenorum reductionem Latini, apud quos ſolos reputabatur eſſe eccleſia Chriſti, poterant celebrare concilia univerſalia ſine Græcis & Armenis; modo tamen, exiſtentibus illis nobiſcum unitis in eodem Chriſti corpore, neceſſe eſt, ſi debeat fieri concilium plenarium, quod omnes patriarchæ ex univerſo orbe convocentur; ut patet ex octava ſynodo manifeſte. Præterea hoc etiam colligitur ex primo ca. diſt. 17. in gloſſa ubi dicitur: *univerſale concilium eſt quod a papa vel ejus legato, ſpecialiter ad hoc deſtinato, cum omnibus epiſcopis ſtatuitur.* Septimus punctus eſt, quod eſſet maxima difficultas conveniendi in forma & in ordine procedendi in illo concilio; reſpondebant illi quod non eſſet dubitandum de hoc, quia dominus rex Franciæ volebat quod authoritate domini noſtri congregaretur concilium, & gubernaretur regulis, forma, ordine, & modo per ſanctitatem ſuam imponendis. Contra hoc fuit replicatum per dominos, quod licet dominus rex vellet ita fieri; cum ipſe non eſſet omnes reges chriſtianitatis, non erat tamen tanta ſecuritas, quanta merito debeat eſſe in iſta re, quod ita fieret, quia congregata ſynodo multi vellent uti libertate ad regendum ut vellent; ſicut Conſtantiæ, non obſtantibus promiſſionibus, ſalvis conductis domini imperatoris, proceſſum eſt in multis ut voluit multitudo. Baſileæ etiam contradicentibus multis etiam præſidentibus papæ & principum oratoribus, contra omnem pollicitationem factam, perpetrata ſunt multa ſcandala, quæ toti orbi nota ſunt. Ita timendum eſt hic, & veriſimilius quam ante.

Iſtis expeditis ad rationes primas oratorum factas ita viſum eſt mihi ſatisfactum

eſſe

esse per reverendos dominos deputatos. Ad primum de canone *si duo*, responsum est quod textus ille, cum loquatur de duobus contra fas temeritate concertante ordinatis, non est ad propositum; quia sanctissimus dominus noster non fuit hujuscemodi ordinatus, sicut patet. Ad secundum de ca. *frequens*; responsum est primo, quod intelligendum est juxta canonem præfatum *si duos*; non autem quando unus per annos multos fuit indubitatus, verus, a tota ecclesia summus pontifex habitus, antequam aliquis alius temere præsumeret usurpare sibi pontificatum. Quod manifeste colligitur ex ipsa forma statuti, ait enim sic: *si vero, quod absit, novum schisma oriri contingat, ita quod duo vel plures pro summis pontificibus, ex quacumque causa se gerant; a die quo ipsi duo vel plures insigna pontificatus publice assumpserunt, seu administrare coeperint, intelligatur ipso jure terminus concilii &c.* Secundo, responsum est, quod etiam constitutio illa intelligenda est, quando actu non est synodus congregata, sicut modo est. Ad tertium, dicendum quod numquam hujusmodi pratica observata in ecclesia Dei, quod ubi est unus summus pontifex, & actu celebraret universale concilium, ad tollendum schisma introductum per temeritatem quorumdam, peteretur celebratio tertii concilii. Ad quartum, dicendum, quod circa opiniones illas jam jam terminum posuit apostolica sedes in præsenti synodo, nec ulterius quærendum; sed est humiliter suscipienda determinatio sua juxta canonem *hæc est fides, papa beatissime;* absque quacumque alia convocatione cujuscumque concilii. Ad quintum, responsum est circa replicas contra secundum punctum; dictum est etiam, quod nulli doctores, bene docti in literis sanctorum patrum, tenent aliud quam id quod sanctissimus dominus definivit in præsenti synodo; & si aliqui habent scrupula conscientiarum debent illa deponere; & si in aliquo dubitant de determinatis in ista synodo, juxta canonem *neque licuit*, 17. dist. recurrerent ad apostolicam sedem pro percipienda illorum ratione. Præterea dicebatur quod si dubitatio erat apud aliquos servaretur ordo positus in ca. *de quibus*, 20. dist. ut prius recurratur ad scripta veteris & novi testamenti; secundo ad canones apostolorum vel conciliorum; tertio ad decreta vel decretalia Romanorum pontificum; quarto ad scripta & exempla sanctorum doctorum: & ubi sic veritas dubii inveniri non possit, tunc convocandus est conventus sapientum ex orbe terrarum & non ante. Ad id vero quod dicebatur de reputatione & majoritate, responsum est, quod attenta præsentialitate domini nostri, & tot & tantorum dominorum cardinalium, & aliorum prælatorum ecclesiæ occidentalis ex una parte; & considerata præsentia domini imperatoris Græcorum & dominorum patriarcharum ecclesiæ orientalis ex alia; consideratis insuper effectibus quos Spiritus Sanctus operatus est in ea, non potest majoris reputationis aliquod aliud concilium expectari. Ad sextum responsum est, quod dato quod sit necessaria, dominus noster paratus est dare illam, & jam dedisset, si ad hanc synodum singulæ provinciæ, sicut existimavit, concurrissent. Nec propter reformationem est alia necessaria synodus; quia in præsenti fieri potest. Præterea ad faciendum reformationem non est necessarium concilium celebrare; quia sicut per multas decretales patet, reformatio facta fuit pluries per summos pontifices sine concilii universalis celebratione, quia ad illam faciendam papa cum collegio dominorum cardinalium est sufficientissimæ authoritatis. Etiam reputatione, valde enim durum esset universali ecclesiæ, ut pro qualibet re, etiam respiciente totum populum christianum, congreganda esset synodus universalis. Ad septimum responsum est, quod regula illa danda circa usum potestatis papalis, aut esset danda per modum directionis, aut per modum coactionis; si primo modo non requiritur universalis synodus, quia sacra scriptura & canones sanctorum patrum sufficienter docent de regimine prælatorum; si secundo modo intelligatur, non potest esse: quia ut habetur in ca. *significasti*, Extrav. de election. concilia non præfigunt aliquam regulam Romanæ ecclesiæ; cum omnia concilia per Romanæ ecclesiæ authoritatem & facta sint & robur acceperint. Præterea si aliqua regula danda esset, in præsenti synodo posset dari. Ad octavum responsum est, primo, quod numquam legitur universale concilium propter purgationem summi pontificis esse congregatum Licet legatur quod aliqui pontifices coram paucis episcopis hoc fecerint. Secundo, quia ex hoc non est imposita lex summis pontificibus, quod se purgent, ut patet ex ca. *auditum*, 2. q. 7. Tertio, quod dominus noster est paratus in hac synodo ostendere innocentiam & justitiam suam, sicut sæpenumero voluit facere coram regibus & principibus. Ad nonum responsum fuit, quod dominus noster tenetur removere scandala populi sibi commissi, modo quo potest & debet. Ipse habet synodum actu congregatam, & est paratus dare rationem de omnibus definitis & gestis per apostolicam sedem. Convocare autem tertium concilium, sicut petitur, videtur magis esse scandalum, sicut ex superioribus patet; unde nulla ratio dicitur, quod convocetur tertium concilium. Ad decimum, responsum fuit quod dominus noster non timet de justitia sua; sed semper paratus fuit ostendere justitiam & innocentiam sanctitatis suæ. Neque propter hoc est necessaria convocatio tertii concilii, sicut jam dictum est. Ad undecimum pari modo responsum est. Ad duodecimum, responsum fuit quod cum principes christiani sint Deum timentes & habeant doctos viros apud se, quibus notum est concilia universalia absque authoritate apostolicæ sedis non esse concilia, sed conciliabula, & conventicula malignantium; non credit sanctissimus dominus noster quod principes pro eorum fide & religione talia attentarent. Ad tertium decimum, dictum est quod sanctissimus dominus noster principaliter in principe omnium principe, Salvatore Jesu Christo, cujus vicarius est in terris; in aliis autem pro eorum religione, qui ecclesiam

ANNO CHRISTI 1443.

tuendam ſuſceperunt, confidit quod memores erunt ſui miniſterii. Ad quartumdecimum, reſponſum fuit ſicut ſuperius in replicis contra reſponſa primi puncti. Ad quintumdecimum reſponſum fuit, quod illa ratio non habet apparentiam, quia dominus noſter actu habet ſynodum congregatam; nec eſt verum quod ſanctitas ſua odiat concilia rite & legitime celebrata; odit autem mala, ſicut & quilibet juſtus debet facere, ſecundum illud pſalmi: *odivi eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.*

ANNO CHRISTI 1443.

Collecta ſunt iſta per dominum ſancti Syxti.

GRÆCORUM CONCILIUM

In quo Metrophanes Conſtantinopolitanus Patriarcha, itemque & Latinis adhærentes omnes anathemate damnantur,

Anno 1443. habitum.

METrophanes Conſtantinopolis patriarcha renunciatus anno 1440. inter potiſſimas ſacerdotii ſui curas illam habuit antiquiſſimam, ut orthodoxus ipſe, orthodoxiam promoveret, & ſchiſmaticos inſectaretur. Quo ejus ſtudio offenſi cæteri orientis patriarchæ in ſynodum collecti anathemati illum devoviſſe cum una epiſcopis cæteris Latinarum partium ſtudioſis, ſimulque & omnem cum Latinis communionem quam per ablegatos ſuos in concilio Florentino admiſerant, repudiaſſe feruntur. Literas ſynodicas in Metrophanem huc transfero ex Bandurio Antiquit. CPnar. to. 2. pag. 960. edit. Vin. ex quo pariter literas adjungo eorundem patriarcharum hac ipſa de re ad imperatorem Joannem ſcriptas, quas tamen ex temporis adſcriptione diſcimus ante aliquot menſes quam literas ad pontificem ſignatas fuiſſe. Unum ergo ex tribus ex hoc inferamus oportet ſive patriarchas illos nunquam in ſynodum reipſa conveniſſe; ſive concilium iſtud meditantes patriarchas, ante quam reipſa ſe in coetum redigerent, eas literas miſiſſe ad Imperatorem; vel tandem collectos in concilium per menſes, & menſes perſeveraſſe, quod vix credo. In eam ſententiam propendo; ſcriptum hoc eſſe plane commentitium, a Græculo quodam ſchiſmaticarum partium ſtudioſo conflictum, cum nec Phranza ejus meminerit, nec alius quis ex Latinis Græciſque.

C

ΟΡΟΣ

DECRETUM TRIUM PATRIARCHARUM

Græcum tit. cum variantibus edit Codex M. S. Taurin. 186. & excuſæ ſunt in Catal. ejusd. Bibl. to. I. pag. 271.

Τῶν ἁγιωτάτων τριῶν ἱεραρχῶν τῶν ἐν Συρίᾳ. Φιλοθέου Ἀλεξανδρείας. Ἰωακὶμ Ἱεροσολύμων καὶ Δωροθέου Ἀντιοχείας κατὰ τῆς ἐν Φλωρεντίᾳ συνόδου.

Syriæ, Philotei Alexandrini, Joachim Hieroſolymitani, & Dorothei Antiocheni contra Florentinam Synodum.

Ἐπειδὴ ἦκε καὶ ὁ πανιερώτατος μητροπολίτης ἐνταῦθα τῆς ἁγιοτάτης μητροπόλεως Καισαρείας Καππαδοκίας. ὁ καὶ πρωτόθρονός τε, καὶ ἔξαρχος πάσης ἀνατολῆς ἅμα μὲν προσκυνῆσαι τὸν πάνσεπτον, καὶ θεῖον τῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῦ τάφον, καὶ τὰς ἱερὰς ἐν Ἱεροσολύμοις ἱσορῆσαι τόπους ἔνθα τὰ παράδοξα ἐτελέσθησαν τῆς Χριστῦ οἰκονομίας μυστήρια, ἅμα δὲ καὶ κοινώσασθαι πρὸς ἡμᾶς, καὶ τὸ τῆς ὀρθοδοξίας καὶ εὐσεβείας χριστιανῶν μέγα μυστήριον. καὶ δηλοποιῆσαι τὰ ἐν Κωνσταντινουπόλει σκάνδαλα πάντα διὰ τὴν συναθροισθεῖσαν ἐν Φλωρεντίᾳ τῇ πρὸς Ἰταλίαν μιαρὰν σύνοδον, καὶ τὰ τῶν Λατίνων σὺν τῷ Εὐγενίῳ Πάπᾳ δοξάσασαν ἅπερ ἐκ ἔξεστι, τινὰ προσθήκην δηλαδὴ ἐν τῷ τῆς πίστεως ἡμῶν θείῳ καὶ ἀμωμήτῳ συμβόλῳ ὑπογράψασαν, καὶ πεισθεῖσαν ὡς καὶ ἐκ τῦ Υἱῦ τὸ θεῖον ἐκπορεύεσθαι Πνεῦμα, τότε ἄζυμα συγχωρήσασαν πρὸς ἡμᾶς θύεσθαι, καὶ μνημονεύειν διὰ τῦτο τὸν Πάπαν· ἔτι τε τὰ ἄλλα ὅσα παρὰ κανόνας ἀθέσμα ἐκείνων συγκατατεθεῖσαν, καὶ ςέρξασαν. καὶ ὅπως ὁ Κυζίκου μητρόφονος ληςρικῶς τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνον ἥρπασε, συναινίσασαν τοῖς τε αἱρετικοῖς, καὶ τῷ εἰρημένῳ Πάπᾳ, καὶ βασιλεῖ τῶν Ῥωμαίων Παλαιολόγῳ τῷ Λατινόφρονι, τὺς μὲν πιςὺς τε καὶ ὀρθοδόξους ἀπειλοῦντι, διώκοντι, τυραννοῦντι, καὶ ἐπιτιμῶντι, τὺς δ' ἀπίςους καὶ κακοδόξους προσκαλοῦντι, καὶ ἀναβιβάζοντι, ὡς τῆς

Cum venerit huc per omnia ſanctiſſimus Metropolita ſanctiſſimæ Metroplis Cæſareæ Cappadociæ, qui protothronus eſt, exarchuſque totius Orientis, tum ut apprime venerandum divinumque Domini noſtri Jeſu Chriſti ſepulcrum adoraret, ſacraque, quæ Hieroſolymis ſunt, loca, in quibus maxime admiranda Chriſti diſpenſationis myſteria perfecta ſunt, viſitaret; tum ut una nobiſcum rectæ fidei ac pietatis ingens arcanum communicaret, manifeſtaretque ſcandala omnia Conſtantinopoli exorta propter execrandam Synodum, quæ apud Florentiam Italiæ urbem coacta eſt, & Latinorum cum Papa Eugenio, quod non licebat, dogmata approbavit, & additionem quamdam in fidei noſtræ ſacro inculpatoque ſymbolo ſubſcripſit, ſuaſitque ex Filio divinum Spiritum procedere, conceſſitque azyma apud nos quoque ſacrificium offerre, & propterea commemorationem Papæ facere; præterea alia multa illorum præter præſcripta canonum illicita accepit & amplexata eſt: & quomodo matricida Metrophanes Cyzizenus, more prædonum, Conſtantinopolitanam ſedem invaſit, quæ aſſenſum præbuit hæreticis, & jam dicto Papæ et Imperatori Græcorum Palæologo, cum Latinis ſentienti, fideles et ſanæ fidei ſectatores non abſque minis perſequenti veluti tyranno opprimenti et redarguenti; infideles vero, et eos, qui pravis opinionibus ſunt imbuti, accerſenti, honoranti, & ad dignitates

pro-

ἱερὰς τόπους πρὸς ἃς τὰ

συναθροισθεῖσαν ἐκκλησίαν ἐν Φλωρεντίᾳ

συμβόλου ἀπογράψασαν ἄζυμα συγχωρήσαντες

συναινέσασαν τοῖς τε αἱρετικοῖς ἀπειλοῦντι διώκοντι

ἑαυτῦ αἱρέσεως σύμφρονας, καὶ ὑπερεκπερισσῦ μάλιστα προσποιημένῳ τότε κατὰ ἀντιπάθειαν τῆς ὀρθοδοξίας, καὶ εὐσεβείας. ὡς ἐκ τότε τῦ τρόπυ, καὶ μητροπολίδια βέβηλα, καὶ μιαρὰ ἐπισκοπίδια πανταχῦ ἐς τὰς θείας καὶ ἁγίας θρόνυς τῆς ἁγίας μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντινυπόλεως πρότρεψας, ὡς ὑπὸ τ ἑαυτῦ τάχα ἐνορίας ὑποκειμένης. ἔδειξαν ὅπως ὁ εἰρημένῳ πανιερώτατῳ μητροπολίτης κύριος Ἀρσένι ῳ τῆς ἁγιωτάτης μητροπόλεως μεγάλης Καισαρίας Καππαδοκίας πρωτόθρονός τε καὶ ἔξαρχῳ πάσης ἀνατολῆς. ὡς ὁ μόνον πρὸς τὰς ἄλλας ἐκκλησίας ὁ Μητρόφων ῳ Πατριάρχης τὰς παρανόμως χειροτονίας προτρέψας λατινοφρόνοις, ἀλλ' ἤδη καὶ πρὸς τὰς τ ἐπαρχίας τῆς ἀνατολῆς πάσης τέσσαρα ὁ ἀχειροτόνητ ῳ κεχειροτόνηκε μητροπολίδια, καὶ ἐπισκοπίδια, πρός τε τὴν Ἀμασίαν δηλονότι, Νεοκαισαρίαντε, Τύανα, καὶ Μακησσὸν τὰ τῶν Λατίνων πάντα φρονῦντα, καὶ πράττοντα. ἃ κ ὐ μόνον ἐντεῦθεν τὴν ἑαυτῶν ἀνεχόμενα φθορὰν καὶ ἀπόλειαν, ἀλλά γε μετὰ τὴν τοσαύτην τόλμαν, καὶ τὺς ὑπὸ τὴν τῦ Χ ιῦ ποίμνιν ἅπαντες ἐκεῖσε χριστιανὺς ὕτως ἀπατῶντα, καὶ διαφθέροντα, καὶ πολλὰ τῇ ὀρθοδόξῳ ἐκκλησίᾳ σκάνδαλα προξενῦντα. διὰ τῦτο ὁ εὐσεβὴς, καὶ πιστότατῳ καὶ τῆς ὀρθοδοξίας πάσης ὑπέρμαχός τε καὶ ζηλωτὴς ὕτος ὁ εἰρημένῳ μητροπολίτης Καισαρίας Καππαδοκίας μὴ ἀνεχόμενῳ τὴν τῆς ἐκκλησίας Χριστῦ καινοτομίαν καὶ λύμην τῶν ἑτεροδόξων πρὸς τὴν ὀρθοτάτην, καὶ ὑγιαίνυσαν ἡμῖν πίστιν, ἠξίωσε συνοδικὴν λαβεῖν γνώμην παρ' ἡμῶν τῶν τριῶν ὀρθοδόξων Ἀρχιερέων τῶν ἐν τῇ Συρίᾳ, τῦ τε δηλονότι Φιλοθέυ Ἀλεξανδρέας, Δωροθέυ Ἀντιοχέας, καὶ Ἰωακὰμ Ἱεροσολύμων, ὅπως ἀποσοβήσῃ τὺς μὴ ὀρθῶς φρονῦντας ἐκ πάσης τ ἐπαρχίας αὐτῦ, καὶ ὡς ὅτι προτοχωέστερ ῳ ὕτ ῳ καὶ ὀρθόδοξ ῳ. Ἐνθέν τι καὶ ὁρίζομαι ἡμεῖς συνοδικῶς ὁμῦ ἐν τῷ ὀνόματι τῆς ὁμουσίυ ζωαρχικῆς τε, καὶ ἀδιαιρέτυ ἁγίας Τριάδ ῳ, τὺς μὴ δ' ἀρετὴν, καὶ εὐσέβειαν χειροτονηθέντας μητροπολίτας τε καὶ ἐπισκόπους πανταχῦ, καὶ προσέτι ἡγυμένυς ὁμῦ κ πνδυματικὺς τάχα. ὡσαύτως τε ἱερεῖς καὶ διακόνυς, καὶ πάσης ἐκκλησιαστικῆς ἁπλῶς ψήφου, ἄλλως βεβήλυς ὄντας, καὶ ἀναξίυς; τὸν ὑ τ αἱρέσεως καὶ δισγμῦ τῆς ὀρθοδοξίας δραξαμένυς καιρὸν, καὶ δραμόντας ἀναξίως, κενοδοξίας μόνης, καὶ αἱρέσεως τρόπῳ πρὸς ἐπισκοπάς τε καὶ μητροπόλεις, ὡς δῆθεν τάχα σωτῆρας ψυχῶν, ἵνα σὺν αὐτοῖς ἄλλυς Θθέρωσι καὶ τὸ τῦ Χριστῦ τῦ ἀληθινῦ Θεῦ ἡμῶν ἅπαν ὀρθόδοξ ῳ ποίμνιον, μηδ' ὅλως Φόβον Θεῦ, καὶ δικαιοσύνης καὶ εὐσεβείας κεκτημένυς καρπὸν, ἀλλὰ καταφρονητὰς, καὶ ἀναιδῆς ὄντας πρὸς εὐσέβειαν πᾶσαν, τυτέστιν ὁρίζομαι ἀπὸ τῆς σήμερον ἀργὺς καὶ ἀνίερυς εἶναι πάσης ἱεροπραξίας, καὶ ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως, ἄχρις ἂν ἐξετασθῇ ἡ εὐσεβείκ κοινῶς τε καὶ οἰκυμενικῶς. ὕτω μὲν ὖν καταπειθέντες ἔσωσαν ἀργοὶ καὶ ἀνίεροι. ἀνταίροντες δὲ καὶ ἀνθιστάμενοι ληστρικῶς τε κ παρανόμως ἔσωσαν ἀφωρισμένοι, καὶ ἠλλοτριωμένοι τῆς ἁγίας καὶ ὑπερυσίυ καὶ ὁμουσίυ Τριάδ ῳ, ὡς ἀπειθὲς καὶ ἀντίλογοι. ὡσαύτως ὑ καὶ οἱ τύτυς δεχόμενοι, καὶ συναινῦντες ἐν τοῖς τοιύτοις, καὶ ὑπερασπίζοντες. Ἀποκαθιστῶμεν δ' ὅπως κήρυκα τῆς εὐσεβείας, κ ὀρθοδοξίας τὸν ἄνωθεν ἀρημένοι πανιερώτατον μητροπολίτην, τὸν καὶ ὑπέρτιμον, καὶ ἔξαρχον

promoventi, tamquam suæ hæreseos asseclas; & quod magis est mirum, in modum hos eosdem deosculanti, propter eam, quam in se perfert, adversus rectam fidem pietatemque repugnantiam. Hinc factum est, ut prophanos metropolitellos, et execrandos episcopillos, ubique in divinas et sanctas sedes sanctæ magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ tamquam suæ diœcesi obnoxios intruserit. Dictus sanctissimus Metropolita dominus Arsenius sanctissimæ Metropolis magnæ Cæsareæ Cappadociæ, necnon protothronus et totius Orientis Exarcus, ostendit non solum in alias ecclesias matricidam Metrophanem Patriarcham contra canones ordinationes iis, qui cum Latinis sentiebant, commisisse; sed jam & ad Orientis universi Dioceses quatuor inordinatum istum ordinasse metropolitellos & episcopillos, et in Amasia nempe Neocæsaria, Tyanis, & Mocesso, Latinorum omnia approbantes & exequentes, qui non solum inde tibi subsequuturam ruinam atque excidium exspectant, verum quoque, post tantum facinus, omnes sub Christi grege ibi degentes Christianos fallunt, corrumpunt, multaque inter eos disseminant; quæ orthodoxæ ecclesiæ scandala ministrant. Propterea pius, fidelissimus, et sanæ fidei universæ propugnator zelatorque jam laudatus metropolita Cæsariæ Cappadociæ, ægre ferens ecclesiæ Christi innovationem et noxam quæ ab aliena sentientibus in rectissimam, sanamque nostram fidem intruduntur, petiit sibi exhiberi synodalem a nobis tribus orthodoxis antistitibus, qui in Syria sunt, Philotheo Alexandrino, Dorotheo Antiocheno, et Joachimo Hierosolymitano, sententiam, ut omnes male sentientes ex universa sua dioceſi pellere possit, quod ipse antiquior sit et orthodoxus. Propterea nos, simul synodaliter congregati, præcipimus in nomine consubstantialis, vivificæ et individuæ sanctæ Trinitatis, metropolitas, atque episcopos propter virtutem & pietatem haud promotos, ad hæc abbates simul et patres spirituales si qui fuerint, simul sacerdotes diaconos et in quocumque gradu ecclesiastico constitutos, profanos alias et indignos, qui hæresis occasione arrepta, dum recta fides in discrimen adducebatur indigne cucurrere, inanis gloriæ et hæreseos modulo ad episcopatus et metropolitatus, quasi essent servatores animarum, ut cum se ipsis alios in exitium ducerent, et Christi veri Dei nostri universum orthodoxum gregem, penitus timore Dei nec non justitiæ et pietatis fructibus destitutos, quin imo despectores et ad omnem pietatem inverecundos, hoc est, ab hoc die ita decernentes, spoliamus omni actione sacerdotali, et ecclesiastico ordine, donec eorundem pietas communiter et universaliter examinetur. Hi si obedierint, ab omni munere sacro cessent; si contra se opponant, et prædonum more, contra ac canones sanciunt, adversantur, tamquam contumaces et contradictores, sint excommunicati, et abalienati a sancta, et supersubstantiali et consubstantiali Trinitate; similiter et qui eos amplectuntur, et in similibus assensum præbent et auxilium. Concedimus facultatem,

nam-

ANNO. CHRISTI 1443.

ANNO CHRISTI 1443.

πάσης ἀνατολῆς, κηρύξαι πανταχοῦ τὴν εὐσέβειαν, μὴ αἰδούμενον πρὸς ἀλήθειαν πρόσωπον βασιλέως, ἢ πατριαρχοῦ τοῦ μὴ ὀρθῶς φρονοῦντος, καὶ πράττοντος, μηδὲ πλούσίου, ἢ ἄρχοντος ἀνθρώπου· ἀλλὰ παρρησίᾳ τὴν πίστιν καὶ ὀρθοδοξίαν κατέχοντα ἀφόβως καὶ ἀδιστάκτως, κατὰ τὴν ἐντολήν, ἔχειν αὐτὸν ἄδειαν ἀπὸ τοῦ νῦν ἕνεκεν εὐσεβείας ἐλέγξαι, ἐπιτιμῆσαι, καὶ διορθῶσαι τοὺς μὴ ὀρθῶς φρονοῦντας ἐν παντὶ τόπῳ, ἐφ' ὅσον ἂν ἰσχύῃ ὁδεύειν, παρ' ἡμῶν αὐτῶν ἀληθότα τὴν συγγνώμην, διὰ τῆς ἀληθείας ἡμῖν χάριτος καὶ δυνάμεως τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὃς καὶ ὀφέλει κατὰ τούτων τηρῆσαι ἀδιαστόκητος τε καὶ ὀρθῶς τὴν εὐσεβείαν. ὃ ἕνεκεν ἐπεδόθη αὐτῷ καὶ ἡ ἔγγραφος ἡμῶν γνώμη συνοδικῶς ἀπογραφεῖσα ἰδιοχείρως, ἐν μηνὶ Ἀπριλλίῳ τῇ ς' μά ἔτους τῆς νῦν τρεχούσης Ἰνδικτιῶνος ἕκτης. καὶ ἀπὸ Χριστοῦ ἔτει ,αυμγ'.

ἄρχοντος ἢ τοῦ τυχόντος ἀνθρώπου

τῇ πίστει καὶ ὀρθοδοξίᾳ κατέχειν

tamquam pietatis orthodoxæque præconi supra laudato sanctissimo Metropolitæ qui Hypertimus est, Exarchusque totius Orientis, per loca omnia pietatem denunciando, cum non revereatur ad veritatem astruendam, neque faciem imperatoris, neque patriarchæ, qui non recte sentiat et agat, neque divitis neque principis, sed palam ac libere fidem ac orthodoxiam possideat, sine ullo metu et hæsitatione, secundum præceptum sibi impositum: liceat itaque ipsi, ex hoc tempore, pietatis causa reprehendere, increpare, corrigere male sentientes in omni loco, quo potest accedere, data a nobis ipsi venia, propter datam nobis gratiam et potestatem Spiritus Sancti, qui debet omnino in his integre atque incorrupte pietatem servare; proptereaque illi tradita est in scriptis nostra sententia plena Synodo, et propriis manibus subscripta, mense Aprili VI. MDCCCCLI. anni, nunc currentis indictionis sextæ, et a Christo anno CIↃCCCCXLIII.

ANNO CHRISTI 1443.

EORUMDEM PATRIARCHARUM

Literæ ad Imperatorem.

Κράτιστε καὶ ἡμερότατε, καὶ γαληνότατε μοι αὐτέντα, καὶ βασιλεῦ. εὐχὰς τυγχάνοιμι ποιῶν πρὸς Θεὸν ἀδιαλήπτως, ὅπως τηρηθείη σε τὸ κράτος ἀπὸ παντὸς ἐναντίου συναντήματος, καὶ ἐς ἡμετέραν πνοὴν ματικὴν εὐφροσύνην. Γνωσὸν ἔσω τῇ ἁγίᾳ βασιλείᾳ σοῦ ὅτως ἡμεῖς ἐδεξάμεθα πρώτην, καὶ δευτέραν, καὶ τρίτην γραφὴν ἀπὸ τὸν Πάπαν Εὐγένειον περὶ τῆς ἑνώσεως τῆς ἐκκλησίας, ἵνα ἐρξωμεν ταύτην ἀπαραιτήτως, καθάπερ ἐγένετο, καὶ νὰ μνημονεύσωμεν καὶ τὸν πάπαν. τοιαῦτα μὲν ἁπλῶς ὁ Παπας Εὐγένειος πρὸς ἡμᾶς γέγραφεν, οὐδὲν ᾧ παρέδειξεν ἡμῖν, ὅπως ἡ πράξις ἐγένετο. ἐγὼ δὲ κατὰ τὴν προλαβοῦσαν γραφὴν πρὸς μὲ τοῦ ἁγιωτάτου μοι τοῦ ἀδελφοῦ κυρίου Ἰωσὴφ τοῦ Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου, νῦν ἔμαθον ἀληθῶς, ὅτι ἐν Φλωρεντίᾳ σύνοδος οὐκ ἐγένετο κατὰ τὰς συμβιβάσεις, ἃς εἶχον πρὸς Ῥωμαίους οἱ Λατίνοι ἐνόρκως διὰ γραμμάτων, κανονικὴ καὶ ἀβίας, καὶ ἑλευθέρα κατὰ τὰς παραδόσεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, καὶ τῶν ἁγίων ἑπτὰ, καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ τῶν θείων πατέρων. ἀλλὰ ῥαδιουργείας μυρίας ἐπινοήσαντες οἱ Ἰταλοὶ τὰς μὲν συμβιβάσεις ἀθέτησαν, ἐπαρέβησαν δὲ τοὺς ἐγγράφους αὐτῶν ὅρκους, ἐβίασαν δὲ τὴν ἀλήθειαν, καὶ τέλος τυραννικῷ τρόπῳ τὰ ἀθέσματα αὐτῶν πάλιν ἐκύρωσαν δόγματα, καὶ εἴτι ἂν ἄλλο παρὰ κανόνας ἐκράτησαν, τὸ χεῖρον ᾧ μᾶλλον, καὶ ἀσεβὲς, ὅτι μετὰ τῶν ἄλλων, καὶ τὴν ἐν τῷ κοινῷ τῆς πίστεως συμβόλῳ προσθήκην ἃ παραιθήσαντο, ἀλλὰ καὶ ἐγγράφως παρέδωκαν, φεῦ, παρὰ πᾶσιν ὁμολογεῖσθαι. διὰ τοῦτο ἀπολογήθην ἐγὼ πρὸς τὸν Πάπαν τοιαῦτα, ὅτι εἰ μὲν σέρξῃ τὰς παραδόσεις τῶν ἁγίων οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἀποκυρώσεις, καὶ εἴτι κανονικὸν καὶ νόμιμον οἱ τοιοῦτοι θεῖοι πατέρες ἐθέσπισαν, ἤδη καὶ τὴν ἐν Φλωρεντίᾳ σύνοδον,

C

D

E

Literæ ad Imperatorem.

POtentissime, humanissime, et serenissime Domine et imperator. Supplices continue Deum exoramus, ut majestas tua atque imperium ab omni adversa fortuna immune conservetur ad nostram spiritualem lætitiam. Notum sit tuæ sacræ majestati, nos accepisse tres a Papa Eugenio de unione ecclesiæ literas, ut eam, remotis arbitris, amplecteremur, uti gesta est, faceremusque Papæ commemorationem. Et hæc quidem nude Papa Eugenius ad nos perscripsit; at non edocuit quanam ratione res illa transacta sit. Veruntamen ipse per antecedentes ad me literas sanctissimi fratris domini Josephi archiepiscopi Constantinopolis novæ Romæ, et oecumenici patriarchæ plane, vereque cognovi synodum Florentinam non fuisse, uti Græci, et Latini, cum juramento per scripta convenerant, canonicam et liberam secundum traditiones apostolorum et sanctarum septem et oecumenicarum et divorum patrum, sed infinitas fraudes comminiscentes Italos pacta quidem violasse, scripta jurejurando confirmata pervertisse, et tandem tyrannorum instar impia sua dogmata rursus stabilivisse, et cætera contra canones obtinuisse, et quod ipsius est ac magis impium cum multis aliis additionem illam in communi fidei symbolo non neglexisse, sed scripto etiam tradidisse, heu miseros! ab omnibus enunciari. Quapropter ipse papæ respondi: si ille traditiones sanctarum universalium synodorum et determinationes, et quicquid canonicum ac legitimum hi sancti patres decreverunt, susceperit, jam et ipse Florentinam synodum amplector, et papæ commemorationem non recen-

ANNO CHRISTI 1443.

κὴ ἀυτὸς σέργῳ, καὶ τὸ τῦ Πάπα μνημόσυνον δέχομαι σοζομένυ, ἵνα τὴν τοιαύτ῝ ὁμολογίαν πρὸς ἡμᾶς ἐγγράφως σείλῃ ὁ πάπας κατὰ τὴν νόμιμον, κὴ ἀρχαίαν παράδοσιν, καὶ συνήθειαν. χωρὶς δὲ τύτυ ἀλλοτρόπως, ὅτε τὴν σύνοδον παραδέχομαι, τὴν ἐν Φλωρεντίᾳ ὑδ' ὅλως, ὅτε τῦ πάπα μνημόσυνον, ἀλλὰ καὶ τὺς ἐξ ἡμῶν συγκατατιθεμένυς πρὸς τὰ τοιαῦτα, πρός τε τὴν ἐν Φλωρεντίᾳ σύνοδον δηλονότι, καὶ τὸ τῦ πάπα μνημόσυτον χωρὶς τῆς ὑγιαινέσης ἀρημένης ὁμολογίας ἐκείνυ, ἃ μὲν τῦ κληρῦ ὦσιν, ἀργὺς ἀυτὺς καὶ ἀνιέρυς ἀπὸ τῦ νῦν πασης ἱεροπραξίας ἔχομεν· ἃ δὲ τῆς συγκλήτυ ἀφορισμένυς καὶ ἀκοινωνήτυς κατὰ τὺς θεοκηρύκων κανόνας, καὶ μαθητῶν τῦ Χριςῦ, κὴ τ῀ θείων, καὶ οἰκυμενικῶν ἑπτὰ συνόδων ἀποκυρώσεις, κὴ παραδόσεις. Ταῦτα μὲν ἡμεῖς πρὸς ἐκεῖνον ἐγράψαμεν. νῦν κὴ πρὸς τὴν σὺν βασιλέαν γνωρίζομεν τάδε. ὅτι ἃ μὲν προσέθεμεν, ὡς τῦ ἡμετέρυ γένυς παντελῶς ἐξηθενηκότ῝, καὶ διὰ τῦτο κατανεγκαζόμεν῝ παντοιοτρόπως, ὅπως λήψῃ βοήθειαν, καί τινα ἴσως ἄλλην οἰκονομίαν νενόηκας, εἴτε τῆς καὶ πρὸς τὰ τ῀ Λατίνων ἐνέπεσας, καὶ τὴν προθήκην ἐδέξω κατὰ ἀνάγκην· εἰ δ' ὅτως ἀποτρεψάμεν῝ νῦν τὰ ἐκείνων τερατολογήματα τὸ καὶ ἀσεβήματα, καὶ τὴν ὑγιαίνυσαν ἐν τῷ θείῳ συμβόλῳ παράδοσιν κατὰ τὰς θείας πᾶσας γραφὰς ὁμολογεῖς ἀδιςάκτως τε, σέργεις, καὶ πειθῃ, ὡς οἱ πρὸ σῦ ἅπαντες εὐσεβεῖς αὐτοκράτορες βασιλεῖς, ἤδη καὶ ἡμεῖς ἃ μόνον τὸ προσφιλὲς μνημόσυνον τῆς βασιλέας ἐπιτελεῖν ἔχομεν, ἀλλὰ καὶ διωτεκῆ, καὶ ἀέναον ἱκεσίαν πρὸς Θεὸν ἐκπληρῦν μέλλομεν τῦ σῦ κράτυς ἕνεκα, καὶ ὑπὲρ ψυχῆς μάλιςα, δι' ὧν ἐξιλεύμενοι καθ' ἑκάςην τὸ θεῖον συγκοινωνῆσαί τέ σοι, καὶ τὰ ἀμπλακήματα ἐν γνώσει, καὶ ἀγνοίᾳ πραχθέντα. ὕτω μὲν ἂν ἔςαι σοι ἔλεως τῶν πλημμελημάτων. ὅτως ἡ ἄφεσις τῶν ἀγνοημάτων, ἃ μὲν τὰς θείας ὐκ ἀθετεῖς παραδόσεις, ἃ δὲ περιμένεις, καὶ ἀνέχῃ τὰ τ῀ ἑτεροδόξων, ὥσπερ ἀλλότρια ὄντα πάσης κανονικῆς παραδόσεως, καὶ συνοδικῆς, ἃ μόνον ἐκκόψομεν τὸ τῦ σῦ κράτυς μνημόσυνον, ἀλλὰ τὰ τῦ βάρυς προσθησομεν ἐπιτίμια, ἵνα μὴ τῇ τῦ Χριςῦ ἐκκλησίᾳ διαφέρῃ ἡ λύμη τῦ ἀλλοτρίυ καὶ βλαβερῦ δογματ῝, καθότι ποιμένης τῆς εὐσεβείας ἐκλεγημεν, καὶ ὁμολογήσαμεν ὅτως ἐγγράφως ἐνώπιον Θεῦ, καὶ ἁγίων ἀγγέλων. Οὐκῦν ἃ κατὰ μισθωτὴς ἀνεχόμεθα ποιμαίνειν τὴν τ῀ εὐσεβείας ἐκκλησίαν, ἃδὲ φειδόμεθα μᾶλλον ψυχῆς τε καὶ αἵματ῝· ἀλλ' ἕνεκεν Χριςῦ, καὶ τῦ Εὐαγγελίυ ἑτοίμως ἔχομεν δῦναι ψυχὴν, καὶ σάρκα, καὶ αἷμα, καὶ τ' ἄλλα ὅσα ἐπὶ τῆς γῆς κτώμεθα. ἂν δ' τῷ τυραννικῷ τρόπῳ παρανόμως βιάζῃ καὶ πειθανολογεῖς τὴν ἐλεύθεραν καὶ ἀδέλωτον Χριςῦ ἐκκλησίαν, γίνωσκε ὅτως, ὅτι παραιτησόμεθα μὲν ἡμεῖς τὴν εὐσέβειαν ὅλως. ὐκ ἀνεξόμεθα δὲ σιωπῶν ἐφεξῆς, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἐντολὴν ἀφόβως ἐλέγξας, καὶ ἐπιτιμῆσαι μέλλομεν τῦτον. διόπερ καὶ σέλλομεν πρὸς τὴν ἁγίαν σε βασιλείαν ταῦτα μ῝ τῦ ἐν ἱερομονάχοις καὶ πνευματικοῖς τιμιωτάτυ Κυρίυ Μακαρίυ, καὶ υἱῦ τῆς ἡμῶν μετριότητ῝. ὃς καὶ ἀναγγελεῖ πρὸς τὴν σὺν βασιλείαν τὰ περὶ τῆς συνόδυ, ἅπερ ἀυτῷ ἀνεθήκαμεν. σφόδρα γὰρ ἡμεῖς πίςευσον, ὡς ὐδεὶς τῶν ἀνθρώπων ἐπιποθῦμεν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ τῶν Ἰταλῶν πάντων ἑνώσεως, σωζομένυ εἰ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἔλθωσιν· ἃ δ' συζῆσαι τὸ ψεῦδ῝ φιλονεικῦσιν, ὐ δυνάμεθα

recuſo: dummodo ſimilem profeſſionem ad nos in ſcriptis papa miſerit ut legitima et antiqua traditio, et conſuetudo præſcribit. Quod ſi id non fiet; neque Florentinam ipſe ſynodum ſuſcipio neque papæ commemorationem. Quin et ex noſtris, qui ſimilibus aſſenſum præbuerunt Florentinæ ſcilicet ſynodo, et papæ commemorationi ſine jam dicta recta illius confeſſione, ſi ex clero ſunt eos depoſitos, omni ſacro munere, et ſacerdotali miniſterio privamus; ſi ex ſenatu, excommunicamus, et conſortio fidelium ſegregamus ſecundum Dei præconum canones, et diſcipulorum Chriſti et ſanctarum ac univerſalium ſeptem ſynodorum præſcripta atque traditiones. Et hæc quidem nos ad illum ſcripſimus; tuæ vero majeſtati hæc nota facimus. Si ſimilibus locum dedit nationis noſtræ penitus afflictæ, et tantum non emortuæ cauſa modis omnibus coactus, ut auxilia tibi comparares vel forte alia providentia ſuffultus in Latinorum ſententiam iviſti, vique aliqua additionem amplexatus es, et nunc, eorum abſurdis atque impietatibus ſemotis, ſanam in divino ſymbolo traditionem ſecundum omnes divinas ſcripturas indubitanter confiteris, et amplecteris, illique credis quemadmodum qui ante te imperio potiti ſunt, jam et nos non tantum amicam majeſtatis tuæ faciemus commemorationem, ſed continuis inexhauſtiſque precibus Deum pro tuo imperio, potiſſimum pro anima exorabimus, quibus quotidie Deum tibi propitium reddemus, ut delictis tuis tum dedita opera, tum ignoranter commiſſis veniam concedat. Et hac ratione miſerationem peccatorum et ignorantiarum remiſſionem conſequens ſi divinas traditiones non improbas. Quod ſi pertinax perſtiteris, & aliena ſentientium dogmata ſuſtines, cum ea aliena ſint ab omni canonica et ſynodali traditione; non tantum tuæ majeſtatis commemorationem excidemus, ſed poenas etiam aggravabimus; ne in Chriſti eccleſia, alieni et noxii dogmatis pernicies vires ſumat; dum pietatis paſtores vocamur, ſcriptoque ita profeſſi ſumus ante Deum et ſanctos Angelos. Quare non uti mercenarii pietatis eccleſiam paſcimus, neque carior eſt nobis ſanguis et anima, ſed pro Chriſto illiuſque Evangelio prompti ſumus, animam & carnem, & ſanguinem, & quicquid aliud ſuper terram poſſidemus, profundere. Quod ſi, tyranni inſtar, nefarie vim infers, & ſeducere contendis liberam jugique impatientem eccleſiam, ſcito, nos numquam pietatem deſerturos, nec taciturnitatem æquo animo laturos, ſed ſecundum præceptum abſque metu reprehenſuros, & additis etiam minis increpaturos. Ideoque hæc ad majeſtatem tuam mittimus cum hieromonacho, & ſpirituali Patre, præſtantiſſimo domino Macario, & noſtræ mediocritatis filio, qui & majeſtati tuæ de Synodo, quæ ipſi commendavimus, nunciabit. Ardenter enim nos, mihi crede, & ut quivis alius, ſenioris Romæ & Italorum omnium unionem cupiſcimus, dummodo illi veritati manus dent. Quod ſi mendacium conſtabilire contendunt, non poſſumus cum illis communicare, etiamſi uno die omnium cervicibus caput abſcindant: opti-

ANNO CHRISTI 1443.

ANNO CHRISTI 1443.

συγκοινωνῆσαι αὐτοῖς, ὐδ' ἂν πάντας ἡμᾶς διὰ μίαν ἡμέραν ἀπεκεφάλησαν. κρεῖττον εὐσεβῶς καιρὸν, ὅπερ τέλ@ ἀποθανεῖν μέλλομεν πείθητι τοιγαρῦν καὶ αὐτὸς ὦ βασιλεῦ γαλιώτατε καὶ θειότατε τὰς θείας θεσμὰς, καὶ νόμους Χριστῦ, καὶ τὰς παραδόσεις τῶν θεοκηρύκων αὐτῦ μαθητῶν καθότι εὐσεβῶς ἔσησας ἄχρι τῦ νῦν, ὃς οἱ σὸ πατέρες ὁμολογῦσιν ἔργον, εὐσεβῶς καὶ ὁσίως τελευτήξαντες. οὐδὲν γάρ ἐστι τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας ἀμφίβολον, ὅπως πρὸς ἀπορίαν ἐμπέσῃς, καὶ διςαγμὸν ἐν τοῖς Χριστιανικοῖς δόγμασιν, ἀλλ' ὅμως ὡς δὲ ἐν γέν@ τοσαύτῳ ἀκρίβειαν καὶ ἔρευναν πεποίηκε περὶ πίστεως, ὅσῳ πατέρες ἐν Χριστοῦ πίστει πεποιήκασιν. ὅθεν καὶ τὰς ἀπὸ κτίσεως κόσμυ μαρτυρίας εὑρόντες κατὰ διαφόρους καιροὺς παρὰ τῦ ἁγίυ πνεύματ@ διὰ τῶν ἁγίων προφητῶν προκηρυχθείσας, ἔςερξαν μὲν ταῦτα βεβαίως ἐν πρώτοις. ὕςερον δὲ τ σκιᾶς παρελθόσης διὰ τῆς χάριτ@ παρυσίας τὸ τ οἰκονομίας ὅλων ἐτελειώθη σωτηριῶδες μυςήριον, καὶ ὕτω τῆς ὑπερλάμπρυ καὶ ζωποιῦ ἀνας άσεως πληρωθείσης, οἱ τῆς αὐτῆς θεωρίας μύσαι καὶ μαθηταὶ διὰ πνεύματ@ ἁγίυ σαφῶς τὸ μυςήριον τῦ το τρανώσαντες πᾶσιν ἐκήρυξαν. ἵν' ἐφεξῆς ἑπόμενοι πάντες ὀρθῶς, ὐκ ἀσοχήσωμεν ὅλως τὴν τῆς ἀπεράντυ βασιλείας ἐκεῖθεν ἀπόλαυσιν. ἧς γένοιτο πάντας ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν ἐν Χριςῷ Ἰ ε σῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν ἀμήν. μηνὶ δεκεμβρίῳ Ἰνδικτιῶν@ ἕκτης.

A optimum & pie quacumque hora vitam ponere, ſi ſemel tandem moriendum eſt. Amplectere itaque & tu, o Imperator ſereniſſime & diviniſſime, ſacras ſanctiones & leges Chriſti & traditiones Dei præconum & Chriſti diſcipulorum, qui ad hæc uſque tempora pie vixiſti, quod tibi tui parentes conteſtantur, pie probeque fato functi. Nihil enim eſt in noſtra pietate ambiguum, quod ad hæſitationem atque dubitationem in chriſtianis dogmatibus trahi poſſit. Sed enim nulla natio tantam diſquiſitionem & accuratum examen in rebus fidei poſuit, quantum ipſi patres noſtri in Chriſti fide; ideoque ab orbe condito teſtimonia recollecta diverſis temporibus a S. Sancto per ſacros vates præ-
B vaticinata firmiter illis & ante alia fidem præſtiterunt; poſtea prætergreſſa umbra, gratiæ acceſſu, diſpenſationis univerſum & ſalutare abſolutum myſterium eſt. Et ſic ſplendidiſſima ac vivifica reſurrectione abſoluta, illius myſtæ, & diſcipuli per S. Sanctum plane myſterium declarantes, omnibus denuntiarunt, ut poſteri omnes recte eos ſequentes ſemper duraturi regni participes evadamus, cujus utinam compotes fieri contingat in Chriſto Jeſu Domino noſtro, Amen. Menſe Decembri indictionis ſextæ.

ANNO CHRISTI 1443.

NI-

ANNO CHRISTI 1448.

NICOLAUS PAPA V.

Sedit ab Anno 1447. *usque ad* 1455.

ANNO CHRISTI 1448.

AD LAUSANNENSE CONCILIUM

In quo Concilii Basileensis schisma continuatur, & demum extinguitur,

Ab anno 1448. *usque ad* 1449.

APPENDIX.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ V.

ad Carolum VII. regem Francorum.

Facultatem ei donat tractandi nomine suo pro ecclesia, & agendi, concedendi & promittendi quidquid judicaverit necessarium.

Martene vet. mu. to I. pag.

NIcolaus episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Carolo regi Franciæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem. Commendavimus per alias litteras nostras tuam serenitatem, de eo quod quærit & agit pro tollendo præsenti schis- C mate, & te hortati sumus ad tam salutiferi operis perfectionem. Verum quoniam Dei misericordia præstare posset, ut per tuam serenitatem tantum malum tolleretur de medio, nos considerantes quod sicut jam per tuam sapientiam est tractatum, esset necesse pro votiva rerum conclusione concedere & promittere nonnulla; quæ debita observatione indigerent, ac volentes ut quæ per te promitterentur debitum consequantur effectum, serenitati tuæ circa reductionem ad viam veritatis ab erroribus suis, & ad ecclesiæ unitatem eorum qui a Romanæ ecclesiæ & a sedis apostolicæ & vicarii Jesu Christi obedientia & fide deviantes schisma D in ecclesia Dei excitarunt, cujuscumque status, gradus & conditionis se esse dixerint, etiamsi suprema in Dei ecclesia se asserant esse dignitate, omnia & singula auctoritate nostra cum eis tractandi, praticandi, annullandi, seu pro multis haberi debere declarandi, concludendi, efficiendi & promittendi quæ circa reductionem hujusmodi necessaria seu opportuna cognoveris, & quæ nostro ac sedis apostolicæ statui, honori ac dignitati convenire serenitati tuæ videbuntur, plenam & liberam facultatem & po- E testatem concedimus per præsentes. Volentes ut hæc nostra facultas in omnibus per te promittendis valeat perinde ac si ad ea singula specialiter se extenderent, & ad ipsa mandatum haberes speciale: ratum & gratum habituri quicquid per te actum, gestum, promissum aut factum fuerit in præmissis; quæ omnia nos observaturos promittimus bona fide. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Domini 1447. pridie Idus B Decembris, pontificatus nostri anno primo. *Sic signatum* P. de Noxeto. †

Collatio facta est cum originali per me Dysome

DECRETUM PRIMUM SACRI

concilii Lausannensis.

SAcrosancta generalis synodus Lausannen- Ibid.
sis in Spiritu-sancto legitime congregata, universalem ecclesiam repræsentans, præsidente in ea sanctissimo domino Felice papa quinto, ad futuram rei memoriam.

Divinus attestatur sermo, quod ubi Spiritus Domini ibi libertas; libertas utique agendi quæ fieri suadet Spiritus Domini, cujusmodi illa sunt quæ a generali synodo peraguntur, visa ita fieri debere, & a Spiritu-sancto qui præsidet, & a Patribus ibidem congregatis. Dicit enim: Visum est Spiritui-sancto & nobis. Actionibus igitur synodalibus permaxima debita est libertas: propter quod si deliberato universitatis proposito impedimento affit publica sæcularis potestas, ne liberæ sint ejusmodi actiones Spiritus, locus ille a patribus relinquendus est, suos instruente discipulos Salvatore in quamcumque intrassent civitatem, si non recipe- D rent eos, nec audirent eorum sermones, quod exirent foras de civitate illa, ut a quibus recedebant intelligerent, non discipulorum temporali lucro, sed eorum fuisse gratiæ & utilitati in eam civitatem convenisse. Synodo vero generali id profecto agere convenit. Experientia namque ab initio Christianæ religionis aperte nos docet Patrum conventus ad concilia celebranda fuisse honori atque gratiæ illis civitatibus, apud quas generales synodi celebrationis earum finem acceperunt. Etenim ipsarum nomen celebre reddunt per sæcula, quæ in eis E fiunt declarationes fidei: quoniam veritas Domini manet in æternum. Decreta quoque ibidem condita ad perpetuam rei memoriam, quemadmodum nominis gloriam, acceperunt apud Græcos Nicæna, Ephesina, Chalcedonensis & Constantinopolitana civitates: apud Latinos vero Romana, Lugdunensis, Viennensis & Constantiensis, aliæque plures.

Sed & præter æternam earum nominis

ANNO CHRISTI 1448.

laudem, copiosa atque multiplex utilitas temporanea illis accrescit. Unde nostris sumus experti diebus, quamplures civitates desiderare apud se celebrari generale concilium, offerentes salvos conductus suos aliaque multa accommoda, ut in plena libertate apud eas celebratio fiat concilii generalis.

Rem notissimam eloquimur, translationis sanctæ synodi Basileensis justas & manifestas exponentes causas. Sancta hæc synodus Lausannensis, in Basileensi civitate dudum constituta, multis perseveravit annis pro felici consummatione sanctorum operum, ad quæ ab initio fuerat legitime congregata, & pro tali, tamquam vere universalem ecclesiam repræsentans, ab universis Christi fidelibus recognita atque venerata. Permanserat vero his ultimis diebus ea præsertim ratione, ut inibi unio fieret & pax vera atque integra ecclesiæ daretur, pro qua assequenda certa avisamenta in diæta Gebennensi de mense Decembris proxime lapsi celebrata, concepta fuere, in præsentia solemnium oratorum carissimorum ecclesiæ filiorum Caroli Francorum, Henrici Angliæ, & Renati Siciliæ regum illustrium, atque nobilis viri Ludovici Dalphim Viennensis primogeniti præfati Caroli Francorum regis illustris, inter cetera continentia, ut in sacro ipso Basilienſi concilio unio & pax darentur.

Quocirca magis ac magis nostrum fuit desiderium in dicta permanere civitate, quanto ad pacem ipsam dono Dei secuturam propinquiorem inspiciebamus dispositionem. Sed necessitas cogit perhibere testimonium veritati. Die siquidem XIV. mensis Junii proxime præteriti, venerabilis Fridericus episcopus Basilienſis; præpositus, aliique plures de capitulo & clero; item antiquus magister civium, aliique plures de consulatu Basilienſi, coram notariis & scribis ad finem, ut dicebant, ut nos sciremus id quod ipsi sciebant, & semper eo melius secundum hoc sciremus, & possemus nos regere atque providere; nobis intimarunt, significatum eis fuisse per suorum litteras oratorum, quemadmodum feria sexta post festum Corporis Christi, in judicio cameræ Romanorum regis, super articulo salvum-conductum concernente, quod per eos revocari deberet, contra eos lata fuisset sententia; quodque magna cum difficultate obtinuissent a rege spatium duorum mensium: sed quod interim in ea civitate non fierent actus conciliares: verum quod de his non haberent adhuc testimonium authenticum litterarum ipsius domini regis, intimabant nobis illa relative.

His intellectis, quoniam infra pauciſſimos dies oratores ipsos regressuros sperabatur, post quorum adventum, sicut postea intimarunt, a rege ordinatum erat actus non fieri conciliares, attendentes nos jam fuisse avisatos, nec concilii indemnitati providere posse, si post regressum dictorum oratorum non erant faciendi conciliares actus; Spiritus-sancti dono, cui immensas referimus gratias, singulariter assistente, juxta decretorum formam, prævia matura deliberatione & scrutatis votis singulorum suppositorum in sacris deputationibus & generali congregatione, unanimi omnium consensu accedente, publicatum est decretum sessionis quadragesimæ quintæ dicti concilii, incipiens: *Desideravit Ezechias rex*, de assignatione loci pro futuro concilio, & de translatione ipsius sacri Basilienſis concilii in hanc civitatem, pro ejus continuatione.

Deinde post reditum dictorum oratorum, qui sequenti applicuerunt hebdomada, non obstantibus requisitionibus, exhortationibus, nostro ex mandato, quomodo alias pluries factum erat, per dilectissimos ecclesiæ filios Johannem tituli sancti Callixti, & Guillermum tituli S. Marcelli sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteros cardinales, alioſque prælatos & doctores, in consulatu dictæ civitatis factis, quatinus persistere vellent in salvo conductu per eos nobis concesso: post relationem suorum oratorum, ut dixerunt, maturis deliberationibus habitis in novo, antiquo & magno consulatibus, per eosdem revocatio dicti salvi conductus facta est.

Et die vigesima octava dicti mensis Junii ad specialem eorum requisitionem de mandato præsidentis ipsius sacri Basilienſis concilii, vocatis & in loco sacræ deputationis fidei, ubi similes fieri conventiones consueverunt, congregatis suppositis ejus, præsentibus dicto episcopo ac multis de capitulo & clero, novus magister civium, antiquus magister Zunstarum, aliique plures de consulatu dictæ civitatis Basilienſis, præsentibus scribis & testimonium perhibentibus, quod ad infra scripta specialem a consulatu haberent commissionem, legi fecerunt in vulgari Theutonico, quo scripta erant, & demum Latino interpretantes sermone, litteras præfati Romanorum regis, de revocatione facienda dicti salvi conductus; alias etiam ejusdem literas gravia continentes mandata contra libertatem & auctoritatem ipsius sacri concilii, asserentes expresse, voluisse dictum Romanorum regem, ut post reditum ipsorum oratorum in dicta civitate non fierent actus conciliares; quodque ex parte & de mandato ipsius hæc nobis intimabant. Et ex abundanti quod revocabant, & actu revocarunt dictum salvum-conductum, publice asserentes, quod dicta civitas Basilienſis non vellet apud ipsum dominum regem de inobedientia sive rebellione quacumque notari; sed vellet, prout necesse haberet, voluntati & mandatis regiis hujusmodi plenarie obedire, prout de his aliisque multis, eamdem concernentibus materiam, publicis constat instrumentis, quæ inter alia gesta hujus sacri concilii redigi mandavimus.

Sancta igitur hæc synodus Lausannensis de præmissis veram atque plenam habens notitiam, præsenti decreto suo decernit atque declarat conditiones, in dicto decreto contentas, fuisse & esse purificatas, ipsamque sanctam Basilienſem synodum pro ejus continuatione fuisse & esse legitime translatam in hanc civitatem Lausannensem, quam habilem, tutam & idoneam fore ad ipsius sacri Basilienſis concilii continuationem judicat atque censet, decernens etiam & declarans sacrum generale concilium, quod in dicta civitate Basilienſi usque ad ejus translationem

ANNO CHRISTI 1448.

nem congregatum manſit, in hac civitate Lauſannenſi, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, cum eiſdem modis & formis, qualitatibus & ordinationibus, cum quibus in dicta civitate Baſileenſi fuit, eratque a ſuæ tranſlationis tempore, continuandum fore & proſecutionem habere. Omneſque & ſingulos, qui generalibus conciliis intereſſe tenentur, in ipſo conveniri debere ad ea ſancta opera, propter quæ Baſileæ congregatum fuit, & præſertim ad proſecutionem dandæ in eccleſia unionis & pacis.

Quapropter præſenti ſuo ſolemni decreto ſancta hæc ſynodus Lauſannenſis, ſpecialiter & expreſſe aſſentiente in hoc ſanctiſſimo Felice papa quinto, publice aſſerit & declarat, quod parata eſt atque intendit in hoc loco omnia & ſingula facere pro unione & pace in eccleſia dandis, & ſpecialiter quæ per ſuas litteras prædicta aviſamenta concernentes, præfatis principibus, necnon cariſſimo eccleſiæ filio Johanni Caſtellæ & Legionis regi illuſtri directas, facturam ſe obtulit, quemadmodum ſi Baſileæ, prout ſperavit & deſiderabat, permanſiſſet.

Datum Lauſannæ in ſeſſione noſtra publica ipſius ſanctæ ſynodi, in eccleſia majori Lauſannenſi ſolemniter celebrata IX. cal. Auguſti anno a nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octavo.

BULLÆ NICOLAI PAPÆ V.

ſuper reſtitutione occaſione diſſenſionis eccleſiæ dudum ſpoliatorum, conceſſarum, &c.

Ibid. 1. NIcolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. A pacis auctore & omnium bonorum largitore Deo munus excellentiſſimum accepimus, quo univerſalis eccleſia, quæ propter diviſiones ſubortas inter felicis recordationis Eugenium papam IV. prædeceſſorem noſtrum & tunc Baſileenſe concilium, multis, pro dolor! ab annis variis extitit agitata procellis, graviſſimis adverſitatibus laceſſita, vehementibus obducta turbinibus, in tranquillitatem, pacem, caritatemque conſurgeret. Siquidem tractatu & interventu oratorum cariſſimorum in Chriſto filiorum Francorum, Angliæ, Renati Siciliæ regum, necnon Delphini Viennenſis primogeniti Francorum regis illuſtris, pacem eccleſiæ redditam videmus, dum percepimus venerabilem ac cariſſimum fratrem noſtrum Amedeum primum cardinalem epiſcopum Sabinenſem, in nonnullis provinciis apoſtolicæ ſedis legatum, vicariumque perpetuum, Felicem papam V. tunc in ſua obedientia nominatum, juri quod in papatu aſſerebat ſe habere, ad hujuſmodi pacem eccleſiæ obtinendam ceſſiſſe. Eos vero qui Baſileæ poſtmodumque Lauſannæ, ſub nomine generalis concilii hactenus permanſerunt, ordinaſſe & publicaſe, nobis tamquam unico & indubitato ſummo pontifici obediendum eſſe a cunctis fidelibus, & præfatam Lauſannenſem diſſolviſſe congregationem.

2. Quapropter noſtri officii debitum eſſe arbitramur, mentis aciem poteſtatiſque noſtræ plenitudinem extendere in omnia & ſingula, per quæ ſuſcitatarum diſſenſionum & diviſionum fomenta penitus extirpentur, ut ad reſtitutionem & conſervationem ſtatus & honorum cujuſlibet aptiſſime pullulet & perſeveret integritas, reddatque pacis clariſſima virtus, quod abſtulit caliginoſa diviſio.

3. Omnes igitur & ſingulos, quocumque nomine computentur, qui tam in Baſileenſi quam Lauſannenſi civitatibus ſub nomine generalis concilii, & ratione obedientiæ, adhæſionis, ſeu favoris tam præfato venerabili ac cariſſimo fratri noſtro Amedeo cardinali, epiſcopo, legato & vicario ſupradicto, in ſua obedientia tunc Felici V. nominato, quam ipſis tunc ibidem congregatis, quomodolibet præſtitorum & factorum, eccleſiis metropolitanis, cathedralibus, monaſteriis, dignitatibus etiam majoribus poſt pontificales in cathedralibus, aut principibus in collegiatis eccleſiis, necnon monaſteriis, prioratibus, præpoſituris, perſonatibus, adminiſtrationibus, officiis, necnon canonicatibus & præbendis, ceteriſque quibuſvis beneficiis eccleſiaſticis cum cura & ſine cura, ſæcularibus ſive regularibus quibuſcumque, juribus quoque & juriſdictionibus, penſionibus & commendis, caſtris, dominiis, terris, feodis, poſſeſſionibus, hereditatibus ac rebus & bonis ſuis quibuſcumque per litteras præfati Eugenii papæ prædeceſſoris noſtri ac noſtras, vel ipſius aut noſtra ſeu eccleſiaſtica alia quacumque auctoritate, privati aut deſtituti exiſtunt, ad eccleſias, monaſteria, dignitates, prioratus, officia, necnon canonicatus & præbendas, ceteraque beneficia eccleſiaſtica cum cura vel ſine cura, ſæcularia vel regularia, jura quoque & juriſdictiones, necnon penſiones, commendas, caſtra, dominia, terras, feoda, poſſeſſiones, hereditates, ac res & bona hujuſmodi in illum ſtatum priſtinum in quo ante tempus & tempore privationis & deſtitutionis hujuſmodi erant, ac ſi factæ non fuiſſent, pro bono pacis & unionis eccleſiæ realiter & cum effectu reſtituendos, reponendos, & reintegrandos fore decernimus, & declaramus, ac motu proprio ex certa ſcientia, plenitudineque poteſtatis apoſtolicæ, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium conſilio & aſſenſu, tenore præſentium reſtituimus, reintegramus; etiamſi ab aliis perſonis ſeu eorum aliquo, in re vel ad rem jus quæſitum foret ex collatione, proviſione, ſeu diſpoſitione ſedis apoſtolicæ ſive alia quacumque; quas quidem collationes, proviſiones, diſpoſitiones cum omnibus inde ſecutis, ſimilibus motu, ſcientia ac plenitudine poteſtatis pro infectis haberi volumus, nulliuſque roboris vel momenti, etiamſi in vim eorum habita fuerit poſſeſſio eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, prioratuum, præpoſiturarum, perſonatuum, adminiſtrationum,

ANNO CHRISTI 1449.

officiorum, necnon canonicatuum, præbendarum & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, jurium quoque & juriſdictionum, necnon penſionum, commendarum, caſtrorum, dominiorum, terrarum, feudorum, poſſeſſionum, hereditatum, rerum & bonorum prædictorum: omnes, unam & ſingulas ſupplicationes ac ſignaturas, etiamſi proprio motu emanaſſent, ac literas deſuper expeditas in regiſtris ſupplicationum & bullarum caſſantes & expreſſe caſſari mandantes.

4. Et privatis & deſtitutis antedictis opportune provideatur, ipſique certiores per nos reddantur, omnibus & ſingulis quarumcumque metropolitanarum & cathedralium, ac aliarum eccleſiarum, ac monaſteriorum capitulis, conventibus ac ſingularibus perſonis earumdem, ceteriſque ad quem vel ad quos eccleſiarum monaſteriorum, dignitatum & beneficiorum ſuperius, ut præmittitur, ſpecificatorum electio, inſtitutio, præſentatio, proviſio ſeu quævis alia diſpoſitio ſpectare dignoſcitur, communiter & diviſim, & alias quomodolibet, omnibuſque aliis & ſingulis perſonis, tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus quibuſcumque nominibus cenſeantur, aut cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis vel præeminentiæ, etiamſi patriarchalis, archiepiſcopalis, aut epiſcopalis exiſtant, & ſpecialiter poſſeſſoribus aut detentoribus, earumdem eccleſiarum, dignitatum & beneficiorum ſuperius deſignatorum, etiamſi ſucceſſores fuerint in dictis eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, beneficiis illis, qui per privationem alicujus ex permanentibus, adhærentibus, obedientibus prædictis poſſeſſionem habuerunt ex collatione facta tamquam de vacante per obitum, aut per viam reſignationis, permutationis, ſeu alias quoquomodo, videlicet patriarchis, archiepiſcopis & epiſcopis ſub ſuſpenſionis ab ingreſſu eccleſiæ; minoribus vero perſonis ſingularibus ſub excommunicationis, detentoribus quoque & eis auxilium dantibus ſub ſimili excommunicationis pœna ac privatione omnium & ſingulorum beneficiorum & officiorum ſuorum quæ obtinent, inhabilitatione ad illa & alia in poſterum obtinenda perpetuæque infamiæ; collegiis vero capitulis ac conventibus ſub ſuſpenſionis ad minus pœnis, ſententiis, cenſuris, quas contra facientes & rebelles, prout quemlibet eorum concernit, incurrere ipſo facto, diſtricte præcipimus atque mandamus; quatinus infra novem dierum ſpatium, poſtquam ſive perſonaliter ſeu in loco beneficii, aut loco illi viciniori, ad quem pro præſentium executione ſeu publicatione tutus patebit acceſſus, deſuper fuerint requiſiti, ſeu alter eorum fuerit requiſitus, immediate ſequentium impetrantes, ſeu detemtores eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, prioratuum, præpoſiturarum, perſonatuum, adminiſtrationum & officiorum, necnon canonicatuum & præbendarum & aliorum beneficiorum, jurium quoque & juriſdictionum, necnon penſionum, commendarum, caſtrorum, dominiorum, terrarum, feudorum, poſſeſſionum, hereditatum, & rerum ac bonorum hujuſmodi ab ipſorum .... eorumdem poſſeſſione ſeu detemtione, quantum in eis eſt amoveant & abiiciant, ac amoveri faciant & procurent; quos nos etiam per præſentes amovemus & abiicimus, ac pro abjectis & amotis haberi volumus. Privatos quoque & deſtitutos in & ad corporalem & actualem poſſeſſionem eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, beneficiorum, officiorum & aliorum prædictorum pure & libere reponant, reſtituant, & reintegrent, dictique impetrantes & detentores, poſt requiſitionem ſeu examinationem & publicationem hujuſmodi ſic, ut præmittitur, factas, eccleſias, monaſteria, dignitates, præpoſituras, perſonatus, adminiſtrationes & officia, necnon canonicatus & præbendas & alia beneficia, jura quoque & juriſdictiones, necnon penſiones, commendas, caſtra, dominia, terras, feoda, poſſeſſiones, hereditates, res ac bona antedicta dictis privatis & deſtitutis realiter & cum effectu reſtituant, illarumque poſſeſſionem vacuam, liberam, & expeditam dimittant, ac eiſdem pacifice uti & gaudere ſinant & permittant, nec ſe de illis in antea quomodolibet impediant per ſe vel alium ſeu alios publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæſito colore, vel ingenio: alioquin ſtatim lapſo dicto termino, contravenientes hujuſmodi, ſi patriarchæ, archiepiſcopi, aut epiſcopi fuerint, ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpenſos; minores vero perſonas ſingulares excommunicatos, necnon poſſeſſores ſeu detentores, ipſos, & eis auxilium dantes, ultra excommunicationis pœnam, beneficiis & officiis ſuis privatos, inhabiles & infames: capitula vero collegia & conventus a divinis ſuſpenſos per quemlibet ordinarium loci, ſeu in dignitate conſtitutum, ſive canonicum alicujus eccleſiæ cathedralis per ipſum privatum aut deſtitutum eligendi aut executorem dandi ſuper hujuſmodi noſtra voluntate, ſive in curia Romana, ſive extra eam declarari & denunciari volumus & mandamus. Super quibus omnibus & ſingulis eiſdem & eorum cuilibet plenariam auctoritate apoſtolica damus & concedimus facultatem: mandantes omnibus & ſingulis vaſſalis, arrendatoribus, agricultoribus, colonis, cenſuariis, redituariis & aliis quibuſcumque, quatenus poſt publicationem præſentium, de univerſis & ſingulis fructibus, redditibus, cenſibus, juribus, obventionibus eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, prioratuum, præpoſiturarum, perſonatuum, adminiſtrationum officiorum, necnon canonicatuum, præbendarum, & aliorum beneficiorum, jurium quoque, juriſdictionum, necnon penſionum, commendarum, caſtrorum, dominiorum, terrarum, feudorum, poſſeſſionum, hereditatum, & rerum ac bonorum prædictorum privatis & deſtitutis hujuſmodi, prout quemlibet eorum concernit, aut eorum legitimis procuratoribus et nulli alteri plenarie & integre reſpondeant, ac debitam ſolutionem faciant, & quilibet eorum impendat realiter & cum effectu, rejectis in præmiſſis omnibus & ſingulis exceptionibus, cautelis, necnon appellationibus quibuſcumque in præjudicium hu-

ANNO CHRISTI 1449.

ANNO CHRISTI 1449.

hujuſmodi reſtitutorum interpoſitis & interponendis, quas tamquam frivolas & inanes cum inde ſecutis & ſecuturis, pro bono pacis & unionis eccleſiæ caſſamus & irritamus & annullamus, & pro infectis haberi volumus, detinentes per illa interpoſitionem, reſtitutionem, & reintegrationem antedictas nullomodo impediri debere quolibet vel differri, quibuſcumque etiam ſuper illis & aliis præmiſſis, & eorum quolibet perpetuum ſilentium imponentes.

5. Et ne privatis & deſtitutis antedictis ulteriores præmiſſorum occaſione dentur vexationes, vicecancellario & quibuſcumque aliis officialibus noſtris mandamus, expreſſe inhibentes, ne ad inſtantiam poſſeſſorum ſeu detentorum prædictorum, aut cujuſcumque alterius ſuper cauſis prætenſarum appellationum hujuſmodi, aut alias via ſimplicis querelæ ſeu reſtitutionis in integrum aliquam commiſſionem ſignare ſeu reſcriptum etiam extra curiam concedere. Neque auditores cauſarum palatii noſtri commiſſiones; ſive ordinarii locorum, aut alii quicumque reſcripta hujuſmodi recipere præſumant ſeu attentent. Ut autem præmiſſa, quæ pro pace, unione & quiete in eccleſia dandis ſunt ordinata, firmius obſerventur, dicto venerabili ac cariſſimo fratri noſtro Amedeo, primo cardinali, legato, vicario perpetuo, ut præmiſſum eſt, Felici papæ V. tunc in ſua obedientia nominato, necnon illis qui, ut præmittitur, Baſileæ & Lauſannæ ſub nomine generalis concilii fuerunt, ac illis qui eis aut alteri eorum adhæſerunt, de omnibus & ſingulis quos præſens tangit negotium, & eorum cuilibet, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis pontificibus, de conſilio & aſſenſu quibus ſupra, pollicemur atque promittimus omnia & ſingula in his noſtris litteris contenta inviolabiliter obſervare, atque obſervari facere, contra ea ſeu eorum quodlibet in toto vel in parte, nullo umquam tempore quicquam innovare ſeu facere, & quod nobis licere non patimur eiſdem ſucceſſoribus noſtris indicamus: decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Conſtitutionibus, ordinationibus apoſtolicis, necnon quarumcumque eccleſiarum, monaſteriorum & ordinum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque non obſtantibus: quin immo ſi adverſus præmiſſa, ſeu eorum aliquod aliquæ litteræ apoſtolicæ quaſcumque declarationes, ſeu conceſſiones, clauſulas etiam derogatorias generales vel ſpeciales ſub quacumque verborum expreſſione in ſe continentes, etiamſi in eis dicatur: *Non obſtantibus quibuſcumque clauſulis dicentibus, quod illis non derogetur, niſi ſpecialis de eisdem fiat mentio*, aut mandata etiam poenalia ad cujuſcumque inſtantiam, etiamſi motu proprio, aut ex certa ſcientia ab ipſo noſtro prædeceſſore, vel a nobis, ſeu ejus vel noſtra auctoritate, ſive quovis alio emanaſſent, ſeu in futurum emanarent aut aliquo umquam tempore apparerent, per quas hujuſmodi reintegratio ſeu reſtitutio impediri vel retardari, aut huic noſtræ voluntati & pollicitationi, ſeu litteris præſentibus quomodolibet derogari, vel præjudicium aliquod in aliqua ſui parte quovis modo haberi poſſet, cum omnibus & ſingulis inde ſecutis executionibus & proceſſibus pro infectis haberi volumus, nulliuſque exiſtere roboris vel momenti pro bono pacis & unionis prædictarum decernimus & declaramus, niſi hujuſmodi literæ confectæ ſint & expeditæ de expreſſo conſenſu illius, aut illorum quibus hanc noſtram pollicitationem facimus: de quo alias quam per tenorem litterarum apoſtolicarum legitime conſtet, omnium & ſingulorum præmiſſorum tenores & effectus ſpecifice & integraliter pro expreſſis habentes. Et quoniam difficile foret præſentes litteras ad ſingula, in quibus eis fides forſan facienda fuerit, loca deferri, decernimus, quod ipſarum tranſumto manu publica & ſigillo alicujus epiſcopalis vel ſuperioris eccleſiaſticæ curiæ munito, tamquam præfatis, ſi originales exhiberentur, litteris plena fides adhibeatur, & ſtetur perinde ac ſi dictæ originales literæ forent exhibitæ vel oſtenſæ. Mandantes nihilominus litteras in ſimili forma pro ſupradictis & aliis quibuſcumque ſingularibus perſonis eas petentes aut habere volentes, illorum nominibus & executionibus ſpecifice & expreſſe, cum deſignatione quorumdam beneficiorum quibus privati & deſtituti exiſtunt gratis in cancellaria noſtra & alibi moderato ſalario expediri, cum deſignatione, conſervatoriæ & exemtorum in forma meliori & fortiori conformiter ad præmiſſa, & in auxilium & robur eorumdem, & ut præmiſſa omnia & ſingula ad opus & utilitatem privatorum & deſtitutorum celerem & plenariam noſtræ voluntatis executionem ſortiantur, omnibus regibus & principibus ac dominis temporalibus, in quorum dominiis & terris beneficia reſtituenda conſiſtunt, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut privatis & deſtitutis ipſis pro reſtitutione beneficiorum ſuorum, auxilium ſui brachii præbeant ſæcularis, favoremque opportunum exhibeant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum conſtitutionis, abjectionis, præcepti, mandati, dationis, conceſſionis, caſſationis, irritationis, annullationis, impoſitionis, inhibitionis, pollicitationis, promiſſionis, decreti & voluntatis infringere, vel auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Spoleti, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. XIV. calendas Julii, pontificatus noſtri anno tertio.

ANNO CHRISTI 1449.

FE-

ANNO CHRISTI 1449.

FELICIS V. ANTIPAPÆ

Bulla qua usurpatæ dignitati renunciat.

Felix episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Recitat Zantfliet in Chron. Vulgat. a Martene Vet. Mon. to. V. p. 467.

QUas ob causas evocati & emoti curam apostolici regiminis suscepimus, toti sæpenumero manifestavimus orbi. Quamquam enim imparitatem nostrarum virium ad sustinendam hujusmodi oneris gravitatem sentiremus; nihilominus, ubi universalis ecclesiæ Basileæ in Spiritu Sancto legitime congregatæ pias exhortationes simul ac sanctas missiones accepimus, quibus ad succurrendum auctoritati ecclesiæ suppressæ nimium incessanter commonebamur, concaluit introrsum cor nostrum pietate, quæ ad omnia valet, & caritate, quæ omnia sustinet, animum fraudulosum congeminantibus, atque confidentes in illo qui omnia potest, & de cujus agebatur negotio, tranquillam solitudinem reliquimus, laboriosum & immensum opus aggrediendo. Namque immortali Deo nihil placentius offerri existimamus posse, quam conatus nostros in obsequium ecclesiæ, grandibus & insuetis oppugnationibus conturbatæ. Quid nempe condignum reddi potest ab homine illi inclytæ matri nostræ, cujus in gremio fidelis quisque salutem consequitur, propter quam unigenitus filius Dei Deus noster & Dominus Jesus Christus de sinu patris ad terras descenderat, & proprium sanguinem effundere dignatus est. Cumque ipsam videremus tantis perplexam anxietatibus, ut nullus mortalium ab exhibitione possibilis auxilii deberet excusari, profecto cogente fide, excitante devotione, spe denique in finem optime ducendarum rerum freti, personam, operas, facultatesque nostras ex integro devovimus.

Aderat namque tempus quo ab omnibus vehemens debebat restingui incendium, & tanto validiore fortiorique præsidio opus erat, quanto sacrorum conciliorum generalium auctoritas fortius agitata, non modo fluctuaret, sed quasi conculcata prostrataque jaceret. Non enim exciderat a memoria nostra sacri Constantiensis concilii nulla unquam oblivione delenda definitio, quæ videlicet sancta Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata concilium generale faciens, ecclesiamque catholicam militantem repræsentans, potestatem immediate a Christo habet, cui quilibet, cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem, exstirpationemque schismatis, & ad generalem reformationem ecclesiæ Dei in capite & membris. Satis etiam & recenter editum decretum sacri concilii Basilienſis audiebamus, hanc veritatem resumendo confirmans, conspiciebamus non minus eandem ab ecclesia catholica susceptam & practicatam esse.

Proinde satagentes gravissimis & abhorrendis periculis posse tenus obviare, ac ostendere cunctis fidelibus rectitudinem nostræ, Deo inspirante, voluntatis, quod non caducorum futiliumque bonorum, sed communis salutis affectu commoti, eamdem sedem apostolicam teneremus; non præesse sed prodesse cupientes, in sancta Synodo Basileensi personaliter comparere voluimus, subireque communes pro salute publica labores.

ANNO CHRISTI 1449.

Cumque nobis in temporis processu luculenter exploratum foret, dissensionis & differentiæ materiam in ecclesia sancta Dei magis ac magis obdurari; dubitantes, ne a quovis hominum de scandalo notari possemus; oblationes multas & grandes regibus ac principibus orbis destinare curavimus; ex quibus quidem animadvertere potuerunt, nos propria non quærere, sed quæ Jesu Christi, ac publicam pacem; neque umquam a formis modisque a patribus, dum schismata vigerent, pro unitatis & pacis obtentu traditis, & practicatis divertere, liberiori apertoque animo semper acquievi omnibus & singulis, quæ ad serenitatem redintegrationemque ecclesiæ judicata fuerant quomodolibet opportuna: atque longe ferventiori studio laboravimus & invigilavimus per nostrarum cessionis & renunciationis medium, dilectos, distantes animos Christi fidelium counire, quam in sede potentiæ, manente schismate, diutius immorari. Non enim ignoramus schismatis incommoda mortifera. Scimus etiam Christianam religionem a pacis auctore fundatam, sine pacis vinculo damnosæ confusioni subjacere. Cumque pax omnium rerum tranquillitas sit, & ea nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo melius inveniri; debito filialis astringebamur pietatis ipsi matri ecclesiæ luctuosæ venustatem, jucunditatem, integritatem, unionem & pacem extrema possibilitate curare; quantumque pro hujusmodi excelsi & desideratissimi boni consecutione perseveranter & indefesse laboravimus apud ipsos reges & principes ceterosque fideles, & nostris accuratissimis diligentiis, multipliciumque litterarum tenoribus totus fere cognovit orbis.

Nunc igitur ut semper constituti sub ineffabili incomprehensibilique providentia Dei omnia disponentis & dirigentis in melius, post acerrimos continuosque labores, quos solius veritatis manifestandæ auctoritatisque generalium conciliorum conservandæ gratia voluimus amplexi, maxime post carissimorum in Christo filiorum Francorum, Angliæ & Siciliæ regum, necnon delphini Viennensis, primogeniti Francorum regis illustrissimi, supplices frequentesque instantias, quarum saluberrimis suasionibus intentas semper commendavimus aures nostras, omnes cogitatus per orbem dispersos in arcem unice considerationis reducimus, desiderantes namque toto corde, in hoc dierum nostrorum residuo, beatam pacem in ecclesia Dei disseminari, quæ veluti a nostris egressa manibus, in corda omnium fidelium dilabatur, sinceritatem nostræ intentionis per ævum restauratam, exemplo Domini nostri Jesu Christi, qui sic dilexit ecclesiam, ut pro ea non modo formam servi acciperet, sed traderet semetipsum; in hac sancta synodo Lausan-

sannensi in spiritu legitime congregata, universalem ecclesiam repræsentante, pure, libere, simpliciter, sincere & realiter cum effectu; in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, papatui, ejusdem oneri, honori, dignitati, titulo & possessioni cedimus & renuntiamus per præsentes, sperantes quod in futurum præfati ceterique reges ac principes, prælati & alii catholici, quibus hujusmodi nostram renuntiationem acceptissimam fore judicamus, auctoritatem sacrorum conciliorum generalium, eaque tuebuntur & defendent, quodque universalis ecclesia pro cujus dignitate, supereminentia, & auctoritate totis viribus pugnavimus, nos apud clementiam primi & æterni pastoris, nostræ hujus pacificæ humilitatis contemplatione, suis devotionibus jugibusque orationibus commendabit. Datum Lausannæ VII. idus Aprilis, anno a Nativitate Domini MCCCCXLIX. pontificatus nostri anno nono.

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS

Lausannensis in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

MUltis ab annis circumspicientes ecclesiam catholicam gravissimis impedimentis & conturbationibus infestari, tum consurgentibus erroribus, tum moribus depravatis, tum (proh dolor) invalescente schismate quo mentes Christi fidelium paulo momento huc & illuc impulsæ nutantes incertæque vagabantur accuratissimis studiis invigilavimus prominentibus periculis, grassantibus malis in virtute sancti Spiritus obviare, & pro nostra possibilitate consulere publice saluti in idem tempus deveneramus, permittendo Deo, quo non modo perniciosa erroris alicujus audacia vel promulganda disciplina virtutum, vel inter dissidentes principes populosque firmanda concordia videretur, verum operæ pretium fuit authoritatem ecclesiæ universalis insolentius oppugnatam viribus accumulatis & extremis defensare, atque tanto fortius incumbere continuo glorioso que certamini, quanta ex tanta offensa suppressaque veritate indicavimus populum christianum in scandalum irreparabile collapsurum, nobis ipsis persuadentibus, nullo unquam convenientiore fructuosiorique labore detineri posse, quam tanta in tempestate fluctuanti ecclesiæ, mitigatis fluctibus turbulentis succurrendo anchoram firmam unius veritatis, unius confessionis, unius pacis in domino jacientes, ut quemadmodum una fides est, unum baptisma, unus Deus, & dominus noster Jesus Christus, ita unanimitatem, integritatem, & pacem una sancta catholica confiteretur ecclesia, in hacque sua peregrinatione terrena, cujus finis est tranquilla æternitas, & æterna tranquilitas persuavi serenitate frueretur saluti cunctarum animarum accommoda.

Is sane finis a nostrorum laborum initio ante oculos versabatur: hoc inibi perseveranter continuimus propositum, ad id ipsum nostri semper efferbuere cogitatus, & actiones omnes usquequaque direximus, prout ex decretis, responsionibus, epistolis, legationibus, mandatis, patientia, longanimitateque nostris nulli Christianæ nationi arbitramur incognitum, quantusque fuerit cum tunc sanctissimo domino Felice Papa V. noster ad pacem effectus, quantisque congratulationibus oblata media unionis non solum susceperimus, verum etiam declaraverimus necessariam esse pacem (pacem auctoritate tamen ecclesiæ juxta diffinitionem sacri Constantiensis concilii illibata permanente) maxime persenserunt charissimorum ecclesiæ filiorum Francorum, Angliæ & Siciliæ regum, nec non Delphini Viennensis primogeniti Francorum regis illustrium complurimis in dictis solemnes oratores, sed & novissime in diebus istis sanctissimi domini tunc Felicis papæ V. præclaram ingentemque sanctimoniam iisdem ipsi perceperunt, dum pro ecclesiæ universalis integra pacificatione, quieteque finali obtinenda pure, libere, simpliciter, & sincere, realiter, et cum effectu cessit & renunciavit papatui, volens exemplo domini nostri Jesu Christi, cujus vices gerebat in terris, semetipsum dejicere, ut ecclesiam in summo tranquillitatis culmine collocaret, atque suæ humilitatis admirabili remedio populum Christianum servaret claritate pacis, insignis utique pietate viri laudibus altissimis extollendi, cujus inclyta virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, neque reticentia futurorum poterit sepeliri. Est etiam excellentissimum e coelo dimissum munus suscipiendum cum omni promptitudine & alacritate animorum: propter quod in sempiternum agendæ sunt habendæque gratiæ clementissimo domino Deo nostro, qui ecclesiam suam sanctam tanta nostris temporibus felicitate donavit, ut extirpata caligine, beata pax oriens ex alto cordia omnium fidelium illustrando lætificet. Sursum propterea nostræ mentis oculos pia devotione sublevantes, attentaque meditatione pensantes sapientiam illam æternam pertingentem a fine usque ad fines, & disponentem omnia suaviter aperrissimam viam ad abundantiam plenitudinemque tranquillæ unionis ostendisse boni quidem supereminentis & incomparabilis, quod longa expectatione cupivimus; nihil jam profecto nobis agendum superesse arbitramur, quam ut cum recta voluntate præfati domini Felicis concurrentes, pacem ipsam desideratissimam pro qua omne nostri temporis curriculum elaboratum est, in una tandem animorum atque principatus consensione complectamur, fuit namque pax semper nostræ intentionis unicus finis, & terminus nostræ solicitudinis, requies, amoenitas pacis existit, nostri porro certaminis pacem præpotentem opulentam victoriam esse profitemur.

Desiderantes itaque de unico pastore uni sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ providere, cujus solicito sanctoque ministerio populus Christianus feliciter gubernari, atque pacificis & salutiferis semper adaugeri valeat incrementis, complurimis suadentibus

ANNO CHRISTI 1449.

tibus & urgentibus cauſis, & præſertim dilectione dandæ unionis et pacis in eccleſia ſancta Dei, in perſonam dilectiſſimi eccleſiæ filii Thomæ in ſua obedientia Nicolai V. nominati noſtra vota contulimus, ſperantes ipſum ea facturum quæ ſummus Pontifex facere tenetur, fida quoque relatione intelligentes eandem credere & tenere veritatem pro conſervanda manutenendaque ſacrorum auctoritate conciliorum in ſacroſancta synodo Conſtantienſi definitam et declaratam, ac in ſacro Baſileenſi concilio renovatam, nec non a prælatis, regibus, & principibus, univerſali ibuſque orbis ſuſceptam, prædicatam, & dogmatizatam, videlicet quod generalis synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale concilium faciens, eccleſiam catholicam militantem repræſentans, poteſtatem immediate habet a Chriſto, cui quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis etiamſi papalis exiſtat, obedire tenetur in iis quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis et ad generalem reformationem eccleſiæ Dei in capite & in membris, et quod quicumque cujuscumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus et præceptis hujus ſanctæ synodi, & cujuſcumque alterius concilii generalis legitime congregati ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ poenitentiæ ſubijciatur & debite puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo: (falſum omnino eſt eorum principium quo pontificem non ambiguum ſubiici synodo interpretantur, nam de ambiguo tantum ſanctio intelligenda fuit.)

Ad laudem igitur Dei omnipotentis, ſalutem, pacem, et conſolationem omnium Chriſti fidelium ſancta hæc synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans matura, unanimi, concordique deliberatione præhabita in ſuis ſacris deputationibus votis dilectiſſimorum eccleſiæ filiorum Ludovici S. Cæciliæ Arelatenſis, Ludovici tit. S. Suſannæ de Warambone, Georgii tit. S. Mariæ in Ttranſtyberim Viennenſis vulgariter nuncupati, Joannis tit. S. Callixti, Joannis tit. S. Stephani in Coelio-monte de Arciis, Bartholomæi tit. S. Marci Cornetani vulgariter nuncupati, et Guillelmi tit. S. Marcelli S. R. E. presbyterorum cardinalium ac venerabilium nec non dilectorum eccleſiæ filiorum archiepiſcoporum, epiſcoporum, electorum, abbatum, ducum, divini et humani juris magiſtrorum, et doctorum, ac omnium et ſingulorum eidem ſanctæ ſynodo incorporatorum præfatum dilectiſſimum eccleſiæ filium Thomam in ſummum eligit Pontificem nomine, quo nunc appellatur, Nicolaum V. appellandum, utque pro ſummo pontifice habeatur præſentis decreti tenore ex certa ſcientia ſtatuit et ordinat et decernit juribus, decretis, et ordinationibus etiam ſacri Baſileenſis concilii quibuſcumque non obſtantibus, quibus quoad hujuſmodi actus celebrationem volumus eſſe derogatum, ſupplentes omnes et ſingulos defectus, ſi qui interveniant in præmiſſis, et ſi tales forent, de quibus deberet præſentibus fieri mentio ſpecialis. Mandat propterea, jubet, ac præcipit hæc ſancta synodus omnibus et ſingulis Chriſticolis, quatenus eidem tanquam unico, vero, et indubitato ſummo pontifici obediant, pareant, et intendant. *Dat. Lauſannæ in ſeſſione noſtra publica in majori eccleſia Lauſannenſi ſolemniter celebrata XIII. Kal. maii anno a nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono.*

ANNO CHRISTI 1449.

Sacroſancta generalis synodus Lauſannenſis in Spiritu Sancto legitime congregata univerſalem eccleſiam repræſentans ad perpetuam rei memoriam.

Sanctorum eccleſiæ operum finem atque terminum pacem eſſe docet regius propheta, teſtimonium perhibens Deum, qui feras confortat portarum eccleſiæ, fines ejus poſuiſſe pacem. Ad hanc autem in populo Chriſtiano procurandam et firmandam hæc ſancta synodus ab initio ſui congregata ſolicitudine continua laboravit, ut quemadmodum una fides eſt, unum baptiſma, unus Deus, unum eccleſiæ caput dominus noſter Jeſus Chriſtus, ita et in ea præſideat unicus et indubitatus Chriſti vicarius, unus paſtor, unus pontifex ſummus qui in æternam ſalutem cunctos fideles dirigat ſalutarium exemplo actionum et ſanctarum odore virtutum, quam utique pacem in perſona ſanctiſſimi domini Nicolai papæ V. operante Altiſſimo, his diebus ſalutis donatam eccleſiæ conſpiciens eadem synodus tempus acceptabile arbitratur tam felici tamque optato fine ſuas claudere actiones. Quocirca perſiſtens in nominatione loci pro futuro celebrando concilio facta per ipſam in decreto tranſlationis ſuæ a Baſilea in hanc civitatem, juſtis et manifeſtis cauſis ad ipſum ſuadentibus fine impoſito celebrationi ſuæ, præſenti decreto ſemetipſam diſſolvit et diſſolutam eſſe decernit, omnibuſque et ſingulis in ea conſiſtentibus ad propria remeandi licentiam impartitur ad laudem et gloriam omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus ſancti. Amen, *Dat. Lauſannæ in ſeſſione noſtra publica in majori eccleſia Lauſannenſi ſolemniter celebrata VII. kal. maji anno a nativit. Dom. MCCCCXLIX.*

EPI-

EPISTOLA JACOBI JUVENALIS DE URSINIS

Episcopi Pictavensis & patriarchæ Antiocheni ad præpositos Parisiensis cameræ computorum.

De renuntiatione Summi Pontificatus facta a Felice V.

CAriſſimi Domini, & Fratres, me vobis pro mea virili commendo; ſcire vos juvat poſt diuturnos labores, ſollicitudines, curaſque pro obtinenda S. Eccleſiæ matris noſtræ pace; id tandem placuiſſe Deo creatori ut gratiam ſuam largiretur populo ſuo diu vexato ſchiſmatis & ſciſſionis jam decennalis (ut bene noſtis) immanitate. Eo enim venti ſumus, ut Dei gratia illa mediante & Regis Domini noſtri prudentia ſatagente excellentiſſimus Dominus, & pater Domini ducis Sabaudiæ nuper in obedientia ſua Felix Papa dictus nunc vero reverendiſſimus in Chriſto pater dominus epiſcopus Sabinenſis inter Cardinales S. R. E. primus, & S. A. S. legatus inſignis modeſtiæ exemplo ſponte libere palam ſeſe abdicavit ab omni jure, & poſſeſſione ſedis Apoſtolicæ, quod ſibi eſſe arbitrabatur, omnes ejus dignitatis veſtes & inſignia dimiſit; cæteriquæ pariter, qui ſe habere jactabant generale Concilium hanc Lauſannenſem urbem e Baſilea translatum conventum ſolverunt, unoque omnes conſilio ad obſequium SS. patris noſtri Nicolai papæ V. redierunt genuinum unicum pontificem, & Vicarium J.C. illum agnoſcentes, quæ omnia tam ſancte, tam juſte, tam egregie præſtita ſunt, ut omnibus eſſet honori, nemini propudii agitatæ fidelium conſcientiæ ſedarentur; Eccleſia vero optime, & expedite reformaretur opitulante Deo, ut alias vos plenius reſcire licebit. Si omnia probe diſcutiantur res agendæ hominum indoles rerumque præſtandarum rationes rerumque circumſtantiæ *i*conſtabit equidem opus hoc Dei non hominum fuiſſe, in quo Rex Dominus noſter gloriam comparavit, & decus ſummum, famam apud omnes fideles perpetuam & immortalem. Decet ergo in Dei laudes & gratiarum actiones effundere, qui tale tantaque gratia nos immerentes donavit. His vero laudibus et gratiarum actionibus inſiſtere præ omnibus Regem Dominum noſtrum principes, & ſubditos ejus decet; illi enim & genti ſuæ honorem operis hujus, aliorumque magnorum & evidentium Deus conceſſit. Videte quanta gratiarum prodigia operatur Deus in ipſum, & ſuper ipſum totamque demum gentem noſtram, cui ſuper alias Chriſtiani orbis gentes favet impenſius. Veſtrum erit ſi quidquid juſtum reputaveritis pro tam ſingulari hoc cæteriſque Dei muneribus, ſicut, & pro optimo Eccleſiæ ſtatu, rectaque gubernatione, pro domini noſtri Regis proſperitate providere, ut grates, laudes, & preces Deo exhibeantur juxta ac eorum, quos hæc cura tangit præſcripſerit in agnitionem doni Dei, cujus in vobis gratia numquam non perſeveret.

Gal. m. Anec. Mart.

BULLÆ NICOLAI PAPÆ V.

ſuper approbatione actorum & geſtorum quorumdam Felicis in ſua obedientia Papæ nominati.

ANNO CHRISTI 1449.

NIcolaus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetam rei memoriam.

Extat apud Bzovium to. XVII. p. 40.

Ut pacis, qua nihil deſiderabilius in univerſali eccleſia ampliſſime diffundatur, & perduret ſerenitas, omnium corda, quos exagitavit, & defatigavit, diviſio unitas integra ad cujuſlibet ſtatus, & honoris proſperitatem conſolidet: libenter ſecundum noſtræ & apoſtolicæ auctoritatis plenitudinem, magnitudinemque voluntatis omnia amplectimur, per quæ non ſolum ſuper præſentibus & futuris, ſed & præteritis, ut firma illibataque permaneant, debitæ proviſionis adhibeatur remedium. Cum itaque poſt crebras, variaſque conturbationes, quibus multis ab annis ſancta Dei ſubjacuit eccleſia, cauſantibus diviſionibus, quæ inter felicis recordationis Eugenium papam IV. prædeceſſorem noſtrum: & tunc Baſileæ Concilium viguerunt, hoc in noſtro tempore, & ex altiſſimi Dei providentia ineffabili, interpoſitione, tractatuque oratorum cariſſimorum in Chriſto filiorum, Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ Regum, necnon Delphini Viennen. primogeniti Francorum Regis illuſtris, pacem Eccleſiæ redditam videbamus; dum percepimus venerabilem, & chariſſimum fratrem noſtrum Amedeum, primum Cardinalem, Epiſcopum Sabinen. in nonnullis Provinciis Apoſtolicæ ſedis legatum, Vicariumque perpetuum, Felicem papam V. tunc in ſua obedientia nominatum, juri, quod in papatu aſſerebat ſe habere, ad hujuſmodi pacem eccleſiæ obtinendum ceſſiſſe: eos vero, qui Baſileæ, poſtmodum Lauſannæ ſub nomine generalis Concilii, hactenus congregati permanſerunt ordinaſſe, & publicaſſe, nobis tamquam unico, ac indubitato ſummo Pontifici obediendum eſſe a cunctis fidelibus, et præfatam Lauſannen. diſſolviſſe Congregationem. Deſiderantes igitur toto affectu ea perficere: quibus Chriſti fideles ſuppreſſis, & extinctis diſſenſionum, & differentiarum ſeminariis, communi fruantur concordia cujuſlibet eorum ſtatus, honoris, reputationis, & quietis ſtabilitate firmata: quaſcumque promotiones, electiones confirmationes, poſtulationes, admiſſiones, tranſlationes, commendas, adminiſtrationes, & proviſiones, ad quaſcumque patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias, necnon Abbatiales dignitates, ac monaſteriorum regimina quorumcumque exemptorum, & non exemptorum: necnon quaſcumque collationes, proviſiones, & diſpoſitiones quorumcumque beneficiorum eccleſiaſticorum, regularium & ſecularium: de jure patronatus, etiam laicorum: cum cura vel ſine cura, etiamſi eccleſiæ parochiales fuerint: aut canonicatus & præbendæ dignitates majores poſt pontificales in cathedralibus, vel principales in collegiatis exiſtant, perſonatuſque perpetuæ adminiſtrationes, vel officia: etiam curata vel

ANNO CHRISTI 1449.

electiva, in quibuscumque ecclesiis prioratus, conventuales: aut cujuscumque conditionis; qualitatis vel naturæ fuerint: etiam alterius generis, quam expressa paris vel majoris: etiamsi ex quavis causa tunc dispositioni apostolicæ specialiter vel generaliter reservata fuerint litigiosa: aut alias affecta: vel ad sedem apostolicam quomodolibet devoluta vim quorum, seu prætextu collationum, provisionum, reservationum aut aliarum dispositionum hujusmodi, seu alicujus præmissorum, alias quam ex titulo privationis factarum præmissarum occasionum, divisionum ipsarum ecclesiarum, beneficiorum, dignitatum, officiorum, personatuum, administrationum, ac canonicatuum & præbendarum habita, seu adepta sit possessio, & possidentur de præsenti, admissiones etiam resignationum quorumcumque beneficiorum, dignitatum, Ecclesiarum simpliciter, vel ex causa permutationis factarum, auctorizationum & institutionum, pensionum quarumcumque super quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum fructibus, reservationibus, & assignationibus cum processibus, & fulminationibus inde secutis, necnon uniones, annexiones, incorporationes quarumcumque dignitatum & beneficiorum ecclesiasticorum secularium, & regularium, quibuscumque patriarchalibus, archiepiscopalibus, abbatialibus, & capitularibus mensis, aut monasteriis, conventibus, dignitatibus, canonicatibus, & præbendis, vel beneficiis seu ad invicem sub quibusvis verborum formis dimembrationes, etiam ecclesiasticarum, & beneficiorum quorumcumque, ecclesiarum quoque monasteriorum, studiorumque generalium fundationes, erectiones, suprressiones, & subjectiones & quorumcumque beneficiorum creationes, exemptiones. Item renovationes pallii: dationes, consecrationes, benedictiones personarum, de ordine ad ordinem translationes, infeudationes, institutiones, contractuum confirmationes, facultatis testandi concessiones, absolutiones, liberationes, quitantias, super quibuscumque debitis ratione decimarum, semidecimarum, indulgentiarum, annatarum, communium, & minutorum servitiorum, vel alias quomodolibet dispensationes, tam super ætatis quam natalium, & aliarum inhabilitatum defectibus super incompatibilibus, in quocumque numero, etiamsi ad curas parochiales matrimoniis, juramento, ordinibus, & voto etiam transmarino, & rebus aliis quibuscumque, necnon absolutiones a quibuscumque excommunicationum, anathematizationum, & aliis censuris ecclesiasticis interdictorum, tam generalium quam specialium relaxationes, ac etiam illarum fulminationes, & appositiones juramentorum, etiam fidelitatum relaxationes, rehabilitationes ab omni macula irregularitatis, aut alia inhabilitate undecumque processerit, restitutione etiam ad famam, & honores gratiarum, indultorum, indulgentiarum, & privilegiorum, & quascumque alias concessiones, ac omnia & singula tam justitiam, quam gratiam concernentia, sive in foro conscientiæ, aut contentioso in personis, aut locis, quæ tempore concessionum, & aliorum præmissorum obediverunt præfato venerabili, & charissimo fratri nostro Amedeo cardinali, episcopo legato, & vicario supradicto tunc Felici papæ V. nominato: ac congregatis antedictis: seu eorum alteri tam per ipsum tunc Basileen. Concilium, & Amedeum in sua obedientia Felicem V. nuncupatum: quam illos, qui in Basileens. & Lausannen. civitatibus sub nomine generalis Concilii congregati remanserunt: aut alium, seu alios sua, aut alterius eorum auctoritate, & de latere legatos delegatos, sive alios quoscumque ab eis, vel eorum altero potestatem habentem conjunctim, vel divisim qualitercumque facta, gesta, concessa, data, indulta, dispositа, & ordinata, etiamsi majora & graviora, aut alterius cujuscumque naturæ a præmissis existant, & specialem requirant expressionem, quæ volumus, & decernimus pro expressis specifice haberi cum omnibus & singulis inde secutis, ac etiam omnia & singula per ordinarios in dictis locis facta, pro bono pacis & unionis ecclesiæ motu proprio, ex certa scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine, de consilio & assensu venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, præsentium serie approbamus; ratificamus & etiam confirmamus, rataque & firma haberi volumus, necnon potiori pro cautela de personis Patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, & abbatuum quibuscumque ecclesiis, & monasteriis, quarum & quorum assecuti sunt possessiones, & possident de præsenti; necnon de dignitatibus, prioratibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, & præbendis, commendis & beneficiis quibuscumque etiam sedi apostolicæ, specialiter vel generaliter reservatis, devolutis vel quomodolibet affectis eorum possessoribus quibuslibet de novo providemus, ac ipsorum omnium fructus, reditus, & proventus, necnon emolumenta singula in quibuscumque & ubicumque etiam extra diœcesim, in quibus ecclesiæ, monasterium, prioratus, dignitas seu beneficium hujusmodi fuerint consistentia, ad eorum possessores spectare & pertinere. Et quod ipsi in suarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, dignitatum & beneficiorum prout eorum singalos concernit possessionibus, pro hujusmodi bono pacis, & unionis pacifici remaneant & quieti decernimus & declaramus, gratis & absque solutione communium, vel minutorum servitiorum, annatarum, aut vacantiæ, tam nostræ cameræ, quam venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Collegio facienda nomina, & cognomina, valoresque ipsorum beneficiorum & dignitatum, ac non obstantia, ipsorum possessorum pro expressis habentibus, constitutionibus & ordinationibus apostolicis non obstantibus quibuscumque: insuper quascumque obligationes seu debita, de & super annatis, seu communibus, & minutis servitiis juxta curæ nostræ consuetudinem, ceterisque juribus nobis & S. R. E. cardinalium collegio, ceterisque officialibus debitis: si quæ deberi dicerentur, occasionum quarumcumque, me-

ANNO CHRISTI 1449.

metropolitanarum, et cardinalium ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, prioratuum et conventualium, beneficiorum et officiorum hujusmodi usque ad præsentem diem possessoribus antedictis, ex simili scientia remittimus, et relaxamus pariter & donamus: eosque qui hujusmodi debitis obligati essent, ab omni eorum solutione absolvimus et liberamus, et super illis dari quitantias petentibus, aut volentibus demandamus in forma plena debita, et opportuna, fructus etiam illos, quos durante hujusmodi divisione ex dictis ecclesiis, dignitatibus, beneficiis, et officiis perceperunt, etiamsi nobis et cameræ apostolicæ debiti essent, penitus ipsis et cuilibet ipsorum remittimus de dictæ sedis munificentia liberali, camerario, thesaurario clericis cameræ, collectoribus, et subcollectoribus nostris quibuscumque inhibemus sub excommunicationis sententia, et aliis censuris ecclesiasticis, atque poenis, quas remissioni, et inhibitioni nostris hujusmodi contravenientes incurrere volumus ipso facto, ne fructus prædictos occasione præmissa, dicta divisione durante perceptos, et per nos remissos ut præfertur, a quoquam quomodolibet exigere, seu extorquere præsumant. Dictorum rursus possessorum, singulis adversariis super præfatis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, dignitatibus, officiis, et beneficiis perpetuum silentium imponentes, quascumque promotiones, impetrationes, concessiones, provisiones, declarationes, et litteras desuper pro ipsis avversariis, et aliis quibuscumque in præjudicium ipsorum possessorum, vel derogationem hujusmodi per nos confirmatorum quomodolibet, etiamsi motu proprio ex certa scientia, aut plenitudine potestatis, et de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium consilio et assensu, tam per dictum nostrum prædecessorem, quam nos, sive alium quemcunque illius, aut nostra auctoritate, sive alia quacunque factas, datas, concessas, et habitas: etiamsi in vim earum ipsis, aut alicui eorum jure, vel ad rem jus quæsitum foret: nec non diffinitivas, et alias etiam, quæ in rem transierunt judicatam: super ecclesiis, et aliis præmissis in Romana curia, vel alias ubicumque contra dictos possessores promulgatas sententias, et quæcunque inde secuta prædictis motu, et scientia, ac plenitudine pro bono pacis et unionis prædictarum, cassamus, irritamus, et annullamus, ac cassa, irrita, infecta, nullaque et inania, ac viribus vacua declaramus, et denunciamus. Illas vero ex sententiis, quæ pro prædictis possessionibus super præmissis, ac etiam quascunque alias sententias, et subrogationes, quæ pro quibusvis personis, partibus se defendentibus illarum omnium nominibus, et cognominibus pro expressis habentes, et quæ in rem transiverunt judicatam, in Basileen. seu Lausannen. civitatibus, seu in curia præfati venerabilis, ac chariſſimi fratris nostri Amedei, primi cardinalis, ut præmittitur legati, vicariique perpetui Felicis V. in sua obedientia nominati, usque in hodiernum diem prolatæ, ac subrogationes pro altero ex collitigantibus mutuo se defendentibus factæ sunt, validas et ratas decernentes: nec non quascumque lites et causas d super in nostra curia, vel alibi contra ipsos possessores, super prædictis ecclesiis, dignitatibus, beneficiis et officiis quomodolibet pendentibus: quorum omnium etiam si una vel duæ seu plures diffinitivæ vel aliæ sententiæ prolatæ sint status præsentibus pro expressis habentes, ad nos advocamus, et totaliter extinguimus: et pro majori omnium et singulorum securitate, et roboris validitate, quibuscumque personis tam ecclesiasticis quam sæcularibus cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ existant: etiamsi cardinalatus patriarchatus, archiepiscopali, episcopali, aut alia quacunque præfulgeant dignitate, necnon quarumcumque tam cathedralium, quam collegiatarum, & aliarum ecclesiarum, & monasteriorum, capitulis, collegiis, & conventibus, ac singularibus personis earundem, illique, vel illis, ad quem seu ad quos dictarum ecclesiarum, beneficiorum, ecclesiasticorum & officiorum electio, collatio, provisio, præsentatio, seu quævis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ac hujusmodi possessorum adversariis: quibus per nos ad nostrum prædecessorem, seu alium quemcumque factæ sunt concessiones, & provisiones de hujusmodi ecclesiis, beneficiis, & officiis possessis, omnibus & singulis aliis quorum interest, vel intererit quomodolibet in futurum mandamus expresse inhibentes, videlicet patriarchis, archiepiscopis & episcopis sub suspensionis ab ingressu ecclesiæ: minoribus vero personis singularibus sub excommunicationis, nec non dictorum possessorum adversariis sub simili excommunicationis, ac privationis omnium & singulorum beneficiorum suorum, quæ obtinent, & inhabilitationis ad illa, & ad alia in posterum obtinenda perpetuæque infamiæ: collegiis vero capitulis, & conventibus sub suspensionis a divinis, poenis, sententiis, & censuris, quas contrafacientes & rebelles: prout quemlibet ipsorum concernit ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc incurrere volumus ipso facto: ne ipsi, seu eorum alter publice, vel occulte directe vel indirecte, quovis quæsito colore, vel ingenio contra declarationes, concessiones, approbationes, ratificationes, confirmationes, et alia prædicta, vel eorum aliquid in præjudicium, damnum et gravamen dictorum possessorum, et derogationem præmissorum per nos confirmatorum, aut alicujus eorum facere, dicere, et attentare, seu ipsi prænominatio, ad quos spectat hujusmodi electio, collatio, provisio, præsentatio, seu quævis alia dispositio, quenquam alium ad ecclesias, dignitates, beneficia, et officia, seu alia præmissa hactenus sic possessa, recipere, et admittere, neque possessores hujusmodi super præmissis in aliquo vexare, perturbare, molestare, seu inquietare quomodolibet præsumant, aut præsumat. Sed ea omnia et singula inviolabiliter, et sine contradictione quacunque (quantum in eis est) manuteneant, et observent, dictosque possessores in possessione seu hujusmodi teneant et defendant. Si

ANNO CHRISTI 1449.

ANNO CHRISTI 1449.

quæ etiam (quod abſit) per quempiam quacunque etiam auctoritate noſtra contra præmiſſa, ſeu eorum aliqua: aut in præjudicium dictorum poſſeſſorum, ſeu alicujus eorum novitates factæ fuerint, ſeu fierent illas, ac quæcunque inde ſecuta ex nunc prout ex tunc habemus et haberi volumus pro infectis. Et nihilominus contra venientes, et rebelles hujusmodi, ſive patriarchæ, archiepiſcopi, aut epiſcopi fuerint, ab ingreſſu eccleſiæ: minores vero perſonas ſingulares excommunicatos: nec non dictos adverſarios, et ejus auxilium dantes, ultra excommunicationis poenam beneficiis, et officiis ſuis privatos, inhabiles et infames. Capitula vero, collegia, et conventus a divinis ſuſpenſos per quemlibet ordinarium loci, aut alterum in dignitate conſtitutis, ſive Canonicum alicujus eccleſiæ cathedralis, per quemcumque ex hujusmodi poſſeſſoribus eligendum et requirendum ſeu executione dandum ſuper hujuſmodi noſtra voluntate in Romana curia ſive extra declarari, et denunciari volumus, et mandamus ſuper quibus omnibus, et ſingulis ipſis et eorum cuilibet auctoritate apoſtolica damus atque concedimus facultatem, rejectis in præmiſſis omnibus et ſingulis cautelis, et appellationibus quibuſcunque in præjudicium præmiſſorum interpoſitis, ſeu interponendis, quas tanquam frivolas, & inanes cum inde ſecutis & ſecuturis, & ex tunc prout ex nunc & ex nunc prout ex tunc caſſamus, irritamus & annullamus, & pro infectis haberi volumus. Vicecancellario, & quibusvis aliis officialibus noſtris expreſſe inhibentes, ne ad cujusvis inſtantiam ſuper cauſis prætenſarum appellationum hujuſmodi, aut alias via ſimplicis querelæ ſeu reſtitutionis in integrum, aliquam commiſſionem ſignare, ſive reſcriptum etiam extra Romanam curiam concedere: nec auditores cauſarum Palatii noſtri, ſive ordinarii loci: aut quicunque alii commiſſiones, ſive reſcripta hujuſmodi recipere, ſeu cauſas deſuper moras, & movendas audire præſumant, ſeu attentent. Adijcientes, quod ſi ullo unquam tempore appareret de alia conceſſione, ſeu declaratione per nos, aut noſtros, ſeu dicti prædeceſſoris litteras quaſcunque, clauſulas etiam derogatorias generales, vel ſpeciales ſub quacumque verborum forma in ſe continentes: licet in illis dicatur non obſtantibus clauſulis dicentibus, quod illis non derogetur: niſi de eis ſpecialis mentio fiat, aut quod de verbo ad verbum, & cum toto tenore illarum inſeri debeat facta, ſeu fienda, per quam dictos poſſeſſores, ſeu eorum aliquem in hujusmodi ſuorum beneficiorum poſſeſſionem, ſeu alias turbari, vexari, moleſtari, ſeu inquietari, aut contra hujusmodi noſtras conceſſiones, proviſiones, et alia per nos approbata fieri, atque contraveniri poſſit, etiam ſi motu proprio ex certa ſcientia, ſive de plenitudine poteſtatis, et de ipſorum venerabilium fratrum noſtrorum cardinalium conſilio et aſſenſu, emanarent ſeu emanaſſent tales declarationes, aut conceſſiones pro bono pacis, & unionis eccleſiæ nullatenus effectum ſortiri: ſed pro infectis ex nunc prout ex tunc haberi volumus. Verum ſi in obedientia prædictorum, tunc nuncupati Felicis, & illorum qui Baſileæ, & Lauſan. ſub nomine generalis concilii tunc permanſerunt duo, vel plures ſuper uno, vel pluribus beneficiis litigarent, poſſeſſio non poſſidenti non afferat præjudicium: ſed cuilibet jus ſuum ſemper ſalvum conſervetur: etiam unicuique manet jus, quod ante hujusmodi diviſionem ſibi quæſitum erat. Et ſi fuerint aliquæ eccleſiæ ſeu beneficia, quarum ſeu quorum caput in una obedientia, & membra in altera exiſtant, membra reducantur ad caput. Salvo tamen, quod membrum obtinens in illius remaneat poſſeſſione, ſi jus eidem competebat ante hujusmodi diviſionem. Cæterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula, in quibus eis forſan fides facienda fuerit, loca deferre, dicta auctoritate apoſtolica decernimus, quod illarum tranſumptio manu publica, & ſigillo alicujus epiſcopi, aut illius vicarii, ſeu curiæ, aut ſuperioris eccleſiaſtici ſignato & munito: perinde ac ſi originales literæ hujusmodi exhiberentur, fides plenaria adhibeatur, & ſtetur. Mandantes nihilominus literas in ſimili forma pro quibuſcunque particularibus perſonis eas petentibus, & habere volentibus illorum nominibus, & cognominibus ſpecifice expreſſis, cum deſignatione eccleſiæ, dignitatis, beneficii, ſive beneficiorum, aliarumque conceſſionum ſuperius deſignatarum in cancellaria noſtra, & alibi gratis, & ſine ſolutionum alicujus taxæ ſalvo moderato ſolatio ſcriptorum expediri: & irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quantævis auctoritatis ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, ratificationis, confirmationis, proviſionis, decreti, voluntatis, impoſitionis, caſſationis, remiſſionis, relaxationis, donationis abſolutionis, liberationis, inhibitionis, impoſitionis, irritationis, annullationis, declarationis, denunciationis, advocationis, extinctionis, voluntatis, mandati, dationis, conceſſionis, adjectionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hæc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Spoleti, anno incarnationis dominicæ, milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono, XIV. Kal. julii pontificatus noſtri anno tertio, P. de noxeto; Marcellus de curia, regiſtrata in camera apoſtolica conſilii.

ANNO CHRISTI 1449.

AD

ANNO CHRISTI 1451.

AD MOGUNTINUM CONCILIUM

ANNO CHRISTI 1451.

Anno 1451. *habitum*

Emendationes & Additio.

MOguntini concilii provincialis, ſub Theodorico archiepiſcopo acta bis repræſentat Lunigius in Spicilegio eccleſiaſtico continuat. II. ſemel ſeorſum pag. 68. iterum vero pag. 1037. inſerta in actis concilii dioeceſani Herbipolenſis anni 1453. in quo hæc ipſa ſtatuta Moguntina palam lecta ſunt patribus, ceu regulæ in tota provincia, adeoque & ab ipſis ſervandæ. Venetus Labbei editor conſtitutiones haſce daturus, eas tantum vidit, exhibuitque quæ primo ſe offerunt in eadem Lunigi collectione. Ego utramque editionem contuli; unde non quidem variantia; ſed, quod plus eſt, emendationes illæ reſultarunt, quas hic adnoto. Ex hac enim collatione deprehendi lectionem in Labbeum relatam vitio laborare non ſemel, & ab altera optime corrigi; quin & canon integer deeſt in priori illa ex poſteriori ſupplendus.

B

CASTIGATIONES.

Labbei edit.	Conc. Herbipol. editio.
To. XIX. Pag. 113. Per vocationem.	Per nationem
Pag. 134. Non ſine culpa tamen	Non ſine cauſa; ſine culpa tamen
Ibid. Nec eccleſiaſtica ſacramenta ut ſolvente.	Nec &c. ſacramenta miniſtrant ut ſolent.
Pag. 135. In præcedentibus	In pendentibus
Ibid. Eſſe glorioſa faciendum.	Eſſe gratioſa faciendis
Ibid. Reſtringimur	Aſtringimur
Ibid. Non excommunicationis	Non ex ratione
Ibid. Habere poſſunt	Habere non poſſunt
Ibid. Divina temporalia	Dominia temporalia
Ibid. Periculo ſuis	Periculoſius
Ibid. Negocia ipſa fore	Negocia &c. gratioſa fore
Pag. 136. Quod ſint	Quæ ſint
Ibid. Eccleſiæ alteratio.	Eccleſiæ altercatio
Ibid. Sub prædicta	Supradicta
Ibid. Non obſtante felicis recordat.	Non obſtantibus conſtitutionibus fel. record.
Ibid. A ſede apoſtolica deputati fuerint.	A ſede &c. deputati fuerint extra civitatem vel dioeceſim, in quibus deputati fuerint
Pag. 137. Tranſmiſſa eſt	Trasmiſſa non eſt
Ibid. Archiepiſcopis	Archiep. epiſcopis &c.
Pag. 138. Leonardo	Leonardo Caſſel.
Pag. 140. Tales idoneos	Tales inydoneos.
Ibid. In monaſteriis	In monſtrantiis
Ibid. Sepe puero	Sepe pueros
Ibid. Veni pladorum	Veni flaſcorum.
Pag. 141. Comprehendi volunt	Comprehendi nolunt
Ibid. Quando contra Deum	Quaſi contra Deum
Pag. 142. Per vos.	Per nos, *& ſic etiam infra*
Ibid. De quinque in fine	De quibus in fine.
Ibid. Publica ſunt	Publicata ſunt.
Pag. 143. De libertate	Deliberare
Ibid. Omnis utriuſque ſexus ſtatutum Synodale de publicando &c.	Omnis ſtatutum Synodale reperimus; tunc conſequenter ad illud ipſum tale ſtatutum synodale de publicando &c.
Ibid. In caſibus epiſcopis	In caſibus ipſis
Ibid. Veraciter abſolvimus	Veraciter abſolvunt.

De curſu ad imagines prohibendo.

Similiter mandat eisdem ordinariis ut ſi in viſitatione ſuarum dioeceſum aut alias reperiant concurſum populi ad certas ymagines & cognoſcant populum hujusmodi magis ad diſpoſitionem figuræ habere reſpectum

ANNO CHRISTI 1453.

A ctum, quod hoc omnino prohibeant, ne ydolatria committatur. Sique etiam sint in suis dioecesibus hostie transformate aut palle rubricate, siquidem hostie tales sumi possunt, eas sumi faciant, alioquin illas totaliter occultent aut recondi disponant, ut sic omnis occasio cursuum hujusmodi auferatur.

ANNO CHRISTI 1453.

CONCILIUM PROVINCIALE CASHELENSE

Limerici celebratum

Anno 1453.

Extat apud Vvilkins ex M. S. Jo. ep. Cloghorensis to. III. pag. 165.

AD honorem Dei Patris omnipotentis, Filii, & Spiritus Sancti, nec non pro ampliore conservatione libertatis ordinat sancta synodus in sacro provinciali concilio, Limerici celebrato, die lunæ proximo post festum, quod dicitur, *Ad vincula*.

1. Quod ordinarii locorum singulis annis diligenter attendant, & inquiri faciant, qualiter in suis dioecesibus divina officia celebrantur, dieque Dominici, & aliæ festivitates venerabiliter observantur.

2. Statutum est quod ministri ecclesiarum omnibus diebus Dominicis, & aliis festivitatibus horas canonicas in suis ecclesiis ordinate dicant, & aliis diebus, quomodo valeant; & tamen præmissa trina campanarum pulsatione saltem in diebus festis missas & alia divina officia celebrentur, etiam ter in qualibet hebdomada, excommunicatis & interdictis exclusis, sub poena XL. den. ab exorcista, & curatis toties, quoties negligentibus, episcopo visitanti, ut ejus officiali solvendorum; quibus diebus Dominicis, & festis per ecclesiam publicatis cessent omnes populi christiani, clerici, & laici, ab omni opere servili, & ad officia divina audienda conveniant, sub poena excommunicationis per prælatos ecclesiarum ferendæ.

3. Statutum est, & perpetuo ordinatum, quod parochiani quarumcumque ecclesiarum parochialium in eorum ecclesiis ad celebrationem divinorum officiorum, & sacramentorum ministrationem suis expensis habeant missale, & calicem argenti, aut deauratum, amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, casulam, super pellicium, baptisterium lapideum decenter constructum, seratum, aut bene coopertum, honestum vas oleum in se continens sacrum chrisma in usu infirmorum; & sanctam ecclesiam in navi, & cancella, juxta facultates popularium, in tecto parietibus decenter habeant constructam & mundam, tam intra, quam extra teneant ab omnibus rebus, bladis, & animalibus secularium laicorum. Et nulli omnino hominum, etiamsi conjuges sint, cum eorum uxoribus aut concubinis ibidem jacere uno lecto, aut cohabitare præsumant, sub poena mortalis peccati, & excommunicationis ferendæ sententiæ, ut præfertur, contra delinquentes.

4. Quod in singulis ecclesiis ad minus habeantur tres imagines, sanctæ beatæ Mariæ virginis, sanctæ crucis & patroni loci, in cujus honorem ecclesia dedicatur; nec non & vas honestum consecratum pro corpore Christi.

5. Quod coemeterium sit mundum & muratum in expensis popularium.

6. Quod excommunicati publice denuncientur omnibus dominicis & festis diebus per singulos curatos in eorum ecclesiis, omnes incestuosi & clandestina matrimonia contrahentes, & illis interessentes, hæredes legitimos exhæredantes, falsos limites assignantes, usurarii & usuræ convicti, falsam monetam facientes, & veram monetam scindentes & radentes, ecclesias, coemeteria, ac personas ecclesiasticas suis rebus spoliantes vel percutientes, viam regiam insultantes, fures latrones congregatorum depopulatores, viarum derobatores, pacis violatores, & alii omnes & singuli, quos sacrosancta sedes apostolica excommunicari præcipit atque mandat, cum eorum fautoribus.

7. Declarat & statuendo ordinat idem concilium pro confirmatione libertatis ecclesiæ, quod nulli domini temporales, aut eorum equestres, pedestres, tributarii, vel aliæ temporales personæ ad maneria episcoporum sive grangias, aut clericorum habitacula, loca, & hospitia venientes, ultra unum diem aut noctem refectionem exigant aut recipiant; & hoc requisito & obtento episcoporum consensu, aut aliorum prælatorum præsidentium voluntate interveniente; ita tamen quod hujusmodi nocte diei Dominicæ aut præcedente Sabbati nullo modo recipiant nec exposcant, ubi personæ ecclesiasticæ servitio divino & missarum solemnitatibus quiete vacare debent, expulsationem temporalium vexatione, nec amplius a tempore publicationis præsentis statuti, dierum aut noctium exigantur a personis ecclesiasticis; contrarium vero facientes per totam provinciam excommunicati denuncientur nominatim & expresse in singulis ecclesiis per curatos ecclesiarum, quibus sacrum concilium ad hæc omnia auctoritatem tribuit; & majoris excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, & episcoporum dominium ac loca alia, ad qua declinaverint, cum sua familia ecclesiastico maneant interdicto innodati auctoritate

Sensus turbatus.

tate præsentis sacri concilii; quorum omnium absolutio ordinariis locorum dumtaxat reservetur, cum interdicti relaxatione. ANNO CHRISTI 1453.

8. Declarat concilium, quod omnia emolumenta, provenientia ex novis capellis per laicos, vel alios infra parochiam aliquam noviter constructis, omnia cedant ecclesiis parochialibus, infra quarum similes constructæ sunt.

9. Statuit & declarat præsens concilium, quod omnes ecclesiastici & prælati, eorumque tenentes, & familiares in terris ecclesiasticis ac maneriis episcoporum degentes, omnino sint immunes, & liberi ab omni exactione temporali, & seculari distributione conngureus & bonnguoog,—— & similia sub pœna majoris excommunicationis & interdicti. iegit S. Cod.

10. Statuit præsens concilium & ordinavit, quod nulla persona secularis vel temporalis pro quacunque causa, actione, vel injuria pignora clericorum in rebus aut personis capere præsumant, aut bona familiaria & tenentium ecclesiæ, ubicunque reperta, distinguere, nisi prius causa ipsa coram competenti judice terminata fuerit, & discussa. Contrarium facientes auctoritate concilii actionem suam perdant, & majoris excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, & dominus capiens sic pignora post monitionem negligens restituere, cum suo dominio & familia maneant interdicti.

11. Declarat concilium, quod nullus clericus pro criminali, civili, aut alia quavis causa coram sæculari arbitro vel judice a quocumque valeat conveniri, nec sententia talis arbitri aut judicis secularis contra clericum lata valeat ipso jure, cum sit lata contra libertatem sanctæ matris ecclesiæ; & reprobat concilium arbitros, & eorum sententias contra clericos, maxime dum dicunt eos contentari debere duobus servientibus, quodque residere debent infra eorum cemeteria, quæ sententia erronea est, propter quod ipsi seculares judices ipso facto incurrant excommunicationem, quousque eorum sententias hujusmodi erroneas & iniquas, ac prorsus nullas revocent, & damna exinde passis congrue satisfecerint.

12. Statuit sacrum concilium quod nulli quæstores amplius in provincia Cashellensi admittantur, exceptis B. Patricii nunciis & quæstoribus, nisi secum deferant literas episcoporum, de anno in annum reformandas; & prælati seu curati ecclesiarum aliter admittentes, contra formam hujusmodi statuti, toties, quoties ad unam marcam maneant obligati, ordinariis locorum applicandam.

13. Statuit, & ordinavit hoc sacrum concilium, quod nulli mendicantes admittantur ad quæstum in festis, quibus ecclesia oblationes percipit, donec personis ecclesiasticis satisfactum fuerit, sub poena excommunicationis, quam ipsi mendicantes hoc statutum violantes, & curati illos admittentes auctoritate hujus concilii incurrant, & sub poena eadem extra suam limitationem ad quæstum non accedant nisi sufficienter privilegiati.

14. Declarat concilium, quod omnes fratres Mendicantes debent solvere quartam partem omnium bonorum ex testamento defuncti, aut ratione funeris eis relictorum, ubicumque, & quacumque causa, & undecumque eis evenientium, etiam ratione quæstus, aut tempore sepulturæ, aut funeris, nec candelas fratribus ante divisionem, nec oblationes persolvent, donec prædicta quarta pars ex integro ecclesiæ fuerit persoluta. Hanc declarationem non observantes majoris excommunicationis sententiam, ex auctoritate præsentis concilii, ipso facto incurrant. ANNO CHRISTI 1453.

15. Statuit hoc sacrum concilium, quod omnes beneficiati maxime constituti in sacris, & aliis dignitatibus præditi in eorum cathedralibus ecclesiis, & aliis principalibus more sacerdotali resideant, horas canonicas dicant, & missas celebrent in ipsorum propriis personis tribus vicibus in hebdomada sub poena privationis beneficiorum, & dignitatum suarum; ipsorumque beneficiorum fructus, qui hoc statutum violaverint, ad fabricam ecclesiarum hujusmodi sequestrentur, quousque sententia privationis ejusdem lata fuerit, & quandiu insuspenso permanserit, fructus ad ecclesiarum fabricam debentur.

16. Statuit quod ubicumque ecclesiæ, aut capellæ aliquibus locis unitæ, & appropriatæ habentur, & ex hoc, prout in diversis locis experientia edocet penitus desolatæ, & destructæ fuerint, ordinarii locorum, quibus ipsa beneficia subijciuntur, fructus ipsarum ecclesiarum possunt ad necessariam reparationem ecclesiarum deputare, in eorum negligentiæ poenam, quorum sunt fructus; hujusmodi contradictores, cujuscumque ordinis, aut religionis fuerint, ecclesiarum, beneficiorum suorum appropriatores per censuram ecclesiasticam, & alia juris opportuna remedia compescendi auctoritate præsentis concilii.

17. Statuit concilium quod nullus religiosus, aut alii sæculares, prælati, & domini ecclesiastici, absque expresso consensu ordinariorum locorum, aliquibus clericis, vel laicis, maxime juvenibus, & illiteratis viris, sub quocumque colore terras suas ad firmam tradant, nec ipsos laicos sub colore aut nomine procuratoris firmarios constituant, aut clericos in suis literis nominent, nec laici fructus percipiant, nec procuratores laici juxta eorum altaria accedant, dum missarum solemnia celebrentur, nec ad divisionem obventionum ecclesiasticarum admittantur, saltem in firmam ecclesiarum. Contrarium vero facientes, aut contrahentes, ipso facto majoris excommunicationis sententiam incurrant, & contractus factus auctoritate præsentis concilii nullus habeatur & irritus, & laici exinde nullam habeant actionem, sed eo ipso excommunicati sint & ab ipsa firma perpetuo excluſi maneant, & totum concilium exequatur contra tales & alios in forma.

18. Declarat concilium, quod contractus dandi frumenti modium pro octo denar. solvend. festo sancti Martini, si certum est ipsam

ANNO CHRISTI 1453.

ſum modium tum temporis plus valere, talis contractus eſt uſurarius; & ſi lapſum fuit tempus, ad feſtum Philippi, & Jacobi, et tunc modius frumenti valet ad XXX. aut XL. denar. pro eo quod contractus in ſui initio fuerit uſurarius, non creſcit uſura, ſuppoſito quod valeret XL. denar. modius, debitor non habet unde redderet in pecunia; ſed convenit quod modium frumenti daret pro quibuſlibet X. denar. in ipſis XL. denar. exiſtentibus, etiam IV. modios ſolveret, & curſu temporis, iſte contractus eſt uſura, & taliter exigens uſurarius eſt cenſendus, & propterea excommunicandus, quouſque illicitum exinde contractum in ſtatum priſtinum juris expoſuerit & poenitentiam agat pro commiſſis.

19. Declarat concilium præteritas uſuras fore reſtituendas ad arbitrium ordinarii ſeu officialis ſui generalis, qui in talibus habeant arbitrare, & cum contrahentes non vitio uſuram, ſed ignorantia ducti, prædictos uſurarios contractus fecerint, et exercuerint.

20. Statuit concilium, quod omnes clerici ad primam tonſuram ordinati, ac privilegium in rebus, & perſonis habere volentes ſeipſos honeſte habeant, caſte vivant, & maxime beneficiati, & ad ſacros ordines promoti, uſuras & ludos alearum omnino evitent; ſuperiores barbas non deferant, comam non nutriant, curlos ſcindant, prædis, & furtis, & violentiis abſtineant, ſub poena majoris excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto; & nihilominus privilegium in rebus amiattant poſt quam de hoc coram ordinariis loci convicti fuerint.

21. Statuit concilium, quod quilibet curatus, rector, & vicarius habeat in eccleſia ſua copiam iſtarum conſtitutionum & aliarum ſingulis annis noviter editarum, quæ quidem ſtatuta quater in anno teneantur ſuis parochianis maternali lingua exponere; vid. diebus dominicis immediate proxime ante feſta natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſte, & ſancti Michaelis archangeli. Curati vero in his negligentes ad unum noble, toties, quoties maneant obligati ordinariis, & eorum officialibus Ordinarii vero deſuper remiſſi metropolitano ipſorum mulctati ſint ad XXX. ſol. pro fabrica eccleſiarum ſuarum, ac officiales in hoc negligentes ad XX. ſol. maneant obligati.

22. Declarat concilium, quod capellani per totam provinciam admittantur, donec literas ſuarum promotionum ordinariis exhibuerint, ac præclaræ vitæ, & ſufficientis literaturæ exiſtant.

23. Quod nullus celebret aut miniſtret nomine notorie fornicant. prælatorum, aut aliorum curam animarum habentium.

24. Quod ſinguli promoti, & impoſterum promovendi ad ſacros presbyteratus ordines, fideliter extrahant (*a*) de cura epiſcoporum ſic promoventium, & hoc omnino ſub poena majoris excommunicationis ipſo facto.

(*a*) *cædendum* ordinum copiam.

25. Declarat concilium, quod ex bonis quibuscunque in mortis articulo per maritos uxoribus ſuis, aut aliis, dotis nomine, ſeu alia via relictis aut dotatis, portio canonica eccleſiæ parochiali debetur.

26. Declarat concilium, omnes vicarios & capellanos admittentes in ſuis officiis extorquentes illicita onera & exactiones a perſonis eccleſiaſticis, ipſo facto ſuis beneficiis privatos, & ad intereſſe partis, pro cujus rebus excommunicati & denunciati habentur, nihilominus fore obligatos.

27. Declarat concilium, quod cera, quæ tempore exequiarum defuncti inter alia funeralia offerri debet, integre ad majus altare præſidentis devenire, ibique ſemper pro uſu eccleſiæ remanere debet.

28. Declarat concilium, conſuetudinem ſecundum ratam temporis, aut juris communis diſpoſitionem, fore obſervandam circa decimas animalium, quæ in diverſis parochiis poſtulantur.

29. Declarat concilium, quod rei vendicatio perſonis eccleſiaſticis contra quoſcunque rerum ſuarum detentores licita eſt, nec juvat bona fide ex parte occupantium, quocunque titulo ad ipſos devenerit.

30. Declarat concilium, veſtiarium eſſe de eccleſia, & in illo tempore generalis interdicti fieri non poſſe ſepulturam etiam per fratres cujuſcunque ordinis.

31. Declarat concilium, commorantes in coemeteriis aut eccleſiis, abſque ordinariorum licentia petita & obtenta, nullo gaudere immunitatis privilegio, ſed confugientes tantummodo tempore neceſſitatis & in ipſo actu neceſſitatis.

32. Declarat concilium, quantum ad jejunium cadens in paſcham et Pentecoſten, & præcipue in jejuniis rogationum præſcriptam conſuetudinem fore obſervandam.

33. Declarat concilium, quod verbum *amplius* in literis apoſtolicis apponi ſolitum ad minus tempus eſt referendum, neque diſpenſationem ſuper mala perceptione fructuum obtentam extendi debere ad perceptionem fructuum in tempore datæ literarum uſque proviſionem ſequentem factam.

34. Declarat concilium, quod medici poetæ aurifabri, & ſciſſores, carpentarii, & hujuſmodi de omnibus per eos licite acquiſitis ſeu lucratis decimas ſolvere tenentur, conſuetudine contraria non obſtante, præterquam in modo ſolvendi, ſi quam allegaverint, neceſſariis tantum prius expenſis deductis.

35. Mandat concilium, ſub poena privationis ipſo facto, in manifeſtis & peccati mortalis in occultis, quod curati eccleſiarum omnes fures & latrones in ſuis parochiis degentes ad ordinarios locorum abſolvendos remittant; & declarat concilium tunc eſſe manifeſtum, quando in parochia ſunt famoſi fures, & latrones.

36. Declarat concilium, quod fratres de tertio ordine ſancti Franciſci, inter quos plerumque oritur contentio cum perſonis eccleſiaſticis circa funeralia eorum, qui apud eosdem fratres ſepulturam eligunt, non gaudent privilegio Clement. *Dudum* cap. De ſepulturis; ſed juris communis expoſitio obſervetur in hiis & in aliis; quodque de bonis ipſorum fratrum tertii ordinis quoties decedunt, idem judicum eſt habendum, & de

pue-

pueris laicis quantum ad administrationem, & alia debita ecclesiastica consequenda, salvo eorum privilegio.

37. Declarat concilium, quod quotiens in ecclesia, coemeterio, aut mensionibus ecclesiarum furtum, aut sanguinis effusio intervenerit, poena hujus sanguinis & furti omnino cedat praefatae ecclesiae, & non temporali domino, etiamsi in subditos suos actum est per quoscunque, & contrarium exigentes ipso facto sint excommunicati, & excommunicentur.

38. Statuit concilium Heriotam pauperum laicorum in ecclesia degentium persolvi debere ordinariis locorum, & aequalem divisionem emolumentorum, vid. cunagii, & hujusmodi faciendum inter rectorem, & vicarium, ac dominum temporalem ratione pasturae animalium pauperum inibi degentium.

39. Statuit concilium, quod curati ecclesiarum, qui dolo aut fraude formam literarum, quas eorum superiores particulariter iis dirigunt exequendas, exponere aut publicare dissimulant, suis beneficiis sint ipso facto privati, & parti, pro cujus rebus hujusmodi exequendis literae ipsae directae sunt, ad omne interesse maneant, authoritate praesentis statuti, penitus obligati.

40. Declarat concilium, quod rectores, vicarii & alii ecclesiarum prælati, qui nonnunquam tempore generalis interdicti, cum aliquis amicorum suorum moritur, se absentant de sepultura sic decedentium, ignorantiam jam praetendere valeant, & subsequenter sub umbra hujus ignorantiae celebrent, poenam juris propterea incurrunt, acsi praesentes interessent, & talia commisserint.

41. Declarat concilium, decimam partem terrarum desertorum, sicuti aliorum praedialium personae debere.

42. Declarat concilium, quod uno coniugum decedente, omnia bona, utriusque debitis subductis, veniant in testamento computanda, & de dote aut ejus parte non soluta tempore mortis videant ordinarii, item de dote alienata veniant dividenda, inter alia bona concilium remittit.

43. Declarat concilium, clericos simplices non esse admittendos loco canonicorum aut prælatorum ad servitium divinum.

44. Declarat concilium, quod laici, qui in causis suorum amicorum clericorum insurgentes bella, & litigia generant, unde homicidia & plura mala insurgunt, ipso facto excommunicationem incurrunt, nisi ordinariorum suorum consensus prius ad id intervenerit.

45. Declarat concilium, antiquas ecclesias, ecclesiolas in possessione immunitatis existentes, & quae habent insignia sanctitatis, immunitate gaudere ecclesiastica debere, & quod episcopi pro illis exequi debeant, nisi cum eis placuerint, pensatis omnibus rei circumstantiis aut causis.

46. Declarat concilium, & perpetuo reprobat exactiones laicorum, & nefandas consuetudines, quas in terris ecclesiasticis exercent.

47. Mandat concilium, sub poena excommunicationis latae sententiae, & beneficiorum privationis, & nihilominus declarat, quoties archiepiscopum vel episcopum per laicos aut alios capi contingit, totam provinciam, in qua capiuntur, ecclesiastico suppositam fuisse interdicto, totamque dioecesin, in qua inferior prælatus aut sacerdos, decanatum, in quo simplex clericus; & in illis ad minus officiis, necessitatis temporibus exceptis, omnino esse cessandum, captura hujusmodi durante.

48. Statuit concilium & declarat, laicos signantes blada clericorum, necessitatem illis ponentes, aut impedientes, ne clerici de illis disponant ad placitum, dicentes; decimas dominii ipsorum ipsis praeteritis vendi et dari debere, ipso facto fore excommunicatos, et interdictos, cum suis locis et hominibus.

49. Mandat concilium, quod de caetero per ordinarios nulla unio fiat simplicibus beneficiis, aut praebendis de beneficiis, curatis, aut dignitatibus ad aliquorum instantiam, maxime nobilium et juvenum personarum; & si contra hoc fecerint, concilium declarat totum nullum.

50. Statuit concilium, quod ultra numerum solitum canonici non recipiantur, neque vocales canonici in ecclesia admittantur ultra numerum sex canonicorum computatis jam receptis.

51. Statuit et mandat concilium, quod ordinarii non committant causas nisi discretis ac juris peritis, sub poena nullitatis processus, neque imperitos recipiant ad canonicatus et dignitates.

52. Declarat concilium, quod clerici medium facientes infirmis beneficiorum, ut laici fructus percipiant, sunt ipso facto excommunicati, cum in hoc antiquo statuto fraus committitur, quae non debet patrocinari, & firmas ipsas ipso jure non teneri.

53. Sacrum concilium inhibet magistris, sub poena excommunicationis, quod nullos nobiles, aut alios ad suam lecturam admittant, de quibus non est spes, quod in ecclesia Dei profecerint.

54. Declarat concilium, quod clerici nomine laicorum appellantes, aut consilium eis dantes, contra executionem ordinariorum et causam ecclesiae, sunt ipso facto excommunicati, appellationes illas esse frivolas et inanes, quibus omnino obstantibus fiat executio contra illos, prout prius est praescriptum, qui pro laicis et contra personas ecclesiasticas advocare, et contendere praesumunt.

55. Statuit concilium, quod laici juxta ecclesiam aedificantes, si contra prohibitionem curatorum quicquid damni exinde ecclesiis contingat, per incendium, aut alia via, tam ipsi aedificantes, quam etiam exercitus de omni danno teneantur, et ipsorum quivis in solidum.

56. Declarat concilium, quod decimae, quae in plerisque locis imagini, ac ad uberiorem declarationem aliisque sanctis miraculorum suorum intuitu de diversis locis & provinciis offerentur, inter rectorem & vi-

ANNO CHRISTI 1453.

ANNO CHRISTI 1453.

carium æqualiter dividendæ, salva canonica præscriptione.

57. Declarat concilium, omnes eos, qui impediunt confugientes ad unitatem ecclesiæ libere transire, esculenta & proculenta ad eos devenire ipso facto fore excommunicatos & interdictos.

58. Declarat concilium, ecclesiam quibuscunque ab intestato decedentibus executores nomine ecclesiæ illis posse deputare, ac hoc impedientes ipso facto fuisse excommunicatos.

59. Declarat concilium, non esse credendum executoribus fingentibus plura debita defunctorum, nisi quatenus id legitime docuerint.

60. Declarat concilium, ordinarios compellere posse laicos ad pacem & treugam observandam.

61. Declarat concilium, mendicantes singulos suis limitibus in eorum quæstu contentari.

62. Declarat concilium non esse credendum resignationibus episcoporum, nisi sigillum resignantis una cum sigillo capituli ejusdem ecclesiæ hujusmodi resignationi fuerit appositum, & subscriptione quatuor de capitulo & duorum notariorum muniatur.

63. Declarat concilium, decimas casei & lactis simul non debere solvi, & ecclesia tum eligere potest lac aut caseum, cum caseus factus sit.

64. Declarat concilium, collationes simplicibus personis factas, & idiotis, ipso jure fore nullas literas, & alia inde secuta.

65. Declarat concilium, quod nullus vicarius potest deservire per alium sine licentia ordinariorum, ac beneficiatos non dicentes horas canonicas, ipso facto fore privatos, & ferentes arma ad quadraginta solidos puniendos, toties quoties.

66. Mandat concilium, sub poena privationis beneficiorum ipso facto, quod clerici & ecclesiarum prælati pensiones & stipendia laicis non concedant, vel fructus beneficiorum suorum illis assignent, sub poena eadem, & recipientes laicos ipso facto fore privatos.

67. Statuit concilium, ob reverentiam sacramentorum, vid. eucharistiæ, & extremæ unctionis, quod ecclesiarum curati talia ministrantes alba induti, & campana præcedenti in firmam accedant; si extet in propinquo, saltem infra domum ad Christi fidelium devotionem excitand. & hæc omnia sub poena observent; campana tamen semper præcedat eucharistiam.

68. Statuit hoc præsens concilium, quod clerici, maxime in sacris ordinibus constituti, nec non ecclesiarum prælati, rectores, & vicarii suas suspectas personas infamiam generantes in clero & populo, extra curam & curiam reiiciant etiam post publicationem præsentis statuti infra 28. dierum spatium, sine spe recuperationis earum sub poena privationis beneficiorum, & dignitatis, inhabilitatis & infamiæ ipso facto: quod quidem statutum locorum ordinarii executioni demandare non negligant, sub poena XX. sol. metropolitano in cursu suæ visitationis applicandorum, de propriis episcoporum desuper negligentium.

69. Declarat concilium sacrum, quod ecclesiæ parochiales mundæ sint & immaculatæ, nullaque ædificatio fiet in ecclesiis ipsis, aut earum coemeteriis, nulla flagellatoria laicorum ibidem fient contra voluntatem episcoporum, vel aliorum ecclesiis præsidentium, ac coemeteria ipsa muris claudantur, in expensis populorum, sub poena excommunicationis & interdicti ipso facto, & ædificata hactenus ibidem omnino expellantur infra viginti dies post requisitionem desuper factam, & inde cedant omnino ecclesiis & earum personis.

70. Declarat sacrum concilium, standum esse antiquis libris & rotulis ecclesiæ circa jura ecclesiæ, census & reditus, quotiescunque quæstio oritur desuper inter ecclesiam & subditum suum, vel aliud, etiamsi libri ipsi recentes sint, dummodo per ipsum prælatum, qui nomine ecclesiæ agat scripti non sunt vel inventi.

71. Statuit concilium, quod clerici non recipiant filios nobilium ad nutriend. sub pœna XL. sol. ordinariis applicandorum, toties quoties, nisi de eorum licentia speciali.

72. Declarat concilium, de omni lucro decimas fore persolvendas, necessariis prius expensis deductis.

73. Declarat concilium, quod clerici beneficiati decimas solvere tenentur in loco beneficii, vagabundi in loco studii, ac domicilium habentes in loco domicilii.

74. Declarat concilium, laicos non posse possidere ecclesiasticos fructus jure hæreditario, etiamsi antecessores sui hujusmodi fructus per quatuor annos, & ultra possidebant.

75. Declarat concilium, decimas molendinorum gurgitum fore solvendas, salva prima fabrica eorundem; & damnat concilium contrariam consuetudinem.

76. Declarat concilium in majoribus causis matrimonialibus summam viginti solidorum non esse excedend. in minoribus vero taxent ordinarii; & aliter agentes excommunicentur.

77. Mandat concilium ordinariis, & suis officialibus sub pœna mortalis peccati, quoties fuerint remissi, quod exequantur cum effectu antiqua statuta edita contra prælatos & ecclesiarum curatos competentem habitum non deferentes, ab habitu laicorum omnino diversum, tunicam, vid. gascomarcon cum honesto bireto, & aliis ordini clericatus congruentibus, quæ pœna imposita talis est; vid. unum ,, noble ,, quoties in habitu contrario reperiantur, cum perditione vestium sic habitarum ordinario seu officiali visitanti.

78. Declarat sacrum concilium antiquam consuetudinem provinciæ Cashellensis circa Heriatam episcoporum, & aliorum prælatorum, necnon & antiqua statuta desuper edita inviolabiliter, fore observanda, vid. meliorem annulum, ciphum, sellam, vel portiforium archiepiscopo & episcopo fore persolvenda.

79. Declarat concilium fructus primi anni executoribus deberi a die obitus beneficiati usque ad annum, salvis contrariis consuetudinibus.

80.

ANNO CHRISTI 1453.

80. Sacrum concilium declarat, quod omnes pauperes ſeculo abrenunciantes, ac in locis ſacris degentes, in libris eccleſiæ regiſtrentur, ac vitæ approbatæ ſint & ſingulis annis libram ceræ aut ultra, juxta qualitatem perſonarum aut locorum ſuorum, eccleſiæ cathedrali humiliter perſolvant, congruum habitum ſuæ paupertati deferentes, earum parochiales eccleſias & cœmeteria peragrare faciant, cruces altas juxta eorum habitacula conſtruant, & habeant in altum erectas ſub pœna perditionis privilegii ipſorum & libertatis, cum ad mandatum ſuperiorum requiſiti fuerint, & negligentes.

81. Statuit & declarat concilium, quod nulli prælati, aut eccleſiarum curati, quæſtores vel alii, vigore alicujus executionis aut privilegii deinceps audiant confeſſiones latronum, furum, & ſacrilegorum, ſeu bona quorumcumque fidelium ſcienter detinentium uſque ad reſtitutionem condignam, ſi ad hoc potentes exiſtant; curati vero aliter facientes toties, quoties convicti fuerint, dimidiam marcam ordinario perſolvant, aut ſuo officiali de hoc inquirenti. Qui autem occaſione prædicta ſemel in anno confeſſi non fuerint, & minime communicaverint, eccleſiaſtica careant ſepultura.

82. Declarat ſacrum concilium & determinat, juxta ſanctorum patrum decreta, quod omnes & ſinguli clerici, prælati, laici, & domini temporales, qui bona epiſcoporum ante vel poſt mortem invaſerint, quæ futuris ſucceſſoribus reſervari, & in eccleſiarum utilitatem converti debuerint, ipſo facto excommunicati, anathematizati, & maledicti exiſtant perpetuo, uſque ad ſatisfactionem condignam; neque eis in præmiſſis valeat ulla ſimplex remiſſio ad ſalutem, & per ſingulos curatos eccleſiarum tales publice excommunicati & ſacrilegi denuncientur, in omni generali executione, ſaltem quater in anno, ſub pœnis prædictis, aut interdicti maneant cum earum terris & familiaribus.

83. Mandat concilium, quod ſinguli curati, & eccleſiarum prælati, quoties per eorum ſuperiores citati fuerint ad dies ſynodales vel convocationem, alias albis induantur, & more clericali conveniant, ſicque ſe habeant quando ſtando & redeundo, ſub pœna XL. den. epiſcopo ſolvendorum toties, quoties contrarium actum fecerint.

84. Declarat ſacrum concilium, quod porticus eccleſiæ gaudet eadem immunitate cum eccleſia ipſa, quoad immunitatem conſequendam ipſis ad eam confugientibus neceſſitatis tempore, etiamſi porticus ille conſecratus non ſit, ſed annexus locis ſacris, dummodo non fiat in illis continua reſidentia.

85. Statuit & declarat concilium, quod quicunque prælatus, rector, clericus, vel vicarius judices deligant, vel eorum adverſarios clericos capiant, vel ab aliis capi faciant vel arreſtari, totum ſuum jus in ipſis beneficiis & cauſam ipſam perdant eorumque abſolutio ſedi apoſtolicæ reſervatur, hac pacta & juramenta quæcunque præſtita ab hujuſmodi captis de jure non eſſe obligatoria, ſed concilium remittet eadem.

86. Statuit concilium, quod in civitatibus & locis, in quibus cantus habetur, & chorus regitur, nulli ad aliquas prælaturas niſi cantores admittantur, ſalvo privilegio ſpeciali ſedis apoſtolicæ.

87. Statuit & declarat concilium, quod ordinarii non abſolvant excommunicatos abſque conſenſu partium, & ſine ſufficiente cautione, & ſi contrarium fecerint, non tenet abſolutio.

88. Declarat concilium, quod clerici gaudent privilegiis clericalibus in immunitatibus & terris patronalibus liberis; in terris non tributariis, quoad ſua bona privilegio gaudent tantummodo.

89. Declarat concilium, quod clauſulæ generales apponi ſolitæ in literis apoſtolicis, vid. a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. ſolummodo extenduntur ad ſpecificata, literaſque ipſas ſic tacite impetratas ipſo facto fore nullas, cum omnibus inde ſecutis.

90. Statuit concilium, quod nullus ſub pœna excommunicationis ſententiæ porrigat aliquam ſupplicationem diffinitivam, niſi exprimat ſuum nomen, & eandem proſequatur in forma.

91. Statuit concilium formam cum modis obſervari debere in excommunicatione ferenda, niſi delictum eſt notorium & manifeſtum.

92. Declarat concilium quotidiana veſtimenta eccleſiæ perſolvi debere ab omnibus defunctis, & hoc indifferenter tam ab Anglicis, quam ab Hibernicis.

93. Declarat concilium animalia clericorum reperta in terris deſertis ad damna tantummodo eſſe obligata, etiamſi terræ ipſæ oneribus ſecularibus aſtringantur, ſub omnibus pœnis eccleſiaſticis.

94 Declarat concilium, quod rectores & vicarii debent reparare cancellum, parochiani navem, quantum ſuppetant facultates eccleſiæ.

95. Statutum concilii revocat omnes translationes curiæ in eccleſias cathedrales jam factas ſub annua penſione, & ligat manus ordinariorum, quod talia iterato non fiant ſub pœna nullitatis ipſo facto.

96. Declarat concilium, quod de conſenſu epiſcopi, decani, & capituli poteſt fieri diviſio fructuum alicujus pinguis beneficii ad eccleſiam exilem & pauperem, pro divini cultus augmentatione.

97. Statuit concilium, omnes in excommunicatione per annum indurat. anno elapſo privatos ſuis beneficiis, inhabiles & incapaces.

98. Declarat concilium per omnes quæſtores de omni lucro exinde acquiſito eccleſiæ parochiali, in qua habent domicilia, & eccleſiaſtica percipiunt ſacramenta, decimas eſſe perſolvendas.

99. Declarat concilium, quod cum in beneficiis taxatis hæredes defunctorum eligere habent taxam, vel reſiduum infra menſem, hoc de taxa capitali intelligi debet non de alia.

ANNO CHRISTI 1453.

100. Declarat concilium, quod fures, & latrones & alii confugientes ad eccleſiaſticam immunitatem, non gaudent privilgio uſque ad ſatisfactionem in primo delicto & ſacrilegio, de quo alias convicti ſint vel confeſſi.

101. Mandat concilium, ſub pœna intereſſe partis, tam epiſcopis, quam aliis inferioribus, & eccleſiarum prælatis & curatis, quod in abſentia partis neminem abſolvant, ſatisfactione non præmiſſa, vel idonea cautione, de qua pars ſe expreſſerit contenta.

102. Item, quod ordinarii literas eis directas ſub eadem pœna ſimpliciter exequantur.

103. Declarat concilium obſidem eccleſiæ fore reſtituendum, facta eidem emenda de injuria, & habita reſtitutione, præſtita tum per obſidem idonea cautione, quod ſtabit juri inſuper actione civili coram ſuo judice competenti, tunc ipſum debet eccleſia liberare & decernere.

104. Irritat concilium collationes per metropolitanum ante probationem devolutionis factas, & declarat concilium ſtandum eſſe juramento epiſcoporum, circa eorum ſcientiam in vacatione beneficiorum ſuarum diœceſium, dummodo ignorantia non ſit craſſa, vel ſupina.

105. Declarat concilium, quod formata conqueſtus non extenditur ad proceſſum judicialem, qui in rem tranſit judicatam.

106. Declarat concilium in tranſlatione prolis non eſſe credendum matri.

107. Inhibet concilium aliquem quæſtum fieri diebus ſolemnibus ante ſolutionem oblationum, & aliorum jurium eccleſiæ, ſub pœna XL. denar. toties quoties.

108. Declarat concilium, quod lucrum contingens ex negotiatione, quæ in jure non debet compenſari, & quicquid excedit ſortem principalem, eſt uſura.

109. Declarat concilium laicos, qui ſe intromittant de fructibus eccleſiæ vacandis percipiendis, & ſi in illa jus habeant patronatus, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurriſſe, eorumque dominium eccleſiaſtico ſubjacere interdicto.

110. Declarat ſacrum concilium, quod omnimoda juriſdictio ordinaria, ad Archiepiſcopum ſpectare dignoſcitur in diœceſi ſuffraganeorum ſuorum, ſi hoc eidem conſuetudo attribuit: ſede epiſcopali vacante.

111. Declarat concilium, quod accedens ad curiam Romanam pro ſuis expeditionibus, gaudere debet privilegio itinerantium, fraude & dolo ceſſantibus.

112. Declarat concilium, quod celebrantes, & celebrari auctorizantes contra ſententias & cenſuras ordinariorum, ipſo facto ſunt excommunicati, irregulares, ac ratione contemptus per ſedem apoſtolicam ſolummodo venient abſolvendi.

113. Statuit ſacrum concilium, quod Chriſti fideles ſub pœna peccati mortalis non accedant ad prædicationem alicujus fratris, niſi prius per loci ordinarium admiſſus fuerit; ac concilium inhibet fratribus hujuſmodi, quod non niſi admiſſi prædicare præſumant, ſub pœna ſubtractionis quæſtus per diœceſim ipſam.

114. Declarat concilium, quod privilegium fratrum de decimis hortorum percipiendis, quos noviter infra parochiam aliorum conſtruunt & colunt, non debent ad novalia extendi, niſi ex forma privilegii contrarium in ſpecie apparet.

115. Declarat concilium, quod ubicunque metropolitanus & ſuffraganeus de aliquo beneficiorum ſedi apoſtolicæ reſervato diſponunt; collatio ordinarii debet prævalere, donec de hujuſmodi beneficio per ſedem ipſam proviſum fuerit, infra tamen tempus juris eidem ſedi etiam limitatum.

116. Declarat concilium, quod cum quis literas impetrat contra incumbentem propter non promotionem ejuſdem, ſcilicet duobus beneficiis curatis, poteſt is providere de beneficio, in quo probavit non promotionem, licet in altero probando defecerit impetrans.

117. Statuit concilium, quod quoties nuncii, præcones, aut familiares epiſcoporum in rixis aut contentionibus caſu aliquo interficiantur, quod tantum debetur epiſcopis ratione intereſſe, quantum rationi & genti ipſius interfecti pro redemptione ſanguinis ejuſdem.

118. Mandat ſacrum concilium omnibus eccleſiarum prælatis, vicariis, & cappellanis, quod infra menſem poſt publicationem hujus ſtatuti omnes ſuas ſuſpectas perſonas, licet etiam aliis viris maritatas, ab omni cura & curia ipſorum ſine ſpe reverſionis omnino reiiciant ſub pœna privationis ab omni officio & beneficio ipſo facto.

119. Declarat concilium, quod ordinarii locorum, in negligentia religioſorum non præſentantium idoneas perſonas ad eccleſias ipſorum curatos, de hujuſmodi eccleſiis & beneficiis, tanquam de jure vacantibus poſſunt libere diſponere, & in illis perpetuos vicarios inſtituere.

120. Statuit ſacrum concilium clerum & capitulum civitatis & diœceſ. Waterfordien. ac prælatos eccleſiarum, qui ſecundum conſuetudinem provinciæ Cashellenſis fructus primi anni, ratione collationis eis factæ, ordinariis ſolvere renuunt, per totum concilium fore reformandos, juxta morem & conſuetudinem aliarum diœceſum, & (ad) hujuſmodi annatam humiliter perſolvend. compellendos.

121. Statuit concilium, quod ubi rector alicujus eccleſiæ perſonaliter non reſidet in eadem, vicarius ibidem reſidens, & animarum curam gerens habeat, & in ſuos uſus convertat terras eccleſiaſticas pro parte rectoris non reſidentis, reddendo exinde ipſi rectori omnia reddenda; ac rectores ipſi, contrarium exercentes, per vicarios locorum excommunicentur auctoritate præſentis concilii & Statuti.

CAL-

ANNO CHRISTI 1455. 1458. 1459.

CALLISTUS PAPA III.

Sedit ab anno 1455. *usque ad annum* 1458.

PIUS PAPA II.

Sedit ab anno 1458. *usque ad* 1464.

AD MANTUANUM CONCILIUM

Pro decernenda in Turcas expeditione

Coram Pio II. pontifice, anno 1459. *habitum*

ADDITIO.

INdictum Mantuam seu concilium, seu principum coetum nec prætermisit Labbeus, nec rerum in eo gestarum partem modicam exhibuit. Sunt tamen ejus concilii seu conventus nonnulla quæ meum istud supplementum desiderant. Ac inter prima hic a me dandæ sunt allocutiones Pontificis ad singulorum principum legatos, prout quisque primum veniens in eius conspectum admittebatur, coetui adjungendus. Aureas hasce oratiunculas vetus M. S. codex Felini in pluteo bibliothecæ Cathedralis ecclesiæ Lucensis huc usque sepultas tenuit; me primum eruente thesaurus iste publicæ utilitati palam est expositus. Quanquam, ne quid dissimulem, oratiuncula illa Pii, ad collectos patres in ipso conventus exordio dicta, totidem verbis legitur inserta in opusculo Leodrisii Cribelli de expeditione Pii II. in Turcas, quod a Muratorio vulgatum extat Rer. Ital. to. XIX. Adjeci orationem in fine diætæ Mantuanæ, quæ cum & in MS. Codice Lucensi Orationes Pii II. continente desideraretur, exploratumque haberem superesse in MS. Codice Ambrosianæ Mediolanensis bibliothecæ, Cl. Saxium supremum ejus curatorem rogavi, ut pro ea qua fuit semper in me humanitate, transcribendam mihi curaret, quod & præstitit vir non scientia magis quam in promovendis literatorum studiis conspicuus; ex cujus proinde beneficio hic datur. Supersunt consultationes illæ, quas ex altero Feliniano codice addo; ac de iis quidem paulo diligentior commentatio præmittenda est.

Inter multa quæ anhelantem in Turcicam expeditionem pontificem retardatura timebantur, illud erat profecto de affecta ejus ætate, & valetudine, necnon de itineris difficultate (ipse enim per se una cum exercitu ire meditabatur) consideratio. Quid si pontifex in expeditione decessisset? Num Romæ vel alibi successoris electio præstanda? Novusne pontifex legibus quibusdam adstringendus erat? (querebantur enim de Pio cardinales, quod dispotice nimis imperaret). Quæ insuper Romanæ curiæ forma absente pontifice? Prius omnia rite discutienda ac determinanda erant, ne quid turbarum res improvisa afferret. Eo consilio scriptum istud ab authore suo, quisquis tandem ille fuerit, adornatum est, cui forte in fine accesserunt leges ipsæ a Pio pro rebus præsentibus, & futuris, si quid accidisset, opportune componendis. An vero statuta hæc sint in ipso Mantuano conventu, in quo cætera omnia expedita, versor ambiguus. Cum tamen in Feliniano codice proxima hisce succedat bulla Pii contra appellationes a pontifice ad concilium, quam datam in eo Mantuano conventu novimus; hac inductus conjectura, hæc omnia inter cætera hujus Mantuani conventus documenta refero. Quanquam fateor supplicem illum libellum Romani populi exhibitum pontifici Mantuanam hanc profectionem præcessisse, cum Pio conferre se meditanti ad locum nondum certo definitum pro habendo Principum conventu porrectus fuerit, ut ex ipsa ejus lectione intelligimus. Est vero scriptum istud totius hujus tractationis postremum.

AD

ANNO CHRISTI 1459.

PII II. PONT. MAX.

In conventu Mantuano Adlocutiones.

ANNO CHRISTI 1459.

Edita in Opusc. Leodrisii Cribel. de exped. Pii II. in Turcas. Hic datur ex M. S. Cod. Lucensi.

MAgna pars vestrum, venerabiles fratres, ac dilecti filii, dum Romæ adhuc aggeremus aliunde causas intellexit, propter quas in hac urbe Mantuana christianorum regum & populorum conventum indiximus, easdem nunc omnes a venerabili fratre nostro episcopo Coronensi, qui publice peroravit, plenius intellexistis. Publica nos traxit necessitas, utinam utilitas sequatur, quam speravimus. Pauci adhuc venerunt ex his qui vocati sunt. Ita natura *compertum* est. Non est hominibus ea publici boni cura, quæ privati. Omnes quæ sunt sua diligenter *quærunt*, pauci quæ Jesu Christi. Non tamen abijcienda spes est. Jactemus cogitatum nostrum in Domino, & ipse nos enutriet. Hoc opus Dei est quod coepimus; opem ejusdem devotissime imploremus; non deerit invocantibus se divina miseratio. Si non assunt quos vocavimus, dolemus quidem; at tempus adest, venire adhuc possunt, & venient, ut in Domino Deo nostro piissimo confidimus. Expectandum est donec sciamus quæ tandem sit regum & populorum Christi cultorum cogitatio atque sententia. Si venerint qui rebus gerendis consilio, & auxilio esse possunt, prosequemur alacri & magno animo coeptum negotium; nec ambigimus, quin, opitulante divina pietate, Christianam religionem ab hostili vexatione magnifice defendamus. Sin minus, quod magni Dei bonitas avertat, intelligent omnes potestatem nobis bene gerendæ rei non voluntatem defuisse. Vos interea monitos atque oratos volumus, ne tædeat in hoc loco moram trahere, & si quæ sunt incommoditates æquo animo perferre. Nam cum sitis sal terræ, & lucerna supra candelabrum posita, condimentum omnibus esse debetis ad bene *agendum*, & cunctis lumen ad *veritatem* præbere: qui sunt in domo Dei, idest in ecclesia D. N. Jesu Christi, apostoli Dei sua corpora tradiderunt, et animas suas posuere, ut secundum Christi evangelium salutaremque legem huic mundo prædicarent, atque inserierent & nos pro suscepta majorum fide atque religione tutanda aut labores vitabimus aut sumptus? Imitemur eos quorum tenemus locum, nec gravemur pecunias, rem vilem, exponere, qui pro Christi nomine tenemur sanguinem effundere. Nos certè huc venimus nullam privatam ob causam, nullum quærimus proprium emolumentum; ut ab initio diximus, salus reipublicæ nos traxit. Venimus non sine gravibus incommodis, & periculis terrarum ecclesiæ, neque sine offensione nostri corporis. Si qui adsunt legati principum, aut civitatum ad res gerendas mandatum habentes, audiemus eos, & cum eis conferemus; nos nullam viam adhuc suscepimus, neque hunc aut illum procedendi modum aggressi sumus. Libet omnium audire consilia, res diligenti examine discutere, & quod majori & saniori parti placuerit, id prosequi. Si reperiemus principes ad rem hanc, idest ad defensionem Christianæ religionis intentos, invenient & ipsi Romanum præsulem pro communi utilitate ardentissimum. Quicquid nostrarum virium erit ad hoc salutare opus conferemus: nec sumptus fugiemus, neque labores. His nunc paucis contenti sumus, alio tempore cum plures aderint, pluribus *utemur*.

Edit. *comparatum*.

Ed. *sua quærunt*.

Ed. *gerendum*.

Ed. *ad virtutem*.

Ed. *agemus*.

ORATORIBUS DUCIS SABAUDIÆ

in Conventu Mantuano.

QUamvis non sine magna causa, oratores Sabaudienses, adventum *nostrum* in hanc usque diem fuisse dilatum arbitramur, fatemur tamen, incusavimus sæpe numero principem vestrum, & alios, qui nondum misere legatos suos in tanta necessitate reipublicæ Christianæ. Audiunt omnes, vident, palpant evangelium Christi pessum ire; nec tamen de remedio cogitant; omnes ignoscunt & nemo succurrit: expectare periculum quam vitare malunt. Pudet dicere, dicendum est tamen. Longe major est Turcis, Saracenisque suæ superstitionis propagandæ, quam nobis sacratissimæ religionis nostræ tuendæ diligentia. Illi, si usquam vexantur, socii præsto adsunt, & turmatim occurrentes, hostes expellunt, nos Græcos, Albanos, Rascianos, Valachos, Hungaros in mediis discriminibus sine ullo subsidio relinquimus. Sed hic sumus, ut de communi tandem salute cogitemus. Venistis vos, Sabaudienses, venerunt & alii complures. Quisque pro sua virili magnifice se offert: si respondebunt verbis facta, non carebit, magnificis adjutoribus Christiana religio. Hoc opus, hic labor est. Stat Deus contra quemque vocitans. Si ego pater, ubi amor? Si ego dominus, ubi timor? Sunt plurimi qui Deum labiis honorant, corde autem ab eo longe discesserunt; sed nihil fictum stabile, nihil simulatum potest esse diutinum. Quæ fiunt in veritate, & veniunt ex corde perfecto non timent casum; fundata enim sunt supra firmam petram, idest super veritatem, quæ Christus est. *Petra autem erat Christus*, inquit apostolus. Verba vestra, auditores Sabaudienses, arbitramur ex puro corde deprompta esse, et talem esse principis vestri animum, qualem expressistis. Expectamus nunc, ut magnificis sponsionibus vestris magnifica facta respondeant, cujus rei & nobilitas, & pietas & religio vestri principis spem nobis quodam modo certam præbent. Ad reliqua per vos dicta alia hora, & alio loco respondebimus.

Ed. *vestrum*.

AD EOSDEM

in eodem Conventu.

SAtisfacit abunde nobis dilectus filius nobil vir Ludovicus Sabaudiæ dux, qui cum per valetudinem huc accedere non posset, charissimum filium suum, nobile pignus, egregium adolescentem, & vos præstantes oratores ad consulendum reipublicæ Chri-

Anno Christi 1459.

Christianæ transfinisit. Videmus læto vultu, & alacri animo. Idem faciunt venerabiles &c. Idem tota concio. Verba vestra doctrinæ & sapientiæ plena fuerunt. Videmini a sapiente principe missi; magna ex dictis vestris documenta recepimus, quæ vobiscum & cum cæteris, qui ad hanc rem vocati sunt conabimur persequi. Magnificas oblationes vestras laudamus & amplectimur; dignæ sunt quas Sabaudiensis domus efficiat, quæ regium & imperatorium sanguinem per se ferens, non potest nisi magna & regia polliceri. Dignus est princeps Sabaudiensis quem cuncti ament; maxime vero apostolica sedes; quod quidem, vita comite, a nobis non negligetur.

AD ORATORES IMPERIALES.

EXposcebat haud dubie res, quæ hoc in conventu geritur, imperatoriæ majestatis præsentia; siquidem fides ipsa catholica & orthodoxa tuenda proponitur, cujus protectio ad eum pertinet, qui gladium portat ad indictam malorum, laudem vero bonorum; sed non tulerunt tempora & rerum conditiones Cæsarem ex patria sua recedere. Ideo vos missi estis, præstantissimi & insignes oratores, non equidem indigni, qui tanto in consessu vices Cæsareas impleatis, sive dignitates vestras, sive præcipuas dotes metimur. Novimus jampridem quemque vestrum, & singulari benivolentia prosequuti sumus cum in minoribus ageremus. Gratias Cæsari agimus qui vos misit, nobis ex omni parte charos acceptosque. Non attingemus cunctas orationis vestræ partes; præteribimus laudes nobis attributas, quæ conscium suæ parvitatis pectus nihil extollunt. Præteribimus alia multa sapienter, & ornatissime dicta. Duo tamen non possumus non refricare; alterum est in Turcos de bello gerendo; alterum de laude Cæsaris. In Turcos sumenda esse arma omnes fatentur; at quibus potissimum hominibus hoc ipsum incumbat, nemo dicit. Dicemus hoc nos; si non ornate, at libere & vere; nec putamus nos quemquam offensuros veritatem dicentes, quamvis in proverbio est: obsequium amicos, veritas odium parit. Quippe cogitantibus nobis sæpenumero cui potissimum nationi contra Turcos expeditio debeatur, quamvis nemo Christianus immunis esse debeat; quatuor tamen causæ occurrunt, quæ nationi Germanicæ hoc belli onus, sive honorem ipsis demandant. Prima est necessitas; secunda auctoritas est; tertia facultas; quartam invitatio majoris vicinitatis, quæ vobis cum Turcis est; *duo facit*; nam & timere nos cogit, ne superatis Hungaris, qui medii sunt inter vos & illos, res vestræ pereant. Est enim planum iter, & facultatem præbet ducendi copias in hostes; per Danubium enim a minori usque in superiorem, & inferiorem Misiam, quam Turci possident, milites vestros navibus transvehere potestis. Et ratione igitur imperii vestri tuendi, & ratione propinquitatis & facilitatis conveniendi cum hoste primæ belli partes in Turcos ad Germanos pertinent. Is enim primus ad restinguendum ignem exurgere debet, quem propria incendia tangunt. Succedit loco secundo auctoritas & dignitas nationis; nam cum imperialis gloriæ culmen apud vos sit; cujus est ecclesiam Dei protegere, fidem defendere, religionem augere; quis non intelliget ejus belli, quod pro fide tuenda suscipitur, eos duces, eos vexilliferos, eos imperatores esse debere, apud quos est insigne victricis aquilæ, & nunquam violanda majestas? His conjungitur facultas belli gerendi; neque enim inerme vobis imperium, aut regnum pauper. Longe lateque patet Theutonica natio, dives agris, armis, equis, viris, & inexhaustis argenti metallis opulenta; & ubi nam gentium nobiliores, aut potentiores familiæ, quam in Germania? ubi splendidiores, ditiores, munitiores urbes? ubi ferocior populus, ubi juventus belli cupidior, ubi robustiores milites, ubi duces prudentiores? semper armata Germania est, semper indomita, semper victrix; aptissima profecto quæ Turcorum ferociæ opponatur. Quod ultimo loco magnopere suadent, & invitant exempla majorum, qui res clarissimas pro Christi nomine gesserunt. Namque cum nobilissimi sitis, majores vestros imitari debetis, Carolos, Pipinos, Henricos, Ottones, Fridericos, Conrados, qui non solum Germanias, Gallias, atque Hispanias; sed Hungariam, Græciam, atque Asiam victoribus cum exercitibus percurrerunt. Quod si alii non essent, unus vos excitare, & commovere satis deberet victor ille ac triumphator Carolus, qui ob magnitudinem rerum gestarum magni cognomen adeptus est. Vester ille, vester Theutonicus fuit, & sua gloria vestra est. Nec propter hoc clarissimis Franciæ regibus quicquam detraximus; sua cuique servata laus est. Illi ex Carolo orti sunt, vos Carolum genuistis. Unus igitur Carolus & Francos & Germanos commovere debet: Agite igitur Theutones, expergiscimini, sumite animum, excutite periculum quod ante omnes vestræ imminet nationi. Cumque facile copias vestras in hostes ducere possitis, nec vobis desunt robustissimi, & munitissimi exercitus, & dignitas imperii quod tenetis hoc expostulet, & progenitorum vestrorum ingentia facta vos invitent. Audete tandem, & quod inter vos sæpe cogitatum tractatumque est, in opus educite. Nihil habet natura vestra majus, quam ut possitis; nihil melius, quam ut velitis christianæ reipublicæ cum honore Dei & vestro consulere, & prodesse quamplurimis, quod in hoc bello contra Turcos gerendo facile præstare potestis. Nec plura de prima parte. De secunda, hoc est de virtute Friderici Cæsaris pauciſſima subiungemus. Non quod ipsi diminute loquuti sitis; sed quod indigna res fuerit in ejus laudes nos silere. Qui cum celebrari ab omnibus debeat; præcipue tamen præconia nostra meretur Fridericus imperator. Judicio nostro felix est: nam Deum timet, diligit, & colit, & potestatem suam maxime ad Dei cultum dilatandum exercet; juste imperat, tarde judicat, facile ignoscit, vindictam ex malefactoribus pro necessitate reipublicæ tuendæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exercet; veniam, non ad impuni-

ANNO CHRISTI 1459.

punitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulget. Si quid aspere cogitur aliquando decernere; misericordiæ lenitate, & eleemosinarum largitate compensat. Luxuria tanto in eo castigatior est, quanto posset esse liberior; mavult cupiditatibus suis, quam quibuslibet gentibus imperare. Inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extollitur; sed hominem se esse meminit. Pro peccatis suis sacrificia Deo suo immolare non negligit; in omnes benignus & clemens. Qui cum talis sit, non veremur Augustini testimonio felicem appellare in hac vita per spem, & in alia re ipsa futurum.

AD ALBERTUM MARCHIONEM BRANDEBURGENSEM.

ADveniſſe te citius, dilectiſſime fili, & optaviſſemus quidem, & rebus gerendis noſtro juditio non parum conduxiſſet; ſed curaſti ne bellum civile inter Alemannos exoriretur: non minus reipublicæ profuiſti, quam ſi hic affuiſſes. Veniſti tamen modo, & omnes difficultates ſuperaſti; nulla te potuerunt impedire impedimenta, quominus deſiderio noſtro ſatisfaceres. Neque fluminibus, neque montibus vera charitas retineri poteſt. Et præſentia tua, & verbis tuis mirum in modum nos recreas. Probamus quæ tuo nomine dicta ſunt, & conſilia tua non aliter quam viri prudentis, & qui multa viderit & probaverit, amplectenda eſſe ducimus, de quibus tecum ſeorſum agemus. Verum quia natio Germanica, ex qua tu ortus es, inclita & potens in expeditionem contra Turcos obeundam duo & XL. millia pugnatorum Chriſtianæ religioni pollicita eſt, ut hoc fiat, quod promiſſum eſt duo neceſſaria eſſe videmus. Unum, ut pax Norimbergæ proximo anno compoſita, ſtabilis ſit, & nihil novi diſſidii ſuboriri ſinat; neque enim aliter educi exercitus poſſet. Alterum, ut ad cogendas copias ingens ſtudium, & diligentia ſolers adhibeatur. Utrumque in te ſitum eſt; ſi voles, pacata erunt omnia, nec deerit validus contra Turcos exercitus, ubi tua ſolertia incubuerit. Novimus ſtudium & diligentiam tuam; omnia fiunt quamvis difficillima, ubi tuum animum intenderis. Age igitur, erige mentem, & his te rebus accinge, quæ te poſſunt beatum & immortalem reddere. Multa hactenus bella geſſiſti; in Franconia, quæ tibi patria eſt; in Miſna; in Saxonia; in Bohemia; in Sleſia; in Polonia; in Hungaria; in Auſtria; in Bavaria; in Suevia: nulla regio in Germania eſt tui non plena ſudoris; a teneris (ut ajunt) unguiculis verſatus in armis, adeo clarum geſſiſti militem, & dein ducem, ut non ab re Theutonicum te Achillem quidam nominaverunt. Tuliſti ſæpe optima ex hoſte ſpolia; ſæpe vallum, ſæpe murum primus hoſtilem aſcendiſti; erexiſti pluribus in locis victoriarum trophæa, & ex manibus hoſtium tua templa ditaſti. Si cujuſpiam noſtri temporis viri victura eſt fama, tua profecto victura eſt; injuriam enim ſcriptores tuo nomini fecerint, niſi te priſcis æquaverint, quos Græcia, & quos Roma miratur belli ducibus. Verum, quamvis te juſta ſequutum bella putemus, inter Chriſtianos hactenus præliatus eſt, quod difficile ſine peccato fieri poteſt. Sæpe innocens ſanguis effunditur, interveniunt puellarum & nuptarum rapta. Dum ſuperbit impius, incenditur pauper, diripiuntur eccleſiæ, monaſteria incenduntur, divina & humana miſcentur; apud victorem raro moderatio magis quam libido vindictæ poteſt; multa urgent conſcientiam tuam; (non dubitamus) non potuiſti non lædere multos. At hæ expiare Turconico bello facile poteris; pugnaſti pro mundo hactenus, pugna nunc pro Chriſto; pugnaſti pro corpore, pugna nunc pro anima; pugnaſti pro fragili & caduca gloria, pugna nunc pro immortali & æterna laude. Exerce te in hoc bello, in quo poſſis omnes veteris culpæ maculas expurgare, & te gratum creatori tuo reddere. Age, amplectere volenti animo hanc expeditionem, in qua ſi te armatum eſſe ſenſerimus, magnam victoriæ fiduciam capiemus; nam te alterum in prælio David futurum ſperamus, de quo canebant quod Saul mille, & David decem millia ſtraviſſet hoſtium. Tua perſona pro magno nobis erit exercitu, & in te alterum Judam Macchabæum, aut alterum Samſonem eſſe cenſebimus. Confortare igitur, & eſto robuſtus, & cum redieris ad fratres tuos Germaniæ proceres; ſtude, ut ſedatis domeſticis contentionibus, ſi quæ pullulant, exercitus, qui promiſſus eſt, in Germania conflетur, & in hoſtes ducatur. Reliqua Dominus Deus pro ſua miſericordia felicia eſſe præſtabit. Amen.

AD ORATORES VENETOS.

FAtemur, inſignes Venetorum oratores, nos ſuperioribus diebus non parum admiratos eſſe, quod vos, qui primi eſſe debuiſſetis in hoc conventu, ultimi omnium de veniendo cogitaretis. Nam quid aliud hic quæritur quam eum perdere hoſtem, qui veſtris cervicibus imminet, & qui rempublicam veſtram in primis odit? quippe ſi cujuſpiam intereſt Turcos exterminari; & Hungarorum & veſtra intereſt. Dolebamus eo deductas res eſſe ut rogari vellent, qui rogare deberent. Multa per vos in excuſationem dicta ſunt, & quidem prudenter atque ornatiſſime; quæ tamen nos facile diſſolveremus, ubi contendendum eſſet. Sed ſatisfactum eſt omnibus, poſtquam veniſtis, & magnificas oblationes facitis. Magni facimus dicta veſtra, neque ignari ſumus Senatum Venetum ad bellum contra Turcos plurimum poſſe, ſive mari ſive terra præ-
Elietur. Non latet nos quotiens veſtri progenitores magnas claſſes geſſere, & magnas tulerunt ex hoſte victorias. Legimus majorum veſtrorum geſta, quæ cum antiquis comparanda ſunt. Nec ignoramus, quæ præſtitiſtis Alexandro III. auxilia; quæ aliis pontificibus: nec nos latent ornamenta quæ ipſe vobis Alexander præbuit. Fuiſtis & vos eccleſiæ faventes, & ipſa vobis benigniſſima extitit. Scimus captam a vobis olim Conſtan-

Deeſt in Cod. Medicol.

stantinopolim esse. Scimus, quas in Asiam, quas in Syriam contra infideles missistis armatas, indeque vestra res aucta. Voluit enim Deus vos magnos facere qui magna pro sua gloria feciſtis. Sed advertere vos oportet quod quanto majores estis, tanto majora pro fide Christi facere oportet, ut Gregorii sententia est. Si enim cum vestrum imperium, multo minus esset quam hodie, Mahumetam longe invasistis; quid nunc facere debetis? & si hostes longe positos aggredi non timuistis; cur nunc non audetis quando vicinus est & magis nocere potest? Nunc potissime cogitandum est. Vos primi estis quos illi invadent post Hungaros. Non vestri causa hæc agimus ut occurratur & Hungarorum *causa (a)*? si non juvatis modo Hungaros; quæretis juvari & non juvabimini. Sed animadvertimus vos boni esse animi, lætamur, & confidimus vestro auxilio & Dei adjutorio, quando alii multi concurrunt rempublicam non deserendam esse. De consiliis vestris post simul conferemus, & putamus quod vestro & aliorum consilio, adjuvante Domino, respublica Christiana magnifice defendetur.

ORATIO PII PAPÆ II.

in discessu vel in fine diætæ Mantuæ.

SEptimo jam exacto mense, venerabiles in Christo Fratres ac filii dilectissimi, & octavo currente, finis adest Mantuani conventus, quem non dissolvimus, sed nobiscum, quocumque duxerimus Curiam nostram, transferendum duximus, & auctoritate Apostolica transferimus. Sed quoniam Salvatore propitio finis bonus concessus est earum rerum, quæ hic tractandæ fuerunt, gratias reddere Divinæ pietati convenit, & cum Propheta dicere: *date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia.* Sed ait fortasse quispiam: quid hic boni factum est? quid sperare Christiani; quid timere Turchi debent? aut quæ hic concluſa sunt, propter quæ gratias Deo reddamus alacres? Non latet vos, viri fratres, fuisse complures, qui audita convocatione hujus Concilii, & intellecta profectione nostra ex urbe: consilium nostrum vel temerarium, vel nimis audax judicarunt, tanquam Reges armare in Turcos, & omnem Græciam atque Asiam ex manibus hostium vendicare cogitaverimus. Nunc quoque non desunt malevoli & iniqui homines, qui nihil hic actum esse laudabile dicunt, & omnia depravant, contemnunt, irrident; adversus quos recte inquit sapiens: *ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium.* Nos sane cum animadvertemus perdita Græcia, Christianam plebem dietim acrius urgeri a Turchis, sacra nostra fœdari, & sanctum Evangelium conculcari, non Mahumethem barba prehensum trahere; non Turcos aut Arabes in vincula rapere, non Hierusalem aut Constantinopolim recuperare.

Non est vis animo nec tanta superbia nostro.

Sed conservare quod reliquum est Christiani nominis cogitavimus; neque hoc nobis persuasimus statim fieri posse, sed consilium ejus rei cum Principibus Christianis capiendum esse putavimus.

Non altus ille spiritus Eugenii datus est nobis a Domino, neque sublimis conceſſa Nicolai mens, neque vastus Calisti permissus animus. *Frigidus hæret nobis circum præcordia sanguis.* Illi per sese Turchis indixere bellum, copias armavere, classes instruxere. Nos tantam belli molem per se solam sustinere posse Romanam ecclesiam nequaquam arbitrati sumus. Sed conventu christianorum indicto, res communes communi consilio gerendas censuimus; memores ejus sententiæ: quoniam cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella. Reprehenduntur hæc in nobis; & timor audacia, consilium, temeritas appellatur. Garruli vero, quorum non parva copia est: nos urbem frustra reliquisse dicunt, & frustra huc profectos. Frustra hic dies plurimos consumpsisse, quoniam nihil actum sit, de quo bene sperare fideles populi queant. Stulta calumnia, injusta reprehensio. Arguimur, quia futurum nescimus, quod magna caligine Deus occuluit; a Domino diriguntur gressus viri; quis autem hominum potest intelligere viam suam? quamvis cœlum sursum & terra deorsum & cor Regum inscrutabile; nostrum tamen fuit de Principibus Christianis bene ac magnifice sperare, & hunc conventum magnos effectus pariturum credere. Verum sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri; multæ cogitationes hominum; voluntas autem Domini permanet. Existimavimus Christianos Reges multa facturos. Deus autem qui solus bonus est, & solus sapiens, soluſque novit quod nobis expediat; hoc tamen fieri voluit, quod factum est; ad cujus consilium nulla potest curiositas hominum pervenire. Fatemur, non sunt facta omnia, quæ putavimus; sed neque omnia prætermissa; neque maxima, neque minima sunt quæ Christiani Principes promisere; & longe plus factum est, quam multi judicarint.

Alius hæc magnificis ampliaret verbis; nostrum est solam & nudam veritatem ostendere, & dicere cum Propheta: *date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia.* Quæ opera dicit fortasse aliquis? opera certe, quæ in hoc conventu operatus est Dominus, cujus voluntate factum est, ut omnes, qui convenerunt uno animo, & uno ore bellum Turchis indicendum suaserint: ad quod nutriendum quæ subsidia promissa sint, & quæ sperentur, quam breviſſime referendum est. In qua re non servabimus dignitatum ordinem, sed ut quisque memoriæ se obtulerit, ita & recensebitur. Nobiliſſima Provinciarum Italia clericorum decimas, Judæorum vigesimas, laicorum tricesimas pollicita est.

Audistis oratores incliti Joannis Aragoniæ Regis qui propter Trinacriam atque Sardiniam Italis annumeratus est, quam multa pro tuenda fide promiserint. Audistis & Oratores Ferdinandi Siciliæ Regis, qui, quam-

ANNO CHRISTI 1459.

ANNO CHRISTI 1459.

vis domestico implicitus bello est, Christianæ tamen religioni sua præsidia non denegat. Franciscum Sfortiam Mediolanensium Principem ipsi præsentem vidistis; verba ejus memoriæ tenetis, quæ Christianum animum & religiosam mentem ostenderent. Quam liberalis & magnifica fuerit Borsii Mutinæ ducis oblatio non ignoratis; ad trecenta usque millia auri nummum legati ejus obligare dominum potuere. Ludovicus Marchio Mantuanus, insignis & modestissimus Princeps, plus cupit ecclesiæ subvenire, quam possit. Florentini, potens & prædives populus, per legatos suos sese obligarunt. Idem fecerunt Senenses & Lucani, non contemnendæ civitates. Marchionem Montis ferrati, antiquæ nobilitatis Principem, progenitorum suorum vestigia secuturum frater Guilemus obtulit. Si vera loquuti sunt Genuenses, ex illa quoque nobili ac potenti civitate non parva expectanda sunt auxilia. Ludovici Sabaudiæ ducis, qui non parum in Italia dominium possidet, nondum responsum habemus: confidimus tamen, filium, quem Ciptis Regem dedit, non derelinquet. De maxima & potentissima Venetorum Republica nihil dicimus; ipsum tamen silentium non nihil spei præstare potest. Est præterea in Italia Romana ecclesia, urbs Roma, caput orbis; opulenta Bononia; nobilis Perusia; vetus Ancona & omnis Ager Picenus; omnis Umbria; omne Patrimonium beati Petri, cujus nos parentes sumus, ne minora præstabimus quam literæ nostræ promittunt, quæ mox legentur. Sunt & fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales. Sunt officiales & ministri curiæ; omnes suis opibus bellum juvabunt; sic mater Italia se se exhibet; sic Dei perfecta sunt opera.

Sed neque armipotens Germania, neque glorioſissimus Imperator Fridericus, neque nobilissimi Austriæ, Bavariæ, Saxoniæ, ceterique Duces: Marchiones, Comites, populique potentes nationis ejusce otiosi esse volunt. Duo & quadraginta pugnatorum milia in hostes educere promiserunt; magnam militum & prævalidam manum quæ fugere nesciant. Audistis Albertum Marchionem quem coram cernitis; non hic gregarius miles aut infimus Princeps, sed Dux peritissimus est, qui plures ex hoste victorias tulit, quam alius nostri temporis legerit; multum est quod ipse promittit: in cujus persona instar est non parvi exercitus.

Transeamus in Galliam; Philippus Burgundiæ Dux, & nobilitate & potentatu admodum excellens, cujus dominia per Germaniam ac Galliam latissime patent, sex milia bellatorum pollicitus est. Credimus generosum animum Principis, ut captivitatem Patris magnifice ulciscatur, etiam majora facturum.

Hungari, quorum res agitur, duodecim millia equitum peditumque non parvum numerum se se armaturos affirmant; & nos si facultas aderit, quam speramus, parem equitum alam adhibebimus. Hic est exercitus, qui promittitur, septuaginta milium bellatorum & ultra, quem qui non sufficere arbitratur, is neque rei bellicæ peritiam habet, neque spem in Domino. Romani qui orbem armis subegerunt, quatuor legiones cum auxiliis, ad omnem vim belli sustinendam idoneas putaverunt, nec plures in auxiliis milites, quam in legionibus esse sinebant. Fatemur non satis fuisse hic exercitus Xersi, neque Dario, neque Tamerlanio, quem Patruum nostrorum memoria denacentena millia hominum in armis habuisse proditum est; sed Alexandro magno, sed Hannibali Poeno, sed Scipioni Africano, sed Cn. Pompejo, sed Julio Cæsari minores quam hæ copiæ satis, superque satis fuissent; qui parva sæpe manu innumerabiles hostium turmas delevere. Considerandum & est illud, quod ad Gedeonem in libris Judicum dixisse Dominum legimus: *multus*, inquit, *tecum est populus, neque tradetur Madiam in manus ejus, ne glorietur contra me Israel & dicat: meis viribus liberatus sum.* Tribuendus est Domino suus honor, & aliquid sibi reservandum est. Nam turris fortissima nomen Domini; ad ipsam currit justus & exaltabitur; speremus in Domino, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros; qui timet hominem cito corruet; qui sperat in Domino, sublevabitur; quamvis, & humana ratione sperare nobis victoriam licet. Cum terra marique magnis viribus aggressuri hostem simus, curavimus enim & validam classem armari: sicut postea suo tempore cognoscetis; neque Christiani milites effœminati instar Turchorum sunt. Virilis exercitus noster; ille muliebris erit; neque multitudo timenda hostium est. Nam & Christianorum (ut diximus) ingentes erunt turmæ; quibus & Cruce signatorum accedent cunei, quorum virtus tertio ab hinc anno probata, magnam & præclaram victoriam peperit. Hæc sunt auxilia, quæ dominus parare voluit, cujus perfecta sunt opera, & cui tam facile est cum paucis quam cum multis vincere. Numeravimus ea, quæ tamquam certa promissa sunt auxilia; nunc sperata referamus.

Quis Carolum Franciæ regem tum religiosissimum tum potentissimum & nobilissimum Orthodoxæ fidei defuturum putet? cujus majores iccirco Christianissimi dicti sunt, quia legem Christi adversus Barbaros magnifice defenderunt. Oratores ejus, viri præstantes, optimam spem nobis fecerunt, regem hunc digna suo genere præstaturum auxilia.

Nec Hispania, terra nobilis & præpotens, Christianæ necessitati defutura est. Henrici, Castellæ Regis maximi & clarissimi, quamvis Granatensi bello detinetur, pecuniaria tamen subventio non denegabitur. Joannes Aragonensis, qui pluribus regnis præest, & in Italia & in Hispania late imperat, magno animo fidem non solum ut Italus, sicut prædictum est, sed etiam sicut Hispanus, se tutaturum asserit. Aphonsus Portugaliæ rex & ipse magnanimus, quamquam Ceptemsem Mauritanumque hostem premit, voti tamen memor adversus Turcos aliquid molietur. Henricus Angliæ Rex haud contemnendam legationem missurus erat; impedivit civile bellum, quo composito, non est credibile pium principem christianam religionem deserturum. Nec Scotorum

torum rex Jacobus, & si extra orbem positus esse videtur, auxilia sua catholicæ negabit ecclesiæ. Neque Casimirus Poloniæ rex, Lituaniæque magnus dux inultam esse animam patietur Uladislai fratris, quem Turchi crudeliter obtruncarunt. Nec Georgius, qui regno Bohemiæ præsidet, fortes suorum turmas religioni negaturus est; cujus non minor est animus, quam potentia. Christiernus quoque Daccorum, Suetiorumque rex, Gotthicæ gentis rector, nequaquam ultimus esse volet eorum regum, qui fidei curam gerunt.

Verum hæc sperata sunt auxilia; illa quæ supra diximus magna ex parte promissa & affirmata, propter quæ libet iterum atque iterum cum propheta dicere: *Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ jus judicia*. Sed quæritis fortasse, fratres, quo pacto fiet hic exercitus, cum novæ inter Germanos exortæ lites ferantur, & Cæsar de Regno contendat? Respondemus, quamvis investigabiles viæ Domini, & judicia ejus abyssus multa, qui tamen ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Nos legatum in Germaniam mittemus venerabilem fratrem nostrum Bessarionem cardinalem Nicænum, virum doctum, & rerum experientia præditum, qui vel pacem componat, vel inducias belli statuat; qualis exitus rerum erit, nescimus: expectatio justorum lætitia, spes autem impiorum peribit; si bona erunt opera nostra, si Deo fideliter serviemus, nihil proficiet inimicus in nobis, & filius iniquitatis non apponat nocere nobis. Quod timet impius veniet super eum, desiderium suum justis dabitur. Sufficit nobis præstare quæ possumus, reliqua Deo dimittenda sunt, cujus omnes viæ salus ac salvatio. Ipse noster protector, si merebimur, et propugnator erit; ipse hactenus ita res in hoc conventu direxit, ut agendæ sint ei ingentes gratiæ, qui misericordibus & pientibus oculis nos respicere dignatus est. De reliquo supplicandum est, ut vias suas erga nos in judicia per misericordiam dirigat; quare hortamur ut omnes nobiscum divinam pietatem implorantes, versiculis, quos pronunciabimus in modum qui subscriptus est, devote respondeatis.

Tu nos Domine Jesu Christe fili Dei vivi:
Ex omnibus gentibus regnum elegisti.
Et Christiano insignitos nomine:
Cohæredes tuos assumere dignatus es.
Sed indigni tam excellenti gratia peccavimus cum patribus nostris:
Injuste egimus, iniquitatem fecimus.
Dereliquimus te Deum factorem nostrum:
Et recessimus a te salutari nostro.
Exacerbavimus eloquia tua:
Profanavimus justitias tuas;
Et in judiciis tuis non ambulavimus:
Visitasti propterea in virga iniquitates nostras.
Et in verberibus peccata nostra:
Exaltasti dexteram deprimentium nos,
Et lætificasti omnes inimicos nostros:
Tradidisti fratres nostros in manibus gentium.
Et dominati sunt eorum qui oderunt eos.
Foris vastamur gladio,
Et intus pavore consumimur.
Facti sumus obprobrium vicinis nostris,
Et subsannatio & illusio iis qui sunt in circuitu nostro.
Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum,
Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.
Ne respicias peccata nostra;
Respice fidem ecclesiæ tuæ.
Nitet adhuc sponsa tua;
Sine ruga, & sine macula est amica tua,
& candida est columba tua.
Non omnes simul a te recessimus,
Neque omnes fornicati sumus.
Supersunt adhuc supra septem millia virorum,
Qui non curvaverunt genua sua ante Baal.
Inspice Sacerdotum abdita;
Rimare Virginum cellas, & monachorum intuere penetralia.
Non desunt animæ rectæ & simplices,
Quæ tibi fideliter serviunt, & pro nobis veniam petunt.
Audi supplicum preces,
Et confitentium parce peccatis; & quas fundimus lacrymas ne despicias.
Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est,
Introeat in conspectu tuo;
Et gemitus compeditorum
Sonet in auribus tuis.
Nos quamvis peccatores,
Christiani tamen sumus & nominis tui cultores.
Averte a nobis indignationem tuam,
Et procul sit a nobis furor tuus.
Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt,
Et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.
Ecce inimici tui sonuerunt,
Et qui oderunt te, extulerunt caput.
Superbiunt Constantinopolitana victoria hostes tui;
Et manus nostra, inquiunt, non Dominus fecit hæc omnia.
Quo usque patieris hæc, Domine;
Cur taces? cur obdormis?
An non tibi potestas est?
Et virtus, qua coherceas inimicos?
Et quis similis tibi in fortibus, Domine?
Magnificus in sanctitate, terribilis & laudabilis, & faciens mirabilia.
Adjuva nos, Deus, salutaris noster;
Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.
Propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.
Ne forte dicant in gentibus, ubi est Christianorum Deus?
Ostendisti hactenus quia misereri velles populi tui,
Fidelium mentes ut exercitum contra Turcos mitterent inspirando.
Perfice quod restat, da perficere quæ promissa sunt, & adversus inimicos tuæ Sanctissimæ Crucis præbe victoriam.
Memento, Domine, in beneplacito populi tui;

ANNO CHRISTI 1459.

Et visita nos in salutari tuo.
Salvos fac nos, Domine Deus noster,
Ut liberati de tribulatione confiteamur nomini sancto tuo.
Gloriemur, Domine, in laude tua,
Læta & alacri voce dicentes:
Date magnificentiam Domino Deo nostro,
Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Dominus vobiscum,
Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui pretiosissimo sanguine dilectissimi Filii tui humanum genus redimere & jacentem in tenebris mundum ad Evangelii lucem erigere dignatus es: præsta quæsumus, ut adversus impias Turcorum gentes ejusdem Evangelii contemptores, cunctasque barbaras nationes, vivificæ Crucis inimicas, fideles Christianorum Principes ac populi per hoc persecutionis tempus, ita potenter arma corripiant, ut quicunque pro tui nominis gloria militaverint, virtutis tuæ brachio sublevati, ad ecclesiam tuam victricia signa feliciter reportent; per eundem D. N. Amen.

DE MODIS ET FORMIS

Quibus futurus pontifex ad observantiam promissorum possit astringi.

Ex MS. Cod. Felini.

Mihi videtur, primo, pontificem teneri, & astringi posse, si voverit Deo, & BB. apostolis prædicta, de quibus supra diximus, servaturum: quoniam licet princeps a legibus suis positivis sit exemptus; non tamen a lege divina, vel naturæ, secundum quod notatur per doctores, maxime per D. Antonium de Butrio in c. p. de consti. & quod notatur per Innocentium c. *magnæ*, de voto; vovendo autem se obligat Deo ad reddendum quod promisit, juxta illud: *vovete, & reddite Domino Deo vestro*; & illud Salomonis: *ne differas reddere quod voveris; displicet enim Deo infidelis & stulta promissio*. Poterunt ergo singuli cardinales ante electionem vovere, & electus ratificare secundum formam infra subjectam.

At si aliquis dicat, hoc non esse satis tutum, quoniam a tali voto seipsum absolvet: respondeo hoc recte non poterit, ut notatur XV. q.1. in canone, *authoritatem*, & per Innocentium in c. *nisi cum pridem*, de renunt. Præterea voto, & jurejurando se astringit nunquam se absolvere vel alicui absolutionem committere.

Secundo, astringi poterunt juramento cardinales singuli, & electus post electionem, quod juramentum papa observare tenebitur, ne faciat irrita juxta psal. quæ de labiis illius processerint, XI. q. p. *scimus*; nec secum posset dispensare contra præceptum secundæ tabulæ, ut notatur per D. Antonium in c. *quanto*, in gl. in ℣. *absolvi*, de jurejurando.

Tertio modo, obligabitur papa per viam contractus, si ante, & post electionem notario stipulanti nomine ecclesiæ universalis & coetus dominorum cardinalium, ac omnium, quorum interest; quod potest cum sit ..... publica, juxta legem penult. ff. rem pupilli salvam fore: quoniam constat papam, & imperatorem obligari ex contractu, ut in c. p. ubi notatur per doctores de probat. & notat c. in *l. digna vox*, c. de legibus, & quod illa non possit revocare sive in q. facti, de privil. ecclesiæ Urisdagalensi concesso. *Sic.*

Quarto modo obligabitur futurus pontifex, si talia promiserit, ad quæ tenetur ex obligatione naturalis charitatis, qualia fere sunt omnia in capitulis contenta; videlicet circa defensionem catholicæ fidei, in conservanda ecclesiastica libertate, non alienando patrimonio ecclesiæ, servando jura collegii cardinalium, & cætera; quod ad talia servanda teneatur ex ordine naturalis charitatis patet ex c. *sunt quidam*, & c. *quod ad perpetuam*, & cap. *divinis*; & fere per totam illam quæst. XXV. q. p. XI. q. p. *pervenit*. Quod autem ratio naturalis charitatis eum obliget, tenet idem Antonius in d. c. p. & quod in istis casibus Romanus pontifex non possit a promissis recedere in similibus titulis de promissione facta in conclavi ante electionem, & post facta per Gregorium papam plane deducit dictus Antonius de Butrio in c. *canonum*, de constit. et D. Franciscus cardinalis de Zabarella in tractatu, quem fecit, de schismate Urbani.

Quinto modo, poterit tacite & efficaciter obligari, si (se) subjecerit in eventum transgressionis sententiæ concilii, quod ex tunc ad revocationem majoris partis cardinalium apostolica authoritate intelligatur indictum; hoc certe facere poterit, quoniam potest se inferioris judicio sponte submittere. 11. q.VII. *nos si incompetentem;* doc. in c. p. de jud. exemplo Sixti, qui se subjecit synodo a Valentiniano Augusto congregato, 2. q. V. *mandasti;* item exemplo Leonis c. *auditum*, eadem causa, & quæstione.

Quod autem tali præcedenti decreto per solicitudinem cardinalium possit convocari concilium, pleniſſime consultum fuit per Antonium de Butrio & Franciscum Zabarella in similibus casibus, ubi papa vere argueretur, & deprehenderetur deformator, & scandaliza-

NNO RISTI 459.

lizator ſtatus eccleſiæ, transgrediendo tam ſancta promiſſa; quod etiam repetendo originem congregationis conciliorum primo factam auctoritate Apoſtolorum, Act. VI. ibi convocaverunt omnem multitudinem diſcipulorum; & ex conventionibus factis per imperatores, antequam per jus poſitivum introduceretur, ſynodum univerſalem nonniſi Romani pontificis authoritate vocari; ſed ſecundum prædicta non poſſet dici non affuiſſe ſemel authoritatem apoſtolicæ ſedis, licet vellet poſtea reſilire.

Sexto, quod in eventum transgreſſionis promiſſorum in ſemet, tanquam in deformatorem & perturbatorem eccleſiæ, proferat anathema & ſententiam maledictionis æternæ; hoc enim videtur poſſe fieri exemplo Marcellini, III. c. *auctoritatem*, XXI. diſ.

Notanda vero eſt neceſſaria cautela, ſine qua facile illuderetur eccleſiæ, ſi unum tantum fieret inſtrumentum, vel hæc promiſſio in camera concederetur: accederet enim, ſicut dicitur, decretis concilii Conſtantienſis editis pro reformatione eccleſiæ, reſtringentibus libertatem pontificis, quorum licet multa extent exempla, nuſquam tamen reperiri poteſt authentice ut fidem faciat. Igitur ſervanda cautela, quam etiam ſervarunt cardinales ante electiones Gregorii, ut ſingula inſtrumenta publica ſingulis fierent cardinalibus.

Item cautela neceſſaria eſt, ut in ſingulis inſtrumentis omnes cardinales ſubſcribant, & electus pontifex, antequam publicetur, veneretur, vel intrhonizetur in conclavi, ratificando ſubſcribat ſe propria manu.

Ut autem res deducatur ad praticam, ſubiicietur forma voti ac promiſſionis.

Nos omnes & ſinguli S. R. E. cardinales congregati Romæ in palatio apoſtolico pro electione futuri ſummi pontificis in conclavi, ante altare, in quo Miſſa communis celebrari conſuevit, infraſcripta capitula inter nos unanimiter & concorditer ordinata pro defenſione catholicæ fidei & erectione eccleſiaſticæ libertatis, pro reformatione eccleſiæ in capite, & in membris, ac vinculo charitatis & pacis inter futurum ſummum pontificem & fratres ejus S. R. E. cardinales conſervando, vovemus Deo, & ejus Matri, et Virgini glorioſæ, & beatis apoſtolis Petro, & Paulo totique coeleſti curiæ; jurantes quoque ad ſancta Dei evangelia corporaliter per nos tacta, ac alter alteri, & etiam notario publico tanquam legitimæ perſonæ nomine ſanctæ Romanæ eccleſiæ & ſacri collegii noſtri ac omnium, quorum intereſt ſtipulanti, quod ſi quis & ſiqui noſtrum, qui fuerit aſſumptus ad apicem apoſtolatus, omni dolo, fraude, ac machinatione ceſſantibus, & omni prorſus exceptione ſemotis, ſervabit, & adimplebit omnia, et ſingula in dictis capitulis contenta, nec illis, aut eorum alteri contraveniet directe, vel indirecte, publice, vel occulte; quodque ſtatim poſt electionem, et ante publicationem, vel inthronizationem omnia et ſingula prædicta capitula confirmabit, et approbabit authentico modo, et de novo ſimilem promiſſionem faciet in omnibus, et per omnia coram omnibus nobis notario, et teſtibus cum ſubſcriptione manus propriæ ſimili voto, juramento ſtipulatione et obligatione; promittentes quod ipſe qui ex nobis electus fuerit a prædictis, promiſſione, voto, ac obligatione, et juramenti præſtatione, et ejus obſervatione, ac omnibus, et ſingulis in dictis capitulis contentis nullus noſtrum, nec eligendus ex nobis abſolutionem petet, ſeu impetrabit per ſe vel alium, et impetratis vel impetrandis utetur, et ſibi conceſſam nullatenus acceptabit, nec dicta poteſtate per ipſum eligendum alteri data ſe faciet abſolvi, ſeu etiam ſecum in aliquo diſpenſari; ſed volet perpetuo vinculo remanere obligatus. Quod ſi forſam (quod abſit) aliquis veſtrum prædictis aut prædictorum aliquo contraveniet, tanquam transgreſſor voti, & fidei præſtitæ, ac perjurus, tanquam etiam perturbator et ſcandalizator eccleſiæ, et totius chriſtianitatis habeatur, et reputetur, et perpetuo anathemate atque excommunicatione damnatus exiſtat, et cum impiis, qui non reſurgunt in judicio reputetur, et omnipotentis Dei contra ſe iram ſentiat, et SS. Petri et Pauli, quorum perturbat eccleſiam, in hac vita, et in futura furorem ſentiat; fiantque dies ejus pauci, et epiſcopatum ejus accipiat alter; et nihilominus eligendus et futurus pontifex ſe ſynodali ſententiæ uſque ad depoſitionem incluſive ſubjaceat. Cui ſententiæ, atque judicio quisquis noſtrum aſſumptus fuerit in papam, ex nunc prout ex tunc, et e contra ſponte, voluntarie ſubiicit ſi tertio a *minori* pare cardinalium commonitus non reſipuerit. Quod quidem conſilium ex nunc idem pontifex futurus ante publicationem, in eventum contraventionis et tranſgreſſionis prædictæ apoſtolica authoritate irrevocabilium pari voto et juramento atque obligatione authoritate apoſtolica judicet; ita ut in dictum caſum et eventum poſſit major pars collegii cardinalium, vel imperator illis requirentibus, concilium velut legitime et apoſtolica authoritate indictum, non obſtante quacumque revocatione, et derogatione cum quibuſcumque clauſulis, et cenſuris, per ſuam ſollicitudinem congregare. Et nihilominus ad majorem rectitudinem et firmitatem quilibet ex nobis teneatur ſe ſubſcribere manu propria omnibus et ſingulis inſtrumentis conficiendis, exinde quod etiam ante publicationem futurus pontifex facere teneatur; quorum inſtrumentorum quilibet ex nobis unum vel plura habere valeat pro ejus arbitrio voluntatis, renuntiando pari voto, et juramento omnibus et ſingulis legibus et conſtitutionibus ſynodalibus, apoſtolicis, et aliis quibuſcumque, quibus contra præmiſſa quomodolibet nos juvare poſſemus.

Sequantur ſubſcriptiones omnium cardinalium.

Forma ſubſcriptionis futuri pontificis.

Ego N. papa hodie videlicet etc. electus et aſſumptus in Romanum pontificem ſic, ut præmittitur juro, voveo, promitto, ratifico et confirmo omnia et ſingula ſupradicta.

Capi-

ANNO CHRISTI 1459.

f. majori.

ANNO CHRISTI 1459.

Capitula quæ multum ſtatui eccleſiæ videntur eſſe neceſſaria.

Primo, promittat, & juret quilibet cardinalis ſingulariter, (quod) ſi contingat eum aſſumi ad dignitatem ſummi pontificis, ſervabit, & adimplebit realiter ea, quæ ſequuntur; renuntiabit quoque juri aut exceptioni ſuperioritatis aut non competentis judicis, & alteri cuicumque, per quam ſe juvari poſſet ad dicta capitula non obſervanda.

Item, quod non transferet ſive educet curiam Romanam de urbe ad urbem, loco ad locum, patria ad patriam, provincia ad provinciam, ſine conſilio, & aſſenſu DD. cardinalium, aut majoris partis ipſorum.

Item, quod non curabit, ſeu aſſumet aliquos cardinales etiam ex principibus quorumcumque, imperatorum, regum, ducum, aut principum quorumcumque; niſi dicto conſenſu majoris partis DD. cardinalium, quodque exquiſitio hujuſmodi votorum fiet conſiſtorialiter, & non auriculariter; fiet quoque dicta creatio novorum cardinalium juxta ordinationem factam in concilio Conſtantienſi, niſi de conſilio, & aſſenſu DD. cardinalium aliud fiendum videatur.

Item, quod nullam promiſſionem ſeu promotionem faciet de eccleſiis cathedralibus, monaſteriis, etiam ſub titulo commendæ, adminiſtrationis, vel alio quocumque titulo ſive modo, niſi conſiſtorialiter, & intervenient conſenſu omnium cardinalium, aut ſaltem majoris partis eorum.

Item, quod nullum bellum unquam expediri conſentiet, in qua ponatur, aut inſeratur clauſula illa; *de conſilio fratrum noſtrum &c.* niſi prius realiter, & cum effectu vota fratrum ſuper contentis in ea ſint exquiſita, & quod major pars conſenſerit, quodque ad minus ſint ſubſcriptiones trium DD. cardinalium; videlicet unius epiſcopi, unius presbyteri, & unius diaconi; qui in eorum ſubſcriptionibus atteſtentur de conſilio & aſſenſu majoris partis, & nomina conſentientium exprimendo.

Item, quod nullam facultatem præſentandi aut nominandi ad eccleſias cathedrales, collegiatas, ſeu monaſteria, dignitates, ſeu alia quæcumque beneficia concedet principibus ſæcularibus, aut prælatis eccleſiaſticis, cujuſcumque conditionis, ſtatus, aut qualitatis exiſtant, ſive imperatoriæ, regalis, ducalis, archiepiſcopalis, epiſcopalis vel cujuſvis alterius præeminentiæ, niſi de expreſſo conſilio & aſſenſu majoris partis DD. cardinalium.

Item, quod nullam infeudationem etiam de rebus quæ conſueverunt infeudari, ſeu alienationem ſub quocumque titulo, etiam vicariatus, pignoris, emphiteuſis, vel alterius contractus faciet in quamcumque perſonam eccleſiaſticam vel ſæcularem aut communitatem de rebus & bonis ſpectantibus ad patrimonium eccleſiæ, niſi deliberatione prius habita conſiſtorialiter, & conſentiente majori parte cardinalium cum eorumdem ſubſcriptionibus.

Item, quod nullam bullam unquam expediri permittet ſeu alicui concedet, per quam ſe adſtringat principibus vel alicui ipſorum, aut eos ratificet, quod nullas eccleſias cathedrales, collegiatas, monaſteria, ſeu alia beneficia conferet, niſi de ipſorum beneplacito aut voluntate, ſine conſilio & aſſenſu majoris partis DD. cardinalium & cum eorundem ſubſcriptionibus.

Item, quod nullum legatum de latere unquam conſtituet, aut eidem jam creato facultatem aliquam dabit, ſive concedet, niſi juxta & ſecundum deliberationem DD. cardinalium, aut majoris partis ipſorum conſiſtorialiter habitam, & quod in bulla facultatis conſentientium nomina deſcribantur.

Item, quod nulli principi, aut communitati movebit guerram, aut cum eis ligam, ſeu confœderationem aliquam faciet ſine expreſſo conſenſu eorumdem DD. cardinalium aut majoris partis ipſorum; & idem generaliter faciet de omnibus gravioribus actibus per eum gerendis, aut illa non faciet abſque conſilio & conſenſu DD. cardinalium, aut eorum majoris partis, quemadmodum jura diſponant.

Item, quod bona cardinalium, aliorumque prælatorum, necnon omnium cortiſianorum in curia decedentium nullo modo occupabit, vel occupari patietur: ſed permittet juxta juris diſpoſitionem, & voluntatem decedentium, ut idem decedentes de bonis ad ipſos quoquomodo pertinentibus, & prout eis placuerit, diſponant; religiosi, qui propriam voluntatem ab ſe abdicarunt, tantummodo exceptis, quorum bona devolvuntur ad illum, vel ad illos, ad quem, vel ad quos pertinent de jure, conſuetudine vel privilegio; nec de juribus capelli cardinalium decedentium aliquid occupabit, vel occupari faciet, aut permittet. Immo ſit liberum cardinalibus de eiſdem juribus teſtari aut facere, prout eis videbitur. Si ab inteſtato tamen ipſi cardinales deceſſerint dicta jura capelli tranſeant ad hæredes, ſublatis contrariis abuſibus quibuſcumque.

Item, quod dominis cardinalibus permittet libere recipere, & aſſignari faciet medietatem omnium & ſingulorum cenſuum, jurium, reddituum, proventuum, & emolumentorum quorumlibet Romanæ eccleſiæ, juxta conſuetudinem Nicolai IV. cujus tenor ſequitur.

„ Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum „ Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cœ„leſtis altitudo potentiæ, clementi provi„dentia cuncta diſponens, voluit cum ſum„mo pontifice concedere S. R. E. cardina„les, ut ipſi tanquam membra ejuſdem ec„cleſiæ capitis Chriſti capiti deſervirent, „ & ſubmiſſis humeris ad regendum univer„ſalis eccleſiæ fundamentum *optioſæ* ſedu„litate cum ipſo pontifice laboraverint, & „ tam ipſius eccleſiæ, quam totius urbis „ incumbentia onera indefeſſis cum eo ſol„licitudinibus partirentur. Hi ſunt, quos „ dixit Dominus, & velut proprias & ſub„limes eccleſiæ prædictæ columus prærogaa„tiva ſublimavit honoris: horum cœtus „ in urbe magnificus omnes & ſingulos qui„buſcumque titulis decoratos excellit; ho„rum altitudo concilii ex parte, circum„ſpe-

f. conſiliationem.

Sic.

Locus tu batus.

NNO RISTI 459.

te il- non ndat.

„ ſpectionis, induſtriæ circa dirigenda quæ-
„ libet, & agenda ſalu liter afferre uni-
„ verſaliter majora commoda dignoſcantur;
„ & ideo reputantes incongruum, ut ipſi
„ cardinales, tanta prædíti ſignitate, tantiſ-
„ que ſollicitudinibus & laboribus prægra-
„ vati, quibus ad conferendum nobiſcum
„ tantorum ſarcinas onerum nobis incum-
„ bentium ex apoſtolicæ officio ſervitutis
„ dies laborioſos agunt, rioctesque perduc-
„ cunt inſomnes, reddantur ejuſdem Roma-
„ næ eccleſiæ proventuum ac reddituum ac
„ proſperitatis expertes, cui *non* communi-
„ cant in adverſis; conſpicientesque quo-
„ modo in nonnullis regnis, provinciis, in-
„ ſulis, lacubus, civitatibus, terris & lo-
„ cis eccleſiæ memoratæ ubilibet conſtitu-
„ tis jura & juriſdictiones ipſius eccleſiæ
„ multæ hactenus negligentiæ patuiſſe, &
„ alias multis expoſitas fuiſſe diſpendiis per
„ occultatores & occupatores multiplices,
„ qui ad ea manus illicitas extenderunt;
„ dignum duximus, ut prædictæ Romanæ
„ eccleſiæ univerſos fructus, redditus, &
„ proventus, quos in Siciliæ, Angliæ, aliis-
„ que locis quibuſcumque, regnis Sardinia,
„ Corſica, aliiſque inſulis, necnon Mar-
„ chia Anconitana provinciæ Romandiolæ,
„ ducatu Spoletano, terra Arnulforum, pa-
„ trimonio B. Petri in Tuſcia, Campania
„ & maritima; Sabina, Maſſa Trabaria,
„ Carphagnana, comitatu Veneſinii, civi-
„ tate Beneventana, & aliis terris & locis
„ & cenſibus prædictorum, eadem eccleſia
„ obtinere dignoſcatur, cardinales modo
„ participent infraſcripto, firmam haben-
„ tes fiduciam quod de cætero per eorum
„ ſollicitudinem, diligentiam, & conſidera-
„ tionem expertam favoriſque præſidium
„ in eiſdem locis fidelium & terris creſcet
„ devotio, juſtitia plenius reddetur, & æqui-
„ tas diligentiori cuſtodia habita ſervabitur,
„ occupata & alienata in ſtatum debitum
„ revocentur, & reſtaurabantur etiam diſ-
„ ſipata. Itaque hujuſmodi participatio ma-
„ gni honoris & utilitatis pariet incremen-
„ tum. Quare de communi fratrum noſtro-
„ rum conſilio & aſſenſu ſtatuimus & de-
„ cernimus de plenitudine apoſtolicæ pote-
„ ſtatis, ut de diverſis fructibus, redditibus,
„ proventibus, multis condemnationibus,
„ & cenſibus ſupradictis fiat diviſio in duas
„ partes; quarum una papali cameræ ſem-
„ per cedat; reliqua vero inter cardinales
„ eoſdem æqualiter dividatur; quodque par-
„ tem hujuſmodi prædictorum fructuum, red-
„ dituum, proventuum, multarum conde-
„ mnationum, & cenſuum collegium cardi-
„ nalium percipiat jure ſuo. Ut autem præ-
„ dicta ſucceſſivis temporibus ſalvemus, &
„ utilius valeant effectu mancipari, ſanci-
„ mus, ut inſtitutio & deſtitutio rectorum,
„ qui præerunt locis & terris prædictis, &
„ quorumcumque, & aliorum dictorum fru-
„ ctuum, reddituum, & proventuum, mul-
„ tarum, & condemnationum, & cenſuum
„ collectorum fiat de conſenſu cardinalium
„ prædictorum. Nulli ergo hominum omni-
„ no liceat hanc paginam conſtitutionis in-
„ fringere, vel ei auſu temerario contraire.
„ Siquis autem hoc attemptare præſumpſe-
„ rit, indignationem omnipotentis Dei, ac
„ beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum
„ ejus ſe noverit incurſurum. Datum &c.

ANNO CHRISTI 1459.

Item, nullus novas gabellas, aut alias exactiones imponat, nec aliquas augmentabit in urbe Romana, nec in aliis terris eccleſiæ Romanæ; nec concedet *qui* ſuper alicui regi dominio temporali ſeu communitati, præter, vel contra libertatem eccleſiaſticam, exactiones ſuper clerum, vel eccleſias, ſeu bona ad eccleſias, & loca pia pertinentia ſine cauſa rationabili, & tunc de ſimili eorundem dominorum cardinalium conſenſu.

Locus corruptus.

Item, quicumque fuerit requiſitus per majorem partem dominorum cardinalium congregabit generale concilium in loco, & tempore, de quibus fuerit ſic conſultum per dictam majorem partem; & in eodem concilio generali reformabit, ſeu reformari faciet univerſalem eccleſiam tam in capite, quam in membris circa fidem, vitam, & mores, tam reſpectu dictorum ſæcularium, & regularium, quam religioſorum etiam militarium, & tam reſpectu principum temporalium, quam communitatum; procedetque in dictis reformationibus quemadmodum ipſis dominis cardinalibus, aut majori ipſorum parti videbitur.

Item, ut Romano pontifici & dominis cardinalibus libera perveniant concilia, non apponet, nec per quempiam apponi permittet, manum in perſonam vel bonis alicujus ex eis; nec aliquem in ſuo ſtatu & proviſione immutabit pro quacumque cauſa, vel occaſione civili, vel criminali ſine expreſſo conſilio & aſſenſu majoris partis DD. cardinalium; nec damnabit eum niſi convictum numero teſtium expreſſo in conſtitutione Silveſtri papæ, facta in Synodo generali, quæ incipit; *præſul non damnetur*.

Item, quod feudatarios regnorum, & alios vicarios, capitaneos, gubernatores, ſenatores, caſtellanos, omneſque & ſingulos officiarios urbis Romanæ, & aliarum terrarum patrimonii eccleſiæ Romanæ faciet jurare in eorum inſtitutione obedientiam, & fidelitatem Romanæ eccleſiæ; videlicet ſibi & ſucceſſoribus & cœtui DD. cardinalium in omnibus & ſingulis capitulis, quæ ipſis DD. cardinalibus videbuntur eſſe neceſſaria. Faciet inſuper jurare ſupradictos feudatarios, & officiales cæteroſque in hoc capitulo nominatos, qui ſede vacante ad mandatum ipſorum DD. Cardinalium civitates, terras, loca, arces, fortilicia, & caſtra eccleſiæ Romanæ immediate tradent cœtui ipſum DD. cardinalium, & expedient libere, & ſine contradictione quacumque.

Item, jurabit expedire & tradere quinquaginta milia ducatorum exponenda pro laudabili proſequtione in favorem fidei contra, & adverſus ipſos Turcos juxta, & ſecundum proviſionem factam per felicis recordationis Nicolaum papam V. prædeceſſorem ſuum; eam ante proſequtionem tractabit, & faciet prout iidem DD. cardinales, aut eorum major pars, conſuluerit eſſe faciendum.

Item, jurabit quod ſi electus in ſummum pon-

ANNO CHRISTI 1459.

pontificem in aliquo iſtis capitulis in toto, vel in parte directe vel indirecte, contravenire permittet, vel patietur, ſit omni dignitate pontificii ipſo facto privatus, & deſtitutus, nec ea ratione ejuſdem dignitati DD. cardinales teneantur obedire.

Supradictas autem pœnas incurret idem D. electus contraveniendo ſine aliqua DD. cardinalium admonitione, & ſine quacumque judiciali declaratione.

Item, jurabit quilibet, quod in eventu, & caſu quod idem D. electus in aliquo ſupradictorum contravenerit, poſſint iidem DD. cardinales, & ex vinculo præſtiti juramenti, & voti teneantur procedere ad novam electionem ſummi pontificis ad requiſitionem plurium, vel unius ex dictis DD. cardinalibus.

Item, quod ille, qui aſſumetur ad apoſtolatum ſtatim, & immediate, facta electione antequam publicetur, juret ad ſancta Dei evangelia omnia præſentia capitula inviolabiliter obſervare: & ea tamquam per eam facta & ſtatuta approbare, & confirmare, derogando etiam aliis juribus, quæ hujuſmodi capitulis quocumque modo contrariari videntur ex certa ejus ſcientia, ut c. *ubi majus*; & Clem. *ne Romani*; & cuicumque alteri iſtis contrariæ conſtitutioni. Quod ſi hujuſmodi juramentum præſtare, aut approbationem facere renuerit, ſua electio ſit caſſa, & irrita ipſo jure, nec eam aliquis D. cardinalis audeat publicare, ſed ea non obſtante ad novam electionem procedatur.

Item, de conſenſu omnium ordinetur, quod omnes & ſinguli DD. cardinales dantes vota teneantur illa dare ſub illa conditione, quam niſi ille, in quem duæ partes conſenſerunt, poſtquam electus fuerit ante ipſius electionis publicationem juraverit & voverit omnia præſentia capitula ſe cum effectu obſervaturum, nullo modo in ejus perſonam conſenſum dare intendunt, aut volunt, quodque ad novam electionem, ut ſupra dicitur, procedatur.

De numero & qualitate DD. cardinalium, & modo promotionis eorundem.

Eſt conſtitutio Concil. Conſtantienſ. Jata in ſeſſ XLIII. Vide Labb. to. XVI. pag. 722.

„ Statuimus ut deinceps numerus cardina-
„ lium S. R. E. adeo ſit moderatus, quod
„ nec ſit gravis eccleſiæ, nec ſuperflua u-
„ niverſitate vileſcat, quod de omnibus
„ partibus Chriſtianitatis proportionabiliter,
„ quantum fieri poterit, aſſumatur, ut no-
„ titia cauſarum, & negotiorum in eccleſia emergentium facilius haberi poſſit, & æqualitas regionum in honoribus eccleſiaſticis obſervetur; ſic tamen quod numerum XXIV. non excedant, niſi pro honore nationum, quæ cardinales non habebunt, unus vel duo pro ſemel de conſilio & conſenſu cardinalium aſſumendi viderentur: ſint autem viri in ſanctimonia, moribus, & rerum experientia excellentes, doctores in Theologia aut in jure civili, vel canonico, præter admodum paucos, qui de ſtirpe regia, aut ducali, aut magni principis oriundi exiſtant, in quibus competens literatura ſufficiat; non fratres, aut nepotes ex fratre, aut ſorore alicujus cardinalis viventis, nec de uno ordine mendicantium ultra unum. Non corpore vitiati, aut alicujus criminis vel infamiæ nota reſperſi; nec fiat eorum electio per auricularia vota ſolummodo, ſed etiam cum conſilio cardinalium collegialiliter, ſicut in pronuntiatione epiſcoporum fieri conſuevit; qui modus etiam obſervetur quando aliquis ex cardinalibus in epiſcopum aſſumetur.

Lab. XXII

„ Cum ſummo pontifici E. S. R. cardi-
„ nales in dignitate chriſtiana republica
„ collaterales aſſiſtant, neceſſe eſt ut tales inſtituentur, qui ſicut nomine, ita reipſa cardinales ſint: quibus oſtia univerſalis verſentur eccleſiæ nec ſuperflua numeroſitate vileſcat, qui de omnibus chriſtianitatis regionibus quantum commode fieri poterit aſſumantur, ut notitia rerum in eccleſia emergentium facilius haberi, & ſupra his maturius deliberari poſſit: ſic tamen, quod numerum XXIV. inter eos, qui nunc ſunt, & aſſumendos non excedat; ita quod de una natione ultra tertiam partem reſpectu cardinalium pro tempore exiſtentium, ac de una civitate & diœceſi ultra unum inde oriundum, & de ea natione, quæ nunc ultra tertiam partem habent uſque ad ipſius partis reductionem eſſe nequeant. Sint viri in ſcientia, moribuſque, ac rerum experientia excellentes, non minores XXX. annis. Magiſtri, doctores ſive licentiati cum rigore examinis in jure divino, vel humano. Sit ſaltem tertia, vel quarta pars de magiſtris aut licentiatis in ſacra ſcriptura. Inter eos autem XXIV. eſſe poterunt aliqui, valde admodum pauci, filii, fratres aut nepotes regum, ſeu magnorum principum, in quibus cum circumſpectione & maturitate morum competens literatura ſufficiat. Non fiant cardinales nepotes ex fratre vel ſorore Romani pontificis, aut alicujus cardinalis viventis; non illegitime nati, non corpore vitiati, nec alicujus criminis vel infamiæ nota reſperſi. Prædicto autem numero XXIV. pro magna eccleſiæ neceſſitate vel utilitate, dummodo alii in quibus vitæ ſanctitas vel eximia virtute reſugeant quamquam memoratos gradus non habeant ac de Græcis cum Romana eccleſia uniti fuerint inſignes aliqui viri addici poterunt. Non fiat cardinalium electio per auricularia vota; ſed illi ſoli aſſumi poſſunt; in quos, facto vero ſcrutinio, ac publicato, majores partes cardinalium per ſubſcriptionem collegialiter conſenſiſſe; deſuper etiam apoſtolicæ literæ cum ſubſcriptione cardinalium conficiantur manus propriæ conſtiterit, decreto hujus ſacri concilii in IV. ſeſſione ſolemniter publicato, quod incipit; *Item cum multiplicatis cardinalium*, in ſuo robore inviolabiliter permanſuro. Facto vero ſcrutinio ac publicato majorem partem cardinalium per ſubſcriptionem collegialiter confeciſſe deſuper apoſtolicæ literæ inde ſubſcriptione cardinalium conficiatur.

Capitula infraſcripta ſtatui univerſalis eccleſiæ plurimum neceſſaria juret & promittat Deo omnipotenti, & beatis apoſtolis Petro, & Paulo quilibet D. cardinalis ſingu-

gulariter, si contingat eum assumi ad dignitatem summi pontificis quod servabit, & adimplebit realiter & cum effectu absque aliqua tergiversatione & excusatione.

Primo, jurabit, & promittet expeditionem inceptam contra infideles, & inimicos crucis Christi pro amplificatione, & dilatatione fidei totis viribus usque ad felicem exitum persequi, secundum facultatem Romanæ ecclesiæ, juxta consilium fratrum suorum S. R. E. cardinalium vel majoris partis eorum.

Item, quod quantum in se fuerit, juxta consilium prædictum, intendet reformationi curiæ Romanæ.

Item, quod non transferet sive educet curiam Romanam de patria ad patriam, provincia ad provinciam, sine consilio, & assensu DD. cardinalium aut majoris partis ipsorum.

Item, quod non creabit seu assumet aliquos cardinales precibus quorumcumque, imperatorum, regum, ducum, aut principum, nisi de consilio & assensu majoris partis DD. cardinalium; quodque exquisitio hujusmodi votorum fiet consistorialiter & non auricularitèr, fietque dicta creatio novorum cardinalium juxta ordinationem factam in concilio Constantiensi, tam quoad quantitatem, quam quoad qualitatem.

Item quod providebit de centum florenorum cameræ omni mense cuilibet cardinali non habenti integrum de beneficiis & capellæ quatuor millia florenorum, quousque ei provisum sit de dicta summa redditibus; & quod cardinales omnes habentes quæcumque beneficia & incompatibilia in titulum, vel in commendam manutenebit, & defendet in possessione eorum.

Item, quod nullam provisionem, seu promotionem faciet de ecclesiis cathedralibus, abbatiis, & magistratibus & aliis quibuscumque in camera apostolica taxatis, & sub titulo commendæ, administrationis, vel alio quocumque titulo sive modo, nisi consistorialiter, & interveniente consensu saltem majoris partis cardinalium; præterquam de iis, quas confert DD. cardinalibus, & præterquam de abbatiis, quæ non excedent valorem ducentorum ducatorum, & quod nihil ultra taxam recipietur, & quod nullam bullam usquam expediri consentiet in qua ponatur aut inscribatur clausula illa: *de consilio fratrum* &c. nisi prius realiter & cum effectum consistorialiter vota fratrum super contentis in ea sint exquisita, & major pars consenserit.

Item, quod nullam facultatem præsentandi, aut nominandi ad ecclesias cathedrales, collegiatas sive monasteria dignitates, seu quæcumque alia beneficia concedet principibus sæcularibus aut prælatis ecclesiasticis cujuscumque conditionis, status aut qualitatis existant, sive imperatoris, ducalis, regalis, archiepiscopalis, episcopalis, vel cujuscumque alterius præeminentiæ, nisi de expresso consilio & assensu majoris partis DD. cardinalium.

Item, quod nullam bullam unquam expediri permittet, seu alicui concedet, per quam se adstringat principibus, seu alicui ipsorum, aut eos certificet quod nullus ecclesias cathedrales, collegiatas, monasteria, seu alia beneficia confert, nisi de ipsorum beneplacito, aut voluntate, & omnes concessas revocabit. ANNO CHRISTI 1459.

Item, quod nullam infeudationem de regnis, castris, civitatibus & terris, & de rebus, quæ consueverunt infeudari sive alienari, sub quocumque titulo, etiam vicariatus, pignoris, emphiteosis, vel alterius contractus faciet in quamcumque personam ecclesiasticam, vel secularem, aut communitatem de rebus & bonis spectantibus ad patrimonium ecclesiæ, nisi deliberatione prius habita consistoriali, & consentiente majori parte cardinalium cum eorumdem subscriptionibus.

Item, quod nulli regi, domino, principi, aut communitati non subditis sibi movebit guerram, aut cum eis ligam aliquam faciet, ad inferendam alicui guerram, sine expresso consensu majoris partis DD. cardinalium.

Item, quod bona cardinalium & religiosorum aliorumque prælatorum, necnon omnium cortesianorum in curia decedentium nullo modo occupabit, vel occupari patietur, seu permittet juxta juris dispositionem, vel voluntatem decedentium, ut iidem decedentes de bonis ad ipsos quoquomodo pertinentibus prout eis placuerint disponant; aliis religiosis qui propriam voluntatem a se abdicarunt tantummodo exceptis, quorum bona devolvantur ad illum vel ad illos, ad quem, vel ad quos pertinent; de jure, consuetudine, vel privilegio, nec de juribus capelli cardinalium decedentium aliquid occupabit, vel occupari faciet aut permittet; immo sit liberum cardinalibus, & religiosis de eisdem juribus testari aut facere prout eis videbitur.

Item, quod nullas novas gabellas aut alias exactiones imponet, nec antiquas augmentabit in urbe Romana, nec in aliis terris ecclesiæ Romanæ, nec gabellas jam positas auferet, vel diminuet, nec concedet insuper alicui regi, dominio temporali seu communitati præter, vel contra libertatem ecclesiasticam exactionem super clerum, vel ecclesias seu bona ad ecclesias & loca pia pertinentia sine causa rationabili, & tunc de simili eorumdem D. D. cardinalium consensu.

Item, quod feudatarios regnorum, & alios vicarios, capitaneos gubernatores, castellaneos, omnesque, & singulos officiarios urbis Romanæ, & aliarum terrarum patrimonii ecclesiæ Romanæ faciet jurare in eorum institutionem, obedientiam, & fidelitatem ecclesiæ Romanæ; videlicet sibi & successoribus; faciet insuper jurare supradictos feudatarios, & officiales cæterosque in hoc capitulo nominatos, quod sede vacante, ad mandatum ipsorum dominorum cardinalium, civitates, terras, loca, arces, fortilicia, & castra ecclesiæ Romanæ immediate tradent cœtui ipsorum cardinalium, & expedient libere, & sine contradictione quacumque.

Item, quod DD. cardinales omni anno semel in unum congregati videant, cogitent et examinent utrum ista per pontificem serventur; quod si non servantur ad-

ANNO CHRISTI 1459.

moneant eum caritative, et eum ad illorum obſervationem exhortentur uſque ad tertiam admonitionem.

Item, quod de his omnibus fiat una bulla authentica, quæ ſervetur in aliquo loco communi ad petitionem collegii.

Item, quod hæc omnia ratificabit, et approbabit ante publicationem electionis ſuæ, mediante promiſſione et juramento.

Item quod in fine erit ſubſcriptio S. D. N. in hunc modum videlicet.

Ego Pius II. præmiſſa omnia et ſingula promitto, et juro ſervare, quantum cum Deo, et honeſtate, et juſtitia ſedis apoſtolicæ potero.

Et cum hoc ſignati ſui impreſſione.

Beatiſſime pater. Si pro ſancto ſubventionis religioni, & reipublicæ, fideique chriſtianæ opere arctetur V. S. proficiſci Mantuam, aut Utinum, prout in publico conſiſtorio decrevit S. V. ſupplicat devotiſſimus ac peculiaris S. E. & S. R. E. populus Romanus, ut receſſum ſuum ex urbe, quanto magis poterit, differat, & ex ea ſecum curiam Romanam nullatenus transferat; nam id expedire honori V. S. ejuſque curiæ & reipublicæ Romanæ ſtatui, bono, & commodo detegitur (his) rationibus.

Primo, quia ſi ſic differat & transferre caveat V. S. omnis homo intelliget quod in veſtræ peregrinationis aſſerto ſubventionis fidei &c. nulla ſimulatio, ſed ipſa neceſſarie cauſæ pura ineſt veritas: ſi receſſum acceleret, aut ſecum transferat curiam, intelligent homines per contrarium quia V. S. voluntarium ejus ex urbe diſceſſum in dictæ cauſæ neceſſitatem ſimulet.

Secundo, ex prima parte differendi receſſum. V. ſanctitatis quanto plus fieri poterit, ſuccedet V. S. commoditas & urbi ac ſanctæ receſſus veſtri cauſæ oportunitas non exigua; nam cum plurima in terra & mari, ut ſic dixerim, extrinſece & intrinſece jam orta appareant, apta turbare pacem, quietem, & ſtatum in urbe, & patria ejus, ut illa ante diſceſſum beatitudo veſtra componat, eſt neceſſarium, ut ante diſceſſum V. S. concor..... praticæ & Italiæ potentias conducat, & offerre poſſit ultramontanis ad contributionem; eo quod diſcedere illis non compoſitis, & Italicis ad opus non conductis error videretur; & ſine tempore ad rem accommodo illa impoſſibile eſt componere.

Deeſt aliquid.

Tertio, ſuccedit ex prima parte, quod Romanæ urbis aliarumque civitatum V. S. cives & incolæ, & V. S. ſubditi patienter abſentiam V. S. ſupportabunt, & ipſius reditum avidi præſtolantes a devotione V. S. nulla ipſorum ceptio, nullaque malignantium perſuaſio aut oppreſſio eorum animos ſubvertere poterit. Sed ex ſecunda contraria parte, qua ſe illi ſola voluntate pontificis derelictos a V.S. intelligentes de redditu V.S. deſperabunt; facile ſuccedet quod malæ cogitationes eorum, pejoraque malignantium opera eorum animos a dicta devotione ſubvertere, & tanti patrimonii Romanæ eccleſiæ ſtatus periolitare poterunt.

Quarto, quod S. V. non ducat ſecum curiam Romanam expedire permaxime videtur ſancto operi, ſanctæque cauſæ veſtræ peregrinationis; cui liberius, cui inceſſanter, & cui ſemper intendere poterit ſi ab aliis Romanæ curiæ curis fuerit (*non*) diſtracta.

Quinto, ex prima parte ſuccedit, quod propter abundantiam, V. S. ex urbe peregrinatione durante, nihil aut valde parum S. V. deperibit, eo quod urbis & aliarum terrarum eccleſiaſtici patrimonii introitus in eo ſtatu, ſicut ſi S. V. præſens eſſet, conſervabuntur; ubi ex ſecunda parte contraria illi omnes perdentur, & diſſipabuntur.

Sexto, cum ſubventioni hujusmodi ſancti operis modus in pecuniis tranſmittendis populis Turco finitimis permaxime conſiſtat, ad illud conducendum ſola prima pars, ex qua curia in urbe remanente ex receſſu V. S. non ſolum ipſi V. S. ſed Senenſibus, Florentinis, Ferrarienſibus, Mediolanenſibus, cæterisque populis intra urbem & Mantuam ſeu..... mediis, quos in ea ſubventione contribuere oportet; nihil aut valde parum de ſuis introitibus &c. deperiturum erit.

Locus latus.

Septimo, ex prima parte, quia curia quæ in urbe remanet (*non*) ſolum ejus urbis, ſed rectorum eccleſiaſtici patrimonii hominum animas & in devotione & obedientia V.S. & in patientia ejus reditum expectandi conſervat, relevatur. V.S. ab impenſis magnis, quas neceſſario ſubita foret in armorum gentibus, & aliis proviſionibus in hac patria dimittendis, & faciendis in ſecunda contraria parte, qua videlicet V. S. ſecum curiam transferat.

Locus tiatus.

Octavo, quod ex prima parte gratificatur V. S. ſuis curialibus, quos a laboribus itinerum, expenſiſque magnis & variis periculis, neceſſario ſubituris ex ſecunda parte, non ſolum in ipſa peregrinatione, ſed in proviſione victualium & aliorum ſupellectilium jam per totum annum facta, ac eorum dura ſeparatione a conjugibus & liberis relevat.

Nono, prima pars ſuccurrit & providet pauperibus litigantibus, qui ex partibus remotiſſimis cum laboribus, impenſis & periculis perſonarum ſequuntur curiam pro juſtitia conſequenda. Nam ſi auditores cauſarum intelligant ſe in urbe remanſuros, viſioni regeſtrorum, & cauſarum expeditioni libere intendent; ubi ſi per ſecundam partem contrariam ſe itineraturos ſciverint, receſſui providere coacti, nec cum itinere detinebuntur, neque ad tempus poſtquam ad deſtinatum venerint locum vacare viſioni, expeditionique prædictis poterunt.

Decimo ex prima parte, occurritur vel in ſolam urbem aut in eam & Italiam inſidiari cupientibus, cogitantibuſque modos per quos animum V. S. a reditu ad urbem divertere, ut eam ultra montes ſub demonſtratione alicujus apparentis honeſti vel utilis conducere poſſint: quia ſemper ſe poterit defendere V.S. ab inſidiis eorum re, & facto, oſtendendo quod fidem datam de non trasferendo ex urbe curiam cum Deo, & honeſtate frangere non poteſt.

Un-

Undecimo, cum ſtatutum fuerit, primo in concilio Lugdundenſi per Gregorium III. (*a*) quod moriente papa in loco, in quo cum ſua curia reſidebat, ſi locus ille ſit civitas, in ea; ſi ſit caſtrum, in civitate dioeceſis, cujus illud eſt, fieri debeat electio ſucceſſoris; & deinde in conſilio Viennenſi per Clementem V. fuit additum, quod ſi in civitate a qua papa receſſit audientia cauſarum & apoſtolicarum literarum remanſit, ad illam, ubicumque papa moriatur, redire debeant cardinales pro eligendo pontificem ſucceſſorem; oportet eligere partem primam, per quam ſi (quod Deus avertat) in ea peregrinatione papam mori contigerit, redirent cardinales hoc caſu pro ſucceſſoris electione facienda ad urbem, ubi DD. ipſi & plena libertate & ſecuritate gaudentes impreſſionem nullam timere poſſint, & occurritur periculo, quod in ea electione convenire poſſet. Ex parte ſecunda, ſi aliquis in ea civitate, ubi ſecundum illam electio fienda foret, eſſet dominus, aut ſic potens quod ipſos Romanos cardinales eligere, quem ipſe vellet, cogere per impreſſionem poſſet.....

Nec ultimo, injuſtum, aut inconſuetum vel inhoneſtum eſt ſi papa ex cauſa ſe ad locum transferens, in loco, unde ſe transfert curiam dimittat; cum videamus hoc de jure fieri poſſe juxta ſtatutum Clementis papæ in Viennenſi concilio in clem. 2. de elec. §. *ſane* v. *eo tamen adjecto*; et ſic non ſolum conſuetum fieri ex tunc, ſed moderno tempore hoc fieri per fel. rec. Martinum V. Eugenium IV. & Nicolaum ipſius ſucceſſorem.

Si ergo ſolam cauſarum, & literarum apoſtolicarum, quæ contradictarum appellantur, audientiam vult S. V. dimittere, ſatisfaciat ordinando quod Romæ ſit cancellariam regens, commiſſioneſque ſinet, prout illas ſignat vicecancellarius aut pro tempore regens de communi juſtitia; alias autem commiſſiones juſtitiæ graviori, ſi placet V. S. ſignabit etiam ipſe ſolus, ſi talis ſit, de quo S. V. confidat, vel ipſe cum aliquibus aliis peritis ſibi in hoc pro conſiliis adjungendis, præcedente ſemper advocatorum publica audientia, prout fieri ſolet in publicis audientiis, totumque fiet de mandato V. S. Et ſimiliter apoſtolicæ literæ de juſtitia minori, quæ per contradictarum audientiam expediri conſueverunt, & ſub nomine & plumbo V. S. expedientur. Nec abſonum eſt, quod iſta ſub papæ nomine abſente papa fiant, cum legem condendo dicat imperator: *omnia noſtra facimus, quibus ex nobis omnis authoritas impartitur*. Cumque videamus omnium regum totius mundi conſilia, literas omnes, omniaque negotia regnorum ſub nomine ſuorum regum longe abſentium expedire. Ego quoque vidi prædicta, quando in primis Eugenii fere annis bon. mem. tunc Rothomagenſis cardinalis & vice cancellarius, adjunctis primo ſibi aliquibus cardinalibus, & deinde prælatis, ac (ad) publicas audientias advocatis conſiſtorialibus, faciebat in palatio ſuo S. Laurentii in Lucina illico auditis advocatis propoſitas commiſſiones, per ſeipſos de papæ mandato ſignabant, abſque ſtatum (f. ſcitu) relatione, vel conſultatione papæ. Si enim papa confidit de conſcientia, prudentia, & ſcientia cujuſcumque in videndis commiſſionibus, & pro ſignaturis earum dandis conciliis; decens, & congruum eſt quod de illius ſignatura de ſuæ ſanctitatis mandato facienda confidat: quia, ut dictum eſt, omnia noſtra facimus quibus ex nobis omnis authoritas impartitur.

ANNO CHRISTI 1459.

ANNO CHRISTI 1460.

CANTUARIENSE CONCILIUM

Anno 1460. *habitum.*

Apud Vvilkins to. 3. pag. 577.

PRæmissis juxta formam consuetam præparatoriis, mag. Robertus Gaseley, frater ordinis fratrum Prædicatorum, die nono mensis prædicti, exhibuit literam a domino rege domino archiepiscopo directam, quam honorifice dictus reverendissimus pater suscepit, & per Rogerum Malmsbury, unum de clericis suis eandem fecit publice legi. Qua lecta idem reverendissimus pater decrevit eandem publice legi in domo inferiori, ubi clerus dictæ convocationis tempore ab antiquo solebat suam communicationem exercere & habere. Sequenti die clerici domus inferioris ex mandato domini archiepiscopi prolocutorem electum, Joannem Stokys, eidem præsentabant. Hac præsentatione facta, idem reverendissimus pater Cant. archiepiscopus declaravit diversas causas convocationis hujusmodi, eisque intimavit, quod nonnulli de concilio domini regis illuc essent accessuri, qui eis negotia domini regis declararent: comparuerunt deinde ac materiam concernentem prosperitatem regis & regni, ac defensionem ecclesiæ Anglicanæ proposuerunt. Die Mercurii (14 Maii) sequente dictus reverendissimus pater in domo capitulari bullam per dictum fratrem Robertum Caseley die lunæ præterito exhibitam debita cum reverentia recepit. Et deinde reverendus pater London. episcopus eandem bullam de manu domini archiepiscopi Cant. recepit, protestatione publica per eum in præsentia dicti reverendissimi patris & aliorum confratrum suffraganeorum suorum, & cleri ibidem congregati, facta, quod dictam bullam, juxta omnem vim, formam, & effectum, sibi demandatam, et prout in eadem continetur, exequi vellet, quatenus ad ipsum attinet, & ut filius obedientiæ sedi apostolicæ, & domino nostro papæ obediret. Deinde propositis in scriptis per certos venerabiles patres, dictæ Cant. provincia episcopos, nonnullis articulis, et ibidem lectis; quorum tenores in quibusdam schedulis per ipsos ad tunc ibidem deliberatis plenius apparent, ut sequitur.

In primis, cum ecclesia Anglicana defectu executionis canonum, decretorum, & constitutionum poenalium a sanctis patribus contra delinquentes, et eorum violatores denotatorum, & serioše editorum publicatorum, & per universum mundum prædicatorum, sit multipliciter in dies plus solito oppositа; dignemini, & pastorali officio, pie considerare, quod magna pars populi regni Angliæ est censuris & excommunicationum sententiis a jure latis involuta; & adeo in hujusmodi sententiis censurisque, defectu denunciationis & publicationis, plures de populo nostro credunt se excommunicationis sententiis suis ligari; & illo prætextu & occasione forte gratia deest populo, & inde magna discordia & vindicta causantur, in magnum præjudicium ecclesiæ, regis, & regni, & fortasse in destructionem finalem, si remedia congrua citius non oppanantur.

Item dictis vestris paternitatibus proponitur, ut superius, & humillime petitur, quod ad hanc sacram convocationem cleri vocentur de certis comitatibus, vicecomites & subvicecomites, & eorum ministri detestabiles, necnon falsi juratores, præsertim illi pro talibus communiter habiti, tenti, & reputati, curatos, sacerdotes, & alios injuste ex fictis falsis causis notorie indictantes, & sic indictari procurantes; & cum tales sunt a jure canonum excommunicati, & pro talibus manifeste habiti & noti, declarentur hic pro excommunicatis, denuncientur & deinde in partibus suis inter vicinos & notos, quousque absolutionis meruerint habere sententiam in forma juris.

Item omnes personæ, cujuscumque status, gradus, aut conditionis fuerint, clericos ad veritum examen, hoc est ad curias temporales per breve, *Præmunire facias*, & alia injusta brevia invitos trahentes, & prosequentes, sunt simili excommunicationis sententia ligati, & sic vocandi, declarandi, & pronunciandi. Et simili modo violatores libertatis ecclesiasticæ sunt denunciandi. Tunc reverendus pater Exonien. episcopus desideravit unum articulum, quod admissiones clericorum ad beneficia ecclesiastica præsentatos volentes admitti per procuratores, de quorum scientia ordinationeve minime constat, declarari. Et tunc dictus reverendissimus pater Can. archiepiscopus, cum consensu fratrum suorum, decrevit hujusmodi præsentationes & admissiones, secundum discretiones ordinariorum considerari: & quod, si de hujusmodi præsentatorum scientiis eis minime constare poterit, quod ex tunc communi deliberatione ibidem habita, licitum esset ordinariis quoscumque sic præsentatos, & modo prædicto admitti volentes, eos non admittere, donec de eorum scientiis fuerint informati. His in domo synodi superiori peractis, nonnulla per mag. Johannem Stokis, prolocutorem, coram reverendissimo vivæ vocis oraculo proponebantur, quæ statum regni Angliæ, & utilitatem ecclesiæ Anglicanæ, reformationemque ejus concernebant; quæ in certos articulos redacta, cum aliquibus viris præeminentis scientiæ a reverendissimo electis communicabantur. Medio tempore dicto reverendissimo patre una cum venerabilibus suis confratribus, ut prius, comparentibus, ac deliberatione & communicatione super articulo, & grossis arboribus scissis, seu prostratis decimandis habita, statuto regio in contrarium edito, lecto continuata fuit dicta convocatio per dictum reverendissimum

pa-

patrem usque & ad diem lunæ proxime ex tunc sequentem. Quo die adveniente, dicto reverendissimo patre una cum aliis, ut prius, comparentibus, quidam dominus Bredhill rector ecclesiæ parochialis sancti Nic. Calisiæ, comparuit ibidem, ac objectis contra eum, per dictum reverendissimum patrem nonnullis articulis, hæreticam pravitatem sapientibus, quibus idem dominus Johannes ad tunc respondebat, licet non plane. Tunc dictus reverendissimus pater cum consensu confratrum suorum decrevit, quod dictus dominus Johannes Bredhill coram eis in dicta domo capitulari singulis diebus, durante convocatione se præsentaret, & quod nullo modo illicentiatus recederet. Alia synodi die sequente, dicto reverendissimo patre aliunde occupato, comparuit reverendissimus pater Sarum episcopus, præsidens dictæ convocationis, loco & hora consuetis, una cum aliis confratribus suis, & prælatis, & lecto articulo edito per dictum dominum Johannem Bredhill publice ibidem coram clero, idem reverendus præsidens dixit, quod vellet deliberare super ipso articulo, & decrevit dictum dominum Johannem Bredhill citari personaliter, & possit apprehendi; sin autem, publice per edictum in valvis ecclesiæ cathedralis Sancti Pauli London. positum. Et ad istam citationem exequendam mandavit Johanni Broum, apparitori reverendissimi in Christo patris domini Cant. Archiepiscopi antedicti generali, ut diligentiam faceret. Et deinde publice in domo capitulari, fuerat detectum, & delatum dicto reverendo patri Sar. episcopo, commissario, sive præsidenti dictæ convocationis, & aliis confratribus suis coepiscopis, & toti clero, quod quidam magister Galfridus Langtroke, procurator nobilis viri magistri Petri Courtnay, archidiaconi Exon. clericus convocationis fuerat per officialem vicecomites London. ad sectam Simonis Notyngam, moram suam trahentis infra parochiam sancti Michaelis apud Quernn, civitatis London. arrestatus, & in prisona positus. Et hiis auditis, & per dictum præsidentem cognitis, idem reverendus pater præsidens antefatus, cum consensu totius cleri ibidem ad tunc præsentis, decrevit transmittendum fore ad majorem & vicecomitem dictæ civitatis pro deliberatione dicti magistri Galfridi, sic in prisona existentis. Et priorem ecclesiæ Christi civitatis London. rogavit, quatenus cum majore London. & vicecomite communicaret, ac eis intimaret, & innotescceret, qualiter auctoritate dictæ convocationis contra eos esset procedendum; videlicet per censuras ecclesiasticas, & alia remedia juris, nisi ipsum magistrum Galfridum per eos arrestatum statim liberarent a carcere. Deinde habita communicatione cum majore & vicecom. per dictum priorem, incontinenti fuerat dictus magister Galfridus, auctoritate dictæ convocationis, a carcere liberatus. Et tunc habita aliquali communicatione super diversis articulis motis in dicta covocatione per clerum ibidem, reverendus præsidens, post unam alteramque continuationem, infirmitate detentus, substituit commissarios certos ex confratribus suis ad negotia synodi expedienda. Sanitati tamen haud diu post restitutus dominus archiepiscopus, comparuit in loco consueto, coram quo propositæ fuerant petitiones cleri pro reformatione in subscriptis habenda.

ANNO CHRISTI 1460.

In primis, quod ordinarii in suis visitationibus servientes munerum procurator. in victualibus vel pecunia taxata pro procuratione, de jure vel consuetudine sint contenti; optione reservata visitatis, an velint hujusmodi ordinarios in esculentis & poculentis, vel pecuniis hujusmodi procurator. atque munera sibi vel suis oblata omnino refutant. ne sententiam excommunicationis incurrant ipso facto. Et hæc visitandi forma ab universis episcopis aliisque ordinariis de jure seu consuetudine visitantibus observetur.

2. Item, cum per commissarium, justa causa subsistente, episcopi visitaverint, victualibus duntaxat, absque pecunia sint hujusmodi ordinarii & eorum commissarii contenti, prout sacri canones declarant editi in hac parte.

3. Item, cum pecunia detur pro alicujus electione facta vel facienda, vel pro confirmatione electionis, electio est reprobanda, nisi constiterit illos, qui dederunt pecunias hujusmodi, hoc fecisse per fraudem, in dispendium illius electi, ut notant doctores. Liquet ergo ex præmissis, quod confirmationibus, hujusmodi electionum saltem a prælatis receptio pecuniaria sit reprobata. Provideatur, quod pro hujusmodi confirmationibus pecunia non recipiatur ab eisdem, nec pro benedictionibus abbatum, cum hujusmodi receptiones simoniam contineant manifeste, seu saltem turpe lucrum. Reservatis tamen rationabilibus & mooeratis expensis, si quæ factæ sint episcopis & ordinariis hujusmodi, si confirmandi vel benedicendi habeant unde hæc præstent; alioquin ipsi episcopi seu ordinarii de suo hoc facere teneantur.

4. Item, quod ordinarii hujusmodi in visitationibus suis diligenter considerent & videant statum monasteriorum & prioratuum, per ipsos visitatorum seu visitandorum, & quod singuli officiarii reddant rationem de suis administrationibus singulis annis plenam, & claram, & per deputatum a conventu approbatum, & de aliis inquirant, prout in constitutionibus legatinis clarius continetur.

5. Item, petitur quod archidiaconus Westmon. in causis matrimonialibus, & divortii inter suos subditos solum procedat; qui sui subditi per annos & dies ante causæ inceptionem absque fraude fuerint, & non inter subditos aliorum ordinariorum, qui pro tempore litis motæ ibidem permanent, & habito divortio statim ad propria revertuntur, & quod sententiæ divortiatoriæ prius latæ, quæ notoriæ sunt, & ex fictis causis habitæ, cum scandalo totius ecclesiæ per judices ordinarios vel eorum deputatos revocentur, & annullentur. Et quod archidiaconi ibidem in futurum habeant sibi doctum virum in assessorem in causis prædictis, cum hujusmodi causæ per majores judi-

ANNO CHRISTI 1460.

dices ſint ſolum terminandæ propter periculum animarum, & quod procuratores & notarii publici dictam curiam Weſtmon. cum tanto eccleſiæ ſcandalo occupantes, a curiis ordinariorum omnino repellantur.

6. Item, quod ordinatio illa provincialis facta per bonæ memoriæ dominum Henricum Chicheley de quæſtoribus, in omni ſui parte obſervetur, ſub pœna reſtitutionis ſeu ſatisfactionis aliorum receptorum per quæſtores antedictos.

7. Item, quod fratres Jeruſalem in ſuis capellis, vel eccleſiis, per ſuos cappellanos ſubditis aliorum ordinariorum ſacramentum Eucariſtiæ vel Matrimonii non miniſtrent in futurum, nec per eorum tolerantiam & conniventiam miniſtrari permittant, ſub pœna juris, ſicut hactenus miniſtrari fecerunt, nec excommunicatos a jure vel ab homine abſolvant, vel excommunicatos hujuſmodi ſeu alios ſeipſos occidentes ſacræ ſepulturæ tradant, ſicut aliquando fieri conſuevit per eoſdem.

Clandeſtina matrimonia. Diſpenſatio contra bannorum editiones.

8. Item, petitur quod cum magnum ſcandalum in eccleſia Dei gereretur ſuper clandeſtinis matrimoniis, occaſione diſpenſationum ordinariorum ſæpius indiſcrete conceſſarum, ſuper bannis in hac parte edendis, placet ordinariis, quod Dominus Cant. provinciæ aliter non valeant diſpenſare ſuper matrimonio ſolemnizando, niſi banna bina vice diebus ſolennibus inter ſe diſtantibus, in eccleſiis parochialibus viri & mulieris matrimonialiter conjungendorum, prius publice edantur, examinatione partium diligenti & inquiſitione præcedentibus; expoſita ſufficienti & legitima cautione. Inferiores autem judices diſpenſationes hujuſmodi nullo modo concedant, cum poteſtas diſpenſandi in talibus eis commiſſa non exiſtat. Proviſo ſemper, quod ſi vagabundi veniant ad parochiam aliquam omnino inibi commorandi ut parochiani, & ſic faciant ſe parochianos inibi, eo non obſtante hujuſmodi banna edantur publice in eccleſiis parochialibus, in quibus pro majori parte prius moram habuerunt hujuſmodi vagabundi, ſive noviter ſupervenientes; & ubi melius ſunt agniti & noti, præcedentibus, ut ſupra, partium diligenti examinatione & inquiſitione, & cautione ſufficienti expoſita, ut ſupra.

9. Item, cum per habitum debeat diſtingui conditio omnium clericorum, videlicet ſuperiorum et inferiorum, modernis tamen temporibus quidam abuſus crevit, et in publico exercetur quod ſimplices presbyteri & alii ſacerdotes ultra gradum et ſtatum ſuos in apparatibus ſuis ad modum doctorum, ſeu cæterorum venerabilium virorum canonicorum eccleſiarum cathedralium caputiis, cum curtis liripipiis, vulgariter "*Tippetis* nuncupatis, publice deferre, ut eis uti, et in eis incedere non verentur; ita quod vix per habitum modernis temporibus cognoſcitur ſimplex ſacerdos, qui modicum ſit ultra laicum a doctore vel alio venerabili viro perito eccleſiaſtico, nec e contra, & indumenta ſua ſuperiora non deferunt clauſa, ſed per totam anteriorem partem aperta, ut veneranda ſua publice videri valeant, ad modum laicorum; & plures hujusmodi presbyteri utuntur caligis clauſis & capellis cum liripipiis annexis eisdem, & colereiis duploidorum ſuorum ex ſcarleto vel alia fulgida veſte ultra modum ſupra togas ſeu jupas ſuas publice extendentibus, ad modum illorum, qui nominantur, *Galantes*, in magnum ſcandalum ordinis ſacri, & deriſum & ridiculum laicorum; fiat, ſi placeat, reformatio.

Habitaque deinde communicatione per dictum reverendiſſimum patrem cum ſuffraganeis & clero de & ſuper hujusmodi articulis, idem reverendiſſimus Pater Cant. archiepiſcopus continuavit dictam convocationem, ut ſupra, ad alium diem. Quo die adveniente; dictus reverendiſſimus pater ſuis cum ſuffraganeis de & ſuper nonnullis motis articulis in dicta ſynodo communicavit, ac ſuper certis conſtitutionibus per prædeceſſores ſuos editis, quas cum conſenſu & aſſenſu ſuffraganeorum ſuorum ad tunc ibidem præſentium, & totius ſynodi legi juſſit, & ſuſpendit cenſuras latas ipſo facto in conſtitut. Straford. *Adeo quorumdam* nona; item, *Quia* Iſſip. *Effrenata cupiditas;* Chicheley *cum ex eo* & illas ſententias decrevit fore ferendas ſynodo. Et deinde continuata fuit dicta convocatio per antefatum reverendiſſimum patrem Cant. archiepiſcopum ad diem extunc ſequentem. Quo die adveniente, habita communicatione per eundem reverendiſſimum patrem Cant. archiepiſcopum cum ſuffraganeis ſuis de & ſuper arduis negotiis, utilitatem eccleſiæ Anglicanæ concernentibus ac pluribus articulis ibidem lectis & recitatis, ad ſupplicationem totius cleri, idem reverendiſſimus pater, aliique reverendi patres penes regiam majeſtatem pro reformatione eorundem promiſerunt ſuos impendere labores. Deinde certi viri ex clero electi fuerunt, qui dictum reverendiſſimum patrem, & alios reverendos patres ad præmiſſa facienda ſolicitarent. Demum clerus Cant. provinciæ antedictæ illas urgentes neceſſitates regis, & regni, alia inſuper plura & varia eccleſiæ Anglicanæ regni & regno ab hoſtibus imminentia pericula, quantum in eis fuerat, debite conſiderantes, unam integram decimam regiæ celſitudini ſolvendam conceſſit. In hac convocatione, quæ ſexto die menſis Maii, an. Dom. MCCCCLX. primordia cepit & ad 17. Julii, an. Dom. MCCCCLXI. continuata fuit, nihil aliud memoratu dignum tractatum fuerat.

ANNO CHRISTI 1460.

PAU-

Anno Christi 1464. 1471. 1475.

PAULUS PAPA II.

Sedit ab anno 1464. *usque ad* 1471.

SIXTUS PAPA IV.

Sedit ab anno 1471. *usque ad* 1484.

LONDINENSE CONCILIUM

Anno 1475. *habitum.*

Supplicationes cleri factæ prælatis in convocatione incipiente 23. *Jan. Anno Domini MCCCCLXXV. & finita* 25. *Febr. prox. sequent. celebrat. in ecclesia sancti Pauli London. super certis reformationibus, habendis, ut sequitur.*

PLaceat vestræ reverendissimæ paternati, una cum assensu cæterorum prælatorum in hac celsa convocatione congregat. auctoritate ejusdem, assentire, & discernere, ut hi articuli sequentes pro jure provinciali modo serventur, & quilibet eorum observetur.

Inprimis, quod certæ constitutiones provinciales inferius descriptæ quæ sunt modo latæ sententiæ, vigore quarum quamplurimi, in grave ipsarum animarum periculum, judices censurarum ecclesiasticarum involvuntur, a nunc sint ferendæ sententiæ. Quarum prima constitutio incipit, *Effrenata*, de celebratione missarum; qua cavetur, quod presbyteri pro animabus defunctorum celebraturi VII. marcis, aut cibariis, & tribus marcis, & qui curæ habent, deservire VIII. marcis, aut cibariis & IV. marcis annuatim sint contenti, & contrafracientes huic constitutioni dando aut recipiendo, sententiam excommunicationis incurrant ipso facto.

Item, secunda constitutio incipit: *Adeo quorumdam*, de testamentis; ubi dicitur quod quiscunque ordinarius concesserit literas acquietanciarum executori alicujus testamenti, ante fidelem computum suæ administrationis, incurrit sententiam suspensionis ipso facto. Et si quis ordinarius receperit pro approbatione, insinuatione, literis acquietanciarum, seu aliis quibuscunque ex testamento alicujus defuncti, ultra quam in eadem constitutione est expresse permissum, non restituens duplum ipsius recepti infra mensem fabricæ ecclesiæ cathedralis, ingressus ecclesiæ est eo ipso sibi interdictus.

Item tertia constitutio incipit: *Statutum est*, tertio de testamentis, qua cavetur, quod quisquis executor testamenti alicujus defuncti appropians sibi de bonis ejusdem defuncti, titulo emptionis aut alicujus præter quam in casibus expressatis in eadem constitutione, incurrit ipso facto poenam suspensionis ab ingressu ecclesiæ, a qua non potest absolvi absque restitutione ipsius rei sic appropriatæ, & solutione dupli ejusdem fabricæ ecclesiæ, cui defunctus erat subditus; videtur clero, quod prælati & ecclesiæ cathedr. remittant pro præterito interesse, quod habent ad prædictum duplum ratione prædictarum duarum, &c.

Item quarta constitutio incipit: *Item quia archidiacont*, de instit. qua cavetur, quod archidiaconus aliquid recipiens pro quod inductione alicujus intitulati in aliquid beneficium, ultra quam est in ipsa constitutione constitutum, incurrit ipso facto sententiam suspensionis, ab officio, & beneficio, qua ligatur, donec læso hujusmodi de damnis legitime satisfecerit.

Item quinta constitutio incipit, *Reverendissime*, de hæreticis, qua continetur, quod aliquis etiam a jure privilegio non auctorizatus, prædicans verbum Dei, priusquam fuerit approbatus a dioecesano, & literas realiter exhibuerit sub ejus magno sigillo, ipso facto incurrit sententiam majoris excommunicationis, & ecclesia, in qua sic prædicatur, est ipso facto supposita interdicto; petitur quod relaxetur hoc interdictum quoad omnes ecclesias, &c.

Item constitutio, quæ incipit, *Superno Dei munere* de sententia excommunicationis, atque cætera capitula, contenta in sententia generali, quater in anno tam in cathedralibus, quam parochialibus ecclesiis, in singulis dioecesibus hujus provinciæ publicentur.

Item constituatur, & pro jure provinciali observetur, quod quiscunque abbas, prior, & conventus, aut aliquis alius patronus ecclesiasticus, sive sæcularis, & eorum severitates, recipientes ab aliquo pro præsentatione aut collatione alicujus beneficii, scripturave, sive sigillo ejusdem ultra VI. sol. VIII. den. sit ipso jure privatus jure præsentandi sive conferendi hujusmodi beneficium, cum proxima vice extunc vacare contigerit.

Item, quod nulli collectores decimarum certificent in scaccario domini regis differentes solvere decimam, nisi ad hoc prius requisierint assensum ipsius ordinarii, sub pœna suspensionis a divinis.

Item, quod si decima a clero concedatur, quod in omnibus circa illam stetur certifi-

ANNO CHRISTI 1475.

tificatoriis ordinariorum; & si quid in scaccario domini regis dubii emerserit, stetur pro declaratione ejusdem ad interpretationem archiepiscopi aut ordinarii.

Item, quod omnes & singuli ministri regis in scaccario non plus exigant pro eorum feodis ab aliquo collectore, unius integræ decimæ majorem collectam habentem, quam XX. sol. minorem collectam minorem summam XX. sol. juxta discretionem baronum ibidem.

Item, quod præcipitur per celsitudinem regiam, quod nulli captores granorum aliorumque victualium pro rege aliquid capiant a viris ecclesiasticis seu earum firmariis, aut procuratoribus de bonis seu catallis eorundem.

Item, quod cum canones & constitutiones contra intrusores in beneficiis sunt satis poenales, tamen non possunt debitæ demandari executioni, propter vim laicalem & manutenentes aliorum; dignetur regia majestas hac in re suas apponere manus adjutrices, cum ad hoc per ordinarium fuerit requisitus.

Item, quod prior, sive dominus sancti Johannis evocetur coram reverendissimo domino cardinali, cæterisque prælatis & clero in præsenti convocatione congregatis, ad exhibendum privilegia, si quæ habuerit, quibus sui ministri diversis locis infra hanc provinciam benedicant, habere correctionem, dominium, & jurisdictionem in foro contentioso, approbationem, & insinuationem testamentorum maxime suorum tenentium, atque potestatem deputandi simplices presbyteros ad absolvendum quoscunque a sententiis juris, vel homines qualitercunque ad patris instantiam, vel ex officio judicis involutos alienis paroch. sacra & sacramentalia ministrand. clandestina matrimonia contra sacrorum canonum statuta celebrand. necnon quod sui tenentes propriis curatis decimas reales atque personales solvere non tenentur, sicuti in nonnullis locis (in) præsenti prætendunt.

Item, quod magistri domorum de Howndislowe, Teylisford, Knaysburgh, ordinis sancti Roberti, simili modo evocentur, quo jure alienos paroch. sine licentia & assensu proprii curati ad sacrum poenitentiæ admittunt, sicque confessiones alienorum paroch. audiunt eosdemque absolvunt.

Item, quod sacerdotes & curati coram vicecomitibus, & aliis justitiariis domini regis, in vetito foro accusati, seu indictati, possunt per celsitudinem regiam remediari; sic quod dicti vicecomites & justitiarii sint jurati in suscipiendis eorum officiis, quod nullus sacerdos coram eis a modo accusatus aut indictatus arrestetur, incarceretur, aut alio modo gravetur, seu molestetur in persona seu bonis, sed incontinenti remittant illas accusationes, & indictamenta eorum ordinariis. Ad istam petitionem dominus rex nondum consentit, &c.

Item, quod liceat cuicunque sacerdoti, quotiescunque sibi videatur, assumere sibi quemcunque sacerdotem idoneum in confessorem in casibus non reservatis.

Item, quod festa translationis sanctæ Ethelredæ in vigilia S. Lucæ evangelistæ, & translationis sanctæ Fredesvydæ proximo die post festum S. Lucæ, cum IX. lection. & cæteris omnibus de communi unius virginis non martyris; & depositionis sancti Osmundi 4. die Decembris cum IX. lect. & cæteris omnibus de communi unius confessorum & pont. celebrentur.

ANNO CHRISTI 1475.

LON-

Anno 1480. *habitum.*

PErlecto mandato reverendiſſimi pro convocatione, cui breve regium inſertum extitit, ac tradita poteſtate ab archiepiſcopo certificatoria & procuratoria recipiendi, & convocationem continuaudi in abſentia ſua, mag. Will. Pykenham in prolocutorem electus, reverendiſſimo die 26. Martii, MCCCCLXXXI. præſentatur.

Poſtea conſiliarii regii neceſſitates regis B in domo capitulari exponentes, ſubſidium aliquod notabile petunt, quod tertio die Aprilis conceſſum fuit; quo die præfatus prolocutor nomine totius cleri, ut aſſeruit, exhibuit duas papyri ſchedulas in forma conſueta conſcriptas; unam in ſe continentem unius integræ decimæ domino noſtro regi conceſſionem, & alteram conceſſionem cujusdam charitativi ſubſidii præfato reverendiſſimo in Chriſto patri conceſſi aſſeruit, aliam ſchedulam papyream in ſe continentem hæc verba exhibuit: inſtantiſſimè cum omni humilitate & reverentia petimus nos clerus, pariter & ſupplicamus, quatenus vos, reverendiſſime pater, cum ſingulis re- C verendis patribus, confratribus veſtris, veſtræ Cant. provinſiæ epiſcopis regiam majeſtatem pro eccleſiæ Anglicanæ univerſæ, ipſiuſque totius cleri ſtatu, & tranquillitate, ne ipſius libertas, cum omnium chriſtianorum regnorum pulcherrima eccleſia fuit, in ruinas cadat, hortari, & ſupplici ter rogare dignemini, & juſtitiariorum, vicecomitum, ballivorum, & juſtitiariorum pacis, ac aliorum officiariorum ſuorum temporalium quorumcunque in eccleſiaſticos viros jurisdictionis abuſus, temerariæque vexationes compeſcantur per ipſius ſereniſſimam regiam celſitudinem, per ſuas diſſertiſſimas literas præcipiendo eisdem officiariis D temporalibus, ut ab ipſorum eccleſiaſticorum virorum indictationibus, incarcerationibus, ac moleſtationibus aliis quibuscunque, cum talia in clericos temporales officiarii ſive eorundem animarum magno periculo attemptare nequeant, omnino deſiſtant. Et ſi aliquem eccleſiaſticum coram ipſis officiariis indictari, aut per eos attachiari contingat, ipſos eccleſiaſticos viros ſic indictatos, attachiatos ſive incarceratos, ad loci dioeceſanum libere & indilate remittant.

Exhibuitque ibidem prælibatus prolocutor aliam ſchedulam papyream, ſub hac ſerie verborum: Decet ut exultent immenſis cuncti chriſticolæ gaudiis, quod per glo- E rioſiſſimæ virginis Mariæ, genitricis unici Filii Dei Domini Jeſu humani generis redemptoris piiſſimi, ſanctorumque Osmundi epiſcopi, Frideswidæ, & Ethelredæ virginum, grandia præcelſaque merita, multa & evidentia miracula ipſe Dominus operatur in terris; qui & animo & omni veneratione colendi ſunt, ut quanto divina clementia precibus eorum aurem ſuæ pietatis inclinat, tanto ipſi, qui Dei ſunt mediatores & hominum, intercedere pro peccatis efficacius inducantur. Et quia non itaque piis ducti conſiliis, digniſque ſtudiis excitari, quod beatiſſimi patres in apoſtolatu olim ſummi pontifices feſtum viſitationis beatiſſimæ virginis Mariæ auctoritate divina indixerunt, & nuper, divina clementia annuente, beatum Osmundum epiſcopum, Frideſwidam & Ethelredam virgines, ingentibus eorum meritis exigentibus, in ſanctorum catalogo numerari, & a Chriſti fidelibus venerari decreverunt, ideoque ſanctiſſimæ Mariæ viſitationis feſtum ſub more duplicis feſti, ſecundum uſum eccleſiæ Sarum cum pleno ſervitio VI. non. Julii cum oct. quæ celebrentur cum regimine chori, feſtaque Oſmundi XI. non. Decemb. ſanctæ Fridsvvidæ XIV. calend. Novembris; & Ethelredæ XVI. Novembris cum regimine chori, & novem lectionibus, per provinciam Cant. auctoritate hujus ſacri concilii volumus, ſtatuimus, & præcipimus, annis ſingulis, perpetuis futuris temporibus devote celebrari. Quibus ſic exhibitis, præfatus reverendiſſimus in Chriſto pater dixit ſe velle communicare cum fratribus ſuis, & prælatis; & animadvertere quid ſuper & in præmiſſis eſſet agendum. Sequente 9., die Aprilis, coram præfato reverendiſſimo in Chriſto patre, & ſuffraganeis ſuis, comparuit venerabilis vir magiſter Johannes de Sighs, utriuſque juris doctor, fructuum cameræ ſedis apoſtolicæ collector in Anglia, & expoſuit, qualiter dictus in Chriſto pater & dominus, dominus Sixtus papa IV. omnia vaſa & locula ſua argentea in pecunias convertit pro defenſione civitatis Rhodi, & reſiſtentia illius nefandiſſimi Chriſti nominis inimici, qui nuper —— invaſit, & infra breve civitatem Romanam invadere, & univerſam Chriſti nominis religionem deſtruere in dies conatur, & intendit, niſi citius remedium accuratur, quod fieri non poſſit, ſine adiutorio chriſtianorum, ob quam cauſam, ut dixit ſanctiſſimus in Chriſto pater decimas indixit ſuper univerſali eccleſia, ut pater per bullas ejuſdem ſanctiſſimi patris, quas habuit oſtendere, ut dixit, & his relatis, præfatus reverendiſſimus in Chriſto pater dixit, quod haberet colloquium cum ſuffraganeis ſuis, & prælatis, & quod provideret ſibi de reſponſo. Et tunc idem collector receſſit a dicta domo, & ſæpedictus reverendiſſimus in Chriſto pater communicavit cum antedictis ſuffraganeis ſuis, prælatiſque & clero, quid videretur eis in præmiſſis faciendum; & habita diu communicatione ſuper præmiſſis & aliis, nulla concluſione ſequente, in aliud tempus negotium hoc differebatur.

Et quia tempus Paſchæ appropinquavit, ita quod prælati & clerus ab eccleſiis ſuis non deberent eſſe abſentes, ulterius ordinatum fuit, quod reverendiſſimus cum VI.

ANNO CHRISTI 1484. 1486.

episcopis, VI. abbatibus, VI. aliis prælatis III. decanis, VI. archidiaconis, & VI. cleri procuratoribus, ab archiepiscopo nominandis, aliquo certo die ante festum Pentecostes, ad id ab archiepiscopo eligendo, in ecclesia S. Pauli London. conveniret, ad subsidium domino papæ concedendum. Et tunc reverendissimus commisit potestatem Thomæ London. episcopo dictam convocationem dissolvendi, quod & fecit 16. die mensis Aprilis. Postmodum dominus archiepiscopus submonebat nonnullos ad quintum diem mensis Junii, ad deliberandum de subsidio domino papæ contra Turcos Rhodum invadentes pugnanti concedendum. Sed hactenus in his frustra fuit. Continuata deinde sessio hujus concilii ad diem 7. Novemb. prox. sequ. & deinde ad diem 6. Maii, anno M.CCCC.LXXXII. & inde ad 12. Novemb. prox. sequentem; & tunc rem remisit ad proximam convocationem.

ANNO CHRISTI 1484. 1486.

INNOCENTIUS PAPA VII.

Sedit ab anno 1484. *usque ad annum* 1492.

CONCILIUM LONDINENSE

Habitum anno 1486.

Johannis Motton, archiep. Cant. epistola, continens statuta de vita, & moribus clericorum in provinciali synodo edita.

Extat apud Wilkins to. 3. pag. 619. Ex reg. Joh. Alcock. episc. Elinensis.

JOhannes permissione divina Cantuar. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus venerabili fratri nostro Thomæ, Dei gratia London. episcopo, salutem, & fraternam in Domino charitatem. Cum in præsenti convocatione prælatorum & cleri nostræ Cantuar. provinciæ in ecclesia cathedrali S. Pauli London. celebrat. pie & salubriter consideratum fuit, quod nonnulli sacerdotes & alii clerici ejusdem nostræ provinciæ, in sacris ordinibus constituti, honestatem clericalem in tantum abjecerint, ac in coma tonsuraque & superindumentis suis, quæ in anteriori sui parte totaliter aperta existere dignoscuntur, sic sint dissoluti, & adeo insolescant, quod inter eos & alios laicos & sæculares viros nulla vel modica comæ, vel habituum, sive vestimentorum distinctio esse videatur; quo fiet in brevi, ut a multis verisimiliter formidatur, quod sicut populus ita & sacerdos erit, & nisi celeriori remedio tantæ lasciviæ ecclesiasticarum personarum quantocyus obviemus, & clericorum mores, corruptos hujusmodi digna acrimonia maturius compescamus ecclesia Anglicana, nostræ saltem provinciæ Cantuar. antedictæ, quæ superioribus diebus vita, forma, & compositis moribus floruisse dignoscitur, nostris temporibus ad magnæ desolationis opprobrium, quod Deus avertat, præcipitanter ruet. Volentes igitur, quantum cum Domino possumus, tantis morbis congruas medelas apponere, ne sanguis nostrorum subditorum, & taliter delinquentium, imo verius periclitantium, in extremi judicii examine de nostris manibus requiratur, auctoritate nostra archiepiscopali atque metropolitica, ex unanimi consensu & assensu venerabilium fratrum episcoporum, suffraganeorum nostrorum, & aliorum, & prælatorum, & totius cleri dictæ nostræ provinciæ, in ipsa provinciali sacra synodo congregatorum, statuimus, & ordinamus, ne aliquis sacerdos, vel clericus, in sacris ordinibus constitutus, infra provinciam nostram Cant. antedictam beneficiatus, vel ad beneficium ecclesiasticum inibi promotus, togam gerat nisi clausam a parte anteriore, & non totaliter apertam; & ne quis presbyter, cui id ratione sui gradus in aliqua universitate accepti, non competit (filiis dominorum, ac viris in aliqua dignitate constitutis, ecclesiastica vel alias notabiliter beneficiatis duntaxat exceptis) caputium penulatum, vel non penulatum, aut duplicatum, cum serico seu simplex cum corneto vel liripipio brevi gerat, vel chameleto circa collum suum publice, sed utatur quilibet talis presbyter, nullatenus graduatus, caputio cum liripipio longo, suo ordini conveniente. Neque utatur ense, vel sica, nec zona, aut marcipio deaurato, vel auri ornatum habente. Incedent etiam omnes & singuli presbyteri, & clerici ejusdem nostræ provinciæ, coronas & tonsuras gerentes, aures patentes ostendendo juxta canonicas sanctiones, quas in quoscunque presbyteros & clericos hujusmodi, contra præmissa vel aliquod præmissorum post mensem a die publicationis eorumdem continue enumerandæ venire præsumentes, per locorum ordinarios debitæ executioni demandari volumus. Ad hæc insuper de consensu fratrum nostrorum prælatorumque & cleri hujusmodi, hoc provinciali statuto illud addendum fore decernimus; ut si canonicæ sanctiones ad refrænand. præsbyteros & clericos hujusmodi a dictis abusionibus minime suffecerint, ipsos omnes & singulos eorundem canonum transgressores & violatores, qui comam nutrire, tonsuram abiicere, vel contra aliquam præmissarum venire præsumpserint per venerabiles fratres nostros episcopos, archidiaconos, & eorum inferiores moneri volumus primo, secundo, & tertio, atque peremptorie, quod infra unius alterius mensis spatium continue numerand. a die monitionis suæ hu-

hujuſmodi, in certo loco per ipſos ordinarios & eorum inferiores prædict. talibus tranſgreſſoribus ſpecialiter præfigend. ſe effectualiter reformatos eis exhibeant beneficiati, ſub pœna ſequeſtrationis fructuum beneficiorum ſuorum; non beneficiati vero ſub pœna ſuſpenſionis ab officio. Quas pœnas contra tranſgreſſores hujuſmodi, ſi vel in termino eis aſſignato comparere contempſerint, vel comparentes ſe reformatos eſſe juxta monitionem eis factam nullatenus exhibuerint, cum omni juris effectu exequendas fore omnino decernimus, donec reſipiſcant. Et quia frequenter contingit, quod, paſtore gregis ſibi crediti cuſtodiam negligente, & abſentante, lupus rapit & diſpergit oves; ut diligentia paſtoris præſentis & noctis vigilias cuſtodientis a lupinis morſibus illæſæ ſervarentur, hac conſtitutione provinciali de conſilio fratrum noſtrorum prælatorumque & cleri antedict. noſtræ provinciæ ſtatuend. eſſe duximus, quod omnes & ſinguli rectores, vicarii, & alii, quocunque nomine cenſeantur, eccleſiarum curati ſeu beneficiati ejuſdem provinciæ noſtræ reſidentiam in eccleſiis & beneficiis ſuis hujuſmodi, ceſſante canonico impedimento, vel alia legitima cauſa abſente, faciat corporalem, ac ſuos parochianos informent verbo & exemplo, ad bene vivend. & ſeſe protegen. a lupo rapaci diabolo. Et ut eiſdem indigentibus ſubvenire valeant temporali ſubſidio, et, ſi quos repererint ordinarii locorum, contrarium facientes, diligentiam et ſollicitudinem ſuas adhibeant ſecundum canonicas ſanctiones ad vocand. eoſdem ſuas reſidentias, ut præmittitur, facturos. Quod ſi beneficiati hujuſmodi, ſic ad reſidend. vocat. diſpenſationem pluralitate ad duo beneficia ipſis ordinariis vocantibus exhibuerint, curent iidem ordinarii, ut in ſuis hujuſmodi beneficiis reſidentiam viciſſim faciant. Verum, ſi dicti beneficiati ad reſidend. vocati, diſpenſationem ſpecialem ſedis apoſtolicæ de non reſidendo eiſdem demonſtraverunt; in hoc vigeat ordinariorum ſolicitudo ad diligenter examinand. vires diſpenſationis hujuſmodi, ut attenta ſuggeſtione, & aliis in ea parte penſandis, intueri valeant, utrum preces veritati nitantur, an ut mendax precator carere debeat impetrat. Et ſi, diligenti facta inquiſitione, preces hujuſmodi veritati inniti deprehenderint, curent tamen locorum ordinarii, quod paſtores illi ad non reſidend. licentiati, idoneos ſubrogent mercenarios, qui curiis eorumdem, ipſis ſe abſentantibus, ſufficienter in divinis deſervire valeant. Et in caſu, quo aliqui beneficiati prædicti, vel ſua ſponte reſidentes, vel ad reſidend. in & ſuper beneficiis ſuis hujuſmodi vocati, ſuam reſidentiam debite & cum effectu fecerint in eiſdem, venerabiles fratres noſtros epiſcopos atque ſuffraganeos provinciæ noſtræ Cant. ſæpedictæ hortamur in Domino, imo rogamus & requirimus, quatenus eiſdem taliter reſidentibus efficacis defenſionis præſidio ſic ſtudeant aſſiſtere, quod per laicorum potentiam vel aliquotum malitiam in vicinio vel alibi commorantium, fructibus beneficiorum ſuorum, cum quibus honeſte vivere, ac ſe & ſuos ſuſtentare & onera eis incumbentia ſuſtinere debeant, carere nullatenus compellantur: veſtræ igitur fraternitati tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus omnibus & ſingulis eccleſiæ noſtræ Cantuar. ſuffraganeis, infra dictam noſtram provinciam conſtitutis, ac abſentium epiſcoporum, ſi qui ſint vicariis in ſpiritualibus generalibus, ac vicariis noſtris in ſpiritualibus generalibus, in civitate & diœceſi Winton. ſede epiſcopali ibidem vacante literis veſtris patentibus, harum ſeriem continentibus, injungatis, quatenus eorum ſinguli præmiſſa omnia & ſingula in dictis literis noſtris contenta, ac eorum conſenſu ſtatuta, et ordinata, quatenus perſonas & eccleſiaſticas ſuarum civitatum & diœceſium concernant, per ſe & inferiores ſuos debitæ executioni demandare ſtudeant diligenter cum effectu. Voſque pari forma ea in civitate & diœceſi veſtris debite exequi non omittatis. Dat. in manerio noſtro de Lamehith quoad ſigillationem præſentium ſexto die menſis Martii, A. D. M. CCCC. LXXXVI. et noſtræ tranſlationis anno primo.

ANNO CHRISTI 1486.

ANNO CHRISTI 1488.

CONCILIUM PROVINCIALE EBORACENSE

ANNO CHRISTI 1488.

Anno 1488. *habitum.*

Vvilkins to. 3. pag. 612.

CONcilium hoc per breve regis datum 19. die Novembris, anno regni IV. apud Ebor. celebratur die Martis prox. post festum conversionis S. Pauli Apostoli, vid. 27. die Januarii. Mandatum archiepiscopi ad Episcopum Dunelm. ad comparendum tunc ibidem datum est 1. die Novembris, anno Dom. MCCCCLXXXVIII. & translat. IX. In eo clerus concessit duas integras decimas, sub quibusdam exceptionibus paucis, omnino necessariis; quibus concessionis certificatorium datum 18. die mensis Martii, sic incipit: Excellentissimo in Christo principi & domino, domino Henrico, Dei gratia regi Angliæ, &c. Illustri, Thomas, permissione divina Ebor. archiepiscopus, &c. salutem in eo, per quem reges regnant, & principes dominantur. Cum nuper ex vestræ regiæ celsitudinis speciali mandato magnum & solemne concilium, quale retractis temporibus vix aut raro visum fuerat, nobilioribus tam spiritualium, quam temporalium dominorum vestri inclyti regni Angliæ personis, in quacunque dignitate constitutis, cæterisque ejusdem regni maxime sapientibus non paucis per vestram majestatem regiam in consiliarios vocatis & assumptis, super quibusdam arduis & plus solito urgentibus negotiis, causisque de novo emergentibus, ecclesiæ Anglicanæ securitatem, munimen, & defensionem, & statum salubrem, utilitatem, & commodum regni Angliæ, ac bonum publicum, pacem, & tranquillitatem subditorum ejusdem regni intime concernentibus, cum matura deliberatione celebratum fuerit; quibus quidem nobilioribus & consiliariis omnibus & singulis hujusmodi vestro percelebri concilio interessentibus, ex certis causis mature ibidem discussis, visum fuerit valde necessarium, & opportunum, ut de terris, tenementis, & possessionibus ac bonis & rebus, tam temporalibus quam spiritualibus, & de temporalibus spiritualibus annexis, per totum vestrum regnum prædictum subsidium, solito magis amplum, vestræ regiæ majestati concederetur. Hinc nos nuper in nostro provinciali concilio, in domo capitulari ecclesiæ nostræ metropoliticæ Ebor.

In hoc concilio provinciali apud Ebor. in domo capitulari 27. die mensis Februarii celebrato, constitutiones quasdam *una cum consensu & assensu nostrorum suffraganeorum & prælatorum, & cleri nostræ provinciæ digne & laudabiliter duximus statuendum*, sunt verba episcopi Ebor. vid. de festo Transfigurationis 6. die Augusti, de festo nominis Jesu 7. die Augusti; de festo dedicationis omnium & singularum ecclesiarum, uno & eodem die dominico omnium prox. post festum commemorationis S. Pauli apostoli, & de festo S. Cedæ 2. die mensis Martii, in perpetuum celebrandis & observandis.

ALE-

Anno Christi 1492. 1503. 1510.

ALEXANDER PAPA VII.

Sedit ab anno 1492. *usque ad annum* 1503.

PIUS PAPA III.

Cœpit anno 1503. *eodemque & defiit.*

JULIUS PAPA II.

Sedit ab anno 1503. *usque ad* 1513.

CONCILIUM PATERCAVVENSE IN POLONIA

Anno 1510. *habitum.*

DECRETA SACRÆ SYNODI PROVINCIALIS

In Paterkavv. pro festo S. Martini, Anno Domini Millesimo quingentesimo decimo.

QUam tum reverendissimus in Christo pater, dominus Johannes, Dei gratia, sanctæ ecclesiæ Gneznensis archiepiscopus & primas: una cum reverendissimis patribus, Domino Bernardino archiepiscopo Leopolien. Vincentio Wladislavien. & Johanne Poznanien. episcopis, abbatibus & capitulis ipsorum, ac nuntiis & procuratoribus reverendissimorum dominorum Cracovien. Wratislavien. Plocen. Vilnen. & Mednicen. multisque aliis prælatis, tam religiosis quam secularibus, & clero nostræ provinciæ, in spiritu S. congregatis, invocata spiritus S. gratia celebravit.

In primis sacrosancta synodus instituit festum Conceptionis beatissimæ, & gloriosissimæ Dei genitricis virginis Mariæ, cum octava in tota provincia Gneznen. sub officio domini Leonardi Nagaroli Prothonotarii apostolici, sacræ Theologiæ doctoris, edito, & a Romano Pontifice approbato, de cætero fore celebrandum a festo proximo Conceptionis ejusdem virginis gloriosæ, per annum incipiendum, & deinceps continuandum in perpetuum: quod officium apud Joannem Haller impressorem, civem Cracovien. invenietur.

Item: festivitatem sancti Francisci deinceps perpetuis temporibus celebrem esse, & a cunctis christianis celebrari, ab omni servili opere abstineri, & sub observantia & præcepto comprehendi, eadem synodus decrevit & voluit.

Item: Statuta provincialia dudum divinitus edita, ab omnibus eadem synodus observanda decrevit & mandavit: adjiciens, quod episcopi aut suffraganei, exigentes aliquid ultra procurationem expensarum a jure concessam, in consecrationibus, reconciliationibus, & benedictionibus: præter pœnas juris, pro arbitrio archiepiscopi puniantur; in quo per capitulum majoris ecclesiæ avisabitur, & in hoc eorum conscientiæ oneratæ sint.

Item: Archidiaconi, & qui habent onus visitandi, si non fuerint vigiles circa visitationem, aut exigentes aliquid præter procurationem a jure concessam; ultra pœnas juris, & statutorum, arbitraria pœna per diœcesanum puniantur toties, quoties id fecerint: in quo conscientiæ diœcesanorum sint oneratæ.

Item: quod circa ecclesias collegiatas aliquæ præbendæ deputentur, ad quas non nisi juris periti eligantur, qui in officiales foraneos constituentur.

Item: quod non instituantur ad parochiales ecclesias nisi docti & de bonis moribus, & quod ante institutionem examinarentur.

Item: ut venerabiles domini Petrus Thomitzzhi archidiaconus Cracovien. & Sigismundus Targovvitzhi custos Sandomirien. & canonicus Cracovien. cum reverendissimo domino episcopo Cracovien. Cancellario universitatis Cracovien. omnes defectus ejusdem universitatis, quoad studium, si qui sunt, revideant.

Item: quod ad regendas scholas cathedralium collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum, docti & idonei viri deinceps eligantur & assumantur; nec per eosdem Rectores in scholis, nisi qui studiis intenderent, servarentur. Non recipianturque deinceps aliunde venientes, nisi cum literis testimonialibus de vita & moribus a Rectore vel Plebano dandis, ubi prius stetissent; quomodo illic se observassent.

Item: ut nullus ad aliquos ordines, etiam majores recipiendos, admitteretur: nisi prius per literas testimoniales archipresbyteri vel Decani ruralis, & duorum plebanorum ejusdem decanatus, sub quo degit, doceat de vita, moribus & conversatione suis bonis honestis; circa quam institutionem uniuscujusque plebani instituendi conscientia oneretur, quod non nisi bene idoneum promoverit.

Item: bullam Cœnæ Domini diebus solennibus, & præcipue feria quinta magna, ali-

ANNO CHRISTI 1511.

aliaque ſtatuta atque jura quæ mandantur cianda, populo publicent.

Item: Quod ſtatutum provinciale de fide inſtrumentorum, propter falſarios bene exequatur. Et ne falſarii ſint, unuſquiſque in ſua dioeceſi bene videat.

Item: De non curantibus cenſuras eccleſiaſticas, & inſordeſcentibus in eis, ac publicis blaſphemis ne de malicia ſua commodum tales reportent, dioeceſani bene provideant, eoſdem ſecundum jura & ſtatuta punientes.

Item: Nundinæ diebus dominicis & feſtis non teneantur, prout in jure & ſtatutis cavetur: Idque per omnes eccleſias deinceps principaliter publicetur.

Item: Hæretici & Schiſmatici, & Tartari Turcique, per ſpirituales non ſerventur in ſervitio domeſtico circa ſe. Et ordinarius tales ſervitores facultatem habebit accipiendi circa unumquemque abſque contradictione, ſervitio vili per eundem applicando.

Item: Quod Pontificale Romanum in conferendis ordinibus, & conſecrationibus epiſcoporum, & virginum benedictionibus, officiiſque divinis, & aliis in tota provincia obſervetur.

Item: Ut epiſcopi roketas juxta ſtatutum deferant.

Item: quod presbyteri conforment ſe in celebrationibus officiorum rationali divinorum: quod quilibet curatus, & alii ſtatuta provincialia, & ſacramentale habere debent.

Item: Quod miſſæ alta & intelligibili voce legantur; præter ſecreta & canonem majorem & minorem.

Item: Quod uniones eccleſiarum parochialium, quæ decreverunt in proventibus per ordinarios fiant.

Item: Quod contra adulteros & concubinarios publicos animadvertetur per ordinarios, regiæque majeſtati ſuggeratur ne tales ad dignitates, aut ad officia publica promoveat.

Item: De uſurariis ſtatutum provinciale in genere obſervetur.

Item: Ut ſtatutum, ne ſpirituales veſtes ſæculares haſucas cognominatas deferant, in proxime præterita ſynodo provinciali factum obſervetur.

Item: Quod bireta cornuta ne de cætero deferantur per clericos, niſi in via.

Item: In conviviis ad æquales hauſtus ſumendos ne obligarent ſe potatores, & pro ſalute alicujus ne biberent.

Item: Sacerdotes tabernas ne viſitent: de quo ordinationem epiſcopi in ſuis locis faciant.

Item de matrimoniis contrahendis, ut provideatur, ne plebani alienarum parochialium homines copulare audeant.

Item: De veſtibus ſericeis ne de cætero portarentur, præter thabin curialibus, & nunciis Regis, & principum dumtaxat permittitur, ſi voluerit, illis uti.

Et propter alia negotia, quæ non ſunt determinata ex certis cauſis, & ex conſenſu unanimi omnium ejusdem ſynodi Peterkovienſis, cum poteſtate & auctoritate hinc ad feriam tertiam poſt feſtum trium regum proxime venturum prorogatur & continuatur: omnia & ſingula per eos, qui pro tunc erunt præſentes, definienda, declaranda, pariter & concludenda &c.

PISANUM CONCILIABULUM

A cardinalibus ſchiſmaticis anno 1511. *indictum, & aliquandiu Piſis habitum, dein Lugdunum tranſlatum.*

„ CUm ex celebri Concilii Conſtantienſis
„ conſtitutione, *Frequens*, ſingulis re-
„ currentibus decenniis generalia concilia
„ convocanda eſſent; & a ſupremo Floren-
„ tino generali concilio nimis multum tem-
„ poris ſupra decennium effluxiſſet; cardi-
„ nales in conclavi pro electione futuri
„ Pontificis coeuntes ſe invicem voto & ju-
„ rejurando obſtrinxerunt, ſi forte aſſume-
„ retur eorum aliquis in pontificem, ſtatim
„ concilium illud indicendi. Renunciatus
„ ex eorum cœtu pontifex Julius II. conci-
„ lium habere, juſto forte prohibitus impe-
„ dimento, neglexit. Quare indignati Car-
„ dinales nonnulli ſeceſſione ab eo facta
„ concilium pro ſuo, ut aſſerebant, jure
„ convocarunt, cæperuntque Piſis, tum Me-
„ diolanum tranſierunt; demum tranſtule-
„ runt Lugdunum, ubi anno 1513. die V.
„ martii ſpectrum illud ſanctæ coitionis
„ nondum evanuerat, ut ex documento hic
„ afferendo conſtabit.
„ Porro conciliabuli hujus documenta
„ nulla dedit Labbeus; quædam ſuffecit Ve-
„ netus editor; ſed horum documentorum
„ alterum exhibens literas patentes Cardi-
„ nalium pro concilii indictione publici ſcri-
„ bæ manu firmatas, ita mancum & re-
„ fectum eſt, ut producendum iterum ſanius
„ integriuſque ex Lunigii Spicileg. Eccleſ.
„ tom. I. pag. 365. cenſuerim. Adjungam huic
„ geminas alias literas ad idem concilium
„ pertinentes, alias ex eodem Lunig. Spi-
„ cil. Cont. III. pag. XI. alteras vero ex
„ Galliæ Chriſt. to. III. pag. 227. append.
„ acceptas. Denique ceu ejuſdem concilia-
„ buli appendicem addo bullam Julii papæ,
„ qua ſchiſmaticos concilii Piſani patres
„ in alias pontificis literas contumaces, eas
„ pœnas incurriſſe declarat, quas priori-
„ bus illis literis inflixerat ſi parere recu-
„ ſaſſent. Literas illas comminatorias dedit
„ Labbei editor Venetus; adjecit & lite-
„ ras alias, quibus patres ipſos olim rejectos
„ iterum admiſſurum ſe ſpondet pontifex,
„ ſiquidem reſipuiſſent. Rejectionis hujuſce
„ literas hic exhibeo ex edito tunc Romæ.

CON-

CONVOCATIO CONCILII PISANI.

per Car. ſchiſmaticos.

ANNO CHRISTI 1511.

TEnore præſentis cedulæ, aut inſtrumenti cunctis pateat evidenter, & ſit notum: quod anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo undecimo, indictione quarta decima, die vero lunæ, decima nona menſis Maii, Pontificatus ſanctiſſimi domini noſtri, domini Julii, divina providentia Papæ II. anno octavo; conſtituti coram nobis notariis publicis & teſtibus infra ſcriptis, Reverendiſſimi in Chriſto Patres, & domini, domini B. epiſcopus Sabinenſis, & G. epiſcopus Prænestinus, & F. & ſanctorum Nerei & Achilei Cuſſentinus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, ſuis nominibus, & pro ſex aliis dominis cardinalibus ſufficiens mandatum habentes, & pro aliis eis adhærentibus, & adhærere volentibus, dixerunt & propoſuerunt ſequentia verba videlicet: quod conſiderantes quantam reipublicæ chriſtianæ utilitatem concilia generalia univerſalis eccleſiæ attulerint, quantumque detrimenti ex eorum intermiſſione reſpublica ſit paſſa, quamque in præſentiarum conſpiciant clare magnam inſtare neceſſitatem univerſalis Concilii congregandi, pro vera pace chriſtianorum fundanda, & ſufficienti bello contra infideles ſtabiliendo: necnon potiſſime pro reformatione morum univerſalis eccleſiæ in capite & in membris plurimum collapsorum, ac emendatione criminum graviſſimorum, notoriorum, continuorum ac incorrigibilium, univerſalem eccleſiam ſcandalizantium, quorum omnium eccleſiæ morborum ſalutaris, & unica medicina congregatio univerſalis Concilii ſemper fuit habita. Cumque tempus decennii poſt ultimum univerſale concilium jamdudum ſit effluxum, & ſaluberrima decretali Conſtantienſi conſtitutione edita, quæ incipit: *Frequens &c.* ſingulis decenniis univerſale concilium congregari debeat: et ſanctiſſimus dominus noſtet, dominus Julius papa II. cui primo curæ eſſe deberet illud convocandi, tanto tempore hoc neglexerit, maxime cum noverit, & juraverit poſt biennium a creatione ſua illud tenere, & nedum negligens in præcepto eccleſiæ, & concilii, ſed voti, & juramenti hujusmodi transgreſſor illud non tenuerit, tempusque interpellet pro homine; cumque nunquam ſua auctoritate, aut voluntate futurum concilium credatur; & cum de gravibus eccleſiæ ſcandalis in capite agendum ſit, quo caſu juxta patrum ſanctiones & ipſius ſacri Conſtantienſis concilii decreta ad ſummum pontificem congregatio concilii non attinet; ſed ſecundo loco ad reverendiſſimos dominos cardinales, qui pontifici in hujusmodi ſua negligentia non adhæſerint, in ſimilibus caſibus convocatio concilii ſpectet, non ad eos qui ſunt participes continuæ negligentiæ ſuæ. Zelo igitur Domus Dei, quo nos maxime accendimur, poſt Miſſam S. Spiritus, ipſo invocato, ac reformationem eccleſiæ in capite, & in membris vehementer efflagitantes, & deA poscentes, ex noſtra certa ſcientia, & ſpontanea voluntate, quantum jure melius poſſumus, & debemus, nomine ſacri reverendiſſimorum dominorum cardinalium collegii, quod in nobis repræſentatur, in hoc caſu, jure & etiam particulariter nomine noſtro, & aliorum cardinalium, quorum habemus mandata, & aliorum cardinalium, & prælatorum nobis adhærentium, & adhærere volentium, una cum conſiliariis, & procuratoribus sacratiſſimi domini Maximiliani electi Romanorum imperatoris ſemper auguſti, & chriſtianiſſimi domini Ludovici Francorum regis, ducis Mediolani, cæterisque nobis in hoc adhærentibus, & adhærere volentibus, concilium generale univerſalis eccleſiæ indicimus, & convocamus, et quantum in nobis eſt effectualiter congregari monemus, & hortamur futurum in civitate Piſana, & inchoandum in kalendis septembris proximè futuri, & ibi continuandum, & terminandum usque ad diffinitionem ſuperiorum causarum, niſi de conſenſu majoris partis congregandorum in concilio aliqua legitima causa ad alium locum commodiorem transferendum ſit. Quapropter cum omni reverentia & humilitate ac inſtantia ſanctiſſimum dominum noſtrum, Julium papam ſecundum, ſupplicamus, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri hortamur, ut huic congregationi concilii pro dictis cauſis aſſentire dignetur, & illud perſonaliter, vel per ſuos legatos honorare, & confirmare: ſimiliter & reverendos dominos ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, patriarchas, archiepiſcopos, episcopos, reges, principes, & potentatus, ac communitates, & collegia, univerſitatesque ſtudiorum generalium, ac religionum generales, ac magiſtros, necnon omnes alios eccleſiæ prælatos, & in conciliis generalibus auctoritatem diffiniendi, aut conſulendi habentes, & ad concilium de jure, vel conſuetudine venire ſolitos, & obligatos, convocamus, & requirimus, ut per ſe vel ſolemnes oratores, vel procuratores, ſi commode perſonaliter intereſſe non poterunt, ad concilium ipſum, loco, & tempore, quibus supra, accedere dignentur, procuraturi, quantum in eis erit ut concilium ſit liberum, tutum, & ſecurum, & in eo, juxta formam Conſtantienſis Synodi procedatur, ad honorem Dei, & eccleſiæ ſplendorem, pacem chriſtianorum, & infidelium expugnationem, quod nos, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, pro viribus offerimus Deo, & eccleſiæ effectualiter procuraturos, & pro viribus facturos. Quare ſanctiſſimum dominum noſtrum, & reverendiſſimos dominos cardinales, juxta formam aliorum conciliorum enixè ſupplicamus, & hortamur, ut a quatuor cauſis, quæ maxime poſſent hujusmodi ſanctam congregationem impedire, ex nunc abſtinere dignentur: videlicet creatione novorum cardinalium, & a publicatione creatorum, ſi qui forsan ſunt, & proceſſu contra antiquos cardinales, aliosque prælatos, & perſonas ad concilium ipſum accedere volentes, & illi prout decet, conſentientes: Necnon ab impediendo hujusmodi

ANNO CHRISTI 1511.

modi convocationem concilii, directè, vel indirectè, publicè, vel occultè, quovis quæsito colore, & ab alienatione feudorum, seu terrarum sanctæ Romanæ ecclesiæ. In quibus omnibus causis cum omni humilitate protestamur de nullitate actus, nisi a sanctissimo domino nostro in dicto concilio hujusmodi fieri contingeret; & aliter facta, vel facienda irrita haberi, ac per concilium, seu prout juris fuerit, annullari, & cassari debere protestamur, & requirimus. Insuper vos omnes reverendissimos dominos cardinales, & prælatos, principesque, ac dominos temporales, & personas alias cujuscumque status, gradus conditionis, vel præeminentiæ existant, hortamur, & monemus, quatenus hujusmodi bono proposito nostro annuere, opportuneque favores præbere, & a quibuscumque molestationibus, & impedimentis, ac prohibitionibus contravenientes, & venire volentes ad dictum generale concilium quomodocumque, & qualitercumque, directè, vel indirectè, sive alio quovis quæsito colore, vel ingenio, publicè, vel occultè desistant, atque desistere velint, & debeant, & ab omnibus censuris cujuscumque qualitatis, prætextu hujusmodi congregationis sacri concilii abstineant; & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter fieri, impediri, vel attemptari contigerit, protestamur de nullitate taliter gerendorum, & de omni remedio habendo in dicto generali concilio, ut talia irrita, & nulla declarentur, & de omnibus aliis remediis nobis competentibus, maxime ex forma dictæ Synodi Constantien. prout coram notabilibus personis, notariis, & testibus etiam in scriptis pro nobis, & adhærentibus, ac volentibus adhærere, protestati fuimus, & reclamavimus, prout etiam tenore præsentium protestamur, & provocamus. Et quia tutum non est nobis dictam convocationem concilii, ac protestationem in præsentia sanctissimi domini nostri facere, qui sanctae Romanæ ecclesiæ Cardinales fratres suos, & ecclesiæ universalis Principis carceribus mancipari, & minari fecit, oratoresque Principum contra jus gentium detineri; ideo decrevimus, quod per affixionem hujusmodi cedulæ, sive instrumenti convocationis, monitionis, & protestationis hujusmodi in valvis Ecclesiarum Mutinen. Regiensis, & Parmen. ex quibus verisimiliter ad notitiam sanctitatis suæ, & reverendissimorum dominorum cardinalium, ac principum christianorum, & aliorum Prælatorum venire poterit, quam vim publici edicti habere petimus, perinde arctare ad veniendum ad Concilium supra requisitos, & monitos, ac si personaliter illis intimata fuisset ipsa convocatio, monitio, & protestatio, cum non sit verisimile, ipsis fore incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Alioquin dictis kalendis Septemb. advenientibus, & etiam elapsis, in dicta Civitate Pisana, vel alio loco, in quo, ut præfertur, de consensu majoris partis congregandorum transferri contigerit ad celebrationem, & perfectionem dicti generalis concilii gradatim, & successive procedemus, & procedetur una cum illis reverendissimis dominis cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dominis, aliisque, ut supra, citandis, qui nobiscum in dicto generali concilio convenerint, juxta statuta, & decreta in dicto concilio Constantiensi, aliorum, sicut supra, requirendorum, & citandorum, absentia, seu negligentia, aut contumacia in aliquo non obstante, eisque propter hoc ulterius non citatis, vel monitis. De cujus præsentis instrumenti hujusmodi convocationem, monitionem, protestationem, & decreta in se continentis, in locis prædictis, & aliis, ubi expedicius fuerit, publicatione, præsentatione, & in valvis prædictis affixione, & dimissione, cuilibet hujus instrumenti latori nuncio in hac parte nostro cum juramento, aut instrumento publico manu notarii publici confecto plenam dabimus fidem. Quia vero fidelibus non est tam de solicita inventione quacumque fidendum, quam de instantia orationis humilis, & devotæ sperandum, cum non simus sufficientes etiam cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra, juxta verbum Apostol. ex Deo sit, ideo omnium vestrum charitates precamur in Domino quatenus per vos, & per fideles vestræ sollicitudini commissos, humiles preces fundantut ad Dominum, & devotis orationibus insistatur, ut ipse, qui concordiam operatur in sublimibus, dignetur efficere, ut debita hujus sanctæ nostræ deliberationis & convocationis provisio concors & celer ac canonica subsequatur, ut ecclesiæ salus exigit, & totius orbis pax & utilitas desiderat, & exposcit. Et noviſſime, vos reverend. dom. archiep. hortamur in Domino, ne in tempore hujusmodi convocationis sitis deficientes, sed interim suffraganeos vestros, exemptos & non exemptos, ac alias notabiles personas provinciarum vestrarum requiratis, ut in tempore & loco designatis absque dilatione & cum deliberationibus & avisamentis vestris & suis circa fidem, pacem & mores fidelium instructi compareatis & compareant, quasi coram Domino nationem vestræ villicationis reddituri. De quibus omnibus prædicti reverendissimi domini sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales petierunt a nobis notariis infrascriptis unum, vel plura instrumentum atque instrumenta fieri, atque confici debere. Acta fuerunt hæc Mediolani in domo modernæ residentiæ prædicti reverendissimi domini cardinalis, episcopi Prænestini, sita in porta Ticinensi, parochiæ sancti Georgii, in palatio, sub anno, Indictione, die, Mense & Pontificatu, quibus supra, præsentibus ibidem illustribus dominis, Carolo Jafredo, præsidente reverendissimi senatus regii Mediolani, & Galeatio vicecomite, & senatore regio, testibus idoneis ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Nomina autem reverendissimorum dominorum cardinalium, a quibus & quorum mandato hujusmodi convocatio facta fuit sequuntur.

Bernardinus, episcopus Sabinensis, cardinalis sanctæ Crucis. Gugliermus, episcopus

pus Prænestinus, cardinalis Narbonensis, Philippus, episcopus Tusculanus, cardinalis Cenomanensis, Franciscus, tituli sanctorum Nerei & Achilei Cussentinus. Hadrianus tituli sancti Grisogoni de corneto. Renatus, tituli sanctæ Sabinæ Bainensis. Karolus, tituli sancti Viti in macello Definiario presbyteri cardinales. Nec non dominus Federigus, sancti Angeli de sancto Severino ac dominus Ypolitus, sanctæ Luciæ in scilicet Estensis sanctæ romanæ ecclesiæ diaconi cardinales.

Ego Gentilis ex gentilibus Fulginas, publicus apostolica auctoritate notarius, de præmissis rogatus hanc cedulam sive instrumentum fideliter impressum subscripsi & publicavi signo meo appositio consueto, in fidem præmissorum rogatus & requisitus.

Ego Petrus Rebe, clericus Eduensis diœcesis auctoritate apostolica notarius publicus de præmissis rogatus, hanc cedulam sive instrumentum fideliter impressum una cum prænominato notario subscripsi & publicavi signoque meo manuali signavi in testimonium præmissorum.

REVERENDIS ET EGREGIIS PATRIBUS

Rectori, Cancellario, deputatis, consiliariis, magistris & doctoribus almæ universitatis studii generalis Haydelbergensis.

MIseratione divina, episcopi, presbyteri S. R. E. cardinales in Lambardia pro bono ecclesiæ convenientes. Reverendis & egregiis patribus rectori & cancellario deputatis consiliariis, magistris & rectoribus almæ universitatis studii generalis Heydelbergensis, cum intelligentia prosperitatis & directionis ecclesiæ sanctæ Dei, cum frequentes generalium conciliorum celebrationes tanquam flumina paradysi semper Dei ecclesiam irrigaverint & fecundaverint, illorumque intermissiones, tribulos & spinas viciorum, dissensiones errorum, & bellorum sæpius induxerint, quales hodie gravissimas Deo permittente patimur, effectum unde est, ut divina illa Constantiensi sinodo, sancitum sit, ut decimo quolibet anno universale concilium congregaretur, id autem animo revolventes S. D. N. antefram coronationem, & cardinales omnes in conclavi existentes, nobiscum jurejurando & solenni voto post biennium ab eo die generale concilium convocare statuerunt, ad quod exequendum, & si sanctitatem suam aliquando supplices exhortati sumus, nihil tamen hactenus profecimus, atque cum sua sanctitate, & nonnullis aliis reverendissimis dominis cardinalibus negligentibus, & nonnullis forsan non liberum reputemus, jus omnemque potestatem concilii congregandi ad nos esse devolutam, ut voto nostro jurato satisfaciamus, labentique ecclesiæ succurreretur, consilium ipsum faciendum curare decrevimus, quod cum inditione ecclesiæ, ut liberum nobis ac tutum id agere non fuerat, libertate nostri sacri ordinis plurimum oppressa procurare non audemus, in Lombardiam secessimus, ubi post longum matu-

rum tractatum, plurimorumque divini & humani juris doctissimorum virorum consilio, voluntate & assensu serenissimi ac sacratissimi Domini Maximiliani electi Romanorum imperatoris semper Augusti & christianissimi domini Ludovici, Francorum Regis serenissimi, die Veneris sedecima præsentis Mensis Maii, auxilio Dei omnipotentis, & spe bonæ adhærentiæ aliorum principum & fidelium generale concilium universalis ecclesiæ indicimus & convocamus celebrandum Kal. Septembris proximi futuri, in civitate Pisana inchoandum, continuandumque usque ad diffinitionem bonæ & constantis pacis inter christianos principes belli sufficientis, contra infideles reformationis ecclesiæ, & in capite & in membris, extirpationes Hæresum, Scismatum, & errorum in christiana republica vigentium, ac aliorum, quæ in cedulis convocationis continentur, quas paternitatibus vestris transmittimus in locis publicis & consuetis affigendas, & a vobis bene pensitandas, ut eligere ex probatissimis doctissimisque viris, universitatis vestræ valeatis, qui ad tantam rem, & plures causas fidei in aliis consiliis nondum concluſam, suis consiliis juvandas, terminandas mittendi hinc nobiscum de omnibus consultari in commune, ad quod, etsi nullo admonente, sponte properare debeatis & teneamini, hortamur nihilominus plurimum in domino P. V. quod tam sancto & necessario operi deesse non velitis, & ad constitutam diem adesse consiliis & rationibus pleniſſime instructi Christianæ reipublice, & sanctæ ecclesiæ causas curaturi, & bene valete, ac nos orationibus juvate, Mediolani vicesima tertia Maii, Anno &c. Undecimo.

Vestri fratres episcopi, presbyteri, diaconi, S. R. E. cardinales pro bono ecclesiæ in Lombardia convenientes, ut supra pro se & adhærentibus sibi cum mandatis.

ALIÆ EJUSDEM CONCILII LITERÆ.

Synodus Pisana deputat archiepiscopos Lugdunensem, & Senonensem, & episcopum Petragoricensem pro collectione subsidii singulis ecclesiis ab eadem Synodo imperati.

SAcrosancta generalis synodus Pisana in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem ecclesiam repræsentans, Lugdunum ad tempus translata, venerabili fratri nostro episcopo Grassensi salutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Dudum venerabiles fratres primatem Lugdunensem, & Senonensem archiepiscopum, ac Petragoricensem episcopum deputavimus, cum plena facultate per se insimul, vel saltem duo eorum, in absentia tamen tertii, aliquem probum ecclesiasticum, vel secularem Deum timentem, & in casibus expertum, eligendi, creandi, & nominandi, qui eorum, & nostro nomine, summas vestræ vicinæ-

Ex Gall. Christ. nov. Edit. to. III. pag. 227. append.

ANNO CHRISTI 1511.

ANNO CHRISTI 1511.

que dioecesi respective impositas, prætextu caritativi subsidii, ecclesiæ filio Ludovico Francorum regi christianissimo, pro ecclesiæ, & regni defensione postremo concessi, a solventibus reciperent, quitantias quoque pro modo solutorum facerent, & expedirent; prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur: verum cum propter aliqua ardua, & urgentissima negotia publica, aliasque perneccessarias causas, præfatos venerabiles fratres nostros commissarios productos a sacrosancta synodo ex ordinatione nostra, abesse ad aliquot dies oporteat; dictam facultatem eis concessam, per has præsentes litteras duximus revocandam: hinc est quod nos de fide, industria, probitate, & legalitate honorabilis viri Johannis d' Aulhon, prædicti Francorum regis cubicularii, confisi, eundem d' Aulhon receptorem generalem ad recipiendum ejusdem domini Regis Christianissimi nomine atque nostro, subsidium hujusmodi dicto regi ordinatum, harum serie deputamus. Pro cujus quidem subsidii portione, tu, & dioecesis tua ad summam quadringentarum librarum Turonensium, prout per easdem nostras litteras vobis notificatum fuit, quotisati estis. Quocirca circumspectioni tuæ per hæc scripta mandamus, quatenus quotisationem prædictam, eidem d' Aulhon receptori, vel ejus substituto, quam primum ipse, vel idem substitutus, te, vel vicarios tuos in dicta dioecesi tua existentes, requisierint ejusdem christianissimi regis atque nostro nomine, in termino in dictis litteris præfixo, omni excusatione, & dilatione cessantibus, sine sumptu ratione portus, seu dilationis, hujusmodi summam subsidii tibi, & tuae dioecesi impositi, realiter, & cum effectu tradas, & exhibeas, & reapportando, & exhibendo nobis præsentes cum quittantia dicti d' Aulhon receptoris, te, & dictam tuam dioecesim; de dictis quotisatione, & summa vobis impositis, & sic solutis quitos, & liberos tenebimus. Datum Lugduni in congregatione nostra generali, habita in loco capitulari ecclesiæ Lugdunensis, sub sigillo nostro Sancti Spiritus, die quinta mensis Martii anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo tertio decimo.

Cum sigillo cereo in quo Spiritus Sanctus expansis alis in forma columbæ cum duobus scutis sub pedibus, sed semifractis, repræsentatur.

Ex ipsa originali littera,

De mandato sacrosanctæ synodi.

Chalinot Not.

BULLA MONITORII, ET DECLARATIONIS incursus privationis, & aliarum pœnarum contra prælatos Gallicæ nationis hic expressos: qui intervenerunt in Pisano Conciliabulo cum Scismaticis.

JUlius episcopus servus servorum Dei Ad futuram rei memoriam. Tanta est clavium ecclesiæ potestas in persona beati Petri nobis commissa, ut sicut pro decore & regimine universalis ecclesiæ nobis per Prophetam dominus præcipit, ut debeamus viros graves, doctos, & religiosos in timore domini viventes in ecclesia sua plantare, ædificare, & erigere, velut virentia germina, & firmissimas columnas, tanquam stellas in firmamento fulgentes, quorum labia custodiunt scientiam: quoniam monente propheta: Angeli sunt domini exercituum, in quibus ecclesiæ decor, & fortitudo sustentent secundum gradus distinctionem: ita nobis mandat ex dominico agro nocuas, & venenosas plantas evellere, dissipare, & disperdere, pestiferos scilicet, & scandalosos, scismaticos, contumaces, & seditiosos homines in Dei ecclesia supra merita ascitos, juxta Apostolum apud semeptisos sapientes, quorum reproba scientia est velut gladius in manu furiosi; & qui de Christi patrimonio ditati, & exaltati contra matrem suam velut ingrati filii recalcitrant, Calcedonensis concilii vestigiis inhærentes ultionis gladio ferire, & in eos debite & juste animadvertere, impietatisque colligationes & congregationes dissolvere & eliminare: ut alii eorum exemplo moniti discant in semitis justiciæ ambulare, & ecclesiæ unitatem in pacis vinculo servare, a schismatis labe & infectione immaculatos custodire. Nusquam enim melius (teste Alexandro secundo prædecessore nostro) hortus dominicus plantat quam quando si quæ recta sunt nutriat, & quæ virtutem impediunt extirpet. Dudum siquidem desiderantes pro nostri pastoralis officii debito, quod semper metu gessimus, expeditionem contra infideles christiani nominis inimicos per christianos principes sumi, ut junctis nobiscum viribus tam pia sancta & necessaria expeditio felicem & votivum sortiri posset effectum; idque nobis perdifficile fieri posse videretur, propter christianorum principum dissensiones & discordias & alia diversa impedimenta, nisi in generali concilio per nos celebrando exemplo majorum nostrorum hoc tractaretur, ubi unitis animis & robore sævisque discordiis & inimicitiis depositis, ac restitutis unicuique hiis quæ sua sunt, & reformatione ecclesiæ & morum facta prout necessitas exigeret, tam felix & optata expeditio non minus quam necessaria votivum sortiret effectum, præsertim hiis temporibus, quando fide digna relatione percepimus, propter vigentes inter infidelium principes & populos discordias & bella inter se capitalibus odiis dissidentes, eorum viribus tanquam domi-

domino contritis & debilitatis: propter innumeras eorum cædes inter se mutuo factas: facilius eorum feritatem & sæviciam contundi ac amissa christianorum dominia regna provincias & civitates præsertim Sepulchrum dominicum tam diu christianorum socordia Saracenorum manibus prophanatum, recuperari posse: ut tandem juvante domino, imo vero manifestis signis nos incitante unum fiat ovile & unus pastor: matura desuper deliberatione & consultatione cum doctissimis & timoratæ conscientiæ viris de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & consensu generale & Oecumenicum concilium indiximus immediate post festum Paschatis Resurrectionis dominicæ futuræ, in Laterano, domino concedente celebrandum. Conciliabuli Pisan. & congregationis malignantium ecclesiæ ac schismaticæ sectæ indictione & publicatione factis procuratis & temere attemptatis per perditionis filios sciſmatis fatores Bernardinum Carvaialem, olim episcopum Sabinen. & Guillelmum Brissonerum olim episcopum Prænestin. ac Franciscum Borgiam sanctorum Nerei & Achilei presbyterum olim cardinales: improbatis eliminatis ac damnatis, de eorundem fratrum nostrorum consilio, velut a non habentibus auctoritatem nec potestatem aliquam nobis inconsultis similia faciendi: prohibentes præfatis olim cardinalibus Bernardino, Guillelmo, & Francisco & aliis quibuscumque, ne ad dictum conciliabulum Pisan. accedere, vel illud ibi celebrare vel tenere auderent, sub gravissimis pœnis sciſmatis, hæresis, criminis læsæ majestatis, & privationis cardinalatus dignitatis & omnium ecclesiarum & beneficiorum quorumcunque et aliis pœnis a jure vel ab homine contra tales statutis & ordinatis: quas etiam pœnas ipso facto incurrere voluimus, omnes & singulos archiepiscopos, episcopos, & prælatos, & ecclesiasticas sive temporales personas, cujuscunque dignitatis & præminentiæ existerent, quæ præmissis contrafacerent vel venirent, ut latius in dictis nostris litteris continetur, quarum tenorem hic pro expresso haberi volumus: quas etiam publicari, & ad omnes principes christianos transmitti, & sub infinitis exemplaribus impressas ad omnium christianorum notitiam deduci fecimus & mandavimus: prout ad singulorum notitiam indubitanter pervenerunt. Vocatis deinde dictis perditionis filiis, olim sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus Bernardino, Guillelmo, & Francisco, ac paterne & benigne invitatis ad reditum & ad debitam obedientiam, a qua recesserant: commissorum eis venia plenissime oblata & diu expectatis: etiam supplicantibus nobis, eisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, si ad cor reverti & errata recognoscere voluissent: & exemplo prodigi filii ad parentem & pastorem animarum suarum redire, ut nos pium parentem imitantes, eos in visceribus caritatis & ulnis apertis ad misericordiam recipere & amplecti possemus, & tanquam perditas oves ad ovile Dominicum reducere: ut in litteris etiam aliis nostris desuper confectis plenius continetur. Quibus litteris nostris & indulgentia abutentes dicti perditionis filii, & pro ob lata eis non petentibus, pro nostra clementia & paterna pietate, venia elatiores effecti, illas nedum contempserunt, sed pejora quotidie molientes & exemplo Pharaonis indurati cum inconsutilem domini tunicam scindere obstinate & pertinaciter perseverarent, & sciſma horrendum in Dei ecclesia seminare non cessarent, justitia & ecclesiæ periculis id exigentibus, pro nostri pastoralis officii debito, nostrorum majorum exemplo admoniti, licet inviti coacti fuimus de simili consilio, eorum demeritis id exposcentibus, eos consistorialiter damnare & contra eos velut sciſmaticos & hæreticos & læsæ majestatis criminis reos sententiam ferre, ac dignitate cardinalatus & aliis ecclesiis & beneficiis privare & inhabilitare: ut in sententiis per nos latis & literis Apostolicis desuper confectis latius continetur. Cujus sententiæ & privationis, prædicti perditionis alumni habita notitia, nedum eorum errata deflere & veniam petere cum omni humilitate & lachrimis ut tenebantur, voluerunt: sed in profundum malorum descendentes, animarum suarum salutem & honorem contennentes diabolicis stimulis exagitati & avertentes se retrorsum ne viderent cælum, membra jam putrida diabuli & ab ecclesiæ unitate separata effecti in reprobum sensum eorum exigentibus peccatis dati, etiam armatorum cohortibus stipati Pisas proficisci, plures prælatos, archiepiscopos, episcopos, notarios nostros & abbates & alias ecclesiasticas personas, quod dolenter referimus, in perditionis semitam, & ruinam secum trahentes, & veluti morbidæ oves inficientes, conciliabulum sive conventiculam sciſmaticum & ecclesiæ malignantium congregationem celebrare non sunt veriti nec erubuerunt: foribus ecclesiæ majoris Pisan. ipsis velut scysmaticis & excommunicatis clausis, & illas ingredi prohibiti, alias generali interdicto præsertim durante non aperiendis: clero reclamante per vim & violentiam refractis & apertis, sive potius ruptis: & securi & ascia consciſſis & dejectis, ecclesiam ipsam ingredi illamque prophanare & contaminare, ac clavium ecclesiæ potestate contempta & spretis censuris & interdicto, celebrari missas, & alia divina officia facere, clericos & alios ad dandum sibi vestimenta, & alia sacra per vim compellere, ibidemque cogitantes consilia quæ non potuerunt stabilire, consuetudinem generalium conciliorum simulantes, pretensas eorum sessiones tenere, prælatis prædictis de dominio regis Franciæ duntaxat mitratis circumsepti, & aliquas determinationes & conclusiones damnatas & hæreticales ac schismaticas facere ausi sunt, easque publicare non timuerunt. Deinde fuga se ex dicta civitate Pisarum propripientes, conscientia criminum exagitati magisque recedentes in Lombardiam, & ducatum Mediolanen. ubi conciliabulum hujusmodi continuandum post paucos dies ab eorum adventu in civitatem Pisarum ex certis confictis eorum causis transferentes se recepe-

ANNO CHRISTI 1511.

ANNO CHRISTI 1511.

runt: factis prius per eos aliquibus conclusionibus & determinationibus in dictis eorum sessionibus, in quibus nonnulla non minus injusta & fatua, quam scandalosa schismatica, venenosa & piarum aurium offensiva, quod Pisanum concilium esse legitimum; creando officiales custodes & præsidentes conciliis, decernens etiam quod omnia contra eos per nos post indictionem & publicationem conciliabuli Pisani usque in illum diem gesta & imposterum gerenda, nulla & invalida & nullius existerent roboris vel momenti, accusantes contumaciam vocatorum ad concilium, & quod eorum non comparatione & absentia non obstantibus ad ulteriora procedent censuras; & poenas contra impedientes, adhærentes dicto conciliabulo fulminando: & quæ indictio Lateran. concilii per nos facta minime procedat ex certis futilibus insipidis rationibus per eos adductis: certis etiam legatis nomine asserti concilii in civitatibus ecclesiæ Bononien. & Avinion. ut dicitur, deputatis, adeo eorum processit temeritas, & audacia & damnatæ ambitionis improbitas & scandalizandi ecclesiam Dei obstinata & pertinax voluntas; præmissa & alia deteriora in eorum stultiloquis sermonibus aggredi & dicere non sunt veriti: linguas eorum & ora in cælum ponentes, & more canum latrantes in profundum malorum descenderunt. Quamvis autem invaliditas nullitas & improbitas gestorum adeo pateant & sint manifesta & notoria, & sua ipsorum natura & malignitate destruantur & corruant, veluti facta ab omni penitus auctoritate & potestate carentibus: & cum sanctorum patrum & sacrorum canonum antiquarumque observationum & consuetudinis formam & usque ad præsens sæculum inaudita & inteniptata contra verum & indubitatum Romanen. pontificem per tot annos ab universo christiano orbe etiam ab eisdem schismaticis pro tali veneratum & habitum & contra nostras expressas prohibitiones & mandata silentio & taciturnitate prætereunda, ut eorum rabies contrita in seipsos rumpatur silentio responsionis loco servato. Ne tamen infirmis in fide & ignorantibus scientiam scripturarum & sacrorum canonum institutа aliquis scrupulus vel scandala oriantur propter præmissa, si sub silentio prætereantur, ac veriti ne juxta prophetam animæ deviantium a semita veritatis de manu nostra requirantur: simulque eorum tam audax temeritas sonoro sedenti in throno justitiæ testimonio frangatur & annihiletur, & inobedientia ac contumacia prælatorum, qui dictos olim tres cardinales, et Renatum de Pria olim S. Sabinæ presbyterum Car. similiter privatum una cum eis existentem perditionis filios sunt secuti et eorum ducatum sequentes in foveam inciderunt: & eis tam perdite & temere adhærere non sunt veriti, in aliornm exemplum puniantur, ipsique emendati ad cor reverti reminiscantur, valeantque eorum errata & graves excessus recognoscere & deplorare: & quam periculosum existat ab unitate ecclesiæ & dominici gregis ovili recedere & schismaticam sectam facere, vel facientes sequi, & eis auxilio & præsidio esse eorum proprio periculo discant & edoceantur: instantibus etiam dilectis filiis Justino Caroso advocato & Mariano de Cuccinis procuratore Fisci nostri & cameræ apostolicæ in virtute altissimi exurgentes de beatorum Petri et Pauli auctoritate & potestate confisi, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. card. consilio, tam præfati conciliabuli Pisani sive schismatici conventiculi sathanæ & congregationis malignantium & injustorum celebrationem per præfatos perditionis filios factam in ecclesiæ Dei scissorum & turbationem diabolica suggestione cogitatam; ad inducendum schisma & divisionem & ecclesiæ ruinam; ac omnia & singula supra narrata in eo gesta & conclusa alia quæcunque in ipsorum damnatis sessionibus & congregationibus tractata & facta determinata & conclusa, etiam dicta conciliabuli translationem ad civitatem Mediolanen. vel Vercellen. aut alia loca quæcumque veluti contra formam juris & sanctorum patrum instituta & sacrorum canonum, absque nostra licentia & auctoritate nobis expressa damnantibus et prohibentibus sub gravissimis pœnis ne fierent interminantibus, facta determinata & concluſa ab omnibus schismaticis & hæreticis & criminis læsæ majestatis reis & omni dignitate cardinalatus & ecclesiis etiam Metropolitan. & episcopatibus & titulis sententialiter privatis, in Consistorio publico de eorumdem fratrum concilio damnatis, et omni dignitate & sacerdotali titulo nudatis, & alias omni prorsus auctoritate et potestate carentibus fuisse esse et fore nulla, invalida, inefficacia, scandalosa et damnata et in destructionem unitatis ecclesiæ et schismatica et excogitata & facta, et prout sunt nullius prorsus existere roboris firmitatis vel momenti: eaque penitus pro infectis haberi præsentium tenore de potestatis plenitudine, ac ex certa nostra scientia et de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum consilio determinamus decernimus et declaramus. Præfatis igitur nostris literis inhærentes, omnes et singulos archiepiscopos et episcopos, abbates, decanos priores archidiaconos, præpositos, prothonotarios et officiales Romanæ curiæ, et precipue illos, quorum nomina infrascripta sunt videlicet episcopum Edunen. christianissimi Regis oratorem, Franciscum archiepiscopum Lugdunen. et episcopum Andegaven. Galliarum primatem: Tristandum arsandum archiepiscopum Senonen. necnon Lodonen. antedicti Guillelmi Brisonetti olim cardinalis Maclovien. filium: Lucionen. Apten. Magodonen. Ruthenen. Lexovien. Babilonen. Ambianen. Euguliſinen. Tholonen. dicti Gullielmi olim cardinalis etiam filium: Electen. Abrincen. Lemonicen. Matiſconen. episcopos: ac Cistercien. et sancti Dionysii prope Parisius et sancti Marc. iessionen. monasteriorum abbates modernos, quod dictæ congregationi et conventiculo schismatico et damnato Pisani Conciliabuli principaliter vel per procuratorem intervenerunt, interfuerunt, et præsentiam et auctoritatem præstiterunt, sive adstiterunt: cujuscumque gradus dignitatis

tis et auctoritatis fuerint: et consensus suffragium sive vocem aut consilium præstiterunt, in habitu pontificali vel aliis celebrationi sessionum vel divinorum interfuerunt: vel in dicta Pisan. Civitate una cum illis ad finem auctorizandi dictam congregationem, et congregatis favorem præstandi præsentes fuerunt tanquam fautores ac nutritores perticacis schismatis ultra pœnas a sacris canonibus institutas; pœnas et censuras quascunque, etiam privationis in literis nostris contentas, præsertim indictionis concilii generalis Lateranen. incidisse et incurrisse ipso facto; nisi coram nobis se excusaverint de præmissis, et innocentes esse docuerint: nosque infra terminum infrascriptum per nos eis perficiendum docuerint de eorundem innocentia, vel saltem per publica et authentica instrumenta coram nos præsentanda & exhibenda in forma probante fidem fecerint, quod præmissæ congregationi et Conciliabul. Pisan. sessionibus, non sponte nec voluntarie, sed compulsi & coacti & per metum adstricti personæ vel perditionis ecclesiarum & bonorum: qui metus cadere potuisset in constantes viros: hoc fecerint et attemptaverint: alias hoc minime facturi vel ausuri, de simili fratrum consilio etiam declaramus. Et licet juxta sacrorum canonum instituta schismaticis notoriis eorumque fautoribus omnis audientia deneganda esset; consueta tamen utentes clementia ad abundantem cautelam, & ne aliquam excusationem de prædictis prætendere possint, monemus, requirimus et citamus omnes et singulos supradictos archiepiscopos episcopos et prælatos et abbates et alias personas ecclesiasticas et officiales, qui præmissis ut præfertur interfuerunt, et præsentiam et adsistentiam præstiterunt, et alios prælatos et personas ecclesiasticas: quorum omnium et singulorum nomina et cognomina in executione præsentium per edictum infra faciendum exprimi possint, et perinde arcentur, ac si personaliter illis sic nominatis & expressis intimatæ fuissent, et in declaratione infra facienda exprimi debeant & possint: quatinus omnes ipsi et eorum quilibet die trigesima post præsentium literarum in locis infrascriptis affixionem, quorum dierum triginta, decem pro primo: alios decem pro secundo: reliquos vero decem pro ultimo & peremptorio terminis assignamus: coram nobis in Consistorio nostro, cum fratribus nostris prædictis constitutis, si ipsa trigesima die Consistorium habeatur: alias in die Consistorii immediate sequenti compareant personaliter & non per procuratorem ad deducendum & allegandum & dicendum causam quare censuras & pœnas prædictas etiam privationis ecclesiarum & monasteriorum ac beneficiorum quorumcunque, quæ obtinent quomodolibet in titulum vel commendam in dictis nostris literis contentas, & alias a jure contra schismaticos indicatas incidisse & incurrisse ipso facto declarari non debeant: & ad videndum et audiendum prædictam sententiam declarationis per nos de eorundem fratrum nostrorum consilio omni meliori modo ferri & promulgari. Ut autem præmissa omnia et singula ad omnium præmissorum et aliorum notitiam deduci possint et valeant, nullusque justam de præmissis ignorantiam prætendere valeat: cum ad eos personaliter citandos tutus non pateat accessus: volumus præsentes nostras literas vel earum membranas & transumpta in urbe in valvis basilicarum principis apostolorum et sancti Joannis Lateranen. et acie campi Floræ affigi per aliquem ex nostris Cursoribus deberi: ac extra Urbem in valvis ecclesiarum Senen. et Pisan. vel Lucen. ac dictas citationes et monitiones sic factas ita arctare ac si personaliter factæ fuissent: nullusque de earum ignorantia se excusare valeat neque possit. Volumus etiam et apostolica auctoritate decernimus quod . . . . . nostra monitio in eisdem valvis et acie intimata perinde valeat et illos arctet, quacunque constitutione apostolica contraria non obstante, ac si eisdem monitis et eorum singulis intimata et insinuata personaliter et præsentialiter extitisset. Ne tamen moniti et citati prædicti urbem ipsam et curiam Romanam communem omnibus patriam locum, sibi minus tutum, & propter præmissa, vel ex quibusvis aliis causis similibus, vel dissimilibus imminere periculum in veniendo, stando, & redeundo excusationis, sive velamen forsan allegent, ipsos tenore præsentium securantes, cuilibet ex monitis prædictis plenum, & amplissimum in fide pontificia, & venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Roman. ecclesiæ cardinalium in verbo veri & boni pontificis salvuumconductum in veniendo, stando, & redeundo, ut præfertur, concedimus. Universos, & singulos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & alios ecclesiarum monasteriorum prælatos, & clericos, ac personas ecclesiasticas, necnon duces, marchiones, principes, potestates, capitaneos, & quoslibet alios officiales, & eorum locatenentes, necnon communitates, universitates, civitatum, castrorum, oppidorum, villarum, & aliorum locorum tenore . . . . requirimus, & hortamur, ipsisque patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis prælatis, cæterisque subditis nostris districte mandamus, quatenus præfatis monitis omnibus, & singulis inveniendo, ac dictam curiam occasione prædicta morando in ipsa, vel ab ipsa recedendo in personis, & bonis, aut rebus eorum nullam inferant, nec ab aliis quantum in eis fuerit permittant inferri injuriam, vel offensam. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ determinationis, decreti, declarationis, monitionis, requisitionis, citationis, assignationis, voluntatis, securationis, concessionis, hortationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo undecimo, tertio nonas Decembris, Pontificatus nostri anno nono.

Sigismundus.

Ia. Questenberg.

Vi-

ANNO CHRISTI 1511.

ANNO CHRISTI 1511.

Visa A. Dacro de Curia.

Anno Domini milleſimo quingenteſimo undecimo, indictione decima quarta, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, & domini noſtri domini Julii divina providentia papæ ſecundi anno nono, die vero Sabbati decimatertia menſis Decembris: præſentes retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ præfati ſanctiſſimi Domini noſtri papæ prout in eisdem continetur, fuerunt affixæ, & publicatæ in Baſilicarum principis Apoſtolorum de Urbe, & ſancti Joannis Lateranenſis valvis, ſeu portis, ac in acie campi Floræ, & ſic affixas per longum temporis spatium dimiſimus. Demum copiam earumdem in locis ſupraſcriptis affiximus, & affixam dimiſimus contra omnes in eisdem nominatos. Et vigore earundem litterarum Apoſtolicarum ſimili modo monuimus, & requiſivimus Zaccariam de Arcira Abbatem, Philippum Decium, & Philippum Boticellum, ut juxta earumdem litterarum Apoſtolicarum vim, formam, & tenorem, patere debeant; & quilibet eorum debeat, per nos Johannem Bernardi Curſorem. Ita eſt Joannes Brangi Curſor.

EPISTOLA CARDINALIUM SCHISMATICORUM

Ad Margaritam Auſtriæ Archiduciſſam, in Belgia inferiori adminiſtratricem.

Convocationis concilii literas mittunt, rogantque ut eccleſiaſticis ditionis ſuæ proponat.

Extat inter epiſtolas Ludovici XII. Gallor. reg. vulgatus Bruxellis an. 1712. tomo II. pag. 238.

ILluſtriſſima Domina colendiſſima; miſeratione divina epiſcopi, presbyteri, diaconi ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales in Lombardia pro bono eccleſiæ convenientes ſalutem, & commendationem cum intelligentia proſperitatis & directionis eccleſiæ ſanctæ Dei. Sacratiſſimus dominus Cæſar excellentiæ veſtræ Pater, divini in terris gladii moderator ac ſanctæ eccleſiæ Dei advocatus ac defenſor, & chriſtianiſſimus dominus Francorum rex ejusdem eccleſiæ primogenitus filius attendentes eccleſiæ, ac chriſtianæ reipublicæ fluctuationes præſentes ex nulla re magis provenire, quam ex intermiſſione celebrationum generalium conciliorum, quibus diſcordiæ omnes ſolerent ſedari, hæreſes, ſchiſmata, & errores extirpari, eccleſiaſticus ſplendor deturpatus purgari, & ad nitorem priſtinum reduci, & intelligentes nos pro hac cauſa potiſſimum in Lombardiam ſeceſſiſſe: per commiſſarios & procuratores ſuos requiſierunt nos, ut inſtitutum hoc celebrandorum conciliorum ſanctum & ſalutare, illorum incuria, quibus maxime id curæ eſſe deberet, obſoletum, ad uſum revocaremus, pro præmiſſis omnibus, quæ, nunc maxime in chriſtiana republica vigent, tollendis, & chriſtianorum animis ad pacem mutuam ſtabilem inducendis, & ad bellum contra infideles pro Chriſti domini noſtri fide uſque ad ovilis unius ſub unius paſtoris cura conſtitutionem convertendis, confirmavit illos, & nos in deliberatione hac, concilii Conſtantienſis ſanctio, qua ſingulis decenniis concilii celebratio præcipitur, quæ per annos quinquaginta, & ultra fuit præterita, ac ſpeciale juramentum & votum ſanctiſſimi domini noſtri, ac noſtrum & aliorum dominorum reverendiſſimorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium in Conclavi ſuæ creationis exiſtentium, quo ſe omnes ſimul nobiſcum obligarunt, infra biennium a die aſſumptionis ſuæ ad pontificatum concilium celebrare, quibus negligentibus ad nos jus convocandi devolvebatur, & nobis omnibus negligentibus ſecundo loco ad imperatorem & principes. Poſt maturam ergo cum ipſis commiſſariis conſultationem, invocato auxilio Dei omnipotentis, cum illorum adhærentia ac ſpe bonæ adhæſionis aliorum principum & fidelium ad convocationem concilii generalis univerſalis eccleſiæ XVI. maji poſt miſſam S. Spiritus devenimus, quam & ipſi commiſſarii & procuratores admiſerunt, & etiam nomine ſuorum principum eadem die fecerunt tenendum in civitate Piſarum, & inchoandum Kalendis Septembris proximi futuri, & continuandum uſque quo præmiſſa omnia firmiter & ſolide diffiniantur. Mittimus excellentiæ veſtræ cedulas convocationis, quas rogamus faciat per dominia iſta ſereniſſimi domini principis archiducis affigi, & publicari, nunciabitque divinum hoc opus Prælatis omnibus per iſta dominia, quo in tempore qui tenentur poſſint intereſſe ſimulque ordinare oratores ſolemnes ſereniſſimi domini principis, ad quem etiam ſcribimus, quo actiones ſerenitatis ſuæ, & excellentiæ veſtræ ſint in laudem Dei & ſplendorem eccleſiæ, conformes illis ſacratiſſimi Domini Cæſaris communis patris, & cum his omnibus curabimus pacem univerſalem Chriſtianorum, bellum ſufficiens contra perfidos Ismaelitas, reformationem eccleſiæ in capite & in membris, ac perennem gloriam ſacratiſſimi domini Cæſaris, & aliorum principum, qui adjumento erunt huic ſanctiſſimæ reformationi, quam Dominus pollicetur his qui in hac eccleſiæ reſurrectione partem habuerint. Rogamus excellentiam veſtram mandet præmiſſa omnia diligenter, & celeriter fieri, & ex nunc ordinari: feliciſſime valeat excellentia veſtra, cui nos offerimus Mediolano XXIV. Maji MDXI. excellentiſſimæ veſtræ excellentiæ deditiſſimi epiſcopi, presbyteri, diaconi ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales pro bono eccleſiæ in Lombardia convenientes, ut ſupra pro ſe, & ſibi adhærentibus cum mandatis G. cardinalis ſanctæ Crucis, D. cardinalis Narbonenſis. F. cardinalis Cuſentinus. A Tergo: Illuſtriſſimæ dominæ colendiſſimæ dominæ archiduciſſæ Auſtriæ &c.

ANNO CHRISTI 1511.

CON-

CONSTITUTIONES EBORACENSIS PROVINCIÆ

Anno Christi 1518.

A Thoma ibidem archiepiscopo, & legato circiter annum Domini MDXVIII. recognitæ, & secundum titulum promulgatæ.

LIBER PRIMUS

PROOEMIUM.

THomas, permissione divina Eborum archiepiscopus, Angliæ primas, apostolicæ sedis legatus, universis & singulis abbatibus, prioribus, ministris, rectoribus, vicariis, & aliis ecclesiarum prælatis, ac quibuscunque clericis nostræ Eborum provinciæ, salutem in Domino sempiternam. Etsi nonnullæ constitutiones, perquam utiles a prædecessoribus nostris Eborum archiepiscopis in synodis provincialibus per ipsos celebratis, ad conservationem ecclesiasticæ libertatis fideique munimen editæ sint & legitime promulgatæ, antiquus tamen hostis admodum invidens saluti fidelium, obque id semper suggerens mala, ac quod potest nova pristinis adjiciens, quo plurimos secum ad tartara miris in dies singulos artibus laborare non definit, ut orthodoxam fidem evertat, quietem perturbet mortalium, libertatemque ecclesiasticam labefactet: nos igitur tam hujusmodi moliminibus insidiisque diaboli, quam malitiis hominum obstare, atque obviare volentes, ad munimen fidei, & augmentum ejusdem, reformationemque morum ac defensionem ecclesiasticæ libertatis, de consensu, & assensu suffraganeorum nostrorum, ac prælatorum, & cleri nostræ provinciæ has constitutiones fieri fecimus, quas promulgamus, & ab omnibus subditis nostræ Eboracensis provinciæ firmiter observari volumus & mandamus.

I. De summa Trinitate & fide catholica. Georgius Nevill.

Ignorantia sacerdotum populum præcipitat in foveam erroris, & clericorum stultitia vel ruditas, (qui de fide catholica mentes fidelium instruere jubentur) magis aliquando ad errorem perducit, quam ad doctrinam. Quidam enim cæteris prædicantes non semper loca visitant, quæ magis constat veritatis lumine indigere, testante propheta qui ait, *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret;* & alio reclamante. *Quia egeni & pauperes quærunt aquas, & lingua eorum siti aruit.* In quorum remedium discriminum statuendo præcipimus, ut quilibet sacerdos plebi præsidens quater in anno, hoc est, semel in quolibent quarterio anni, die una solemni vel pluribus per se vel per alios exponat populo vulgariter, absque cujuslibet subtilitatis textura fantastica, quatuordecim fidei articulos, decem mandata decalogi, duo præcepta evangelii, scilicet geminæ charitatis, septem opera misericordiæ, septem etiam peccata capitalia cum sua progenie, septem virtutes principales, & septem gratiæ sacramenta. Et ne quis per ignorantiam se excuset, quin sciat articulos fidei, quos omnes ecclesiæ ministri scire tenentur, eos summaria, ut sequitur, perstringimus brevitate. Sciendum est igitur, septem fidei articulos pertinentes ad mysterium sanctæ Trinitatis, quorum quatuor pertinent ad divinitatis intrinseca, tres vero pertinent ad effectus. Primus est, divinæ essentiæ in trium personarum indivisibili Trinitate, juxta illud *Credo in unum Deum.* Secundus est, credere *Patrem ingenitum esse Deum.* Tertius est, credere *Filium unigenitum esse Deum.* Quartus est, credere *Spiritum Sanctum nec genitum, nec ingenitum esse Deum, sed a Patre & Filio pariter procedentem.* Quintus est creatio coeli & terræ, hoc est omnis visibilis & invisibilis creaturæ a tota indivisibili Trinitate. Sextus est sanctificatio ecclesiæ per Spiritum Sanctum, & gratiæ sacramenta, & cætera omnia, in quibus communicat ecclesia christiana; in quo intelligitur, quod ecclesia cum suis sacramentis & legibus per Spiritum Sanctum omni homini quantumcunque peccatori sufficit ad salutem, & quod extra ecclesiam non est salus. Septimus est, consummatio ecclesiæ per gloriam æternam in carne & anima veraciter suscitanda; & per oppositum intelligitur damnatio æterna reproborum. Nam alii septem articuli pertinent ad Christi humanitatem. Primus est, incarnatio seu vera carnis assumptio ex sola per Spiritum Sanctum virgine gloriosa. Secundus est, veri incarnati Dei nativitas ex virgine incorrupta. Tertius est, vera christi passio & mors in cruce sub tyranno Pilato. Quartus est, descensio Christi ad inferos in anima, quiescente corpore in sepulcro, ad spoliationem tartari. Quintus est, vera Christi resurrectio. Sextus est, vera ipsius ad coelos ascensio. Septimus est, ipsius venturi ad judicium certissima expectatio.

Forte idem.

Attendant sacerdotes, quod cum communionem sacramenti porrigunt simplicibus tempore paschali, vel alio, solicite eos instruant, sub panis specie eis simul dari corpus & sanguinem Domini, imo Christum integrum, vivum & verum, qui totus est sub specie sacramenti. Doceant etiam eos-

dem,

ANNO CHRISTI 1518.

dem, quod eisdem temporibus in calice proponatur, non est sacramentum, sed vinum purum eis hauriendum traditum, ut facilius sacramentum glutiant, quod ceperunt. Solis enim celebrantibus sanguinem sub specie vini consecrati sumere in hujusmodi minoribus ecclesiis est concessum. Instruant etiam eosdem sumptum ore sacramentum non nimis dentibus comminuere, sed tritum modice sorbere perfecte, ne particulam aliquam eveniat inter dentium interstitia, vel alibi remanere.

II. De constitutionibus. Johannes Thoresby.

Et ne constitutiones nostræ per non usum seu abusum, effectu (quod absit) careant & vigore, præcipimus in nostra provincia Eborum eas futuris temporibus inviolabiliter observari; mandantes coepiscopis, & suffraganeis nostris, archidiaconisque universis nostræ provinciæ Eborum, ut ipsas nostras constitutiones, vel per se, vel per alios, ut jus exigit, publicent & faciant publicari, ac in publicam notitionem deduci, ad utilitatem communem, laudem & gloriam nominis Jesu Christi; & quod annis singulis in visitationibus & capitulis generalibus per archidiaconos, & eorum officiales celebrandis, fiat & habeatur diligens & exacta inquisitio ad effectum, ut præmissas nostras constitutiones non observantes canonice puniantur.

Idem.

Et ne rectores, vicarii, & alii subditi nostri ignorantiam prætendere valeant in futurum, injungimus omnibus & singulis rectoribus, & vicariis, & capellanis aliis curam animarum habentibus, quod ipsi, et eorum singuli veras copias de nostris constitutionibus præmissis inter duos menses, a tempore primæ publicationis earumdem, eis factæ, habeant, et recipiant, et eas in omnibus et singulis articulis observent, ac parochianis et subditis suis singulis diebus dominicis publice intiment et exponant, eas ab eis fore observandas, sicut ipsi vel illi pœnam ultionis canonicæ voluerint evitare.

In convocatione provinciali habita primo sept. anno Domin. M. CCCC. LXII. Willielmi Booth.

Memorand. quod prælati et clerus in prædicta convocatione volunt et concedunt unanimiter quod effectus constitutionum provinciæ Cantuarien. ante hæc tempora tentarum constitutionib. prov. Ebor. nullo modo repugantium, seu præjudicialium (& non aliter, nec alio modo) annumerentur, & quod hujusmodi constitutiones provinciæ Cantuarienſis et effectus earumdem (ut præfertur) inter constitutiones provinciæ Eboracenſis, prout indiget et decet inserantur, et eum eisdem de cætero servandæ incorporentur, et pro jure observentur.

III. De consuetudine.

Cum inter rectores ecclesiarum nostræ diœcesis et executores, sive bonorum administratores immediatorum prædecessorum suorum, post festum sancti Marci evangelistæ decedentium, et super modo, consuetudine, et forma percipiendi fructus autumnales, et supportandi onera, ecclesiis prædictis incumbentia, nonnullæ dissensionis materiæ exortæ fuerint, et quæstiones; nos lites sedare, et omnem quæstionis materiam amputare cupientes, de voluntate, consensu et assensu prælatorum et cleri nostræ diœcesis in hac sacrosancta synodo congregatorum statuimus, ordinamus, et diffinimus: quod si rectores ecclesiarum nostræ diœcesis, quarum ecclesiarum fructus majores autumnales existunt, post festum sancti Marci evangelistæ decesserint, fructus autumnales hujusmodi ecclesiarum executoribus, vel bonorum eorumdem administratoribus pertinent atque cedant ad ipsorum legata vel debita persolvenda; fructibus tamen prædictis, jure prærogativæ ecclesiæ nostræ hactenus obtento, quandiu hujusmodi ecclesiæ vacaverint, nobis, et successoribus nostris, in omnibus semper salvis. Et quia qui emolumenta percipiunt, etiam onera subire debent; volumus et auctoritate prædicta statuimus, quod quicunque rectores, seu executores vel administratores bonorum eorumdem, fructus autumnales ecclesiarum hujusmodi percipientes, sive ipsas ecclesias per mortem, spontaneam resignationem, cessionem, vel privationem vacare contigerit, onus officiandi dictis ecclesiis per se vel alios, et alia onera, occasione dictorum fructuum majorum incumbentia, usque festum annunciationis beatæ Mariæ virginis tunc proximum sequens subire et agnoscere teneantur: dum tamen hujusmodi fructus ad hoc suppetant, cæteris majoribus fructibus contingentibus interim incumbentibus in eisdem ecclesiis omnino reservatis. Quod si hujusmodi fructus autumnales ad officiationem et onera hujusmodi non sufficiant supportanda, tantum ex aliis decimis et obventionibus ad ecclesias hujusmodi interim contingentibus detrahatur, quantum cum fructibus prædictis ad officiationem et onera hujusmodi sufficere poterit perimplenda: quæ etiam de vicariis ecclesiarum nostræ diœcesis, quorum portiones in decimis autumnalibus existunt, volumus observari.

Idem forsam.

Statuimus etiam, quod si ille, qui ecclesiam tenet pensionariam, moriatur die cœnæ, unde de consuetudine archiepiscopatus nostri fructus autumni sequentis ad eum pertinent, ut de eisdem proventibus satisfaciat usque ad cœnam Domini ejusdem anni sequentis. Quod si aliquo casu satisfieri non possint successori, inde respondeat, si fuerit talis ecclesia, quod in oblationibus, vel medietate obventionum constat, qui percipit, pro rata respondeat.

IV. de officio archidiaconi Willielmi Greneſeld.

Eligant itaque rectores ecclesiarum presbyteros notæ ordinationis, & conversationis

nis honestæ, potentes opere & sermone, qui exemplo vitæ & verbo doctrinæ dare domino valeant plebem perfectam, qui circa correctionem parochianorum vigilent incessanter, & excessus subditorum diligentius investigent, & corrigant, quæ fuerint familiariter corrigenda. Excessus autem in publicam prodeuntes notitiam sive famam archidiaconis vel decanis seu officiali nostro denuncient corrigendos, ad quod juramenti vinculo astringantur: ad hæc præcipimus, ut rectores vel eorum presbyteri singulis intersint capitulis, & excessus denuncient subditorum, & denunciationes vacationis, & executionis, ac alia mandata recipiant, quæ occurrerint, injungenda.

Idem.

Rectores ecclesiarum presbyteros suis ecclesiis non præficiant, donec ipsos archidiaconis, vel eorum officialibus repræsentent, de quorum ordinatione, & vita, & scientia, examinatione habita diligenti, illi, qui reperti fuerint idonei, admittentur, & stipendiorum quantitas in rotulum publicum capituli redigatur; minus autem idonei, & de quorum ordinatione & vita non constiterit, penitus repellantur: ordinati vero a non suis episcopis, vel alias irregularitate innodati, ad nos mittantur, pro gratia, si digni fuerint, obtinenda, si sit casus, in quo ex nostro officio possimus de jure dispensare.

V. de officio archipresbyteri.
Idem.

Quia vero exigentibus culpis nostris, fructus humanis necessitatibus, cælesti miseratione provisos, frequenter absorbet repentina calamitas tempestatum, orationum suffragiis est Christi misericordia, & piis precibus invocanda. Ideoque singuli presbyteri cum aeris intemperiem viderint imminentem, non expectato nostro vel archidiaconorum mandato, protinus ad processiones & humiles orationes devotionem excitent subditorum, ne, dum jussionis nostræ auctoritas expectetur, ultra quam expediret, deprecatio fidelium prorogetur.

Item.

Præsentis concilii diffinitione districte duximus injungendum, ut rectores, vicarii, & alii presbyteri curam animarum habentes, infirmos singulis dominicis, & festivis diebus visitent diligenter: caveant autem rectores, vicarii, & alii presbyteri, ne ad visitandum infirmos se exhibeant difficiles, quacunque hora fuerint requisiti; quod si facere præsumpserint, canonicam non effugient ultionem. Nec sicut hactenus a quibusdam est præsumptum, mittant cum eucharistia diaconos ad infirmos, dum ipsi vel potationibus vel aliis voluptatibus carnis vacant; sed personaliter infirmos adeant, & confessiones audiant solerter, crimina, & circumstantias criminum investigent, & innotescant infirmis, quæ foret pœnitentia injungenda ac iniungant, quod pœnitentiam recipiant cum saluti fuerint restituti, cum pœnitentia non sit infirmis injungenda, sed innotescenda: pro furtis & rapinis seu damnis aliis irrogatis, missarum solennia non iniungant (rerum restitutione prætermissa) sicut solet fieri a quibusdam, qui salutem animarum non quærunt, sed compendium temporale; sed ante omnia rem restitui, & damna resarciri præcipiant defraudatis.

ANNO CHRISTI 1518

Gregorius Nevill.

Ignorantia sacerdotum, ut infra; Præcipimus, ut quilibet sacerdos plebi præsidens, quatuer in an. hoc est semel in qualibet quarta anni, die una solenni vel pluribus, per se vel per alium exponat populo vulgariter, absque cujuslibet subtilitatis textura fantastica, quatuordecim fidei articulos, decem mandata decalogi, duo præcepta evangelii, scilicet geminæ charitatis, septem opera misericordiæ, septem peccata mortalia sua cum progenie, septem virtutes principales, ac septem gratiæ sacramenta. Et ne quis a prædictis per ignorantiam se excuset, expositis quatuordecim fidei articulis sub titulo congruenti, cætera sub quadam, ut sequitur, perstringimus summaria brevitate; decem enim mandatorum Veteris Testamenti, tria ordinantur ad Deum, quæ dicuntur mandata primæ tabulæ; septem vero ad proximum, quæ dicuntur mandata secundæ tabulæ. In primo prohibetur omnis idololatria, cum dicitur. *Non habebis Deos alienos coram me*, in quo implicite prohibentur omnia sortilegia, et omnes incantationes, cum superstitionibus characterum, et hujusmodi figmentorum. In secundo mandato, cum dicitur: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, prohibetur principaliter hæresis universa, et secundario omnis blasphemia, et irreverens Dei nominatio, et præcipue in perjuro. In tertio mandato, cum dicitur, *memento ut Sabbatum sanctifices*; præcipitur cultus religionis christianæ, ad quem indifferenter clerici et laici obligantur. Ubi sciendum est, quod obligatio ad feriandum in Sabbato legali, secundum formam Veteris Testamenti, expiravit omnino, cum cæteris in lege ceremoniis, et sufficit in Novo testamento modicus vacandi divino cultui diebus dominicis, et cæteris diebus solemnibus ad hoc auctoritate ecclesiæ deputatis, quibus diebus modus vacandi non est sumendus a superstitione Judaica, sed a canonicis instrumentis. Primum secundæ tabulæ mandatum est, *Patrem, & matrem* explicite temporaliter et spiritualiter *honorare*, implicite autem et secundario omnis homo pro merito sui gradus ex eodem mandato intelligitur honorandus: in hoc autem mandato intelliguntur non solum pater et mater carnaliter, verum etiam spiritualiter, ut pater sit prælatus ecclesia mediatus vel immediatus, mater autem ecclesia, cujus sunt filii catholici universi. Secundum est, *Non occides*: in quo explicite inhibetur omnis illicita personæ alicujus interemptio, consensu, ore, verbo, opere, vel favore; implicite vero omnis injusta alicujus personæ læsio

ANNO CHRISTI 1518.

inhibetur; ſpiritualiter vero occidunt, qui non reficiunt; indigentes ſimiliter occidunt, qui detrahuut, vel qui innocentes opprimunt et confundunt. Tertium mandatum eſt, *non mœchaberis*; in quo explicite inhibetur adulterium, implicite vero omnis fornicatio, quæ explicite prohibetur in Deut. XXIII. ubi dicitur, *non erit meretrix de filiabus Iſrael, neque ſcortator de filiis Iſrael*; inhibetur etiam in eodem mandato omnis commixtio viri, & mulieris, quam bona matrimonii non excuſant; omnis etiam voluntaria pollutio prohibetur, quocunque modo ſtudioſe vel voluntarie procurata. Quartum mandatum eſt, *Non furtum facies*; in quo explicite prohibetur clandeſtina contrectatio rei alienæ, invito domino; implicite vero omnis injuroſa, ſeu per fraudem, ſeu per uſuram, ſeu per violentiam, ſeu per metum rei uſurpatio alienæ. Quintum mandatum eſt, *Non loqueris contra fratrem tuum, ſive proximum falſum teſtimonium*; in quo explicite prohibetur falſa teſtificatio ad nocendum, implicite autem falſa teſtificatio ad indignum contra merita promovendum; in quo etiam mandato omne mendacium, ſed pernicioſum præcipue condemnatur. Sextum mandatum eſt, *Non concupiſces domum proximi tui;* ſupple cum ejus injuria; in quo mandato implicite prohibetur cupiditas poſſeſſionis immobilis, catholici præcipue cujuſcunque. Septimum mandatum eſt, *non deſiderabis uxorem proximi tui, neque ſervum, neque ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt*; in quibus omnis cupiditas poſſeſſionis alienæ, quantum ad res mobiles, condemnatur. Hiis autem decem mandatis ſuperaddit evangelium duo, videlicet dilectionem Dei, & proximi; Deum diligit, qui prædicta mandata ex amore, & non timore pœnæ bene cuſtodit; proximum autem debet quilibet diligere, ſicut ſeipſum. Ubi hæc particula *ſicut* non dicit æqualitatem, ſed conformitatem, ut videlicet diligas proximum tuum, ad quod teipſum, hoc eſt, ad bonum, & non ad malum; & quomodo teipſum, hoc eſt, ſpiritualiter, & non carnaliter ſecundum quod carnalitas vitium dicitur: item quantum teipſum, hoc eſt, in proſperitate, & adverſitate, ſanitate, & infirmitate: item, quantum teipſum, reſpectu temporalium, pro tanto, ut plus diligas omnem hominem & ſingulos, quam affluentiam temporalem: item, ſicut teipſum, pro tanto, ut plus diligas proximi tui animam, ſive animæ ſalutem æternam, quam propriam tuam vitam temporalem: ſicut etiam animæ tuæ vitam debes proponere vitæ carnis tuæ: item, qualiter te ipſum, ut videlicet omni homini in neceſſitate ſubvenias, ſicut tibi velles in neceſſitate conſimiliter ſubveniri. Hæc enim omnia intelliguntur, cum dicitur, *Diliges proximum tuum &c.* Sex autem miſericordiæ ſunt opera quæ ex evangelio Matthæi patefiunt, *quæ ſunt paſcere famelicum, potare ſitientem, hoſpitio recipere peregrinum, veſtire nudum, viſitare infirmum, conſolari carceri mancipatum.* Septimum ex Tobia colligitur quod eſt, *ſepelire corpora mortuorum.* Septem vero peccata capitalia ſunt, videlicet ſuperbia, invidia, ira, accidia, avaritia, gula, & luxuria. Et eſt ſuperbia amor excellentiæ propriæ, de qua oriuntur jactantia, oſtentatio, hypocryſis, ſchiſmata & ſimilia. Invidia vero eſt odium felicitatis alienæ, de qua oriuntur detractio, murmuratio, diſſenſio, perverſa judicia, & ſimilia. Ira eſt appetitus vindictæ & nocumenti alieni, quæ cum perſeverat in corde, fit odium, de qua oriuntur perſecutiones verborum, & factorum, plagæ, homicidia, & ſimilia. Accidia eſt tædium boni ſpiritualis, ex quo homo nec in Deum, nec in divinis laudibus delectatur; ex qua ſequitur ignavia, puſillanimitas, deſperatio & ſimilia. Avaritia eſt immoderatus amor mobilis & immobilis affluentiæ, vel illicite acquirendo, vel illicite detinendo, ex qua oriuntur fraus, furtum, ſacrilegium, ſimonia, & omne turpe lucrum. Gula eſt immoderatus amor delectationis ſecundum guſtum in cibo & potu; in qua quintupliciter peccatur, videlicet in tempore, quando comeditur nimis mane, vel nimis tarde, aut nimis aſſidue; item in qualitate, quando quæruntur cibaria nimis delicata; item in quantitate, quando nimis comeditur aut bibitur; quod eſt viliſſimum genus gulæ; & eſt nimium in cibo & potu quando corpus aggravat, vel quando impedit ſenſum interiorem, aut exteriorem, ſeu quando lædit corporis ſanitatem; item in aviditate & voracitate; & ultimo, in curioſa alimentorum præparatione pro gulæ deliciis excitandis. Quæ quinque continentur in hoc verſu: Præpropere, laute, nimis ardenter, ſtudioſe: luxuriam non oportet notificare, cujus infamia aerem inficit univerſum. Septem vero virtutes principales ſunt fides, ſpes, charitas, quæ ordinantur ad Deum, & ideo theologicæ appellantur; prudentia, temperantia, juſtitia, & fortitudo, per quas ad ſeipſum & proximum homo ordinatur. Et eſt actus prudentiæ bonum eligere; actus juſtitiæ recta facere; actus autem temperantiæ non obedire deliciis; actus fortitudinis non dimittere bonum agendum anguſtiis, aut moleſtiis quibuscunque. Et dicuntur hæ quatuor virtutes cardinales; hoc eſt principales, quia iſtis, quatuor plures aliæ ſunt ſubjectæ; de quibus, quia pro ſimplicibus laboramus, ad præſens amplius non tractamus. De ſeptem gratiæ ſacramentis ſupradictum eſt in ſuo loco.

VI. De officio vicarii. VVillielmus Grenfeld.

Vicarii autem per fructuum ſubtractionem cogantur in ſuis vicariis reſidentiam facere perſonalem. Religioſi autem ad vicarias eccleſiarum, quas habent in proprios uſus, vicarios nobis idoneos repræſentent, alioquin, taxatione vicariarum præhabita, de illis curabimus ordinare.

Idem.

Cum autem repetitis vicibus in ſynodis duximus ſtatuendum, & ante ſingulas ordinum celebrationes ſolenniter commonendum ut rectores in ſubdiaconos & vicarii in preſbyteros per interſtitia temporum a canonibus diffinita ſe facerent ordinari; quia tamen

men hactenus inde rarus fructus provenit, ne impunitas contemptum pariat ampliorem, decernimus, nondum ordinatorum beneficia sequestrari; de coetero siquidem admittendi fructus beneficiorum non percipiant, donec fuerint in sacris ordinibus constituti.

VII. De postulando. Idem.

Quia per falsas excogitatas exceptiones, quas advocati plerumque opponunt, jura partium perverturtur; firmiter inhibemus, ne quis advocatorum ad patrocinia admittatur, nisi prius juret, quod causam injustam ex certa scientia non fovebit, nec falsis allegationibus vel probationibus utetur ad justitiam perimendam, vel justum judicium declinand. Qui autem in causa matrimoniali falsas exceptiones malitiose opponunt, vel opponi procurant, vel qui in causa matrimoniali, vel ubi de exhæredatione agitur, falsum scienter perhibent testimonium, vel id fieri procurant, vel testes subornant, excommunicationis sententiæ se noverint subjacere.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

I. De judiciis. VVillielmus Grenefeld.

Quia causæ plerumque matrimoniales & aliæ per indiscretos examinatores periclitantur, & diutius prorrahuntur, volumus, quod in singulis decanatibus sex vel quatuor fide digni eligantur & discreti, qui testes producendos diligenter examinent, & dicta singulorum integre & fideliter redigant in scripturam, non (sicut fieri consuevit) scribendo, quod cum aliis concordet, vel per omnia idem dicat, cum talis sit obscuritas reprobanda. Ad hæc se obligent vinculo sacramenti, salario ad hoc eis moderamine archidiaconi & capituli constituto.

De judiciis. Johannes Thoresby.

Quia nonnulli archidiaconi, decani, abbates, & alii viri ecclesiastici, jurisdictionem ecclesiasticam & cognitionem causarum matrimonialium se habere prætendentes, causas matrimoniales (quæ inter alias causas utpote majores & per discretos judices diligenter tractari deberent, & maturius terminari) personis simplicibus & indiscretis examinandas & diffiniendas modernis temporibus indiscrete, contra canonicas sanctiones, & sanctorum patrum instituta committere, hujusmodique personas insufficientes, & quandoque laicos in officiales, commissarios, seu custodes, cum potestate de hujusmodi causis matrimonialibus cognoscendi, præficere & deputare præsumunt, in animarum suarum grave periculum, & reipublicæ præjudicium perniciosum; ipsique officiales, seu custodes, ut præmittitur, deputati, personis aliis insufficientibus & imperitis (etiam interveniente, nonnunquam notabili quantitate pecuniæ) ad agnoscend. de causis matrimonialibus hujusmodi, & easdem terminand. committunt indebite vices suas, & sic tam officiales, quam custodes prædicti, per se & suos insufficientes commissarios, ut præfertur, de causis matrimonialibus & divortii nedum cognoscere, sed etiam iniustas sententias & multipliciter indiscretas (quas indiffinitivas asserunt) proferre præsumunt & periculosius promulgare, ex quibus nedum gravia scandala animarum comperimus; nos Johannes archiepiscopus, de consensu & consilio suffraganeorum nostrorum, & cleri nostri in consilio nostro provinciali congregatorum, volentes hujusmodi scandalis viam præcludere, & quantum cum Deo possumus, periculis obviare, sanctorum patrum vestigiis, & sacris canonibus inhærentes: universis & singulis archidiaconis, decanis, abbatibus, præpositis, & aliis viris ecclesiasticis quibuscunque nostrarum civitatis, diœcesis, & provinciæ Eboracensis, jurisdictionem ecclesiasticam obtinentibus, & eorum officialibus, & spiritualitatum hujusmodi custodibus seu deputatis & deputandis interdicimus & firmiter inhibemus, ne videlicet archidiaconi ipsi, abbates, præpositi, seu alii supradicti aliquos in officiales, seu custodes hujusmodi cum potestate de causis matrimonialibus, & divortii (quoad fœdus) cognoscendi præficere & deputare, seu eis vices suas in hac parte committere præsumant, vel ipsi officiales seu custodes ad cognoscendum de causis hujusmodi aliquibus vel alicui, aliis, seu alii, quam viris idoneis, providis, & fide dignis, habentitibus juris peritiam, vel saltem competens exercitium de causis hujusmodi judicandis, committant, seu aliquis eorum committat, quomodolibet vices suas, seu per seipsos alibi quam in capitulis per eosdem celebrandis hujusmodi causas diffiniant vel decidant; sed publice in eisdem capitulis pronuncient, quæ duxerint statuenda sub poena (quoad ipsos archidiaconos, decanos, præpositos, & alios viros ecclesiasticos, quocunque nomine censeantur, jurisdictionem seu potestatem sibi vendicantes hujusmodi officiales seu custodes deputandi) suspensionis ab officio, & quoad hujusmodi officiales seu custodes, vices suas in præmissis aliis insufficientibus committentes, & quoad hujusmodi commissarios insufficientes, & eos insufficienter & scienter admittentes, & de causis cognoscentes, majoris excommunicationis sententiæ; quas quidem poenas præsenti constitutione, ut præmittitur, promulgatas, omnes & singulos, qui præsenti constitutioni vel statuto scienter vel ignorantia crassa & affectata, vel supina contraire præsumpserint, & eam cum effectu non servaverint, prout superius distinguitur, & plenius declaratur incurrere volumus ipso facto; sententias vero seu pronunciationes in causis quibuscunque matrimonialibus vel divortii, contra præsentis constitutionis tenorem quomodolibet divulgatas, decernimus irritas & inanes, easque omnino viribus vacuamus, ut nulla sententia ab hujusmodi personis prolata, nomen habeat sententiæ vel effectum. Salvis semper consti-

Anno Christi 1518.

ANNO CHRISTI 1518.

tutionibus bonæ memoriæ Othonis, apostolicæ sedis dudum in Anglia legati; de hujusmodi causarum cognitione quondam proinde promulgatis, & aliis quibuscunque constitutionibus, canonibus, & statutis super præmissis editis, quibus non intendimus in aliquo derogare, sed ea volumus & & cupimus observari.

VVillelmus Booth.

Auctoritate hujus concilii statuimus & ordinamus, quod nulli decani rurales infra diœcesim & provinciam Eboracensem aliquas causas matrimoniales, sive divortii, diffamationis, violationis fidei, sive periurii, decimarum, oblationum, mortuariorum, aut alias quascunque ad instantiam partium aut partis motas sive movendas, dumtaxat per literas suas citatoriales, aut alias coram se trahant, aut cognoscant in eisdem, sub pœna quadraginta solidorum fabricæ ecclesiæ illius loci cathedralis sive diœcesis, & illi, qui dictum decanum in præmissis culpabilem inde accusare, & causam illam contra ipsum prosequi voluerit (si ipse decanus inde convictus fuerit) æqualiter dividendorum & distribuendorum.

II. De foro competenti. Georgius Nevill.

Dierum invalescens malitia qua mundus in deteriora jugiter labitur, hominum mentes in apertam facit nequitiam prosilire: unde nostræ provinciæ Eboracensis nonnulli aliis malignari conantes, brevia regia de computo seu de transgressione, vel alia contra illos, quibus nocere desiderant, ad extraneos comitatus, in quibus sui nunquam adversarii fuerunt, nec contraxerunt, vel deliquerunt ibidem, bonave administrarunt inibi cujuscunque, fraudulenter & malitiose impetrare præsumunt, & ideo contra eos ignorantes clam prosequantur in illis, quod utlagantur, vel foris banniuntur a regno. Unde cum processus & sententiæ contra ignorantes & taliter indefensos habiti a jure merito reprobentur, nec sit malitiis hominum indulgend. statuimus, ut quicunque clerici vel laici in nostra provincia talia surreptitie, fraudulenter, vel malitiose de cætero, ut præmittitur, impetrantes & prosequentes, facientes, procurantes, vel ad ea impendentes scienter consensum, auxilium, consilium, vel favorem, aut ea rata habentes nomine suo facta, majoris excommunicationis incurrant sententiam ipso facto.

III. De feriis. Johanes Thoresby.

Animarum saluti prospicere cupientes, initium ordimur de verbis Christi, qui sanctam ecclesiam domum suam peculiarem, non negotiationis, sed orationis domum voluit nominari; volens negotiationes (in quibus quilibet nititur ut communiter dicitur, proximum suum decipere) ibidem exercere, vendentes & ementes ejecit de templo, ne domum suam facerent domum fraudis, & speluncam latronum: firmiter inhibemus, ne quis in ecclesiis, aut eorum porticis seu cœmeteriis, vel aliis locis sacris nostræ diœcesis diebus dominicis & festivis, forum rerum venalium teneat, vel mercatum: nec ullam in eis negotiationem exercere præsumat, nec placita sæcularia teneantur in eisdem, nec in ipsis fiant suctationes, sagittationes, vel ludi, qui causam vel occasionem præstare poterint peccati, dissensionis, odii, vel pugnæ; sed quilibet catholicus illuc reverenter accedat ad orandum, & peccatorum veniam humiliter implorandum.

ANNO CHRISTI 1518.

Idem.

Et quia sæpe contingit, quod quidam in sanctorum vigiliis conveniunt in ecclesiis (qui divinis ibidem deberent vacare obsequiis) vel in exequiis defunctorum pro animabus defunctorum hujusmodi suppliciter oraturi, qui versi in sensum reprobum, ludis noxiis & vanitatibus & quandoque pejoribus frequenter intendunt, Deum & sanctos, quos se venerari simulant, graviter offendentes, & in defunctorum obsequiis de domo luctus & orationis, domum risus faciunt & excessus, in animarum suarum periculum perquam grave districtius inhibemus, ne aliqui venientes ad hujusmodi vigilias & exequias, præsertim in ecclesiis hujusmodi, ludos, aut turpitudines, vel alia in errorem vel peccata ducentia faciant, vel exerceant quovismodo, sed quilibet studeat sic veniens humiliter & devote facere, propter quod hujusmodi vigiliæ, & exequiæ fuerant ordinatæ; omnibus & singulis rectoribus & vicariis, ac aliis quibuscunque, beneficia ecclesiastica obtinentibus, firmiter injungentes, quatenus insolentias & excessus hujusmodi in suis ecclesiis, coemeteriis, & locis Deo dedicatis, per suspensionis & excommunicationis sententias fieri & exerceri canonice inhibeant, & compescant, sub poena viginti solidorum, quos ab ipsis rectoribus, vicariis, & beneficiatis (quotiens & quando circa executionem hujusmodi constitutionis in præmissis vel aliquo præmissorum ipsos constiterit negligentiam commisisse) fabricæ ecclesiæ nostræ cathedralis volumus applicari, perpetratoribus dictorum excessuum ingressus ecclesiæ cujus honestatem polluere nitebantur, sit eo facto penitus interdictus, & ipsis ad audiendum divina officia & sacramenta ecclesiastica percipiendum aditus non pateat in eadem, quousque satisfecerint de commissis.

Executio ejusdem constitutionis.

Thomas permissione divina, &c. dilecto filio decano nostro de Pontefracto salutem, gratiam, & benedictionem. Decet domum Dei sanctitudo, ut cujus in pace factus est locus, ejus cultus cum debita veneratione pacificus habeatur. Nullus itaque secundum canonicas sanctiones, & etiam constitutiones, per nos nuper de consensu cleri nostri editas, in ecclesiis, vel earum porticibus aut cœmeteriis negotiationes, nundinas, aut fora exercere præsumat; sed omnis in eis

eis tumultus & sæcularium judiciorum strepitus penitus conquiescant, nulla inibi causa per laicos agitetur, sed sint loca eadem omnino a laicorum cognitionibus aliena. Sane displicenter audivimus, fama publica divulgante, quod in ecclesia parochiali de Whitgifte, nostræ dioecesis, porticu, & cœmeterio ejusdem, usus malus irrepsit & consuetudo, quin verius corruptela inolevit, quod nonnullæ diversæ conditionis personæ divini mandati, quo sabbata sanctificari præcipitur, totaliter immemores, diebus festivis, & præcipue dominicis (qui utriusque juris sanctionibus in laudem Dei creatoris, omni solemni devotione, ad peccatorum expiationem, devotis orationum suffragiis a Christi fidelibus sunt explendi) procurante bonorum omnium inimico, cellas erigunt, & diversa mercimonia venditioni publicæ exponunt, mercata rerum venalium communiter tenent, & exercent, & diversos contractus illicitos inibi ineunt, & plurima inhonesta ibidem committunt, quæ dedecent domum Dei; ex quibus perjuria, dissentiones, rixæ, contentiones, & alia pericula & scandala gravia sunt secuta. Intelleximus etiam, quod nonnulli parochiani illius parochiæ, Christi & ecclesiæ filii degeneres, hujusmodi diebus dominicis & festivis a dicta ecclesia ac divinis officiis, & potissime missa parochiali in eadem ecclesia celebranda, perperam se subtrahunt, & absentant, nec hujusmodi obsequiis, quibus tam ad orandum adesse debent, & ad audiendum etiam expositiones jejuniorum & dierum ferialium; quam alia mandata canonica & injuncta salubria eis extunc per curatos suos exponenda interesse curant; quin verius, Dei timore postposito & sacrosanctæ ecclesiæ matris suæ reverentia abjecta temporibus hujusmodi celebrationis divinorum obsequiorum negotiationibus, potationibus, commessationibus, ac aliis voluptatibus & insolentiis prohibitis insistunt, conclamationes intolerabiles faciunt, in divinæ majestatis offensam, divinorum obsequiorum impedimentum, devotionis popularis subtractionem, animarum hujusmodi delinquentium grave periculum, aliorumque Christi fidelium exemplum perniciosum. Nos igitur ipsius doctrinam, qui vendentes & ementes a domo Dei legitur ejecisse, sequentes, ac volentes hujusmodi erroribus & insolentiis salubriter obviare, tibi mandamus quatenus ad dictam ecclesiam personaliter accedens firmiter inhibeas, & publice interdicas omnibus subditis nostris partium prædictarum, ne quis, conditionis cujuscumque existat, cellas in dicta ecclesia, porticu, vel coemeterio ejusdem de cætero erigere præsumat, aut in eisdem locis, vel eorum aliquo mercimonia venditioni exponat, seu mercata aliquarum rerum venalium teneat, vel aliquas emptiones vel venditiones exerceat sub poena excommunicationis majoris, quam in contravenientes per te servato legitimo processu in eventu volumus fulminari. Moneas insuper, & efficaciter inducas omnes & singulos parochianos dictæ ecclesiæ, quod cessante impedimento legitimo diebus festivis, & præsertim dominicis ad dictam ecclesiam suam parochialem conveniant, & divinis obsequiis in eadem faciendis vel saltem missæ parochiali intersint, & ea ibidem faciant, & audiant, quæ filiis ecclesiæ conveniunt catholicæ, & salutem animarum respiciunt sub poena excommunicationis superius recitatæ. Et si quos monitionibus tuis rebelles vel contrarios inveneris, cites peremptorie eosdem quod compareant coram nobis ubicumque tunc fuerimus in nostra dioecesi certo die juridico sibi per te in hac parte statuendo nobis super commissis præmissa concernentibus ex nostro officio objiciend. responsuros facturosque ulterius & recepturos quod justitia suadebit; & qualiter præsens mandatum nostrum fueris executus opportuno tempore nos distincte & aperte certifices.

ANNO CHRISTI 1518.

IV. De jure jurando. VVillielmus Grenefeld.

Illum autem abusum penitus reprobamus, quo religiosi a clericis ad beneficia præsentati ante institutionem obtentam fidelitatis exigunt juramentum; qui autem tale sacramentum præstiterint, beneficiis ipsis se noverint privandos, nec exactores relinquimus impunitos, cum simoniacam contineant pravitatem.

Johanes Kempe.

Statuimus, providemus, decernimus, & ordinamus, quod presbyteri, etiam cantuarias habentes, & alii sacerdotes, propriis sumptibus vel annualibus sustentati, in nostris civitate, dioecesi, & provincia divina celebrantes proximo die dominico seu festivo post admissionem suam ad celebrandum in ecclesiis, capellis, vel locis aliis divino cultui dispositis, jurabunt, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, coram rectoribus, vicariis, vel aliis locum eorum tenentibus, quod ecclesiis, & capellis curatis vel locis aliis, in quibus celebrabunt, eorumve rectoribus, vicariis, seu ipsorum vices gerentibus nullum omnino inferant præjudicium sive damnum circa oblationes, portiones, decimas, obventiones, trentalia, denarios, pro requestis sive legatis mortuorum, vel alia jura, quocunque nomine censeantur, imo quatenus in eis est, eosdem rectores, vicarios & eorum locumtenentes servabunt indemnes in præmissis & singulis præmissorum. Jurent etiam specialiter dicti sacerdotes, quod odia, scandala, rixas, contumelias, vel contentiones inter rectores, & vicarios ac eorum parochianos nullo modo suscitent, foveant, aut sustineant, quatenus in eis erit; imo concordiam nutriant & conservent inter eos. Et præfati sacerdotes infra civitatem, dioecesim, & provinciam nostras divina non celebrent, sed eis expresse interdicatur, donec præstiterint præmissa juramenta, vel per eos non steterit, quo minus præstiterint; & si celebrare præsumpserint, præter pœnas alias, quas canones inducunt contra celebrantes in locis interdictis, irregularitatem incurrant, si coram suis ordinariis super præmissis fuerint

ANNO CHRISTI 1518

rint convicti. Insuper tandiu eis interdicatur divinorum celebratio, donec fuerit cum ipsis supra hoc legitime dispensatum. Rectores vero & eorum locumtenentes prædicti debent benigne recipere juramenta prædicta, & de hac nostra constitutione ad memoriam præsentium & futurorum copiam habeant in suis ecclesiis.

V. De appellationibus. VVillielmus Grenefeld.

Exigit perversorum maligna protervitas, qui captiosis insidiis maternos lares, quantum in eis est, deprimunt, lacerant funditus, & subvertunt, ut competentibus remediis eorundem malitiis effrænatis circumspectius obviemus, præsertim cum eos obnebulaverit cæcitas, quod propriam & irreparabilem ruinam non sentiant, dum matrem confundere cupiunt & præsumunt. Cum itaque Eboracensis archiepiscopus, Angliæ primas, præter Romanum Pontificem in spiritualibus superiorem non habeat, ac ipsa nostra Eboracensis ecclesia honore primatiæ illustretur, & gaudeat plenius, ut est notum; hac sacra synodali constitutione proinde duximus statuendum, ut nullus clericus vel laicus, secularis vel religiosus, seu etiam universitas quæcunque, cujuscunque sit dignitatis, officii, ordinis, status, professionis, vel etiam conditionis, in causa, lite, vel negotio cujuscumque rei nomine, vel ipsius occasione in nostris diœcesi & provincia existentis, sitæ aut constitutæ, vel etiam in quacunque alia causa vel negotio, jure cujuscunque actionis, officio judicis seu quovis alio colore motis, quæ vel quod ex nostris diœcesi vel provincia trahit originem, seu cujus nomine reus in nostris diœcesi & provincia forum sortiri poterit quoquomodo, quocunque loco agi vel convenire contigerit curiæ Cantuarien si pro ipsius tuitione vel alias, directe vel indirecte, per se vel per alium, suo nomine vel alieno provocet vel appellet, seu archiepiscopo Cantuarien si, officiali ejusdem curiæ, seu etiam cuicunque alii auctoritatem cujuscumque eorum, non ex delegatione apostolica, prætendenti, in hujusmodi appellationibus vel procurationibus obediant quovis modo, seu mandata alicujus prædictorum, cujuscunque tenoris existant, aliqualiter exequatur. Qui quidem contrarium fecerint in aliquo præmissorum, vel eisdem facto vel verbo consenserint, consilium, vel auxilium præstiterint, pœnis subjaceant infrascriptis. Si clerici fuerint, & dignitate prædicti, vel in officio constituti, locum dignitatis & officii amittant, & fiant ineligibiles ipso facto; si alias beneficiati, suis beneficiis, nulla etiam monitione præmissa, sint præsentis constitutionis auctoritate privati. Si non beneficiati, ad nullum honorem ecclesiasticum ordinis vel beneficii admittantur. Si advocati vel procuratores, præter pœnas superiores, postulationis & procurationis officium cum nota infamiæ perpetuo sibi noverint interdictum. Si collegium vel universitas, cum missione bonorum pro nostro arbitrio in pios usus convertendorum; si clerici fuerint, sint interdicti: si laici, excommunicationis majoris sententias, quas in eos ferimus in his scriptis, ipso facto incurrant. Laici etiam nihilominus intestabiles fiant, quarum sententiarum relaxationem nobis specialiter reservamus. Si vero religiosi fuerint, vel in dignitatibus obedientiarum seu officiis quibuslibet constituti, eisdem ipso facto, sine spe restitutionis, præsentis constitutionis auctoritate priventur, & a celebratione divinorum & executione sui ordinis suspensi maneant, donec nostrum & successorum nostrorum gratiam promeruerint obtinere. Quam constitutionum cum suis pœnis tam in futuris causis, & negotiis, quam adhuc pendentibus, locum sibi volumus vendicare: hæc etiam a singulis libertatem prætendentibus districtius præcipimus observari.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

I. De vita & honestate clericorum. VVillelmus Grenefeld.

Rectores ecclesiarum, & universi, quibus incumbit regimen animarum, plebes sibi commissas exemplo bonæ conversationis, verbo exhortationis, in fide recta & bonis moribus diligenter instruant & informent; ut autem liberius & efficacius officium impleant exhortantes, universi, curam habentes animarum, ecclesiasticis officiis, & aliis bonis studiis se exerceant, orationibus & lectionibus vacent jugiter & intendant. Sint autem pudici, virtutum operatione præclari, humilitate prædi ti, pacifici, evangelizantes pacem, annunciantes bonum, dissensiones, rixas & scandala resecantes, ab illicitis spectaculis se abstineant & præcipue a duellis, torneamentis, scutis, & aliis, quibus sanguinis effusio poterit formidari, tabernas & inhonesta convivia non frequentent, extranearum fugiant consortia fœminarum, & omnium, ex quarum cohabitatione sinistra suspicio poterit exoriri.

Idem.

Sicut via prebyterorum a vita vulgari debet esse semota, ita decet ut in habitu & & in incessu a cæteris distinguantur. Propterea inhibemus ne cappis manucatis vel aliis indumentis levitatis, vel lasciviæ notam prætendentibus utantur publice contra constitutionem concilii generalis; alioquin hujusmodi indumenta fabricis ecclesiarum, ubi degunt, vel quibus deserviunt, applicentur.

Joannes Kempe.

Item, Sacerdotes prædicti & alii presbyteri curati suis vacent libris; tabernas, spectacula, cellulas mulierum suspectarum, vel ludos noxios seu prohibitos, sub pœna suspensionis a divinis, nullatenus exerceant;

Jo-

Johannes Thoresby.

Item, cum omnis jactantia lasciviæ corporalis a sacro ordine fieri debeat penitus aliena; a sacris canonibus & sanctis patribus proinde prohibetur sub pœnis gravibus & censuris, ne viri ecclesiastici in sacris ordinibus constituti, potissime sacerdotes, quorum gestus laicis, quibus esse debent exemplum & forma vivendi, facile trahitur in exemplum, vestes deferant nimia brevitate ridiculosas, vel notandas, nec in calceamentis quærant gloriam & decorem; sed in vestimentis & in habitu corporis Deo & hominibus studeant complacere, & per decentiam habitus extrinseci, morum honestas intrinseca valeat ostendi. Dum tamen nihil in eis pateat, quod oculos, vel aspectum intuentium offendat; nam secundum scripturas, incompositio corporis inæqualitatem indicat mentis, & ex habitu forte indecenti is, qui gestat vel appareat, corda videntium pro facultate judicii scandalizat. Nonnulli tamen, ut facti & famæ evidentia manifestat, clerici in sacris ordinibus & sacerdotio constituti, propriæ dignitatis immemores, & officii & ordinis clericalis honorem temere prosequentes, contra sacras constitutiones, & pœnas in eisdem ordinatas, vestes publice deferre præsumpserint deformiter decurtatas, medium tibiarum suarum seu genua nullatenus attingentes, ac contra decentiam & clericalis sive sacerdotalis ordinis honestatem, ad jactantiam & suorum corporum ostentationem & morum dissolutionem, absque rationabili causa & honesta sic deferre, & eis uti communiter & publice non desistunt, in animarum suarum periculum, ordinis clericalis & ecclesiæ Dei grave scandalum, aliorumque Christi fidelium exemplum pernicioſum. Volens igitur hoc sacrum provinciale concilium insolentiis hujusmodi & animarum periculis obviare, pœnas quascunque sive censuras in hujusmodi constitutionibus, canonibus, & statutis quomodolibet ordinatas, contra hujusmodi delinquentes decrevit & statuit fore realiter exequendas.

II. De cohabitatione clericorum & mulierum. VVillelmus Grenefeld.

Concubinæ vero presbyterorum ac clericorum, qui in sacris ordinibus fuerint constituti, de quibus constiterit, per excommunicationis sententiam ad agendum pœnitentiam compellantur, earundem absolutione nobis, præterquam in mortis articulo, reservata. Si quæ autem, excommunicatione contempta, animo obstinato in peccato pertinaciter perseverant, corripiantur brachio sæculari, & in vita careant communicatione fidelium, & in morte ecclesiastica sepultura talibus denegetur.

III. De clericis non residentibus. Thomas Savage.

Item, quod beneficiati in suis beneficiis non residentes, & curis alienis inservientes, vel alibi salarium recipientes, ad residendum in suis beneficiis juxta juris exigentiam vocentur, & per subtractionem fructuum hujusmodi beneficiorum suorum per locorum ordinarios compellantur, nisi privilegiis apostolicis muniti, vel alias ab eorum ordinariis sufficienter licentiati reperiantur. Et quod citatio sive monitio in valvis ecclesiæ sive beneficii hujusmodi publice proposita, & in scriptis affixa, in eo casu peræque valeat, ac si citatione sive monitione personaliter fuerit apprehensus.

ANNO CHRISTI 1518.

IV. De rebus ecclesiæ non alienandis. VVillelmus Grenefeld.

Ecclesias vero viris religiosis ad firmam dari firmiter inhibemus, & illis præcipue, qui in eisdem obtinent jus patronatus; idem multo fortius de laicis quibuscunque; quod si contra præsumptum fuerit, beneficia sequestrentur, & tam dantes, quam accipientes canonice puniantur. Decimas autem nullus vendere præsumat ante tempus, quo inde ex beneficio consuetudinis testandi facultatem, sed ne laicis ullo tempore, donec fuerit a novem partibus separatæ. Indulgemus vero clericis, in suis ecclesiis residentibus, aut in nostro servitio commorantibus, aut etiam de nostra licentia causa studiorum absentibus, ut de fructibus terrarum ecclesiarum suarum, quas propriis sumptibus excolunt atque serunt, quacunque parte anni decesserint, testandi habeant facultatem.

Locus turbatus.

Johannes Kempe.

Præterea, nos fideli & concordi relatione informati, & rerum experientia edocti, quod nonnulli abbates, priores, abbates proprios non habentes, hospitalarii, & alii administrationes bonorum ecclesiasticorum habentes, in desolationes monasteriorum, prioratuum, & aliorum locorum, quibus præsunt, & prodesse deberent, bona hujusmodi monasteriorum, prioratuum, & aliorum locorum ecclesiasticorum, videlicet arbores sylvarum non cæduarum & etiam cæduarum, reditus, possessiones, & alia jura sua vendunt, & alienant, ac pensiones, corrodia, & liberationes ad vitam, vel longi temporis spatium vendunt & concedunt; necnon ecclesias sibi & eorum monasteriis appropriatas ad firmam admittunt, & pecunias præ manibus acceptas in usus suos proprios exponunt & convertunt, mutuumque recipiunt, ac se & monasteria sua, successoresque suos ac jura, reditus, & possessiones suas proinde obligant, & districtioni sæculari submittunt; necnon & bona sua mobilia suis notis & amicis in immensum donant & contribuunt; sicque occasione præmissorum eorum monasteria & domus, ac loca eis pertinentia, propter defectum reparationis collabuntur, & maximam minantur ruinam, divinusque cultus in locis hujusmodi, præmissorum occasione, diminuitur, observantia regularis negligitur; ac bona hujusmodi monasteriorum propter abusus hujusmodi, quod dolenter referimus, deva-

ANNO CHRISTI 1518.

devastata sunt pariter, & consumpta. Nos Joannes archiepiscopus antedictus, monasteriorum, prioratuum, hospitalium, & locorum aliorum religiosorum infra nostram provinciam Eboracensem existentium indempnitatibus occurrere desiderabiliter affectantes, & super eis opportunum remedium adhibere, de suffraganeorum nostrorum avisamento, ac consilio statuimus & ordinamus quod, salvis aliis proventionibus, statutis, constitutionibus & remediis super hujusmodi venditionibus, & alienationibus & concessionibus antiquorum patrum authoritate editis, cum venditio arborum, sylvarum non cæduarum vel cæduarum ad magnam quantitatem vel concessio jurium, reddituum, vel possessionum, aut pensionum corrodiorum, sive liberaturarum ad vitam alicujus vel longi temporis spatium fuerit facienda; tractatus *Sic.* duorum dierum a dierum a divinis inter abbatem & ejus conventum, aut priorem abbatem proprium non habentem cum suo conventu præcedere debeat diligens & maturus; & si post tractatum hujusmodi solemnem præfatis abbati & conventui seu priori abbatem proprium non habenti, & eius conventui visum fuerit quod hujusmodi venditiones, alienationes & liberaturarum concessiones vel mutuæ receptiones eorum monasteriis, prioratibus, vel locis aliis necessariæ fuerunt, utiles, vel opportunæ, tunc super alienationibus, venditionibus, & concessionibus præmissis nobiscum in nostra dioecesi, & provincia nostra, & cum suffraganeis nostris in eorum dioecesibus, ac nostris, & suis successoribus temporibus futuris tractatum habeant specialem; & deinde post licentiam, & authoritatem a nobis, seu nostris suffraganeis in dioecesibus suis præhabitis in præmissas venditiones, alienationes, & concessiones liberam habeant facultatem. Quod si abbates prædicti, priores, & hospitalarii contra hanc nostram ordinationem, sive provisionem venditiones, & concessiones ad vitam vel in perpetuum fecerint, pro nullo habeantur & omnimoda careant firmitate. Et nihilominus præter alias poenas in diversis ordinationibus inde provisas, prædicti abbates, priores & hospitalarii hanc nostram constitutionem infringentes, violantes & contemnentes eo facto a celebratione divinorum sint suspensi, & administratione bonorum monasteriorum & dignitate, & officiis, quibus præsunt, ipso facto, in perpetuum privati existant.

V. De donationibus. Johannes Thoresby.

Item, corruptela pessima per quorundam versutias, & calliditates adinventa in nostris dioecesi & provincia inolevit, quod quidam viri ecclesiastici, prælati, & alii, quos ordo clericalis includit, & nonnulli laici, dum mortis periculum appropinquare recogitant, universa bona sua, seu eorum tam immensam quantitatem inter vivos donare, seu aliquo modo alienare præsumunt, quod nedum ecclesiæ, sed rex, & alii creditores, quibus hujusmodi alienantes, dum vixerint, fuerunt ex variis causis astricti, & efficaciter obligati, suis actionibus & prosecutionibus sunt excluſi, uxores, & liberi de portione bonorum, de consuetudine seu jure eis debitorum, irrecuperabiliter defraudantur; nonnulli etiam talibus ægrotantibus in extremis existentibus, hujusmodi alienationes fieri malitiose suadent, et temere inducunt, eosque a libera voluntate testandi versuta sapientia nequiter et callide avertunt; ex quibus solita et legitima testamenti factio transit ut plurimum in abusum, et ecclesiarum juribus et prosecutionibus aliorum prædictorum indebite seu malitiose derogatur: unde provida deliberatione concilii provincialis in domo capitulari ecclesiæ nostræ metropoliticæ Eboracensis celebrati, exhibitum extitit sub præcepto, ne hujusmodi alienationes seu donationes quocunque colore vel ingenio fierent in futurum. Et quia, ut docet experientia, generalis prohibitio legis malitiæ deditos a mali propositi executione non revocat, nisi specialis poenæ formidine propensius compescantur; nos præsentis auctoritate synodi omnibus, et singulis in hujusmodi donationibus sive alienationibus consilium præbentibus, auxilium, vel favorem, in nostra dioecesi ingressum ecclesiæ interdicimus ipso facto; donantes insuper et bona sua in nostra dioecesi prædicta taliter alienantes, propter sui quantitatem excessus, ecclesiastica careant sepultura, ... fraudis seu malitiæ in hoc casu eo facto probatur interveniſſe conventum; quotiens aliqui omnia bona sua quocunque titulo alienant, ut præfertur, inter vivos, vel in tam immensa quantitate, quod ecclesiis, regi, creditoribus, uxoribus, et liberis satisfieri non poterit de residuo, sicut juris latio exigeret, et consuetudo, si hujusmodi alienatio facta taliter non fuisset.

Georgius Nevill.

Cordis dolore concutimur intuentes quod in nostra provincia, malicia excrescente, pessima corruptela noviter inolevit, dum ecclesiarum prælati, et beneficiati clerici aliique nonnulli laici mortis vincinæ conjecturam verisimilem obtinentes, universa bona sua seu quotam eorum partem tam notabilem donare inter vivos seu aliter alienare præsumunt, quod nedum ecclesiæ, ad quarum domos, ædificia, et cancellos reparanda, dum vivebant, fuerant obligati, suis excludantur, remediis; sed rex et alii, quibus alienantes efficaciter tenebantur, suis juribus, uxoresque et liberi conjugatorum suis portionibus de consuetudine, vel de jure ipsis debitis, irrecuperabiliter defraudantur. Quidam etiam doli nimium experti languentibus in extremis hujusmodi alienationes facere consuluerunt, et temere procurarunt; ipsosque languentes consiliis, et suasionibus perversis a voluntate testandi nequiter perverterunt, ex quibus impediri testamenti liberam factionem ac ecclesias et cæteros supradictos suo jure non ambigitur malitiose privari. Unde præsentis deliberatione concilii omnes et singulos in nostra provincia donantes, seu alienantes taliter bona sua malitia,

sive fraude, ac hujusmodi malitiæ, sive fraudis conscios recipientes sic alienata, et ad hoc dantes consilium, auxilium, vel favorem majoris excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Donantes insuper bona sua in ipsa provincia taliter alienantes propter sui gravitatem excessus nisi prius poenituerint, et dictam donationem effectualiter, quantum in eis fuerit, revocaverint, ecclesiastica careant sepultura. Cæterum ne probationis, fraudis, vel malitiæ in hac parte difficultas hanc provisionem præsentem reddat inutilem; statuimus quod quotiescumque aliqui dictæ provinciæ bona sua omnia sic, ut præfertur, donaverint, aut alias quovis titulo alienaverint, seu in quantitate tam notabili, quod appareat ut residuo ecclesiis, vel creditoribus aliis de suis debitis, uxoribus, et liberis de suis portionibus supradictis non poterit satisfieri sicut decet, alienatio hujusmodi per malitiam, sive fraudem eo ipso fieri censeatur, malitiæ sive fraudis probatione, ulteriori minime requisita.

VI. De Testamentis.

VVillielmus Grenefeld.

Licet testamenta legitima clericorum decedentium observari volumus, nolumus tamen quod concubinis suis quidquam in testamentis suis relinquant; quod si de cætero factum fuerit illud in pios usus nostro arbitrio convertatur.

Idem.

Indulgemus vero clericis in suis ecclesiis residentibus, aut nostro servitio commorantibus aut etiam de nostra licentia causa studiorum assentibus, ut de fructib. terrarum suarum, quas propriis sumptibus excolunt atque serunt quacunque anni parte decesserint testandi habeant facultatem.

Idem.

Statuimus etiam ne quisquam testamenta vel ultimas voluntates scienter vel malitiose impediat aut perturbet; quo minus exequtores eorum vel administratores per nos, officiarios, seu ministros nostros in bonis testantium deputandi secundum libertatem & consuetudinem ecclesiæ Anglicanæ administrare libere valeant in eisdem. Siquis vero statuti hujusmodi transgressor fuerit, ipsum majoris excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto.

VII. De sepulturis.

VVilliemus Grenefeld.

Ad hæc firmiter inhibemus ne cuiquam communio corporis Christi, vel morienti ecclesiastica sepultura prætextu cujuslibet debiti denegetur.

VIII. De Parochiis & alienis parochianis. Anno Christi 1518.
Idem.

Nullus presbyterorum alienum parochianum ad confessionem vel communionem corporis Christi præsumat admittere sine licentia proprii sacerdotis. Cum autem licentia petitur a sacerdote alteri confitendi, sacerdos personam designet, cui debeat confiteri ne quisquam tali velamine nemini confitendo pœnitentiæ diffugiat sacramentum.

Idem.

Ad hæc firmiter inhibemus, ne quis alienum parochianum admittat ad matrimonium contrahendum, nisi tam ibi, ubi vir conversatus fuerit, quam ubi fœmina degit, diligens scrutinium præmittatur, & literas referat sui prælati, quicquid per scrutinium appareat continentes; fidei etiam dationes de matrimonio contrahendo fieri prohibemus, nisi coram testibus fide dignis, & sub præsentia sacerdotis; & laici, qui talibus interfuerint contractibus, puniantur.

IX. De decimis. Idem.

Ne autem conniventia nostra consensum inducat, & taciturnitas pariat culpæ reatum; nos synodali diffinitione firmiter injungimus & monemus, ut ecclesiæ decimæ, pensiones, & alia quæcunque juris ecclesiastici, quæ per vitiosum sunt usurpata ingressum, sine mora salubriter resignentur, cum vitja possessionum a prædecessoribus ad posteros transmittantur; & ne supradicta percipiantur vel exigantur, sub obtestatione divini judicii firmiter inhibemus, cum ad paria judicantur aliena invadere, & illicite detinere.

De decimis. Johannes Thoresby.

Item, licet Deus & dominus, cujus est terra & plenitudo ejus, gratiosa dispensatione universa disponens, plebi suæ terram colendam concesserit & regendam, reservando decimas frugum & operum suorum fidelium pro sacerdotibus & levitis, ad ministrandum in ecclesiis in sortem Domini præelectis, virtute cujus divinæ reservationis rectores ecclesiarum, & personæ ecclesiasticæ decimas garbarum, & rerum aliarum infra commissas sibi parochias existentes, libere perceperunt, & eas per eadem loca, quibus & per quæ domini prædiales novem partes hujusmodi garbarum cariant, & libere & licite cariarunt, & per alios cariari fecerunt, & in possessione, vel quasi, libertatis hujusmodi fuerunt dicti rectores & personæ ecclesiasticæ per tempus, cujus contrarii memoria non existit, pacifice, continue, & quiete; quidam tamen sanctæ matris ecclesiæ filii degeneres & ingrati factam eis cælestem gratiam de novem partibus minus debite ponderantes per exquisitas malitias & impedimenta illicita nituntur personas ecclesiasticas, Christi ministros, in libera perceptione decimæ partis

ANNO CHRISTI 1518.

diversimode impedire: quidam enim ipsas decimas libere percipere, & eas per vias & itinera, per quæ cariari consueverunt, abducere clericos non permittunt, sed per longos circuitus, & nocivos eas cariare malitiose compellunt: quidam etiam garbas expositas & assignatas pro decima non permittunt a suis terris cariari, quandiu in illis quicquam de bladis remanet earumdem, sed ipsas decimas a suis & aliorum bestiis scienter & scandalose conteri tolerant, & consumi, ac ipsos rectores ordinare de hujusmodi decimis non permittunt, in divinæ majestatis offensam, violationem notoriam ecclesiasticæ libertatis, ac dictorum rectorum, & personarum ecclesiasticarum damnum non modicum & gravamen, ac aliorum pernicioſum exemplum. Cupientes igitur, prout ex officii nostri debito astringimur, contra malitias & injurias hujusmodi in Dei & ecclesiæ suæ contemptum nequiter irrogatas salubriter providere, præsentis constitutionis oraculo firmiter inhibemus, ne quis, cujuscunque fuerit conditionis, status aut gradus, ecclesiarum rectores, seu alias personas ecclesiasticas, eorumve servientes, & ministros, quominus decimas garbarum, fœni, & aliarum rerum quarumcunque sibi & ecclesiis suis pertinentes, undecunque & quandocunque obvenientes, sine consumptione animalium & alia quacunque diminutione earundem voluntaria, & damnosa, integraliter & libere possunt percipere, apprehendere, & per omnia loca, per quæ novem partes cariantur, & consueverant cariari, abducere, & de illis pro suo voluntatis arbitrio disponere impediat, & perturbet, nec impediri seu perturbari faciat vel procuret, sub pœna excommunicationis majoris, quam omnes & singulos contravenientes incurrere volumus ipso facto.

Georgius Nevill.

Quanquam exsolventibus bene decimas Deus frugum omnium abundantiam & possessionum ubertatem tribuit; tamen dolenter referimus, quod nonnulli nostræ provinciæ, contra testamenti veteris, atque novi doctrinam, de sylvis suis cæduis, & lignis arborum cæduarum excisis in eis, circa quæ munus, quam circa fructus agrorum labores impendunt, decimas Deo & ecclesiis, quibus debentur notorie, per hoc, quod ipsas in præterito non dederunt, solvere contradicunt, quod æstimant idcirco licere, quia legem moris de longa invaluisse consuetudine arbitrantur; in dubium etiam revocantes, quæ sylva cædua sit dicenda. Nos igitur advertentes quod si sua portione sit ecclesia defraudata, diuturnum crimen propterea non minuitur, sed augetur, ac fames, & penuria, omniumque rerum egestas opprimunt bene decimas non solventes, hujusmodi declaramus provisione concilii, sylvam cæduam illam fore, quæ cujuscumque existens generis arborum in hoc habeatur ut cædatur, aut est habilis ad cædendum, quæ etiam succisſa rursus ex stipitibus aut radicibus renascitur, ac ex ea decimam utpote realem & prædialem baptismalibus seu matricibus ecclesiis persolvendam, necnon sylvarum possessores hujusmodi ad præstationem decimarum ipsorum signorum excisorum in eis, sicut fœni & bladorum omnium, censura ecclesiastica fore canonice compellendos.

Idem.

Cum, sacro eloquio jubente, de omnibus, quæ renovantur per annum & nullo tempore excluso, decimæ sint cum omni integritate absque diminutione solvendæ; omnibus & singulis rectoribus, vicariis, capellanis parochialibus & ecclesiarum parochialium juratis per nostram provinciam constitutis in virtute obedientiæ mandamus, firmiter injungentes quatenus diligenter moneant & efficaciter inducant & quilibet ipsorum in parochia sua moneat & inducat, quod sui parochiani omnes decimas inferius annotatas suis ecclesiis persolvant; videlicet decimam lactis, seu lacticinii a primo tempore suæ innovationis tam in mense Augusti, quam in aliis mensibus de proventibus etiam boscorum, virgultorum, pannagiis sylvarum, vivariorum, piscariarum, fluminum, stagnorum, arborum prostratarum, & excisarum, pecorum, columbarum, seminum, fructuum, & bestiarum, warrenarum, aucupii, hortorum, curtilagiorum, lanæ, lini, vini, croci, grani, terricidiorum, & carbonum in locis ubi fabricantur, & fodiuntur, cygnorum, & caponum, avcarum, & anatum, ovorum, apum, mellis, & ceræ, proventuum, molendinorum, venationum, vellerum, artificiorum, & negotiationum, nec non agnorum, & vitulorum, pullorum equinorum, capriolorum, & aliorum fœtuum animalium, tunc ad decimam dandorum, cum se alendo in pascuis a matribus separatis commode vivere possint. De fructibus etiam & garbis, quarretia, calce, mineriis; & de nutrimentis animalium, pascuis, pasturis, tam communibus, quam non communibus secundum numerum animalium & dierum, sicut expedit ecclesiæ; de fœno ubicunque crescat; aut in semitis, magnis pratis sive parvis secundum verum valorem, & de omnibus proventibus aliarum rerum de cætero satisfaciant competenter ecclesiis, quibus de jure tenentur, nullis expensis ratione præstationis decimarum deductis, seu retentis, nisi tantum de præstatione decimarum, artificiorum, & negotiationum; quod si monitionibus hujusmodi parere contempserint, per suspensionis, excommunicationis, & interdicti sententias per ordinarios locorum ad præstationem decimarum prædictarum compellantur; consuetudine contraria nequaquam obstante, quæ peccata non minuere, seu augere dignoscitur.

VVillelmus VVickwvane.

Quia plerisque colonorum mercenariis tam modicum pro stipendiis assignatur, ut vix de acceptis ducant vitam sub inopiæ angustiis; præcipimus, ut qui dimidiam marcam

vel

vel minus capiunt annuatim, ecclesiis ruralibus, a quibus ecclesiastica sacramenta recipiunt, oblationes faciant consuetas, nec ad præstandum alias decimas de suis stipendiis compellantur, nisi ubi certa annua præstatio ex antiqua consuetudine pro hujusmodi decimis est taxata. Circa vero alias præstationes decimarum personalium credatur decimantium sacramento.

X. De religiosis domibus.

Georgius Nevill.

Quamquam bon. mem. Octobonus, olim sedis apostolicæ in Anglia legatus, monachos seu canonicos regulares per maneria vel ecclesias solos morari, firmiter & districte prohibuerit; mandans abbatibus & prioribus quibuscunque, ut si qui tales fuerint, eos sine moræ dispendio revocarent ad conventum, vel sibi unum monachum vel canonicum sociare studerent, alioquin ipsos abbates & priores, donec id impleverint, decrevit fore suspensos; nonnulli tamen abbates, priores, & præpositi religiosorum non solum monachos, canonicos, & alios subditos suos extra secta monasterii sui morari permittunt, verum etiam licentiam per suas litteras patentes ad absentandi se a monasteriis suis, ac annualia ac servitia recipienda, & inter seculares personas vivendi eis conferunt & concedunt, ex quibus hujusmodi subditi, occasionem vagandi contra canonicas sanctiones ac regulares institutiones sæpius habere dignoscuntur. Nos hujusmodi licentias sequelasque earundem tam indecentes, quam animabus eorundem religiosorum periculosas esse conspicientes, firmiter injungendo mandamus, quatenus nullus abbas, prior, præpositus, minister, magister, seu alius quicunque religiosus præsidens, quocunque nomine censeatur, subditis suis hujusmodi licentiam de cætero concedere præsumat, sub pœna quadraginta solidorum sterlingorum, quam citra pœnam constitutionum legatinarum prædictarum ipsum sic deliquentem incurrere volumus, fabricæ nostræ ecclesiæ metropoliticæ Eboracensis fideliter applicandorum, ipsumque religiosum sic vagantem, tamquam apostatam haberi volumus & computari. Per hanc tamen nostram constitutionem hiis, quibus ad deserviend. in ecclesiis suis vel capellis per unum religiosum de subditis suis sedes apostolica indulsit, nolumus in aliquo derogare.

XI. De jure patronatus Thomas Savage.

Non liceat de cætero alicui personæ ecclesiasticæ jus patronatus, sive ad vocationem alicujus ecclesiæ, seu beneficii ecclesiastici pro unica vice aut pluribus alicui laico concedere, sub pœna suspensionis a celebratione missarum. Et si talis fuerit, qui propter aliquam causam non celebrat, tunc sub pœna suspensionis ab officio sive beneficio & tandiu remaneat sic suspensus, donec a suo diœcesano gratiam & absolutionem inde meruit obtinere.

XII. De censibus & procurationibus. VVillielmus Grenefeld.

ANNO CHRISTI 1518.

Pensiones autem debitas terminis statutis solvi præcipimus sub pœna dupli ecclesiæ Eboracensis fabricæ persolvendas: tali pœna puniri volumus eos qui synodalia, antequam a synodo recesserint, non persolvant.

XIII. De celebratione Missarum. Idem.

Ne pro levitate stipendiorum viliores honestioribus, vel imperiti peritioribus præferantur, stipendia presbyterorum unius anni taxanda duximus quinque marcis: in ditioribus tamen ecclesiis juxta ipsarum facultates presbyteris volumus uberius provideri.

Idem.

Presbyteri sint seduli ad divina officia horis competentibus & statutis in ecclesiis suis celebranda; ne de desidia vel negligentia arguantur. Qui autem cantant, distincte proferant, & aperte, non transiliendo, vel transcurrendo, vel syncopando, sed cum debita reverentia, ut ad devotionem excitent animos auditorum.

Johannes Thoresby.

Pastoralis officii tunc debitum credimus exercere, dum subditorum nostrorum utilitati vigilanti studio prospicimus pariter & quieti. Sane considerantes nuper & diligentius attendentes difficultates, & excessus, quos capellani stipendiarii super conventione & perceptione stipendiorum suorum annalium propter defectum & raritatem capellanorum hujusmodi existentium his diebus impenderunt hactenus & fecerunt, ac impendunt & faciunt in præsenti; volentesque & diligentius affectantes difficultates & excessus hujusmodi refrænare, ac etiam moderari, quantum cum Deo poterimus in hoc casu, ut sic utilitati subditorum nostrorum capellanos hujusmodi stipendiarios conducere volentium valeat provideri, ac excessus & difficultates hujusmodi, quatenus nobis possibile fuerit, extirpentur; de jurisperitorum consilio nobis assistentium, ac deliberatione prahabita pleniori ordinandum duximus & etiam statuendum; quod omnes & singuli capellani, tam retroactis temporibus ordinati, quam etiam in posterum ordinandi, infrascriptis stipendiis sub pœna annotata inferius sint contenti, videlicet, quod capellanus quilibet, etiamsi parochialis esset, ultra sex marcarum summam in pecunia numerata, vel valorem ejusdem in aliis rebus, pro stipendio suo annuali a quoquam non percipiat quovis modo; quæ quidem stipendia, consideratis considerandis, præsertim raritate capellanorum sic durante, sufficientia existere dignoscuntur. Inhibentes universis & singulis capellanis hujusmodi ordinatis & ordinandis, ne

ANNO CHRISTI 1518.

quiſquam eorumdem, ſub pœna ſuſpenſionis a celebratione divinorum per unum annum, ultra ſummam ſex marcarum prætaxat. pro ſuo annuali ſtipendio percipere præſumat aliqualiter in pecunia, vel valore; quod ſi fecerit, dictam ſuspenſionem ipſum ſic percipientem incurrere volumus ipſo facto. Univerſis inſuper rectoribus, & ſingulis eccleſiarum prælatis, vicariis, & aliis quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis, capellas, cantarias, oratoria, hoſpitalia, ſeu beneficia eccleſiaſtica quæcunque infra noſtram diœceſim obtinentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub poena quadraginta ſolidorum eleemoſinæ noſtræ applicandorum ſimiliter inhibemus, ne in eccleſiis, cantariis, hoſpitalibus, ſeu aliis beneficiis ſuis hujuſmodi quemquam capellanum ſtipendiatum divina celebrare permittant, niſi nomine ſtipendii ſui annualis de ſumma ſex marcarum hujuſmodi ſe contentaret; quibus etiam omnibus & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna conſimili nihilominus inhibemus, ne quemquam capellanum hujuſmodi ſtipendiatum de cætero ad celebrandum miſſas anniverſarias, ſeu peculiares in eccleſiis, capellis, cantariis, oratoriis, hoſpitalibus, aut locis eccleſiaſticis quibuſcumque dictæ noſtræ dioceſis aliqualiter admittant, ſeu celebrare permittant, priuſquam eccleſiis parochialibus locorum hujuſmodi de capellanis parochialibus pro ſtipendiis prætaxatis primitus ſit proviſum. Et ne ordinationes, inhibitiones, & ſtatuta noſtra hujuſmodi per non uſum ſeu abuſum effectu careant, & vigore; volumus & ordinamus in hiis ſcripris, quod in ſingulis ſynodis Paſchæ & S. Michaelis, in eccleſia noſtra Eboracenſi celebrandis, & aliis temporibus opportunis, annis ſingulis fiat inquiſitio, & habeatur diligens & exacta ad effectum, ut præmiſſa non obſervantes poenis ſupraſcriptis & aliis, prout expedire videbitur, canonice puniantur. Per præſentes tamen ordinationes & ſtatuta noſtra, quæ propter inſtantem raritatem capellanorum emittimus & facimus publicari, conſtitutioni ſynodali, ſuper perceptione ſtipendiorum hujuſmodi capellanorum conductitiorum, prius editæ & promulgatæ, non intendimus nec volumus derogare.

Johannes Kempe.

Inſuper presbyteri memorati debent & jurent intereſſe in cancello eccleſiæ, in qua deſerviant matutinis horis, proceſſionibus, miſſis, & veſperis & aliis divinis officiis ibi pſallendis, induti ſuperpelliciis, quæ ſibi propriis expenſis providebunt, & ad aſſignationem curatorum hujuſmodi lectiones, epiſtolas, & evangelia in miſſis ſolennibus legent, & cum ratione mortuorum vel nubentium uno die in eccleſiis hujuſmodi fient miſſæ plures ſolemnes; miſſas illas cum nota celebrent & percantent, ac tempore hujuſmodi divinorum ſic in eccleſiis ipſis celebratorum in navi eccleſiæ vel cœmeteriis aut campis vagari minime præſumant. Præterea dicti Sacerdotes diebus dominicis & feſtivis, vel ſi corpus alicujus defuncti ſit præſens, vel nuptiæ celebrandæ fuerint in eccleſiis ſupradictis, miſſas ſuas poſt lectum evangelium majoris miſſæ incipiant, & non prius, & eas ſic compleant; niſi per dictos rectores, vicarios, vel præſidentes ad hoc ſpecialiter fuerint licentiati.

Thomas Savage.

Statuimus, quod nullus presbyter, ſecularis, vel regularis, prætextu alicujus privilegii, miſſam niſi in loco convenienti divino cultui duntaxat diſpoſito & deputato, celebrare præſumat ſub poena ſuſpenſionis a celebratione miſſarum per tres menſes.

Item, quod nullus rector, vel vicarius, aut alicujus eccleſiæ proprietarius (non) faciet curæ eccleſiæ, deſerviri per religioſum aliquem, ubi per capellanum ſecularem deſerviri ſolebat, ultra ſpatium octo dierum, niſi evidens, & urgens neceſſitas id expoſcat, ſub poena viginti ſolidorum fabricæ eccleſiæ cathedralis hujuſmodi loci, & illi, qui taliter delinquentem accuſare, & cauſam contra eum proſequi voluerit, æqualiter dividend. applicandorum.

XIV. De cuſtodia Euchariſtiæ. VVillelmus Grenefeld.

Cum autem in urbibus & villis, ubi ſitæ ſunt eccleſiæ, accedunt presbyteri cum Euchariſtia ad viſitandum infirmos, pro reverentia corporis Chriſti, ſuperpelliciis ſint induti, cum cruce, lucerna accenſa, & campana, clerico vel alio præeunte.

Idem.

Quia domum Dei decet ornari honore congruo, dicente Pſalmiſta: *Domine, dilexi decorem domus tuæ*, præcipimus in vaſis, veſtimentis, libris, & aliis ad divinum miniſterium deputatis, eccleſiis honorifice provideri; item Euchariſtiam & Chriſma ſub clavibus cuſtodiri. Si quis vero ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur.

XV. De eccleſiis ædificandis. Idem.

Et quia cedentibus vel decedentibus canonicis eccleſiæ noſtræ Eboracenſis, & aliarum eccleſiarum collegiatarum noſtræ dioeceſis, nec non rectoribus, & vicariis, ſucceſſores eorum conſueverunt taxationem defectuum in ornamentis, cancellis & domibus ad beneficia, in quibus ſucceſſerint, pertinentibus interdum ultra veram æſtimationem pro ſuo libito procurare; & quod gravius dignoſcitur, omnem pecuniam, vel majorem partem exinde redactam, in privatos ſuos uſus convertere, nulla penitus emendatione, reparatione, vel refectione facta per eoſdem in ornamentis, cancellis, & domibus memoratis; nos tantæ iniquitatis auſui temerario volentes competenti remedio, prout poſſumus, obviare, de conſenſu unanimi capituli noſtri Eboracenſis ſtatuimus, ut facta taxatione defectuum

præ-

prædictorum per legaliores & discretiores de vicinia, qui ad hoc haberi poterunt, bono modo tota pecunia ex præmissa causa levata, ad manus duarum vel trium personarum in locis singulis ad hoc specialiter electarum absque omni diminutione proveniat; quæ personæ, dictorum canonici, rectoris, vel vicarii requisito consensu, omnem pecuniam sic receptam, in reparationes ac refectiones necessarias prius consideratas & taxatas, absque moræ dispendio convertere non omittant; ad quod per locorum archidiaconos, legitima monitione præmissa, si necesse fuerit, per majoris excommunicationis sententiam compellantur. Has autem duas constitutiones inter alias synodales, a quibuscunque prædecessoribus nostris factas, incorporari volumus, & inter eas in singulis celebrandis synodis solemniter publicari.

Georgius Nevill.

Cum inter nonnullos parochianos dioecesis nostræ talis inolevit protervitas, quod ad fabricam matricis ecclesiæ suæ parochialis conferre nolunt, arbitrantes se ab oneribus hujusmodi excusari posse, pro eo quod ad fabricas capellarum infra parochias sitarum contribuunt; nos attendentes, quod parochiani prædicti ad contribuendum matrici suæ ecclesiæ prius quam capellæ magisque tenebantur, proinde statuimus, quod licet parochiani antedicti ad refectionem capellarum hujusmodi conferant, a contributione ad ecclesiæ matricis suæ fabricam & reparationem, ac alia onera parochialia, quæcunque, supportanda nullatenus excusentur, sed juxta discretionem ordinarii sui contribuere teneantur. Quod si hujusmodi parochiani onera prædicta post monitionem legitimam eis in hac parte factam subire recusaverint, capellæ prædictæ interdicantur, & divina in eisdem non celebrentur, quousque parochiani hujusmodi onera prædicta subeant cum effectu, seu saltem ad ea subeunda sufficientem præstiterint cautionem.

Walterus Gray.

Cum plerumque inter rectores, seu vicarios in nostra provincia Eboracensi constitutos, eorundemq. parochianos super variis ornamentis, rebusque ecclesiasticis altercatio non modica sit exorta, & ideo, ut quanta, quæ, & qualia ad rectores seu vicarios ecclesiarum per totam provinciam Eboracensem constitutos substentanda, & reparanda pertineant, & quæ autem ad parochianos eorundem de ornamentis ecclesiasticis reparandis pertinere noscantur, per subscripta sole clarius omnibus illucescat; ordinamus & statuimus, ut parochiani nostri omnes et singuli existant sic edocti in singulis subsequentibus, ut sciant, et intelligant atque observent totaliter universi, videlicet quod calix, missale vestimentum ipsius ecclesiæ principale, videlicet casula, alba, munda, amictus, stola, manipulus, zona, cum tribus tuellis, corporalia, & alia vestimenta pro diacono et subdiacono honesta, juxta facultates parochianorum et ecclesiæ, cum cappa serica, principali pro principalibus festis, et duabus aliis pro choris regendis in festis prædictis; crux processionalis, et alia crux minor pro mortuis, feretrum pro mortuis, vas ad aquam benedictam, osculatorium, candelabrum ad cereum paschalem, thuribulum, lucerna cum tintinnabulo, velum quadragesimale, duo candelabra pro ceroferariis, legenda, antiphonale, gradale, psalterium, troparium, ordinale, missale, manuale frontale ad magnum altare, tria superpellicia, pixis pro corpore Christi, honesta vexilla pro rogationibus, campanæ magnæ cum cordis, sacer fons, chrismatorium cum seruris, imagines in ecclesia, et imago principalis in cancello de quo sancto dedicatur ecclesia, reparatio librorum, et vestimentorum, quotiens contigerit emendari, cum omnibus prædictis, luminare in ecclesia, reparatio navis ecclesiæ, et constructio ejusdem cum campanili, exterius et interius et fenestris vitreis cum clausura coemeteriorum cum aliis, navis ecclesiæ et singulis aliis ad ipsos parochianos pertinere noscuntur. Ad rectores vero vel vicarios juxta varias ordinationes, omnia alia pertinebunt; scilicet cancellus principalis cum ejusdem reparatione tam in parietibus quam tecturis, et fenestris vitreis eidem pertinentibus cum desctis et scamnis, et aliis ornamentis honestis, ut cum propheta decantare valeant, *Domine, dilexi decorem domus tuæ &c.* cum manso rectoriæ, et ejus reparatione hinc inde, et ad alia quæ non sunt scripta in hoc libro, noverint rectores vel vicarii se locorum ordinariis compelli posse secundum hanc constitutionem, et alias in hac parte prolatas.

ANNO CHRISTI 1518.

XVI. De immunitate ecclesiæ.
Willielmus Grenefeld.

Statuimus etiam, ut si quis de domibus et maneriis, granciis, vel aliis hujusmodi locis ad archiepiscopos, episcopos, vel alias personas ecclesiasticas, vel ad ipsas ecclesias pertinentibus, accedens, quidquam præter voluntatem, aut permissionem dominorum vel eorum qui sunt hujusmodi rerum custodes deputati, consumere vel auferre, aut contrectare præsumpserit, ipso facto sit excommunicatione ligatus, a qua, donec satisfecerit, absolutionis gratiam minime consequatur. Et ne hoc salubre statutum prætextu ignorantiæ negligatur, ipsum vel intentionem illius per annum continuum a tempore publicationis ejusdem in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, et aliis per rectores et capellanos earum quibuslibet diebus dominicis, astante parochianorum et fidelium multitudine, præcipimus publicari.

Quamvis canonicis institutis sit expressum, quod laicis de rebus ecclesiasticis, et religiosis quomodolibet disponendi nulla sit penitus attributa facultas, quod obsequendi

manet

ANNO CHRISTI 1518.

manet neceſſitas, non auctoritas imperandi multos tamen eccleſiaſtica jura latent; alii vero eccleſiis et eccleſiaſticis perſonis Dei timore poſtpoſito, proh dolor! oppido ſunt infeſti, adeo ut jura eccleſiaſtica non formident in ſuæ damnationis interitum uſurpare. Nos igitur, Willielmus, permiſſione divina Eboracenſis archiepiſcopus, Angliæ primas, qui eccleſiarum noſtro regimini commiſſarum jura, et immunitates ex officii noſtri debito conſervare tenemur pro viribus ac tueri, de conſenſu capituli noſtri Eboracenſis provide duximus ſtatuendum, ne quis laicus arbores ſeu herbas in coemeteriis cujuscunque parochialis eccleſiæ ſeu capellæ in noſtra dioeceſi, divino cultui deputatis, creſcentes, abſque rectoris licentia ſpeciali auſu temerario proſternere ſeu falcare præſumat, aut proſtratas auferre vel amovere, ſeu quidquam juris in ipſis æqualiter vendicare, cum ea, quæ locis religioſis adhærent, religioſa penitus eſſe cenſeantur, juxta civiles et canonicas ſanctiones. Eccleſiarum autem rectoribus et vicariis, ſeu quibuſlibet ipſorum miniſtris hujusmodi arbores aut herbas in coemeterio creſcentes omnino non liceat in alium uſum convertere, niſi in eccleſiæ ſuæ reparationem vel ædificationem, aut etiam manſi proprii ad eccleſiam pertinentis. Si quis autem hujuſmodi noſtri ſtatuti temerarius violaror extiterit; ipſum volumus per archidiaconum loci ſuper hoc congrue requiſitum, legitima monitione præmiſſa, majoris excommunicationis ſententia innodari, a qua ipſum omnino abſolvi nolumus, donec eccleſiæ, cui contra præſens ſtatutum læſionem vel injuriam irrogaverit, ad arbitrium præfati archidiaconi ſatisfecerit competenter.

Gregorius Nevvill.

Accidit novitate perverſa, quod cum eccleſiarum prælati de morum diſciplina, peccatis, et exceſſibus ſubditorum nituntur inquirere, magnates, et poteſtates aliæ ſæculares officia impedire molientes eorum, inhibent laicis, ipſorum tenentibus aut nativis, ne ad ordinariorum citationes pro ſingulorum criminum vel exceſſuum correctionibus canonice ſubeundis, quorum correctio et cognitio ad ipſos ordinarios noſcitur pertinere de conſuetudine vel de jure, aut pro teſtamentorum probationibus, approbationibus, inſinuationibus aut calculis de bonis defunctorum adminiſtratis per eos, ſeu computis, et aliis teſtamentariis juribus extra locum ſui domicilii veniant et compareant coram eis, et ne in locis ſui domnſi per prælatos exerceantur, præmiſſa impediant, et procurent nequiter impediri, ſibique ſuper hiis jurisdictionem uſurpent. Alii præterea viros eccleſiaſticos jurisdictionem eccleſiaſticam exercentes, et ſuis ſubditis pro eorum culpis et exceſſibus poenitentias corporales ſeu pecuniarias imponentes, ac ipſos facere cogentes easdem, ſicut ipſis ordinariis licet, aut pro poenitentiis corporalibus juxta modum exceſſuum ſuorum impoſitis redemptiones pecuniarias, prout juſte poterunt admittentes, de et ſuper extorſionibus exceſſivis indictant, ſicque indictatos attachiant et incarcerant, ac ſuper hiis in foro ſæculari eos ſibi reſpondere compellunt; quibus mulctas pecuniarias ea occaſione in dicto foro ſæculari imponi procurant, et faciunt indebite pro libito voluntatis. Frequentes multi cum turmis et ſtrepitu ad judicia occurrunt eccleſiaſtica, ac judices litigantes ſeu habentes ibidem alia expedire, graviter ſic exterrent, quod eccleſiaſtica confunditur jurisdictio, et opprobrioſe officium prælatorum ſuſpenditur, et nequiter inpeditur, ac in culpam homines de facili corruunt, dum poena non reprimit tranſgreſſores, impunitatem ſibi poenalem nutriunt, et antiqui hoſtis inſidiis levem aditum præparant et frequentem. Alii ſiquidem multos, pro eo quod cauſas et negotia in foro eccleſiaſtico, de jure vel conſuetudine pertractanda ibidem, contra adverſarios ſuos movent, nec non advocatos poſtulantes pro eis, et procuratores alioſque miniſtros, et eccleſiaſticos judices cognoſcentes ſuper hiis, indictari, attachari, incarcerarique et carceri mancipari, et alias in foro ſæculari multipliciter faciunt fatigari, et procurant, ſuiſque tenentibus aliis ad forum eccleſiaſticum pro cauſis ſeu negotiis in ipſo de conſuetudine vel de jure tractandis recurrentibus, ſi non deſiſtant, et in foro ſæculari, ſuper his litigent, imponunt ſæpiſſime graves mulctas, ipſoſque affligunt, et vexant injuſte multimodis laboribus & expenſis. Alii vero epiſcopos, archidiaconos, & eorum officiales, & alios ordinarios judices, jurisdictionem in civitatibus ſeu locis aliis eis ſubjectis debite exercere volentes, de & ſuper hiis, quæ ſpectant notorie ad eosdem, ſeu pro exercitio jurisdictionis eccleſiaſticæ mandata licita & canonica deſtinantes, executioneſque eorum debite faciendas impediunt, vel impediri procurant injuſte, ac nuncios, mandata hujuſmodi deferentes, & facere debite juſtas executiones volentes, capere, verberare, & male tractare injurioſe præſumunt. Quidam etiam domini temporales, & eorum ballivi bona decedentium ab inteſtato in ſuis diſtrictibus ad ipſos dominos prætendentes fore, quamvis erronee, devoluta, ne per ordinarios bona hujusmodi pro debitorum ſolutione ſic decedentium, ac etiam in alios pios uſus, pro ipſarum animarum ſalute, convertantur utiliter, prout conſenſu regio & magnatum regni Angliæ, tanquam pro jure eccleſiaſticaque libertate ab olim extitit ordinatum, impediunt, in derogationem eccleſiaſticæ libertatis, juriſque & jurisdictionis eccleſiaſticorum impedimentum, & læſionem enormem. Nos autem præſentis deliberatione concilii omnes & ſingulos in præmiſſis vel eorum aliquibus delinquentes, ſeu præmiſſa vel eorum aliquibus delinquentes, ſeu præmiſſa vel eorum aliqua in ſuis facta negotiis, ſeu nominibus eorundem, rata vel accepta habentes, hoc ſacro approbante concilio, pronunciamus majoris excommunicationis ſententia innodari, quorum abſolutionem dioceſanis locorum epiſcopis, vel epiſcopalem jurisdi-

jurisdictionem habentibus, specialiter reservamus, & delinquentes hujusmodi quater annis singulis in cunctis ecclesiis parochialibus nostræ Eboracensis provinciæ excommunicatos in genere præcipimus publice pronunciari.

ANNO CHRISTI 1518.

Idem.

Cum ecclesia Dei secundum evangelicam veritatem domus orationis esse debeat, sacrique canones, & leges civiles, ob Dei reverentiam, & ut Christi fideles quietius orationi insisterent in eadem, providentius statuerunt, ne quis ad eam fugiens, seu ibidem causa orationis, vel alias insistens, ab eadem extrahatur, citeturve, aut arrestetur in eadem; nos volentes leges hujusmodi, in quantum possumus, imitari, provida deliberatione præhabita, statuimus quatenus nulla ecclesiastica, sæcularisve persona quendam, occasione alicujus actionis, seu querelæ, in ecclesia aliqua, præcipue tempore quo divina celebrantur in eadem, nisi propter offensam in dicta ecclesia immediate, aut paulo ante arrestationem hujusmodi factam, arrestet, citetve aut extrahat, arrestarive, citari, aut extrahi faciat, sub poena excommunicationis majoris, quam in hac parte delinquentem incurrere volumus ipso facto.

De immunitate ecclesiæ.

Johannes Thoresby.

Item, quod nullus de cætero perturbet, impediat, arrestet, vel perturbari, aut arrestari faciat aliquem vocatum, vel venientem ad convocationes, synodos, visitationes, capitula generalia ordinariorum, aut ad curiam Eboracensem, vel alias curias spirituales pro negotiis & causis suis necessariis expediend. & exequend. quominus liberum habeat accessum & regressum, sub poenis majoris excommunicationis, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto; jure & prærogativa domini nostri regis, & his ad coronam suam spectant. omnino semper salvis.

INCIPIT LIBER QUARTUS

De clandestina dispensatione. Johannes Thoresby.

Item, quamvis clandestina matrimonia, ex quibus animarum & corporum pericula solent sæpissime provenire sacri canones, utpote sic contrahentibus & reipublicæ damnosa, prohibeant; & ea fieri sub poenis interdicant; nonnulli tamen illicita pluries matrimonia occulte contrahere callide machinantes, absque editione bannorum rite & legitime præmissa matrimonia per capellanos, Dei timorem & legis prohibitionem temere contemnentes, solemnizari facere, non absque gravi scandalo & periculis animarum procurant damnabiliter in dies & præsumunt, poenas contra hujusmodi matrimonia contrahentes, celebrantes, & eisdem intereſſentes latas & promulgatas minime formidantes. Nos igitur, archiepiscopus prælibatus, de consensu suffraganeorum nostrorum, & cleri nostri prædictorum, hujusmodi capellanorum & personarum sic contrahentium, & aliorum solemnizationem hujusmodi indebite procurantium temeritatem & audaciam poenarum aggregatione reprimere cupientes, prohibemus sub poena excommunicationis majoris, superius (memorata) quam omnes nostrarum civitatis, dioecesis, & provinciæ prædictarum, qui huic nostræ constitutioni contraire præsumpserint, incurrere volumus ipso facto; ne quis presbyter sæcularis, sive regularis cujuscunque conditionis extiterit, matrimonium clandestine celebrare, vel eidem intereſſe præsumat; sed quotiescunque matrimonium solemnizandum fuerit inter aliquas personas, in ecclesiis seu capellis parochialibus ipsorum contrahentium fiat editio bannorum, & publice proponatur edictum per tres dies solemnes, competenti termino præfinito, ut infra illum terminum, qui voluerit & valuerit, impedimentum opponat; & presbyter nihilominus investiget, utrum aliquod impedimentum obsistat, aut quisquam appareat reclamans in hac parte, seu quomodolibet contradicens, quod si apparuerit contra copulam contrahendam contradictio vel probabilis conjectura, contractus nullatenus celebretur, sed interdicatur expresse, donec quid fieri debeat, super hoc per judicem in hac parte competentem legitime fuerit declaratum, vel alias de superioris ordinarii licentia cum contrahere volentibus, quoad temporum interstitia & bannorum editionem, fuerit dispensatum; quorum omnium absolutionem, quos in poenas hujusmodi vel eorum aliquem incidere contigerit, præterquam in mortis articulo, quoad impedimentum hujusmodi, nobis in nostris civitate, & dioecesi parochianis earundem, & nostris suffraganeis, in suis civitatibus, & dioecesibus, vel superioribus nostris specialiter reservamus.

Sciendum est autem, quod istud statutum postea cum alio concilio provinciali fuit modificatum, & restrictum, ut non incurratur excommunicatio, nisi in certis casibus; videlicet, quod contrahentes, scientes legitimum impedimentum, etiamsi in bannorum editionem nihil obiiciatur, sunt excommunicati. Item, contrahentes absque editione bannorum matrimonium solemnizari facientes sunt excommunicati, ac presbyter solemnizans. Item, ubi contrahentes faciunt solemnizari matrimonium, ubi objectum est impedimentum in editione bannorum, ipso impedimento non prius excusso, sunt excommunicati: item, compellentes capellanum per metum solemnizare matrimonium clandestinum: item, capellanus non edens bannos per tres dies solemnes, & matrimonium solemnizans, ubi postea apparet impe-

ANNO CHRISTI 1518.

pedimentum: item, contrahentes contra interdictum ecclesiæ. In istis casibus sunt excommunicati ipso facto, & non in aliis.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

I. De purgatione canonica. WIllelmus Grenefeld.

Si quis autem de incontinentiæ vitio graviter diffamatus, non poterit se canonice purgare, habebitur pro convicto; a convictis vero, vel in jure confessis fructus beneficiorum seu stipendia subtrahantur, donec inde gratiam nostram consequantur. Cæteri in sacris ordinibus constituti juxta modum culpæ puniantur; graviori autem sunt animadversione puniendi, qui proprias filias spirituales, quas baptizaverint, vel semel ad confessionem admiserint, & rectores, qui proprias parochianas corrumpere non verentur. Hæc autem, quæ supradiximus, de poena presbyterorum parochias regentium, ad alios extendi volumus, qui non regunt parochias, cum omnes pari voto continentiæ sint adstricti, & omnes deceat par honestas.

Idem.

Caveant insuper rectores, ne publicis fornicatiis, aut de vitio incontinentiæ convictis, seu diffamatis parochias committant, seu retineant noviter diffamatos; quod si facere præsumpserint, sexaginta solidorum pœna noverint se mulctandos.

II. De homicidio. Johannes Thoresby.

Item, cum ex eo, quod matres & nutrices parvulos, quos enutriunt, in lectis suis incaute juxta se collocant, provenit frequens & dolenda nimis oppressio, seu suffocatio hujusmodi parvulorum, & sic inde procedit mortis occasio, unde vitæ consolatio sperabatur; inhibemus, ne patres, vel matres, nutrices, & alii quicunque, custodiam parvulorum habentes, secum ipsos in lectis ponant, vel cubiculis suis, sed seorsum in cunabulis suis, vel aliis locis securis, ubi timor suffocationis hujusmodi non supererit, illos collocent, vel faciant collocari; seu lac ipsis parvulis ministrando somnum super ipsorum cunabulis arripiant quovis modo.

III. De Simonia. WIllelmus Greenefeld.

Ne autem presbyteri quæstum salutî præferant animarum, tractatum de decimis seu aliis temporalibus in confessionibus non prætermittant, sed diligenter exponant confitenti, qualiter debeat confiteri; quisque sit fructus pœnitentiæ; ac expletis omnibus tunc petant, quæ de decimis, vel aliis ecclesiis debebuntur. Similiter in sacrosancto die Paschæ absque ulla exactione decimæ, vel debiti, seu oblationis liberaliter conferant corpus Christi, ne una manu porrigendo Eucharistiam, altera recipiendo pecuniam, nostræ redemptionis mysterium sit venale; quod si compertum fuerit, præcipimus graviter puniri.

IV. De poenitentiis & remissionibus. Idem.

Nullus autem ad pœnitentiarium nostrum Eboracensem pro aliquo delicto mittatur, nisi de quo in jure confessus fuerit, vel convictus; enormia vero delicta nobis vel primario nostro, præter quam in mortis articulo, reservamus. Literas autem decani vel officialis ad primarium gratis concedi volumus, & præcipimus pœnitenti; &, ut liqueat, qualis fuerit pœnitentia, & pro quo crimine sit injuncta, pœnitens literas pœnitentiarii referat ad mittentem.

Idem.

Item singulis etiam decanatibus per capitulum duo eligantur presbyteri, qui moribus & scientia præditi, confessiones audiant sacerdotum.

Gregorius Nevill.

Licet ex statutis concilii generalis, & Clementis Papæ prohibitum sit expresse, ne custodes aliqui nisi apostolicas & diœcesani literas exhibuerint, quomodolibet admittantur vel permittantur aliud aut populo prædicare vel exponere, quam quod in literis continetur supradictis, literis apostolicis per dioecesanum prius diligenter examinatis; quidam tamen quæstores hujusmodi, non sine magna temeritatis audacia & deceptione multiplici animarum, indulgentias populo motu suo concesserunt, super votis dispensarunt, a perjuriis, homicidiis, & peccatis aliis absolverunt; male ablata, incerta, data sibi pecuniæ quantitate, remiserunt; tertiam aut quartam partem de poenitentiis injunctis relaxarunt; animas tres vel plures parentum vel amicorum illorum, qui eleemosynas eis contulerunt, de purgatorio, ut afferuerunt mendaciter, extrahebant; & ad gaudia paradisi perducebant, benefactoribus locorum, quorum quæstores extiterunt, remissionem plenariam peccatorum indulserunt; &, ut eorum utamur verbis, a poena & culpa absolverunt; quo circa Clemens Papa prædictus in concilio Viennensi hujusmodi abusus de cætero attemptari omnino inhibuit, ac omnia privilegia, si quæ super præmissis, vel eorum aliquo fuerunt aliquibus locis, ordinibus, vel personis quæstorum hujusmodi quandocunque concessa, auctoritate apostolica penitus revocavit; volens quæstores, si qui in præmissis vel aliquo præmissorum deliquerit, vel alias etiam suis quibuscunque privilegiis abusi fuerint, per locorum episcopos debite puniri; nullo eis in hac parte privilegio suffragante. Quæstores tamen prædicti hiis diebus avaritiæ veneno inebriati, ut aurum & argentum subtili & fallaci ingenio extorqueant, aliqua de abusionibus prædictis, & alias majores vel consimiles attemptare præsumunt, utpote excommunicatos a judicibus ecclesiasticis absol-

ſolvunt, poenitentiam publicam & ſolemnem per locorum ordinarios pro publicis excessibus inflictam remittunt, ſeu ſaltem diebus, quibus ipſos ad eccleſias cauſa poenitentiæ perimplendæ venire contigerit, differre, & mortem ſibi conſciſcentes in coemeteriis ſepelire præſumunt, aliaque nonnulla enormia committere non verentur, per quæ cenſura vileſcit eccleſiaſtica, & clavium eccleſiæ auctoritas deducitur in contemptum. Nos vero hujuſmodi abuſus plenius abolere volentes, volumus & præcipimus in noſtris dioeceſi & provincia ſtatuta conciliorum prædictorum firmiter obſervari; ac cum hujuſmodi literæ apoſtolicæ per dioeceſanum examinatæ fuerunt, ſchedulam de indulgentiis hujuſmodi conſcribi, & literis ſuis annecti, nihilque per quæſtores proponi vel prædicari, niſi quod in ſchedula prædicta continetur. Quod ſi quæſtores aliqui aliquas de abuſionibus prædictis de cætero attemptare præſumpſerint, ſeu præſenti noſtræ conſtitutioni in aliqua ſui parte contravenerint, ab officio prædicto penitus expellantur, & ad dictum officium nullatenus admittantur. Si quis vero rector, vicarius, capellanus, vel curatus aliquem de quæſtoribus hujuſmodi contra formam conciliorum in eccleſia, ſive capella ſua admiſerit, pœnam quadraginta ſolidorum legalis monetæ Angliæ fabricæ eccleſiæ metropolitanæ Eboracenſis applicandorum ſolvere teneatur. Per hanc tamen conſtitutionem hiis, qui juriſdictionem epiſcopalem habeant, nolumus in aliquo præjudicium degenerari.

Johannes Kempe.

Presbyteri vero non audient confeſſiones parochianorum vel capellanorum in eccleſiis, in quibus divina celebrent, niſi in caſibus a jure permiſſis, ſine licentia præſidentium in eccleſiis ſuis petita & obtenta.

Georgius Nevill.

Et quia tam rectores, & vicarios, quam presbyteros parochiales parochianos ſuos ad confitendum paſſim admittere perpendimus, inter crimina, ſive enormia ſive levia non diſtinguentes; cum tamen nonnullis caſibus incurritur irregularitas; in aliis vero irregularitas licet nullatenus curratur, abſolutio tamen ſedi apoſtolicæ ſpecialiter reſervatur, & nonnunquam nobis permittitur ſeu conceditur abſolutio in eiſdem: majora crimina quæ nobis & primario noſtro detinemus, in brevi, Deo dante, dilucide aperiemus, ut in caſibus, in quibus abſolutio pertinet ad nos, confitentes abſolvamus; in aliis vero ad ſedem apoſtolicam tranſmittamus eoſdem pro abſolutione, ſicut convenit, obtinenda. Primus caſus eſt in eo, qui peccat contra fidem. Secundus caſus eſt in eo, qui peccat contra naturam, & maxime cum brutis. Tertius caſus eſt in eo, qui peccat homicidium committendo. Quartus caſus eſt in eo, qui peccat in Deum, vel aliquem ſanctorum publice blaſphemando. Quintus caſus eſt in eo, qui peccat eccleſiam violenter frangendo, aut eccleſiaſticas immunitates ſeu libertates violando. Sextus caſus eſt inceſtum committendo. Septimus caſus eſt adulterium notorium committendo. Octavus eſt falſum teſtimonium perhibendo, & ſic perjurium committendo. Nonus eſt ſimoniam committendo. Decimus eſt ſortilegium committendo. Undecimus eſt in illis, qui faciunt conjurationes, & conſpirationes contra prælatos ſuos. Duodecimus eſt incendium perpetrando. Decimustertius eſt votum licitum & honeſtum violando. Decimus quartus eſt in parentibus, qui liberos ſuos opprimunt. Decimus quintus eſt in his, qui ſanctimoniales corrumpunt. Decimus ſextus eſt in eo, qui in clericum vel perſonam religioſam quamcumque manus injecit violentas; vel cum poſſit, eos a violenta manuum injectione non defendit; vel qui clericum invitum detinet, licet manum non immittat, & forte ponendo ei cuſtodes, vel infra domum aliquam includendo. Decimus ſeptimus eſt in eo, qui per ſe, vel per aliquem literas domini papæ falsaverit, ſive hujuſmodi falſarius fuerit, ſeu eos defenderit. Decimus octavus eſt in eo, qui hujuſmodi literis etiam ab alio falſatis ſcienter uſus fuerit. Decimus nonus eſt in archidiaconis, decanis, plebanis, præpoſitis, cantoribus, & aliis clericis perſonatus habentibus, necnon presbyteris, legem vel phyſicam audientibus, niſi infra duorum menſium ſpatium deſtitetint omnino. Viceſimus eſt in eo, qui participat in crimine criminoſo poſt crimen ſuum excommunicato a papa in divinis officiis. Viceſimus primus eſt in eo, qui ſponte & ſcienter participat cum excommunicato a papa in divinis officiis. Viceſimus ſecundus eſt in eis, qui eccleſiis, ſacerdotibus, & eorum poſſeſſionibus exactionem, ſeu onera indebita imponunt, niſi moniti deſtiterint. Viceſimus tertius eſt in uſurariis publicis, & in his, qui ab eis oblationes recipiunt, vel qui eos ad eccleſiaſticam ſepulturam admittunt. Viceſimus quartus eſt in illo, qui celebrat vel alias in ordine ſuo officia exercet, excommunicatus minori excommunicatione, vel ſuſpenſus, vel interdictus ab homine. Viceſimus quintus eſt in clerico, qui accedit ad judicium principis, contempto judice eccleſiaſtico. Viceſimus ſextus eſt in clerico qui bigamiam contraxit. Viceſimus ſeptimus eſt in clerico, non ordinato miniſtrante. Viceſimus octavus eſt in clerico per ſaltum promoto. Viceſimus nonus eſt in illo, qui furtive ordines recepit. Triceſimus eſt, ſi quis ſe fecerit in eodem ordine iterum ordinari. Triceſimus primus eſt ſi quis ſe fecerit iterum baptizari. Triceſimus ſecundus eſt, ſi ad ſubverſionem fidei adhæſerit hæreticis, & in contemptum eccleſiæ ab eis ſe fecerit ordinari. Triceſimus tertius eſt in ordinato extra quatuor tempora, vel alias illicite & ante diſpenſationem obtentam miniſtrante. Triceſimus quartus eſt in ſuſpenſo, etiam a canone a divinis officiis, & ſic

ANNO CHRISTI 1518.

ANNO CHRISTI 1518.

& sic suspenso divina celebrante, in casu, quo summus pontifex sibi dispensationem reservat, ut in casu illius canonis qui incipit *cum æterni*: & in casu canonis qui incipit *cum medicinalis*: quorum uterque est in concilio Lugdunen.. Tricesimus quintus est in eo, qui excommunicatus ordinem susceperit. Tricesimus sextus est in illis, qui de domibus, maneriis, seu grangiis, vel locis aliis archiepiscoporum, episcoporum, vel aliarum personarum ecclesiasticarum contra ipsorum voluntatem, vel custodum rerum earundem aliquid auferunt, vel consumunt, vel injuriose contrectant. Tricesimus septimus & ultimus est in illis, qui publice perpetraverunt delicta enormia, unde tota civitas, vel villa, vel patria movetur, pro quibus publica poenitentia fuerit injungenda. In hiis igitur excessibus & aliis, qui majores annumerantur, nobis vel pœnitentiario nostro, præterquam in mortis articulo, mitti volumus delinquentem.

V. De verborum significatione.

Cum propter nimiam purgationem litium, quæ ex subtili ordinis judiciarii observantia nonnunquam proveniens, solet esse litigantibus, maxime pauperibus onerosa, in jure communi statutum fiat, quod in quibusdam casibus simpliciter, & de plano, & sine strepitu & figura judicii procedi valeat; ac in nostra provincia Eborum multæ sunt ecclesiarum in fructibus satis abundantium exiles vicariæ, quarum fructus, propter tepescentem modo plusquam solito populi devotionem, earundem vicariis etiam ad vitam tenuem ducendam non sufficiunt, contra quos insuper, si propter augmentationem suæ portionis coram locorum ordinariis agant, per rectores proprietariosve ecclesiarum hujusmodi tot difficultates per exceptionum dilationumque dispendia opponuntur, quod a propositis eorum justis querelis propter inopiam & obtinendi in causa desperationem, ab initio penitus desistere compelluntur; præsentis concilii provida deliberatione statuimus, quod de cætero summarie, & de plano, & sine strepitu & figura judicii procedatur; adjicientes quod ordinarii locorum vicarios affirmantes se coram eisdem proprio juramento paupertatis onere nimium prægravatos, causam augmentationis hujusmodi prædictarum vicariarum suarum prosequentes in forma pauperum admittent, officium suum in hac parte gratis & liberaliter impendentes; nec non ab advocatis, procuratoribus, cæterisque officialibus, & actorum scribis curiarum, consistoriorum suorum patrocinia, actaque gratis impendi facientes, et liberaliter impertiri, talesque portiones hujusmodi vicariis assignare curent, quales pro fructibus & proventibus ecclesiarum rationabiliter suppetere, & ad onera, quæ ad vicarios pertinere debent, viderint convenire; & quod non minor portio assignetur alicui vicario, quam summa duodecim marcarum, si ad tantam summam totius ecclesiæ, cujus est vicaria augmentanda, fructus integri se extendent. Et ne locorum ordinarii prætextu difficultatis citandi proprietarios, & rectores hujusmodi, qui nonnunquam moram faciunt & trahunt extra dioeceses, in quibus consistunt vicariæ, de quorum augmentatione portionis quæstio vertitur, sint ab executione suorum officiorum quomodolibet impediti; ejus concilii auctoritate statuimus, quod in causis augmentationum vicariarum prædictarum per citationes in ecclesiis illis, quarum rectores aut proprietarii extra dioecesim ordinarii demandantis citationem hujusmodi commorantur, aliquo die dominico vel festivo, cum major sive notabilis affuerit populi multitudo, publice & personaliter act. in quibus citationibus ad comparand. ipsis citatis ad minus dentur triginta dies, prædictique rectores & proprietarii perinde arceantur ad comparendum, ac si essent per hujusmodi citationem personaliter apprehensi.

ANNO CHRISTI 1518.

VI. De sententia excommunicationis.

VWillielmus Grenefeld.

Excommunicamus autem omnes illos, qui pacem regis & regni perturbare, aut libertates ecclesiasticas, & præcipue hujus sacrosanctæ Eboracensis ecclesiæ infringere, aut possessiones ecclesiasticas invadere, aut ad bona ecclesiastica manus impias extendere præsumpserint, in præjudicium ecclesiasticæ libertatis. Item illos, qui in beneficia ecclesiastica se intrudunt; & eos, qui per laicalem potestatem seu aliam violentiam ea detinent occupata. Illos, qui sequestra nostra violant, consimili sententia involventes. Eadem sententia innodamus omnes illos, qui mandata regia pro coercendis excommunicatis, a quibuslibet impetrata gratia, vel odio alicujus personæ, seu lucri causa exequi malitiose differunt vel omittunt. Omnes etiam incendiarios, ecclesiarum fractores, veneficos, & venefícas, & magicis incantationibus utentes & hæc fieri procurantes, & qui immunitatem ecclesiæ violaverint, denunciamus excommunicationis sententiam incurrere ipso facto. Prohibemus autem, ne excommunicationis sententia in genere pro damnis vel injuriis proferatur, quotiens dignosci poterit, quis adversus quem habeat actionem, nisi evidens utilitas id exposcat. Excommunicamus autem omnes illos, qui odio vel lucri causa aliis falso imponunt crimina, pro quibus mors, vel exilium, aut membrorum mutilatio, vel exhæredatio, seu bonorum spoliatio sequi debeat, si judicialiter convincantur. Qui autem ad diffamationem alterius quid proponit, quod mores sugillet, nisi hoc probare voluerit, canonice puniatur, & injuriam passo pro modo culpæ satisfacere compellatur.

Tho-

Thomas Savage.

Item, quod omnes & ſinguli, qui citationes, ſuſpenſiones, excommunicationes, vocationes, & mandata licita & honeſta quorumcunque judicum eccleſiaſticorum fieri, exequi, & obſervari impedierint, impedirive fecerint, ſeu procuraverint, majoris excommunicationis ſententiam incurrant, & ſint involuti ipſo facto; & pro ſic excommunicatis nominatim, & in ſpecie in valvis eccleſiæ cathedralis illius loci, vel eccleſiarum ſuarum parochialium, ſi illi tutus pateat acceſſus; ſin autem, in valvis eccleſiarum aliarum parochialium vicinarum, ubi tute fieri poterit, in ſcriptis publicentur, & publice denuncientur, nulla alia monitione ſeu citatione aut proceſſu judiciali præhabitis. A

ANNO CHRISTI 1518.

Explicit opus ſuper conſtitutiones provinciales Eboracenſes.

Anno Christi 1517.

CONCILIUM FLORENTINUM PROVINCIALE

Anno 1517. *habitum, & sequenti* 1518.

A Leone X. Pont. Max. confirmatum.

EPISTOLA

Reverendiſſimi Julii de Medicis Sanctæ Romanæ eccleſiæ vicecancellarii, & archiepiſcopi Florentini,

Ad archidiaconum & canonicos eccleſiæ Florentinæ.

SUperioribus diebus pro univerſali morum correctione proque divini honoris augmento, dum Florentinæ (licet immeriti) præſumus eccleſiæ, provinciale concilium indiximus & celebrari mandavimus juxta ſacrorum canonum diſpoſitionem; ſperantes (ut verum decet paſtorem) ſacro iſti conventui, quod literis noſtris P. V. alias ſignificavimus intereſſe. Verum quia gravioribus ſanctæ Romanæ eccleſiæ negociis occupati, propoſitum noſtrum adimplere nequivimus, R. P. V. & domino Petro Andreæ Gammaro vicario & locum tenenti noſtro generali vices noſtras demandavimus, ut vocato univerſo provinciæ clero, laudabile hoc ſaluberrimumque inſtitutum aggrederemini, idque arguendo, increpando, ea quæ correctione digna reperirentur corrigendo, plantando, evellendo, diſſipando, ex animi veſtri ſententia perficeretis. Quod a vobis rite rectèque impletum fuiſſe cum multorum qui iſtinc ad nos venere relatu accepimus, tum & ipſi vidimus, dum conſtitutiones ordinationeſque, tanta maturitate editas, tamq. morum inſtaurationi ac Chriſtianæ religionis augumento opportunas & neceſſarias vicarius nobis repræſentavit. Quas quidem conſtitutiones ſanctiſſimo D.N. ipſi, ut confirmarentur, obtulimus. Iſq. ſtatim eas legendas & examinandas tradidit reverendiſſimis fratribus noſtris, D. Dominico de Jacobatiis, & magiſtro Thomæ Gajetano, viris omni cum humanarum, tum divinarum rerum notitia inſignibus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, qui maturo eas examine diſpicientes, labores hoſce veſtros, ſanctumque bene vivendi amorem in primis laudantes, illas dignas eſſe retulerunt, quæ apoſtolicæ ſedis auctoritatem conſequerentur. Itaque factum eſt, ſanctiſſimus paſtor gemino illas diplomate communierit. Quas, quia intendimus ab omnibus provinciæ noſtræ ſubditis inviolabiliter obſervari, nec Jota aut apicem ex illis præteriri, P. V. in Domino monemus & hortamur, ut eidem vicario aſſiſtentes totis viribus enitamini, quo ab omnibus obſerventur. Voſmet ipſos (ſicut æquum parq. eſt) verbo ſimul & opere ad earum obſervationem paratos in primis oſtendite. Ita enim fiet, ut cæteri, veſtro moniti exemplo, ſalubria hæc inſtituta libentius amplectantur.

Omnipotenti inſuper Deo, S. D. N. nobiſque rem valde gratam, vobiſq. tam laudabilis inſtituti auctoribus honorabilem facietis. Bene valete.

Romæ ex apoſtolico palatio VIII. martii MDXVIII.

LEo epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In apoſtolicæ dignitatis ſpecula, licet immeriti, divina diſponente, clementia, conſtituti, ad ea per quæ ſinguli Chriſti fideles ad bene beateq. juxta canonum normam vivendum, ac ſanctorum patrum inſtituta obſervandum, diviniq, cultus augumentandum inducuntur operoſis ſtudiis intendimus, ut iis quæ propterea provide facta comperimus, ut illibata perſiſtant apoſtolici muniminis adiicimus firmitatem. Accepimus ſiquidem quod alias dilectus filius noſter Julius tituli ſancti Laurentii in Damaſo, presbyter cardinalis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ vicecancellarius, qui eccleſiæ Florentinæ ex conceſſione & diſpenſatione apoſtolica præeſſe dinoſcitur, provide attendens, quod a quinquaginta annis citra archiepiſcopi Florentini, qui eccleſiæ Florentinæ præfuerunt, raro in civitate Floren. reſederunt; & propterea populi civitatis & dioeceſis Florentinæ, nec non & totius provinciæ, velut oves errantes, a recta bene vivendi norma ac ſemita deviarunt, & laxatis habenis, ut eorum ſtatui conveniebat, minime vixerunt; ac cupiens, ut vigilem decet paſtorem, oves errantes ſibi commiſſas, ad rectam vivendi normam, reducere, ac eorum animas deo lucrifacere poſſe, pro ſalutifera morum reformatione provinciale & ſynodale concilium in dicta civitate Floren. celebrandum indixit, eodemque concilio inibi legitime congregato nonnullæ ſalutiferæ ad Dei laudem editæ fuerunt conſtitutiones, ſalvo noſtro & ſedis apoſtolicæ beneplacito, quas deinde in unum librum redactas idem Julius cardinalis nobis exhibuit; noſque librum illum duobus ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus legendum & examinandum vivæ vocis oraculo commiſimus; & cum cardinales ipſi nobis retulerint conſtitutiones iſtas laudabi-

dabiles & ad morum obſervationem plurimum oportunas; ea propter motu proprio, non ad ipſius Julii cardinalis, aut alterius cujuscumque nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, conſtitutiones & ordinationes prædictas, in dicto libro contentas, & quarum tenores inferius de verbo ad verbum annotari fecimus, auctoritate apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, eiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ſupplemuſque omnes & ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſiqui forſan intervenerunt in eisdem; ac conſtitutiones & ordinationes easdem per quoſcumque cujusvis dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis, nobilitatis & præeminentiæ fuerint, obſervari debere decernimus atque mandamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ac dictarum civitatis, dioceſis & provinciæ, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis & literis quibusvis perſonis cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, conditionis, nobilitatis & præeminentiæ exiſtentibus, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus, inſolitis, etiam talibus, quod illis nullatenus & non niſi ſub certis inibi expreſſis modo & forma derogari poſſit clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, & cum motus proprii certæ ſcientiæ & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſis, confirmatis, approbatis & iteratis vicibus innovatis, quibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ſervanda eſſet, & illorum tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hoc caſu dumtaxat ſpecialiter & expreſſe, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine prædictis derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod tranſumptis præſentium literarum manu publici notarii ſubſcriptis & ſigillo alicujus prælati munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi illæ in judicio vel extra eſſent exhibitæ vel oſtenſæ: tenor vero conſtitutionum, & ordinationum earundem ſequitur & eſt talis.

ANNO CHRISTI 1517.

Nota quod præſentes conſtitutiones fuerunt publicatæ in archiepiſcopatu Florentiæ die XII. Aprilis MDXVIII. Rogatus Ser Johannes Vannutius, notarius curiæ archiepiſcopalis.

CONSTITUTIONES SEU ORDINATIONES

Florentinæ synodi, anno ab incarnatione Dom. MDXVII. ad reverendiſs. in Chriſto patris D. Julii de Medicis, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis vice cancellarii digniſſimi, necnon archiepiſcopi Floren. meritiſſ. convocationem per multas ſeſſiones celebratæ, Divo Leone X. pont. max. Chriſtianam rempublicam feliciter gubernante, in unum digeſtæ ac diſpoſitæ volumen per R. D. Petrum Andream Gammarum de Caſali Bon. præfati reverendiſs. archiepiſcop. vicarium & locum tenentem generalem. Quam synodum inſignes ex omni religione Theologi & multi in utraque cenſura prudentes viri conſiliis dictiſq. ſuis celebrem reddidere.

CAPUT I.

Quales eſſe debeant clericorum veſtes, & qualis tonſura.

CONſedentibus patribus in synodo, Fr. Epiſcopus exurgens, ita locutus eſt. Viri fratres qui Spiritu ſancto duce in hunc locum conveniſtis, emendaturi vitia & abuſus quæ provinciæ hujus noſtræ populos a multis annis invaſere, tractaturiq. & diſcuſſuri multa pro orthodoxæ religionis defenſione, proq. ſacrorum canonum obſervatione, eos quaſi deſuetudine ſublatos excitando, pœnarumque adjectione muniendo, operæ pretium facturos nos eſſe arbitror ſi priùs, quæ in nobis emendatione digna ſunt emendaverimus, vitam, moreſque noſtros correxerimus; ita enim fiet ut emendatorum animos ſpiritus ille divinus facile illabatur, cæteriq. exemplo ducti noſtro ſtatutorum ordinationumque ſynodalium jugo libenter colla ſubmittant: aliter nobis alios corrigere volentibus facile objiceretur: *Medice cura teipſum.* Videtis, fratres mei amantiſſimi, quantum interius exteriuſq. ipſa vivendi norma a majoribus noſtris declinaverimus; eo namque deventum eſt, ut pleroſq. pudeat clericalem portare habitum & tonſuram decentem: de ludis autem, comeſſationibus, ebrietatibus, impudicitiis publice glorientur: de cæteris, ſileo: nota ſunt vobis omnia: hæc in primis ſi placet ordinate, iſtis veſtræ manum ſeveritatis apponite. Univerſa synodus dicenti aſſenſum præbuit, & quæ ſequuntur ordinationes promulgavit, mandavitque omnibus obſervari.

In

ANNO CHRISTI 1517.

In primis namq. acceptavit & in tota Florentina provincia obſervari voluit conſtitutionem reverendiſs. Coſmi dudum archiep. Floren. & contrafacientes ab ordinariis ſuis puniri ; cujus quidem conſtitutionis tenor eſt.

„ Cum regula ; *& infra* ; præſenti conſti-
„ tutione ſtatuimus quod omnes & ſinguli
„ prælati & rectores eccleſiarum, & alii
„ quicumque clerici & perſonæ eccleſiaſti-
„ cæ cujuſcumque ſtatus, dignitatis, aut
„ conditionis exiſtant noſtræ civitatis & dioe-
„ ceſis Florentinæ, continue habitum cle-
„ ricalem deferant & tonſuram ſuo ordini
„ & ſtatui congruentem, videlicet quod re-
„ ligioſi habitum ſuæ religionis apparenter
„ deferant, & ſuper aures tondeantur cum
„ tonſura rotunda, ita quod auris tota
„ appareat diſcooperta. Coronas etiam reli-
„ gioſi clerici geſtent deſuper raſas & com-
„ petentes ; prælati & alii rectores eccle-
„ ſiarum in ſacerdotio conſtituti, & omnes
„ alii curam animarum habentes, & in ci-
„ vitate Florentina ſeu in caſtris & in lo-
„ cis Floren. dioeceſis continue permanen-
„ tes mantellum ſeu veſtem talarem ſimul
„ cum caputeo in ſpatulis continue geſtent,
„ & tonſuram decentem ferant ; ita quod
„ ſaltem extremitas inferior aurisappareat
„ diſcooperta cum corona deſuper raſa com-
„ petenti, & nullus audeat geſtare farſet-
„ tos (ut vulgo dicitur) ſcollatos extra hone-
„ ſtatem, prout hodie communiter ferunt
„ laici. Clerici autem in aliis minoribus or-
„ dinibus conſtituti tonſuram prædictam de-
„ ferant cum corona competenti. Veſtes ta-
„ lares continuo deferant nimia longitudi-
„ ne, vel brevitate minime notandas, &
„ tales propter quas laicis omnino diſtin-
„ ctionem recipiant ; a viridi ac roſeo colore
„ & a ſericeis veſtibus abſtineant. Liceat
„ tamen in dignitate conſtitutis doctori-
„ bus atque canonicis deferre farſettos ex
„ raſo nigro ; *& infra*. Si quis autem ſuper
„ iis aut aliquo prædictorum culpabilem ſe
„ exhibuerit, ſi conſtitutus fuerit in ſacris
„ pro vice qualibet, & quolibet eorum in
„ quibus contrafecerit in poenam duorum
„ florenorum noſtræ cameræ ſolvendorum
„ ipſo jure incurrat ; ſi in minoribus, clerica-
„ le privilegium perdat, niſi ſit beneficiatus ;
„ tunc enim ut & cæteri puniatur.

CAP. II.

Ex ſe patet.

Conſtitutionem quoque a Clemente quinto in Viennen. concilio editam cum ſuis pœnis acceptavit, & inviolabiliter obſervari mandavit, quæ habentur in Cle. in ti. de vit. & honeſt. cle.

CAP. III.

Et clerici deferant clauſa indumenta vel ſubtanas longas.

Item omnibus clericis qualitercumque beneficiatis aut habentibus curam animarum in tota provincia Florentina mandavit, ut quando ſunt in civitatibus aut locis inſignibus provinciæ Florentinæ, ibique domicilium habent, clauſa deſuper ferant indumenta aut veſtes inferiores (quas ſubtanas vocant) ita longas & honeſtas, ut caligæ aut diploides, etiamſi exterius indumentum aperiatur, nullatenus appareant ; contrafacienti duorum ducatorum multam indixit.

CAP. IV.

Privantur diſtributionibus qui tonſuram & habitum non detulerint.

Et ut præmiſſa certius obſerventur præcipue ab iis, qui quotidie in eccleſiis inſignibus ubi multitudo populi convenit, declaravit canonicos, & capellanos collegiatar. Eccleſiar. eo ipſo privatos eſſe diſtributionibus quotidianis, donec reperti fuerint incedere ſine habitu & tonſura decenti, mandando omnibus capitulis, collegiis, ſindicis, camerariis, punctatoribus & aliis, ad quos ſpectat hujuſmodi diſtributionum ſolutio, ſub pœna excommunicationis & floreni unius, ne præfatis ſic ſine habitu & tonſura incedentibus aliquas diſtributiones ſolvant ; donec habitum & tonſuram, ut præmittitur, reſumpſerint, & continue per civitatem & in eccleſiis portaverint.

CAP. V.

Declarantur excommunicati qui certis quæſitis coloribus habitum religionis clauſum deferunt.

Ad hæc exurgens venerabilis Abbas ſacrum conventum ita affatus eſt : P. R. poſtquam P. veſtræ temeritatem eor. qui ordinis ſui inſignia geſtare recuſant, compeſcere inceperunt, unum explicabo, quod declarare erit, cum utile, tum neceſſarium ad evitandam animarum diſcrimina priuſquam ad alia progredianmini. Ex noſtris aliarumque religionum fratribus quidam elationis ſpiritu inflati, quærentes vagandi materiam, contra tenorem Bonifatianæ conſtitutionis eſt in c. 11. *ne cler. vel mona.* lib. ſexto apoſtolicæ ſedis benignitatem, adeunt, petuntque licere ſibi ad arctiorem ſeſe religionem transferre. Idque facile (ut juſtum eſt) obtinent. Is vero mendacis ſtatim oraculi munimine ſecurus ad abbatiam alicui commendatam ſe confert, ubi nullus vel rarus, & is quidem ſine obedientia & ſine religione inhabitat monachus, ibique uno eodemque contextu habitum aſſumit, profitetur novam religionem habitumque eundem dimittit, licentiam aſſequitur extra monaſterium commorandi veſtiri clericorum ſecularium habitu, dummodo camiſiolam quandam

dam sub diploide ferat, sicque venerabilis ille vir, suggerente diabolo, sub arctioris disciplinæ prætextu e regulari efficitur clericus secularis, vagus & apostaticus. Ego, patres mei, illum existimo excommunicationis sententia innodatum incidisseque in canonem illum Bonifatii; manifesta enim & luce meridiana clarior est hujus mendacis apostatæ fraus, & scriptum est, fraude ac dolo a juris pœna sublevari neminem: hujus sacri conventus declarationem expecto.

Universa Synodus multis hinc inde adductis rationibus & argumentis declaravit tales esse apostatas, & excommunicatos, & ut excommunicatos ab omnibus vitari debere; & ideo nullatenus ad animarum curam admittendos.

CAP. VI.

Prohibentur clerici ab infamium conversatione & ab accessu ad monasteria.

Et quia clericorum aliorumque religiosorum virorum conversatio debet esse honesta & laudabilis, prohibuit clericos & religiosos viros cum lenonibus, cynedis, mangonibus, meretricibus & aliis quibuscunque infamibus personis habitare, aut commercium quodcunque habere, nisi in quantum exposcit animarum salus vel alia probabilis necessitas; contrafacientem totiens uno florено ordinariorum fisco adiicendo condemnavit.

Item vetuit ad loca minus honesta accedere; ideo repertum in lupanari in lib. XXV. accedentem ad thermas seu stuphas vel tabernam extra casum necessitatis in lib. V. ut supra applicandis, condemnavit.

Item vetuit clericos & religiosos viros accedere ad monasteria monialium sine expressa ordinariorum licentia sub pœnis in capite de monialibus contentis.

CAP. VII.

Privantur beneficiis aliterque multantur clerici concubinas aut suspectas mulieres retinentes.

Cum omnes clericos, præsertim in sacris ordinibus constitutos, ab omni carnis vitio abstinere deceat, quoscumque clericos & religiosos viros mulierem suspectam domi tenentes eo ipso xxv. florenos auri multam incurrisse declaravit. Et si sic convictum vel monitum, etiam semel tantum, per duos menses eam publice tenuisse constiterit, declaravit eum omnibus beneficiis quæ obtinet eo ipso aliter non vocato conferre, & patronis præsentare & electoribus eligere cum primum per ordinarium declaratum erit eum in præsentis constitutionis pœnam incidisse. Et hoc secundum tenorem cujusdam constitutionis recolendæ memoriæ D. fratris Latini Hostien. olim episcopi apostolicæque sedis Legati; & alterius constitutionis reveren. Cosmi de Pacciis, contra tales concubinarios, & suspectarum mulierum detentores editarum & promulgatarum. Quas ambas constitutiones cum suis pœnis acceptavit, & in tota Florentina provincia observari mandavit iste sacer conventus. Iterum, repetita admonitione monendo omnes clericos, hujusmodi focarias seu concubinas tenentes, ut intra octo dies illas dimisisse debeant, & a se prorsus abjecisse sub pœnis antedictis. Publice autem teneri hoc casu a clerico mulierem suspectam declaravit, quando apud vicinos vel majorem eorum partem res erat nota.

CAP. VIII.

Ex se patet.

Item præcipit ne pueros suspectos & infames domi teneant, pœnamque ordinarii sui arbitrio moderandam ex infamiæ & suspitionis qualitate voluit.

CAP. IX.

Imponitur poena fornicatoribus, adulteris & incestuosis.

Aliorum quoque immunditias luxuriasque ita compescendas ordinavit. Simplicis namque fornicationis pœnam esse voluit lib. xx. nisi cum parochiana sua fornicatus fuerit; tunc enim in ducatis xxv. condemnavit.

Adulterii crimine convictum vel beneficiis privari vel in ducatis quinquaginta condemnari voluit. Et si semel convictus iterum convincetur, eo ipso beneficiis privatus sit, & in vincula ad peragendam pœnitentiam detrudatur.

Eos quos cum matre, sorore, moniali, aut filia spirituali, id est cujus confessionem audiverunt, rem carnaliter habisse comtiterit, beneficiis eo ipso privatos declaravit, atque ad perpetuo pœnitentiam agendam in vinculis coniiciendos, si plusquam semel id feciisse apparuerit. Simili quoque pœna feriendos eos judicavit, qui de crimine illo pessimo, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, convicti fuerint.

Pro aliis autem incestibus usq. ad quartum gradum indixit multam quinquaginta ducatorum.

CAP. X.

Punitur clericus qui virginem, aut viduam, aut etiam nuptam violaverit.

Si clericus virgini stuprum violenter intulerit, beneficiis privetur, & eam cui vim intulit dotare cogatur, & si beneficiis caret, amplius in ducatis quinquaginta multetur, pellaturque utroque casu a provincia quinquennio.

Sed si volentem virginem vitiaverit, eam dotare teneatur, condemneturque in ducatis xxv. & si quam vitiavit de parochia sua erat, quinque annis exulet extra dioecesim propriam. Et quod de violento virginis stupro dictum est, id & de eo quod viduæ, honestæ alioquin vitæ, infertur intelligi voluit, ut par scilicet illum poena sequatur, qui viduæ tale stuprum violenter intulerit.

Sed si nuptæ violentiam intulerit eo ipso bene-

ANNO CHRISTI 1517.

ANNO CHRISTI 1517.

beneficiis privatum vinculis perpetuo alligari decrevit.

CAP. XI.

Clericus diffamatus quomodo se purget.

Si contigerit clericum adulterio aut stupro aut alio quopiam vitio diffamari, voluit ipsum, perinde ac si de crimine convictus esset, puniri, nisi se septem honestorum testium juramento purgaverit.

CAP. XII.

Contra clericos, lenones, goliardos, histriones, joculatores, tabernarios, & alia hujusmodi vetita exercentes.

Clericum quotiens lenocinium exercuerit in ducatis vigintiquinque condemnavit.

Clericos qui buffonem, histrionem, goliardum, joculatorem, lenonem, mangonem publice agunt, si per annum aut tertio moniti artem illam ignominiosam exercuerint, eo ipso beneficiis & omni ecclesiastico privilegio (ut sacra Rom. pont. instituta decernunt) privatos esse declaravit, ampliusque quotiens aliquid eorum fecerint, totiens X. florenorum poenam incurrisse voluit.

Tabernarii quoque, coriarii, macellarii, balnearii, idest balneo præsident, exercitium illis omnino interdixit, omnesque ex nunc quicquam eorum exercentes, ut intra XXX. dies peremptorios a tali exercitio desistant, monuit, alias omnes qui a præsentis constituti promulgatione in aliquo præmissorum culpabiles reperti fuerint in ducatis XXV. condemnavit, & si per annum exercuerint, beneficiis privari voluit. Tabernariorum sane appellatione hoc casu comprehendi declaravit, vendentes panem, vinum, carnes hominibus ut tunc edant & bibant. Vendere aut vinum amphoris, aut parvis vasis & ut vulgo dicitur, a fiaschi: ita demum prohibuit; si ipsi ipsi emerint, ideo ut sic vendant, vel alias ita vendere quæ propriis aut ecclesiæ agris collegerunt, nullatenus prohiberi decrevit, nisi ex tali venditione sequeretur scandalum, aut occasio maledicendi populo. Qui contrafecerit uno ducato multari voluit.

CAP. XIII.

Puniuntur clerici negociatores & usurarii.

Post hæc alter assurgens dixit: super vetitis clericorum ordini exercitiis pulchre hactenus, & ex sacrorum canonum instituto per P. V. diffinitum est. At rurales quidam clerici a præmissis abstinentes non minorem clericali ordini injuriam afferunt, dum sæcularibus nimis sese negotiis implicant. Nundinas frequenter adeunt, ovium, bovum, asinarum, porcorum, caprarum, equorum, armenta ducentes, opilionis, bubulci, agasonis, subulci, armentarii quandoque officio publice fungentes; contractus quoscunque ineunt, emunt, vedunt, permutant, mendaciis, rixis, clamoribus omnia fora replentes, usurarias quoque & simulatas quando possunt conventiones habent. Quo fit ut in curiis sæcularibus & ecclesiasticis eo quod a nundinis supereat tempore pro reis excutiendis, litibusq. extricandis obversari oporteat, raro missas, rarius officium celebrant, de cura populi nihil minus. Quare & super iis P. V. aliquid declarare, & canonicas institutiones poenis vestris adjuvare necessarium arbitror.

Dicentem universa synodus laudavit, monuitque omnes clericos, ut intra mensem ab omni animalium, & quarumcumq. aliarum rerum negociatione caveant, alias clericos omnes qui post hac hujusmodi negociationibus intendere reperti fuerint in decem ducatis condemnavit, & si per annum ita perseveraverint beneficiis privari posse voluit.

Clericum autem de contractu usurario, aut simulato, aut in fraudem usurarum confecto, aut alias illicito convictum præter restitutionem ad quam de jure tenetur, quoties id acciderit in ducatis X. puniri voluit. Et si acciderit, ut semel convincatur, eum beneficiis privari & ab officio suspendi voluit.

CAP. XIV.

Clerici fures qua poena afficiantur.

Clericorum quoque furta compescere intendens, pro primo furto præter legitimam restitutionem in ducatis X. condemnavit, pro secundo in XX. pro ulteriori beneficiis privari, & si postea se in profundum malorum demerserit, excommunicari, degradarii, & sæculari curiæ tradi.

CAP. XV.

Ex se patet.

Simoniacos puniri mandavit, ut in loco suo dicetur. In puniendis quoque percussoribus falsariis, aliisque delinquentibus admonuit ordinarios esse diligentes, ut serventur jura contra tales vindictam sumentia.

CAP. XVI.

Puniuntur qui personati incedunt, aut personatis ecclesiastica paramenta commodant.

Finierat sacer conventus quem de clericis sermonem facere intendebat, cum sic excepit alius. R. P. contra clericos qui personati incedunt per urbem, effigiem Dei contra sacrorum canonum instituta obumbrantes.

Item & in eos qui clericalis obliti decoris mulieribus, coreis, pompisq. interfunt, quiq. ludis illicitis (quæ maxima turba est) operam dant, non est lex edita. Sed quid dicemus, non satis est ipsos personatos incedere, sed & aliis religiosos habitus & ecclesiastica paramenta commodant, quibus ami-

amicti per urbem personati incedant, vel alias sæcularium hominum pompas honorent. P. V. poenis suis talia fieri vetent.

Item, & contra clericos arma deferentes, fiat constitutio; nostis enim arma clericorum esse lacrimas & orationes.

Assensere omnes, statimque, ut sequitur, statuerunt, quoscunq. clericos & religiosos viros qui personati incederent per urbem vel aliis ita incedentibus, aut sæcularium pompas, & festa honorantibus; planetas, tunicellas, aut quæcunq. alia paramenta, aut vasa ecclesiastica, aut etiam proprios habitus commodaverint, eo ipso in ducatis quinq. fabricæ sanctæ Reparatæ, denuntiatori & ordinario æquis portionibus applicandis condemnavit. Eos autem qui personati publice religiosorum habitum detulerint, excommunicatos esse decrevit.

CAP. XVII.

Clerici probibeantur arma portare sub pœnis hic annotatis.

Contra clericos arma deferentes observari voluit in tota provincia Florentina constitutiones reverendiss. Cosmi de Pacciis archiepiscopi Floren. cujus quidem tenor est.

„ Item statuimus, quod quicunque clericus, „ regularis vel sæcularis, seu persona ec- C „ clesiastica nobis subjecta quacunq. de causa „ arma portaverit per civitatem & dioecesim „ Floren. absque nostra licentia speciali „ vel nostri vicarii, nisi in itinere constituti, seu per loca suspecta contigerit eos „ ire, pro vice qualibet, si de die fuerit, „ in ducatis quinque pro quolibet armorum genere offendibilium, defendibilium „ in solidis quadraginta; si de nocte in florenis decem auri sententialiter condemnamus, arma perdant, & ipsorum precium „ in usus pauperum per nos vel vicarium „ nostrum convertatur.

„ Religiosi vero & sæculares, qui poena „ pecuniaria multari non possunt, per nos D „ vel vicarium nostrum carceri deputentur, „ prout justum fuerit visum, & arma per„ dant. Quorum pretium convertatur, ut „ superius est expressum.

CAP. XVIII.

Arcentur clerici a ludis, choreis, tabernis, nocturnis conversationibus.

Item contra clericos pulsantes, accedentes ad choreas, cantus; contraque ludentes, acceptavit, & in tota provincia observari voluit duas præfati Reve. Archiepiscopi constitutiones, quarum tenor sequitur.

„ Item statuimus quod nullus clericus, re„ ligiosus vel sæcularis nostræ jurisdictioni „ subjectus ad choreas mulierum, vel ad „ alios ludos ipsarum vadat, nec interfit „ aliqua ratione. Nullus etiam ipsorum ta„ bernas ingrediatur ad comedendum vel „ bibendum, nisi in itinere constitutus. „ Contrarium verb facientes in præmissis „ vel aliquo præmissor. pro vice qualibet, A „ quorum quilibet possit esse accusator, in „ uno floreno aureo nostræ cameræ exsolven„ do condemnatus existat, cujus condemna„ tionis medietas sit denuntiatoris, & no„ men ejus in secreto teneat. & insuper „ eis & cuilibet prædictorum interdicimus „ omnem ludum taxillorum. Idem præci„ pimus de ludo cartarum in omni loco. „ Si autem alicubi luserint ad taxillos in„ quocunque ludo pro vice qualibet in flore„ nis auri x. nostræ cameræ exsolvendis con„ demnati existant, nec in domo, cimiterio, „ vel curia, seu alibi ludum retineant sub „ pœna consimili nostræ cameræ exsolven„ da. Si vero aliquis eorum ludis alicubi „ interfuerit supradictis, eos in ducatis quin- B „ que auri nostræ cameræ exsolvendis sen„ tentialiter condemnamus. Quorum conde„ mnationum quarta pars sit denuntiatoris, „ & nomen ejus in secreto teneatur.

„ Item statuimus, quod quicunque cle„ ricus, vel aliqua persona ecclesiastica„ quacunque de causa nobis subjecta inventa „ fuerit de nocte, aut in hora suspecta, vel „ loco cum personis suspectis, sive etiam „ aliquando per terram instrumenta musica „ publice pulsare, vel cum eis cantare præ„ sumpserit, pro qualibet vice in ducatis „ duobus auri nostræ cameræ exsolvendis „ effectualiter condemnata existat.

Anno Christi 1517.

CAP. XIX.

Monentur omnes ut residеant in beneficiis, & non residentes eo ipso privati declarantur.

Proposuit alius: quanquam, P. R. a sacris canonibus diffinitum sit, clericos debere in propriis beneficiis residere, alias eisdem privari; tamen multi, de ordinariorum fortassis negligentia securi, ecclesias suas deserunt, & ad alienas oves curandas se transferunt avaritiæ causa; plerique etiam de ecclesiarum fructibus impinguati otio domi marcescunt, de commissis sibi ovibus nihil, D postquam eas lana spoliavere, curantes. Quocirca P. V. huic pernitioso occurrent morbo, si omnes ad beneficiorum residentiam præmissa monitione vocaverint, & elapso monitionis tempore beneficia eo ipso vacare judicaverint. Universi responderunt. Placet.

Deinde sacra Synodus monuit, omnes clericos cujuscunque status, habentes beneficia curata in tota provincia Florentina, ut infra terminum trium mensium omnes residisse debeant in beneficiis propriis; alias eo termino (quem peremptorii loco assignavit) elapso pronunciavit & declaravit omnia talia beneficia velut habita pro E derelicto vacare ipso jure, possequе per eum, ad quem collatio spectat, conferri.

Voluit tamen in quibusdam casibus posse per Vicarios absque vacationis periculo deserviri; quando beneficiatus de consensu ordinarii sui, ex omni causa per ipsum ordinarium approbanda, poneret Vicarium in dictis beneficiis. Alias autem præfati ordinarii licentia non accedente, non residentem, ut præmittitur, puniri vel in ducatis decem condemnari.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. XX.

Privantur conjugati privilegio clericali, nisi habitum portaverint clericalem.

Animadvertens quoque sancta synodus quantum obloquendi materiam tribuant secularibus hominibus illi, qui in sæculo cum uxoribus, & liberis, clericali tamen sese pallio adversus sæcularem jurisdictionem protegere nituntur, sequendo canonicæ sanctionis instituta, statuit nullum clericum conjugatum posse defendi ab ordinario pro delictis excessibusque suis, nisi per duos menses ante commissum excessum portaverit tonsuram & habitum clericalem more aliorum clericorum non conjugatorum, qui in Florentina provincia degunt. De mantellatis autem, pinzocheris & hujusmodi statuit, ut habetur in titulo de foro competenti infra in isto volumine.

RUBRICA

De multarum applicatione.

CAP. I.

Multas in constitutionibus inflictas in pios usus esse convertendas.

Exurgens in synodo reverendus archipresbyter Florentinus, dixit. Laudanda sunt, profecto, patres reverendi, quæ præterita synodo per P. V. super vita & moribus clericorum diffinita sunt; & credo meliora in dies dabit iste sacer conventus. Sed unum vos volo animadvertere, ex tam crebris multarum illationibus aliquam in vobis avaritiæ suspitionem generari posse apud subditorum animos, qui (ut est semper ad mali credulitatem proclivis hominum natura) fortasse dicent, hæc non a caritatis zelo, sed a cupiditatis fonte educta retia, emissos laqueos ad corradendas subditorum pecunias. Quod a mentibus vestris & si ego alienum esse cognoverim; tamen (nostis omnes) nedum ab eo quod malum est, sed & ab eo quod mali speciem habet abstinere oportere prælatos, ut ad boni eorum nominis odorem cæteri ad bene beateque vivendum accendantur. Ab hoc igitur infamiæ periculo exolvemini, si publice declaraveritis, vos manus vestras ab omni multarum emolumento excussuros.

Placuit sermo iste in auribus universæ synodi, quæ iis primum auditis, statuit omnes multas, harum prætextu constitutionum exigendas, esse pauperum Jesu Christi, aut alterius pii operis vel loci, & in eorum usus erogari debere per ordinarios, exceptis aliquibus portionibus quæ quinque judicibus, ut ad executionem incitentur, vel accusatoribus, ut ad delicta detegenda animentur, speciali quadam ordinatione applicabuntur. Voluit tamen ex dictis peculiis posse per ordinarios satisfieri expensis, quæ occurrerent in paupere facinoroso puniendo, & in deputandis ministris non consuetis pro justitiæ conservatione, aut in visitando, synodum celebrando, solvendo stipendia notariorum, ut gratis in ordinationibus servitium suum impendant; si tamen alias non erant consueti aliunde stipendium capere. Extra istos autem casus quicquid per ordinarios de prædictis multis acceptum, aliterque erogatum fuerit, id totum restitutioni subjacere, nullatenusque nisi erogatione prius in licitos usus facta absolvi posse declaravit; homicidæ enim sunt, pauperem alimentorum subtractione enecantes.

Et ut res penitus sine suspitione procedant, statuit per quemlibet ordinarium teneri debere librum seorsum ab aliis episcopalibus rationibus, in quo omnes pœnarum exactiones & distributiones specialiter describantur, ut postea tertio quoque anno in provinciali synodo datorum acceptorumque rationem exhibeant, quas condemnationum distributiones fieri voluit ab ordinariis consilio senioris alicujus ex canonicis ecclesiæ cathedralis, quem ordinarius deputaverit, ut ille apud Deum & homines sit fidelis dispensationis testis.

RUBRICA

De constitutionibus.

CAP. I.

Quod omnes clerici habeant præsentes constitutiones.

Item, ut præsentium ordinationum notitia ad omnes subditos transeat, præcepit omnibus prælatis & rectoribus ecclesiarum totius provinciæ, ut præsentes constitutiones apud se habeant, & illis studeant, easque populis suis legant & declarent in partibus & capitulis necessariis; & rectores ecclesiarum qui penes se hasce constitutiones non habuerint uno ducato condemnari voluit.

CAP. II.

Constitutiones esse intelligendas ad literam.

Et ut malignantium cavillationes eviterentur, constitutiones istas ut jacent, & ad literam intelligi voluit, exclusa omni interpetratione extensiva, vel etiam intensiva, quam verba non designent.

CAP. III.

Quando constitutiones ligare incipiant.

Præsentes quoque constitutiones quatenus novæ sint aut disponendo, aut dispositas novis pœnis comprobando, a secundi mensis fine tantum a die promulgationis ligare voluit; alias autem statim.

CAP.

CAP. IV.

Quæ sit concilii provincialis auctoritas in statuendo.

Et cum in synodo quæreretur de adunatorum patrum in statuendo potestate, concluſum est, eos posse canonum disposiones pœnis multisque suis juvare.

Item, & quæ dubia sunt & in doctorum opinionibus collocata ad alteram partem, ut provinciæ moribus convenire videretur, interpetrari & declarare; ita tamen ut scirent interpretationes declarationesque suas subditos tantum alligare, hosque nisi per sedem apostolicam aliter declaratum aut interpretatum fuerit. Sanctæ etenim atque apostolicæ sedis, judicium in omnibus (sicut decet) præponi semper voluit, & aperte protestata est tota synodus, omnes decisiones, declarationes, ordinationesque suas sanctæ matris Ecclesiæ, & S. D. N. judicio, auctoritati & correctioni subiicere & subjectas esse velle.

Quo circa ordinavit omnium synodalium constitutionum confirmationem petendam esse a sede apostolica; ita tamen ut ordinariorum manus in dispensando, necessitate aut honestate exigentibus, in casibus alias communi jure permissis, nullatenus ligatæ esse intelligerentur.

RUBRICA

De synodo provinciali & dioecesana deq. visitatione per prælatos habendis.

CAP. I.

Dioecesanam synodum singulis annis, provincialem tertio quoque anno celebrari, omnesque clericos & prælatos ad illam accedere oportere.

Dixit N. Abbas. Notum vobis esse existimo P. R. quanto studio antiqua patrum decreta providerint concilia singulo quoque anno in provinciis & dioecesibus celebrari debere pro vitiorum hæresumque extirpatione proque morum reformatione; quod & sanctiss. D. noster Leo X. papa in Later. concilio nuper institutum renovavit, madavitque tertio quoque anno saltem observari; videtis enim qualem in moribus jacturam fecerit christiana religio postquam ab hujus laudabilis instituti observatione cessatum est. Item, & quam necessaria sit prælatorum in visitando diligentia, vestrum credo latere neminem. Divino namque oraculo prælatis dictum est: *Itende ad visitandas omnes gentes.* Igitur vestrarum partes esse judico, pro universali omnium totius provinciæ animarum salute, canonica hæc instituta renovare; & quia quasi desuetudine inumbrata sunt, omnibus ad memoriam reducere ac inviolabiliter observari mandare.

Assensere omnes, & tota deinde synodus ordinavit provinciale concilium tertio quoque anno tempore & die a reverendissimo archiepiscopo Florentino pro finiendis congregari debere, triduo tantum (nisi aliud eorum quæ tractanda erunt qualitas suaserit) duraturum. Synodum autem dioecesanam singulis annis in suis cathedralibus ecclesiis, feria quinta, quæ erit post Dominicam in albis, vel alio quod ordinariis placuerit commodiori tempore convocari mandavit. Suffraganeos autem, abbates & alios prælatos non exemptos, qui invitati ad provinciale concilium, legitima non subsistente causa, per se vel per alium quando necessitas suaderet, venire neglexerint per sex menses ab officii sui executione suspensos esse declaravit; quo ad exemptos autem servari voluit constitutionem Lateranensis synodi in sessione decima. Plebanos vero, priores, rectores, aut alios quomodocumque animarum curam habentes, qui ad dioecesanam synodum non venerint, eo ipso unius floreni multam ipsius synodi expensis adiiciendam incurrere voluit.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. II.

Ex se patet.

A Synodo dioecesana nullum nisi licentiatum, & soluto prius cathedratico, recedere posse voluit, aliter recedentem in solidis quadraginta condemnavit.

CAP. III.

Ordo qui in synodis observandus est.

In conciliis ac synodis habendis hunc mandavit observari ordinem, ut ante diem concilio vel synodo dictam omnibus cathedralium & collegiatarum ecclesiarum capitulis, necnon & religiosorum virorum & monialium collegiis, singulisq. prioribus, plebanis, rectoribus, & aliis quibuscumque devotis & religiosis viris injungatur, ut publica & privata Deum omnipotentem oratione pulsent, ut spiritum suum de coelis emittere dignetur, qui mentes & corda patrum in synodis adunatorum illuminet. Die autem, qua synodus inchoari debet, prius rogationes a clero habeantur circum ecclesiam. Deinde incipiatur missa Spiritus sancti, & inter missarum solemnia per prælatum vel alium cui ipse demandaverit ad clerum habeatur oratio. Finita autem missa, si per tempus licuerit, legantur alta voce constitutiones; in sequentibus postea diebus tractentur causæ, puniantur rei, fiant ordinationes, & alia quæ secundum Deum expedire videbuntur.

CAP. IV.

Contra suscitantes rixas in synodo.

Excitantes in conciliis rixas aut tumultus, eo ipso in ducatis tribus condemnatos esse voluit.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. V.

Tempora visitandi, & quando quis in visitando dicatur negligens.

De prælatis autem in visitando negligentibus ita statuit: ut tertio quoque anno saltem parochias suas visitare teneantur prælati; alias prælatus, qui triennio diœcesis suæ visitationem omiserit, negligentem reputari, & ejus statim negligentiam per eum ad quem de jure spectat absque alia monitione suppleri posse, incurrereq; omnia negligentis præjudicia, diffinivit.

CAP. VI.

Visitator effringat ostia, quando ecclesias ingredi prohibetur.

Ordinarios visitantes ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium ostia valvasque effrigere posse declaravit, quando sibi ecclesiarum aut hospitiorum aditus indebite clauderentur.

CAP. VII.

Associantes prælatum visitantem haberi pro præsentibus & interessentibus.

Item, & voluit ordinarios visitantes unum aut duos ex cathedralis ecclesiæ canonicos ducere per civitatem & diœcesim, coram quibus omnia visitationis acta & gesta scribantur, & fiant. Archiepiscopum autem, si per se visitaverit, tres aut quatuor si videbitur; si per Vicarium unum aut duos ex canonicis ecclesiæ Florentinæ; Capellanos autem quot voluerit, dummodo non excedat numerum a canonibus taxatum, ducere posse statuit. Et ne officium suum cuiquam damnosum sit, omnes canonicos, capellanos, archiepisc. episcopum aut vicarios in visitando comitantes haberi pro præsentibus & interessentibus divinis in ecclesiis suis cum plena omnium quotidian. distributionum, strenuarum, & quorumcumque extraordinariorum lucrorum perceptione, voluit.

CAP. VIII.

Onera expensarum inter visitatos partienda esse.

Item, ne subditi visitatione nimis graventur, utque partitum onus levius feratur, voluit omnes ecclesias visitatas, apud quas non hospitabitur visitator, conferre in sumptus ab ecclesia in hospitando visitatorem factos pro modo facultatum ipsius ecclesiæ conferentis, quas expensas visitantis arbitrio taxari placuit.

CAP. IX.

Prohibet a visitatis quicquam ultra expensas accipi.

Sacrorum quoque canonum vestigiis inhærendo, sub poena maledictionis æternæ præcepit omnibus visitatoribus, ne ultra legitimam procurationem, ideſt victualia quicquam a visitatis exigant, & iis quoque non sint morosi; sed ea quæ sibi apponentur cum gratiarum actione suscipiant, nec plus apud visitatos, quam necesse sit, immorentur; omnia quam celerrime possunt expediant; & si casus altiorem indaginem requirens emerserit, notarius illud adnotet, postea in civitate terminetur. Cavendum quoque monuit, ne visitator venationinibus aut aucupiis intenderet.

Posse tamen visitatorem reos punire, multas justas indicere, & ex illis notario & equorum vectionibus satisfacere voluit.

CAP. X.

Prælatus in visitando ducat notarium qui omnia conscribat.

Visitatorem ordinavit secum ducere notarium, qui ea quæ visitando geruntur, scribat, ecclesiarum qualitates necessitatesque adnotet, cui, ut præmissum est, ex infligendis multis salarium visitator exhibebit: Librum autem quo visitationis acta conscribuntur in archivio publico ad perpetuam rei memoriam permanere voluit.

RUBRICA.

De Deo glorioso ejusque sanctis verbo & opere honorandis.

CAP. I.

Acceptatur constitutio Lateranensis synodi contra blasphematores, ejusque tenor inseritur.

Quoniam in primis decet homines gloriosum Deum ejusque sanctos præcipua religione venerari; eumq. laudando quotidie magnificare & glorificare, sancta hæc Florentina synodus in Spiritu sancto congregata animadvertens, scelerata quorundam ora, in ipsum coeli & terræ creatorem, necnon unigenitum ejus filium, Dominum nostrum Jesum Christum, almamque ejus genitricem, sanctosque alios ita passim aperiri, ut plerique volentes sibi fortis atque animosi nomen in populo vendicare, non prius id se assequi posse arbitrentur, quam si nutrita barba ad omne verbum Deo Christo, ejusque matri, aut sanctis maledicere, inq. eos verba contumeliis plena effundere didicerint. Ut eorundem sceleratorum ora occluderet, divinamque a tanta majestatem injuria liberaret, acceptavit, & in tota provincia publicari, publicatamque observari mandavit constitutionem in Lateranensi concilio nuper editam

per

per sanctissimum in Christo patrem D. N. Leonem X. Pont. Max. Cujus quidem constitutionis tenor est.

„ Ad abolendam execrabilem blasphemiam, quæ in maximum divini nominis & sanctorum contemptum supra modum invaluit, statuimus & ordinamus, ut quicumque Deo palam seu publice maledixerit, contumelioſisque ac obscœnis verbis Dominum nostrum Jesum Christum, vel gloriosam virginem Mariam, ejus genitricem, expresse blasphemaverit, si munus publicum jurisdictionemve gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro prima & secunda vice dicti officii, si tertio deliquerit, illo eo ipso privatus existat.

„ Si clericus vel sacerdos fuerit, eo ipso quod de delicto hujusmodi fuerit convictus, etiam beneficiorum quæcumque habuerit fructibus applicandis, ut infra, unius anni multetur, & hoc sit pro prima vice, qua blasphemus ita deliquerit. Pro secunda vero si ita deliquerit & convictus, ut præfertur, fuerit, si unicum habuerit beneficium eo privetur. Si autem plura, quod ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod si tertio ejus sceleris arguatur & convincatur, dignitatibus ac beneficiis omnibus quæcumque habuerit eo ipso privatus existat: ad eaque ulterius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere impetrari & conferri possint.

„ Laicus vero blasphemans, si nobilis fuerit poena xxv. ducator. multetur, & pro secunda vice L. Fabricæ Basilicæ principis apostolorum de urbe applicandorum, & aliis, ut infra deducitur; pro tertia vero nobilitarem perdat. Si vero ignobilis ac plebejus fuerit, in carcerem detrudatur: quod si ultra duas vices publice blasphemans deprehensus fuerit, mitra infami per integrum diem ante fores ecclesiæ principalis mitratus stare cogatur.

„ Si vero pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur ad judicis deputati arbitrium; in foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ reus absque gravissima poenitentia severi confessoris arbitrio injuncta possit absolvi. Qui vero sanctos reliquos blasphemaverit, arbitrio judicis rationem personarum habituri, mitius aliquanto puniri volumus.

„ Statuimus etiam ut sæculares judices qui contra tales blasphemiæ convictos non animadverterint, eosque justis poenis minime affecerint, quantum in eis fuerit, quasi eidem sceleri obnoxii, eisdem quoque poenis subiiciantur. Qui vero in illis inquirendis puniendisque diligentes & severi fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, & tertiam partem multæ pecuniariæ habeant. Quicumque vero blasphemantem audierint eum verbis acriter objurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse continget: eundemque deferre vel notificare apud judicem ecclesiasticum seu sæcularem intra triduum debeant.

„ Quod si plures dictum blasphemantem simul audiverint, singuli eum accusare teneantur, nisi forte omnes convenerint ut unus pro cunctis tali fugatur officio.

„ Quos omnes, in virtute sanctæ obedientiæ hortamur & monemus in Domino, ut pro divini nominis honore ac reverentia, in suis dominiis ac terris præmissa omnia servari, & exactissime exequi mandent ac faciant, uberrimam ab ipso Deo tam boni ac pii operis mercedem habituri, similemque annorum decem indulgentiam ab apostolica sede consecuturi cum tertia parte multæ qua dictus blasphemus plectetur, quotiens tale scelus puniendum curaverint. Quam quidem indulgentiam, & reliquam tertiam multæ partem accusatori, blasphemi nomen deferenti, similiter concedi & assignari volumus. Aliis poenis contra hujusmodi blasphemos per sacros canones expressis nihilominus in suo robore manentibus.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. II.

Reservat ordinariis blasphematorum absolutiones, mandatque præcedentem constitutionem in parochiis publicari.

Utque magis præfatæ constitutionis tenor observetur, reservavit ordinariis absolutionem eorum, qui Deum aut sanctos publice blasphemaverint, mandavitque omnibus prioribus, plebanis, rectoribus, & vicerectoribus ecclesiarum ut ter in anno infra missarum solemnia, festivis diebus, quando populus est frequentior in ecclesia, legant & declarent hanc præfatam salubrem constitutionem sub unius ducati poena.

Item, ut eisdem ordinariis omnes publice blasphemantes denunciare teneantur sub eadem poena.

CAP. III.

Ne cruces aut sanctorum signa in locis immundis ponantur.

Item, quia facto æque ac verbis divinam lædimus majestatem, & quæ in imaginem fiunt, in eum quem imago refert, facta esse dicuntur. Ordinavit ne quisquam ponat cruces aut alicujus sancti signa in locis immundis vel in silicibus aut pavimentis, quæ hominum aut animalium pedibus terantur, poena ducatorum X. auri Dominis octo pauperibusque Christi æqualiter applicandorum si laici, alias in pauperum usus si clerici sint, pingere aut sculpere audeat

CAP.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. IV.

Ponitur poena eorum qui eucharistiam, Dei, aut sanctor. imagines percusserint.

Item, & omnes, qui diabolico furore accensi crucifixi aut almæ virginis imaginem percusserint, aliave injuria affecerint in ducatis centum; quarta Dominis octo, quarta accusatori, quarta judici exequenti, quarta pauperibus Christi ex parte applicandis condemnavit, si laici sint & nobiles; si ignobiles triennio mitra dehonestatos vinculis coerceri mandavit. Si clerici sint, beneficiis, si qua habent, privari, ab ordinum executione suspendi; & si beneficiis careant, ad ordinarii arbitrium multari, suspendi, & in vinculis detrudi voluit.

Quod si sanctissimum eucharistiæ sacramentum simili affecerint injuria, illos excommunicatos iisdemque & majoribus, si judici videbitur, obnoxios poenis voluit,

CAP. V.

Excommunicat, beneficiis & bonis privat, aliisq. gravioribus poenis afficit apostatantes a fide.

Eos autem qui diaboli aut alterius humanæ creaturæ, aut propriæ temeritatis impulsu (ut de nonnullis maleficis & mulieribus & viris auditum est) crucifixum aut hostiam pedibus, a Christi fide apostatando, calcaverint, conspuerint, aut aliter Christum abnegando injuria affecerint, excommunicatos omnibusque officiis & beneficiis ecclesiasticis ac sæcularibus, nec non bonis, juribus & actionibus quomodocumque competentibus eo ipso privatos, infames, intestabilesque esse pernunciavit, inhabilesque ad officia ac beneficia ecclesiastica usque ad quartam generationem; ita tamen, ut si laici sint, eorum bona sæculari fisco adjician-D tur, eosdem quoque, nisi cito resipuerint, sæculari tradendos curiæ judicavit.

CAP. VI.

Contra sortilegos, maleficos, maliardas, & divinatores, contraq. eis auxilium, consilium, aut favorem dantes meritis insurgit poenis.

Ad hæc venerabilis quidam exurgens dixit: quantum studii ac diligentiæ impenderint primi illi patres in conventibus synodisque suis in eliminando penitusque ex-E tirpando a Christi religione magos, ariolos, incantatores, augures, aruspices, sortilegos, maleficos, elementorum adoratores, observatores, cæterasque a zabulo inventas superstitiones, artesque infandas, qui Toletani, Laudicensis, Carthaginensis, Aquirensis, conciliorum, aliorumque sanctorum instituta & ordinationes patrum legerit, facile inveniet. At nunc ista nullo prohibente ita passim exercentur; ita diabolicum hoc, ad-

Christianæ religionis pernitiem inven-

A tum virus serpit, ut pro furtis reperiendis, proque sanitate habenda, prius sortilegos incantatoresq. quam judices aut medicos consulant, proque puellarum amore conciliando, aut pro sumenda de inimico vindicta, ita maleficis artibus alligantur, ut Christum sanctamque ejus fidem abnegare, expressis aut tacitis saltem foederibus dæmones adorare fas, piumque existiment. Quocirca operæ precium facturas esse arbitros P. V. si statutis ordinationibusque suis ab omnibus provinciæ populis eliminare contenderint.

Universis placuit sermo.

B Propterea detestabilem & sacrilegam hanc corruptelam de Sanctorum patrum sententia a Florentinæ provinciæ limitibus avertere desiderans iste sacer conventus, monuit omnes sortilegos, incantatores, magos, maleficos, augures, ariolos, quodcunque illicitum divinationis genus exercentes, stellarum aut elementorum quoruncumque adoratores, & ab eis auxilium, quomodolibet requirentes, ut infra XV. dies, quos peremptorie assignavit, illaudabile hoc & nefarium exercitii genus dereliquisse debeant. Alias, si quis postea in tota hac Florentina provincia convictus fuerit sortilegam aut magicam artem pro reperiendis C furtis, aut pro quavis re exercuisse, vel maleficia seu malias feciisse, aut incantationibus, quæ cum dæmonum invocatione fiunt, operam dedisse, aut lunam, stellas, elementa, dæmonesque aut aliam creaturam contra sanctorum decreta patrum adorasse, aut hujusmodi magis, sortilegis, maleficis, incantatoribus, pro consilio, auxilioque habendo participasse, si raro & non antea convictus, siquidem clericus est, beneficiis si qua habet privari; alias in ducatis L, multari, aut triennio vinculis arceri; si laicus & nobilis in ducatis L. Dominis octo pro tertia, accusatori pro tertia, pro reliquo Christi pauperibus applicandis condemnari; si ignobilis mitra dehonestatum e provincia expelli statuit & ordinavit.

Et si semel de prædictis cum expressa dæmonum invocatione convictum, iterum relabi contigerit, velut incorrigibilem & apostatam sæculari tradendum curiæ, ut debitis suppliciis afficiatur, judicavit.

Item, & ipsas maleficas, quæ maleficiis suis alicui mortem aut membri debilitationem aut jugem & non sanabilem ægritudinem attulerunt, aut pueros fascinaverunt, etiam si alias convictæ non fuerint, dummodo artem illam diabolicam per annum exercuerint, sæculari tradendas curiæ pronunciavit cum primum semel convictæ sunt.

CAP. VII.

Contra clericos qui sacramenta maleficis impartiunt.

Clericum quoque qui eucharistiam aut alia sacramenta maleficis dederit, vel eis imagines aut scripta benedixerit, baptizaveritve, beneficiis privari, & amplius in ducatis quinquaginta condemnari voluit.

RU-

ANNO CHRISTI 1517.

RUBRICA

De festorum dierum observatione.

CAP. I.

Punit ruralia exercentes festivis diebus, excepto necessitatis casu.

Non potuit sano synodus, pro divinæ majestatis, sanctorumque ejus honore sollicita, non damnare execrabilem corruptelam nonnullorum, qui festivis diebus passim mechanicas exercent artes, & negociantur, non sine magno catholicæ religionis opprobrio. Quocirca rusticos omnes & quoscumq. alios qui festivis diebus araverint, seminaverint, ligonizaverint, agrosve aliter foderint, boves junxerint vehendi gratia, granum, vinum, oleum, ligna, merceſque alias asportaverint, in ducatis duobus; quarta accusatori, quarta judici exequenti, quarta Dominis octo (si laici sint) reliqua Christi pauperibus applicandis. Declaravit tamen bello aut aliis imminentibus periculis ex parochiani sui consilio (si adsit) eosdem posse frumenta cæterosque fructus colligere, ad tuta loca vehere hæc & alia etiam supellectilia, cum necessitas legi minime subdatur.

CAP. II.

Puniuntur quoque artifices, & alii vendentes festivis diebus aliud quam esculenta & poculenta.

Simili quoque pœna artifices feriri voluit, qui Deo ac sanctorum festa inhonoraverint. Item, & eos qui ex inolita corruptela cartas, gladios, vasa, & plerumque res furri vitio subjectas eisdem festivis diebus vendere non erubescunt. Vendentes tamen esculenta ob pauperum utilitatem istis pœnis subiicere noluit, dummodo prius missam audiant, ut ex præcepto tenentur.

CAP. III.

Compescitur insolentia ciurmatorum ne canant aut vendant dum divina celebrantur.

Circulatorum quoque, præstigiatorum, pharmacopolarum, & aliorum quos communi nomine ciurmatores vocamus, pernitiosa garrulitas eo usque processit, ut dum divina in ecclesiis celebrantur, ipsi publice in plateis cantent, ita ut populus, nugarum avidissimus, ipsis canentibus a divinorum auditione retrahatur. Quare vetuit sancta synodus hujusmodi homines, dum divina in ecclesiis celebrantur, cantare, vendere, aut quidquam aliud, quo populum detineant, facere, pœna unius ducati, Christi pauperibus & accusatori pro parte applicandi.

CAP. IV.

Prohibet saltationes, sonos, & lusus, dum divina celebrantur.

In comitatu quidam festivo tempore ad ecclesias accedentes, dum divina celebrantur, saltant, ludunt, sonant, ita ut & divina strepitu conturbent, aliosque ab ipsorum auditione avertant. Quæ ne deinceps fieri contingant, vetuit omnes, dum missarum solemnia celebrantur, saltare, sonare, aut canere, nisi id fieret in ecclesia pro Sacramento honorando; & contrafacientes in libris tribus, ex parte accusatori, parte judici exequenti applicandis, condemnavit. Post Missarum autem solemnia non vetuit ipsos pro more saltare, sonare, aut canere, modo id non fiat in ecclesia aut locis sacris, vel quando vesperæ celebrantur prope ecclesiam trecentis passibus, aliter enim vesperarum officia perturbarent.

CAP. V.

Prohibet eos qui ludicris & obscoenis rebus, divinæ scripturæ testimoniis abutuntur.

Non minorem Deo ejusque orthodoxæ religioni contumeliam affert perdita nonnullorum audacia, qui ex sacramentis rebusque fidei, jocorum ac risus argumenta quærunt. Nonnulli enim turpes de amore sermones in commessationibus tripudiisque habent, invocando divinæ legis testimonia adducendo, alia que signa faciendo, more eorum, qui in ecclesiis verbum Dei populo enunciant. Quidam vero de lupo capra missam se dicere pollicentur; alius plenis buccis credo Margutti publice intonat; alius pœnitentiæ sacramentum deridens publice confitetur, delictaque pro auditorum risu excitando maxima commemorat cum sanctorum nominum abusione. Quo circa sancta synodus, de Christianæ religionis honore sollicita, omnes homines, qui in futurum talia dixerint, aut aliter quomodocumque jocosis ridiculisque rebus, sacrorum aut divinæ legis nomina miscuerint, seu talia dictaverint, scripserint, impresserint, aut dictata, aut impressa vendiderint, quotiens id fecerint, in ducatis quinque condemnavit; quorum quartam accusatori, quartam judici exequenti, reliquum pauperibus Christi applicari voluit. Et si clericus id feciſſe convincetur, gravior illum (ut judici videbitur) pœna expectet.

CAP. VI.

Per se patet.

Item, mandavit omnibus celebrantibus in comitatu, ut crebro moneant parochianos suos sub excommunicationis pœna ne arma deferant in ecclesia, aut ea deponant juxta valvas ecclesiæ; experimento namque compertum est, ob armorum vicinorum commoditatem homicidia & cædes in ecclesia fuisse perpetrata.

CAP.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. VII.

Ne celebretur in locis fraternitatum: dum in principali ecclesia celebratur

Abusus quoque inolevit maximus apud istas laicorum fraternitates, ut illis festivis diebus convenientes, relictis principalioribus ecclesiis, ea hora, qua in illis missæ cantantur, ipsi & suas aperiant sinagogas, cantentq. sua populo officia, itaut ecclesiæ populi multitudo subtrahatur. Cui volens morbo occurrere sancta synodus, præcepit omnibus hujusmodi fraternitatum gubernatoribus, sindicis & capellanis, ne, dum principalis missa in ecclesia, in cujus parochia vel ambitu est dictarum fraternitatum oratorium, legitur, aut cantatur, ipsi audeant missam aut aliquod aliud officium cantare, aut cantari vel aliter celebrari facere. Contrafacientes autem duobus ducatis multari voluit; & si non destiterint, excommunicari.

RUBRICA

De celebratione missarum anniversariorum, deque sacramentis honorandis.

CAP. I.

Et non celebretur in locis ubi dormitur vel aliter immundis, etiam quando altare portatile est ex privilegio concessum.

Quam munda quamque honesta debeant esse loca ubi divina celebrantur, & præcipue ubi glorioſissimum illud eucharistiæ sacramentum conficitur, divina & canonica edocent instituta. Scriptum est enim: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco*; nunc autem in Florentina provincia invaluit corruptela, ut in domibus prophanis, in cameris ubi dormitur, matrimonialia exercentur, luditur, aliaq. corporis necessaria peraguntur, passim celebretur.

Proinde sancta synodus, volens a tanta sacramentum irreverentia vendicare, præcepit omnibus sacerdotibus ne ulterius celebrent missas in locis non Deo sacratis, nisi ex speciali sedis apostolicæ vel ordinariorum indulto sit aliquibus concessum altare portatile, & tunc, quoniam hujusmodi concessiones hac adjecta conditione dantur, ut celebretur in locis congruis & honestis, declaravit loca congrua esse oratoria privata vel loca in domibus munda, ubi non dormiatur, nec aliud exerceatur, propter quod locus sit minus decens, ubi tantum sacramentum conficiatur. Celebrantes autem contra præfatæ constitutionis tenorem uno ducato condemnavit, partem accusatori, partem Christi pauperibus applicando.

CAP. II.

Ut missa devote celebretur, & prius revideatur.

Item, ad tollendum abusum nonnullorum clericorum, qui tanta indevotione missas celebrant, ut accedentes ad altare joculatoris potius speciem præferre videantur, missamque ita ex abrupto & inpræmeditati auspicentur, ut tum irreverentia, tum erroribus, quos improvise legendo committunt, populo divina mysteria contemptibilia reddant, sintque magno devotis mentibus scandalo; præcepit omnibus sacerdotibus in virtute sanctæ obedientiæ, ut celebraturi, missam private legant, suisque adnotent signis, priusquam ad altare accedant. Deinde ad altare accedentes non prius confessionem incipiant, quam ante illud genua devote flexerint; postea vero ea qua decet reverentia a principio usque ad finem sacra mysteria peragant. Ad quæ omnia ut facilius invitentur, omnibus missam, ut præmittitur, antequam ad altare accedant legentibus, & cum præmissa reverentia celebrantibus XL. dierum remissionem de injunctis poenitentiis concessit; contrafacientesque ordinariorum arbitrio puniri voluit.

CAP. III.

De se patet.

Item, clericum qui bis in die celebraverit, exceptis casibus a jure permissis, in ducatis quinque ordinariorum fisco applicandis condemnavit.

CAP. IV.

Contra celebrantes missas votivas, aut mortuorum festivis diebus.

Clericos, qui avaritiæ & cupiditatis vitio laborantes Dominicis, & aliis festivis diebus populos currenti missa fraudantes mortuorum anniversaria celebrant, ducatis duobus quoties id fecerint condemnavit.

CAP. V.

Quibus temporibus non liceat ad alienas ecclesias accedere pro anniversariis mortuorum celebrandis.

Ad anniversaria quoque seu mortuorum officia in alienis ecclesiis celebranda vetuit synodus rurales ecclesiarum rectores accedere a Dominica de passione usque ad octavam resurrectionis. Voluit enim sacris hisce diebus rectores ovium suarum curæ intendere; propterea moneant parochianos suos, ut annivelfaria sua celebrari faciant in sacrati jejus principio. Contrarium facientes uno ducato multari voluit, nisi in ecclesia sua relinquerent, qui injunctum sibi onus complerent.

CAP.

CAP. VI.

Non licere diebus festivis proprias ecclesias deserere nisi certis casibus.

Inolitam consuetudinem ut sacerdotes proprias parochias deserentes festivis diebus ad alias sese ecclesias, ut earum festa honorent, celebrandi causa conferant, utpote animabus pernitiosam tollere intencens hæc sancta synodus, præcepit omnibus ecclesiarum rectoribus & vice rectoribus, ne Dominicis aut aliis festivis diebus ecclesias sibi commissas sine missa relinquant hoc vel alio prætextu, nisi accesserint ad plebem vel aliquam ecclesiam de plebatu non distantem ultra unum miliare & non habentem flumen in medio; ita ut verisimiliter populus suus possit ad ecclesiam honoratam vel aliam vicinam accedere, inibique audire missam; contrarium facientes in libris quinque condemnavit, quarum partem accusatori, partem judici exequenti adiici voluit.

CAP. VII.

Multantur qui eucharistiam aut alia sacramenta indecenter tenuertut.

Ut juxta sacrorum canonum dispositionem sanctissimum Eucharistiæ sacramentum debita, vel ea saltem qua possunt reverentia custodiant, sacerdotes qui Eucharistiam in loco aut vase indecenti & immundo tenuerint, aut sine lumine & sine clausura in ecclesia, & extra ecclesiam sine lumine & tintinnabulo, quando acciderit illud deferri ad ægrotos, in libris X. accusatori & judici exequenti æqualiter applicandis condemnavit.

Eadem quoque pœna feriri voluit tenentes aquam baptismatis in loco indecenti & sine clausura. Item & tenentes oleum sanctum, Crisma & sanctorum reliquias in locis apertis & non decentibus. Constat enim multoties a maleficis dirisque hominibus illa fuisse ob sacerdotum negligentiam subtracta.

CAP. VIII.

Contra illos, qui celebrant in vasis ligneis fractis, aut sordidis; item & super lapidibus fractis aut corporalibus immundis.

Multi sacerdotes, præcipue rurales, celebrando aliquoties utuntur calicibus fractis, aut rubigine ita consumptis & sordidis, ut præter nauseam, quam celebranti movere possunt, aliquas sacramenti reliquias semper retineant. Quare sancta synodus periculosam istorum cupiens emendare negligentiam, sacerdotes calicibus ruptis, rubigine notatis, sordidis, ligneisve celebrantes, quoties id fecerint in lib. X. condemnavit. Et si calicis fractura sit notabilis, ita ut de facili sacramentum spargi possit in ducatis quinque.

Simili quoque ducti negligentia mum celebrant super altaribus, quorum lapides amoto, aut fracto consecrationis sigillo execrati sunt. Ideo super iis execratis lapidibus celebrantes in ducatis tribus condemnavit, eos quoque qui corporalibus aut purificatoriis immundis aut sine debito tobalearum numero celebraverint in libris quiaque.

CAP. IX.

Celebrans ex indulto in aliena parrochia a quibus abstinere debeat.

Item vetuit omnes celebrantes in oratoriis privatis aut publicis infra limites parochiæ alterius pulsare campanas pro populo adunando, enunciare festa, colligere oblationes, vendere candelas, sacramenta conferre, aut quicquam aliud facere in parochialis ecclesiæ præjudicium, nisi speciasi aliquo jure muniantur, secusque facientes in lib. quinque condemnavit, & ad restitutionem emolumenti inde percepti rectori parochiæ faciendam.

CAP. X.

Omnes oblationes irregulariter pertinere ad principalem ecclesiæ rectorem.

Item ad tollendam scandali & rixæ materiam, statuit & ordinavit præfata synodus omnes oblationes consistentes in cera laborata vel non laborata, frumento, bladiis, pane, vino, oleo, & caseo, pannis lineis, laneis, vel aliis quibuscumque rebus, quæ quoquomodo fierent in qualibet parte ecclesiæ & cimiterii, aut eius pertinentiarum spectare & pertinere ad ecclesiam & Rectorem ejus, nisi privilegio aut alio speciali jure alteri competere dignoscatur.

RUBRICA.

De ecclesiis reparandis deque eorum operariis & fraternitatibus apud eas consistentibus.

CAP. I.

Decernitur tertiam partem reddituum ecclesiarum esse hypothecatam pro reparatione, & aliis ecclesiarum necessitatibus, & excipit nonnullos casus.

Quoniam divini cultus honor maxime conservatur in templis, oratoriis, aliisque sacrificio & orationibus deputatis locis, statuit & ordinavit sancta synodus tertiam partem reddituum ecclesiarum esse hypothecatam pro reparatione atque instauratione earum. Item quod pro ornamentis, calicibus, libris, atque aliis ad divinum cultum spectantibus, quando aliquo eorum indigent, possequе hujusmodi fructus per ordinarios auctoritate propria capi & con-

ANNO CHRISTI 1517.

verti in reparationem aut ornatus, & alias præfatas neceſſitates, quando rector beneficii monitus per annum fuit negligens in dicta reparatione facienda aut in præfatis neceſſitatibus occurrendo. Quod ita ſane intelligi voluit, quando duæ partes reddituum, quæ ſuperſunt, ſunt ſufficientes ad ſubſtentandum rectorem vel alium qui loco ejus eccleſiæ deſerviat. Vivere enim in primis debent qui altari ſerviunt de eccleſiæ redditibus; & ſi nihil ultra ſupereſt, parochiani vel patroni eccleſiæ onus hoc ſubire cogantur per ordinarium. Eo quoque caſu, quo quis per plures annos eccleſiæ ruinoſæ redditus percepiſſet, ſi eccleſia ultra victum deſervientis abundat, nec poteſt tertia reddituum parte reparari, ordinarius poſſit dimidiam fructuum in eccleſiæ reparationem convertere.

De eccleſiis tantum, quæ in pleriſque provinciæ locis operarios habent, qui in eccleſia fabricæ curam gerunt, intelligi noluit præſentem conſtitutionem, ſi operæ redditus ad hoc ſufficiunt.

CAP. II.

Ut operarii eccleſiarum idonee caveant in manibus ordinariorum, utque juxta modum hic traditum rationes reddant.

Et ut iſti operarii laici ſint diligentiores & ſollicitiores ad exponendos redditus ad hujusmodi reparationem deſtinatos, ſtatuit,

Quod operarii eccleſiarum vel aliorum piorum locorum totius provinciæ Florentinæ, infra. X. dies a die quo electi erunt, vel alio modo creati in operarios debeant in manibus ordinarii ſui idoneam præſtare cautionem de ratione reddenda in fine cujuſlibet anni, qua infra dictum tempus cautione non præſtita ipſo jure ſint, & eſſe intelligantur eo offitio privati, aliiq. ſimiliter qui cautionem præſtent eligantur. Quorum operariorum rationis redditio in fine cujuſlibet anni fieri debeat in præſentia rectoris eccleſiæ vel ejus viceregentis infra menſem a die finiti officii, & ſi aliquid reſidui in eorum manibus vel in poſſe debitorum quod exactum non eſſet, remaneret, poſſint, & debeant per locorum ordinarios, etiam ad inſtantiam rectoris eccleſiæ vel vicegerentis, prefatorum vel operariorum novorum infra unum alium menſem a die finiti menſis præfati ad exponendum & expendendum præfatam quantitatem in reparationem eccleſiæ vel in ornamenta, & alias ejus neceſſitates, prout videbitur & placebit præfatis dominis operariis; alias dicto termino duorum menſium elapſo voluit dicta ſynodus per rectores & vicegerentes præfatos poſſe cogi dictos operarios & debitores ad reddendum rationem adminiſtrationis temporis ſui, & ad dandum & tradendum eiſdem rectoribus & vicerectoribus omnia reſidua penes eosdem operarios & debitores remanentia. Qui ſimiliter rectores & vicerectores teneantur expendere præfata reſidua infra tres menſes in neceſſitatibus dictæ eccleſiæ, requiſito tamen operariorum præfatorum conſilio, & expendendo in illis neceſſitatibus, in quibus operarii expendere tenebantur. Quam quidem conſtitutionem ſancta ſynodus declaravit habere locum in omnibus operis ruralibus, ubi tales exceſſus maxime frequentantur.

CAP. III.

Extendit præcedentem conſtitutionem ad adminiſtrantes bona ſocietatum.

Idem quoque ſtatuit obſervari quoad cautionem præſtandam ab omnibus capitaneis, gubernatoribus, camerariis, & aliis quibuscunque adminiſtrantibus bona ſocietatum ſive fraternitatum habentium bona propria vel redditus ſpeciales, & ſubjectarum ordinariorum juirsditioni, ut & ipſi intra dictum tempus idoneam cautionem de recte adminiſtrando præſtare debeant in manibus ordinariorum ſub poenis ante dictis, & ea quæ exponere tenerentur in reparationem vel neceſſitatem eccleſiæ ſimiliter conſignaſſe debeant rectoribus eccleſiarum, quando eſſent negligentes in ea expendendo, ut de operariis dictum eſt.

RUBRICA

De poenitentiis, & remiſſionibus, & quæſtoribus.

CAP. I.

Non eſſe admittendos aliquos ad confeſſiones audiendas ſine ordinariorum licentia.

Dixit venerabilis. N. P. R. Poenitentiæ ſacramentum (ut probe noſtis omnes) eſt ſecunda naufragii tabula in populo Chriſtiano, illudque quo reges & principes, nedum populi ſacerdotum judicio colla ſubmittere non dedignantur, divini profecto juris inventum. Sed quid dicam? tales hodie poenitentiæ judices aliquando eliguntur, viri indocti, cupidi, prius confitentium crumenas quam conſcientias examinantes, ſine charitate, ſine zelo, ut niſi per P. V. celeri remedio ſuccurratur, tam ſalubre, tamque neceſſarium ſacramentum a pleriſque contemptum iri videbimus. Video immo pleroſque ſine poenitentia & ſine communione menſium & annorum ſpatia degere. Quosdam autem ut confiteantur, extremum ſacri, jejunii expectare, tumque eodem contextu & errata confiteri & communionem accipere, nulla præmiſſa aut operis aut lachrimarum (ut ſancti canones expetunt) ſatisfactione. Quosdam vero a non ſuis ſacerdotibus ligari aut abſolvi procurare. Quare P. R. ſtatutis ordinationibuſque veſtris tantæ canonum tranſgreſſioni occurrite.

Reſponderunt univerſi placere ut iſti abuſus tollerentur, & ideo ſancta ſynodus ſtatuit ut nullus de cætero admittatur ad confeſſiones audiendas in tota provincia Florentina, niſi de licentia ordinarii ſui. Quibus ordinariis ſub æternæ maledictionis interminatione præcepit, ut ſint diligentes in co-

cognoscenda ejus, qui confessionibus audiendis deputatur, sufficientia; aliter autem sine A præfatorum ordinariorum licentia assumentes, atque assumptos excommunicationis sententiam incurrere declaravit.

CAP. II.

Ut confessores, qui poenitentiales canones ignoraverint, reprobentur.

Item, animadvertens sancta synodus quod licet hodie omnes poenitentiæ sint arbitrariæ, ita ut in dandis illis non oporteat sacerdotem sequi illorum antiquorum canonum rigorem; tamen sacerdos est judex & arbiter, unde debet illis canonibus, si non in quantitate, saltem in qualitate poenæ adhærere quantum potest. Quo circa præcepit omnibus audiendarum confessionum curam habentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ut ediscant canones poenitentiales, de quibus habetur mentio apud Doctores in summis suis, ut sciant illos postea sapienter & discrete moderari secundum circunstantias peccati, & contritionis quantitatem; alias eorundem canonum notitiam non habentes, ut insufficientes reprobare voluit. Mandavit igitur omnibus confessionum auditoribus, ut aliquam summam apud se habeant vulgarem vel Latinam, cui studeant sub poena ordinarii arbitrio moderanda.

CAP. II.

Ex se patet.

Confessores quoq. qui confessa sibi peccata signo aut verbo prodiderint, qui cum ea cujus confessionem audiunt quicquam inhoneste turpiterve egerint, aut eam ad lascivia & inhonesta perpetranda suaserint, beneficiis officiisque eo ipso suspensos, privatos perpetuisque addictos vinculis declaravit.

CAP. IV.

Laicos & clericos a propriis parochianis absolvendos esse.

Damnavit quoque synodus corruptelam nonnullorum clericorum & religiosorum, qui sibi confessores pro arbitrio eligunt. Declaravit enim eos parochiano suo subesse, & ab eo ligari ac absolvi debere, sicut & cæteri parochiani.

Eos autem presbyteros qui ausu temerario parochianos alienos sine licentia parochiani proprii absolvere præsumpserint in libris decem condemnavit.

CAP. V.

Monitio habenda per rectores ecclesiarum.

Monuit sacerdotes ut sint diligentes in exhortando populos ad poenitentiam & eucharistiæ sacramentum, reducendo ad memoriam dispositionem c. *omnis utriusque sexus*. Item, in admonendo parochianos, ut confiteantur ante hebdomadam sanctam, protestando & comminando fore ut post Dominicam in palmis non audiantur. ANNO CHRISTI 1517.

CAP. VI.

Contra eos qui semel in paschate pœnitentiam communionemque non acceperint.

Item, statuit ut cùm qui semel in anno in paschate poenitentiam, communionemque non acceperit, ter moneat sacerdos post pascha, & si non resipuerit privet eum ingressu ecclesiæ; si tamen B sacerdoti videbitur subesse justa non communicandi causa poterit tempus illud aliquantulum prorogare juxta discretionis suæ motivum. Eum tamen qui biennio a confessione & communione monitus abstinuerit infamem ecclesiæque ingressu privatum esse declaravit. Et si triennio id fecerit contra eum acriori poena procedetur, ut ordinariorum discretioni consentaneum esse videbitur.

CAP. VII.

Quotiens oporteat clericos, pœnitentiam communionemque accipere, pœnaque in præmissis negligentium.

C Clericos celebrantes monuit ut singula saltem hebdomada confiteantur; non celebrantes quater ad minus in anno temporibus a canone designatis & Eucharistiam sumant. Clericum celebrantem qui per sex menses confiteri distulerit, non celebrantem qui per annum, beneficiorum redditibus per annum; & si biennio a tam salubri sacramento abstinuerit, beneficiis ipsis privari voluit.

CAP. VIII.

D *Contra quæstores abutentes literis apostolicis, & eas aliter quam sonent vulgarizantes aut vulgarizatas imprimentes.*

Nonnulli a sede apostolica literas impetrant indulgentiarum, ut illis exquirant pecunias vel pro redimendis captivis, vel pro alio quocunque. Deinde gratiæ suæ tenorem materno sermone imprimi facientes plus in impresso habent, quam sit in bullæ suæ originali, ut populos decipiant. Quandoque etiam aliter sibi datæ potestatis terminos, cum in absolvendo, tum in dispensando egrediuntur.

E Quæ ne ulterius fiant, sancta synodus mandavit omnibus ecclesiarum rectoribus, ut hujusmodi impressas copias nullatenus acceptare aut publicare debeant sub pœna x. ducat. nisi ab ordinario subscriptæ & signatæ fuerint, etiamsi alias ab ipso ordinario generalem querendi licentiam habuissent. Ipsos autem quæstores talia impressa, in quibus plus sit quam in originali ostendentes, aut circumferentes,

ANNO CHRISTI 1517.

ut alios apoſtolicarum literarum falſarios puniri voluit.

Impreſſores autem qui talium literarum vulgarizationes, copias, & exemplaria ſine ordinariorum ſubſcriptione impreſſerint, poenis, quibus alii impreſſores non ſubſcripta ab ordinariis imprimentes plectuntur, ſubjacere voluit, & alias falſi crimen incurrere, ſi, ut præmiſſum eſt, aliud quam originale habeat continuerint.

RUBRICA.

De ſponſalib. & matrimoniis.

CAP. I.

Che forma ſi abbia a ſervare nel contraere li ſponſali de futuro o de præſenti.

Ad hæc exurgens quidam dixit: viri fratres, poſtquam de ſacramentis honorandis multa & quidem ſancte terminaſtis, hortor P. V. ut de matrimoniis aliqua ordinent & declarent, materno (ſi libet) ſermone, ut omnibus patere poſſint. Placuit univerſis hic ſermo, & quæ ſequuntur ordinationes fecit, communi omnium voto comprobatas, maternoque, ut omnes intelligant, ſermone dictatas.

Conſiderando queſto ſantc. ſinodo di quanta importanza ſia el vinculo matrimoniale, & quanto cautamente biſogni li Judici verſare nelli judicii di quello; attenta la difficultà, che qualche volta reſulta alli prefati in cognoſcere ſe il vinculo è de præſenti, o de futuro per eſſere ſtata celebrata la coſa tra huomini ignoranti, & ehe non intendono la forza delle parole da lor prolate, & che molte volte credendo obbligarſi de futuro, dicono parole de præſenti, del che poi ne reſuitano effetti cattivi & maligni, come inſegna la eſperienza, di tutte le coſe maeſtra, ha fatta la preſente coſtitutione.

Che per lo advenire in tutte le dioceſi della provincia Florentina neſſuno ardiſca contrahere ſponſalitii ne de futuro, ne de preſenti, ſe prima non chiama el prete ſuo, ò vero un notajo, el quale faccia le parole tra loro in queſta forma. Antonio, prometti tu alla M. qui preſente, che ogni volta che da lei o da ſuoi ſarai richieſto, tu la piglierai per tua moglie; & eſſo riſponda! meſſer sì. Et dipoi il detto prete o notajo, chiami dua teſtimonj come cóſtoro hanno contracto ſponſalia de futuro, li quali ſi poſſono diſſolvere di conſetimento delle parti con la auctorita dell'ordinario. Et acciò che queſte coſe ſi habbino ad oſſervare, condanna in dieci ducati li ſpoſi, la madre, & padre, & tutte quelle perſone che ſi intrametteranno in detti ſponſalitii ſenza queſta ſolennità.

CAP. II.

Che li ſpoſi non poſſano andare alle ſpoſe oltre due volte ſenza darli lo anello.

Item, perche molti ſpoſi, da poi che per molti tempi ſono praticati inſieme dopo e detti ſponſalitii di futuro, cercono di ſolverſi & liberarſi, eſſendo molte volte tra loro per la diuturna pratica inſieme intervenute coſe occulte, che hanno fatto li ſponſalitii de futuro diventare matrimonio, & comanda alli ſpoſi non debbino andare alle ſpoſe, ne le ſpoſe alli ſpoſi oltre a dua volte, & ſenza dormirli in caſa, ſe prima non gli danno l'anello ſpoſandole per verba de præſenti, ſotto pena di ducati dieci ogni volta che contrafaranno.

CAP. III.

Della pubblicatione ſe ha a fare nella parrocchia dopo li ſponſali di futuro inanzi ſi dia l'anello, & del modo di provare li impedimenti ſi opponeranno.

Item, perche ſpeſſo accade che per ignorantia alcuni ſi congiungono, tra li quali è qualche perpetuo impedimento, el quale fa che tal congiuntione ſia adulterio o inceſto, ordinò che dopo li ſponſalitii de futuro ſi vada al prete della parocchia, & ſi gli dica che lui pubblichi all'altare dua di dominici, come N. figliuolo del tale, & la M. figliuola della tale hanno contracto ſponſalitii per verba de futuro, & intendano paſſare al matrimonio per verba de præſenti; onde pregano che ſe alcuno ſapeſſe impedimento di conſanguinita o di affinita, o di publica honeſta, o di cognatione ſpirituale o legale lo voglino manifeſtare fra otto giorni. Et ſe qualchuno moſtraſſi eſſerli impedimento, el prete gli admoniſca che fra octo giorni compariſchino dinanzi a lordinario ſuo a dimandare la diſſolutione de detti ſponſali; & il che non volendo loro fare, el detto prete ſia tenuto a dinuntiarli incontinenti al prefato ordinario paſſato detto termine ſotto pena di ducati x. doro, a tutti quelli che contrafaranno alla prefata conſtitutione. Comandando anchora a tutti e notarii non debbino rogare alcuna datione di anello o ſponſali de præſenti ſe prima non ſarà fatta la publicatione predetta ſotto pena di ducati x.

CAP. IV.

La pena delli contrahenti in grado prohibito.

Coloro che ſcientemente contraheranno ſponſalitii de futuro in grado prohibito, o oſtante alcuno de predetti impedimenti, s'intendano ipſo fatto condennati. xxv. da applicarſi per la metà alli Signori octo dei-

della balia della città di Firenze, per la-
tra metà alli poveri di Jesu Christo. Et se
contraheranno per verba de præsenti non
li seguendo copula carnale, sintendano con-
dennati in ducati L. da applicarsi come di
sopra, & se consumeranno el matrimonio
sintendino condennati nella prefata somma,
& in oltre privati della dote, se quella
che contrahe è maggiore di xxv. anni; &
similiter el marito sintenda privato dogni
cosa havessi donato alla donna da appli-
carsi come di sopra. Restando però facultà
al judice di punire tali incestuosi con altre
pene al judicio suo concesse.

La medesima pena anchora incorrano,
quando non sapessino detto impedimento,
se contrahendo non hanno servata la det-
ta constitutione. Salve le altre pene da
canoni inflicte a quelli che contrahono e
matrimonii clandestini.

CAP. V.

Declaratione di tutti li impedimenti de matrimonii per istrutione delli simplici preti.

Et perche la maggior parte, almancho
de contadini, non sanno quello importino
forse questi termini de impedimenti, el pre-
te della parrochia ogni volta publicherà
detti sponsalitii sia obligato dichiarargli
ad uno per uno. El che ad cio piu facil-
mente si possa fare, el sacro sinodo giudi-
cò essere espediente si inserissino in la pre-
sente constitutione in lingua similmente vol-
gare, ad instruttione de semplici sacerdoti.
Delle quali il tenore e questo.

Impedimento di consanguinità perviene
da una attinentia di persone per essere lo-
ro generate d' un medesimo sangue, o sia
per via di maschio, o per via di femmi-
na. Et quegli sono legati insieme di questo
vinculo non si possino coniungere in matri-
monio fino al quarto grado inclusivamente.

La computatione de quali gradi si fa in
questa forma. Pigliando el stipite, cioè quel-
lo huomo, o quella donna donde hanno
havuto la origine della coniunctione sua;
successivamente numerando quelli da chi e
disceso el sposo, & poi quegli da chi e
descenduta la sposa, & in quanti gradi sa-
rà el più remoto dal stipite, in tanti gradi
de consanguinità saranno tra loro. Verbi
gratia.

Francesco generò Antonio & Maria. Di
Antonio nacque Julio, di julio nacque Gre-
gorio; di Gregorio nacque Helisabet. Et
poi piglia el lato di Maria dicendo. Di
Maria nacque Agnete; di Agnete nacque
Blaxio; di Blaxio nacque Theodoro. El qua-
le Theodoro vorrebbe pigliar per donna
Helisabet, e si dubita in che grado siano:
piglia el stipite, cioè Francesco, & numera
le persone descendendo per la linea di An-
tonio per fino ad Helisabeth.; tu troverai
senza el stipite el quale non si debbe mai
computare esserci quattro gradi, cioè An-
tonio, Julio, Gregorio, Helisabeth. Piglia
poi la linea di Maria, & similmente non
computando el stipite, tu troverai quattro
gradi cioè, Maria, Agnete, Blaxio, Theo-
doro. Theodoro adunche non puo piglia-
re Helisa beth perche sono in quarto gra-
do; ma potrebbe ben pigliare una figliuo-
la di Helisabeth, perche quella fa el quin-
to grado con el stipite. Onde è da notare
che sempre si attende el grado del più re-
moto dal stipite; per tanto con la figliuo-
la di Helisabeth potrebbe contrahere Theo-
doro, Blaxio, & tutti li suoi ascendenti
fino al stipite exclusivamente.

Et nota che si dice exclusivamente quan-
to al stipite, perche questa regola predi-
cta procede quanto alli collaterali, che dop-
po el quatto grado si possono congiungere;
ma quanto alli ascendenti & descendenti la
prohibitione si crede esser perpetua in in-
finitum, talmente che, come dicono e dot-
tori, se hora vivessi Adam non potrebbe
pigliar donna.

Impedimento di affinita nasce quando el
maschio & la femina si congiungono insie-
me carnalmente, o sia per via di matrimo-
nio, o per altro modo non lecito, & que-
sto impedimento non nasce tra le persone,
che si conjungono, ma solo tra li consan-
guinei delle persone copulate & essi copu-
lati, in modo che se Berta & Antonio ha-
vessino a fare insieme carnalmente niuno
consanguineo di Antonio per infino al quar-
to grado potrebbe pigliare Berta per mo-
glie. Et similiter niuna consanguinea di
Berta fino al quarto grado potrebbe pigla-
re Antonio per marito. Tamen perche que-
sto impedimento, come è detto, nasce solo
tra le persone copulate, & li consangui-
nei delle parte, el fratello di Berta potra
pigliar per moglie la sorella di Antonio, &
el fratello potra pigliare la sorella della
moglie del fratello.

Lo impedimento di publica honesta e uno
impedimento canonico el quale nasce quan-
do uno hà dato la fede per verba di futuro,
o de presenti ad una donna di pigliarla per
moglie, & di poi non segue la consumatio-
ne del matrimonio, o perche el sposo muo-
re, o perche si refutano, o per ingresso di
religione, o perche qualche canonico impe-
dimento li obstava; & questo impedimento
fa che niuno consanguineo di Antonio fino
al quarto grado non puo piglar per donna
quella che fussi stata sposa di esso Antonio.
Anchora che quelli sponsali fussino di niu-
no valore & declarati nulli per la auctori-
ta judiciale. Et cosi econverso Antonio
non potra pigliare per donna alcuna consan-
guinea della sua sposa fino al quarto grado.

Lo impedimento di cognatione spirituale
è quello proviene per rispetto del Batte-
simo, & della Chresma, quando si fanno
compari & comare.

Et nasce questo impedimento tra quello
e battezato & el levante, & la donna sua
prima carnalmente cognita.

Item, tra detto battezato e figliuoli di
detto levante, o sieno legittimi & natura-
li, o naturali solamente; & similiter tra pa-
dre & madre del battezato & el levante,
in modo che el battezato non potrà pigla-
re per donna niuna figliuola del levante,

ne

ANNO CHRISTI 1517.

ANNO CHRISTI 1517.

ne anche la donna sua quando morissi. Ne el levante potra pigliare per donna la battezata ne la madre sua.

Item, el padre del baptizato non potra pigliare la donna del levante.

Et questi medesimi impedimenti nascono con la persona di colui che batteza, o cresima respettivamente.

Per questo si dichiara, che tra li figluli del levante, & li fratelli o sorelle del battezato non nasce alcuno impedimento.

Cognatione legale, è quando alcuno piglia altri per figluoli adottivi. Imperoche el padre non puo contrahere con la figluola adottiva, ne la madre con lo figluolo adottivo, ne anche el figluolo legitimo & naturale con la sorella adottiva durante la adottione.

CAP. VI.

Che nelle chiese battismale si tenga uno libro ove si scrivino li compari.

Et perche per la moltitudine de compari si fanno oggidi, accade spesse volte non si ha notitia di questi impedimenti, per esser morti li compari & le comare, ha ordinato el prefato synodo, che in tutte le Chiese dove si batteza si habbia a tenere un libro nel quale si scriva li nomi di tutti li battezati, & similiter el nome delli compari & delle comare, & el di che si battezano, condennando in ducati cinque doro tutti li Rettori, e Capellani, che non haranno detti libri dove si batteza.

CAP. VII.

Li matrimonii violenti esser nulli, & la pena de gli operatori di tali matrimonii.

Anchora ha dichiarato el prefato Sinodo tutti li matrimonii fatti per forza, o per timore che potessi cadere in huomo o donna constante, esser nulli ipso jure, & non havere in alcuno modo a impedire l' altro matrimonio fatto con libera volonta. Se gia dopo el timore non fussino intervenuti segni di ratificatione o approbatione.

Et acciò ch' il matrimonio proceda con quella liberta debbe, ha condennato tutti quelli indurranno alcuno ad contrahere matrimonio per forza ò per timore, o siano padre o madre, o parenti, o estranei in ducati cinquanta, da applicarsi se sarano laici per una quarta alli Signori otto, per laltra quarta allo accusatore, per laltra al Judice esequente, per el resto alli poveri di Jesu Christo.

Non di manco se si trovassi alcuno haver vitiata, o altrimenti svergogniata alcuna fanciulla, & dipoi essere stato sforzato, o da parenti, o da governatori di detta fanciulla pigliarla per donna, dichiarò el matrimonio doversi pronunciare nullo, quando fussi stata violentia espressa, o timore della morte, o debilitatione de membri, o perditione di tutti o della maggior parte delli beni; ma non di manco volse che li parenti o governatori che feciono tal forza, o violenza non incorrino in alcuna pena o prejudicio.

Item, non vuole possi essere assoluto el detto violatore dal detto vinculo del matrimonio, se prima non dota la fanciulla violata secondo el tenore di unaltra constitutione conciliare, la quale e nel titulo de adulteriis.

CAP. VIII.

La pena di chi stante el primo matrimonio anchora che nullo, contrahesse el secondo innanzi alla dichiaratione del judice.

Et accio che sotto pretesto di violentia o timore, ò altro impedimento, colui, che ha sposata una non pigli un altra indebitamente, & commetta adulterio, ordinò el prefato sinodo, che per fino a tanto ch' il primo matrimonio publicamente contratto non sia chiarito nullo per il suo judice ordinario, nessuno delli conjugati possa contrahere altro matrimonio, condennando in ducati L. ciascuno che contrafacessi; & volendo sia separato el secondo matrimonio; insino a tanto non sia dichiarato el primo esser nullo, sia che causa voglia di annullarlo.

CAP. IX.

El si dichiara ogni promissione di pena per el futuro matrimonio essere nulla.

Item, per maggiormente ampliare la liberta da detti matrimonii & sponsalitii, dichiarò ogni pena apposita nella promissione delli sponsalitii o matrimonio essere nulla, & non havere alcuna forza o vigore per qualunche juramento o altra clausula, comandando a tutti li ordinarii, che se per vigore di detta promissione accadessi alcuno essere molestato in la curia seculare, essi requisiti voglino & debbino inhibire, si che tal pena non habbia effetto. Et il medesimo dichiarò haver luogo nelle arre promesse o confessate in fraude di detta pena.

CAP. X.

El si dichiara essere nulli tutti li statuti de laici restrittivi de matrimonii.

Item, dichiarò el prefato sinodo tutti li statuti de laici, che annullassino e matrimonii, o apponessino certa poena ad quelli che contrahessino matrimonio senza consenso di padre, o madre o daltre persone, esser nulli, & non havere alcuna fermeza, o forza, non havendo el foro seculare alcuna auctorita sopra e mattimonii o dependentia sua.

CAP.

CAP. XI.

El si provede che non si possa contrahere una fanciulla minore di anni 18. senza trattato di governatori di quella.

Desiderando el prefato concilio rimediare alla simplicita delle fanciulle non sieno seducte o ingannate, ha ordinato, che da qui avanti nessuno possi contrahere matrimonio in tutta la provincia Florentina con alcuna fanciulla minore di anni XVIII sanza tractato & consiglio di quelli hanno detta fanciulla in governo; altrimenti colui, che la sposera contro alla predetta constitutione, sia privato dogni commodita di dota, & altre cose pertinente alla fanciulla sino che vivera lui. Ma dopo la morte del detto marito, vuole la fanciulla, o li figliuoli suoi acquistino tutto quello haveva havere quando fu sposata, accio che solo el marito senta questa pena, cosi come solo fu nel peccato. Condemnando non dimanco anchora el detto marito in ducati XXV. da applicarsi per la meta alli Signori otto di balia della Citta di Firenze, per laltra meta alli poveri di Christo.

CAP. XII.

Li sponsali de futuno non si poter dissolvere senza la autorità delli ordinarii.

Item ordinò, che contracti che saranno li sponsalitii de futuro nessuno ardisca lassare la sua sposa & contrahere con un altra. Anchora che le parti fussino daccordo, se prima non sarà adimandata la absolutione di detti sponsali dinanzi allordinario sotto pena di ducati dieci a chi contrafarà.

CAP. XIII.

El tempo, che sbanno da publicare le presente constitutione.

Et accio che le presente ordinatione pervenghino a notitia delli seculari, el prefato Sinodo ha voluto si publichino in lingua volgare; & comanda a tutti li rettori & vicerettori de beneficii, che tre volte lanno ne dì solenni inter missarum solemnia legghino & dichiarino al popolo, si che ognuno le intenda, sotto pena di ducati dua a chi contrafara per ciascuna volta; & li tempi pajono piu commodi al sinodo sono questi, cioe, la Domenica in albis, la prima Domenica d' agosto, & il giorno della epiphania.

CAP. XIV.

Poena accipientis secundam uxorem vivente prima.

Item, ad compescendam insolentiam eorum, qui habentes unam uxorem legitime conjunctam accipiunt aliam, statuit, ut si quis deinceps uxoratus vivente uxore aliam desponsaverit, hujus rei insciam, mitra dehonestatus per civitatem ducatur, ponaturque in carcere quinquennio ad pœnitentiam peragendam. Et si id fecerit sciente ea quæ ita conjungitur; uterque simili pœna feriatur, vel multentur in ducatis centum, prout judici videbitur, applicandis ad usum pauperum pro dimidia, & pro alia dimidia foro sæculari.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. XV.

Quæ probationes sint necessariæ ad matrimonium probandum.

Ad removendas difficultates, quæ in cognoscendo efficaces matrimoniorum probationes in curiis ordinariorum quotide exoriuntur ob inexplicitas doctorum opiniones, habita diligenti hinc inde opinionum discussione sancta synodus eam, quæ sequitur, distinctionem tenendam esse declaravit & pro vera approbavit.

Quandoque aliquis agit ad unum matrimonium, & fit alteri matrimonio præjudicium; & tunc aut secundum est contractum in faciem ecclesiæ, ita quod de eo non est dubium; & probatio primi ut secundo, ut præmittitur, contracto præjudicet, fieri debet per duos testes, qui nullas possint exceptione repelli, vel per instrumentum manu publici notarii confectum. Ex quorum dictis necessario inferatur matrimonium per verba de præsenti fuisse contractum; alias autem testium depositiones de fama, de auditu ab aliis, & quascumque alias enunciationes, de dote, de conjugio, aut similes præsumptiones nullum secundo matrimonio præjudicium afferre declaravit.

Item, nec nocebit probatio, quæ de primo matrimonio fieret per testem quantumcumque integrum & famam, ne nos pro incertis contigeret certa derelinquere.

Si tamen unus testis integer cum fama & tractatu maritali deponeret super primo matrimonio contracto in faciem ecclesiæ, ista probatio erit sufficiens ad elisionem secundi, ut per omnes comprobatum est.

Quandoque vero simpliciter agitur ad probandum matrimonium de præsenti sine alterius præjudicio; & tunc matrimonium per duos testes de visu & præsentia verbis matrimonium de presenti necessario inferentibus deponentes, vel per propriam partium confessionem, vel per instrumentum manu publici notarii confectum idem continens, legitime probari judicavit.

Item

ANNO CHRISTI 1517.

Item, & si post sponsalia de futuro legitime contracta, carnalis copulæ commixtio vel alias probaretur sponsum tenuisse sponsam in lecto & mensa, matrimonium satis concludenter probatum esse judicavit.

Item, & si nullis præcedentibus sponsalibus probaretur aliquem decennio mulierem domi tenuisse, & eam in omnibus in mensa & lecto, ut uxorem tractasse, famaque viciniæ haberet illos matrimonio copulatos fuisse, matrimonium concludenter probatum declaravit. Extra istos autem casus omnem probationem, quæ fieret per unum testem & famam, vel per famam solam, aut per quantumcunque longam cohabitationem (cum causa sit gravis & irreparabilis præjudicii, maritali hominem jugo alligare) inutilem ac nullam esse declaravit.

Quandoque vero agitur de matrimonio probando, non ad effectum ligandi aliquem, sed ad probandam legitimitatem filiorum volentium succedere mortuo patri: & per omnes conclusum est filii legitimitatem eo ipso probatam esse, cum primum probatum est filium natum esse ex viro & muliere invicem cohabitantibus, qui a vicinia viri & uxores reputabantur; nisi postea per eos qui se successuros prætendunt, aliud ostensum fuerit.

RUBRICA

De ordine in ordinandis clericis observando.

CAP. I.

Hic ponitur quomodo cognoscatur de sufficientia clerici ordinandi, & quomodo scribantur a notario.

Proposuit Abbas in synodo: R. P. de temporis nostri clericorum ignorantia; deque immodestia nihil est, ut in conspectu vestro verba faciam, res plusquam par sit in confesso est; ob cleri ignorantiam & clericalis ordinis majestatem, & provincialium nostrorum animas periclitari video. Quid ita? docti indoctique ad sacerdotium nullo discrimine promoventur. Occurrite, si placet, provinciam hanc nostram a tali labe vendicantes. Laudaverunt universi dicentem, & ut sequitur statuerunt.

Statuit igitur sancta synodus, ut nullus admittatur ad ordines sacros, nisi præsentetur ab aliquo honesto viro, qui jurejurando fidem faciat examinatori præsentatum non habere aliquos defectus occultos, quibus arceri possit ab ordinatione si detegerentur: verbi gratia, juret ipsum esse bonis moribus præditum, & honestæ conversationis, liberum, legitimo natum matrimonio, sanæ mentis, non epileticum, non simoniacum, non homicidam, non percussorem, non rixosum, non bigamum, non abstemium.

Deinde examinator inspiciat si est claudus, cæcus, vel alia apparenti deformitate notandus, si habet titulum sufficientem beneficii vel patrimonii.

Et postea examinet eum de literis, ut videat si intelligat, saltem grosso modo, quid legit, ita ut ex una epistola vel evangelio sciat elicere sensum literalem, cognoscendo quid importent verba, singillatim materno sermone explicando, & si vult promoveri ad sacerdotium, examinetur super sacramentis ecclesiæ, super materia confessionum. Et si super præmissis non erit saltem mediocriter eruditus eum nullatenus admitti voluit. Declarando examinatorem qui non (ut præmittitur) idoneum admiserit, ad reddendam rationem de tali re ante tribunal Domini nostri Jesu Christi in die extremi judicii teneri.

Si autem fuerit repertus idoneus scribatur per tabellionem nomen ordinandi & præsentantis & tituli.

Deinde hora ordinationis vadant examinatores, vel unus ex eis, & præsentent istos ordinandos episcopo, vocando unumquemque sigillatim, ut moris est, & notarius semper stet præsens ordinationi.

Finita autem ordinatione, idem notarius vocet ordinatos eodem ordine, & publicum de omnibus conficiat instrumentum, reponatque in libro episcopalis vel archiepiscopalis curiæ ad usum hunc specialiter deputato. Quem librum in omnibus ordinariorum curiis publice teneri voluit.

CAP. II.

Poena ejus qui præsentat indignum pro digno.

Et ne contra tam salubre institutum fraus aliqua procurari possit, statuit & ordinavit, illum qui præsentaverit ordinandum examinatori esse condemnatum in ducatis X. auri, si postea apparuerit præsentatum laborare aliquo ex defectibus prædictis, super quibus ipse juravit, nisi fuissent ita occulti, ut potuissent probabiliter ignorari ab homine habente notitiam de præsentato; & ipsum ordinatum suspendit ab ordinis sui executione, condemnavitque, ut supra.

CAP. III.

Ex se patet.

Et quia aliquoties evenit ut non approbati in examine temeritate propria vel dolo notarii ordinationi sese ingerant, ipsos sic ordinatos ab ordinum executione, & tabellionem id procurantem a tabellionatus officio suspendit.

CAP. IV.

Ordinatos extra provinciam non admitti ad celebrandum, nisi examinentur & approbentur.

Item, quia nonnulli quæsitis coloribus procurant extra provinciam ordinari, vel in provincia extra tempus ordinationum generalium, ut debitum examen effugiant, statuit hujusmodi ordinatos nullatenus ad animarum curam, vel alias ad celebrandum admitti,

mitti, nisi prius fuerint per ordinarium examinati, & reperti ea sufficientia esse præditi, quæ requiritur superius in ipsis clericis ordinandis.

Eosdem autem aliter se animarum curæ aut celebrationi ingerentes, & alios qui eos ad animarum curam deputaverint, in ducatis decem condemnavit.

RUBRICA

De monialibus & earum monasteriis, gubernatoribus, & vita.

CAP. I.

Accessus ad monasteria omnibus interdicitur, exceptis quibustam.

Ut sanctimoniales Deo dicatæ honestius securiusque Jesu Christi sponsi obsequiis intendere valeant, quo ab aliorum consortio remotiores erunt, præcepit hæc sancta synodus omnibus clericis sæcularibus & religiosis, cujuscunque status sint, ne accedant ad monasteria monialium sine expressa ordinarii sui licentia, sub poena excommunicationis & florenorum. X. tertia accusator., tertia judici exequenti, tertia Christi pauperibus applicandorum. Excipiendo tamen confessores, medicos, capellanos, procuratores, factores & alias personas ad monasterii servitia deputatas, quoniam illi accedere possunt temporibus & horis congruis, quando necessitas & utilitas monasterii suaserit.

Cæteros autem laicos vetuit ad prædicta monasteria accedere sine licentia ordinarii, aut gubernatoris monasterii sub poena quinque ducatorum, ut supra applicandorum.

Quæ licentia ipsis laicis aut clericis data, ita demum eos excusabit, quando raro & cum causa accesserint; alias eosdem sine causa legitima monasteria frequentantes excommunicari, & in ducatis decem condemnari voluit.

Mulieres vero ad crates quandocunque accedere de gubernatoris licentia non prohibuit, dummodo honestæ sint vitæ & conversationis.

CAP. II.

Poena monialis mittentis vel accipientis literas injussu abbatissæ.

Item, quod nulla monialis accipiat vel mittat literas; Quin eas præsentet legendas abbatissæ; & quæ contrafecerit octo diebus in carcere poenitentiam agat; si autem amatorias, aut minus honestas miserint aut acceperint, sex mensibus vinculis arceantur.

CAP. III.

Poena mittentium literas amatorias monialibus.

Eo ipso excommunicatos esse, qui amatorias literas, aut minus honestas monialibus miserint, & amplius in ducatis quinquaginta condemnatos voluit, quarta accusatori, quarta Dominis octo si laici sint, si clerici Judici exequenti, quarta monasterio ubi monialis degit, reliqua Christi pauperibus applicandis, qua etiam multa plectantur qui eas per se vel per alium inhoneste allocuti fuerint.

Anno Christi 1517.

Eos autem qui in talibus literis aut nunciis deferendis meditatores fuerint, sive masculi, sive foeminæ sint, siquidem ignobiles & pauperes mitra dehonestentur, si nobiles & divites eadem poena itidem applicanda, ut in superiori casu puniantur.

CAP. IV.

Corruptores monialium puniuntur, ut hic.

Omnes monialium corruptores excommunicatos, infames, intestabilesque esse decrevit. Et amplius si layci sint & nobiles in ducatis mille, tertia monasterio injuria affecto, tertia Dominis, octo tertia pauperibus Christi adjiciendis; si vero ignobiles, carceri perpetuo condemnatos esse voluit.

Et si clerici fuerint, qui tanta Jesum Christum sponsum injuria affecerint, beneficiis quæcunque habent eo ipso privatos, suspensos, infames, ineligibilesque esse voluit, condemnatosque carceri perpetuo. Relapsos autem sæculari curiæ tradendos judicavit.

Moniales autem ipsas sic corruptas perpetuo carceri condemnavit.

Eadem quoque poena in omnibus puniri voluit qui nefando huic crimini auxilium favoremque attulerint.

Corruptorum vero nomine intelligi voluit, non solum qui re ipsa corrumpunt, sed & qui osculati fuerint, aut aliter inhoneste tetigerint, aut eorum pudicitiam qualitercumque attentaverint.

De iis autem qui moniales abducunt vel cum eis contrahunt servari voluit constitutionem, quæ habetur in titulo de adulteriis infra.

CAP. V.

Quales debeant esse crates monialium.

Item, ne ex raritate cratum detur monialibus, aut eas alloquentibus aliqua mali occasio; statuit in omnibus parlatoriis monialium esse, aut fieri debere crates duplices, palma invicem distantes, habentes clatros seu fenestellas ita strictas, ut manus quantum vis parva nullo modo intrare possit; item & sine aliquo sportellino. Utque quando alloquuntur masculos semper teneant velum ante crates, nisi qui alloquitur sit pater, avus, aut consanguineus.

CAP. VI.

Quales esse debeant rotæ monialium.

Item, statuit rotas, quibus moniales dant & recipiunt, quæ volunt extra monasterium, esse debere ita parvas & ferris intersecantibus munitas, ut nullo modo mulier quamvis parva per illam intrare aut exire possit;

ANNO CHRISTI 1517.

sit; quas cratum & rotarum restrictiones, ut fieri procurent infra duos menses præcepit omnibus abbatissis, & monasteriorum gubernatoribus sub poena excommunicationis & decem ducatorum.

CAP. VII.

Ne cellæ monialium recipiant lumen a locis publicis aut vicinorum.

Item, præcepit omnibus abbatissis, ut procurent, ne cellæ monialium habeant luminaria versus vias publicas, aut domos vicinorum, quando aliunde haberi possunt. Si autem necesse habeant ab hujusmodi locis lumen sumere, tunc voluit fenestras intexi ferris crebris, & claudi fenestra vitrea non amovibili, & ita elevata, ut monialis illam pertingere non possit. Abbatissas præmissa non servantes moneri & excommunicari voluit.

CAP. VIII.

Et in omnibus monasteriis sit carcer.

Ut quas Dei timor a malo non revocat, temporalis saltem poenæ formido coherceat, præcepit omnibus abbatissis & monasteriorum gubernatoribus, ut procurent in monasteriis suis esse locum carceri destinatum sub poena excommunicationis & florenorum x. auri.

CAP. IX.

Ut legatur sæpius regula monialium.

Item, monuit omnes abbatissas, prioriss as, & alias monasteriorum curam habentes, ut habeant regulam propriam materno sermone exaratam, faciantque illam legi omnibus monialibus saltem semel in mense, procurentque ut illa observetur cum omni devotione & puritate cordis. Abbatissas autem, prioriss as & ministras, quæ in prædictis negligentes esse repertæ fuerint officio suo privari voluit.

CAP. X.

Cujus ætatis eligendæ sint in abbatissas.

Quoniam experientia docuit quantum discrimen incurrat fragilis sexus multitudo, quando earum prælatio datur juvenibus, quarum nulla est gravitas vel materni nominis similitudo; statuit & ordinavit nullam deinceps posse assumi in abbatissam aut prioriss am monialium alicujus monasterii, nisi quadragesimum attigerit annum, electionemque aliter factam irritam esse declaravit, nisi aliud suaderet loci necessitas & utilitas maxima, ordinariorum arbitrio declaranda.

CAP. XI.

Ex se patet.

Abbatissisque aut prioriss is senio aut morbo impeditis coadjutricem per ordinarium dari voluit si perpetuæ sint; alias removeri.

CAP. XII.

De ordinarior. licentia deputentur capellani, medici, confessores, & gubernatores monialium.

Item, statuit nullum confessorem, capellanum, medicum, gubernatorem, procuratorem, actorem, factorem, sindicum, aut alium ministrum, quocunque nomine censeatur, in monasteriis dari, aut assumi posse sine expressa ordinariorum suorum licentia. Ordinarios exhortans sub interminatione divini judicii, ut diligenter inspiciant, cui fragilis sexus curam committant. Acceptantes autem quidquam ex præmissis aut deputantes aliter quam constitutum sit, in ducatis x. condemnavit.

CAP. XIII.

Nullam mulierem sæcularem, sive viduam, sive virginem posse habitare cum monialibus.

Cum male conveniat cythara cum psalterio, & virginei cordis puritatem facile corrumpat sermo qui de nuptiis, de liberis, deque cæteris mundanæ vitæ cum sollicitudinibus, tum delectationibus habetur, præcepit sancta synodus omnibus abbatissis, & prioriss is ac aliis monasteriorum prælatis sub poena excommunicationis, ne deinceps in monasteriis suis teneant ad secum habitandum aliquam viduam, aut mulierem conjugatam, aut quamcunque aliam mulierem sæcularem etiam virginem, quando excedit ætatem duodecim annorum, nisi ibi maneant ea intentione ut fiant moniales, & nisi aliqua urgente causa honesta per ordinarios aliter fuerit dispensatum.

CAP. XIV.

Deputandos esse duos singulis annis, qui exigant rationem administrationum a gubernatorib. monialium.

Et quoniam experimento compertum est pauperes moniales substantiis propriis per administratores suos plerumque defraudari; jussit omnibus ordinariis, ut duos ex canonicis ecclesiarum cathedralium singulis annis deputent, qui exigant rationes administrationum suarum a negociatoribus & administratoribus bonorum monasteriorum prædictorum, assumpto secum aliquo perito ratiocinatore (si opus fuerit) ipsarum monialium expensis. Non eximens tamen præfatos administratores a redditione rationum, quas tenentur exhibere abbatissæ, aut alteri secundum consuetudinem monasterii.

Et

Et si quisquam monasterium fraudasse repertus fuerit, quadruplum monasterio restituere cogatur, amoveaturque ab administratione, afficiaturque aliis, ut ordinario videbitur, poenis juxta delicti excessus & personæ qualitatem.

CAP. XV.

Ne in festivitatibus consecrationum monialium fiant convivia in monasteriis.

Ad occurrendum quoque nonnullis excessibus, qui in monialium festivitatibus & velationibus evenire consueverunt; statuit, ut quotiens moniales ab episcopo vel eorum prælato velari aut consecrari contigerit, expleta velationis aut consecrationis solemnitate ostia monasterii immediate claudantur, nullaque deinde monialis tota illa die exire audeat sub poena excommunicationis. Episcopus vero cum aliis canonicis & consanguineis quibuscunque domum revertantur. Nisi extra septa monasterii esset aliquis locus ubi gubernator monasterii vellet parare ipsis episcopo & clericis servientibus refectionem, exclusis tamen laicis & sæcularibus hominibus, quorum frequentia in hujusmodi solemniis tumultus crebro excitari solent.

CAP. XVI.

Die consecrationis inhibetur ingressus in monasteria omnibus.

Præcepit quoque sub excommunicationis poena omnibus, tam masculis quam foeminis, ne ea die qua monialis velatur aut consecratur, monasterium intrare audeant. Quoniam etiam mulieres nimio ornatu spectabiles Jesu Christi sponsarum mentes facile corrumpunt & avertunt a sancto religionis instituto.

CAP. XVII.

Novas nuptas in monasteriis nunquam admittendas.

Et ideo præcepit omnibus abbatissis, prioriss, & quibuscunque monasteriorum prelatis sub excommunicationis poena, ne novas nuptas admittant intra septa monasterii, non obstante corruptela huc usque observata.

CAP. XVIII.

Pro habendis oblationibus monialis se publico conspectui non præsentet.

Pro habendis quoque oblationibus a consanguineis, aut amicis suis, monialis quæ consecrata est publico se conspectui nullo modo præsentet; sed aliquam aliam personam loco sui ponat, quæ pro ea parentum oblationes fideliter colligat, quam oblationem deinde gubernator monasterii consecratæ novellæ præsentabit.

CAP. XIX.

A quibus cavendum sit quando ornantur ecclesiæ monialium.

Anno Christi 1517.

Ecclesiam autem ipsam ipsis velationum solemnitatibus munde decenterque ornari posse & debere statuit: præcipiendo tamen ipsis clericis aut laicis, qui ornandæ ecclesiæ curam susceperunt, ne ultra triduum in hujusmodi ornandis ecclesiis se se exerceant, idque interim faciant absque eo quod monasterii septa intrent, aut moniales ipsæ in ecclesiam quæ ornabitur exeant; alias clericum aut laicum, qui monasterii ipsius clausura intraverint, aut aliqua monialì in ecclesia existente ecclesiam ipsam ornaverint, eo ipso excommunicatos, & in ducatis. x. tertia accusatori, tertia judici exequenti, tertia Christi pauperibus applicandis condemnatos esse voluit. Ipsis quoque monialibus inhibuit, ne interim ad crates aut rotam accedant, nisi sit abbatissa, vel alia officialis, quæ rationabili aliqua causa id faciat.

Ornatus autem, si qui intra monasteriorum septa habendi sint, per moniales ipsas non per homines fieri posse voluit.

Quam constitutionem cum poenis suis etiam in ornatibus qui propter alias festivitates fiunt, locum habere declaravit.

CAP. XX.

Ne moniales juvenes mittantur extra monasterium ad quærendum panem.

Item, statuit ne aliqua conversa aut monialis cujuscumque ordinis minor. xl. annis possit ire extra civitatem ad quærendum panem, vinum, & alia monasterio suo necessaria sub pœna excommunicationis. Abbatissas & prioriss quæ juniores ad hujusmodi exercitium miserint, officio suo per annum privari voluit.

CAP. XXI.

Sine ordinariorum licentia nullam monialem posse recipi in monasteriis.

Item, quia licet jure cautum sit in monasteriis non debere poni nisi tot moniales, quot ex redditibus vivere possunt, tamen in plerisque monasteriis Florentiæ ob aliquorum importunitatem assumuntur tot moniales, ut fame eas confici contingat, redditibus non sufficientibus, propter quod coguntur postea pro victu habendo sæcularium & religiosorum hominum frequentare consortia, & amicitias inire periculosas, ex quibus postea nefandi sequuntur eventus; ideo præfata synodus præcepit omnibus abbatissis, prioriss & prælatis monasteriorum ne deinceps aliquam monialem admittere possint sine ordinariorum suorum licentia sub pœna excommunicationis & suspensionis eo ipso per annum ab officio suo.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. XXII.

In uno monaſterio non poſſunt recipi plures quam duæ moniales ejuſdem ſanguinis.

Item, ſtatuit & ordinavit in uno monaſterio non poſſe recipi ultra duas moniales ejuſdem ſanguinis & cognationis; quoniam experientia comprobatum eſt ſectas & diviſiones ex conſanguinearum multitudine in monaſteriis plerunque generari.

RUBRICA.

De emptione & venditione

CAP. I.

Vendentes ceram vitiatam, medicinas alteratas aut veteres & diminutas, item & habentes injuſta pondera & menſuras excommunicari ac multari præcepit.

Dixit N. P. R. ſuadet divini cultus honor, & pauperum hominum indemnitas, quæ præcipue nobis cordi eſſe debet, ut vobis quorundam aromatariorum, piſtorum, tabernariorum, & aliorum qui eſculenta & poculenta vendunt exceſſus (innoteſcant). Aromatarii enim candelas, quibus claro Deum igne venerari ſolemus, ex cereis, reſina, pice, atque aliis multipliciter vitiatis vendunt, ita ut altaria dum accenduntur fœtore ac obſcuritate repleantur.

Item, & medicinas quandoque vendunt nimis veteres, inutiles & alteratas. Piſtores vero, tabernarii, lanii & cæteri, qui pauperum turbas quotidianis venditionibus paſcunt, injuſta pondera menſuraſque æquo minores habent, & ſi ſæcularium iis præſint magiſtratus exceſſibus, tamen multi vel quia ignorantur, vel quia diſſimulantur, quotidie pauperes emptores fraudant; veſtrum eſt officium, veſtra id exigit pietas, execrabiles hujuſmodi homines a tanta iniquitate compeſcere.

Univerſa ſynodus excommunicandos pronunciavit omnes aromatarios vitiantes ceram ex qua fiunt candelæ pro illuminatione ſacramenti, aut ſcienter ab alio datas vendentes. Item & aromatarios conficientes medicinas ex rebus alteratis, vitiatis aut corruptis, aut non ponentes in eis ordinata per medicos ſecundum bonitatem & menſuram debitam.

Item & omnes piſtores, lanios, fartores, piſcatores, tabernarios, & quoſcunque alios eſculenta & poculenta vendentes, qui injuſta pondera aut menſuras tenuerint, illiſque uſi fuerint.

Et amplius in ducatis xx. tertia Dominis octo ſi laici ſint, alias ordinario, ſi clerici, tertia Chriſti pauperibus, tertia accuſatori applicandis multari voluit, niſi fuerint per ſæculares magiſtratus alias condemnati & puniti.

CAP. II.

Excommunicat vendentes venena aut medicinas pro aborſibus porcurandis, & graviter multat.

Item, excommunicavit omnes aromatarios, aut quoſcumque alios vendentes venena ad hominum extinctionem præparata, aut medicinas pro procurandis mulierum aborſibus, eoſque in ducatis xxv. ſi non ſit ſecura alicujus mors vel aborſus; alias in ducatis centum; tertia Dominis octo, tertia accuſatori, tertia Chriſti pauperibus applicandis condemnavit. Et ſi ſit clericus, beneficiis privatum eſſe, aliiſque gravioribus ſubiectum pœnis declararit.

RUBRICA

De locato.

CAP. I.

Puniuntur clerici locantes domos hebræis, meretricibus, aut retinenti baraterian.

Clericos & religioſas quaſcunque perſonas domos ſuas Hebræis pro exercenda uſura, aut meretricibus ac mulieribus inhoneſtam ducentibus vitam, aut tenentibus baratteria locantes, in ducatis quinque condemnavit, niſi domus eſſent conſtitutæ in loco publico, ubi tantum meretrices inhabitent.

RUBRICA

De commodato & pignoribus.

CAP. I.

Commodatarius etiam de leviſſima culpa tenetur pro rebus eccleſiæ amiſſis. Res eccleſiæ, ſacras commodatas cogitur commodans ſtatim redimere.

Commodatarium pro rebus eccleſiæ ſacris commodatis amiſſis, etiam de leviſſima culpa & caſu fortuito teneri voluit hæc ſancta ſynodus, ut magis conſultum ſit eccleſiæ rebus, quibus divina in eccleſiis honorari ac celebrari conſueverunt. Vix enim fit ut culpa non adſit, ubi ſacrata e Domini templo vaſa aſportantur. Quinimmo, ut magis arceantur eccleſiarum rectores a commodando aut pignorando tales res, ſtatuit ſynodus eoſdem rectores ſic vaſa, veſtes, cruces, & alia ſacra eccleſiarum ſupellectilia commodantes, aut pignorantes, ſtatim cogi poſſe ad ea redimenda, vel per ſubtractionem fructuum, vel excommunicationem, ipſoſque commodatarios aut creditores, qui talia pignoris loco acceperint ſine ordinariorum licentia, poſſe ad ea reſtituenda, etiam ſibi aliter non ſatisfacto, cogi, & eccleſiaſticis cenſuris compelli.

CAP.

ANNO CHRISTI 1517

CAP. II.

Excommunicantur qui pro larvis aut Indicris faciendis ecclesiastica commodant.

Commodantes vestes sacras aut vasa, aut vestimenta religiosa, illis, qui larvas, astiludia, & ludicrum quodcumque aliud exercent, & tales vestes sic commodatas deferentes excommunicari, & in quinque ducatis condemnari voluit

RUBRICA

De testamentis.

CAP. I.

Præcipitur notariis, ut intra octo dies significent ordinariis legata ad pias causas facta.

Nostis (inquit N.) quantum piis defunctorum voluntatibus jura faverant; & tamen multa sunt in in provincia & civitatibus ad pias causas relicta, quæ ob hæredum avaritiam, & notariorum vel negligentiam vel impietatem occulta manent, & quasi cum defuncti cadavere tumulata. Quare P. V. moneo, ut morbo huic eo, quo possunt, remedio occurrant, ut defunctorum animæ exonerentur.

Laudavit synodus dicentem, & monuit omnes notarios & quoscunque alios defunctorum vota exscribentes, ut de omnibus legatis ad pias causas intra decem dies a die conditi testamenti notitiam dent reverendissimo archiepiscopo, aut ejus vicario, vel ordinariis suis, si sint de dioecesibus suffraganeorum, ut notentur in libris episcopalis curiæ, & hoc sub poena excommunicationis, & decem ducatorum, quam poenam statim incurrere voluit notarios elapsis iliis decem diebus superius assignatis.

Et hoc verum quoad legata ponenda in testamentis, quæ in futurum fient. Quo autem ad legata præterita præcepit sub eisdem poenis, ut ad ordinariorum notitiam deducant ea, quæ credunt, aut sciunt, adhuc impleta non fuisse, infra terminum unius mensis.

CAP. II.

Omnia legata esse describenda in libro per notarium.

Ut autem horum legatorum mempria facilius conservari possit, statuit & ordinavit in qualibet curia episcopali teneri debere librum, in quo specialiter ista describantur per notarium ad id deputatum. Qui notarius describens, debeat habere duos solidos pro scriptura & labore suo in reponendo memoriam dicti legati in præfato libro, quos duos solidos solvere teneantur ille vel illi quibus legata hujusmodi relicta sunt. Scribet enim nomen notarii, testatoris, & legatarii, diem & annum & testes.

RUBRICA

De simonia.

CAP. I.

Electiones, præsentationes, institutiones simoniace factas irritas declarat, promittentesque aut accipientes pro hujusmodi quicquam graviter punit.

Hanc simoniacam labem longe lateque vagantem tollere cupiens hæc sancta synodus, omnes electiones, præsentationes, institutiones, provisiones alicujus simoniacæ pactionis interventu factas, sequendo antiquorum canonum instituta, irritas ac nullas esse declaravit, condemnavitque nihilominus dantes, promittentes, aut accipientes pecunias, aut quicquam aliud pretio æstimabile pro hujusmodi electionibus, præsentationibus, institutionibus provisionibus in ducatis centum auri, quarta ecclesiæ læsæ, quarta accusatori, quarta Christi pauperibus, quarta judici exequenti applicandis.

CAP. II.

Contra vendentes aut aliter pretio concedentes jus patronatus aut præsentandi.

Item, & omnem juris patronatus, au vocis de præsentando donationem, venditionem, aut quamcunque concessionem alicujus pecuniarii commodi interventu factas irritas esse, ipsosque sic dantes aut recipientes omni illo jure parronatus ac præsentandi privatos esse, ecclesiamque a tali servitute liberari, & in plena ordinarii sui dispositione remanere declaravit, statuit & ordinavit. Ipsos tamen contrahentes, & hujusmodi contractuum mediatores in ducatis x. condemnando, quorum quartam accusatori, quartam ecclesiæ, quartam judici exequenti, quartam Christi pauperibus applicari voluit.

CAP. III.

Excommunicatur qui principum aut potentum minis as terroribus præsentatur.

Item, clericum, qui principum, dominorum temporalium, aut quorumcumque potentum minis ac terroribus impulerit patronos ad se præsentandum; cum tamen illi alium præsentare vellent; eo ipso excommunicatum esse voluit inhabilemque ad hujusmodi assequenda beneficia, talemque præsentationem, & superinde emanatam confirmationem nullius esse roboris aut momenti

CAP.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. IV.

Suspendit ab officiis & beneficiis indignum, qui favore aut muneribus ordinari obtinet.

Item, eum qui cum idoneus non sit amicorum favore, aut alicujus muneris interventu ordinatus fuit, perpetuo ab officio beneficiisque suspensum esse decrevit.

CAP. V.

Suspendit episcopum, qui pro ordinando aut consecrando quidquam ex pacto receperit.

Episcopum, qui pro conferendis ordinibus, benedictionibus, consecrationibus monialium quidquam ex pacto receperit, ab officii sui executione suspensum esse voluit; aliis poenis communi jure inflictis in suo robore permanentibus.

Consuetudinem tamen offerendi candelas, panem, vinum, & quædam alia in ipso ordinationum vel consecrationum actu, utpote laudabilem, observari voluit. Sponte quoque etiam post consecrationem oblata, quo minus accipere possint, nullo prohiberi canone declaravit.

CAP. VI.

Quid & quando precium petere possint notarii, ordinationum acta conscribentes.

De notariis vero ordinationum acta conscribentibus ita statuit, ut si nullum alias stipendium habuerint, pro scriptura ordinationem attestante, quando ab eis requiretur, possit congruentem mercedem petere, adempta eisdem notariis omni facultate cogendi ordinatos ad talis scripturæ receptionem. Si autem e publico stipendium acceperint, nihil penitus accipere possint, sed laborem in scribendo suum gratis impendant. Notarium contra præmissa quidquam petentem aut recipientem per annum ab officii sui executione suspensum esse voluit.

CAP. VII.

Ne confessores a confitentibus aliquid petant.

Confessoribus quoque ne ab iis quorum peccata audiunt, quidquam petant, sub anathematis interminatione præcepit. Eum nihilominus quem a confitente aliquid petiisse constiterit, perpetuo ab hujusmodi officio suspendi, & in ducatis decem vel alia graviori poena, ut judici videbitur, condemnari voluit. Sponte tamen ex pia devotione a fidelibus oblata, quo minus recipere possint, nullatenus prohibere intendit.

CAP. VIII.

Accipientes aliquid pro compatribus admittendis, vel ultra tres compatres baptizando admittentes, vendentes sepulturas puniuntur.

Item, ut tolleret pernitiosum abusum nonnullorum clericorum, qui baptizantes pueros tot petunt solidos quot sunt compatres, qui puerum de sacro fonte levant, prohibuit talia deinceps fieri. Contrafacientes autem, aut ultra tres compatres admittentes in libris quinque condemnavit. Eadem quoque poena feriri voluit, qui sepulturas vendiderint, aut quenquam in ecclesia sepelierint, non facta prius ibidem sepultura.

CAP. IX.

Excommunicat judices, qui muneribus corrupti, sententias ferunt iniquas. Item & illos qui judicem taliter corruperint.

Animadvertens insuper quantum homines muneribus corrupti soleant a recto judicio declinare, ex quo pauperes litigatores profusis divitum largitionibus oppressi, nequeunt coram judicibus justiciæ complementum assequi; præcepit omnibus judicibus ordinariis, delegatis, sæcularibus, ecclesiasticis & quibuscumque magistratibus in tota hac Florentina provincia justiciam ministrantibus, ut ab omni munerum receptione aut promissione a partibus coram eis causam habentibus abstinentes, justiciam sine aliqua personarum acceptione faciant; alias omnes judices & magistratus præfatos munera a partibus coram se litigantibus, aut ab aliis pro eis recipientes, & ideo a vero judicii tramite declinantes, eo ipso excommunicationis sententia innodatos esse voluit, a qua non possint absolvi nisi per ordinarios suos, & erogato prius de consilio absolventis toto eo quod recepit, & satisfacto prius parti, contra quam muneribus corruptus injuste & indebite sententiam tulerit.

Intelligendo munera omnem pecuniarum quantitatem, omne obsequium pretio æstimabile, & omnia alia etiam esculenta & poculenta, quæ de jure accipi non possunt.

Eadem quoque sententia innodari voluit ipsam partem taliter eisdem donantem, procuratores, notarios, advocatos, & quoscunque alios mediatores, procurantes talia munera dari aut offerri.

Et amplius, causidicum, advocatum, & quemcunque alium, qui judicem muneribus corrumpere tentaverit, & judicem talia accipientem in ducatis XXV. condemnavit, tertia accusatori, tertia judici exequenti, tertia fabricæ apostolorum Petri & Pauli, si clericus sit judex; si laicus Dominis octo applicandis.

CAP.

CAP. X.

Sportulas pro acceſſu ad locum pro examinationibus teſtium, aut ſententiis dandas communibus partium ſumptibus dari debere.

Laudabilem tamen nonnullorum provinciæ locorum conſuetudinem, ut ſportulæ ſeu ſalaria dentur, vel pro teſtibus examinandis, vel pro acceſſu ad locum, vel etiam pro ſententia, quando cauſa eſt delegata, tollere noluit; dummodo ſervetur æqualitas, & non excedatur modus conſuetus. Sportulas igitur aut ſalaria, quæ debentur pro acceſſu ad locum, vel pro ſententiis judicum delegatorum, mandavit communibus partium ſumptibus deponi; vel ſi ab altera tantum parte deponi, contingat, altera non curante cauſam expediri, partem, quæ habebit ſententiam, contra ſe, in integris ſportulis condemnari, ſicque ſportularum rationem in expenſarum taxatione haberi.

RUBRICA

De magiſtris, deque hæreticis & Chriſti fidem ſcandalizantibus.

CAP. I.

Recenſet cauſas conſtitutionum, quæ ſequuntur, narrando multos exceſſus.

Dixit venerabilis ſenex: invaluit quidam apud hoſce triviales literatores abuſus, ut non aliter ſe latinæ linguæ principiis teneros adoleſcentum animos formare poſſe credant, niſi ſtatim laſciva illis Catullii, Martialis epigrammata enodaverint, aut quæcumque impudica de amoribus carmina demonſtraverint; quaſi deſint honeſti Latinæ linguæ auctores, quibus teneram puerorum infantiam imbuant. Sunt quoque qui volentes plus ſapere videri quam ſapiant, infirmos auditorum ſuorum animos quibuſdam impiis Philoſophorum poſitionibus erudiunt, quæ catholicæ palam veritati repugnant; ut eſt quando ex mente Philoſophi concludere volunt animam eſſe mortalem, vel mundum eſſe æternum, & ſimilia. Sed quid de ſacræ ſcripturæ expoſitoribus dicam? omnes jam ſibi licere putant eam ex proprio ingenio interpretari, lancinare, torquere, adeoque peregrinos, & a catholica, ut plurimum, expoſitione diſſidentes ſenſus trahere; relicto illo communi ſacrorum interpretum ſenſu, ad novas hæreſes & ficta dogmata viam ſedulo aperientes. Et ne longe exempla petantur, præ manibus ſunt Franciſci Mileti opera, qui cum laicus ſit & quidem idiota, (ut vidiſtis omnes) auſus eſt ingentes ſcripturæ theſauros evertere, atque omnem catholicorum expoſitorum ſenſum conturbare, novas ſibi & inauditas ex ſcriptura concluſiones formando. Quare P. V. per Jeſu Chriſti viſcera oro, ut iis quæ dixi omnibus ea qua poteſtis ordinatione conſulatis. Tum læto verba dicentis animo excepit conventus, & ut ſequitur ſtatuit.

CAP. II.

Prohibet legi in ſcholis puerorum opera laſciva, & poemata Lucretii.

Ut nullus de cætero ludi magiſter audeat in ſcholis ſuis exponere adoleſcentibus poemata, aut quæcumque alia opera laſciva & impia: quale eſt Lucretii poema, ubi animæ mortalitatem totis viribus oſtendere nititur; contrafacientes excommunicari, & in ducatis decem, carceribus ſtincharum applicandis, condemnari.

CAP. III.

Vetat philoſophos & quoſcunque alios legendo etiam diſputative aſſerere concluſionem ebatolico dogmati contrariam.

Item, & omnibus theologis philoſophiam publice aut privatim legentibus, præcepit, ut nunquam legendo aſtruant aliquam concluſionem, quantumvisphiloſophicam & philoſophice tractatam, quæ directe vel indirecte contra fidei articulos veniat, quin & catholicam ſimul veritatem exponant & eam ſi poſſunt, defendant, vel quibus poſſunt rationibus colorent. Et ſi quando inciderint in illam de immortalitate animæ, & de mundi æternitate quæſtionem, ſemper cum catholica veritate concludant animam eſſe immortalem, mundum fuiſſe factum &c. Et contraria omnia, ſiquidem ſolubilia ſunt, argumenta ſolvant: alias autem omnes talia in ſcholis concludentes, aut etiam extra firmare contendentes, veluti falſi dogmatis & pernitioſæ hæreſis diſſeminatores vitandos, & ut hæreticos puniendos eſſe declaravit, ſuper iis acceptando & publicari in tota provincia, mandando extravagantem ſanctiſſimi D. N. Leonis papæ X. in Lateranenſi concilio nuper editam, quæ incipit: *Apoſtolici regiminis ſollicitudo*, cujus tenorem hic inſeri mandavit, qui talis eſt.

Leo epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante concilio.

CAP. IV.

Animam eſſe immortalem, & per ſe ac eſſentialiter humani corporis formam, & pro corporum quibus infundit. multitudine ſingulariter multiplicabilem.

„ Apoſtolici regiminis ſollicitudo nos aſ-
„ ſidue, *& infra*.
„ Cum itaque diebus noſtris (quod do-
„ lenter referimus) zizaniæ ſeminator, an-
„ tiquus humani generis hoſtis, nonnullos
„ pernitioſiſſimos errores a fidelibus ſemper
„ exploſos in agro Domini ſuperſeminare

& au-

ANNO CHRISTI 1517.

„ & augere sit ausus, de natura præser-
„ tim animæ rationalis, quod videlicet mor-
„ talis sit, aut unica in cunctis hominibus;
„ ut nonnulli temere philosophantes, secun-
„ dum saltem philosophiam, verum esse as-
„ severant. Contra hujusmodi pestem oppor-
„ tuna remedia adhibere cupientes, hoc sa-
„ cro approbante concilio, damnamus &
„ reprobamus omnes asserentes animam in-
„ tellectivam mortalem esse, aut unicam
„ in cunctis hominibus, aut hoc in dubium
„ vertentes; cum illa non solum vere per
„ se & essentialiter humani corporis forma
„ existat, sicut in canone felicis recorda-
„ tionis Clementis papæ quinti prædeceſſo-
„ ris nostri in generali Viennensi concilio
„ edito continetur, verum & immortalis
„ & pro corporum quibus infunditur mul-
„ titudine singulariter multiplicabilis, &
„ multiplicata multiplicanda sit, quod ma-
„ nifeste constat ex evangelio, cum Domi-
„ nus ait; *animam autem occidere non pos-*
„ *sunt*. Et alibi. *Qui odit animam suam in*
„ *hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*.
„ Et cum æterna præmia & æterna supplia
„ cia pro merito vitæ judicandis repromit-
„ tit; alias incarnatio, & alia Christi my-
„ steria nobis minime profuissent, nec re-
„ surrectio expectanda foret, ac sancti &
„ justi miserabiliores essent (juxta Apostolum) cunctis hominibus. Cumque verum
„ vero minime contradicat, omnem asser-
„ tionem veritati illuminatæ fidei contra-
„ riam omnino falsam esse diffinimus, & ut
„ aliter dogmatizare non liceat districtius
„ inhibemus. Omnesque hujusmodi erroris
„ assertionibus inhærentes veluti damnatis-
„ simas hæreses seminantes per omnia ut
„ detestabiles, & abominabiles hæreticos &
„ infideles, catholicam fidem labefactan-
„ tes, vitandos & puniendos fore decerni-
„ mus. Insuper omnibus & singulis philo-
„ sophis, in universitatibus studiorum ge-
„ neralium, et alibi publice legentibus, di-
„ stricte præcipiendo mandamus, ut cum
„ philosophorum principia aut conclusio-
„ nes, in quibus a recta fide deviare no-
„ scuntur, auditoribus suis legerint seu ex-
„ plicaverint; quale hoc de animæ morta-
„ litate aut unitate intellectus et mundi æ-
„ ternitate, ac alia hujusmodi, teneantur
„ eisdem veritatem religionis Christianæ
„ omni conatu manifestam facere, et per-
„ suadendo pro posse docere, ac omni stu-
„ dio hujusmodi philosophorum argumenta
„ cum omnia solubilia existant, pro viri-
„ bus excludere atque resolvere.

A cundum verbum Apostoli evacuavit et stultam fecit, absque divinæ sapientiæ condimento, & quæ sine revelatæ veritatis lumine in errorem quandoque magis inducunt, quam in veritatis elucidationem; ad tollendum omnem in præmissis errandi occasionem, hac salutari constitutione ordinamus & statuimus, ne quisquam de cætero in sacris ordinibus constitutus sæcularis vel regularis, aut alias ad illos a jure arctatus in studiis generalibus, vel alibi publice audiendo philosophiæ, aut poesis studiis ultra quinquennium post grammaticam, & dialecticam sine aliquo studio theologiæ, aut juris pontificii incumbat. Verum dicto exacto quinquennio, si etiam illis studiis insudare
B voluerit, liberum sit ei, dum tamen simul aut seorsum theologiæ, aut sacris canonibus operam navaverit, ut in iis sanctis & utilibus professionibus sacerdotes Domini inveniant, unde infectas philosophiæ aut poesis radices purgare & sanare valeant. Et hos canones per ordinarios locorum ubi generalia studia vigent, & rectores universitatum eorundem studiorum singulis annis in principio studii in virtute sanctæ obedientiæ publicari mandamus.

CAP. V.

In sacris constituti ultra quinquennium philosophiæ aut poesi vacare non possunt, sed tenentur theologiæ aut pontificii juris studiis incumbere.

Et cum non sufficiat aliquando tribulorum radices præscindere, nisi et ne iterum pullulent funditus evellere, ac eorum semina originalesque causas, unde facile oriuntur, removere. Cum præcipue humanæ philosophiæ studia diuturniora, quam Deus se-

CAP. VI.

Scripturam sacram non esse aliter interpretandam quam sacri doctores interpretati sint, & damnat novarum opinionum assertores.

Item, ordinavit nullum posse ulterius scripturam sanctam scribendo aut prædicando aliter exponere aut interpretari, quam sancti ecclesiæ doctores hucusque interpretati sunt.

Immo omnes interpretes, prædicatores, & quoscunque alios, novas sibi opiniones & communi sanctorum doctrinæ adversas fingentes, etiam si speciali scripturarum testimonio utantur, suspectos de hæresi judicari voluit; & si in ea perstiterint ut hæreticos puniri, nisi positio sua ab apostolica sede comprobetur. Qui enim aliter sentire aut docere præsumit, quam sentiat aut doceat ecclesia, & si angelus esset nullatenus audiri debet. Hac enim via diabolus omnes hæreses disseminavit.

CAP. VII.

Prædicatores non esse ad prædicandum admittendos, nisi quæ hic dicuntur, observent.

Item, quoniam scriptum est: *quomodo*
E *prædicabunt nisi mittantur*; statuit sancta synodus nullum posse prædicare verbum Dei populis adunatis publice aut privatim in tota provincia Florentina, nisi habeat literas patentes de ejus vita & doctrina, fidem facientes a suis ordinariis aut prælatis, si sint religiosi, vel nisi fuerint specialiter per sedem apostolicam, aut ordinarios locorum, ubi prædicare volunt, approbati; quandoque enim experimento compertum est, ut

dum

dum passim omnes ad divini verbi seminationem admittuntur, multi in Dei populo errores promulgentur.

Ecclesiarum tamen rectores semel ad hoc munus electos & approbatos præsenti constitutione nullatenus comprehendi voluit. Priores autem, rectores ecclesiarum, plebanos, abbates & quoscumque ecclesiarum administratores, qui contra præmissa quemcumque in ecclesia sua prædicare passi fuerint in ducatis X. condemnavit.

CAP. VIII.

Contra affirmantes ea quæ pro peccatis mortalibus recepta sunt, non esse peccata.

Item, omnes publice asserentes usuram, adulterium, aut quæpiam alia vitia, quæ Rom. Eccl. judicat esse peccata mortalia, non esse mortalia, hæreticorum numero aggregari judicavit, & contra eos ut contra hæreticos procedi.

CAP. IX.

Copia sententiæ synodalis, qua Francisci Mileti opera damnata sunt.

Quamvis Florentina synodus in Spiritu sancto congregata omne vaticinium, quo apostolicæ ecclesiæ & Christianæ fidei, quam omnino sperat & optat, amplificatio promittitur, pio quodam ardore acceptet libenter & audiat, sperando etiam omnipotentem Deum, si quando eam contingeret a malis hominibus vel regendo vel infestando molestari, celeri remedio occursurum, ita ut nullo turbinis aut ventorum agitata fluctibus umquam cessura sit Petri navicula. Opera tamen quædam Francisci Mileti, Convivii & Quadrivii, et expositionis psalmorum titulis prænotata, quæ plerosque sub hujus præmissæ amplificationis pietate in errorem atque hæreses et schismata facile inducere possent, velut venenosa, impia, & in plerisque conclusionibus catholicæ veritati inimica, erronea, temeraria, præsumptuosa condennavit & suspecta reddidit, ne dum illa, sed & omnia sua alia opera impressa & non impressa, donec fuerint per sedem apostolicam approbata; mandavitque omnibus in tota Florentina provincia commorantibus, ut quæcumque & quotcunque qualiacumque ex prædictis operibus habent, deferant, vel ad vicarium reverendissimi archiepiscopi Florentini vel ad præsidentem Capituli ecclesiæ Florentinæ, vel ad R. hæreticæ pravitatis inquisitorem infra octo dierum spatium, sub pœna excommunicationis & florenorum X. auri, ut flammis demandentur, sicut cremari digna sunt; & ita ea cremanda pronunciavit

CAP. X.

Contra eos qui Mileti doctrinam prædicant.

Anno Christi 1517.

Item, quia audivit nonnullos temerarios concionatores ausos novam hanc, erroneam & præsumptuosam doctrinam in pulpitis prædicare, præcepit omnibus prædicatoribus sub pœna excommunicationis, quam statim incurrant, & privationis officii prædicandi perpetuo, ne similem doctrinam amplius prædicare aut exemplare audeant, pronunciando ex nunc suspectos de hæresi, & ut male sentientes de Christiana religione quicumque librorum illorum doctrinam prædicare, aut alias, ut veram defendere ausi fuerint.

Ipsum autem Franciscum condemnavit ad componendum libellum recantationis errorum suorum, in quo petat veniam de temeritate & præsumptione sua, & postea singillatim omnes errores suos abjuret, & hoc infra duos menses proxime futuros.

RUBRICA

Contra impressores librorum.

CAP. I.

Imprimentes vel imprimi facientes librum aut scripturam sine licentia Vicarii in urbe, ordinariorum in aliis civitatib. graviter puniuntur, & inseritur constitutio Lateranen. Concilii.

Item, ut tollatur in futurum omnis occasio disseminandi errores & falsas hominum interpretationes, promulgavit, & in tota Florentina provincia observari mandavit extravag. S. D. N. Leonis Papæ X. in concilio Lateranen. nuper editam, quæ incipit. *Inter sollicitudines*; cujus tenor est.

CONSTITUTIO.

„ Inter sollicitudines nostris humeris, &
„ infra.
„ Quia tamen multorum querela nostrum
„ & sedis apostolicæ pulsavit auditum quod
„ nonnulli hujus artis imprimendi magistri
„ in diversis mundi partibus libros tam Græ-
„ cæ, Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldææ lin-
„ guarum in latinum translatos, quam a-
„ lios latino ac vulgari sermone editos,
„ errores etiam in fide ac pernitiosa dog-
„ mata etiam religioni Christianæ contra-
„ ria, ac contra famam personarum etiam
„ dignitate fulgentium continentes impri-
„ mere, ac publice vendere præsumunt, ex
„ quorum lectura non solum legentes non
„ ædificantur, sed in maximos potius tam
„ in fide quam in vita & moribus prola-
„ buntur errores. Unde varia sæpe scanda-
„ la (prout experientia rerum magistra do-
„ cuit) exorta fuerunt, & majora in dies
„ exoriri formidantur.
„ Nos itaque ne id quod ad Dei gloriam

ANNO CHRISTI 1517.

„ & fidei argumentum, ac bonarum artium, A
„ propagationem salubriter est inventum in
„ contrarium convertatur, ac Christi fide-
„ lium saluti detrimentum pariat super li-
„ brorum impressione curam nostram haben-
„ dam fore duximus, ne de cætero cum
„ bonis seminibus spinæ coalescant, vel
„ medicinis venena intermiscentur. Volen-
„ tes igitur de opportuno super iis reme-
„ dio providere, hoc sacro approbante con-
„ cilio, ut negocium impressionis librorum
„ hujusmodi comprosperetur felicius quo
„ deinceps indago solertior, & diligentius
„ & cautius adhibeatur.

„ Statuimus & ordinamus quod de cæte-
„ ro perpetuis futuris temporibus nullus
„ librum aliquem, seu aliam quamcumque B
„ scripturarum tam in urbe nostra quam
„ aliis quibusvis civitatibus & Diœcesi. im-
„ primere seu imprimi facere præsumat,
„ nisi prius in urbe per Vicarium nostrum
„ & sacri palatii magistrum; in aliis vero
„ civitatibus & Diœcesibus per episcopum
„ vel alium habentem peritiam scientiæ li-
„ bri seu scripturæ hujusmodi imprimendæ,
„ ab eodem episcopo ad id deputandum,
„ ac inquisitorem hæreticæ pravitatis civi-
„ tatis sive Diœcesi. in quibus librorum im-
„ pressio hujusmodi fieret, diligenter exa-
„ minentur, & per eorum manu propria sub-
„ scriptionem sub excommunicationis sen-
„ tentia gratis & sine dilatione imponendam C
„ approbentur.

„ Qui autem secus præsumpserit ultra
„ librorum impressorum amissionem, & il-
„ lorum publicam combustionem, ac cen-
„ tum ducat. Fabricæ Basilicæ Principis A-
„ postolorum de urbe sine spe remissionis
„ solutionem, ac anni continui exercitii
„ impressionis suspensionem, excommunica-
„ tionis sententia innodatus existat, ac de-
„ mum ingravescente contumacia taliter
„ per episcopum suum vel Vicarium no-
„ strum respective per omnia juris remedia
„ castigetur, quo alii ejus exemplo similia
„ minime attemptare præsumant.

RUBRICA

De raptoribus.

CAP. I.

Renovantur constitutiones Archiepiscopi Cosmi contra occupantes bona archiepiscopatus & quarumcumque ecclesiarum.

Contra occupantes bona Archiepiscopatus, & quarumcumque ecclesiarum possessiones & bona, acceptavit, & in tota E
Florentina provincia observari voluit duas constitutiones Reverendissimi Cosmi Archiepiscopi Florentini positas in titulo de raptoribus.

CAP. II.

Excommunicat invadentes vel ratam habentes invasionem ecclesiarum vacantium eosque inhabilitat ad omnem provisionem de ecclesiis sic invasis sibi faciendam altisque afficit pœnis.

Item, ad reprimendam insolentiam nonnullorum laicorum, qui divina humanaque ausu confundentes temerario, cum vident ecclesiæ rectorem mortuum aut morti vicinum ecclesias invadunt, spoliant, & B
positis ibi armatis prohibent ne illæ cui de jure ecclesia competit, possit vacantis ecclesiæ possessionem apprehendere, consumunt deinde quascumque ibi substantias reperiunt omnia profanantes.

Declaravit, pronunciavit, & statuit præfata synodus omnes laicos & clericos cujuscunque status ac conditionis sint, sive nobiles ac illustres seu plebei eo ipso excommunicationis sententiam incurrere, quotiens ausi fuerint alicujus vacantis ecclesiæ, vel quæ de proximo vacare speratur, per se vel per alium possessionem apprehendere, aut ejus bona quomodolibet invadere sine literis sanctissimi domini nostri Papæ, aut ordinariorum, quas literas præsentare C
teneantur quando beneficii possessionem accipiunt.

Item, & amplius eosdem sic invadentes vel talem invasionem verbo aut facto ratam habentes omni jure, quod super hujusmodi invaso beneficio haberent, privatos esse, & omnem postea electionem aut præsentationem, aut quamcunque provisionem de talibus sic invadentibus, aut invasionem ratam habentibus factos nullius momenti, aut valoris esse declaravit, pronunciavit & statuit, omnes quoque taliter invadentes, aut invasioni consilium, auxilium, ac favorem præstantes in ducatis centum condemnavit, D
applicandis, si laici sint, dimidia Dominis octo; si vero clerici, ordinariorum fisco, dimidia Christi pauperibus. Ea autem quæ de bonis ecclesiæ consumpta aut ablata reperientur in duplo restituenda esse decrevit.

RUBRICA

De usuris.

CAP. I.

Usurarios cogi ad librorum suorum editionem nisi impossibilitas excuset.

In materia usurariæ pravitatis ter disputatum est, & multæ fuerunt per sacræ Theologiæ & canonum magistros discussæ, & subtiliter ventilatæ quæstiones, ex quibus firmatæ & in statutum redactæ sunt conclusiones quæ sequuntur.

In primis namque statuendo decrevit, convicto de usuris vel de contractibus emptionis & venditionis, qui ex eo quod propter

pter temporis dilationem carius vendatur, usurarii nuncupantur; item eum quem notorium est usurarios inire contractus, semper quando contra eum super hujusmodi causis agitur, teneri ad librorum suorum editionem, quos si exhibere pertinaciter recusaverit pro convicto haberi voluit, nisi eum excusaret impossibilitas edendi. Quam impossibilitatem probari voluit aliter quam per proprium juramentum.

CAP. II.

Usurarius qui malitiose effecit, ne libri sui possent edi, habetur pro convicto.

Immo statuit quod si usurarius devenit ad hanc edendi impossibilitatem malitia propria, ut quia scribebat in cedulis, & postea lacerabat eas, vel quia laceravit libros suos, stari debere juramento repetentis usuras super solutione illarum.

CAP. III.

Usurarius quando cogatur edere libros.

Sed quia multi calumniose agunt contra aliquem de usuris, ut cogant eum ad librorum suorum editionem, statuit in causa usuraria nullum posse cogi edere libros suos, nisi prius judici saltem summarie constet, eum qui de usuris impetitur usurarium esse, vel habere aliquam ingentem usurarum præsumptionem contra se.

CAP. IV.

Libris usurariorum fides non adhibetur, nisi in eorum præjudicium.

Libris autem eorum, qui de usuris convicti sunt, nullam in ipsorum favorem usurariorum fidem adhibendam esse declaravit, etiam si sint mercatores, & habeant libros mercatorum more regulatos & ordinatos. Quam enim fidem habere possunt scripta ejus quem constat nullis conscientiæ stimulis detineri?

CAP. V.

Exceptio c. quia frustra, *quando opponi, & quanto tempore probari debeat.*

De exceptione autem *c. quia frustra*, quæ crebrius in judiciis contra repetentes usuras opponitur, ita declarando statuit eam posse opponi in quocumque judicio tam ordinariorum quam delegatorum, & debere opponi ante litem contestatam, nisi post litem noviter perveniisset ad ipsius rei notitiam. Quam quidem exceptionem probari debere infra decem dies utiles, postquam admissa fuerit, statuit, quo termino elapso talis exceptio nullum præstet impedimentum negocio principali.

CAP. VI.

Probata exceptione c. quia frustra, *non absolvit reus, sed judex ex officio procedit & mandat deponi, ut hic.*

Post probationem autem talis exceptionis, licet actorem excludendum esse declaraverit, donec legitime satisfecerit, tamen ipsum reum non statim absolvi voluit, sed contra eum procedi debere ex officio judicis statuit, donec convincatur. Huncque convictum cogi deponere apud camerarium curiæ episcopalis, quod per usurariam pravitatem extorsit. Deinde actorem expectari per tres menses, ut si interim restituat, quas ipse ab aliis usuras extorsit, depositum recipiat; alias eo qui præmittitur termino elapso voluit usuras depositas esse in pauperum usus erogandas, adempta omni facultate actori eas ulterius repetendi.

CAP. VII.

Singulares testes, & illi cum quibus usuræ celebratæ sunt, mulieres & prosenetæ admittantur ad probandum usurariam pravitatem.

Ad convincendas quoque usurariorum malitias, qui tot palliis pravitatem suam involvunt, ut vix firma unquam super iis probatio haberi possit, statuit ad probandum consuetudinem alicujus de celebrandis contractibus usurariis, admitti posse testes singulares, etiam eos, a quibus usuras extorsisse, aut cum quibus usurarios contractus iniisse constiterit, dummodo renuncient commodo quod sibi exinde provenire posset. Item & prosenetas & mulieres ac omnes testes, qui a probando simoniacam labem non reiicerentur.

CAP. VIII.

Probatio per unum testem cum juramento partis convincit solitum fœnerari.

Item, & ad probandum aliquem recepisse usuras ex mutuo jam soluto, declaravit sufficere unum testem, si sit legitime probatum illum esse consuetum mutuare pecunias suas sub usuris, accedente juramento ipsius partis.

CAP. IX.

Quando contractus judicetur usurarius ex modicitate precii cum pacto de retrovendendo.

Item & cum longe lateque disputaretur illa quæstio: An modicitas precii cum pacto de retrovendendo faciat contractum dici usurarium; inter varias doctorum hinc inde adductas opiniones, hanc sibi interpretationem assumpsit, & secundum illam

ANNO CHRISTI 1517.

ſtatuit, ut ſi ſimus in eo qui ſolitus eſt fœnerari, & emerit rem cum tali pacto de retro vendendo, ſi minoritas precii eſt ultra quartam, ita ut ſi res valebat quadringentis, ſit empta minoris trecentis, contractus præſumatur in fraudem uſurarum confectus. Sed in eo qui non eſt ſolitus foenerari tunc voluit contractum præſumi ſimulatum, cum minoritas precii eſt ultra tertiam juſti precii, ut ſi fundus qui valebat trecenris venditus eſt minoris ducentis; ideſt pro centum & nonaginta, appoſito illo pacto de retrovendendo. Quem tamen valorem attendendum eſſe ſecundum tempus initi contractus, & ſecundum mediocritatem inter exceſſum & defectum voluit. Ecce ſextariolum terræ in eodem fundo ab aliquibus venditur octo, ab aliquibus xii. minoritatem & defectum in precio, non a xii. nec rurſus ab octo, ſed a decem computari debere ſtatuit.

CAP. X.

Emens prædium, & ſtatim locans, cum pacto, ut poſt certum tempus redimatur pro eodem majorive precio eſt uſurarius.

De iſtis autem qui emunt fundum pro certo precio, & illum ſtatim venditori locant hac adjecta conditione, ut poſt certum tempus venditor illum pro eodem majorive precio redimere teneatur, ita declaravit, ut hujuſmodi emptores uſurarii judicentur, cum ex contractus tenore appareat ipſos voluiſſe interim vel exceſſum precii vel penſionem, de qua conventum fuit, lucrari.

CAP. XI.

Qui pro pecuniis depoſitis quidquam exigunt uſurarii ſunt.

Item, & pernitioſam quamdam nonnullorum piorum locorum corruptelam abolere volens, quorum adminiſtratores, viduarum, pupillorum, & aliorum quorumcumque hominum depoſita accipiunt ad numerum, & ipſis deponentibus ad rationem quinque aut ſex pro centenario reſpondent, quo plerique exemplo ducti quaſi licitum ſit quod ab eccleſia toleratur, & ſic pecunias ſuas pro tali emolumento annuatim conſequendo apud eadem loca deponunt; declaravit omnia depoſita talibus intentione & pacto facta eſſe uſuraria & in pernitiem animarum a diabolo inventa: & ideo præcepit omnibus rectoribus, abbatibus, hoſpitalariis, & aliis quibuſcumque locorum piorum rectoribus, gubernatoribus quocumque nomine cenſeantur, ſub officii, beneficii, adminiſtrationumque ſuarum privationis pœna, ne ſimiles deinceps contractus ineant, depoſitaque talibus aut pactis aut intentionibus recipiant. Declaravitque omnes tam maſculos quam fœminas pro talibus depoſitis ultra ſortem aliquid recipientes uſurarios eſſe, & eoſdem in utroque foro ad uſurarum ſic acceptarum reſtitutionem teneri.

Verumtamen ſi contingeret campſorem aut quemcumque alium depoſitarium ex pecuniis penes ſe depoſitis vel prædia emere, vel alias negociari, & libere ac ſponte lucri partem, ei qui depoſuit donaret, id recte tuteque accipi poſſe declaravit, dummodo aliam fuiſſe deponentis cauſam conſtet.

CAP. XII.

Valet ſtatutum quod dentur quinque pro centenario, poſitis in tenutam bonorum, niſi fiat in fraudem uſurarum. Quomodo autem dicatur fraus fieri hic deſcribitur.

Diſputarunt & aliam quæſtionem, an illa quinque pro centenario, quæ dantur a ſtatuto Florentino, miſſis in tenutam bonorum creditoris, licite caperentur a creditore abſque aliquo uſurariæ labis vitio; interpretata eſt ſynodus tale ſtatutum valere, & lucrum quod ex tenuta hujuſmodi percipitur in utroque foro licitum, exploſa quorumdam ſuperſtitioſorum opinione.

Quod utique obtinere judicavit, quando in uſurarum fraudem nihil fieret. Alias ſi de fraude ſignis aut conjecturis conſtare poſſet, declaravit nullo ſuffragante ſtatuti aut conſuetudinis rigore, eum qui talia lucra accepit teneri in utroque foro ad efficacem reſtitutionem, perinde ac ſi nullum fuiſſet ſtatutum.

Fraus autem fiet, ſi ſtatim, ideſt ante finem unius menſis poſtquam debitor factus eſt debitor, creditor, debitore non contradicente, hujuſmodi tenutam adeptus eſt. Vel ſi apparuerit pecuniam qua quis debitorem ſe confeſſus eſt poſt adeptam tenutam fuiſſe numeratam.

Item, et ſi cauſa propter quas quis talem tenutam adeptus fuerit, tempore adeptæ poſſeſſionis erat injuſta, tenutarium ad percepti lucri reſtitutionem cogendum eſſe voluit.

CAP. XIII.

Quare non fuerunt omnia diſputata deciſa.

Multa quoque alia in uſurarum materia dubia propoſita & diſputata ſunt; ſed propter varias magiſtrorum opiniones indeciſa remanſere.

RUBRICA

De adulteriis & ſtupriis.

CAP. I.

Poena abducentis, aut cognoſcentis meretricem alteri matrimonio copulatam.

Et ſi jura etiam pontificia ejus reatum nulla cenſura feriant, qui publicæ meretricis amplexibus inquinatur; volens tamen hæc ſancta ſynodus matrimoniorum ſecuritati conſule-

fulere condemnavit in ducatis quinque auri, pauperibus dimidia, accusatori pro reliquo applicandis, quicumque cognoverit meretricem extra lupanar, quam alteri matrimonio copulatam esse noverit. Illum autem qui talem mulierem abduxerit, aut eam in lupanari vel extra turpis quæstus gratia tenuerit in ducatis centum, dimidia Dominis octo, quarta accusatori, reliqua Christi pauperibus applicandis, condemnavit; voluitque nihilominus ipsum scelerati hujus lucri aucupatorem, si non destiterit, excommunicari. Mulieri autem quæ talia volens patitur, mitræ dehonestationem, & perpetuum carceris exilium, si judici visum fuerit, indici voluit.

CAP. II.

Poena eorum qui alienas uxores penes se retinent.

De iis autem qui alienas uxores penes se retinent, adulterii culpam sub ancillaris servitii nomine prætexentes, ita statuit, ut si talis sit, de qua merito sit adulterii suspitio, onerataque sit super hoc retinentis fama, eo ipso in ducatis centum, dimidia Dominis octo, quarta Christi pauperibus, quarta accusatori partibus applicandis: non suspectas autem tenere, dummodo mariti accedat assensus, non prohibuit.

CAP. III.

Graviter plectuntur qui consanguineam, aut monialem, etiam meretricem cognoscunt, gravius qui monialem abducunt, aut in matrimonium accipiunt.

Idem statuit de cognoscentibus meretricem, consanguineam vel monialem, ejus tamen poenam ob sceleris immanitatem augendo qui hujusmodi moniales abduxerit tenueritve eum excommunicatum intestabilemq. esse voluit, privatumque omni feudo ac beneficio ecclesiastico, tradendumque sæculari curiæ, ut legitimam tanti sceleris vindictam ultoribus flammis experiatur.

Eum quoque qui monialem sibi matrimonio copulaverit, aut pro concubina tenuerit, eisdem poenis subjacere voluit.

CAP. IV.

De tenentibus moniales in domo, aut eas simpliciter cognoscentibus.

Qui vero monialem professam, licet non suspectam, absque ordinariorum licentia in domo tenuerit in ducatis XXV. monasterio in quo professa erat applicandis condemnavit. De cognoscentibus autem simpliciter moniales servari voluit, quod habetur in titulo de Monialibus.

CAP. V.

Poena cognoscentium consanguineam, aut pupillam.

Sacrilegam & abominandam libidinem eorum qui naturæ foedera rumpentes cum propriis matribus aut filiabus commiscerí non verentur, compescere volens hæc sancta synodus statuit, ut siquidem clericus fuerit qui cum matre, aut filia rem carnaliter habuerit, beneficiis eo ipso privatus degradetur perpetuoque in carceribus detrudatur ad poenitentiam peragendam. Si autem laycus sit, aut sæcularis, & Judex illum juxta legitimos tramites punivit, aut punire paratus est, ei relinquatur, alias per ecclesiasticum judicem multetur & perpetuis vinculis coerceatur. Parem quoque poenam esse voluit filiæ, quæ commiscebitur filio, & socrui, quæ commiscebitur genero. Simili quoque poena feriri voluit patres & matres qui proprias filias publice prostituunt.

Fratrem qui sorore carnaliter abusus fuerit, aut uxore fratris sui in ducatis centum, pro tertia delatori, pro reliquo christi pauperibus applicandis; si dives sit multari voluit; alias fustigari vel alia corporali poena affici.

Simili poena feriri voluit tutorem qui pupillam stupraverit, ampliusque cogi ad eam dotandam.

CAP. VI.

Vitians virginem, vel dotet vel in uxorem accipiat.

Quinimmo generaliter statuit, ut quicunque virginem stupraverit, cogatur vel accipere eam in uxorem, vel dotare dote convenienti & ampliori quam expoſceretur si non esset stuprata. Quia stuprata difficilius maritum reperire potest; hoc judicis arbitrio declarari voluit.

CAP. VII.

Acriter insurgit contra sodomitas & eos qui pueros prostituunt.

Crimen illud nefandum propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, a Christi fidelibus avertere intendens, hæc sancta synodus clericos hujusmodi infando crimine convictos puniri voluit, ut in titulo de vita & honestate clericor. in isto volumine. Laycos autem infames intestabilesque esse declaravit, ampliusque in ducatis quingentis, per dimidia Dominis octo, pro sexta accusatori, pro reliquo Christi pauperibus applicandis, nisi alias meritis per sæcularem potestatem fuissent affecti suppliciis. Idemque in omnibus observari voluit contra eos, qui pueros lucri vel alterius commodi causa prostituerint seu lenonis officium in eis corrumpendis exercuerint.

CAP.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. VIII.

Contra parentes qui filias proprias prostituunt.

Sceleratum quoque parentum & quorundam aucupium qui proprias filias lucri gratia prostituunt ita puniri voluit, ut á tali scelere compescantur. Condemnavit igitur eos in ducatis vigintiquinque, & si per annum in hujusmodi turpitudine publice perseveraverint, fustigari, aut acriori, ut judici videbitur poena plecti voluit, ob saecularis judicis negligentiam.

Reliquas constitutiones ad titulum pertinentes require in tit. de vita & honestate cle. & in ti. de monialibus.

RUBRICA

De foro competenti deque appellationibus.

CAP. I.

Causas in prima instantia ventilandas coram ordinariis, & removet appellationem ab interlocutoriis.

Quoniam ecclesiasticus ordo confunditur si sua cuique jurisdictio non servetur, antedicta synodus sequendo vestigia Leoninæ constitutionis in Lateranensis concilii consessu habitæ, statuit & ordinavit omnes causas spirituales, civiles & mixtas, & ecclesiasticum forum quomodolibet concernentes, dummodo non sint de beneficiis reservatis vel excedentibus valorem florenorum XXV. auri de Camera, in prima instantia semper ventilari debere usque ad diffinitivam sententiam inclusive in curiis ordinariorum suorum, nec posse per quascunque appellationes ab interlocutoriis, vel futuris gravaminibus interpositas sub quocunque quæsito colore removeri, quas appellationes innitendo præfatæ constitutionis Lateranensis ordinationi, ut frivolas & nullas respui posse & debere voluit, nisi esset talis interlocutio, quæ diffinitivæ vires contineret, vel quæ in diffinitiva reparari minime posset.

CAP. II.

Ubi sint ventilandæ causæ in secunda & tertia instantia, & coram quibus judicibus.

In secunda autem & tertia instantia, nisi sint de beneficiis, ut dictum est, reservatis vel excedentibus valorem florenorum XXIV. vel nisi essent profanæ excedentes summam florenorum ducentorum auri de camera tractari debeant in civitate Florentiæ vel coram archiepiscopo & ejus Vicario. Quando erit appellatum a sententiis suffraganeorum: vel coram judicibus a sede apostolica delegatis in casibus ubi necessaria est Apostolicæ sedis commissio.

Quos quidem judices commissarios deputandos esse debere voluit unum vel plures ex numero eorum, qui erunt descripti in rotulo, de quo inferius dicetur: & partes quæ extra descriptos in præfato rotulo judices, impetraverint, puniri voluit, ut inferius dicetur in alia constitutione.

CAP. III.

Poena procurantium causas ventilari vel committi alibi quam coram judicibus deputatis.

Eos igitur notarios, procuratores vel advocatos, qui contra præmissa, causas in prima instantia directe vel indirecte tractari per alium quam per ordinarium suum, & in secunda & in tertia instantia committi alicui judici non descripto in rotulo prædicto, vel qui aliter contra præmissa vel aliquid eorum quicquam fecerint aut procuraverint, eo ipso ingressu curiæ ordinariorum suorum a quibus causam amoverunt privatos esse voluit, nisi celeriter ideſt intra octo dies causam ad locum debitum restitui cum effectu procuraverint, de notariorum & procuratorum rotulo sine restitutionis spe abradendos.

CAP. IV.

Quid agendum sit quando ordinarius recusatur ut suspectus.

Sed ne tamen cogatur quis litigare coram judice suspecto, statuit, ut si quis recusaret primam causam suam in prima instantia coram ordinario suo agitare: compareat & alleget suspitionis causam. Tuncque ut juris est eligentur tres arbitri qui suspitionis causam intra quindecim dies terminent. Quibus elapsis si non fuerit diffinita suspitionis causa judex ordinarius procedat in causa, rejectis omnibus appellationibus & recusationibus.

Hos autem arbitros eligi voluit sorte ex numero eorum, qui erunt descripti in rotulo prædicto.

Et si contingeret pronunciari per eosdem arbitros electos ordinarium esse merito suspectum, voluit extrahi quatuor ex judicibus rotuli prædicti, & ordinarium teneri uni eorum vel duobus, si videbitur, causam committere, a quibus judicibus si postea contingat appellari, voluit servari omnia, quæ servari debent, quando ab ipso ordinario appellatur.

CAP. V.

Notarium non posse rogare acta vel procuratoris officium exercere, nisi sit descriptus in rotulo.

Item statuit nullum notarium posse tractare causas aut scribere acta, vel procuratoris officium exercere quomodocunque coram aliquo judice ecclesiastico, sive ordinario, sive delegato, nisi sit de notariis aut procuratoribus deputatis in curia Floren. aut Fesulana ordine & modo inferius describendo.

CAP.

CAP. VI.

Numerus notariorum qualis esse debeat, & quod non possint acta per alium scribere.

Statuit igitur & ordinavit numerum omnium notariorum deputandorum ad acta conscribenda non excedere numerum quatuordecim, quorum duodecim deputari possint in curia archiepiscopali, & duo in curia Fesulana, qui universa judicii acta per se originaliter non per alium & scribere debeant, nisi aliquo legitimo impedimento vellent subrogare unum de illis qui sunt descripti in albo notariorum antedicto; alias si per alium aliter quam supra dictum est, acta conscripserint, eo ipso per mensem ab hujusmodi actibus conscribendis sint suspensi.

Subnotarios autem habere possunt pro actibus exemplandis, & copiis exhibendis de licentia ordinariorum suorum, quot voluerint.

CAP. VII.

De sufficientia notariorum, & quales esse debeant qui assumuntur.

Item, quod notarii assumendi in tali numero debeant esse competentis literaturæ, ita ut sciant saltem grosso modo grammatice loqui ac intelligibiliter scribere, & alia quæ ad notarii ecclesiastici officium pertinent exercere.

Et ideo decrevit nullum admitti nisi prius per sex menses saltem steterit sub disciplina alicujus periti notarii de illis qui sunt in antedicto XIIII. notariorum albo descripti.

Item nisi prius examinentur a collegio notariorum hujusmodi & reperiantur idonei, & per archiepiscopum, vel ejus vicarium approbentur cum consilio præsidentis rotæ judicum, qui pro tempore erit, si notarius deputandus erit de illis qui habent scribere acta in archiepiscopatu Florentino alias approbari debeant per reverendum episcopum Fesulanum cum consilio similiter præsidentis antedicti, excepta ista prima notariorum deputatione, quam ad reverendissimum archiepiscopum Florentinum, & episcopum Fesulanum pro rata ita pertinere voluit, ut non sit opus præcedere aliquod notariorum examen.

CAP. VIII.

Ad quem pertineat notariorum depositio.

Depositionem autem & privationem hujusmodi notariorum, si quando exegerint demerita sua, ad ipsos archiepiscopum & episcopum pro numero in curiis suis deputatorum pertinere voluit.

CAP. IX.

Procuratoris officium nullus exercere potest, nisi sit deputatus per habentes auctoritatem.

Item, & similiter ne vituperetur ministerium Florentinæ curiæ ex procuratorum imperitia, statuit nullum posse procuratoris officium exercere in causis vertentibus coram ecclesiasticis judicibus, nisi, sint examinati & approbati, ut supra, & descripti in albo ecclesiasticorum procuratorum; quæ deputatio fieri debeat per archiepiscopum Florentinum, episcopum Fesulanum & præsidentem rotæ, de personis idoneis & habentibus aliqualem juris peritiam, & hoc nisi essent causæ breviores, in quibus sine strepitu & figura judicii proceditur, quoniam tunc voluit admitti quosque ad officium hoc exercendum.

CAP. X.

Procuratores non possunt acta conscribere.

Hoc semper intellecto, quod nullus exercens officium procuratoris possit se aliquatenus intromittere in actibus conscribendis, nec econverso aliquis actuarius possit exercere officium procuratoris sub poena abrasionis e rotulo in quo descriptus est.

CAP. XI.

Procurator cogitur defendere gratis miserabilem personam.

Et si contingeret miserabilem personam litigare, voluit quod judex coram quo judicium vertitur, teneatur eligere unum de procuratoribus descriptis, & consignare illam causam defendendam; & quod procurator ita electus teneatur gratis officium suum impendere sub poena privationis & abrasionis de rotulo, nisi haberet aliam consimilem causam, qui tunc poterit se excusare si volet, & Judex tenebitur eligere alium non habentem similem causam.

CAP. XII.

Notarios actuarios esse extrahendos sorte in causis excedentibus summam librarum L. exceptis criminalibus & feudalibus, & beneficialibus, quas sibi archiepiscopus reservavit.

Item, ad tollendas suspitiones in judiciis, quæ non minus oriuntur contra notarios quam contra Judices, statuit & ordinavit in omnibus causis non executivis, excedentibus summam librarum quinquaginta, sive agatur coram ordinariis, sive agatur coram delegatis aut conservatoribus, & aliis quocunque nomine censeantur, notarios e communi bursa extrahi debere hoc modo. Videlicet, ut si causa sit coram ordinario jure ordinario, extrahatur notarius de bursa

ANNO CHRISTI 1517.

ſa notariorum curiæ illius ordinarii. Si autem jure delegationis coram ipſo vel coram alio extrahatur notarius de burſa communi omnium notariorum, quæ burſæ retineantur, & in eis retinendis obſervetur conſuetudo hactenus in archiepiſcopali curia obſervata; & ſi contingeret quemquam Judicem ſine notario taliter extracto procedere in cauſa, voluit judicium ita agitatum eſſe nullum, & notarium contra præmiſſa ſcribentem eo ipſo eſſe abraſum de albo aliorum notariorum, & a reverendiſſimo archiepiſcopo etiam gravius, ut ſibi videbitur, puniendum, etiam ſi ſit de notariis non deſcriptis. Hæc tamen omnia intelligi voluit, dummodo non ſint cauſæ criminales vel feudales archiepiſcopatus Florentiæ vel beneficiales ratione collationis vel inſtitutionis ab archiepiſcopo Florentino factarum, quoniam omnes præmiſſas cauſas, quando in præfati archiepiſcopi curia jure ordinario ventilabuntur, præfatus archiepiſcopus ſibi reſervavit ad libitum ſuum diſtribuendas inter notarios.

CAP. XIII.

Quæ ſint illa de quibus non poſſunt eſſe rogati alii quam notarii in rotulo deſcripti.

Item ſtatuit nullum notarium poſſe rogare contractus rerum eccleſiaſticarum, aut qualitercunque ad eccleſiaſticum forum pertinentium, ut decretorum interpoſitiones, beneficiorum renunciationes, vel ad renunciandum procurationes, ſponſaliorum diſſolutiones, & ſimilia, niſi ſint deſcripti in numero actuariorum ſubſtitutorum, vel procuratorum curiæ Florentinæ & Feſulanæ. Scripturas autem ſuper præmiſſis ab aliis quam ad antedictis notariis factas, ſcriptas, & rogatas nullam in eccleſiaſticis judiciis fidem facere ſtatuit & ordinavit, niſi prædicti contractus eſſent rogandi extra civitatem Florentiæ, qui tunc rogatos per alios fidem facere voluit.

RUBRICA

De rotulo judicum delegatorum.

CAP. I.

Ut judices deſcribendi in rotulo ſint doctores, & in dignitate conſtituti; excipit tamen quosdam.

Quoniam quotidiana nos docet experientia ob delegatorum judicum imperitiam multas partibus injuſtitias fieri, & multotiens eccleſiaſticæ juriſdictionis miniſtros vituperari, & ſcandali occaſionem naſci apud ſæculares præſertim homines ex tanta judicum ſocordia, ſtatuit & ordinavit perpetuis futuris temporibus eſſe & fieri debere unum rotulum hominum habentium tamen qualitates, quas in Judicibus delegatis jura requirunt, extra quod collegium Judex a partibus nullatenus impetrari poſſit in civitatibus Florentiæ aut Feſularum, aut in earum Diœceſibus.

In uno quidem rotulo eo ipſo deſcribi & pro deſcriptis haberi voluit, reverendum archiepiſcopum Florentinum, & ejus pro tempore vicarium; epiſcopum Feſularum, & ejus pro tempore vicarium, necnon reverendos abbates generales cujuſque ordinis, quos in civitatibus aut Dioeceſibus prædictis commorari contingeret, abbatem abbatiæ Florentinæ, etiam ſi doctorati non fuerint.

Item & omnes canonicos cathedralis eccleſiæ Florentinæ, & Priorem collegiatæ eccleſiæ ſancti Laurentii, qui in jure canonico vel civili doctorati fuerint in rigoroſo examine, alias non. Nec non & cæteros viros praticos & doctos, quos iſta prima Rotuli formatione deſcribendos eſſe judicaverit præfatus Reverendiſſimus archiepiſcopus, aut ejus Vicarius, dummodo habeant qualitates a jure requiſitas.

Conſtituto autem & ordinato hujuſmodi rotulo ſemel ſtatuit & ordinavit, ut dictum eſt, nullum admitti poſſe, qui non habeat doctoratus gradum, dignitates vel doctrinam, de quibus ſupra.

CAP. II.

Electio deputandorum in rotulo ad quem pertineat.

Electionem autem deputandorum in hoc rotulo poſt hanc primam vicem voluit ſpectare & pertinere ad perſonas dicto rotulo deſcriptas; confirmationem vero ad Archiepiſcopum Florentinum excepta electione eorum qui habent dignitates prænotatas, aut qui ſunt canonici præfatæ eccleſiæ Florentinæ altero jure rigoroſo examine doctorati, quia voluit nullo requiſito conſenſu Archiepiſcopum poſſe & debere illos in præfatorum judicum rotulo deſcribi facere.

CAP. III.

Puniuntur qui cauſas in rotulo non deſcriptis committi procuraverint.

Omnes autem cauſarum commiſſiones fieri procurantes quoquo modo in civitate Florentiæ, aut Feſularum vel earum Dioeceſibus judicibus, qui in hujuſmodi rotulo non fuerint deſcripti, eo ipſo pœnis, de quibus ſupra dictum eſt, ſubjacere voluit, poſtquam præſentes conſtitutiones a Sanctiſſimo D. N. Papa confirmatæ fuerint.

CAP. IV.

Quæ cauſæ pertineant ad forum eccleſiaſticum.

Ad eccleſiaſticum vero forum pertinere declaravit omnes cauſas clericorum & religioſarum perſonarum, ſocietatum, hoſpitalariorum, heremitarum, & aliorum locorum piorum, quomodocumque in judicio ipſos comparere contingat, agendo ſive defendendo, ſive etiam teſtificando, condemnando in libris decem ordinariorum fiſco adiiciendis omnes clericos & religioſas perſonas,

onas, quæ vel agendo, vel excipiendo, vel teſtificando, vel aliter quomodocumque A eculari ſeſe foro ſubjecerint ſine ordinariorum ſuorum licentia.

CAP. V.

Vaſſallus clericus poteſt privari feudo a laico, non tamen in perſona aut aliis bonis moleſtari.

De clericis tamen laicorum vaſſallis ratione feudi quod a laicis tenent ita judicari poſſe declaravit, ut ſcilicet feudo privari poſſint, & in ſe feudalibus bonis contra eos fieri executio; in perſona autem aut ecclesiaſticis bonis nullatenus diſtringi poſſe B ut judicari.

CAP. VI.

Enumerat quaſdam ſpecies cauſarum eccleſiaſticarum.

Cauſas quoque uſurarum, ſimulatorum contractuum, uſurariam pravitatem quomodolibet ſapientium, decimarum, matrimoniorum, beneficiorum, hæreſis, ſimoniæ, ſacrilegii, juris patronatus, & omnes alias cauſas quæ jure vel conſuetudine eccleſiaſticæ judicari ſolent, in eccleſiaſtico tantum foro diſcuti ac judicari ſtatuit, omneſque C proceſſus ac ſententias ſuper præmiſſis coram ſæcularibus judicibus agitatos, aut latas eſſe nullius roboris aut momenti, nec quidem indicium facientes ad judicium eccleſiaſticum, niſi in præmiſſis acceſſerit ordinariorum licentia.

CAP. VII.

Enumerat cauſas mixti fori, in quibus dicit locum eſſe præventioni.

Item in cauſis autem extra præmiſſa pietatem concernentibus, ut reprimere divites ne carius debito victualia vendant, ne D promatarii res adulteratas, ut fartores, lanii, piſtores, & hujuſmodi habeant menſuras & pondera juſta.

Cauſæ dotis, viduarum, pupillorum, & aliarum miſerabilium perſonarum; coactio laicorum ad ſatisfaciendum legatis piis, puire perjuros, adulteros, ſtupratores virginum, ſodomitas, ſacrilegos, inceſtuoſos, concubinarios, violatores pacis, effractores eccleſiarum, blaſphematores Dei & ſanctorum, vendentes, aut laborantes diebus feſtivis, aut feſta quomodolibet inhonorantes, E cantes domos publicis uſurariis, piratas eu curſarios cum ſuis fautoribus ſpolianes chriſtianos, qui naufragium patiuntur, ublicos latrones, deferentes arma, ferum, lignamina, & merces vetitas ad Saacenos, & alia crimina quæ mixti fori judicari ſolent, voluit locum eſſe præventioni, ita ut ſufficienter punitus in foro eccleſiaſtico, in ſæculari nullatenus puniri poſſit, & e contra.

CAP. VIII.

ANNO CHRISTI 1517.

Conjugati non gaudent privilegio clericali niſi in habitu & tonſura incedant, in non conjugatis ſervatur c. ſi judex.

Ad tollendas tamen fraudes nonnullorum, qui ſub clericali pallio ſeſe ubilibet protegere volunt, & quandoque in fraudem creditorum promoveri procurant, ſæcularis tantum judicii declinandi cauſa; declaravit clericos conjugatos in nullo gaudere privilegio fori aut canonis, niſi clericalem habitum & tonſuram geſtaverint. Eum autem geſtare clericalia inſignia dici debere judicavit, qui per duos menſes ante delictum perpetratum, vel judicium motum portavit biretum, tonſuram more aliorum clericorum Florent. provinciæ. Quod in conjugatis obtinet, in aliis vero ſervandam eſſe voluit diſpoſitionem. c. *ſi judex* de ſentent. excom. in VI.

CAP. IX.

Fratres de tertio ordine, corrigiatæ & mantellatæ extra congregationes viventes, ut laici reputantur.

Quantum autem ad mantellatas, corrigiatas, & fratres de tertio ordine, & ſimiles perſonas attinet, ſtatuit & ordinavit, ſequendo ſtatuta Lateranenſis concilii in undecima ſeſſione nuper facta, eos poſſe conveniri coram laicis judicibus, & ab eiſdem judicari quando in propriis domibus ſine collegio habitant, ſecus autem quando ſimul in congregatione habitarent. Nec non & ejuſdem concilii veſtigiis inhærendo ſtatuit & ordinavit, eorumdem fratrum de tertio ordine, mantellatarum, corrigiatarum, & ſimilium in propriis domibus habitantium perſonas, quoad ſacramenta recipienda & jura parochialia omnia, ut ſæculares judicari, & pro ſæcularibus haberi debere, ſicque teneri a parochianis propriis extremam unctionem, Euchariſtiamin paſchate cæteraque eccleſiaſtica ſacramenta recipere, ipſoſque eccleſiarum rectores ab eccleſiis, apud quas ſepulturam elegerint, conſuetam funeralium partem exigere, non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcunque hactenus in contrarium obſervatis.

CAP. X.

Quid de illis qui lite contra eos mota ordinantur, vel profeſſiones emittunt.

Quo ad illos autem qui judicii ſæcularis declinandi gratia ordines aſſumunt aut profeſſionem emittunt, ſiquidem id jam lite contra eos mota faciunt, nullatenus prodeſſe declaravit, quo minus ab eo judice coram quo judicium inceptum eſt civiliter judicentur. Si autem ante motam litem ad clericales fuerint ordines promoti, ſæcularem effugere ſtatuit poteſtatem.

Quinimmo & criminaliter judicari poſſe

ANNO CHRISTI 1517.

declaravit quando accepti ordinis vel emissæ professionis tempore carceri addictus erat.

CAP. XI.

Clerici artem exercentes quando subsint judicibus artis.

Clerici quoque qui sæcularibus negociationibus & artificiis intendunt, societatem etiam cum laicis plerumque ineundo, ita decrevit, ut si sint in minoribus tantum ordinibus constituti, non incedentes in habitu & tonsura possint civiliter a rectoribus & judicibus artis quam exercent secundum illius artis statuta (nisi per ordinarium fuerit prærenta jurisdictio) judicari. Si vero in sacris a suo tantum ordinario; voluit tamen omnes scripturas, testes, consuetudines, instrumenta, quæ alias si causa agitaretur in foro sæculari fidem facerent, quoad negocium artis, ratione cujus convenitur, similiter alligari posse & fidem facere in judicio ecclesiastico.

CAP. XII.

Quando mercator effectus est clericus, contra eum admittuntur omnes probationes quæ admitterentur in foro sæculari.

Quod utique generaliter obtinere voluit, quandocumque in foro ecclesiastico est contentio de iis quæ gesta sunt a personis quæ tempore natæ obligationis suberant alicui foro, in quo leviores erant probationes, ut scilicet eædem probationes in foro nostro parem vim eamdemque habeant efficaciam. Ut si contingat mercatorem effici clericum, vel clericum mercatori succedere. In iis enim super quibus ratione hujusmodi mercaturæ conveniet vel convenietur clericus, scriptis ac libris eorundem eam adhiberi fidem voluit, quæ & in mercatorum foro adhiberi solet.

RUBRICA

De causarum avocationibus & inhibitionibus.

CAP. I.

Inhibitio concedenda pro omni causa ecclesiastica.

Quoniam ecclesiasticus ordo confunditur, si sua cuique jurisdictio non servetur declaravit judicem ecclesiasticum posse et debere cum primum requisitus fuerit omnes causas ecclesiasticas et spirituales quomodocunque inceptas coram judice sæculari, sive id principaliter, sive per accidens ad ecclesiasticum forum revocare inhibendo sub poenis et censuris, ut moris est.

CAP. II.

Prohibet inhibitiones fieri in fraudem. Et vult prius judices informari per signa & conjecturas, & postea inhibere.

Monuit tamen ecclesiasticos judices, ut sint diligentes et prospiciant nequid fraudis in hujusmodi avocationibus et inhibitionibus committatur; multi enim ut sæcularis judicii incoepti censuram devitent, quæsito usurarum colore, ut rem in longum protrahant ad ecclesiasticam confugiunt jurisdictionem; præcepit ergo omnibus judicibus ecclesiasticis sub poena periurii, ne statim sæcularibus judicibus coram quibus lis pendet inhibeant, cum petuntur; sed prius citent partem et capiant summariam informationem vel per instrumenta, vel per testes, vel per alias conjecturas etiam extrajudicialiter causam illam pertinere ad ecclesiasticam jurisdictionem, et postea inhibeant; quam inhibitionem postea simpliciter dari absque ulla termini prefixione voluit, cessantibus antiquis constitutionibus, quæ antea inhibitiones hujusmodi certis temporum angustiis concludebant.

CAP. III.

Quid agendum sit quando laycus cedit jura clerico contra laycum pulchra distinctione respondet. Et quid quando clericus layco jura sua cedit.

Præfata quoque synodus explicando dubia quædam in hujusmodi causarum avocationibus quotidie nascentia, statuit et declaravit, ut infra.

In primis cum quæreretur quid agendum sit quando laycus contra laycum cedit jura & actiones clerico vel alteri personæ religiosæ, rem hac distinctione firmavit, quod si tempore cessionis lis jam erat coram sæculari judice incoepta, ibi omnino terminari debeat, nulloque cessionarii prætextu ab eo valeat avocari. Et si ante inchoatum judicium cessionem fieri contingat, aut subest aliqua justa cedendi causa, fraudis præsumptione verisimiliter excludente (quod in judicis arbitrium referri voluit), & tunc placuit causam avocari posse; alias non. Sed omnem cessionem aliter factam ut fraudulentam nullius roboris esse declaravit; clericumque hujusmodi in fraudem factis cessionibus consentientem in libris decem condemnavit.

Eamdem quoque constitutionem obtinere voluit adversus clericos & religiosas personas, quæ ut ecclesiasticum forum declinarent jura sua & actiones layco concesserint.

CAP. IV.

Quando clericus nominatur ut defensor avocet causam a judicio sæculari ante litem contestatam. Si ut dominus & possessor indistincte avocat. Si ut dominus directus tantum distinguitur ut in litera.

Et cum quæreretur quando clericus nominatus a reo in judicio sæculari posset avocare causam ad judicem ecclesiasticum rem distinguendo firmavit. Et in statutum redegit.

Aut enim nominat clericum ut defensorem: aut nominat ut dominum & possessorem si ut defensorem, verbi gratia in causa evictionis; tunc si sumus ante litem contestatam vel quasi, clericus avocabit causam ad forum ecclesiasticum; si post litem contestatam, secus.

Si ut dominum & possessorem omni casu cognitio spectabit ad judicem ecclesiasticum, & causa avocabitur a sæculari cum inhibitione in forma, cum jura non permittant laycos de clericorum rebus judicare.

Sed si nominetur clericus in dominum tantum, legitima apud alium possessione remanente, ut quando esset laycus emphiteota vel usufructarius, & clericus esset dominus directus; siquidem agitur simpliciter ad fructus consequendos, & tunc possidenti nullatenus proderit nominatio, sed causa omnino terminari debeat coram sæculari judice; sed si actum fuerit rei vendicatione vel etiam ut habeatur possessio rei, vel per tenutam, vel per quodcumque aliud remedium extra casus antedictos, poterit causa ad ecclesiasticum judicem avocari secundum consuetudinem in Florentina curia hactenus observatam; nam licet hoc secundo casu videatur agi contra jura layci, quærendo ab eo possessionem quam habet amoveri; tamen maxime interest clerici non mutare possessorem in rebus, quæ ad eum jure directo pertinent, ne in eventum caducitatis duriores inveniat detentores. Item, cum hujusmodi possessiones dominii ad se partem trahant, iniquum est eas sine ecclesiastica auctoritate cuiquam adjudicari.

CAP. V.

An quando clericus comparet in judicio ut tertius possessor, causa avocetur a judice sæculari.

Et cum quæreretur quid dicendum esset, quando causa possessionis agitatur contra laycum in suo foro, & clericus comparet ut tertius possessor, an possit causam ad ecclesiasticum judicium trahere, ita statuit: Ut si possessio clerici habet causam a reo convento directe vel indirecte, & id post motum judicium, vel etiam ante motum judicium, quo tempore sperabatur litem moveri, ut quia intra duos menses ante motum judicium, tunc causa agitetur & decidatur coram judice laico, nisi clericus ostenderit arte motum judicium rem a laico ex justis & rationabilibus causis habuisse.

Si vero possessionis allegatæ a clerico causa non dependeat a reo extra casus præmissos causam avocari posse decrevit.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. VI.

Inhibitio debet fieri judici sæculari, sine præjudicio processus, quando petitur post litem contestatam.

In omni tamen casu inhibitionis concedendæ per ecclesiasticum judicem ad tollendas improborum calumnias, qui quandoque circa periodum litis petunt inhiberi cum periculo instantiæ, quæ petit, declaravit omnes inhibitiones, quæ de cætero fient judici sæculari post litem contestatam vel quasi fieri debere sine præjudicio processus secundum practicam hucusque a multis observatam; cujus inhibitionis effectus erit, ut si ex deductis postea in causa videretur judici ecclesiastico secundum juris dispositionem causam primo judici remittendam, pronunciatio interim facta convalesceret, perinde ac si nulla emanasset inhibitio etiam, non obstante quacumque appellatione a parte interposita.

CAP. VII.

Inhibitio fit sine præjudicio legitimæ executionis, quando competebat executio.

Sed si jam virtute sententiarum competebat executio in curia sæculari, declaravit & voluit inhibitionem non esse concedendam, nisi sine præjudicio legitimæ executionis. Quam deinde executionem nullatenus revocari posse voluit, donec principalis causa fuerit per ecclesiasticum judicem terminata; ita ut cum ipsa diffinitiva sententia executionem factam, vel infirmet si viderit avocantem fovere justitiam, vel confirmet si e contra.

Ut fiat depositum, quando tacti in foro sæculari petunt causam avocari ad judices ecclesiasticos.

Et quia contigit in civitate Florentiæ ratione certorum contractuum maxime in curia mercantiæ incipi ab executione per viam tactus, & quandoque eo modo tacti confugiunt ad ecclesiasticum judicem, dicentes contractus vel obligationem, ratione cujus tacti sunt, usuraria pravitate laborare, statuit, & ordinavit, ut taliter tacti non prius obtineant inhibitionem ab ecclesiastico judicio quam fecerint reale depositum de summa petita apud camerarium Archiepiscopalis curiæ, seu saltem dederint idoneum fidejussorem in forma depositi ad declarationem domini Vicarii. Quod depositum camerarius vel fidejussor teneatur statim relaxare parti tactæ cum primum pronunciatum erit ipsam fovere justitiam, non obstante quacumque appellatione, quamquo ad impediendam prædicti depositi rela-

ANNO CHRISTI 1517.

zationem nullas vires habere decrevit. Et similiter si pronunciaretur in favorem ejus qui traxit causam & depositum, relaxetur ei tale depositum, nec possit ulterius in executione molestari, donec causa fuerit legitime terminata.

RUBRICA

De judiciis & modo procedendi in causis.

CAP. I.

In omnibus causis summarie procedendum esse.

Cordi maxime fuit huic sacro conventui lites minuere, earumque dispendia pro pauperum litigatorum utilitate quantum potuit resecare. Quoniam experimento compertum est quamplures pauperes, quinetiam & divites, dum diuturnas & pene immortales litigandi molestias abhorrent, justitiæ complementum assequi nequisse. Quo circa statuit & ordinavit (innitendo speciali indulto nuper a Sanctissimo D. N. Leone X. Pont. Max. Reverendissimo D. Julio S. R. E. Cardinali & Vicecancellario dignissimo, nec non archiepiscopo Florentino concesso) omnes causas tam civiles quam criminales, ecclesiasticas, quam profanas, & mixtas quomodolibet quacumque auctoritate coram ecclesiasticis judicibus ventilandas in omni sua instantia summarias esse, ac in eis summarie simpliciter & de plano sine strepitu & figura judicii procedi debere, excepto tamen ordine inferius declarando.

In causis igitur excedentibus summam librarum quinquaginta, non habentibus executionem paratam, voluit hoc ordine procedi,

CAP. II.

Incipit modus procedendi in causis majoribus secundum tenorem istarum constitutionum.

In primis, volens contra aliquem experiri, porrigat libellum seu summariam petitionem notario causæ, qui extrahetur e burſa secundum modum in præcedentibus dictum, & missa copia libelli citetur pars ad respondendum libello & jurandum de calumnia intra tres dies, quorum unum pro primo &c. Assignando sibi illum pro ultimo peremptorio; alias ad primam ad videndum se excommunicari; & ita si sit contumax excommunicetur, nec audiatur nisi refectis expensis; & nihilominus ipse actor juret de calumnia, & petat sibi terminum ad ponendum & articulandum, & si in contumaciam partis adversæ probaverit de jure suo, obtineat sententiam diffinitivam super causa principali nec etiam tunc appellando audiatur adversarius, nisi refectis omnibus expensis litis meruerit absolutionis beneficium obtinere.

Et si reus comparuerit in termino, & proposuerit aliquas exceptiones declinatorias aut dilatorias, aut quascumque alias, quæ ante litis contestationem proponi solent & debent, detur terminus actori ad tertiam ad replicandum.

Deinde, detur utrique parti terminus x. dierum utilium ad probandum incumbentia circa dictas exceptiones & replicationes.

Eo autem termino elapso super dictis exceptionibus & replicationibus pars nullatenus audiatur, sed partes teneantur intra tres diesdare processum judici, qui postea intra sex dies utiles teneatur super exceptionibus pronunciare: & si fuerint tales exceptiones, quæ altiorem requirant indaginem, si videbitur, possit in fine litis reservare, & etiam judice aliter super dictis exceptionibus non pronunciante censeantur reservatæ in fine litis & omni casu quo judex ad ulteriora processerit intelligatur esse lis contestata.

Deinde, assignetur terminus actori ad ponendum & articulandum ad octavam.

Quibus exhibitis citetur adversarius ad primam ad respondendum positionibus si fuerit in civitate: ad tertiam si fuerit in dioecesi vel provincia; ita tamen ut quando est absens a civitate ultra tria miliaria, tempore quo citatur ad respondendum possit respondere per procuratorem, qui habeat auctoritatem jurandi in animam principalis sui. Sin autem tam actor quam reus fuerint contumaces in respondendo positionibus, possit & debeat judex parte instante pronunciare eas pro confessatis.

Deinde, actori assignentur tres dilationes ad probandum, primam decem, secundam octo, tertiam sex dierum si petitæ fuerint, intelligendo semper, quod si accideret ultimam diem termini esse feriatam, illa dies & omnes aliæ similiter feriatæ non connumerentur, sed prima dies quæ erit juridica censeatur esse ultima dies termini.

Et si procurator actoris in ultima die unius termini cessaverit petere aliam dilationem, sit ipso facto excluſus a petitione dilationum sibi specialiter competentium.

Et si contigerit testes produci intra dictos terminos, assignetur terminus ad dandum interrogatoria ab hodie & cras (ut moris est) nisi essent testes affuturi, quia judex tunc poterit terminum abbreviare ut sibi placuerit. Qui testes examinari debeant usque ad terminum datum ad dicendum contra jura producta inclusive; & notarius in processu de examinatione testium mentionem faciat & in actis redigat tempus examinationis prædictæ.

His autem dilationum prædictarum temporibus elapsis assignetur terminus trium dierum ad producendum omnia.

CAP. III.

Termini qui conceduntur actori, conceduntur etiam postea reo.

Et succeſſive postea detur terminus sex dierum ad dicendum contra jura producta. In quo termino si reus exceptiones & articulos dederit, dentur sibi omnes dilationes ad probandum, producendum, & dicendum contra jura producta, quæ actori concedun-

tur

tur per præsentem constitutionem. Quibus elapsis, si per aliquam partem petitum fuerit, detur terminus communis utrique parti viginti dierum utilium ad probandum & probatum habendum hinc inde incumbentia per omnes genus probationis.

CAP. IV.

Post conclusum in causa, datur dilatio ad reprobandum testes; sed prius præstito juramento calumniæ ab eo qui reprobare intendit.

Quo termino elapso censeatur conclusum in causa, nec audiatur aliquo modo pars volens aliquid producere vel allegare, excepta reprobatione testium, quia si aliqua partium vel ambæ vellent dicere contra testes ad amborum vel unius petitionem opponendo crimina & defectus contra eos, debet assignari terminus peremptorius duodecim dierum utilium ad reprobandum & reprobatum habendum, & opponendum, ac probandum, & probatum habendum quicquid voluerint contra dictos testes; faciendo etiam intra dictum tempus deposuisse omnes testes si quos contra præmissos examinare vellent.

Sed tamen hoc ultimo casu noluit partem admitti ad testium reprobationem, nisi prius præstito juramento a reprobante quod hoc non facit animo calumniandi; & si intra dictum terminum non probetur quod contra testes opponebatur, voluit opponentem condemnari in libris decem, Archiepiscopali curiæ applicandis.

CAP. V.

Præfigatur instantia causæ.

A die autem conclusionis in causa procuratores partium, vel saltem ille qui petierit causam expediri, teneatur intra x. dies dare processum integrum domino Vicario. Qui a die exhibitionis registri, de quo notarius teneatur mentionem facere in actis intra xx. dies utiles, teneatur diffinitivam proferre sententiam in causa; ita quod terminus ipse intelligatur præfixus instantiæ Judici, & parti, & ipso jure intelligatur instantia deserta, nec possit aliquam sententiam ferre nisi ab observatione judicii cum expensarum condemnatione, quam tamen proferre teneatur ad instantiam cujuslibet partis.

CAP. VI.

Puniuntur judices, notarii & procuratores, quorum culpa instantia peribit.

Judex autem qui infra dictum tempus si acta, ut præmittitur, exhibita fuerint, parte instante sententiam diffinitivam proferre neglexerit incurrat periurii pœnam, teneaturque partibus ad interesse; procurator quoque qui fuerit negligens, & in curia sua instantiam labi permiserit, condemnetur parti ad interesse. Simili quoque pœna feriatur notarius, qui satisfacto prius sibi de mercede, sua acta exhibere neglexerit intra tempus præfatum, videlicet infra X. dies post habitam mercedem; prædictum tamen tempus XX. dierum utilium datum judici ad pronunciandum voluit per ipsum ex causa posse ad alios XII. dies utiles prorogari; ita quod infra illos semper possit, ut præmittitur diffinitivam proferre sententiam, adempta omni facultate ulterius prorogandi.

ANNO CHRISTI 1517.

CAP. VII.

Quando testes examinandi sunt in longinquis partibus, judex declarare potest tempora non currere.

In causis tamen ubi examinandi essent testes in longinquis partibus constituti, poterit judex si judicaverit hujusmodi testium dicta tam parvo tempore haberi non posse, prorogare terminum pro testium dictis habendis, pro itineris & regionis distantia, declarando interim tempora præfixa non currere. Quorum terminorum dilationes ad evitandas partium calumnias voluit esse mero judicis arbitrio; ita quod nullus ab eorum vel denegatione vel concessione appellare possit, intelligendo tamen quod ista facultas prorogationis tantum competat judici, quando testes sunt remoti ultra quinquaginta miliaria a civitate Florentiæ.

CAP. VIII.

Ponitur modus procedendi in causis minoribus, ideſt a quinquaginta libris infra.

Et hunc quidem ordinem, ut præmissum est, observari voluit in omnibus causis antedictis. Sed in causis a quinquaginta libris infra voluit procedi debere per viam monitorii juxta stilum consuetum. Et in termino si reus comparuerit & negaverit monitorium, habeat actor terminum decem dierum utilium ad probandum, infra quem terminum possit, si velit, dare articulos, producere testes & instrumenta, postea autem habeat reus alios decem dies ad dicendum contra jura producta, & dandum exceptiones, articulos, ad producendum testes & omnia alia quæ duxerit ad causam facere.

Deinde detur terminus sex dierum utilium utrique parti ad probandum & probatum habendum per omne genus probationis, & idem observetur in causis decimarum ac sequestris, quæ fierent virtute jurium exequibilium, quæ non possunt revocari. Aliæ autem sequestrationes quæ non procederent a jure alias exequibili revocari possunt ad petitionem partis, & deinde in eis procedatur, prout in causis monitorii juxta ordinem prætaxatum.

Quo termino elapso dominus judex mandet sibi acta exhiberi, quæ quidem acta partes teneantur exhibere infra octo dies, & a die exhibitionis infra XII. dies utiles judex teneatur pronunciare monitorium esse con-

ANNO CHRISTI 1517.

confirmandum vel infirmandum & partem excommunicare vel a petitis absolvere ut sibi videbitur.

CAP. IX.

In causis habentibus executionem paratam proceditur per viam monitorii. Et quæ tantum exceptiones admittuntur.

In causis autem jurium habentium executionem paratam, etiam procedatur similiter per viam monitorii; & tunc admittantur tantum duæ exceptiones, solutionis, scilicet, & nullitatis, quando opponitur exceptio solutionis tantum detur terminus decem dierum ad probandum eum; & etiam si judici videbitur, & pars petat, detur alia dilatio octo dierum, quibus elapsis si actor petierit, habeat terminum trium dierum ad dicendum contra jura producta, & postea etiam detur alius terminus communis utrique parti ad producendum, allegandum &c. Quibus elapsis terminis nullatenus audiatur aliqua partium; sed notarius teneatur exhibere acta judici infra tempus, de quo supra, satisfacto sibi prius de competenti mercede, ut supra, qui judex similiter etiam teneatur judicare, ut supra.

Sed si reus opposuerit exceptionem nullitatis, ut quia dixerit contractum esse usurarium, & simulatum, habeat reus opponens terminum duorum dierum ad informandum Judicem summarie qualitercumque per conjecturas, & signa aliter quam per proprium juramentum de simulatione aut usuris dicti contractus; & si judex viderit esse aliquam verisimilem præsumptionem ea quæ opponuntur per reum probari posse, resolvat monitorium, & mandet procedi ordinarie secundum ordinem traditum supra in causis excedentibus valorem librarum quinquaginta.

Quod utique obtinet, quando instrumentum esset de summis contentis in dicto statuto, ideſt excedentibus summam librarum quinquaginta; alias procedendum est, pro ut proceditur supra in causis minoribus.

CAP. X.

Practica observanda quando agitur virtute obligationis in forma cameræ.

Et hæc quæ supra diximus obtineant in omni instrumento executivo sub quibuscunque verbis, modis & formis concepto, & etiam in quibuscunque instrumentis & juribus, & aliis juxta formam statutorum communis Floren. executionem paratam habentibus. Excepto si sit obligatio in forma cameræ; quia tunc si reus opposuerit solutionem, voluit servari modum primo loco dictum. Si vero opposuerit exceptionem nullitatis, tunc si actor est paratus dare idoneum fidejussorem, judicis arbitrio declarandum de stando juri & judicatum solvendo reus nullatenus audiatur, nisi prius contenta in instrumento adimpleverit. Sed si actor renuerit, ut supra, fidejussorem dare, si talis exceptio nullitatis fuerit oppositа, teneatur reus infra duos dies, ut dictum est, informare judicem & petere absolutionem a juramento; qui judex si viderit, ut dictum est, verisimiles pro reo præsumptiones absolvet & mandabit ut supra procedi, vel eum omnino reiiciet.

Et hæc dummodo ille qui est obligatus, sit præsens in dioeceſi vel civitate; quia Synodus ordinavit illum non excommunicari, nisi citatum, ad evitandas iniurias quæ inferuntur quotidie multis, qui cum post talem obligationem solverint, tamen excommunicantur; quando autem erant absentes a dictis locis, servetur practica consueta.

CAP. XI.

Ne, quando summa major debetur, petatur minor in fraudem constitutionis, quæ vult notarios extrahi e bursa, quando majores summæ petuntur.

Et ad tollendum fraudes nonnullorum notariorum & procuratorum, qui ex uno debito quandoque gemina judicia suscitant, ut effugiant illam constitutionem de extrahendis notariis in causis excedentibus summam librarum quinquaginta; contra enim illum qui est obligatus in majori summa procedunt per viam monitorii, petente libras quinquaginta pro parte majoris summæ, vel salvo jure calculi; & si cum effectu petunt summas majores & evadunt illius constitutionis rigorem, statuit & ordinavit reum prætextu similium monitoriorum non posse in plus condemnari quam sit summa librarum quinquaginta; & si illud plus quod ultra illam summam librarum quinquaginta debetur, sit debitum annexum vel per instrumentum vel per scripturam, ita ut facile & clare appareat illi summæ petitæ, censeatur eo ipso extinctum, nec possit reus super illo ulterius molestari, perinde ac si per distinctivam ab eo sententiam fuerit absolutus, & notarius qui hoc malitiose procuraverit; teneatur parti ad interesse, & ideo quilibet notarius & procurator sit cautus in admonendo auctores, ne minus debito petant, ne de suo resarcire teneantur.

CAP. XII.

Qui sint dies utiles.

Et quia in præmissis sæpe habetur mentio de diebus utilibus, declaravit quoad præmissarum constitutionum tenorem illos dies esse utiles, in quibus jus redditur; alios autem inutiles sive id fiat ratione feriarum a jure inductarum sive, ab homine.

CAP.

CAP. XIII.

In dubio constitutio intelligitur de diebus currentibus.

Et quando in iis constitutionibus sit simpliciter mentio de diebus, intelligitur de currentibus non de utilibus tantum, nisi exprimatur.

CAP. XIV.

Per quos teneri debeant computus de diebus utilibus.

Item statuit, quod tam procurator causæ quam notarius teneantur, & debeant tenere notulam & computum de diebus utilibus, & terminis pertinentibus ad causas proprias, alias si negligentes fuerint, puniantur judicis arbitrio.

Item pro communi utilitate omnium camerarius Archiepiscopalis curiæ teneatur habere librum particularem, in quo ordinate scribat dies, quibus judex non sederit tribunali, ut omnibus quando opus fuerit patere possit.

CAP. XV.

Feriæ archiepiscopalis curiæ esse ab omnibus observandas.

Item, ad tollendas confusiones statuit & ordinavit, ut omnes judices ordinarii & delegati in civitate Florentina, causas quomodocunque cognoscentes, debeant & teneantur servare omnes ferias inductas in curia Archiepiscopali vel inducendas aut in honorem Dei, aut in commoditatem hominum, ut sunt feriæ messium & vindemiarum, nisi sint feriæ repentinæ inductæ ex arbitrio domini Vicarii archiepiscopi Florentini. Quia tales dies noluit esse feriatos in causis delegatis aut aliorum ordinariorum, nisi ipsimet judices easdem servare voluerint.

CAP. XVI.

Intra quod tempus appellans teneatur facere fidem judici a quo de præsentatione appellationis aut rescripti.

Item, quia parum esset consultum litium brevitati, si postmodum in appellationis causa liberum esset procrastinandæ litis votum; statuit declaravit & ordinavit in appelletionibus hoc ordine procedendum esse, ut scilicet appellans habeat illos decem dies juridicos ad appellandum, ultra quos si non appellaverit non admittatur.

Interposita autem appellatione si appellat ad archiepiscopum habeat unum mensem ad faciendum fidem judici appellato de præsentatione appellationis coram judice ad quem; si autem appellaverit ad sedem apostolicam, habeat duos menses similiter ad faciendum fidem appellato de commissione causæ, & de præsentatione rescripti facta judici idoneo secundum tenorem antecedentium constitutionum; & si infra dictum terminum non fuerit facta fides de præmissis respective, appellatio eo ipso censeatur deserta, & sententia dicatur transiviſſe in rem judicatam.

CAP. XVII.

Quod in secunda & tertia instantia servatur idem modus in procedendo, qui & in prima.

Præsentato autem rescripto vel promota causa, ut præmittitur, detur appellanti terminus decem dierum ad libellandum; & postea serventur omnes termini respective secundum qualitatem causarum qui servari debent in prima instantia. Ita quod iidem termini in secunda instantia censeantur præfixi judici, causæ, & parti sicut in prima; nisi partes hujusmodi terminis vel aliquibus eorum duxerint renunciandum.

Et totum illud quod dictum est servandum esse in secunda instantia, voluit etiam servari in tertia, & ulteriori, si contingeret pluribus instantiis propter diversitatem sententiarum causam ventilari.

CAP. XVIII.

Pendente compromisso tempora non currere.

In omnibus tamen instantiis, ne occasio concordandi partibus adimatur, declaravit tempora non currere quando penderet compromissum inter partes.

CAP. XIX.

Judex potest reservare partibus jus deducendi jura sua intra certum tempus post sententiam diffinitivam, quæ virtute illorum jurium retractari potest.

Item, quia posset contingere quod ob locorum distantiam vel aliud occurrens impedimentum, partes non possent infra prædictum tempus de jure suo ostendere, statuit & ordinavit judicem, quando videbit negocii qualitatem id exigere, posse & debere lata sententia reservare parti vel partibus jus deducendi jura sua infra tempus, quod ipse judex congruum judicaverit. Per quæ nova jura, qualiacumque sint, infra dictum tempus producta possit sententia retractari & annullari, & contra partem pronunciari, perinde ac si nulla sententia fuisset super hujusmodi negocio lata: hoc tamen semper intellecto, quod pendentibus hujusmodi terminis sententiarum executiones nullatenus impediri debeant; dummodo pars quæ executionem petit sufficienter caveat ad declarationem judicis de stando juri & judicato solvendo in eventum retractationis & annullationis hujusmodi.

CAP.

ANNO CHRISTI 1517.

RUBRICA

De ordinariis deque omnium judicum officio.

CAP. I.

Excitat jurisdictionem ordinariorum, & docet circa quæ invigilare debeant.

Considerans hæc sancta synodus quam sit necessaria ordinariorum vigilantia in puniendis criminibus & evellendis malis moribus e populo Christiano, innixa romani pontificis statutis & ordinationibus, admonuit, & in virtute sanctæ obedientiæ, & sub poenis a jure comminatis præcepit omnibus ordinariis episcopis eorumque vicariis, & aliis quocumque nomine censeantur, ut sint diligentes & solliciti in cogendis subditis ad observationem præsentium provincialium constitutionum, & ad publicandum eas in dioecesibus suis, & præsertim singulo quoque anno in synodo dioecesana. Sintque alias diligentes in correctionibus clericorum, & etiam laicorum, in coercendis & puniendis hæreticis, simoniacis, schismaticis, adulteris, concubinariis, incestuosis, usurariis, accedentibus ad monasteria, usurpatoribus bonorum ecclesiasticorum, & quibuscumque aliis publicis & notoriis peccatoribus, in ministrando vel ministrari faciendo justitiam viduis & pupillis, & aliis quibusq; pauperibus ad ipsos confugientibus. In visitandis ecclesiis, clericis & populis diligenter intendendo ne divinus cultus aliqua in parte minuatur, ne ecclesiarum ædificia corruant; in arguendo, increpando, obsecrando, docendo in omni pacientia, bonum de se exemplum honestate vitæ cæteris præbendo.

CAP. II.

Ut ordinarii requirant titulum ab habentibus plura incompatibilia.

Procurent quoque ut omnes habentes plura incompatibilia beneficia intra duos menses vel aliud tempus, arbitrio suo moderandum, ostendant titulum & dispensationem dictorum beneficiorum. Quo tempore elapso, si non erit facta fides de sufficienti dispensatione, ille ad quem spectat, declaret beneficia vacare, procedatque ad collationem & institutionem & possessionis dationem; alias autem si apparuerit de sufficienti dispensatione, provideat ne in dictis beneficiis animarum cura negligatur.

CAP. III.

Quando incompatibilia sunt in diversis dioecesibus voluit illum ordinarium hoc requirere qui alium præ-venerit.

Et cum ista duo incompatibilia fuerint in diversis dioecesibus, voluit præventioni locum fore inter dioecesanos, ita tamen, ut unus possit alterius sententiam exequi.

CAP. IV.

Excommunicare, interdicere reservatur episcopis.

Item, facultatem excommunicandi & interdicendi reservavit episcopis tantum, nisi apud alios prælatos inferiores esset ex privilegio vel consuetudine diutius approbata, & tunc episcopos monuit ne tales ab inferioribus juste excommunicatos absolvant.

CAP. V.

Observandam esse constitutionem Lateranensis concilii in synodis celebrandis.

Item, voluit constitutionem sanctissimi D. N. Leonis Papæ X. in decima Lateranensis concilii sessione promulgatum de celebrandis synodo dioeces. singulis annis, & provinciali tertio quoque anno, ab omnibus Florentinæ provinciæ suffraganeis observari, citatis & requisitis omnibus etiam exemptis in provinciali, ut ad prædictas synodos accedere debeant.

CAP. VI.

Excitat ordinarios ad visitandum.

Item, præcepit omnibus ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ & sub aliis poenis juris, ut tertio quoque anno saltem visitent dioeceses suas per se vel per alium idoneum, corrigendo & castigando ea quæ emendatione digna repererint, cum moderatione tamen evectionum & expensarum, de qua habetur supra in tit. de visit.

CAP. VII.

Quando visitanda sint monasteria monialium.

Sub iisdem quoque poenis præcepit, ut visitent monasteria monialium tam exemptarum, immediate apostolicæ sedi subjectarum auctoritate apostolica, quam non exemptarum auctoritate sua singulo quoque anno si possunt; alias tertio quoque anno saltem; ad quam visitationem cum omni honestate & timore Dei accedant, ducendo secum duos ex antiquioribus canonicis suæ ecclesiæ & alias honestas personas, ut sibi videbitur quando visitat monasteria prædicta, & servando alios ordines in regulis & constitutionibus monasteriorum datas.

CAP. VIII.

Excitat jurisdictionem archiepiscopi ad supplendam negligentiam suffraganeorum.

Reverendissimum quoque Archiepiscopum monuit, & ei in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, ut in dioecesi propria invigilet sicut cæteri suffraganei. Et suffraganeorum negligentias quamprimum corrigat & emendet,

det, ex suffraganeorum namque negligentia voluit omnem auctoritatem in archiepiscopum transfundi, qui archiepiscopus omnia notoria provincialium delicta emendare, consuetudines pravas e tota provincia tollere, eundem visitare, ut sacri canones voluerunt, diligenter procuret, sub præmissarum incursione poenarum.

CAP. IX.

Ut jurisdictiones competant inferioribus prælatis cumulative, non privative.

Quo autem ad omnes prælatos inferiores habentes aliquam jurisdictionem in dioecesibus provincialium episcoporum, declaravit omnem similem jurisdictionem & auctoritatem præfatis inferioribus prælatis competere accumulative non privative, ita quod præventioni locus sit, nisi eadem jurisdictio ex privilegio privative competeret, vel ex consuetudine in contradictorio judicio obtenta; ad quæ privilegia & consuetudines ostendenda infra quatuor menses a die publicationis hujus constitutionis monuit omnes hujusmodi inferiores prælatos pro ultimo peremptorio, quo elapso pronunciat omnes hujusmodi jurisdictiones, ut præmittitur, cumulative competere. Et in casibus etiam ubi privative competit data illorum negligentia supplebit dioecesanus.

CAP. X.

Ne prælati ab ecclesiis subjectis non exigenda exigant.

Item admonuit omnes ordinarios, ne ultra ea quæ Honoriana constitutione continentur, a subjectis sibi ecclesiis quicquam exigant, aut eas in alio molestent.

CAP. XI.

Ut miserabilibus personis dentur procuratores & advocati qui gratis serviant.

Item, quia viduis, pupillis, mentecaptis, furiosis, cæterisque miserabilibus personis, ex officii sui debito tenentur ecclesiastici rectores, præcepit hæc sancta synodus omnibus judicibus ecclesiasticis, delegatis & ordinariis, ut non permittant miserabiles hasce personas collitigantium favoribus, potentia, divitiis, opprimi. Sed illis non habentibus provideat de advocato aut procuratore sufficienti; & si viderit expedire, cogat partem collitigantem ad dandum fidejussorem de non offendendo ipsam partem. Quos advocatos & procuratores voluit effectualiter posse cogi a præfatis judicibus per censuras vel multas ad suscipiendum hujusmodi patrocinium, constituto tamen eisdem advocatis & procuratoribus competenti salario de bonis litigantis, si habeat unde satisfaciat; alias præfati advocati & procuratores teneantur officium suum gratis impendere, ut scientiam, quam ipsi gratis a Deo acceperunt, gratis pauperibus impendant.

A

RUBRICA

ANNO CHRISTI 1517.

De immunitatibus ecclesiæ.

CAP. I.

Ut in locis vicinis monasteriis per trecenta brachia, vicinis aliis ecclesiis per quinquaginta brachia mulieres inhonestæ non habitent, tabernæ aut balneæ non aperiantur.

Quoniam vera religiosorum locorum, & horum præsertim quæ Deo dicatæ virgines habitant, immunitas est conversatio vitæ laB dabilis & honesta, sequendo quorumdam statutorum civitatis Florentiæ vestigia (quæ ut laudabilia & religioni propitia eadem synodus admisit & approbavit) statuit & ordinavit nullam foeminam inhoneste viventem posse habitare in locis vicinis monasteriis monialium per trecenta brachia. Item, nec in locis propinquis portis aut accessibus ecclesiarum aliarum per quinquaginta brachia; mulieres in prædictis locis habitantes, & domos eisdem qualitercumque locantes in ducatis X. condemnavit. Sub eadem quoque poena præcepit ne infra prædictos terminos aperiantur tabernæ aut thermæ sive balnea vel pro hujusmodi usibus cuique loC centur domus & habitationes.

CAP. II.

Quæ loca ecclesiarum præstent immunitatem ad se confugientibus.

Quanquam jure cautum esse videatur quamlibet ecclesiam eo gaudere privilegio, ut per XXX. passus in ambitu suo ad se confugientibus immunitatem præstet; attamen quia in locis angustis, qualia sunt Florentiæ, ubi ita frequentes sunt ecclesiæ, ut tota fere civitas redderetur immunis, id sine magno publicæ utilitatis incommodo servaD ri non potest; præfata synodus declaravit, ea tantum loca circum ecclesias in civitate Florentiæ immunitatem ad se confugientibus præstare, quæ aliquo notabili signo a viis publicis & aliis locis profanis distincta sunt.

CAP. III.

An cessantes & fugitivi sint tuti in ecclesiis, ita ut capi non possint.

Item, cum quæreretur in synodo, quid dicendum esset de istis cessantibus, & fugitivis secundum statuta communis FloreneE tiæ; an illi confugientes ad ecclesias & religiosa loca tuti essent, ita ut a sæculari familia capi non possent; res validis in utramque partem argumentis disputata est, plerisq; asserentibus debitores hujusmodi quod eorum persona esset ex statuto creditoribus quasi mancipata etiam in ecclesiis capi posse; aliis hoc quasi dissonum abhorrentibus. Prævaluit tamen æquior sententia, ut etiam debitores quantumuis cessantes in ecclesiis aut

ANNO CHRISTI 1517.

domibus adjacentibus quas continue inhabitant clerici aut personæ alioquin religiosæ nullatenus capi possent, sicut laudabili hactenus consuetudine observatum est; in domibus autem quas debitores ipsi vel alii ecclesiæ non deservientes inhabitant, vel quia locatæ, vel quia gratis ad inhabitandum concessæ sint, præfatos debitores nulla voluit immunitate gaudere.

CAP. IV.

Ut fiant inventaria de omnibus bonis ecclesiarum.

Item, ut ecclesiarum indemnitati consulatur, quarum bona cum mobilia, tum etiam immobilia ex eorum qui præsunt negligentia vel etiam ignorantia sæpius deperire solent, præcepit omnibus ecclesiarum, monasteriorum, aut quorumcumque piorum locorum rectoribus & administratoribus, ut infra tres menses, a die publicationis præsentium constitutionum assumptis secum duobus antiquioribus de populo, in quo sita est dicta ecclesia vel locus pius, una cum rectore seu sindico populi prædicti, faciant inventarium de omnibus bonis mobilibus & immobilibus ecclesiarum & locorum prædictorum, adnotando in uno vel pluribus foliis omnia vasa sacra, vestes, supellectilia, fundos, agros, domos, cum qualitatibus & confinibus suis, scribendo per se vel per alium, cum subscriptione assumptorum prædictorum, si sciant scribere, alias cum subscriptione notarii qui de illorum præsentia ac diligentia fidem faciat; utque facto dicto inventario infra XV. dies præsentent illud ordinario suo & per se vel per alium transcribant in libro, quem specialiter ad hunc usum per omnes ordinarios teneri voluit. Rectores vero & administratores in præmissis negligentes in ducatis X. condemnavit. Idemque præcepit omnibus illis, qui in futurum ecclesias aut loca præmissa receperint, ut & ipsi inventaria hujusmodi conficiant, eaque ordinario præsentent, & ut præmissum est in inventariorum libro transcribant priusquam dictorum locorum & ecclesiarum bona & fructus administrare incipiant. Declarando eosdem noviter provisos de dictis beneficiis, ecclesiis, aut locis eo ipso privatos esse omnibus fructibus & redditibus ante confectionem prædicti inventarii perceptis, applicandis pro dimidia Fabricæ apostolorum Petri & Pauli, & pro dimidia ordinario loci. Et ne in prædictis inventariis dandis fraus aliqua procurari possit, omnes rectores & administratores hujusmodi qui fideliter non confecerint aut dederint talia inventaria, malitiose quicquam omittendo, eo ipso excommunicationis sententia innodari voluit.

RUBRICA

Ad quos pertineat declaratio dubiorum emergentium in constitutionibus.

CAP. I.

Constitutionum correctio & declaratio ad reverendissimum archiepiscopum pertinet.

Quoniam nulla juris sanctio tam claratamque aperta esse potest, quod non olim in dubium revocari possit, & etiam contra dispositionis intentionem per captiosa argumenta & cavillationes a vero sensu detorqueri, statuit & ordinavit præfata synodus omnium ambiguitatis & dubiorum solutionem, ordinatorum correctionem & declarationem spectare & pertinere ad reverendissimum archiepiscopum Florentinum, volens omnes declarationem, correctionem & solutionem hujusmodi vim roburque synodalis constitutionis obtinere.

CAP. II.

Constitutiones non inducere nova peccata mortalia.

Item, ne ex præsentibus constitutionibus mortalia peccata in grave animarum præjudicium, contra adunatorum patrum voluntatem multiplicari contingat, declaravit intentionis suæ fuisse nullam ex præmissis constitutionibus, quocunque verborum tenore dictatam, transgressores suos ad mortalis peccati aut ecclesiasticæ censuræ in foro conscientiæ vinculum obligare, nisi quatenus eosdem obligat communis legis dispositio vel contemptus.

CAP. III.

Sequuntur verba bullæ. S. D. N. approbantis præsentes Constitutiones.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, communitionis, adiectionis, suppletionis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimoseptimo, cal. Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

Bembus.

Tho. De Binis

Visa P. suno. *Foris autem.*

Registrata apud me, Bembum.

ANNO CHRISTI 1517.

LEO Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem ea quæ pro divini cultus augmento, fideliumque omnium, præsertim ecclesiasticarum personarum, animarum salute & utilitate provida ordinatione facta, & per ipsum confirmata & approbata fuerunt, ut eo firmius maneant, quo sæpius fuerint sedis apostolicæ auctoritate munita, denuo confirmare, approbare, & innovare, aliasque desuper opportune providere, prout in domino conspicit salubriter expedire. Nuper si quidem nonnullas constitutiones in provinciali concilio Florentino ad indictionem dilecti filii nostri Julii tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyteri Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii in ecclesia Florentina, cui ex concessione Apostolica præesse dignoscitur, celebrato, pro divini cultus augumento, morum reformatione, animarumque provincialium personarum salute editas, habita a dilectis filiis nostris Dominico sancti Bartholomæi in Insula, & Thoma sancti Sixti titulis presbyteris Cardinalibus, quibus, cum de constitutionibus hujusmodi certam notitiam non haberemus, illas inspiciendas & diligenter examinandas, & an rationabiles, & æquæ forent nobis referendum commiseramus, relatione plenaria, quod ille justæ & honestæ sacrisque canonibus consonæ & provincialibus præfatis plurimum utiles existebant, confirmavimus & approbavimus, prout in nostris desuper confectis literis plenius continetur. Nos igitur qui divinum cultum ubique vigere & augeri personarumque provincialium prædictarum, quas speciali affectione prosequimur & in visceribus gerimus caritatis, animarum saluti earumque indemnitati & utilitati salubriter consuli intensis desideriis affectamus, ut constitutiones & literæ præfatæ cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis eo magis observentur, quo clarius constiterit ea matura deliberatione illas confirmatas & innovatas fuisse, qua prius confirmatæ & approbatæ fuerint providere cupientes, constitutionum & literarum hujusmodi tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur pro expressis habentes, motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine constitutiones ac literas hujusmodi innovamus, confirmamus, & approbamus, ac robur perpetuæ firmitatis in judiciis & extra obtinere debere, provincialesque personas dictæ provinciæ ad observationem omnium & singulorum in constitutionibus ac literis hujusmodi contentorum juxta illarum tenorem atque formam teneri, & obligatos fore; omniaque & singula, interpretationes, causarum commissiones, concessiones, gratias, literas, privilegia, & indulta, contra constitutionum & literarum hujusmodi tenorem in quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, præpositurarum, præpositatuum, dignitatum, personatuum, administrationum, & officiorum, cæterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura & sine cura, sæcularium, & quorumvis ordinum regularium, hospitalium & aliorum piorum locorum ac personarum cujusvis dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, aut excellentiæ existentium favorem seu commodum, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis clausulis cum derogatoriarum, derogatoriis fortioribus, efficacioribus insolitis & magis urgentibus, etiam cum dictarum constitutionum etiam de verbo ad verbum tenorum expressione, & ad quorumvis etiam imperatoris, regum & aliorum principum sæcularium, communitatum, universitatum, dominiorum, collegiorum, cardinalium & aliorum prælatorum ecclesiasticorum, & ex quibusvis urgentissimis, & excogitabilibus causis, quæ a nobis vel a sede Apostolica præfata hactenus emanaverunt seu in posterum emanabunt, utpote defectui intentionis nostræ ac sedis hujusmodi subjacientia, omnesque & singulos processus, sententias, condemnationes desuper habitos & habendos, & inde secuta quæcumque, nulla, invalida & inania nulliusque roboris vel momenti existere, illisque parendum aut standum minime fore: & constitutionibus ipsis derogari aut illas suspendi nullo modo posse; & quotiens illis derogari seu illas suspendi contigerit, totiens illas in pristino statu confirmatas & approbatas ac innovatas esse; & ad plenariam probationem commissionis nostræ eisdem cardinalibus, & eorum relationis nobis factarum hujusmodi præsentes ubique sufficere, nec ad id cujusvis alterius adminiculum probationis requiri, sicque per quoscunque judices ecclesiasticos & sæculares, ordinarios, delegatos & subdelegatos, etiam præfatæ Sanctæ Ro. Ec. Cardinales, etiam sedis ejusdem legatos & causarum palatii Apostolici auditores in Romana curia, & extra eam in quavis instantia sententiari, judicari, decidi & interpretari, deberi, sublata eis & eorum cuilibet quavis alia sententiandi, judicandi, decidendi & interpretandi facultate, ac irritum, & inane quicquid secus super iis a quoquam, quavis etiam nostra & sedis præfatæ auctoritate, scienter vel ignoranter contingerit attemptari, decernimus & declaramus. Non obstantibus apostolicis ac quibusvis aliis provincialibus & synodalibus constitutionibus & ordinationibus, statutis quoque & consuetudinibus dictæ Florentiæ, & aliarum provinciæ, hujusmodi ecclesiarum etiam juramento confirmatione Apostolica aut quavis alia firmiter roboratis, privilegiis, indultis & literis apostolicis, illis etiam motu scientia & potestatis plenitudine præmissis concessis, confirmatis & innovatis. Quibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales id importantes, mentio seu alia expressio habenda foret, & in illis caveretur expresse quod eis nonnisi sub certis inibi expressis modis & formis aut nullatenus derogari posset, illorum tenores ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur pro expressis habentes, illis, alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus cæterisque

ANNO CHRISTI 1517.

contrariis quibuscunque. Volumus autem quod si perpetuis futuris temporibus super interpretationibus & intellectu dictarum constitutionum per nos confirmatarum aliqua dubia oriri aut de illis hæsitari quomodolibet contingat, dictus Julius cardinalis & Vicecancellarius, quandiu dictæ ecclesiæ Floren. præfuerit, ac ejus successores ecclesiæ Florentinæ præfatæ archiepiscopi illas declarare & interpretari valeant, eorumque declarationi & interpretationi in judiciis & extra ac ubique stetur in omnibus & per omnia, perine ac si declaratio & interpretatio hujusmodi per eos factæ a nobis seu sæpe præfata emanassent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis, confirmationis, probationis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo decimo septimo. Quintodecimo Cal. Aprilis. Pontificatus nostri anno quinto. Bembus.

Tho. De Binis.

Visa, P. suno.

Registrata apud me Bembum.

Declarationes circa ea quæ concernunt Rotulum & judices descriptos.

Ordinatum est in primis per reverendissimum D. Julium de Medicis, S. R. Ec. vicecancellarium & archiepiscopum Florentinum, ut omnes judices commissarii scribantur in albo & affigantur in audientia causarum archiepiscopalis curiæ, ubi omnibus patere possint.

Item, declaravit & voluit ad ipsum archiepiscopum, vel ejus pro tempore vicarium spectare & pertinere proponere eum, qui futuris temporibus veniet assumendus in numerum Rotulatorum, dummodo sit qui proponitur altero jure doctor, ut in constitutionibus continetur. Et quod ipso nolente proponere, præsidens possit proponere, quando numerus rotulatorum non excedet viginti quatuor; alias non, nisi sint de illis canonicis ecclesiæ cathedralis, vel aliis qui jure a constitutionibus admittuntur; quoniam tunc per quemlibet proponi poterunt, & archiepiscopus cogeretur eos admitere.

Item, ordinavit ex ipsis in Rotulo descriptis per reverendissimum archiepiscopum singulis annis eligi debere unum, qui vocetur præsidens Rotuli. Cujus officium anno tantum durabit, poteritque ex causa ad biennium prorogari. Nec voluit posse eligi nisi sit canonicus vel in dignitate constitutus in ecclesia cathedrali, vel de prælatis habentibus perpetuum locum in Rotulo.

Hujus autem præsidentis officium erit invigilare, ut constitutiones circa judicialia disponentes observentur, & non servantes una cum reverendissimo archiepiscopo aut ejus vicario e Rotulo abradere, ac alias, ut sibi videbitur, punire. Item & convocare dominos de Rotulo quando aliquid communiter tractandum erit.

Item, & in sedendo honorabitur supra alios omnes exceptis archiepiscopo Florentino & episcopo Fesulano.

Item, & nolente archiepiscopo proponere, ipse proponet omnia quæ tractanda venient.

Item, & ipse exigere poterit multas infligendas, vel a constitutionibus inflictas judicibus, notariis aut procuratoribus non servantibus constitutiones, quæ judicialia concernunt, et deponere eas apud camerarium constitutionum. Et ipsas multas una cum reverendissimo archiepiscopo distribuere in usus honestos.

Item, ordinavit ex multis taliter infligendis constitui salarium quinque ducatorum uni ex nunciis archiepiscopalis vel Fesulanæ curiæ, qui postea teneatur vocare omnes de Rotulo ad nutum præsidentis vel archiepiscopi Florentini.

Item, ex eisdem multis constitui salarium X. ducatorum uni notario, qui teneatur semper esse præsens, quando domini de Rotulo congregabuntur, & scribere citationes & suffragia, & omnia quæ fient ratione hujusmodi Rotuli vel judicum aut notatiorum aut procuratorum in eo descriptorum.

In causis difficilibus poterit judex, si voluerit, petere dominos descriptos convocari & cum illis tractatum causæ habere.

Si aliqua partium petierit, teneatur judex commissarius non doctor accipere assessorem neutri parti suspectum, antequam vel inhibeat vel procedat ulterius in causa; contrafacientem e Rotulo deleri voluit; modus autem assumendi assessorem erit per dationem suspectorum & confidentium.

Quando sedebunt domini de Rotulo, primo loco sedebit archiepiscopus, secundo loco episcopus Fesulanus, tertio loco præses Rotuli, quarto loco reverendi patres Abbates Generales, si aderunt, quinto loco domini Canonici ecclesiæ Cathedralis juxta ordinem suum, septimo loco Abbates, octavo loco Prior sancti Laurentii, nono loco sedebunt alii secundum quod prius fuerunt descripti.

Quædam declaratio circa cognitionem causarum quæ fieri debet in civitate Florentiæ.

Item, cum in illa constitutione quæ inscribitur de Rotulo judicum delegatorum oriatur dubitatio an intentio constitutionis sit quod causæ commissæ in civitate, aut diœcesi Fesulana possint cognosci in civitate Florentiæ, declaravit intentionem constitutionis esse quod possint cognosci & terminari in civitate Florentiæ, quoniam episcopus Fesulanus & omnes judices descripti in Rotulo habitant in civitate prædicta, & difficilis est ad urbem Fesularum accessus, ibique est nulla peritorum copia.

Ii sunt poenitentiales Canones, quos hic in fine subnectendos duximus ad sublevandam simplicium clericorum imperitiam, ut cum viderint certam a jure pœnitentiam imponi, ipsi melius arbitrium suum informare possint, quomodo attentis confessione fletu,

fletu, lacrymis & dolore, dispositione & facultate confitentium, pœnitentiam salubriter moderari possint. Nam qualitas temporum nostrorum, in quibus non solum merita sed & corpora defecerunt, non patitur rigorem antiquorum canonum permanere, sed necesse est illum a discreto sacerdotis judicio temperari.

Primus est, quod si presbyter fornicationem fecerit, si sponte confessus est, in hunc modum X. annis pœnitebit, tribus siquidem mensibus a cæteris remotus pane & aqua a vespera in vesperam utatur, tantum autem diebus Dominicis & præcipuis festis modico vino & piscibus atque leguminibus recreetur, sine carne & sagimine, ovis & caseo utatur, sacco indutus humi adnæreat, die ac nocte misericordiam Dei omnipotentis imploret; finitis mensibus tribus exeat; postea viribus resumptis unum annum & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis diebus Dominicis & præcipuis festivitatibus & reliqua, ut habetur in cap. *presbyter*, LXXXII. di.

Secundus est, quod si sacerdos fornicetur cum filia spirituali, fœmina res suas in pauperes erogabit, & in monasterio usque ad mortem permanebit. Sacerdos ab officio deponetur, & XII. annis peregrinando pœnitebit; & postea in monasterio cunctis diebus vitæ suæ Domino serviet. Si autem episcopus fuerit, XXV. annis pœnitebit, c. *si quis*, c. *non debet*, XXX. q. I.

Tertius est, quod clericus adulterium committens deponitur & in monasterium detruditur, ut toto tempore vitæ suæ pœnitentiam agat, c. *si quis*, c. *Romanus* LXXXI. di.

Quartus est, quod monialis quæ in vitium carnis labitur, severiter castigata in monasterium retruditur ad poenitentiam perpetuo peragendam, c. *si qua monacharum*, XXVII. q. I.

Quintus est in ea, quæ cum virginitatem vovisset, maritum accepit, c. *virgines*, c. *de filia*, c. *devota*, XXVII. q. I.

Sextus, quando quis desponsatam alteri uxorem accepit, nam. XL. dies in pane & aqua, & VII. annis poenitet, c. II. de spon. du.

Septimus est quod si pater & filius aut duo fratres cum una muliere, aut si cum matre & filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus aliquis concubuerit, octo annis poenitebit, c. *si pater*, XXX. q. IV. idem si contrahatur matrimonium cum talibus, c. fi. ea, q. & c. *si quis* XXVII. q. II.

Octavus in ea quæ cognita ab uno scienter nupsit fratri illius; nam qui cognovit septem annis penitebit; mulier autem perpetuo remanebit sine spe conjugii, c. *si homo*, XXXV. q. III.

Nonus quod si quis coierit cum brutis, aut cum uxore, aut aliter contra naturam, si laicus est, excommunicari debet; si clericus, deponi, & detrudi in monasterio ad poenitentiam peragendam, c. *flagitia*, XXXII. q. VII. c. *clerici*, de excess. præla. & secundum leges civiles ultimo supplicio afficiuntur. Aut. *ut non lex contra* na. circa fi. l. *cum vir*. C. de adul. vi. §. *hoc etiam* XXXIII. q. II. ubi dicitur quod coiens cum brutis plusquam septem annis poenitebit.

Decimus est, quod ille qui cognoscit uxorem adulteram antequam peregerit poenitentiam de adulterio, duobus annis poenitebit, c. *si quis uxorem*, XXII. q. I. & in alio c. *si quis uxorem*, ea q. dic quod tribus annis poenitebit.

Undecimus quod si quis duxerit in uxorem eam quam pater de sacro fonte levavit, debet eam dimittere, & ipse & omnes alii cooperatores talis matrimonii septem annis poenitere debent, c. *non oportet*, XXX. q. III.

XII. Est in sacerdote qui celebrat & communionem non recepit; nam uno anno a perceptione sacramenti & a celebratione abstinere debet, c. *relatum*, de conse. di. II.

XIII. Est in c. *nemo* el. 11. de conse. d. I. ubi diaconus involvens mortuum vestimentis altaris, triennio & sex mensibus ab altari removetur, presbyter vero decem annis & sex mensibus.

XIV. Est quod sacerdos qui clandestinis matrimoniis interfuerit, vel ea non prohibuerit, triennio suspendetur, c. *cum inhibitio*, §. fi. cla. despo. ubi etiam dicitur quod gravius punietur si res postulaverit.

XV. Quod si quis simpliciter virginitatem voverit, & postea matrimonium contraxerit, tribus annis poenitere debet uxore retenta, c. *si vir*, XXVII. di.

XVI. Quod si excommunicatus celebraverit, triennio poenitere debet, & a vino & carnibus abstinere, c. *de illis*, XI. q. III.

XVII. Quod si parentes frangunt sponsalia filiorum, triennio separantur a communione, & filii similiter, c. unico XXXI. q. III.

XVIII. Qui ducit in matrimonium quam polluit per adulterium, quinque annis poenitebit, c. *si qua fuerit*, XXXI. q. I.

XIX. Quilibet homicida voluntarius sine spe restitutionis deponitur, & XV. annis poenitet si est episcopus & cunctos vitæ suæ annos peregrinando finire debet. Si est presbyter XII. annis poeniteat, & tres ex iis in pane & aqua; Diaconus X. annis, & tres similiter in pane & aqua, clericus simplex & laicus septem annis, & tres ex iis similiter in pane & aqua, c. *si quis homicidium*, 50. dis. c. *miror*, ea d.

XX. Quod pro homicidio casuali imponitur poenitentia quinque annorum secundum novos canones; sed secundum antiquos VII. annorum, c. *si qua fœmina*, c. *si quis*, l. di. Pro homicidio autem quod pro defensione factum est, ad cautelam imponitur, clerico poenitentia duorum annorum, c. *de iis* ea. di. c. 11. §. si de homici. Quid autem de illo qui intuitu disciplinæ incaute percutiendo occidit aliquem, vi. c. *presbyterum*, de homici. c. *si quis non iratus*, XV. q. I. Et quid de eo qui per insaniam occidit, vi c. *indicas*, III. q. IX. c. *aliquantos*, c. *illa*, c. *si quis* XV. q. I.

XXI. In matricida qui per annum integrum ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores ecclesiæ stans, orans, & deprecans Deum perseveret; completo anno poterit ingre-

ANNO CHRISTI 1517.

ingredi ecclesiam & audire divina, sed non communicare usque ad triennium, quo expleto per aliud septennium abstinebit ab oblatione altaris. Et iis XI. annis carnem non manducabit, nec vinum bibet, nisi festivis diebus & a pascha usque ad Pentecosten. Item nec poterit aliquo vehiculo vehi, nec arma interim sumere, nisi contra paganos; jejunet autem tribus diebus per hebdomadam a vespera usque ad vesperam, c. *latorem*, XXXII. q. II.

XXII. In eo qui interfecit uxorem, qui toto tempore vitæ suæ vinum & siceram bibere & carnes comedere, equitare uxorem ducere, arma cingere, communionem accipere prohibetur, poenitentiam agere debet in pane aqua & sale, jejuniis, vigiliis, orationibus & eleemosinis omni tempore perseverando. Vi c. *admonere*, ubi hæc latius ponunt, XXX. q. II. Ex quo collige quod major poenitentia imponitur illi qui interficit matrem.

XXIII. Quod qui presbyterum interficit XII. annis poenitebit, & militiæ cingulo perpetuo carebit, c. II. de poenit. & remis.

XXIV. Jurans temere & juramentum transgrediens uno anno poenitebit, c. *qui sacramento*, XXII. q. IIII. Sed transgrediens juramentum licitum XL. dies in pane & aqua, & septem sequentes annos poenitebit, c. *quicumque*, VI. q. I.

Et qui liber est & compulsus perjurat, XL. dies in pane & aqua poeniteat & septem sequentes annos, si servus tres quadragesimas, & legitimas ferias poeniteat, c. *qui compulsus*, XXII. q. V.

Et quod ille qui perjurat in manibus aut in cruce consecrata, poenitet tres annos vi c. *sequens*.

Qui falsum jurat vel alium jurare compellit septem annis poenitebit, c. *si quis convictus*, XXII. q. V.

XXV. In eo qui signo vel verbo confessionem manifestaverit, c. *omnis utriusque sexus*, de pæni. & remis.

XXVI. In eo qui dicendis horis canonicis & aliis officiis divinis a consuetudine metropolitanæ ecclesiæ discrepat, septem enim mensibus communione privatur, c. *de iis*, XII. di.

XXVII. In episcopo qui ordinat invitum sine causa; anno enim suspenditur, c. *II.* LXXIII. di.

XXVIII. In dissimulante correctionem de venditione mysteriorum, nam episcopus duobus mensibus, sacerdos quatuor, I. q. I. c. *quicquid invisibilis*.

XXIX. In sortilego qui XL. dieb. poenitet, c. *requisisti*, de sortile.

XXX. In eo qui videt in astrolabio duobus annis poenitet, c. *ex tuarum*, de sortileg.

XXXI. Qui domum suam lustrat cum magicis, & incantatoribus quinque annis poenitet, c. *cum divinatores*; c. *non liceat*, XXVI. q. V.

XXXII. In eo qui communicat hæretico insscius anno poenitebit, qui scienter quinque annis, c. *si quis dederit*, XXIV. q. I. multæ aliæ poenitentiæ in hac materia.

XXXIII. Si per negligentiam aliquid de sanguine stillaverit in terram, id est tabulam terræ adhærentem lingua lambatur & tabula radatur. Si non fuerit tabula, locus corradatur cavendo & comburatur, & cinis juxta altare condatur, & sacerdos XL. dies pæniteat; si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam & tribus diebus poeniteat. Si super linteum altaris & ad aliud linteum stilla pervenerit, septem diebus; si usque ad tertium, novem; si usque ad quartum, XX. diebus, poeniteat, & linteamina quæ tetigerit stilla, minister tribus vicibus abluat calice subterposito, & aqua ablutionis sumatur vel condatur, c. *si per negligentiam*, de conse. di. II.

XXXIII. Si quis per voracitatem vel ebrietatem eucharistiam evomuerit, XL. diebus, si sit laicus; si clericus LXX. si episcopus XC. diebus poenitebit. Sed si per ægritudinem acciderit, septem diebus, c. *si quis per ebrietatem*, de conse. d. II.

XXV. Si mus comedat corpus Christi, sacerdos XL. dies poeniteat; si illud aliter perdiderit XXX. diebus, c. *qui bene* de conse. di. II. Sacerdos qui in caute dimittit eucharistiam, & si nihil mali acciderit, tribus mensibus ab officio suspenditur, c. I. de cust. euch.

XXXVI. Qui scienter rebaptizatur septem annis poenitet faciendo tres quadragesimas; & feria IV. in pane & aqua jejunando, c. *qui bis*, de conse. di IV. de quo etiam in c. *homines*, ea. di.

XXXVII. Qui domum vel aream succendit, sublata vel incensa omnia restituat, & tribus annis poeniteat, c. *si quis domum*, de injur.

XXXVII. Falsarius quamdiu vivit in pane & aqua poenitere debet, c. *novimus*, de verbo. sig.

XXXIX. Sacrilegus qui secundum chrisma polluerit, & vasa sacra ad humanos usus transtulerit, hoc modo poenitebit; uno anno extra ecclesiam manebit; secundo anno ante fores ecclesiæ sine communione manebit. Tertio anno ecclesiam ingredietur; sed non admittetur ad oblationem, iisque tribus annis a vino & carnibus abstinebit, c. *de viro*, XII. q. II.

XL. Solemniter poenitens & ad vomitum rediens, X. annis poenitebit, c. II. *qui vero*, de poe. di. V.

XLI. Maledicens seu blasphemans Deum septem diebus dominicis præ forib. ecclesiæ dum missarum solemnia aguntur stare debet sine pallio & sine caliamentis, zona circa collum ligata, & VII. continuis diebus in pane & aqua jejunare debet, c. II. de maled.

XLII. Comburens ecclesiam, XV. annis poenitebit, c. *si quis ecclesiam*, XV. q. IV.

XLIII. Excommunicatus celebrans tribus annis continuis poenitere debet, omni tempore, secunda, quarta & sexta feria a vino & carne jejunando, c. *de illis*, XI. q. III.

XLIV. Degradatus celebrans, toto tempore vitæ suæ a communione corporis Christi privatur, c. *accedens*, I. dist.

XLV. Opprimentes seu suffocantes filios proprios tribus annis poenitere debent, uno

in

in pane & aqua jejunando, c. fi. de iis qui fi. occid.

XLVI. Injuste alium accusans ad mortem, quadraginta diebus in pane & aqua cum septem sequentibus annis poenitere debet, c. *accusasti*, de accusa.

XLVII. Contrahens contra interdictum ecclesiæ, uno mense poenitebit, c. 1. de mat. contra interd. ec. contrac.

XLVIII. Est in c. *si quis laicus*, XXIII. q. ulti.

XLIX. Fur rei ecclesiasticæ, ultra quadrupli restitutionem, septem annis poenitebit, & tres in pane & aqua, c. *pecunia*, XVII. q. IV. & qui ecclesiam combusserit quindecim annis poenitebit, c. *si quis ecclesiam*, ea. cau. & q.

Circa istos Canones adverte quod ubi imponitur poenitentia centum annorum, intelligitur esse in arbitrio sacerdotis quo tempore anni & qualiter velit poenitentiam agi; nam poterit sacerdos dare unum diem jejunii, vel duos pro hebdomada, vel dare aliquas quadragesimas jejunandas in anno; ita dicit Spec. in suo reper. aureo.

Quadragesimæ poenitentium communiter sunt tres, ante pasca est prima, secunda ante festum sancti Johannis, tertia ante nativitatem Domini, ut in c. 1. XXII. q. V. c. *quicumq.* III. q. VI.

Curet semper sacerdos imponere poenitentiam contrariam peccato, nam luxurioso & guloso imponatur poenitentia jejunii, macerationis carnis. Avaro eleemosynarum; superbo humilis oratio, accidioso peregrinatio, suspecto de hæresi fidei prædicationem.

Casus reservati absolutioni ordinariorum in provincia Florentina.

In primis, reservavit sibi absolutionem homicidii quomodolibet perpetrati.

Item, & absolutionem eorum qui proprios vel alienos infantes suffocaverunt; mandaturque omnibus ecclesiarum rectoribus sub poena florenorum decem, ne parentes qui hebdomadi pueros suffocaverint, admittant ad communionem prætextu cujuscumque absolutionis ab alio quam ab ordinario suo factæ; nisi de eadem absolutione ipsi ordinario fides facta fuerit. Quod etiam observari voluit in quocumque alio crimine manifesto reservato, ut parochianus absolutionem ab alio factam non acceptet, nisi de illius qui absolvit auctoritate fides facta sit ordinario.

Item, blasphemantium Deos & Sanctos publice.

Item, absolutionem sodomitarum & coeuntium cum brutis, cum personis religiosis, cum consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

Item, absolutionem eorum qui virgines defloraverint.

Item, absolutionem eorum qui in proprios parentes manus injecerunt violentas.

Item, absolutionem eorum qui sine causa accedunt ad monasteria monialium contra tenorem constitutionum synodalium & eorum qui mittunt vel recipiunt literas ab eis.

Item, absolutionem incendiariorum quorumcumque locorum.

Item, eorum quorum negligentia infantes sine baptismo pereunt.

Item, & tenentium infantes in lecto usq. ad annum.

Item, aperientium literas sigillatas aliorum.

Item, falsantium scripturas, instrumenta & hujusmodi, & corrumpentium testes & testium deponentium falsum.

Item & eorum qui cognoscunt filias spirituales.

Item, & judicum qui muneribus corrupti iniquam tulerint sententiam.

Item, & omnium casuum, quorum absolutionem præsentes constitutiones ordinariis reservarunt.

ANNO CHRISTI 1517.

ANNO CHRISTI 1521.

LEO PAPA X.

Sedit ab anno 1513. usque ad annum 1522.

Paulo superius collocandus erat, sed ex incuria omissus, hic reponitur.

MANDATUM CARDINALIS VVOLSEII

Episcopo Herefordensi, de exquirendis libris M. Lutheri prohibitis; cum catha-logo XLII. errorum in iis contentorum.

Extat apud Wilk. to. III. pag. 690.

THomas, miseratione divina, tituli sanctæ Cæciliæ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, Eboracensis archiepiscopus, Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, ipsiusque regni Angli. cancellarius, necnon sanctissimi in Christo patris, & domini nostri, domini Leonis, divina providentia hujus nominis papæ decimi, & dictæ sedis ad illustrissimum & potentissimum principem & dominum nostrum Henricum, Dei gratia Angliæ & Franciæ regem, & dominum Hiberniæ, universumque ejus Angliæ regnum, ac omnes & singulas ipsius regni provincias, civitates, terras, atque loca illi subjecta, & alia illi adjacentia etiam de latere legatus; venerabili fratri nostro dom: Carolo Hereforden. episcopo, ipsiusve in spiritualibus vicario generali, salutem in Domino. Cum jampridem præfatus sanctissimus dominus noster multos & varios articulos sive errores cujusdam Martini Lutheri pestiferos & pernicioſos, ac Græcorum hæresim & Boemicam expresse continentes, olim etiam per concilia generalia, & summorum pontificum constitutiones damnatos, & per ipsum Martinum nuper suscitatos, habita primitus super eisdem & eorum singulis diligenti discussione ac matura deliberatione, tanquam pestiferos, pernicioſos & hæreticos, ac simplicium mentium seductivos, veritatique catholicæ obviantes, ejusdem quoque Martini libellos, scripta, & schedulas in Latino, vel quocunque alio idiomate repertos damnaverit, reprobaverit, atque omnino rejecerit, proque damnatis, reprobatis, & rejectis ab omnibus Christi fidelibus haberi debere decreverit & declaraverit, inhibueritque idem sanctissimus dominus noster in virtute sanctæ obedientiæ, & sub majoris excommunicationis sententia, atque etiam hæreticorum & fautorum eorundem aliisque multiplicibus, gravibus, & formidabilibus pœnis eo ipso absque ulteriori declaratione incurrendis, omnibus & singulis tam ecclesiasticis quam secularibus personis, cujuscunque gradus, aut conditionis, aut præeminentiæ forent, ne præfatos errores aut eorum aliquos asserere, affirmare, defendere, aut aliis quomodolibet favere, sive hujusmodi libellos, schedulas, scripta, vel imi eis contenta capitula legere, asserere, imprimere, publicare, defendere, aut in domibus suis, sive locis aliis, publice vel occulte quoquomodo tenere præsumant, prout in literas præfati sanctissimi domini nostri sub plumbo cum filis sericeis rubei & glauci colorum pendentibus, moræ Romanæ curiæ bullatis, dat. Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo, decimo septimo calendarum Julii, pontificatus sui anno octavo, plenius continetur; nos igitur Thomas cardinalis Eboracensis, ac legatus de latere antedictus, pro divina & ipsius sanctissimi domini nostri reverentia, proque officii nostri debito, hujusmodi pesti; priusquam in hoc inclyto Angliæ regno radices agat, providere, ac ne tanquam vepris nociva latius serpat, viam præcludere cupientes, de consensu, voluntate, & mandato expressis præfati potentissimi & illustrissimi principis domini nostri regis, quem dictus sanctissimus dominus noster tanquam præcipuum fidei catholicæ propugnatorem & defensorem, per suum breve, ad hujusmodi hæresim ab hoc inclyto suo regno explodendam, extirpandam, & abolendam summopere rogavit, & hortatus est, habitoque super hac re diligenti tractatu, & exacta deliberatione cum reverendissimo in Christo patre & domino, dom. Willelmo Cantuar. archiepiscopo totius Angliæ primate, & apostolicæ sedis legato, ac cum nonnullis aliis venerabilibus fratribus nostris, hujus regni prælatis, denique eorum consilio & expresso consensu vobis auctoritate nostra legatina, qua fungimur in hac parte, firmiter injungendo mandamus, quatenus omnes & singulos abbates, priores, guardianos, & præsidentes monasteriorum, prioratuum, & locorum religiosorum quorumcunque, cujusvis ordinis, tam exemptorum quam non exemptorum, necnon collegiatarum decanos, præpositos & custodes, parochialiumque ecclesiarum rectores, vicarios, & curatos quoscunque, tam vestræ, quam cujusvis peculiaris, sive exemptæ jurisdictionis, intra vestram diœcesim consistentes, districte moneatis, & eis injungatis, seu sic moneri; & injungi faciatis, quod proximo die dominico, sive solemni post hujusmodi vestram monitionem, sive injunctionem eis factam in ecclesiis suis intra missarum seu divinorum officiorum solemnia, cum major inibi convenerit populi multitudo, publice moneant, vel moneri faciant omnes & singulos bibliopolas, stationarios, sive librorum venditores, ac omnes alias & singulas personas ecclesiasticas & seculares, intra præcinctum monasteriorum, prioratuum, collegiorum, sive locorum aut parochiarum suarum respective existentes, seu commorantes, cujuscunque generis, status, aut conditionis existant, ut omnia scripta vel impressa, vid. schedulas & libellos dicti Martini Luther, vel ejus nomine composita, edita, sive divulgata

gata in Latino, vel quovis alio idiomate, penes se existentia, ad vos seu vestrum in hac parte commissarium citra quintum decimum diem, hujusmodi monitiones sive injunctiones eis factas proximo & immediate sequentem asserant, & ad manus vestras seu vestri hujusmodi commissarii realiter tradant & liberent, seu sic afferri & tradi faciant. Recusantes vero aut ultra dictum quintum decimum diem hujusmodi scripta inferre, ut præmissum est, & realiter tradere temere, & contumaciter differentes, omnes & singulos cujuscumque gradus, status, aut conditionis existant, majoris excommunicationis sententiam eo ipso incursuros, ac tanquam hæreticæ pravitatis, & hæreticorum celatores, & fautores esse reputandos, habendos, & indicandos, hæreticorumque pœnis percellendos, & puniendos denuncient & declarent, prædictos etiam abbates, priores, guardianos, præsidentes, decanos, præpositos, custodes, rectores, vicarios, & curatos supradictos, ut supra, moneatis & eis injungatis, quod etiam ipsi omnia scripta, opressa, libellos sive schedulas, a dicto Martino composita & edita, aut sub ejus nomine divulgata, penes se existentia, pari modo citra prædictum decimum quintum diem ad vos, vel vestrum hujusmodi commissarium asserant, & realiter tradant. Quod si qui ex ipsis facere non curaverint, aut prædictas vestras monitiones debite executi non fuerint, & personis intra sua monasteria, prioratus, collegia, parochias, & loca commorantibus (prout eos respective concernunt) modo, quo præmittitur, minime publicaverint, eos denuncietis simili modo majoris excommunicationis sententia innodatos, & tanquam hæreticorum fautores habendos, ac eorum pœnis afficiendos. Moneatis insuper omnes & singulos abbates, priores, gardianos, præsidentes, decanos, præpositos, custodes, rectores, vicarios, & curatos prædictos, & eis auctoritate nostra injungatis, quod ipsi omnes & singulas personas ecclesiasticas & sæculares, infra limites monasteriorum, prioratuum, collegiorum, sive locorum, aut parochiarum suarum respective existentes, sive degentes, loco, tempore, & modo præinsertis districte moneant, quod si quis hujusmodi libellos vel schedulas, scriptave sive impressa dicti Martini Luther opera penes aliquem, cujuscunque status aut conditionis fuerit, occulte servari aut supprimi, ac vobis vel dicto vestro commissario citra præinsertum diem quintum decimum minime tradi & liberari cognoverit, quod sic servantem, tenentem, & supprimentem mox ipso quinto decimo sub pœnis superius expressis vobis vestrove hujusmodi commissario denunciet, detegat, & revelet; quod si fortassis non ante præmemoratum quintum decimum, sed postea ad alicujus notitiam pervenerit hujusmodi scripta, vel impressa dicti Martini opera a quovis celari, teneri, & servari, tunc infra quindecim dies a tempore notitiæ suæ hujusmodi, sub pœnis superius expressis, id vobis detegere & denunciare non omittat. Et quoniam universæ reipublicæ christianæ præsertim hujus regni, & locorum supramemoratorum plurimum interest præfatas literas sanctissimi domini nostri, damnationem dicti Martini Luther, & opinionum suarum perversarum continentes, divulgari & publicari, idcirco vobis committimus & mandamus, quatenus ipsarum literarum apostolicarum transcripta per notarium publicum in formam authenticam redacta, & sigillo nostro sigillata, quæ ad vos una cum præsentibus transmittimus, in valvis seu locis publicis ecclesiæ vestræ cathedralis, aliarumque ecclesiarum regularium, collegiatarum, & parochialium vestræ dioeceseos magis insignium firmiter affigatis, sicque affixa dimittatis, seu saltem affigi & dimitti faciatis. De die vero receptionis præsentium, executioneque earundem, et quid in præmissis feceritis nos citra primum diem mensis Augusti proxime futuri debite, distincte et aperte certificetis, ac omnia et singula schedulas, libellos, tractatus, et opera per dictum Martinum edita, scripta, et impressa, per vos recepta; seu aliter quovismodo in manibus vestris sive penes vos existentia, citra prædictum primum diem Augusti nobis tradere, sive ad nos fideliter et absque ulla fraude transmittere curetis. Dat. sub sigillo nostro in ædibus nostris prope Westmonasterium decimo quarto die mensis Maii, an. Dom. millesimo quingentesimo vigesimo primo.

ANNO CHRISTI 1521.

Sequuntur aliqui errores pestiferi Martini Lutheri.

1. Hæretica sententia est, sed usitata, sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare qui non ponunt obicem.

2. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu cæli.

4. Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere poenam purgatorii, et impedit introitum regni.

5. Tres esse partes poenitentiæ, contritionem, confessionem, et satisfactionem, non est fundatum in sacra scriptura, nec in antiquis sanctis christianis doctoribus.

6. Contritio quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem. Hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

7. Veriissimum est proverbium, et omnium doctrina de contritionibus hucusque data, præstantius de cætero non facere.

8. Summa poenitentia, optima poenitentia nova vita.

9. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas; unde in primitiva ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

ANNO CHRISTI 1521.

10. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod miseratione Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

11. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti, imo peccatum maneret, nisi remissum crederet; non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

12. Nullo modo confidas absolutioni propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi; *Quodcunque solveris &c.* hic inquam confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quicquid sit de contritione.

13. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

14. In sacramento poenitentiæ ac remissione culpæ non plus facit papa aut episcopus quam infimus sacerdos, imo ubi non est sacerdos, æque tam quilibet christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

15. Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, nec sacerdos inquirere.

16. Magnus est error eorum, qui ad sacramenta eucharistiæ accedunt huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas & præparatoria; omnes illi ad judicium sibi manducant & bibunt, sed si credant & confidant se gratiam ibi consecuturos: hæc sola fides facit eos puros & dignos.

17. Consultum videtur, quod ecclesia in communi concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos, nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt hæretici, sed schismatici.

18. Thesauri ecclesiæ, unde papa dat indulgentias, non sunt merita Christi & sanctorum.

19. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum: & sunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quæ expediunt.

20. Indulgentiæ hiis, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.

21. Seducuntur credentes indulgentias esse salutares, & ad fructum spiritus utiles.

22 Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo & impatientibus.

23. Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles; vid. mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, hiis qui non commiserunt, sed non publica, hiis qui meliora operantur.

24. Excommunicationes sunt tantum externæ poenæ, nec privant hominem communibus spiritualibus ecclesiæ orationibus.

25. Docendi sunt christiani plus diligere excommunicationem quam timere.

26. Romanus pontifex Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.

27. Verbum Christi ad Petrum, *quodcunque solveris super terram &c.* extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

28. Certum est in manu ecclesiæ aut papæ prorsus non esse statuere articulos fidei, imo nec leges morum seu bonorum operum.

29. Si papa, cum magna parte ecclesiæ sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret; adhuc non est peccatum aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re, non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

30. Via nobis facta est enarrandi auctoritatem conciliorum & libere contradicendi eorum gestis, & indicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quicquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocunque concilio.

31. Aliqui articuli Johannis Huffe condemnati in concilio Constancien. sunt christianissimi, verissimi, & evangelici, quos nec universalis ecclesia posset damnare.

32. In opere bono justus peccat.

33. Opus bonum optime factum est veniale peccatum.

34. Hæreticos comburi est contra voluntatem spiritus.

35. Præliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

36. Nemo est certus se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.

37. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo, & dum facit quod in in se est peccat mortaliter.

38. Purgatorium non potest probari ex sacra scriptura, quæ sit in canone.

39. Animæ in purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes, nec probatum est ullis aut rationibus, aut scripturis ipsas esse extra statum merendæ aut augendæ charitatis.

40. Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione, quandam quærunt requiem, & horrent poenas.

41. Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfeciissent.

42. Prælati ecclesiastici & principes sæculares non malefacerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Qui quidem errores respective, quam sint pestiferi, quam pernicioſi, quam scandaloſi, quam piarum & simplicium mentium seductivi, quam denique sint contra omnem charitatem, ac S. R. E. matris omnium fidelium & magistræ fidei reverentiam, atque nervum ecclesiasticæ disciplinæ obedientiam sanctam, quæ fons est & origo omnium virtutum, sine qua facile unusquisque infidelis esse convincitur, nemo sane mentis ignorat; nos igitur in præmissis, &c.

CON-

CONCILIUM PROVINCIALE

Parisiis celebratum ab archiepiscopo Senonensi & suffraganeis mense Martio MDXXI. Ex archivo S. Germani a Pratis.

ANNO CHRISTI 1521.

I. SAne cum honestas non patiatur a prælatis ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum capitulis, abbatibus, abbatissis, eorumdem monasteriis, & aliis quibuscumque personis ecclesiarum, maxime quibus res familiaris redditibus annuis abunde ex patrimonio Christi cumulata suppetit, quicquam temporale loco mercedis pro collatione spiritualium accipi, ne plebeis scandali occasio, memoratis ex causis oboriri solita, suggeratur; utque omnia munde in hujusmodi spiritualibus fiant, & sine labe, labis suspicione, aut specie mali, sacro approbante concilio, statuimus & ordinamus conformiter ad sacrorum conciliorum & sanctorum patrum decreta, ut pro electionum confirmatione, postulationum admissione, præsentationum provisione, collatione, dispositione, electione, postulatione, præsentatione, &c. a laicis facienda, institutione, instalatione, investitura de ecclesiis etiam cathedralibus, monasteriis, de dignitatibus, beneficiis, officiisque ecclesiasticis quibuscumque, necnon ordinibus sacris, benedictione, nihil ante vel post exigatur, sub quocumque titulo, colore, vel nomine aut alia quavis causa seu occasione, directe vel indirecte; idem pro tonsura et minoribus ordinibus, litteris commendatiis seu dimissoriis ad ordines, pro beneficiorum repræsentatione, inthronizatione, et eorumdem in possessionem missione, in canonicum receptione, religionis ingressu observandum decrevimus: non obstantibus quibuscumque juramentis, statutis, et consuetudinibus introductis, et in futurum introducendis: irrationabiliorem illam judicantes consuetudinem, qua ad unam præbendam receptus, suorum in dicta præbenda prædecessorum non receptorum, a quibus jus non habeat, sed a conferente seu instituente, plures receptiones solvere compellitur.

Ne tamen merces labori debita auferatur, tum ut registra celebriter, atque authentice in membranis non cartis papyraceis conscribantur, & conscripta fideliter asserventur; permittimus quod secretarii, seu notarii prælatorum, collatorum, præsentatorum, & cæterorum hujusmodi pro litteris sigillatis, expeditis, & registratis tonsuræ clericalis, tres solidos Turonenses, pro litteris minorum ordinum tres solidos Turonenses, pro litteris alterius cujuslibet sacri ordinis, & litteris commendatitiis, seu dimissoriis, etiam omnium ordinum tres solidos Turonenses; pro litteris præsentationis decem solidos Turonenses; pro litteris collationis, seu institutionis cujuslibet beneficii viginti solidos Turonenses; pro litteris præsentationis decem solidos Turonenses; pro litteris repræsentationis decem solidos Turonenses, pro litteris missionis in possessionem decem solidos Turonenses recipere a promoto, præsentato, repræsentato, provisо, inthronizato, investito, seu in possessionem misso, possint, & valeant, eisdem ad pœnas restitutionis dupli, & alias graviores a diœcesanis pro modo culpæ imponendas, inhibendo, ne quicquam præter supra taxatum recipere præsumant, aut audeant. Provideant autem diœcesani ne ecclesiarum parochialium rectores, matricularii, aut alii quicumque indebitas exactiones in sacramentorum, sacramentalium, & divinorum administratione faciant.

II. Ad nos, quod amarius condolendum est, pervenit, quod multis ecclesiis, cathedralibus, & collegiatis hujus nostræ provinciæ nullæ sunt, aut usque adeo tenues, quotidianæ distributiones, ut vix tertiam partem grossorum fructuum ascendant, in quibus hactenus invaluit consuetudo, quod ecclesiarum illarum canonici absentes pro interessentia unius diei grossos fructus totius anni percipiant: ex quibus vagandi materia oritur, cultus divinus, quem augeri omnino optamus, diminuitur, officium quoque propter quod beneficium ecclesiasticum datur, omittitur, quibusdam clericis admodum ignaris tenui pretio conductis, cura divini officii committitur, quod unico contextu, non servatis interstitiis temporum ab ecclesia præfixis per hujusmodi mercenarios transcurrendo, & syncopando celebratur, ut aliunde ex quæstu missarum vitam sibi mendicent. Nos igitur cupientes præteritis occurrere, & quantum possumus adversus futura cavere, sacro approbante concilio, hujusmodi consuetudines tamquam ecclesiæ nocivas, & cultui divino detrahentes, cassamus, & revocamus: hisque non obstantibus, statuimus, quod diœcesani in suis diœcesibus, dictarum ecclesiarum canonicos per juris remedia, etiam suarum præbendarum privatione ad suas ecclesias revocent, dictosque grossos fructus pro majori parte in quotidianas distributiones convertant, ut residentes, & divino officio actualiter interessentes, secundum mensuram laborum plus minusve quisque capiat emolumenti, sub obtestatione divini judicii omnibus præcipientes, ut respectu perceptionis hujusmodi quotidianarum distributionum, jura antiqua sacrorum conciliorum, & patrum decreta integre observent, & observari faciant.

III. Fidei dignorum relatio ad nostrum auditum perduxit, quantum in multis monasteriis a primæ institutionis puritate recessum: siquidem illorum cœnobitæ sic vitam regularem, & monachalem receperunt *, ut & moribus, & nomine, & habitu religiosi, & haberi, & nominari vereantur. Quod si in præmissis gubernaculum disciplinæ contemnatur, hoc solum restare videmus, ut religio naufragetur. Rebus itaque in deteriora prolabentibus obviam ire volentes, statuimus, ut abbates, & abbatissæ, priores, & prioriſſæ, & alii religiosorum superiores, quocumque

* I. rejecerun.

ANNO CHRISTI 1521.

que nomine censeantur, sic sua monasteria in cultu divino, vita, & moribus, vestimentis monachalibus, cibis & potibus reforment, & suos religiosos, & moniales ad vitam regularem, & monasticam secundum institutiones suorum ordinum, & alias regulares reducant; quod in eis nihil reperiatur quod divinam majestatem, & simplicium animos offendere possit. In præmissis autem per diœcesanos in suis visitationibus diligens inquisitio fiat, & quæ repererint deformata reforment, & omnino corrigant. Et quæ super prædictis facta fuerint, sequenti concilio referant.

IV. Et ne notorium illum abusum, quo nonnulli regulares apostasiam incurrendo, sine habitu regulari etiam in publicum incedere non erubescunt, sub dissimulatione pertransire videamur; statuimus quod canonici regulares de cætero super veste exteriori togam lineam tam extra quam infra monasterium ferre omnino teneantur: nisi forte super hujusmodi toga non deferenda privilegium habuerint; quod suis diœcesanis exhibere infra mensem a die paschæ computandum habeant, qui viso privilegio, super alio habitu patenter distincto, a vestimentis clericorum sæcularium ordinabunt, ut expedire, & juris esse videbitur.

V. Cum ex multiplicatione confratriarum sæpe monopolia oriri contingat, & quæ in usus pios consumenda, sunt in crapulam converti videantur, siquidem dies festos confratriarum non aliter se confratres digne celebrare putant, nisi comessationibus, & ebrietatibus deserviant; sacro approbante concilio, sub pœna excommunicationis inhibemus, ne aliqui cujuscumque status fuerint, confratrias erigere, & de novo instituere, sine episcoporum expresso consensu, & approbatione audeant. Antiquas autem quas per episcopos institutas, aut aliter approbatas fuisse constiterit, toleramus. Omnem baculorum delationem confratribus, & aliis quibuscumque tam intra, quam extra ecclesiam, necnon conventiculares comessationes diebus festis illarum confratriarum, & ex denariis earumdem fiendas, seu solvendas sub prædictis pœnis prohibemus.

VI. Insuper ne quis per excommunicationem, quam pro præcipuo mucrone ecclesia habet, a fidelium communione ex levi causa ejiciatur, sacro approbante concilio, prohibemus, quatenus de cætero nullæ excommunicationes concedantur, nisi pro gravi causa, & ea quidem cognita, secundum formam juris; generalesque monitiones in forma malefactorum non decernantur pro injuriis verbalibus, nisi forte atrocioribus, quarum distinctio arbitrio officialium relinquitur, quos nihilominus, & districte monemus, ut omnino caveant illarum multiplicationem, ne in vilipendio & contemptu deducantur.

VIII. Cum elationis habeat calumniam quicquid propter venustatem, non propter necessitatem accipitur; & ne bona ecclesiæ, quæ pauperum sunt, in fastum, & corporis ornatum, qui a sacro ordine alienus esse debet, convertantur, inhibemus omnibus, & singulis ecclesiasticis nostræ provinciæ, ne vestimentis exterioribus, & targis oblongis sericeis in publicum, aut domestice utantur, sub poenis arbitrio diœcesanorum imponendis: non tamen intendimus ecclesiasticis ex sanguine regio, aut ducali ortis, hujusmodi vestimentorum sericeorum delationem prohibere: quos nihilominus hortamur, ut in suis vestimentis decentiam ecclesiasticam observent.

IX. Multa nuper fuisse in medium deducta non ignoramus, quibus tam expresse, tamque exacte consultum est, per statuta conciliorum, constitutiones Romanorum pontificum, inhibitiones, adjornationes pœnarum, minas carcerum, & censuras, ut non solum nihil commode possit adjici; verum etiam si quidquam addatur, supervacuum intuentibus reperietur, & sola in illis superabundaret repetitio. Hæc autem hoc nomine ad diœcesanos remittuntur. De clericis non residentibus in beneficiis sine causa; de curatis deservientibus aliis beneficiis, ut ad propria redire compellantur; de festis vulgo dictis brachiorum, de nundinis dominicis diebus fieri solitis in alios dies transferendis, de titulis monialibus, de titulis provincialibus, de multitudine sacerdotum, de picturis, & imaginibus, ut omnis indecentia, & superstitio in illis cesset, de examine prædicatorum, antequam ad prædicandum recipiantur, de prioratibus, qui sunt multum pingues, in quibus nullum fit servitium divinum, ut circa præmissa provideatur, ac sollicite curent divinum cultum in dies magis ac magis excrescere, saluti suorum subditorum consulant, qui de manibus suis aliquando exquiretur.

Ad postremum nos antiquum morem sectantes, quo provinciales sanctiones relegi solitæ sunt, easdem in hoc sacro concilio legi jussimus, lectæque fuerunt; nec prætermittimus eas, quæ de quæstoribus, & visitationibus latæ sunt; quandoquidem, ut ex multiplici querimonia, & frequenti relatione cognovimus, in illis plurimum, & graviter delinquitur. Hæc autem omnia, & singula cum simus curiose observaturi, volumus, & mandamus, ut ab omnibus inviolabiliter, & ad unguem custodiantur vel observentur.

HA-

HADRIANUS PAPA VI.

ANNO CHRISTI 1522.

Sedit ab anno 1522. *usque ad annum* 1523.

CLEMENS PAPA VII.

ANNO CHRISTI 1523. 1529.

Sedit ab anno 1523. *usque ad annum* 1534.

CONVOCATIO PRÆLATORUM

Et cleri provinciæ Cant. in ecclesia S. Pauli Londo. 5. die mensis Novembris inchoata Anno 1529.

PEractis sacris, perlectis mandato archiepiscopi, brevi regio, & certificatorio episcopi London. receptisque & examinatis certificatoriis aliis & procuratoriis, Richardus Volman sessione secunda (Nov. 8.) in prolocutorem electus & a reverendissimo admissus est.

In tertia sessione (Nov. 12.) archiepiscopus conferebat de articulis concipiendis pro reformatione abusionum, quæ articulatim sequuntur.

1. Quod fiat provisio pro clericis ordinandis.

2. Pro eorum moribus reformandis, vid. a. quod non exerceant tabernas, nec ludant taxillis, vel aliis ludis prohibitis; b. quod nulli iis concedantur sacri ordines, nisi in ætate habilibus, aut approbatis moribus, et scientia doctis; c. quod non pernoctent in locis suspectis sed in cameris propriis, horis competentibus, d. quod non intersint inhonestis spectaculis.

3. Pro excessivo apparatu clericorum.

4. Quod fiat reformatio de personis ecclesiasticis promotis per simoniacam pravitatem.

5. Quod fiat provisio pro abusionibus ecclesiarum appropriatarum monasteriis & aliis locis.

6. Pro reformatione abusuum regularium personarum. Postea monuit omnes sub poena excommunicationis, ne aliquis revelet extra domum aliquibus personis cujuscunque status, nisi inter semetipsos.

In quarta sessione (Nov. 15. reverendissimus consultavit cum suffraganeis, ut fiat genaralis processio contra Turcam per totam provinciam, & quod fiat generalis processio per dictos suffraganeos suos, clerum, & prælatos præsentes in synodo in ecclesia D. Pauli die Mercur. proximo. (Nov. 17.) Eodem die archiepiscopus secretam habuit communicationem cum suffraganeis suis, exclusis omnibus aliis, posteæ cum abbatibus, deinde cum fratribus Mendicantibus.

Tandem ingressus est prolocutor cum quibusdam de clero, qui proposuit certa capitula in vulgari concernentia utilitatem prædictæ synodi pro reformatione abusionum.

In sequenti sessione (Nov. 19.) reverendissimus voluit, ut suffraganei sui & alii prælati conciperent provisiones & ordinationes de abusionibus, quas synodo examinandas obtulerint (Nov. 22.) Deinde dictus reverendissimus declaravit, quod quia regia majestas prosequitur ecclesiam Anglicanam cum sua defensione circa libertates ecclesiasticas & reprimendos hæreticos, & ex aliis causis prædicti prælati nominibus suis & suorum procuratorum pure & sponte demiserunt summas pecuniarias, quas mutuas illi dederant regi, assentiente prolocutore & toto clero. Post secretam deinde excommunicationem reverendissimi cum suis suffraganeis causa controversiæ inter episcopum Hereford. & priorem S. Joannis de Jerusalem fuit discussa.

In sesta sessione (Nov. 22.) præter provisiones supra memoratas nonnulli episcopi & prolocutor separatim articulos & billas pro reformatione abusionum ecclesiarum appropriatarum monasteriis &c. proponebant, quorum examen in aliud tempus differebatur.

In sequenti sessione (Nov. 26.) archiepiscopus voluit ut ordinatio fieret de appropriationibus ecclesiarum, et de pensionibus vicariis persolvendis, & postea monuit ut conciperentur articuli contra hæreticos et injunxit quibusdam ne jurisdictionem exerceant sub nomine delegationum in præjudicium ordinariorum sub poena excommunicationis. Die 29. mensis prædicti archiepiscopus longum habuit tractatum de hæreticis; & ibidem episcopus Bathon &c. produxit libellum continentem nomina diversorum librorum hæreticorum, qui cum tractatibus prolocutorum super quibusdam reformationibus abusionum prorogabatur in aliud tempus. Tertio die Decembris reverendissimus fecit quasdam provisiones contra hæreticos publice legi per cancellarium suum, de quibus deliberare voluit in proxima sessione Deinde per quinque sessiones & prorogationes convocatio continuata fuit usque ad 29. diem Aprilis anni sequentis.

STA-

ANNO CHRISTI 1530.

STATUTA (a) ET ORDINATIONES prælatorum in concilio provinciali edita.

Ex MS. Cott. Cleop. F. ii. fol. 54.

QUod episcopi tum ea, quæ infra scribuntur, tum omnia alia, quæ suo officio incumbunt diligenter exequantur.

Quum archiepiscopi & episcopi esse debeant forma gregis, ad quam se debeant inferiores reformare, quod nequit fieri, nisi se omnibus exhibeant in exemplum; majorum itaque institutis inhærentes, exhortamur in Domino, et in virtute sanctæ obedientiæ atque sub divini attestatione judicii monemus, ut omnes et singuli episcopi in festis principalibus, saltem in festis nativitatis Domini, Paschæ, et Pentecostes, atque in Hebdomada sancta præsentiam suam debitam in ecclesiis suis cathedralibus exhibeant, et oleum sacrum ac infirmorum in die coenæ Domini, quolibet anno, conficiant; nisi eos ab ipsis ecclesiis ac suis superioribus evocari, aut ex infirmitate, vel aliqua alia justa causa tunc abesse contingat. Circumeant præterea dioeceses suas temporibus opportunis, monasteria et hospitalia reformando, clerum et plebem corrigendo, hæreses et errores extirpando, et verbum vitæ in agro dominico seminando. In conferendis ordinibus atque beneficiis, instituendisque curatis multo diligentius quam ante hac vigilando, ne inhabiles ad curam animarum etiam ad tempus substituantur præcavendo; beneficiatos, qui ex causa non admodum urgenti abfuerint, ad residendum in suis beneficiis citra omnem redemptionem compellendo, veniasque eadem beneficia pro pecunia locandi prorsus rescindendo: exactiones et rigores officiariorum, et ministrorum suorum compescendo: ecclesiarum et capellarum privilegiatarum abusus comprimendo concionatores idoneos per dioceses suas subinde emittendo; hæreticos eorumque libros explorando et corrigendo, et, cum opus fuerit, etiam condemnando et extinguendo. Et ut rudimenta fidei et literarum tam in universitatibus, quam in aliis gymnasiis puris puris jaciantur, puriusque et sincerius coalescant, solicitius incumbendo, abbates et priores ad debitum numerum religiosorum observando, ipsosque religiosos in suis monasteriis degentes, ad monasticam conversationem excitando ac reducendo, absentes ad sua monasteria compellendo, licentiam capacitatum coercendo. Et ut per proprietarios, rectoresque et vicarios, ut frequentes in suis ecclesiis conciones faciant, aut saltem fieri procurent, distributionesque debitæ inter pauperes eorundem parochianos fiant diligentissime providendo, clericos delinquentes vigilantius inquirendo, et severius quam ante hac corrigendo, eosdemque super horrendis sceleribus etiam coram laicis convictos, in carceribus vel in perpetuum retinendo, vel saltem, nisi ex urgentissima causa, ad purgationem admittendo; simoniacos deponendo, et carnis libidine lapsos, ad rigorem canonum et constitutionum, tam in præsenti synodo quam in prioribus editarum castigando; venatores et aucupes clericos coercendo, pretiosisque vestibus indutos ad vestium modum in hac synodo præfinitum reducendo, et in eodem retinendo; cæterosque clericos otiosos aut dissolutos ad exercitia et honestam conversationem revocando. Et ut in summa dicamus, omnes sub cura nostra existentes, ad mandatorum Dei, canonumque et constitutionum, usu et moribus hujus regni legitime receptorum et approbatorum, maxime tuitionem fidei et morum integritatem concernentium, observantiam verbo et exemplo cohortando, persuadendo, &, ubi opus fuerit, etiam compellendo.

De qualitate ordinandorum.

Præsentis sacri concilii provincialis auctoritate sancimus, ordinamus, et statuimus, quod nullus episcopus per se, sive suum suffraganeum quempiam alienæ dioecesis (etiamsi sint regulares exempti) ad sacros ordines inter Cant. provinciam de cætero admittat, nec ordinet, nec eis, aut eorum alicui liceat extraneos, et qui infra dioecesim vel jurisdictionem suam non sunt oriundi, aut beneficiati non fuerint, vel domicilium ibidem per triennium non habuerint, quoquomodo ordinare, etiamsi iidem literas episcoporum suorum dimissoriales habuerint, quas auctoritate præsentis concilii decernimus non esse admittendas quoquomodo. Statuimus quoque et ordinamus, quod nullus clericus sæcularis de cætero admittatur ad sacros ordines, nisi habuerit literas testimoniales curati et oeconomorum vel parochiæ, in qua natus, beneficiatus, vel per triennium proxime præcedens commoratus fuerit, sub sigillo archidiaconatus jurisdictionem habentis, alioquin sub sigillo commissarii in parochia prædicta jurisdictionem habentis; seu, si in aliqua universitate studens fuerit, sub sigillo commissarii universitatis Oxon. seu vicecancellarii Cantabrig. cum testimonio superioris loci sui; quæ literæ ipsius ordinandi vitam, genus, patriam, bonam famam, & conversationem tam circa fidem catholicam, quam circa alia contineant; pro quibus quidem literis & sigillo ultra quatuor denarios nihil exigatur, sub poena suspensionis ab officio, quam ipso facto auctoritate hujus concilii incurrat, donec duplum pecuniæ receptæ, parti sic solventi restituat. Exacte etiam curent episcopi, ut neminem de cætero ad subdiaconatus ordinem promoveant, nisi eum qui adeo sit exercitatus in evangeliis & epistolis sacris, saltem in missale contentis, ut eorundem sensum grammaticalem examinatori prompte & expedite reddere valeat: sitque eorum quilibet sufficienter instructus etiam in aliis ad ordi-

(a) Constitutiones istas cum superiori convocatione continuavit Wilkins, ad illam pertinere ratus; sed cum inter vetitos libros quendam referat continentem res gestas anni 1530. hinc serius editas statuamus oportet.

dinem illum, quem tunc assumpturus est, per sacros canones requisitis, & in officiis divinis secundum morem ecclesiæ & loci consuetudinem promptus & expertus; habeatque præterea in presbyterum ordinandus cætera ad ipsius officium & ordinem per *c. quæ ipsis* §.8. *distinct.* ipsis sacerdotibus necessario requisita.

De non admittendis ad beneficia per procuratorem.

Quia, ubi res agitur per procuratorem, ordinarius potest mores, scientiam, & conditiones personæ sibi præsentatæ ignorare, & sic insciens indoctum vel indignum, ut sæpe contingit, aut religiosum ad beneficium, nomine clerici vel capellani, suppresso religionis titulo, per procuratorem sibi præsentatum in beneficio ecclesiastico instituere; igitur statutum, ordinatum, & decretum est, ut quilibet ad beneficium curatum præsentatus, in persona sua propria ad ordinarium veniat, si in sua dioecesi seu jurisdictione præsens fuerit; si autem abfuerit, & reliquerit in sua absentia vicarium generalem, ad ipsum veniat, ut diligenter examinetur, an moribus & scientia, ac cæteris qualitatibus sit aptus & idoneus ad ejusdem beneficii curam administrandam; ut quod taliter non examinatus ad beneficium per procuratorem non admittatur, nisi sit in aliqua certa universitate ad minus artium magister, ac juris pontificii, vel Cæsarei baccalaureus secularis, vel nisi sit talis, de cujus scientia & moribus alio modo suo ordinario satis constat; vel nisi in partibus transmarinis ex aliqua causa legitima coram ordinario approbanda tunc egerit, vel nisi adversa valetudine impediatur. Si quis autem in suo procuratorio se in ecclesiastica dignitate constitutum, artiumve magistrum, seu juris canonici aut civilis baccalareum falso nominaverit, aut se clericum vel capellanum, cum sit religiosus, existere falso simulaverit, an adversa valetudine laborare finxerit, cum sit sanus, quia dolus & fraus nemini debent patrocinari, institutio vel in possessionem inductio sequens ex hujusmodi fallaci procuratorio nullius sit roboris aut momenti; ipseque constituens tale procuratorium beneficio, ad quod tunc nominatur, sit ipso facto privatus; & liceat patrono beneficium sic vacans conferre, seu ad idem alium idoneum præsentare. Quod si aliquis, cum quo forte per sedem apostolicam dispensatum sit, coram ordinario in habitu sæculari, cum sit religiosus, comparuerit, & se religiosum esse ordinario etiam non interrogatus non detexerit, institutio & in possessionem inductio pro nullo habeatur. In omnibus autem prædictis casibus, quibus præsenti constitutione quemquam per procuratorem ad beneficium curatum admitti permittitur, illud omnino volumus observari, ut procurator ipse suo proprio vel alterius fide dignæ personæ (cui promovendis sit cognitus) juramento fidem faciat, se credere, quod is, quem ad beneficium admitti postulat, quantum ad mores attinet, idoneus, quantum vero ad scientiam, sufficiens existat ad ea omnia & singula præstanda, quæ in aliis constitutionibus præsentis synodi exiguntur.

ANNO CHRISTI 1530.

De absentibus causa studii.

Ne falsus studii prætextus excuset absentes a beneficiis, ordinarii locorum in suis visitationibus et capitulis diligentem faciant de absentibus a beneficiis suis curatis inquisitionem; nulliusque absentiam gratia studii in quacunque academia approbent, nisi absentes hujusmodi bonarum literarum capaces, & ad adipiscendam doctrinam admodum apti per probationem legitimam sibi commendentur. Ac deinceps caveant prælati, ne senibus beneficium vel beneficia habentibus (præsidibus collegiorum, seu aularum, ut publicis in sacra theologia, jure canonico, aut civili prælectoribus duntaxat exceptis) a suis beneficiis, prætextu studii, abesse indulgeant vel permittant. Qua in re sub obtestatione divini nominis prælatorum conscientias oneramus. Et ut dicta nostra ordinatio promptiorem sortiatur executionem, ulterius statuimus & ordinamus, quod cancellarii seu vicesgerentes utriusque universitatis, in prima sua admissione ad sua officia juramentum præstent corporale, alioquin non admittendi, quod bis singulis annis de ineptis & inidoneis hujusmodi per singula collegia, aulas, et hospitia specialem faciant inquisitionem; quod si quos ibidem etiam juvenes beneficiatos, nulli deditos studio, in otio et deliciis vitam degentes compererint, de eisdem dioecesanos episcopos, seu ordinarios, ubi beneficiati existunt, cum omni, qua possint, celeritate, et diligentia certiores facere non omittant, qui mox eos ad residentiam in ecclesiis suis parochialibus debitam, et hospitalitatis solatium, quæ sub velamento studii desides hujusmodi fraudulenter subtraxerint, canonice cogant et compellant.

De his, qui deserta residentia in cura propria, recipiunt stipendia aliunde.

Hoc sacro approbante concilio prohibemus, ne cantaristia vel aliter beneficiatus, propria cura sua cantaria, vel suo beneficio dimisso, alieno deserviat, nec stipendia aliunde percipiat, sub pœna amissionis medietatis fructuum sui beneficii, arbitrio ordinariorum tempore visitationis eorum, sub testimonio œconomorum applicandorum ad reparationem ecclesiæ ornamentorum, et pauperum parochianorum eleemosynas, exceptis illis studentibus in universitatibus, quorum beneficiorum valor ad summam octo marcarum de claro non extenditur.

De hæreticis & hæreticorum libris.

Nostræ solicitudinis præcipua cura esse debet, statim ut pullulare aliquid cognoscimus, quod fidei christianæ puritatem vel ecclesiæ Christi concordiam, pacem, et tranquillitatem offendit, illud penitus rescindere, agrum dominicum a noxiis, zizaniis,

ANNO CHRISTI 1530.

zaniis, et vepribus omni diligentia expurgare. Satis dudum in nostra provincia, quod dolenter referimus, quidam hæresiarchæ damnabiliter excæcati alios, secum in infidelitatis interitum trahere satagentes, libellos nonnullos Latino et vulgari sermone conscriptos edere, spargere, et publicare curaverunt, contraria fidei catholicæ & sanctæ matris ecclesiæ doctrinæ dogmata continentes.

Cujus generis est liber ille, qui Parabola Mammonæ iniquitatis inscribitur.

Item alius liber, qui obedientia Christiani hominis vocatur.

Item translatio novi Testamenti in lingua Anglicana a Willielmo Hitchyns, alias Tindall, corrupta.

Item alius liber, qui revelatio Antechristi intitulatur.

Item, alius liber, qui Dialogus inter patrem & filium vocatur.

Item, alius infamis liber, qui de sepultura missæ rythmico sermone vernaculo compositus est.

Item, alius, qui introductio in epistolam Pauli ad Romanos inscribitur

Item alius, qui Practica prælatorum; & alius, qui vocatur A. B. C. to the prelacy; & alius, qui vocatur Defensorium pacis; & alius vocatus Dialogus inter generosum & rusticum.

Item, alius in vituperium divi Thomæ, quondam archiepiscopi Cant.

Item, alius, qui De abroganda missa privata Martini Lutheri inscribitur.

Alius, qui enarrationes Martini Lutheri in epistolas Petri nominatur.

Alius, qui Lutherus in epistolas Pauli & Judex vocatur.

Alius de votis monasticis Martini Lutheri.

Item Lutheri commentarius in epistolam Pauli ad Galatas.

Item Annotationes Johannis Oecolampadii de genuina verborum Domini, *hoc est corpus meum*, expositione.

Item commentarius Johannis Oecolampadii in postremos tres prophetas nempe Aggeum, Zachariam, & Malachiam.

Item Johannis Oecolampadii liber in epistolam Johannis catholicam.

Demegoriarum farrago annotationum in Genesim, ex ore Zwinglii.

Commentarius Pomerani in Deuteronomium et Samuelem.

Item Pomeranus in psalmos.

Francisci Lamberti Avinionensis in divi Lucæ evangelium commentarii.

Francisci Lamberti commentarii in Joelem prophetam.

Farrago omnium fere rerum theologicarum Francisco Lamberto auctore.

Francisci Lamberti in Sophoniam, Aggeum, et Zachariam.

Franciscus Lambertus in Amos, Abdiam, et Jonam prophetas.

Nova scholia Philippi Melanchthonis in proverbia Salomonis.

Commentarii Philippi Melanchthonis in epistolas sancti Pauli ad Colossenses.

Annotationes Philippi Melanchthonis in epistolas Pauli ad Romanos et unam ad Colossenses.

Translatio sententiarum Salomonis ad Hebræum a Philippo Melanchtone.

Lambertus in Oseam.

Annotationes Christophori Hegendorphini in sancti Marci evangelium.

Job cum commentariis Johannis Brentii.

Ecclesiastices Salomonis cum commentario Johannis Brentii.

Item Johannis Brentii exegesis in divi Johannis evangelium.

Andreæ Althemari Brentii Annotationes in epistolam Jacobi.

Commentarius Lutheri in Sophoniam.

Commendaticia brevis Lutheri ad Olthonem Brumfelsium de vita, candore, doctrina, et martyrio Johannis Husse.

Responsio Johannis Tindall ad dialogum Thomæ Mori militis, in sermone Anglicano.

Item, alius liber, qui intitulatur The disputation of purgatorii editus per Johannem Friztho

Felinus super psalterium.

Brentius super ecclesiasticem.

Brentius in Johannem.

Hegendorphinus in Marcum.

Pandecta Othonis.

Catalogus virorum illustrium.

Lambertus in Lucam.

Bucerus super quatuor evangelia.

Annotationes Justi Ionæ in Acta apostolorum

Matrimonium Johannis Tindall.

Alius liber compilatus per fratrem Willielmum Roy contra septem sacramenta ecclesiæ

Qui quidem libri, una cum aliis multis pestiferis partim a Willielmo Hitchyns, alias Tindall, a Simone Fisshe, Willielmo Roy, Richardo Brightwell, partim a Luthero, Pomerano, Francisco Lamberto, Hildilicio Zwinghio, Johanne Brentio, Philippo Melanchthone, Christophoro Hegendorphino, Andrea Althemaro Brentio, eorumque comolicibus compositi sunt

Quos omnes et singulos libros infandis et pestilentissimis hæresibus, et olasphemiis refertos, innumeris erroribus plenos, una cum prædictis et aliis eorundem similium auctoribus quibuscunque, hoc sacrosancto concilio approbante, damnamus, reprobamus, et hæreticos esse judicamus et decernimus. Præterea etiam patrum nostrorum vestigiis inhærentes, prohibemus, ne quis inposterum tractatus, opuscula, schedulas, aut libros quoscunque, sacram scripturam, aut ejus interpretationem in se continentes in linguam vulgarem translatos vendere, donare, commodare, emere, imprimere, inscribere, edere, legere, spargere, vel publicare, in parte vel in toto, publice vel privatim, vel penes se scientes retinere, absque sui diœcesani in scriptis licentia præsumat, nisi prius hujusmodi libri episcopo loci exhibiti, atque ab eodem diligenter examinati, atque auctoritate ejusdem comprobati fuerint. Qui vero contra fecerit, ut zizaniorum fator et hæreticæ pravitatis fautor puniatur. Si qua vero persona ecclesiastica vel in prædicto excessu, vel in quavis

hære-

hæresi vel errore pernicioso, quem illico ad monitionem dioecesani loci recantare recusaverit, manifeste deprehensus fuerit aut convictus, beneficiis, si quæ habeat, hoc sacro approbante concilio, sit ipso jure privatus, et ad dignitates ecclesiasticas, vel alia beneficia, curam animarum habentia, necnon ad curati officium gerendum perpetuo inhabilis reddatur. Et quia multi libri hæretici etiam in lingua Latina a Luthero, Lamberto, Pomerano, Zwinglio Oecolampadio, Bucero, Melanchthone, Carolstadio, Brentio, Jona, Wescinero, Hegendorphino, Johanne Agricola Urbano, Bresemano, Andrea Knopkyne, Simone Hesse, Johanne Weltkyth, Othone Brumselsio, Wessello compositi et editi, et quidam alii libri nullius auctoris nomine prodeuntes.

Cujusmodi est liber ille, qui de veteri et novitio Deo inscribitur.

Alius, qui Piæ precationes.

Alius, qui Oeconomia christiana vocatur.

Alius, qui Processus consistorialis martyrii Johannis Husse intitulatur.

Alius in sermone Anglicano, vocatus, The prologue intothe fifth boke of Moyses called Deuteronomy.

Alius nuncupatus, The firste boke of Moyses, called Genesis.

Alius, qui inscribitur, The proloque into the thirde booke of Moyses, called Leviticus.

Alius, qui intitulatur, The prologe into the fourthe boke of Moises, called Numeri.

Alius, qui vocatur, The prologe into the seconde boke of Moises, called Exodus.

Alius nuncupatus, The somme of Scripture

Alius nominatus, The exposition into the seventh chaptre to the Corinthians.

Alius nominatus, Hortulus animæ, in sermone Anglicano.

Complanationes in Isaiam

Complanationes in Hieremiam

Capita in Osiam.

Capita in Abacuc.

Unio desidentium.

Confessio exhibita Cæsari in comitiis Augustæ, an. Dom. MDXXX.

Omnes innumeris erroribus et pestilentissimis hæresibus pleni, brevi gregem dominicum infecturi videntur, si in vulgus prodire, et passim ab omnibus nihil in iis non rectum subesse suspicantibus, lectitari possent. Et alii etiam ejusdem generis libri, aliis nominibus et titulis quotidie novi parantur, et educuntur; ad occurrendum huic eminenti malo, hoc sacro approbante concilio, prohibemus, ne quis librum quemcumque sub prædictis titulis, aut auctorum præfatorum nomine inscriptum aut compositum, vel imposterum componendum habere, legere, edere, publicare, seu penes se retinere præsumant. Quod si fecerit, ut de hæresi suspectus habeatur et puniatur, nisi forte episcopus loci eidem propter singularem ejus doctrinam, fideique integritatem hujusmodi librum, sive in lingua vernacula, sive Latina editum; ad effectum impugnandi eundem habere, legere, et penes se retinere concesserit. Nova vero opera quæcunque ad sacram scripturam ejusve interpretationem, seu ad dogmata ecclesiastica pertinentia, cujuscunque fuerint auctoris aut tituli, ne prius edantur aut publicentur præcipimus, quam ab episcopo loci examinati et comprobati fuerint sub poena prædicta.

ANNO CHRISTI 1530.

De clericis venatoribus.

Quum sacerdotes et clerici in sacris ordinibus constituti, canes venaticos loris more laicali ducere, ac accipitres manibus per civitates et loca publica gestare nunc dierum ne verentur; nos tamen clericorum impudentiam poenali lege reprimere cupientes, statuimus, ut quicunque clericus in sacris ordinibus constitutus, vel beneficium adeptus ecclesiasticum, qui canes sic duxerit, & accipitres, aut aves aucupes per vicos & plateas in villis vel urbibus quovismodo gestaverit, a celebratione divinorum ipso facto per unum mensem sit suspensus.

De clericis & religiosis lapsis in vitium carnis.

Quum nullum vitium æque ut carnis gravet infamia, & ministros Domini deceat mundities & sanctitudo, quoniam ipse mundus & sanctus est; ideo statuimus & ordinamus, ut subdiaconus aut diaconus, qui in simplici fornicatione deprehensus, vel confessus, vel convictus fuerit coram ordinario suo, singulis quartis & sextis feriis omnium hebdomadarum trium mensium in pane angustiæ & aqua doloris in carcere maneat; ita ut in singulis ordinum prædictorum duplicetur poena pro adulterio, triplicetur pro incestu, & in cæteris carnis spurcitiis poena crescat, ut impuritas crescit & turpitudo. Quod si etiam curatus vel religiosus sit, aliquid illi præter cæteros addatur ad poenam, veluti qui duplicis voti sit reus & ordinis & professionis. Ut hæc observentur, conscientias prælatorum oneramus, et ut infamiam vitent, quæ ad illos recurret, nisi severiter in impuros animadvertant, in Domino, exhortamur. Incorrigibiles vero juxta sacrorum canonum statuta deponantur. Quod si quispiam ex iis in lupanari aut ullo alio loco infami deprehensus sit, in quo fama est pudicitiæ prostitutiones publice aut secrete exerceri, illi augeatur præscripta poena ordinarii arbitrio, juxta vitii qualitatem.

De Simonia vitanda.

Quanta autem simoniæ infamia contra nostri temporis tam sæculares, quàm cujuslibet ordinis religiosos invaluit, quis est qui ignorat? Non enim precibus, & obsequiis tantum, sed et apertis muneribus beneficia, & prælaturas non modo vacantes, sed de verisimili vacaturas, in animarum suarum gravissimum periculum, hiis proximis annis absque rubore, & Dei timo-

ANNO CHRISTI 1530.

timore aliquo comparaverunt. Quorum ambitione factum est, ut electionum salu-berrimæ formæ, quæ per canones liberæ esse deberent, jam multis annis, vel fraudibus obtenebratæ sint, vel ad compromissi necessitatem redactæ. Ut itaque tanto scandalo salubri aliquo remedio, quanto citius, & melius fieri possit, consulamus, præsentis sacræ synodi authoritate præcipimus, & mandamus, ut episcopi hujus, aut provinciæ singuli in suis diœcesibus diligenter advertant, ne talia de cætero committantur, curentque per se, & ministros suos maxime, quos in prælatorum electionibus tanquam directores, & consultores interesse continget, ut electiones hujusmodi secundum sacratissimos canones, & indulta principum deinceps libere pro arbitrio eligentium, procedant, fraudesque, & pactiones, per quas in hujusmodi electionibus recta eligentium conscientia captivetur, aut seducatur, penitus secludantur. Singulique locorum Ordinarii in suis visitationibus, & quoties necessitas postulaverit, diligentem in suis diœcesibus inquisitionem faciant, an contra aliquos intra easdem ulla simoniacæ labis nota orta sit. Et si quemquam, Dei timore postposito, per pecuniæ, & munerum sordes prælaturam, vel aliud quodcumque beneficium ecclesiasticum adeptum fuisse compererint, pœnis jam a jure communi contra simoniace promotos salubriter adinventis, in eundem acriter animadvertant, ut quarum pœnarum desuetudo oblivioſa audaciam jam aliquot annis præbuit delinquendi, earumdem nunc innovatio, & irremissibilis exequutio cunctos in officio contineat, & a delinquendo cohibeat.

De otio vitando, & honesta clericorum conversatione.

Quia desidia mater est omnium quodammodo vitiorum, hoc sacrum concilium omnibus curatis, rectoribus, vicariis, & cantaristis mandat & præcipit, quod peractis divinis officiis, sint deinceps occupati in studiis, orationibus, lectionibus, aut aliis honestis rebus & negotiis, quæ suam deceant professionem, videlicet instituendo pueros in alphabeto, lectura, cantu, aut grammatica. Et tribus in hebdomada diebus tres vel minus duas horas in sacræ scripturæ, vel alicujus doctoris approbati lectione, cessante legitimo impedimento, se exerceant; de qua re diligenter in suis visitationibus inquirant ordinarii, ut sacerdotes otiosos & tempus suum male terentes severe castigent & puniant. Et quia nimia sacerdotum inter laicos conversatio nonnulla pericula præter ordinis sui contemptum gignere solet; singuli in suis diœcesibus episcopi & cæteri ordinarii curent, quod rectores, vicarii, curati, etiam cantaristæ, qui domos suis beneficiis pertinentes habent, in rectoriis, vicariis, aut cantariis suis, & non alibi, nisi itineris aut infirmitatis gratia pernoctent. Et quod si plures in eadem villa sint sacerdotes simul & non separatim, quatenus judicio ordinarii commode fieri potest, communes habeant. Et quia non solum a malo, sed ab omni specie mali secundum apostolum abstinendum est, ideſt, ab eo quod mali apparentiam habet, aut suspicionem siniſtram gignere, aut populo scandalum præbere possit, abstinendum est; præsentis sacræ synodi decreto statuimus, ac præsentis synodalis concilii auctoritate districte inhibemus, ne quis clericus in sacris constitutus, ludos aliquos jure canonico vel regni aut regis auctoritate prohibitos, quovis pacto exerceat aut utatur, sed loca suspecta & malorum iniquorumque consortia omnino devitet. Tabernas in quibus quodvis genus potus passim venditur, non frequentet, aut in eis quovis modo moram faciat, mulierum colloquia suspecta nullatenus habeat. Quod si per ordinarium suum, aut alium quamvis sufficienti auctoritate super aliquo præmissorum prædict. monitus non resipiscat, prima vice ab executione sui officii per integram hebdomadam suspendatur, & crescente in hac parte ejus contumacia, crescat & hujusmodi pœna pariformiter. Et si nec sic resipiscat, si cantarista, aut aliter beneficiatus existat, tertiam partem fructuum cantariæ, sive beneficii sui ipso jure sit privatus, in pauperum subventionem, & alios pios usus discretione ordinarii distribuendorum, & convertendorum, donec resipiscat, & ab hujusmodi excessibus abstineat. Si vero nec beneficiatus nec cantarista fuerit, sed ex solo stipendio vivens; si tertio, ut præfertur, monitus non se corrigat, ab altari remotum se noverit, donec & quousque ab hujusmodi excessibus plene abstineat. Item quia, ut ait sapiens, *multa mala docet otiositas*, ad hoc pestiferum virus evitandum & eliminandum, præsentis sacræ synodi decreto præcipimus, & firmiter injungendo mandamus sub poena suspensionis ab officio, & beneficio, ut quilibet in sacris constitutus, & præsertim sacerdotes stipendiarii tres horas, vel ad minus duas in sacræ alicujus scripturæ vel approbati doctoris lectione singulis diebus, cessante legitimo impedimento, se exerceant.

De dilapidationibus.

Salubriter ab Edmundo, olim Cantuar. archiepiscopo, extitit ordinatum, ut decedente rectore, ex bonis ipsius tanta portio per loci ordinarium deduci deberet quanta ad reparandas ecclesiæ, & aliarum ejusdem beneficii ædium ruinas viderentur sufficere: nos eidem ordinationi addere cupientes præsenti decreto statuimus & ordinamus, ut beneficiati, qui deinceps aliquid ex bonis prædecessorum suorum sub nomine vel prætextu reparandarum ædium, vel supplendorum ecclesiæ defectuum ex decreto ordinarii, compositione cum hæredibus, executoribus, vel administratoribus bonorum defuncti, vel alio quocunque modo acceperint, illud totum in earundem ædium reparatione, & defectuum earundem suppletione infra biennium a tempore receptionis exponere teneantur, deductis expensis (si quæ expositæ fuerint) circa litem & recuperatio-

tionem dictæ summæ receptæ. Quod si incumbens resignaverit aut decesserit, seu alio quocunque modo recesserit, tunc summa per eum pro dilapidationibus recepta, & non expositа relinquatur, & realiter tradatur futuro successori, qui sicut dictam summam nomine dilapidationum recepit, ita in eosdem usus exponat, ut supradictum est; & ad observationem præmissorum in sua institutione, sive admissione juramentum præstiterit corporale, alioquin institutio ipsa sive admissio ipso jure nulla censeatur.

De ludimagistris.

Quia vetus est adagium, quod nova testa capit, inveterata sapit; & qualis est moderator in civitate, talis est & populus; hoc sacro approbante concilio statuimus, quod præceptores scholarium grammaticalium sint præter eruditionem, quatenus fieri potest, viri catholici & probi, & ut primum omnium doceant pueros sibi traditos simplicem fidei & agendorum & fugiendorum summam, & ne pueris rudibus prælegantur opuscula, quæ locorum pro tempore ordinariis mores puerorum, aut fidem videbuntur corruptura, neque ulli libri, quibus quasi per lusum puerilia ingenia inficí possent. Et quoniam vel propter pestem laborantem in locis ubi hujusmodi publicæ scholæ sunt, aut propter mortem præceptoris (ut plurimum contingit) quod qui anno aut biennio sub uno præceptore grammaticam addiscere coepit, illo relicto, cogitur novum adire præceptorem, apud quem alius est docendi modus (ut pene diversus est apud omnes) atque ita fit, ut rudes adhuc in grammatica magnum ex hoc sentiant in provectione studii detrimentum; ad communem igitur utilitatem totius provinciæ Cant. hoc sacro approbante concilio, statuimus, ut post annum a publicatione præsentium unus & uniformis sit docendi grammaticam modus per totam provinciam Cant. nullus auctor regularum seu præceptionum grammaticalium pueris in grammatica instituendis ediscendus proponatur, nisi quem archiepiscopus Cant. simul cum quatuor aliis suæ provinciæ episcopis, quatuor abbatibus, quatuor archidiaconis in hac synodo deputandis hoc anno prox. sequen. præscripserint pueris perlegendum; qui etiam habeant potestatem formulam institutionis grammaticorum præceptoribus præscribendi. Ludorum vero grammaticalium magistri, tam admissi, quam admittendi, juramenti vinculo per locorum ordinarios ad observanda omnia in hoc statuto contenta, quatenus eos concernunt astringantur; maxime hi qui locis insignioribus publicas scholas salario publico vel privato tenent.

Ut numerus debitus & conveniens religiosorum in unoquoque monasterio perpetuo habeatur.

Nihil magis laicos, eos potissimum, qui religiosorum locorum fundatores existunt, hoc nostro tempore a similium locorum fundatione deterret, quam quod vident loca religiosa carere numero tam religiosorum quam aliorum pauperum, quos vel secundum primævam fundationem, vel secundum portionem reddituum, quos nunc possident, sustinere & alere deberent; statuimus itaque & ordinamus, ut numerus religiosorum debitus in unoquoque monasterio deinceps habeatur, & perpetuo servetur, oneribus ordinariis atque extraordinariis, proventuumque & prædiorum per maris & fluviorum inundationes, & alioquin damnis & ruinis pro tempore perpensis & consideratis.

ANNO CHRISTI 1530.

De educatione & exercitio religiosorum.

Quum ex nulla re magis monasteria collabi soleant, quam cum ignari & rerum agendarum imperiti monasteriis præficiuntur, atque ita expediat habere plures in singulis religiosorum domibus, qui tam in temporalibus quam spiritualibus modum & usum calleant, ne si quando religiosorum domus vacare contingat, non habeant inter se idoneum de gremio, quem defuncto substituant; statuimus & ordinamus, ut in quolibet monasterio & loco religioso sit *juxta Cle. ne in agro dominico* instructor aliquis grammatices sufficienter eruditus, ad informandum religiosos in grammatica, & aliis primitivis scientiis. Ex quibus illi, qui in singulis locis ad capessendas literas aptiores fuerint, juxta facultatem possessionum eorundem mittantur ad universitatem Oxon. vel Cantab. ad studendum in sacris literis, ut eo modo cognita lege divina, magis convalescat observantia veræ religionis. Et ut abbates, & priores diligenter & assidue curent religiosos subditos minores per alios suorum monasteriorum provectiores in regulis, constitutionibus, & ceremoniis sui ordinis institui & informari, & quos ad administrationem spiritualium seu temporalium aptiores inter suos fratres arbitrentur, eos in administrationibus competentibus exercere satagant officia cellari, camerarii, hospitalarii; & alia tam claustralis observantiæ, quam exterioris industriæ fratribus ad hoc aptioribus ita impertiendo & committendo, ut in utrisque vicissim triti & exercitati, ad abbatis seu prioris officium, cum vacaverit, habiliores reddantur.

De recipiendis apostatis, & aliis religiosis pœnitentibus.

Quum inter opera charitatis numerari soleat, si quis errantem ab errore revocet, & ab ecclesia nunquam claudat gremium redeunti; statuimus & ordinamus, quod religiosi, qui prætextu capacitatum seu literarum suorum præsidentium, vel alias superioribus suis sive invitis, sive consentientibus, se ab observantia regulari absentarunt, in mundo aliquandiu degentes, si pœnitentes fuerint, & bono spiritu ad loca suæ professionis redire nitantur, dictorum locorum abbates seu priores ipsos in sua monasteria recipere, & cum omni charitate, quantum per statuta religionis in eisdem tractare teneantur illis dumtaxat ex-

ANNO CHRISTI 1530.

ceptis, qui dioeceſano loci, ex ſignis & indiciis vehementibus videantur in necem abbatum, priorum, ſeu fratrum ſui monaſterii vel olim conſpiraſſe, ſive in futurum conſpiraturi, vel eandem necem alioquin molituri. Æſtimabitur autem bono ſpiritu reditum ad ſuum monaſterium religioſus parare, ſi quamvis locum, gradum, aut conditionem in eodem, pro ſui abbatis aut prioris ſecundum regulam arbitrio, humiliter acceptet, & ſervet, & per teſtimonium proborum virorum coram abbate priore, ſeu ordinario ſuo, ſi requiratur, conſtare poterit, eum, dum extra monaſterium agebat, vel ſaltem per annum ante hujuſmodi petitionem prox. præcedentem, ſi in ſæculo diutius commoratus eſt, honeſte fuiſſe converſatum, & propoſitum habuiſſe redeundi. Quod ſi taliter receptus poſtea a ſuo monaſterio deſerta religione deceſſerit, eum poſtea ſuperior ejus in ſuum monaſterium recipere minime hujus vigore ſtatuti teneatur.

Quod literæ ex falſa ſuggeſtione impetratæ non ſuffragentur apoſtatis.

Præterea ſtatuimus & ordinamus, quod nullus religioſus, qui tria cujuſvis probatæ religionis vota emiſerit, poſſit per aliquam diſpenſationem etiam apoſtolicam, etiam ſibi ſub plumbo conceſſam, ſuum monaſterium, domum, hoſpitale, ſive collegium exire, aut aliquod beneficium, ſervitium, aut cantariam acceptare, niſi prius coram ordinario loci, in quo moratur, ſeu primitus abbate, priore, magiſtro, ſive ſuperiore ad hoc vocato, cauſam ſive cauſas in hujuſmodi diſpenſationis ſuggeſtione expreſſas, veras aut juſtas eſſe & fuiſſe probaverit, & pro ſic probatis per eundem ordinarium declarari & decerni obtinuerit. Qui contra fecerit, tanquam verus apoſtata per ſuum abbatem, priorem, magiſtrum, ſive ſuperiorem quemcumque apprehendi, corrigi, & puniri licite poterit, juxta canonicas ſanctiones contra apoſtatas ſalubriter editas, atque juxta ſtatuta & ordinationes ac conſuetudines laudabiles loci illius, a quo ſic illicite receſſerit.

De abuſibus in capellis ſancti Johannis & ſimilium.

Quoniam in diverſis partibus hujus regni tam milites & alii, qui ſunt de religione crucis ſignatorum hoſpitalis ſancti Johannis Hieroſolimitani in capellis ſuis vocatis, *Lavvles churches andchappelliis*, quam illi in turri London. & alii complures, alibi in eccleſiis ſeu capellis admittunt alienos parochianos, ad clandeſtinorum & illicitorum conjugiorum ſolemnizationem, etiam bannis non editis, & aliorum perceptionem ſacramentorum, & ſacramentalium, in eccleſiæ ſcandalum & animarum multarum manifeſtiſſimum periculum; prohibemus itaque, ne quis deinceps in eccleſiis ſeu capellis antedictis vel aliis exemptis, alterius parochiæ parochianum, niſi in caſibus a jure permiſſis, ad ſolemnizationem matrimonii, ſive bannis editis ſive non editis, vel aliorum ſacramentorum perceptionem ſine licentia ordinarii admittat, ſeu eorum aliquod adminiſtret, ſub poena excommunicationis, quam contravenientes atque eorum fautores, necnon omnes, qui matrimonium in aliqua hujuſmodi capella vel eccleſia abſque licentia dioeceſani, ſolemnizari procuraverint, ſeu euchariſtiam in feſto Paſchatis, vel circiter, abſque licentia ſui proprii curati, ſeu ſaltem dioeceſani, ſuſcipere præſumpſerint, noverint ſe ipſo facto incurſuros; a qua a nemine abſolvi poſſint, præterquam ab epiſcopo, intra cujus dioeceſim hujuſmodi eccleſiæ vel capellæ ſituatæ ſunt, aliis tam ordinariis & curatis quam partibus etiam læſis prius ſatisfact. Et præterea ipſi ſacerdotes huic ordinationi aliqua ex parte contravenientes, ad quodcunque beneficium eccleſiaſticum per ſeptennium prox. ſequens ipſo facto ſint inhabiles.

PAU-

PAULUS PAPA III.

ANNO CHRISTI 1534.

Sedit ab anno 1534. *usq. ad annum* 1550.

IN SEQUENTEM LUCUBRATIONEM

COLLECTORIS PRÆFATIO.

EO tandem devenimus quo invidiam amoliamur in S. R. E. a sectariis nostri temporis & nostratibus etiam nonnullis jam inde ab uno alteroque sæculo exsuscitatam, & modo etiam incendium nondum deflagravit. P. Petrus Crabbe in sua conciliorum collectione inserendum censuit *Consilium delectorum cardinalium de emendanda ecclesia*, Paulo Papæ III. suggestum, utpote quod, nulla licet synodali authoritate munitum, adhuc tamen vim plus quam privatam obtineret, propter ejus, qui consilium illud exegit, dignitatem, & consulentium prudentiam cum eruditione summa conjunctam. Ejus vestigiis insistendum sibi non duxit, qui pone sequutus est in adornanda conciliorum collectione, P. Laurentius Surius, ratus, nihil nisi conciliare, quodve legis vim haberet in opus istud conferri oportere. Postremum hunc ducem secuti cæteri, a suis, quas subinde compegerunt ampliores, collectionibus lucubrationem hanc sive repulerunt, sive rejectam olim, ne iterum assumerent recusarunt. Hinc calumniandi Romanam ecclesiam oblata occasio est, quasi scilicet a voluntate reformationis abhorrens, ejus scripti evulgationem prohibuerit, metu ne latens ejus consilium palam detegeretur; quandoquidem nihil egisse deprehenderetur eorum, quæ viri communionis suæ gravissimi, & rei discutiendæ a summo ecclesiæ antistite destinati, agenda judicassent. Quin & adeo vehementer libellum illum execratos pontifices Romanos, scriptores quidam asseruerunt, ut inter vetitos libros accensendum non dubitaverint; quod a Paulo IV. præstitum affirmat Joannes Launojus in epist. ad Joannem Barillonium, & novissime Schelhornius bibliothecarius Memmingensis in epist. ad Emin. Angelum Mariam Quirinum S. R. E. cardinalem. Egregie quidem eam calumniam redarguit præsul ille doctissimus in adnotat. ad eam Schelhornii diatribem, evicitque argumentis librum illum, qui in indice librorum vetitorum, Pauli IV. jussu edito an. 1559. hoc titulo enunciatur: *Liber inscriptus: consilium de emendanda ecclesia*, eam tantummodo consilii hujus editionem ferire, quam Joannes Sturmius heterodoxus curavit, adjectaque epistola sua ad cardinales produxit Argentorati an. 1538. in 4. Quis profecto credat Paulum illum pontificem adeo parum sibi constitisse, ut quod ipse cum cæteris (erat enim ex eorum numero qui consilium dictaverat, & subscriptione sua firmaverat) privatus adhuc dederat judicium; dein pontifex reprobaret? Vir præsertim summæ gravitatis & sanctimoniæ, ac reformationis ecclesiasticæ maxime sollicitus. His a viro doctrina æque ac dignitate eminentissimo accurate expensis, ita ego persuadeor, ut editionem opusculi hujus hic dandam summa confidentia aggrediar, nihil metuens censuram illam, quam vel ex ipsis operis hujus excerptis in suis libris insertis expertos fuisse scriptores nonnullos Joannes Launojus non minori mendacio, quam audacia asseruit. Ita tandem fiet, ut querelæ de subducto a collectionibus conciliorum scripto isto sopiantur, nec rei ecclesiasticæ studiosi huc, illucque quæritare cogantur opusculum, cujus desiderium vehemens disceptationes ejus occasione natæ excitarunt.

CON-

Anno Christi 1538.

CONSILIUM

DELECTORUM CARDINALIUM

Et aliorum prælatorum de emendanda ecclesia, S. D. N. D. Paulo III. ipso jubente conscriptum, & exhibitum anno MDXXXVIII.

Ex edite Colon. an. 1538.

BEatissime pater, tantum abest ut verbis explicare possimus, quam magnas gratias respublica Christiana Deo optimo Maximo gere debeat, quod te pontificem hisce temporibus ac pastorem gregi suo præfecerit, eamque quam habes mentem dederit: ut minime speremus cogitatione eas quas Deo gratias debet consequi posse, nam spiritus ille Dei quo virtus coelorum firmata est, ut (ut ait propheta) labentem, imo fere collapsam in præceps ecclesiam Christi per te restaurare, & huic ruinæ manum ut videmus supponere decrevit, eamque erigere ad pristinam sublimitatem decorique pristino restituere, certissimam divinæ hujus sententiæ conjecturam nos facere valemus, quibus sanctitas tua ad se vocatis mandavit, ut nullius aut commodi tui, aut cujuspiam alterius habita ratione, tibi significaremus abusus illos, gravissimos videlicet morbos, quibus jam pridem ecclesia Dei laborat, ac præsertim hæc Romana curia, quibus effectum prope est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam sanctitas tua spiritu Dei erudita: qui (ut inquit Augustinus,) loquitur in cordibus nullo verborum strepitu probe noverat principium horum malorum inde fuisse, quod nonnulli pontifices tui prædecessores, prurientes auribus, ut inquit apostolus Paulus, coacervaverunt sibi magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quid facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet. Inde effectum est, præterquam quod principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimusque semper fuit aditus veritatis ad aures principum, quod confestim prodirent doctores, qui docerent pontificem esse dominum beneficiorum omnium: ac ideo cum dominus jure vendat id, quod suum est, necessario sequi, in pontificem non posse cadere simoniam. Ita quod voluntas pontificis qualiscunque ea fuerit, sit regula qua ejus operationes & actiones dirigantur: ex quo proculdubio effici, ut quicquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, sancte pater, tanquam ex equo Trojano, irrupere in ecclesiam Dei tot abusus & tam graves morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem fere salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad infideles usque (credat sanctitas vestra scientibus) qui ob hanc præcipue causam, Christianam religionem derident, adeo, ut per nos, per nos inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes. Tu vero sanctissime pater & vere sanctissime, edoctus a Spiritu Dei, præter veterem illam tuam prudentiam, cum totus in hanc curam incubueris, ut sanatis ægritudinibus, Christi ecclesia tuæ curæ commissa bonam valetudinem recuperaret, vidisti, ac probe vidisti, inde incipiendam medicationem, unde primum ortus est morbus, secutusque doctrinam apostoli Pauli vis esse dispensator non dominus, & fidelis inveniri a Domino: imitatus etiam servum illum, quem in evangelio Dominus præfecit familiæ suæ, ut det illis in tempore tritici mensuram, ac propterea decrevisti nolle quod non liceat, nec vis posse, quod non debes. Ideoque nos ad te accersivisti, imperitos quidem, ac tam magno negotio impares, non parum tamen affectos cum honori & gloriæ sanctitatis tuæ, tum præcipue instaurationi ecclesiæ Christi, ac gravissimis verbis injunxisti, ut omnes hos abusus colligeremus, tibique illos significaremus: obtestatus nos reddituros esse rationem hujus negotii nobis demandati Deo optimo, si negligenter ac infideliter ageremus. Atque ut omnia liberius inter nos tractari possent, tibi a nobis explicari, jurejurando nos destrinxisti, addita etiam excommunicationis poena, ne cuipiam aliquid hujus nostri muneris proderemus.

Nos igitur tuo imperio parentes collegimus, quanto paucioribus fieri potuit, hos morbos eorumque remedia, ea inquam, quæ pro tenuitate ingenii nostri excogitare potuimus. Tu vero pro tua bonitate ac sapientia omnia resarcies ac perficies, in quibus pro tenuitate nostra offenderimus. Verum ut omnia certis quibusdam finibus complectamur; cum sanctitas tua & sit princeps provinciarum harum quæ subsunt ditioni ecclesiasticæ, ut sit pontifex universalis ecclesiæ, sic etiam episcopus Romanus, nihil nobis dicendum sumpsimus de his, quæ pertinent ad hunc principatum ecclesiæ, quem tua prudentia optime regi videmus: tangemus tantum ea quæ pertinent ad officium universalis Pontificis, & nonnulla quæ sunt Romani episcopi. Illud vero ante omnia, beatissime Pater, putamus statuendum esse, ut dicit Aristoteles in polit. sicut in unaquaque republica, ita & in hac ecclesiastica gubernatione ecclesiæ Christi hanc præ omnibus legem habendam, ut quantum fieri potest, leges serventur. Nec putemus nobis licere dispensare in legibus nisi urgenti de causa & necessaria. Nulla namque perniciosior consuetudo in quavis republica induci potest, quam hæc legum inobservantia, quas sanctas majores nostri esse voluerunt, earumque potestatem venerandam, & divinam appellarunt. Scis tu hæc omnia optime pontifex; legisti jampridem apud Philosophos & theologos: illud vero non tantum huic proximum, sed longe prius & potius superiore putamus, non licere pontifici

& Chri-

& Christi vicario in usu potestatis clavium potestatis inquimus, a Christo ei collatæ lucrum aliquod comparare. Hoc etenim est, Christi mandatum: *Gratis accepistis, gratis date*. His primum statutis cum sanctitas vestra ita gerat curam ecclesiæ Christi, ut ministros plurimos habeat, per quos hanc curam exerceat. Hi autem sunt clerici omnes, quibus mandatus est cultus Dei, presbyteri præsertim, & maxime curati, & præ omnibus episcopi. Idcirco si gubernatio hæc sit recte processura, primo danda est opera, ut hi ministri idonei sint muneri, quo fungi debent.

Primus abusus in hac parte est ordinatio clericorum, & præsertim presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla adhibetur diligentia: quod passim quicunque sint, imperitissimi sint, vilissimo genere orti, sint malis moribus ornati, sint adolescentes, admittantur ad ordines sacros, & maxime ad presbyteratum, ad characterem, inquam, Christum maxime exprimentem. Hinc innumera scandala, hinc contemptus ordinis ecclesiastici, hinc divini cultus veneratio non tantum diminuta, sed etiam prope jam extincta. Ideo putamus optimum fore, si sanctitas tua primo in hac urbe præficeret huic negotio duos aut tres prælatos, viros doctos & probos, qui ordinationibus clericorum præessent. Injungeret etiam episcopis omnibus, adhibitis etiam pœnis censurarum, ut id curarent in suis diœcesibus. Nec permittat sanctitas vestra ut quispiam ordinetur, nisi ab episcopo suo, vel cum licentia deputatorum in urbe, aut episcopi sui: insuper ut in Ecclesiis suis quisque episcopus magistrum habeat, a quo clerici minores & literis & moribus instruantur, ut jura præcipiunt.

Abusus alius maximi ponderis est in collatione beneficiorum ecclesiasticorum, maxime curatorum, & præ omnibus episcopatuum, in quibus usus invaluit, ut provideatur personis, quibus conferuntur beneficia, non autem gregi Christi & ecclesiæ. Ideo in conferendis his beneficiis, curatis, inquam, sed præ aliis episcopatibus, curandum est ut conferantur viris bonis, doctisque: ideo, ut per se possint fungi illis muneribus ad quæ tenentur: insuper illis quos verisimile est residentiam facturos. Non ergo Italo conferendum est beneficium in Hispania, aut in Britannia, aut e contra. Hoc servandum est tam in collationibus, cum vacant per decessum, quam in cessionibus, in quibus nunc tantum habetur ratio voluntatis cedentis, nullius præterea rei. In cessionibus his, si quispiam præficeretur probus unus pluresve, bene factum iri putaremus.

Alius abusus, cum beneficia conferuntur, seu cum ceduntur aliis, irrepsit in constituendis super eorum fructibus, pensionibus. Imo quandoque cedens beneficio omnes sibi fructus reservat. Qua in re illud est animadvertendum, nulla alia de causa, nulloque alio jure pensiones constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas, quæ in pios usus & indigentibus concedi debent. Nam redditus sunt annexi beneficio, ut corpus animæ: ideo sua natura pertinent ad eum, qui beneficium habet, ut possit ex eis vivere honeste pro suo ordine, simulque queat sustinere impensas pro divino cultu, & templi sacrarumque ædium reparatione, et quod reliquum est, impendat in pios usus. Hæc est enim natura eorum reddituum. Verum sicuti in rerum naturæ administratione nonnulla fiunt a natura particulari præter inclinationem universalis naturæ. Sic in Pontifice, quoniam est universalis dispensator bonorum ecclesiæ, si viderit eam fructuum portionem, quæ in pios usus expendi debet, aut ejus partem in pium quempiam alium usum ut expendatur magis expedire, potest proculdubio id facere. Ideo jure merito pensionem ponere potest, ut subveniat egeno, præsertim clerico, ut honeste queat vitam ducere pro ejusdem ordine. Ideo omnes fructus reservari, adimique id omne quod divino cultui, sustentationique habentis beneficium tribui debet, magnus est abusus. Itemque pensiones dari clericis divitibus, qui commode & honeste vivere queunt ex redditibus quos habent, magnus certe abusus; tollendus uterque.

Alius item abusus in permutationibus beneficiorum, quæ fiunt cum pactionibus, quæ simoniacæ omnes sunt, nulloque respectu habito nisi lucri.

Abusus alius omnino auferendus, qui calliditate quadam nonnullorum peritorum jam invaluit in hac curia; nam cum lege cautum sit beneficia testamento legari non posse, cum non sint testatoris, sed ecclesiæ, & ut res hæc ecclesiastica servaretur communis bonorum omnium, non autem fieret privata cujuspiam, invenit humana non tamen christiana industria plurimos modos quibus huic legi illudatur. Nam fiunt renuntiationes episcopatuum, aliorumque beneficiorum primo cum regressu, addunt reservationem fructuum, addunt reservationem collationis beneficiorum. Insuper cumulant reservationem administrationis, faciuntque hoc pacto episcopum, qui nullum jus habet episcopi: alterum vero cui omnia episcopi competant, non tamen episcopum. Videat sanctitas tua, quo processit assentatoria illa doctrina, qua tandem effectum est, ut id liceat quod libeat. Quid, quæso, est hoc, nisi hæredem beneficii sibi constituere. Alius præter hunc inventus est dolus, cum scilicet coadiutores dantur episcopis petentibus, minus idonei, quam ipsi sint, ita ut nisi quispiam claudere oculos voluerit, liquido videat hæredem ea ratione institui.

Item lex est antiqua instaurata a Clemente, ne filii presbyterorum habeant parentum beneficium, ne scilicet res communis hoc modo fiat privata: dispensatur tamen (ut audimus) in hac veneranda lege. Noluimus tacere, id quod verissimum esse quivis prudens per se judicaverit, nullam rem magis conflasse hanc invidiam clericis, unde tot seditiones sunt ortæ, & aliæ instant, quam hanc aversionem commodorum & proventuum ecclesiasticorum a communi ad rem privatam: ante hac omnes sperabant, nunc in desperationem adducti, acuunt linguas contra hanc sedem.

Alius abusus est in expectativis & reserva-

ANNO CHRISTI 1538.

ANNO CHRISTI 1538.

vationibus beneficiorum, & datur occasio, ut aliena mors desideretur & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum supremum dignioribus cum vacant, dant litibus causam. Omnes has putamus tollendas esse.

Abusus alius est, eadem calliditate inventus. Nam quædam beneficia incompatibilia jure sunt & appellantur, quæ ex ipsa vi hominis majores nostri admonere nos voluerunt, non deberi ea uni conferri: nunc in his dispensatur, non tantum duobus, sed pluribus: & quod pejus est, in episcopatibus. Hunc morem, qui ob avaritiam tantum invaluit, tollendum ducimus, præsertim in episcopatibus. Quid de unionibus beneficiorum ad vitam unius, ne scilicet obstet illa beneficiorum pluralitas ad obtinenda incompatibilia, nonne est mera fraus legis?

Alius etiam abusus invaluit, ut reverendissimis cardinalibus episcopatus conferantur seu commendentur non unus tantum, sed plures: quem, pater beatissime, putamus magni esse momenti in ecclesia Dei. Primo quidem, quia officium cardinalatus & officium episcopi incompatibilia sunt. Nam cardinalis est assistere sanctitati tuæ in gubernanda universali ecclesia: officium autem episcopi est pascere gregem suum: quod præstare bene, & ut debet haud potest, nisi habitet cum ovibus suis, ut pastor cum grege. Præter ea pater sancte hic usus maxime obest exemplo. Quomodo namque hæc sancta sedes poterit dirigere & corrigere aliorum abusus, si in præcipuis suis membris abusus non tollerentur? Nec ob id quod cardinales sint, putamus eis magis licere transgredi legem: imo longe minus. Horum enim vita debet esse aliis lex, nec imitandi sunt pharisæi, qui dicunt & non faciunt: sed Christus Salvator noster incœpit facere & postea docere. Amplius hic usus nocet in consultationibus ecclesiæ, nam hæc licentia fomentum est avaritiæ. Ambiunt præterea cardinales a regibus & principibus episcopatus, a quibus postea dependent, ne possint libere sententiam dicere, imo si possent & vellent, fallerentur tamen passione animi in judicando perturbati. Ideo utinam hic mos tolleretur, & provideretur, cardinalibus ut possent honeste pro dignitate vivere, omnibus æquales reditus, quod putamus facile fieri posse, si vellemus abjicere servitutem mammonæ, & Christo tantum servire.

His castigatis, quæ pertinent ad constituendos tibi ministros, quibus veluti instrumentis & cultus Dei bene administrari & populus Christianus in vita Christiana bene institui & regi possit, accedendum nobis est ad illa quæ spectant ad gubernationem Christiani populi. In qua re pater beatissime, abusus ille primo et præ omnibus corrigendus est, ne scilicet episcopi primum & præ omnibus aliis, deinde ne curati abessent a suis ecclesiis et parrochiis, nisi ob gravem aliquam causam, sed residentiam facerent; maxime episcopi, ut diximus, quia sunt sponsi ecclesiæ ipsis demandatæ. Nam per Deum immortalem, quis miserabilior viro Christiano conspectus esse potest Christianum orbem peragranti, quam hæc solitudo ecclesiarum? Omnes fere pastores recesserunt a suis gregibus; commissi sunt omnes fere mercenariis. Imponenda ergo esset magna poena episcopis præ aliis; deinde curatis, qui absunt a suis gregibus, non tantum censurarum, sed etiam ne reciperent redditus illi qui absunt, nisi impetrata licentia a tua sanctitate episcopi, curati ab episcopis suis per breve aliquod temporis spatium. Legantur in hoc aliqua jura aliquorum conciliorum decreta, quibus cautum erat episcopos non licere abesse a sua ecclesia, nisi tribus tantum dominicis.

Abusus etiam est, quod tot reverendissimi cardinales absint ab hac curia, nec aliqua in parte faciant quidpiam ejus officii, quod spectat ad cardinalatum. Ideo etsi fortasse non omnes, quia expedire existimamus nonnullos habitare in provinciis suis, nam per illos tanquam per radices quasdam in totum orbem Christianum sparsas continentur populi sub hac Romana sede: plurimos tamen esset sanctitatis tuæ vocare ad curiam, ut hic residerent. Hac enim ratione præterquam quod fungerentur officio suo cardinales, pro videretur etiam amplitudini curiæ, supplereturque si quid ei detractum fuisset per recessum multorum episcoporum, qui ad suas ecclesias se contulissent.

Alius abusus magnus et minime tolerandus, quo universus populus Christianus scandalizatur, est ex impedimentis quæ inferuntur episcopis in gubernatione suarum ovium, maxime in puniendis sceleſtis & corrigendis. Nam primo multis viis eximunt se mali homines præsertim clerici a jurisdictione sui ordinarii. Deinde si non sint exempti, confugiunt statim ad Poenitentiariam, vel ad Datariam, ubi confestim inveniunt viam impunitati, & quod pejus est, ob pecuniam præstitam Hoc scandalum beatissime pater, tantopere conturbat christianum populum, ut non queat verbis explicari. Tollantur, obtestamur sanctitatem tuam per sanguinem Christi, quo redemit sibi ecclesiam suam, eamque lavit eodem sanguine, tollantur hæ maculæ, quibus si daretur quispiam aditus in quacunque hominum republica, aut regno, confestim aut paulo post in præceps rueret, nulloque pacto diutius constare posset: et tamen putamus nobis licere, ut per nos in Christianam rempublicam inducantur hæc monstra.

Alius abusus corrigendus est in ordinibus religiosorum, quod adeo multi deformati sunt, ut magno sint scandalo sæcularibus, exemploque plurimum noceant. Conventuales ordines abolendos esse putamus omnes, non tamen ut alicui fiat injuria, sed prohibendo ne novos possint admittere. Sic enim sine ullius injuria cito delerentur, et boni religiosi eis substitui possent. Nunc vero putamus optimum fore, si omnes pueri qui non sunt professi, ab eorum monasteriis repellerentur.

Hoc etiam animadvertendum & corrigendum censemus in prædicatoribus & confessoribus constituendis a fratribus, quod ab eorum præfectis primum adhiberetur magna dili-

diligentia, ut idonei essent: deinde ut præsentarentur episcopis, quibus præ omnibus cura ecclesiæ est demandata, a quibus examinarentur per se vel per viros idoneos, nec nisi eorum consensu admitterentur ad hæc peragenda.

Diximus, beatissime pater, non licere aliquo pacto in usu clavium aliquid lucri utenti comparari, est in hac re firmum verbum Christi: *Gratis accepistis, Gratis date.* Hoc non tantum ad sanctitatem tuam pertinet, sed ad omnes qui sunt participes hujus potestatis: ideo a legatis, et nuntiis vellemus idem servari. Nam sicut usus, qui nunc invaluit, dedecorat hanc sedem et conturbat populum: ita si fieret e contra, maximum decus huic sedi compararetur, et ædi- B ficaretur mirifice populus.

Abusus alius turbat Christianum populum in Monialibus, quæ sub cura fratrum conventualium, ubi in plerisque monasteriis fiunt publica sacrilegia cum maximo civium scandalo. Auferat ergo Sanctitas vestra omnem eam curam a conventualibus, eamque det aut ordinariis aut aliis, pro ut melius videbitur.

Abusus magnus et pernicioſus est in gymnasiis publicis, præsertim in Italia, in quibus multi philosophiæ professores impietatem docent. Imo in templis fiunt disputationes impiissimæ: et si quæ sunt piæ, tractantur in eis res divinæ coram populo valde irreverenter. Ideo putaremus indicendum episcopis, ubi sunt publica gymnasia, ut per eos admonerentur lectores qui legunt, ne docerentur adolescentes impietatem, sed ostenderent infirmitatem luminis naturalis in quæstionibus pertinentibus ad Deum, ad mundi novitatem vel æternitatem, & similia, eosque ad pietatem dirigerent. Similiter ne permitterent fieri publicas disputationes de hujusmodi quæstionibus, neque etiam de rebus Theologicis, quæ certe multum existimationis perdunt apud vulgus: sed privatim de his rebus fiant disputationes; publicæ de aliis quæstionibus Physicis. Idemque injungendum esset omnibus aliis episco D pis, maxime insignium civitatum, in quibus hujus generis disputationes fieri solent. In impressione etiam librorum eadem adhibenda esset diligentia, scribendumque principibus omnibus, ut caveant ne passim quivis libri in eorum ditione imprimantur. Dandaque esset hujus rei cura ordinariis. Et quoniam pueris in ludis solent nunc legi colloquia Erasmi, in quibus multa sunt quæ rudes animos informant ad impietatem; ideo eorum lectio in ludis literariis prohibenda esset, et si quæ alia sunt hujus ordinis.

Post hæc quæ ad instituendos ministros tuos in hac universalis ecclesiæ cura, et in ejus deinde administratione spectare videntur, E animadvertendum est in gratiis quæ fiunt a tua beatitudine præter priores abusus, alios quoque abusus introductos esse.

Primus est in fratribus seu religiosis apostatis, qui post votum solemne a sua religione recedunt, impetrantque ne teneantur gerere habitum sui ordinis, imo nec vestigium habitus, sed tantum vestem honestam clericalem. Prætermittamus nunc de lucro.

A Jam enim diximus in principio, non licere ex usu clavium, & potestatis a Christo traditæ comparare sibi lucrum; sed etiam ab hac gratia abstinendum. Nam habitus est signum professionis, unde nec ab episcopo potest dimitti, cui tenentur hi apostatæ: ideo hæc gratia eis concedi non deberet, neque etiam cum ipsi recesserint a voto, quo Deo se obligarant, eis permittatur ut habeant beneficia, neque administrationes.

Alius abusus in quæstuariis sancti Spiritus, sancti Antonii, aliisque generis, qui decipiunt rusticos & simplices, eosque innumeris superstitionibus implicant: tollendos hos quæstuarios censemus.

Abusus alius in dispensatione cum constituto in sacris ordinibus, ut possit uxorem ducere: hæc dispensatio non esset ulli danda, nisi pro conservatione populi cujuspiam vel gentis, ubi esset publica causa gravissima: præsertim his temporibus, in quibus urgent Lutherani hanc rem maxime.

Abusus in dispensatione in nuptiis inter consanguineos seu affines: certe in secundo gradu non putamus faciendam esse, nisi ob publicam causam gravem. In aliis vero gradibus nisi ob causam honestam & absque pecunia, ut diximus, nisi iam prius conjuncti essent, ubi liceret pro absolutione a peccato jam perpetrato imponi mulcta pecuniaria post absolutionem, & deputari ad pios C usus, in quibus sanctitas tua impensas. Nam sicut ubi non est peccatum in usu clavium, nihil exigi potest pecuniæ: ita ubi absolutio petitur a peccato, imponi mulcta pecuniaria potest & deputari ad pios usus.

Abusus alius in absolutione simoniaci. Proh dolor! quantum in ecclesia Dei regnat hoc pestilens vitium, adeo ut quidam non verecantur simoniam committere, deinde confestim petunt absolutionem a pœna. Imo eam emunt, sicque retinent beneficium quod emerunt. Non dicimus sanctitatem tuam non posse pœnam illam, quæ est de jure positivo constituta, eis condonare: sed quod nullo pacto debeat, ut tanto sceleri resistatur, quo D nullum pernicioſius, nec magis scandaloſum.

Licentia etiam testandi clericis de bonis ecclesiæ non esset danda, nisi pro causa urgenti: ne bona pauperum converterentur in privatas delicias & amplificationes domorum.

Confessionalia autem cum usu altaris portatilis non essent facile danda; sic enim vilescunt ecclesiasticæ res & Sacramentum omnium præcipuum. Nec indulgentiæ item dandæ essent, nisi semel in anno in unaquaque insignium civitatum. Commutatio etiam votorum neque ita facile facienda, neque commutanda, præterquam in æque valens bonum.

Consuevere etiam mutari voluntates ultimæ testatorum, qui ad pias causas legant E quampiam pecuniæ summam, quam authoritate sanctitatis tuæ transferunt ad hæredem vel legatarium, ob prætensam paupertatem, &c. idque ob lucrum. Certe nisi facta sit magna mutatio in re familiari hæredis post obitum testatoris, ita quod verisimile sit testatorem ob eam mutationem mutaturum fuisse voluntatem, voluntates testatorum mutari impium est. De lucro jam toties diximus; quare putamus omnino abstinendum.

ANNO CHRISTI 1538

ANNO CHRISTI 1538.

Omnibus in ſumma explicatis, quæ pertinent ad univerſalis eccleſiæ pontificem, quantum animo potuimus comprehendere, reſtat ut nonnulla dicamus, quæ pertinent ad Romanum epiſcopum. Hæc Romana civitas eccleſia mater eſt & magiſtra aliarum eccleſiarum: ideo maxime in ea vigere debet divinus cultus & morum honeſtas: ideo, beatiſſime pater, ſcandalizantur omnes exteri qui ingrediuntur templum B. Petri, ubi ſacerdotes quidam ſordidi, ignari, induti paramentis, & veſtibus quibus nec in ſordidis ædibus honeſte uti poſſent, miſſas celebrant. Hoc magnum eſt omnibus ſcandalum; ideo injungendum eſt reverendiſſimo archipresbytero vel reverendiſſimo pœnitentiario, ut hæc curent & amoveant hoc ſcandalum: ſicque in aliis eccleſiis.

In hac etiam urbe meretrices ut matronæ incedunt per urbem ſeu mula vehuntur, quas affectantur de media die nobiles familiares cardinalium clericique. Nulla in urbe vidimus hanc corruptionem, præterquam in hac omnium exemplari: habitant etiam inſignes ædes: corrigendus etiam hic turpis abuſus.

Sunt etiam in hac urbe privatorum civium odia & inimicitiæ, quas componere & cives conciliare præcipue intereſt epiſcopi: ideo per cardinales quosdam Romanos, præſertim qui magis eſſent idonei, omnes hæ inimicitiæ componendæ, eſſent & civium animi conciliandi.

Sunt in hac urbe hoſpitalia, ſunt pupilli, ſunt viduæ. Harum cura maxime pertinet ad epiſcopum & ad principem. Ideo Sanctitas tua per cardinales viros probos poſſet etiam commode hæc omnia curare.

Hæc ſunt, beatiſſime pater, quæ in præſentia pro tenuitate ingenii noſtri colligenda eſſe duximus: & quæ nobis corrigenda viderentur. Tu vero pro tua bonitate & ſapientia omnia moderabere: nos certe ſi non rei magnitudini, quæ noſtras vires longe ſuperat, conſcientiæ tamen noſtræ ſatisfecimus; non ſine maxima ſpe, ut ſub te principe videamus eccleſiam Dei purgatam, formoſam ut columbam, ſibi *incordem* in unum corpus conſentientem, cum æterna tui nominis memoria. Sumpſiſti tibi nomen Pauli, imitaberis, ſperamus, charitatem Pauli: electus fuit ille ut vas, quod deferret nomen Chriſti per gentes. Te vero ſperamus electum, ut nomen jam Chriſti oblitum a gentibus & a nobis clericis, reſtituas in cordibus & operibus noſtris; ægritudines ſanes, oves Chriſti in unum ovile reducas, amoveaſque a nobis iram Dei & ultionem eam, quam meremur, jam paratam, cervicibus noſtris imminentem.

Gaſpar Card. Contarenus.
Joh. Petrus Card. Theatinus.
Jacobus card. Sadoleteus.
Reginaldus card. Anglicus.
Fredericus archiepiſc. Salernitanus.
Hieronymus archiepiſc. Brunduſinus.
Joh. Matthæus epiſc. Veronenſis.
Gregorius abbas ſancti Georgii Venet.
Frater Thom. magiſter ſacri palatii.

AD

AD TRIDENTINUM CONCILIUM OECUMENICUM

ANNO CHRISTI 1545.

Ab anno 1545. usque ad 1563. celebratum.

ADDITIO

COLLECTORIS PRÆFATIO.

Sacrosancti oecumenici concilii Tridentini actis a Labbeo traditis supplementa daturo mihi, strues ingens monumentorum offerebatur, & tanta, quæ unica valeret ad plura volumina implenda. Multa enim sufficiebat Raynaldi continuator; majora Martene; uberiora adhuc P. Carolus Ludovicus Hugo, Ord. Præmonstratensis, abbas Stivagii in Lotharingia, in suis sacræ antiquitatis monumentis, Stivagii editis, an. 1732. in fol. Quædam Schelhornius tum Amoenitat. Literar. to. VII. cum in utroque volumine Amoenitatum hist. Eccles. Ne quid dicam de collectionibus Puteanorum fratrum, epistolarum Visconti, Vargas, aliorumque. In tanta rerum copia senii statim delectum adhibendum esse; neque enim propositum mihi semel consilium, dandi Collectionem Conciliorum omnium, a Labbeo prætermissorum, ferebat, ut dicata omnibus volumina, uni tantum concilio consecrarem. Dum hæc animo volutabam, sors mihi, ne cogitanti quidem, objec·· v·rum, quem vel si semel noviſſem, in maximum meum lucrum deputarem. Is est reverendissimus Pater D. Petrus abbas Mazoleni Bergomas, Cussinensis congreg. decus eximium, qui cum Venetiis eo tempore ageret, quo ego illuc diverteram, me, seu data opera, seu casu convenit, atque inter multas de nostris studiis collocutiones, incidit sermo de Tridentino concilio, quod argumentum versare se prodidit, meditans amplissimam documentorum omnium ad illud pertinentium collectionem; idque operis, cum post annum Parmæ virum illum iterum convenissem, in manus suas crevisse ad volumina octo decemve testatus est. Nec vana illum jactasse comperi, cum præter edita omnia, Italicas Bibliothecas præsens inviserit & expilaverit, ex quibus thesaurum suum, mire quantum locupletavit. Hæc intelligens ego, omnem de supplementis ad Tridentinum concilium dandis sollicitudinem excussi; neque enim rei ecclesiasticæ & literariæ conducere posse quidquam arbitrabar, si ego hic traderem nonnulla ex iis, quæ pleniori manu virum illum doctissimum brevi suffecturum noram. Quanquam vero ita mecum tunc constitui, simul tamen manum ab opere retrahere omnino haud duxi opportunum. Deesse plura in Labbeanis actis intelligebam, quæ ad eorum integritatem ita pertinebant, ut sine illis manca essent et trunca: acta vero mutila absolutissimam conciliorum collectionem, in qua potuerint integra referri, plane dedecent. His igitur supplendis si pro viribus enitar, nemo mihi vituperationi, sed laudi potius jure dederit. Quænam vero ea sint monumenta, quibus sufficiendis allaborandum mihi est, ne quid desit actorum complemento, indicabo paucis. Conciliorum omnium acta ab indictione concilii ducunt exordium. Concilium quod Tridenti dein convenit, sæpe indictum, sæpius dilatum, nec semel loci mutatio facta. Bullæ omnes pontificiæ ejus indictionis, protelationis, ac tandem immutationis locorum exhibendæ erant; deerant vero in actis Labbeanis; hic igitur describuntur ex Raynaldo. A quo etiam, sicut ex Martene ac Psalmæo quasdam pontificias bullas invitantes seu urgentes ad concilium episcopos, seu morosos, seu detrectantes, accepi. Decreta tandem quædam a concilio emissa sunt; ex patribus delecti quidam rebus nonnullis gravioribus discutiendis, ac post diligentem discussionem ad concilium referendis, frustra hæc ex Labbeo repetas; hic habes. Id generis alia quædam ita synodalia judicavi, ut citra perfectionis dispendium nequaquam abesse ex actis Tridentinis judicaverim. Plura fortasse repeti potuissent ex M. SS. codicibus, quibus excutiendis amici doctissimi operam suam ultro pollicebantur. Sed nolui Collectori rerum Tridentinarum palmam rei inventæ præripere. Ex eo expectent docti, quidquid ex me vellent. Unum tamen non invidebo, quod debeo humanitati viri doctissimi P. Hieronymi Lagomarsini e Soc. Jesu presbyteri, viri cujus amicitiam colo, scientiam ac doctrinam singularem observo. Ea est oratio a Paulo papa IV. in cœtu Præsulum (consistorium vocant) Romæ habita, cum de Tridentino concilio jam penitus absoluto referendum esset purpuratorum Patrum senatui. Julii Pogiani viri eloquentissimi foetus est, haud impar aliis viri lucubrationibus quas in MS. codice vir ille doctus servat, suo tempore in lucem publicam extrahendis. Interim mea opera & amici beneficio oratione hac rei ecclesiasticæ studiosi utantur. Inserui etiam suo loco narrationem historicam de inchoatione seu potius restauratione concilii Tridentini sub Pio IV. pontifice, quam excepi e locupletissimo codice MS. rerum concilii Tridentini apud excellentissimum Petrum Gradenigo e S. Justina Senatorem Venetum, cujus viri humanitatem summam expertus sum cum ante aliquot annos Venetias me contulissem. Pronum mihi tunc fuisset affatim meditare pretiosis illis mercibus; sed manum continui, amico Benedictino intacta omnia relicturus.

Anno Christi 1545.

AD CONCILIUM TRIDENTINUM

ADDITAMENTA.

PAULI PAPÆ III. BULLA

Qua concilium Mantuam indicit.

Ex Raynaldo ad an. 1546. num. 35.

PAulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Ad Dominici gregis curam, & regimen, divina disponente providentia, assumpti, nihil magis ex animo desideramus, & ab omnipotenti Deo precati sumus, quam ut ecclesiam suam nobis commissam, & tot hæresum, & errorum vepribus jampridem in ea subortis, Spiritus Sancti operante gratia, nostroque studio repurgatam, ejusque moribus in melius reformatis, debito nitori, & sinceritati restitutam in sanctitate, & justitia gratum Deo obsequium præstare videamus: sed & illa nihilominus cura nos tangit, cum consideramus, atque adeo oculis ipsis cernimus Christianam rempublicam intestinis fidelium odiis, & infidelium vi, ac dolo afflictam, in diebus magis dissipari, atque adminui. Quibus opportunia remedia adhibere pro pastorali cura cupientes, cum multis, variisque viis per nos diligenter examinatis, nullam aliam judicaverimus meliorem, ac promptiorem ea, quam majores nostri sanctissimi viri, adeoque universalis ipsa ecclesia in hujusmodi casibus experta est, saluberrimam, generalis videlicet concilii celebrationem. Idcirco eorum sanctis vestigiis insistentes Sacrosanctum Oecumenicum, seu universale concilium, (quod etiam, cum in minoribus essemus, a nobis maxime desideratum) ineunte statim pontificatu nostro celebrare omnino statuimus, & de hac nostra constanti voluntate, non solum palam loquuti sumus, sed & charissimos in Christo filios nostros, Carolum Romanorum imperatorem, & alios christianos reges, & principes per literas ad nuntios nostros certiores fecimus; & nunc auctore domino indicare & exinde in loco, & tempore per nos inferius declarando celebrare, ac demum ad optatum finem perducere, omnino decernimus. Et sperantes, & cum Dei auxilio nobis promittentes, per hoc tam sanctum, & tam salubre remedium, non solum omnes hæreses, & errores ex agro Domini extirpandos, & christiani populi mores corrigendos, sed & universalem inter fideles pacem componendam, & facta sub vexillo salutiferæ crucis contra infideles generali expeditione, regna, & terras nostras ab illis occupatas recuperandas, captivosque innumerabiles liberandos, & infideles ipsos, ad sanctam religionem nostram, favente domino, convertendos, & sic ab universo orbe in unum, idemque ovile Domini coalescente in vera fide, spe, & charitate sobrie, & juste, & pie vivatur, & inde ab omnipotenti Deo corona justitiæ expectetur.

Hoc igitur perpetuum, & constans animi nostri super universalis concilii celebratione propositum, & sententiam ad Dei laudem, & gloriam, ecclesiæque suæ salutem, decus, & incrementum exequi aggredientes; in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, qua in terris fungimur, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, & assensu Oecumenicum, seu universale, ac generale concilium in civitate Mantuana loco tuto, commodo, fertili, & domorum, ac bonarum habitationum copia prædito, anno domini MDXXXVII. die XXIII. mensis maii, quæ erit feria quarta post sacratissimum festum Pentecostes inchoandum, & ut sequitur, continuandum, & auctore Domino, finiendum, nuntiamus, convocamus, statuimus, indicimus, & ordinamus universis, & singulis venerabilibus fratribus nostris, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis abbatibus, & cæteris ecclesiarum & monasteriorum prælatis, ubique terrarum constitutis, in virtute præstiti juramenti, ac sanctæ obedientiæ, & sub poenis de jure, vel consuetudine aut alias contra eos, qui ad generale concilium non accedunt, statutis, mandantes, quatenus personaliter; prædictos vero imperatorem, reges, principes, duces, marchiones, & alios, qui de jure vel consuetudine in universali concilio, interesse debent, per viscera charitatis Domini nostri Jesu Christi invitantes, et exhortantes, quatenus pro pace, salute, et augmento ecclesiæ Dei, et ipsi personaliter (quod mallemus) vel, si personaliter non possunt, per solemnes Oratores suos, congruo tempore huic sacro concilio, in dicta civitate Mantuæ, ut præfertur, celebrando, debeant interesse. Qui tamen, si considerent quam nobis jucunda, Christianæ vero reipublicæ maxime necessaria futura sit eorum in dicto concilio pastoralis præsentia, non dubitamus, quin tum alii supradicti reges, et Principes, tum Carolus imperator, tum Franciscus Francorum rex christianissimus sint illi personaliter interfuturi: siquidem Carolus pro sanctæ fidei nostræ zelo, et amore, tam suo, quam serenissimi Ferdinandi Romanorum regis fratris sui, ac electorum, cæterorumque sacri Romani Imperii ordinum nomine pro universalis concilii celebratione apud foelicis recordationis Clementem Papam VII. Prædecessorem nostrum sæpenumero et maximopere institit; et cum variis rerum perturbationibus, et bellis, ac aliis legitimis de causis, et præsertim præfati Clementis superveniente obitu, tam sancti operis et optimi animi,

ANNO CHRISTI 1545.

animi, quem ad hoc idem Prædeceſſor habebat, impeditus eſſet effectus, nobis ob hanc noſtram promptam, ultroque ſibi, et omnibus ſupradictis ab initio uſque noſtri pontificatus, ut prædictum eſt, a nobis ſignificatam, et oblatam ſuper dicto concilio, per nos indicendo, et celebrando deliberationem, et proxime in prædictorum fratrum noſtrorum S.R.E. cardinalium generali congregatione decretam, et declaratam concluſionem, qua decuit filiali reverentia eodem nomine maximas gratias egit. A Franciſco vero rege præfato, qui etiam ad eundem Clementem et ſacrum ipſorum cardinalium collegium plenas pietatis, ac religionis hac de re literas ſcripſerat, quale a principe vere chriſtianiſſimo ſperabamus conſenſum, et conforme bonæ noſtræ voluntati ſuper hujuſmodi concilii negotio reſponſum accepimus.

Et nihilominus eos imperatorem, reges, principes, et alios ſupradictos ſimiliter rogamus, et hortamur, ut omni adhibita opera, et ſtudio efficiant, et omnes, et ſingulæ perſonæ in eorum regnis, et dominiis exiſtentes, quæ de jure, vel conſuetudine generalibus conciliis intereſſe debent, ad concilium hujuſmodi, ceſſante legitimo impedimento, de quo legitime docere teneantur, perſonaliter, alias per idoneos nuntios, procuratores, vel oratores legitima mandata habentes, concilio prædicto intereſſe et uſque ad ipſius concluſionem, et abſolutionem in dicta civitate Mantuæ morari debeant, et ſic congregata multitudine Chriſtianorum copioſa, ea quæ ad Dei laudem, eccleſiæ in moribus reformationem et exaltationem, hæreſum vero omnimodam extinctionem, fideliumque prædictorum concordiam, et ſalutem, ac generalem contra infideles expeditionem pertinent, in eodem concilio, Deo auctore, et adjutore, ſalubriter ordinentur &c. (adjecta ſunt nonnulla de ejusdem diplomatis promulgatione, & affixione). Nulliergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis dominicæ MDXXXVI. IV. men. Junii pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ego Paulus catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Johannes epiſcopus Oſtienſis, card. Senenſis ſubſcripſi.

Ego Jo. Dominicus, epiſcopus Portuenſis, card. Tranenſis ſubſcripſi.

Ego Bonifacius epiſcopus Sabinenſis, card. Iporegienſis, manu propria ſubſcripſi.

Ego Laurentius epiſcopus prænestinus, cardin. Campegius, manu propria ſubſcripſi.

Ego Antonius presbyter card. de S. Severino, manu propria ſubſcripſi.

Ego Auguſtinus card. Peruſinus, ſanctiſſimi Domini noſtri papæ camerarius, ſubſcripſi.

Ego Vincentius Carafa, card. Neapolitanus manu propria ſubſcripſi.

Ego Andreas card. Parmerius, manu propria ſubſcripſi.

Ego Franciſcus card. S. Crucis manu propria ſubſcripſi.

Ego Franciſcus card. Cornelius, manu propria ſubſcripſi.

Ego Nicolaus card. Capuanus manu propria ſubſcripſi.

Ego Hieronymus card. de Ghinuccis, manu propria ſubſcripſi.

Ego Jacobus car. Simoneta, manu propria ſubſcripſi.

Ego Gaſpar card. Contarenus, manu propria ſubſcripſi.

Paulus ſancti Euſtachii diacon. cardinal. ..... ſubſcrip.

Alexander S. Mariæ in via lata cardin Cæſarianus ſubſcripſi.

Joannes card. de Salviatis, manu propria ſubſcripſi.

Nicolaus cardin. Rudulphus, manu propria ſubſcripſi.

Ego Auguſtinus S. Adriani diac. card. Trivultius manu propria ſubſcripſi.

Ego Hercules S. Mariæ Novæ, diac. card. ..... manu propria ſubſcripſi.

Ego Matthæus S. Theodori diac. card. de Gaddis ſubſcripſi.

Ego Hieronymus cardin. Grimaldus ſubſcripſi.

Ego Alexander card. de Farneſio Vicecancellarius ſubſcripſi.

Ego Guido Aſcanius Sforcia card. S. Floræ, manu propria ſubſcripſi.

Ego Martinus S. Mariæ in Aquiro diac. cardin. Caracciolus ſubſcripſi.

ANNO CHRISTI 1545.

Fides publicationis ſupradictæ bullæ.

ANno a nativitate Domini MCXXXVI. indictione IX. die vero dominica ſacratiſſimæ Pentecoſtes IV. menſis Junii, pontificatus SS. in Chriſto patris & domini noſtri Pauli divina providentia papæ III. anno ejus II. ego Johan. Doliatoris ipſius SS. D. N. papæ curſor retro ſcriptus, litteras apoſtolicas nunciationis, convocationis, ſtatuti, indictionis, ordinationis, mandati, invitationis, exhortationis, rogationis, voluntatis & decreti concilii generalis Mantuæ, juxta formam ipſarum litterarum celebrandi in eccleſia S. Johannis Lateranenſis, & Baſilica S. Petri de Urbe, dum ibidem miſſæ & alia divina officia celebrarentur, & populi multitudo copioſa aſſiſteret, alta & intelligibili voce coram omni populo ibi ſtante, debite de verbo ad verbum legi. Et tam ego Johannes, quam Petrus Serrano, & Petrus Gomez ſimiliter SS. domini noſtri papæ curſores, easdem literas lectas & publicatas ad valvas eccleſiæ & baſilicæ prædictorum affiximus, & ſic affixas per ſpatium unius horæ & ultra in qualibet eccleſia dimiſimus, relictis in ipſis valvis præfatarum litterarum copiis cum originalibus per nos auſcultatis, ut moris eſt. Eadem die ego idem Johannes Doliatoris curſor & Petrus Serano & Petrus Gomez præfati, dictas retro ſcriptas litteras apoſtolicas legimus, publicavimus & affiximus in valvis ſeu portis cancellariæ apoſtolicæ in acie campi Floræ hora veſperorum, & ſimiliter per ſpatium unius horæ & ultra in quolibet ex ipſis locis affixas dimiſimus; dimiſſis ſimiliter in valvis dictæ cancellariæ apoſtolicæ, & a cie campi Floræ copiis cum originalibus collectionatis ſimiliter, ut moris eſt.

Ex Mart. Vet. Mon. pag. 1025.

Ita

ANNO CHRISTI 1545.

Ita est Johannes Doliatoris cursor.
Ita est Petrus Serano cursor.
Ita est Petrus Gomez cursor.
Ita est Thomas Roger magister cursorum.

EJUSDEM PONTIFICIS

Bulla alia prorogationis concilii ad Kal. Novemb. 1537.

In Nomine Domini Amen.

Apud Schelhornium amœnit. liter. to. 7. pag. 254.

NOverint universi hoc præsens publicum transsumptum inspecturi, quod nos Jacobus Puteus, J. U. D. Canonicus Sabinensis, Reverendissimi Domini, Domini curiæ causarum cameræ Apostolicæ generalis Auditoris, romanæque curiæ Judicis ordinarii locum tenens, habuimus, vidimus, & diligenter suspeximus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Pauli divina providentia Papæ tertii literas ejus vera bulla plumbea cum cordulis sericeis rubei croceique, coloris more Romanæ curiæ impendentibus bullatas, & omnimoda suspitione carentes. Quarum quidem literarum tenor continentia erat ista.

PAULUS.

Episcopus, servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

DEcet romanum pontificem pro pastorali suo officio, non solum jam orta in grege ovium sibi commissarum scandala auferre, & ne oriantur procurare, verum etiam, quantum cum Deo potest, earum commodis providere. Superiore itaque anno, desiderantes his malis & calamitatibus, quibus christiana multipliciter laborat ecclesia, pro officio nostro succurrere, vestigiis majorum nostrorum, qui salutare remedium in similibus casibus universalis Concilii celebrationem experti fuerant, inhærendo. De venerabilium fratrum nostrorum sanctæ romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu œcumenicum seu universale concilium, in civitate Mantuæ præsenti anno die XXIII. mensis Maii proxime futuri inchoandum, indiximus universis & singulis venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis abbatibus & cæteris ecclesiarum & monasteriorum prælatis ubique terrarum constitutis, mandantes, quatenus personaliter, christianos vero, principes & alios, qui de jure & consuetudine in hujusmodi concilio interesse debent, exhortantes ubi pro pace, salute & augmento ecclesiæ Dei & ipsi personaliter (si possent), seu minus, per solennes oratores suos congruo tempore, dicto sacro concilio in civitate Mantuæ, ut præfertur, celebrando deberent interesse, prout in aliis literis nostris, quas tum Romæ in locis solitis, tum per literas & nuncios nostros ad hoc destinatos, in omnibus christianitatis partibus publicari fecimus, plenius continetur.

Cum autem nuper dicti concilii inchoandi tempore appropinquante, dilectum filium, nobilem virum Fridericum Ducem Mantuæ, quem promptissimum in hoc futurum sperabamus, ut civitatem prædictam in hospitiis, victualiis & aliis rebus necessariis pararet & disponeret, requisissemus, ipse Dux nobis super hoc respondens, non parvam huic negotio intulit difficultatem, asserens militare præsidium & pro eo nutriendo stipendium, pro nostra & aliorum venientium ad concilium suæque civitatis (ut dicebat) securitate sibi necessarium esse. Quam quidem objectam tam sancto operi difficultatem, licet difficillimum & fere impossibile nobis fuisset, hoc tempore, quo præter alias nostras & apostolicæ sedis longe solito graviores impensas, tunc cum perfidissimus fidei nostræ hostis universum christianum imperium occupare molitur, etiam littora & urbes status nostri ab utroque italico mari defendere cogimur, pecunias alio divertere, tamen omnino superare conati fuissemus, nisi rem incongruam, & mali exempli judicavissemus armatum concilium celebrare.

Eidem itaque Duci statim rescripsimus, ad tam sanctum opus peragendum, nec nobis nec aliis illuc conventuris aliquid timendum esse, minimeque æquum fore, ibi arma conspici, ubi libera omnium suffragia esse deberent. Ideoque nihil aliud esse jam petere, quod petebat, quam civitatem prædictam manifeste denegare. Cum autem nos multis etiam aliis rationibus suspitionem hujusmodi ab ejus animo tollere conati fuerimus, idque non semel tantum, sed pluries frustra contenderimus, coacti fuimus de loci mutatione, & ut maturius id facere possimus, de concilii celebratione ad aliquod tempus proroganda cogitare.

Quod quidem tum ex eo, quia rem tam salutarem, & tam christianitati necessariam accelerare potius, quam differre voluissemus, tum etiam quod verebamur (prout veremur) aliquos ex conventuris nostræ indictioni confisos, iter aggredi cœpisse, & suo cum incommodo & nostra molestia, vel progressuros, unde jam excluſi sunt, vel tanto itinere frustra suscepto in suam patriam redituros, certe molestissimum nobis fuit. Quando autem aliena, non nostra culpa ad hoc deventum est, æquiore animo id ferimus. Ut igitur quam citius eam, quæ ex inopinato hujus rei eventu in ipsorum conventorum mentibus forsan oriri posset, perturbationem tollamus, ac eorum incommodis (ut fieri potest) occurramus, de præfatorum cardinalium consilio & assensu, tempus celebrandi hujusmodi ad kalend.

ANNO CHRISTI 1545.

ANNO CHRISTI 1545.

lend. Novembris proxime futuri prorogandum duximus, prout prorogamus, alterius non minus commodi & idonei loci electionem interim per nos faciendam, ad eorum, ad quos spectat, votum, quam citius fieri poterit, deducturi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prorogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ 1537. duodecimo kalend. maii, pontificatus nostri anno tertio.

Blosius
B. Motta.

Quibus quidem literis apostolicis diligenter inspectis, per notarium publicum infra scriptum ipsas exemplari mandavimus & transumi, ac in publicam formam redigi. Decernentes & volentes, ut huic transsumpto publico sive exemplo, plena fides deinceps adhibeatur, ubilibet in locis omnibus & singulis, quibus fuerit oportunum, ipsumque transsumptum fidem faciat & illi stetur, ac si originales ipsæ literæ apparerent. Quibus omnibus & singulis authoritatem nostram ordinariam interposuimus, & decretum, & ad ampliorem evidentiam præmissorum sigillum præfati reverendissimi Domini Auditoris, quo utimur, duximus apponendum.

Actum & datum Romæ in domo præfati domini Auditoris, in qua jura reddi solent, hora vesperarum & audientiæ causarum consueta, ibidem ad jura reddendum in loco nostro solito pro tribunali nostro sedentes. Sub anno a nativitate domini millesimo quingentesimo trigesimo septimo, indictione decima, die vero mercurii, sexta decima mensis maii, pontificatus præfati sanctissimi Domini nostri anno tertio, præsentibus ibidem discretis viris, magistris, Philippo de Quintellis, & Jacobo Apocello, dictæ Curiæ causarum cameræ Apostolicæ Notariis testibus ad præmissa vocatis atque rogatis.

Et quia ego Johannes Jacobus Bucca, cur. caus. cameræ apostolicæ notarius, exhibitioni, præsentationi, auscultationi, & transsumptioni suprascript. literarum, ac omnibus, & singulis præmissis præsens fui, eaque fieri vidi, & audivi, suprascriptum transsumptum instrumentum, alterius manu scriptum exinde publicavi in fidem præmissorum omnium.

Johannes Jacob Bucca
Notarius qui supra scripsit.

ALTERA PROROGATIO CONCILII

ANNO CHRISTI 1545.

Ad Kal. majas 1538. & indictio Vicesima.

PAulus episcopus servus servorum ad futuram rei memoriam. Ex Raynaldo ad an. 1537. num. 56.

Benedictus Deus & Pater domini nostri Jesu Christi &c. qui secundum multitudinem miserationum suarum jugum, quod cervicibus Christianorum perfidissimus Turcarum Tyrannus imponere moliebatur, sola virtute mirabilium suorum confregit, atque dissipavit: unde nos cum universa Dei ecclesia meritas ipsi gratias agimus, quod tantam nobiscum misericordiam fecit, ut sine timore de manu inimicorum liberati in sanctitate, & justitia serviamus illi; quodque de universali inter Christianos pace, tanto studio a nobis hactenus procurata, melius jam sperare, & sacrosanctum Oecumenicum concilium, quod anno proxime præterito indiximus, tranquillato, nunc omnium animo, ex frequentiore Christianorum conventu poterimus celebrare.

Sane superioribus mensibus cum appropinquante tunc termino, prædictum universale concilium celebrandi civitas Mantuana, quam ad id in ea celebrandum elegeramus, nobis (nihil tale expectantibus) impedita fuisset, tempus celebrationis hujusmodi ad Kal. novembris, proxime futuri, ut interim de alio loco cogitare possemus, prorogavimus, hancque prorogationem Christianis principibus & Prælatis notam fecimus. Cum autem de loco prædicto ad hunc maxime opportuno assidue cogitaremus, interim supradictus impiissimus Turcarum Tyrannus ingentissimis, si unquam antea, copiis terra, marique comparatis velut Christianum Orbem devocaturus, jam Italiæ partem, igne, ferroque devastare coepit, magno, & manifesto universæ Christianæ reipublicæ periculo, nisi repente misericors Deus nobis affuisset, qui sancti nominis sui hostes, non humanis auxiliis, sed mirabili dexteræ suæ potentia, e finibus Christianorum ita avertit, ut non discedere, sed fugere potius, nullis persequentibus, videretur.

Nos vero, licet durante periculo suprædicto, essemus pro parte nostra circa remedia contra tantam tunc imminentem calamitatem procuranda, & pacem inter Christianos principes conciliandam, eorumque animos contra communem fidei hostem excitandos, continuo intenti, non tamen propterea destitimus, etiam de loco ipso celebrationi hujusmodi accommodo esse soliciti, sed requisita non semel per literas, & nuntios nostros Christianorum principum opinione, si quid haberent, quod super loco prædicto ad nos referendum existimarent, unde in certam, & determinatam ejus electionem devenire possemus, cum ab eis nihil certi, aut quod inter se super hoc convenirent, acciperemus, & tempus majore

in

ANNO CHRISTI 1545.

in dies ecclesiæ detrimento præterfluereret, nequaquam etiam hac in parte officio nostro deesse voluimus: sed omnibus diligenter perpensis, cognoscentes nullum usquam alium locum huic celebrationi magis idoneum, quam in dominio Venetorum haberi posse, cum prædictis Venetis paterne tunc egimus, ut aliquam suis civitatibus huic tam sancto operi peragendo nobis accommodarent. Qui tametsi jam tum ab initio Turcici motus, quando a nobis de hoc sunt requisiti, vicinorum periculis, deinde etiam suis ipsorum non parum impediti, essent, cum Turcarum Tyrannus Corcyram ipsorum ditionis Insulam, unum e præcipuis Christiani Orbis propugnaculis, validissima obsidione infestaret, tamen pro veteri sua in Deum pietate, erga universam Christianam rempublicam amore, suam civitatem Vicentiæ, aeris salubritate, ubertate soli, situs & locorum amoenitate, aliisque ad id requisitis commoditatibus præstantem, & nemini jure suspectam, ad dicti concilii celebrationem nobis benigne, & libenter concesserunt. Verum cum, impedimentis obsistentibus supradictis, vix post concessionem hujumodi nobis significatam, tantum temporis, ut præfertur, antea prorogati supereset, ut de hac loci accommodatione principes, & prælatos ad hujusmodi concilium conventuros possemus reddere certiores, nedum ipsi intra terminum Kal. Novembris antea præstitutum ad civitatem ipsam Vicentiæ se conferre valerent, celebrationem hujusmodi in aliud magis opportunum tempus differre coacti sumus. Re itaque cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus mature discussa, & examinata, habita etiam jam ingruentis hyemis ratione, initium celebrationis hujusmodi ad vernum tempus multo mitius, & Kal. maii proxime futuri an. Dom. MDXXXVIII de eorundem fratrum nostrorum consilio, prorogavimus, prout per præsentes prorogamus, hortantes, ut, juxta formam, & tenorem literarum indictionis concilii prædicti alias per nos factæ, & in domino requirentes omnes, & singulos Christianos principes, & prælatos, circa terminum Kalend. Maii suprascriptum ad antedictam civitatem Vicentiæ se conferant: in qua ad Dei laudem, & gloriam ecclesiæque sanctæ suæ pacem, salutem, & incrementum, hanc sanctam universalem synodum, favente domino, dicta die inchoare, & successive ad optatum finem perducere omnino decrevimus; nulli ergo, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ MDXXXVII. VIII. idus Octobris pontificatus nostri anno III.

A

B

C

D

E

TERTIA PROROGATIO CONCILII

Ad Paschæ resurrectionis Domini an. 1539.

Paulus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

UNiversi populi Christiani curam, licet nobis immeritis, divinitus conceſſam, sustinentes in terris, officii nostri partes esse putamus, ut si quid idem populus ob temporum conditiones facere omiserit, quod ad pietatem erga Deum pertineat; per nos, ut id commode exequi valeat opportune providentes, præcipue principum votis, & precibus nos ad id impellentibus. At cum statum Christianitatis, hinc diversis hæresibus turbatum, inde dissidentibus inter se Christianis principibus, Turcarum minis, ac violentiæ expositum viderimus, oecumenicum universale, ac generale concilium Mantuæ primo, & deinde (Mantua nobis denegata) in civitate Vicentiæ indiximus, spem certam in ipso Deo reponentes, posse nos per illud ipsas hæreses extinguere, & facie Turcarum impetus retundere. Præteritis autem mensibus, cum tempus ipsius concilii celebrationis instaret, nosque propterea quod ad civitatem Niciæ proficiscebamur, ut pacem, & concordiam inter chariſſimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem semper augustum, & Francorum regem christianissimum toties per literas, nuntios & legatos nostros frustra tentatam, per nos ipsos, si qua via fieri posset, conciliaremus, ipsi concilio personaliter interesse statuto tempore nequiremus, tres legatos nostros, & apostolicæ sedis, videlicet venerabilem fratrem Laurentium episcopum Sabinensem, & dilectos filios Jacobum S. Apollinaris, ac Hieronymum S. Chrysogoni presbyteros S. R. E. cardinales Vicentiam misimus, nosque ad civitatem Niciæ profecti, ibi utriusque principis colloquium, quod antea magna cum instantia procuraveramus, habuimus, & a Dei misericordia tandem impetravimus, ut si non plenam pacem, in quam omnes nervos nostrarum actionum tum intendimus, & reconciliationem animorum, induciasque decennales ante nostrum inde discessum viderimus constitutas.

Cum autem antea, & nuperrime nostri legati ad nos scripserint, neminem ex conventuris Vicentiam ad concilium venisse, et uterque princeps, facta per nos in ipso colloquio de celebratione concilii mentione, sua quisque regna a quibus diu abfuerat, revisere cupiens ipsos conventuros, quorum magna pars cum ipsis principibus erat, ad propria, ad tempus aliquod, redire cupiebat, ad uniendum ad ipsum concilium expectari; idemque chariſſimus quoque in Christo filius noster Ferdinandus Romanorum, atque Hungariæ, Bohemiæ rex illustris, pro prælatis regnorum suorum per suas literas petierit. Nos considerantes præsentem statum Christianitatis generali omnium nationum, ac frequentia personarum conventu-

rium

Apud Raynal. ad an. 1538. 35.

rarum ad concilium, si unquam antea, in præsenti indigere; existimanteſque cæteros conventuros, ut ipsius colloquii finem viderent adventum suum ad dictam civitatem Vicentiæ distulisse (magno Dei beneficio) jactis inter ipsos principes pacis fundamentis, illamque interim plenissime confectum iri, sicque concilium ipsum felicius ac sanctius celebrari, & optatos fructus inde colligi posse, sperantes ipsos conventuros ad veniendum ad ipsum concilium, usque ad festum Pschatis resurrectionis Domini nostri Jesu Christi proxime venturi, expectandos duximus, & expectari volumus, ipsis Legatis, omnibusque, & singulis aliis quacunque dignitate fulgentibus ad quos quomodolibet spectare possit, ne interim circa ipsam celebrationem procedant, aut modo aliquo se intromittant, in virtute sanctæ obedientiæ mandantes. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Genuæ anno Incarnationis Domini MDXXXVIII. IV. Kal. Julii pontificatus nostri anno IV.

ANNO CHRISTI 1545.

BULLA DECLARATIONIS

Non inchoandi concilii post Kal. Maii 1538.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam

ROmanus pontifex, supra gregem Dominicum pastor divina constitutus dispositione, ad ea suæ vigilantiæ curam adhibere consuevit, per quæ scandalis & dissidiis, quæ inter ipsius gregis oves, præsertim ex variis interpretationibus oriri possent, obvietur. Hodie siquidem, cum ad notitiam nostram deveniſſet, quod nullus ex iis, qui ad concilium conventuri sunt, ad civitatem Vicentiæ pro celebrando concilio in die Kalendarum maii proxime præteriti inchoando deputatam, pervenerit, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, ab ipso concilio in præsentia inchoando, de ipsorum fratrum consilio supersedendum esse decrevimus, dilectis filiis nostris, & sanctæ sedis apostolicæ legatis ad dictam civitatem occasione dicti concilii destinatis injungentes, ut donec aliud a nobis ordinatum fuisset, ab ipsius concilii inchoatione supersederent, prout in nostris in forma brevis literis desuper confectis plenius continetur. Cupientes autem ante omnia occasionem dubitationis aut difficultatis, quæ circa inchoationem, aut apertionem dicti concilii, aut alias circa ipsum concilium, modo aliquo, oriri posset, tollere, & amputare, de eorumdem fratrum consilio, & assensu, statuimus, & ordinamus, non solum dictum Concilium, etiam postquam dicta dies Kalendarum Maii venerit, inchoandum, aut aperiendum non esse, verum etiam generaliter diem ipsius concilii inchoandi in aliam diem, per nos de dictorum fratrum consilio declarandam, differendum fore, prout differimus. Declarantes quod ante declarationem hujusmodi per nos, ut præfertur faciendam, etiamsi eam post diem dictam kal. maii fieri contigerit, ipsum concilium nullo modo coeptum, nec apertum sit, nec esse censeatur, nec per adventum dictæ dici Kal. maii incipiat, aut aperiatur, aut incipi, seu aperiri valeret. immo dies ipsa inchoandi, aut aperiendi concilii ante declarationem prædictam, nullo modo cadat, aut veniat, nec venire, aut veniſſe quoquo modo dici possit, aut debeat, neque ab omnibus, quavis auctoritate fungentibus, sublata eis, quavis judicandi, ac interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & interpretari debere decernimus; non obstantibus indictionis, & prorogationum dicti concilii literis, in quibusvis constitutionibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo &c. Datum Placentiæ anno incarnationis domin. MCXXXVIII. VII. Kal. Maii, pontificatus nostri anno IV.

ANNO CHRISTI 1545.

BULLA SUSPENSIONIS CONCILII

Usque ad tempus per suam sanctitatem declarandum, & revocationis legatorum ex Tridento anno Dom. MDXLIII. pridie nonas Julii.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

ET si cunctis quidem in rebus conficiendis, si illæ statuto tempore terminari nequeunt, temporis opportunitatem attendere expedit, id tamen in gravioribus reipublicæ Christianæ causis & negotiis, & per Romanum pontificem, cum ad eum ipsorum negotiorum explicatio pertinet, maxime convenit observari, ut per opportunitatem ipsam eadem negotia prosperum valeant habere successum. Quam enixe nos semper oecumenici & generalis concilii celebrationem concupiverimus, & quo propterea studio & animi sollicitudine huic rei, ac inter Christianos principes paci & concordiæ incubuerimus, tot labores per nos, præsertim cum ea de causa Niceam nos contulimus, suscepti, tot nuncii & legati ad eosdem principes propterea a nobis missi, tot super ea re a nobis ad illos datæ litteræ, toties per nos denique indictum concilium hujusmodi, totque prælatis & aliis qui ad illud venire tenentur, ut omnino accederent transmissa mandata et exhortationes, reddunt testimonium veritatis. Concilium enim ipsum Mantuæ primo, deinde Vicentiæ, ad quam propterea tres a latere nostro ex venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium numero legatos misimus, & noviſſime Tridenti per nostras litteras sub data *Romæ apud S. Petrum XI. kal. Junii anno incarnationis Dom. MDXLII.* In quibus, ne idem repetamus, cur in Mantuana & Vicentina civitatibus prædictis concilium hujusmodi celebrari nulla ratione valuerit, explicavimus, & ad calendas Novembris, quæ proxime præterierunt incipiendum & prosequendum, & Domino adjuvante,

Apud Mertene Vet. Mon. pag. 133.

ANNO CHRISTI 1545.

te, ad ipsius gloriam & laudem, & Christiani totius populi salutem absolvendum, indiximus, annuntiavimus, & convocavimus omnes ex omnibus locis, tam venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos, quam dilectos filios abbates, & alios quoscumque, quibus jure aut privilegio in conciliis generalibus residendi et sententias dicendi in eis permissa potestas est: requirentes, hortantes, & admonentes, ac eis in vim juramenti nobis & apostolicæ sedi præstiti & virtute sanctæ obedientiæ, ac sub certis tunc expressis poenis mandantes, ut ipsimet, nisi forte justo detinerentur impedimento, aut per suos procuratores & nuncios huic sacro concilio omnino adesse & interesse deberent. Necnon carissimos in Christo filios nostros Carolum imperatorem semper augustum, & Franciscum Francorum regem Christianissimum, ceterosque reges, duces, & principes Christianos, ne Dei causam & negotium desererent, sed ipsimet ad sacri hujusmodi concilii celebrationem venirent; & si venire non possent, saltem graves viros legatos, cum auctoritate, qui personam principis sui & prudentia & dignitate possent in concilio referre, mitterent; curarentque, ut ex suis cujusque regnis & provinciis episcopi & prælati sine tergiversatione & mora ad concilium proficiscerentur, rogavimus & obsecravimus: sperantes oecumenici concilii celebrationem hujusmodi, ad quam pro agri dominici purgatione sæpe antea devenire, ut præfertur, frustra conati eramus, eo saltem tempore Dei benignitate ac clementia omnino successuram esse; litterisque nostris prædictis publicatis, cum postquam nuncios nostros speciales pro pace inter dictos principes tractanda destinaveramus, odia & simultates inter eosdem principes augeri, etiam cum ab unoquoque eorum per alterum ab induciis nostro interventu Niceæ inter eos factis, discessum esse prætenderetur, arma tractari & bellum moveri cerneremus, duos summæ auctoritatis viros inter cetera animi ornamenta pacis studiosissimos S. R. E. cardinales a latere legatos ad eosdem Carolum imperatorem, & Franciscum regem misimus, qui ipsis nostro nomine in quæ pericula ex eorum discordiis universa respublica Christiana brevi esset ventura exponerent, eosque per viscera Domini nostri Jesu Christi ad pacem inter se mutuo amplectendam & rempublicam Christianam a tot tantisque imminentibus periculis liberandam, quam maxime possent hortarentur; ac appetente jam die pro qua, ut præfertur, concilium indixeramus, cum in eodem proposito & desiderio illud omnino celebrandi persisteremus, dilectos filios nostros Petrum Paulum S. Balbinæ Parisium, & Johannem S. Vitalis Moronum titulorum presbyteros, ac Reginaldum S. Mariæ in Cosmedim, tunc SS. Nerei & Achillei diaconum Polum nuncupatos, S. R. E. cardinales nostros & dictæ sedis legatos de latere, summæ virtutis, doctrinæ & auctoritatis viros ad ipsam civitatem Tridentinam, ut episcopos prælatos & alios ad concilium venientes exciperent, ac ea quæ ad concilii celebrationem hujusmodi necessaria essent seu opportuna facerent, destinavimus; necnon quamplures ex eisdem prælatis, singulis ad illos nostris datis litteris, admonuimus, ut frequentes concilio hujusmodi interesse vellent.

Demum cum spe pacis per dictos legatos nostros inter eos componendæ, ex eis quæ ab eisdem legatis acceperamus, fere destituerem, ne quod reliquum erat in facultate nostra omitteremus, præfatum Carolum imperatorem & Franciscum regem, diversis nostris ad eos datis literis hortati sumus, ut pro concilianda inter eos aliqua concordia, nobiscum in aliquo commodo loco, ad quem ætati nostræ non parcentes, nos profecturos esse pollicebamur, convenirent, utque desiderium nostrum pacis & colloquii, & concilii celebrationis hujusmodi reipsa comprobaremus, e nostra propria sede Bononiam venimus, ut motis, quod sperabamus, per appropinquationem nostram ipsorum principum animis, concordiæ statui, celebrationique ipsius concilii securius & frequentius instari, & fluctuanti reipublicæ christianæ aliquod salutare remedium afferri posset. Iterumque post adventum nostrum hujusmodi prælatos prædictos per diversas alias nostras literas admonuimus, ut exemplo quamplurium prælatorum, qui ex Urbe nostra ad locum concilii de mandato nostro se contulerant, ad illud accedere amplius non tardarent.

Cum autem dicti Carolus imperator & Franciscus rex suorum regnorum & dominiorum tuitioni intenti, cui se propter ingentia inter ipsos bella vacare oportere asserebant, nobiscum convenire recusaverint; ac licet postmodum Petrus Paulus & Johannes, ac Reginaldus cardinales & legati prædicti, pro prædicto concilio ad ipsam civitatem accesserint, ac inibi sex menses & ultra, non sine aliqua dictæ sedis indignatione expectando permanserint; nihilominus præter eos, qui ex alma urbe, ut præfertur, venerant, admodum pauci prælati inibi convenerint, quin immo, sicut provinciarum diversitas affert, diversimode se excusaverint; & alii bellorum motus, alii itinera non tuta, ac viarum pericula, alii diversa alia impedimenta attulerint, nos propterea prædictos Petrum Paulum & Reginaldum cardinales & legatos, ut ab eis quo in statu res essent, & quid super celebratione concilii sperari posset, intelligeremus, accersivimus. Cumque eumdem Carolum imperatorem Germaniam petere, & per Italiam iter facturum esse intelligeremus, nos apud eumdem Carolum imperatorem, cum quo in oppido Busseti convenimus, tam per nos ipsos, quam per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, qui tunc nobiscum aderant, pro pace hujusmodi omni cura & diligentia, quod etiam cum præfato Francisco rege non minori studio antea, pluribus litteris egeramus, institimus. Cum vero nihil hactenus proficere potuerimus, & a Petro Paulo & Reginaldo cardinalibus & legatis prædictis, ac ex præfati Johannis cardinalis legati, necnon cæterorum prælatorum in dicta civitate Tridentina existentium

li-

ANNO CHRISTI 1545.

literis, quorum fere ſingulorum ſuper ea re ſententiam exquiſivimus, cognoverimus, & nos ipſi clare perſpiciamus, vigentibus tot in locis inter eoſdem principes bellis, ac immaniſſimo Turcarum tyranno cum validiſſimo exercitu Hungariæ regnum invadente, ejuſque copioſa & munitiſſima claſſe jam mare inferum ingreſſa, cujus conatibus, quantum vires noſtræ, licet impares, ſuppetent, reſiſtere, ut tenemur, intendimus, non poſſe ad præſens, Domino forſan ob peccata noſtra ſic permittente, noſtram ſuper hujuſmodi concilio intentionem implere: quin immo eamdem actionem concilii in aliud opportunius & commodius tempus, quo dignitas & frequentia concilio & reipublicæ chriſtianæ præſentior ſalus adferri poſſit differendam eſſe: ſperantes ex Dei bonitate & miſericordia poſt tenebras lucem, & aliquando tandem, quod brevi futurum ſperamus & optamus, concilium ipſum celebrari poſſe: volentes interim generalem chriſtianorum defenſionem a periculis, propter infidelium mare & terras infeſtantium impetus, imminentibus, quantum in nobis erit, procurare, & almæ urbi ſedi noſtræ ac orbis capiti, omniumque perfugio, quæ nobis ab ea diutius abſentibus, ob ipſorum infidelium incurſiones, non leve periculum ſubire poſſet, noſtra præſentia, quod neceſſe eſt, cæteriſque præſidiis ſuccurrere, ac conſcientiis, & commoditatibus prælatorum, qui ad ipſum concilium venire tenentur, ne propter ipſius concilii celebrationis incertitudinem, moleſtia aut incommodo afficiantur, paterna caritate conſulere. Habita ſuper his cum eiſdem fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum conſilio & aſſenſu, celebrationem concilii hujuſmodi uſque ad aliud opportunius & commodius tempus per nos declarandum, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſuſpendimus, & ſuſpenſum eſſe nuntiamus, ac pœnas contra patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, abbates, & alios in poſterioribus litteris indictionis concilii hujuſmodi comprehenſos inflictas uſque ad tempus prædictum, quo concilium ipſum omnino proſequi intendimus, relaxamus: necnon eoſdem Petrum Paulum & Reginaldum cardinales & legatos, ac Johannem cardinalem & legatum præfatum ab eodem concilio ad nos & ſedem prædictam revocamus: ac prælatis in eadem civitate exiſtentibus, inde uſque ad tempus per nos declarandum prædictum, quo eoſdem patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos & abbates, ac alios in literis poſterioris indictionis concilii comprehenſos, ſub perjurii ac aliis in eiſdem literis contentis pœnis concilio prædicto, juxta formam ipſarum litterarum adeſſe & intereſſe voluimus, recedendi licentiam concedimus: decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quocumque, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nos etiam ut hæ noſtræ literæ, & in eis contenta quæcumque ad notitiam omnium quorum intereſt perveniant, ſciantque cuncti ſe ad tempus declarandum prædictum, quo concilium hujuſmodi proſequi & continuare, ac, dante domino, perficere intendimus, præſto eſſe debere, & ad id ſub pœnis prædictis teneri, ne aliquis illorum ignoranter * excuſationem prætendere poſſit: volumus & mandamus, ut in baſilica S. Petri de urbe, cum inibi populi multitudo ad divina audienda convenerit, palam clara voce per curiæ noſtræ curſores aut notarios aliquos publicos legantur, lectæque in dictæ baſilicæ necnon cancellariæ apoſtolicæ valvis affigantur, ubi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquandiu expoſitæ pendeant, cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exemplа in eiſdem locis remaneant affixa. Tranſumtis quoque earum quæ manu publici notarii ſcripta aut ſubſcripta, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint, ut fides certa & indubitata habeatur, pariter mandamus atque decernimus.

ANNO CHRISTI 1545.

* *al.* ignorantiæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſuſpenſionis, nunciationis, relaxationis, revocationis, conceſſionis, decreti, voluntatis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Bononiæ, anno Incarnationis Domini MDXLIII. pridie nonas Julii, pontificatus noſtri anno IX.

Jo. B. de Bernardis.

Fides publicationis ſupraſcriptæ bullæ.

ANno a nativitate Domini MDXLIII. indictione I. die vero Mercurii, XIX. menſis Septembris, pontificatus in Chriſto patris & domini noſtri, domini Pauli divina providentia papæ III. anno IX. retroſcriptæ literæ apoſtolicæ lectæ, publicatæ & affixæ fuerunt in baſilica principis apoſtolorum de urbe, cum divina celebrarentur, & populi multitudo ad divina audienda conveniret, & valvis ſeu portis cancellariæ apoſtolicæ, dimiſſiſque eiſdem retroſcriptis literis in eiſdem locis per multum temporis ſpatium affixis, dimiſſiſque copiis earumdem reſcriptarum litterarum in eiſdem valvis ſimiliter affixis, per nos Johannem Doliatoris & Maturinum Menandi, prælibati SS. domini noſtri papæ curſores.

Dominicus Vacquer magiſter curſorum

ANNO CHRISTI 1545.

BULLA REVOCATORIA

Suspensionis, & indictionis concilii in civitate Tridentina ad Dominicam Lætare MDXLV.

Paulus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Ibid. pag. 2039.

LÆtare Jerusalem, & conventum facite, omnes qui diligitis eam, gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis, ut fugatis & satiemini ab uberibus consolationis ejus. Licet prophetæ verbis in hac nostra ingenti cumulataque lætitia, quam de conciliata nuper inter carissimos in Christo filios nostros Carolum imperatorem semper augustum, & Franciscum Gallorum regem Christianissimum pace concordiaque concepimus, omnes qui diligunt eam frequentes ad concilium convocare, ut secundum prophetæ promissionem satiemur ab uberibus consolationis ejus. Etsi enim non dubitamus hunc sanctissimæ pacis nuncium omnium animos, qui rempublicam Christianam salvam cupiunt, ingenti gaudio exhilarasse, ea tamen res hoc nobis majorem lætitiam attulit, quo magis per tot annos, in hoc negotio componendarum controversiarum inter hos principes laboravimus, & in eo præcipuam curam adhibuimus. Nam cum jam inde ab initio nostri pontificatus, magno cum animi dolore prospiceremus, quæ mala ex intestinis Christianorum bellis evenirent, & quantus religionis contemtus in dies crescceret, nec contemtus solum, sed tot præterea in ea dissentiones, tot variæ opiniones & sectæ per omnes pene provincias Christiani orbis, cum incredibili animarum jactura spargerentur, quamque communis Christiani nominis hostis Turcarum tyrannus, hac potissimum occasione arrepta, viribus quotidie augeretur, ita ut propagatis finibus suis, magnam jam imperii Christiani partem occuparet, in id semper omni in primis conatu incubuimus atque intenti fuimus, ut pacis consilia inter hos duos potentissimos principes, qui secum reliquam fere orbis Christiani partem trahebant, agitaremus.

Nec vero hac sola pacis tractatione contenti fuimus, sed simul cum videremus discordias in religione subortas, non alio facilius remedio, quam oecumenico concilio posse sedari, & ad sanam concordiam posse perduci, semper quidem concilii celebrationem cum pacis negotio conjunximus, neque umquam sane destitimus, cum hortando, tum monendo, principum animos ad hæc conjunctim excitare: quorum in altero ita fuimus assidui & vehementes, ut neque litteris, neque nunciis quos frequenter hac de causa ad utrumque misimus, neque legatis e latere nostro profectis, neque demum nobis ipsis pepercimus. In altero vero sic omnes difficultates superare conati sumus, ut cum concilium semel atque iterum Mantuæ primum, ac deinde Vicentiæ indictum haberi, his de causis quas per alias nostras litteras tunc deinceps datas significavimus, non posset; tamen nullo impedimento, nulla ratione abduci nos a proposito nostro in tam sancto opere prosequendo passi sumus: sed semper magna spe insistentes, alio loco invento, ad unum concilii celebrandi finem, per multas difficultates licet contenderimus, donec, sicut Altissimo placuit, hic lætissimus dies illuxit, quo divino consilio ac beneficio, pace facta, erigi in magnam spem omnes decet, ut reipublicæ Christianæ res, quæ per bella attritæ, divulsæ, ac omnibus prope modis afflictæ erant, per concordiam jam curentur & instaurentur. Quare huc statim, hoc nuncio accepto, omnia nostra consilia direximus, partim institutum nostrum in eo sequentes, qui ob hanc præcipue causam pacem semper optavimus, & quoad potuimus procuravimus; partim consilium prophetæ, qui cum nos ad inquirendam pacem hortaretur, statim adjunxit. *Et prosequere eam.* Nec vero nos posse melius vias pacis prosequi, quam per portam concilii nobis certo persuademus.

Itaque cum superiore anno oecumenicum & universale concilium per nostras litteras, datas Romæ XI. cal. Junii anno incarnationis Dominicæ MDXLII. Trideuti ultimo loco convocassemus, & ad civitatem statuto tempore tres nostros & apostolicæ sedis legatos etiam destinassemus, qui episcopos & cæteros prælatos ad concilium venientes exciperent, ac reliqua quæ ad ipsius concilii celebrationem necessaria seu opportuna forent, curarent. Cumque hi in ea civitate septem prope menses expectando fere soli permansissent, paucis admodum comparentibus, propterea quod alii bellorum, alii itinerum pericula, alii alia impedimenta pro eorum excusatione afferrent, inviti tunc nos quidem, sed paterno tamen animo prælatorum conscientiis consulentes, & difficultatibus temporum cedentes, necessario inchoationem ipsam concilii distulimus, & in aliud opportunius tempus & commodius per nos declarandum suspendimus. Datis demum ea de re litteris Bononiæ pridie nonas Julii, anno Incarnationis Dominicæ MDXLIII. non cessantes interim neque precibus ad Deum porrectis, neque iterata missione legatorum nostrorum, paci ipsi, ut semper fecimus, studere.

Postquam autem misericors Deus sua ineffabili pietate & clementia nostras & ecclesiæ suæ preces exaudire, & pacis donum nobis gratissimum atque optatissimum largiri dignatus est, quo dono præter cetera sublata incommoda, concilii quoque impedimenta remota sunt, ut divinæ ejus majestati pro tali ac tanto beneficio ingentes gratias habuimus & habemus, ita etiam cunctandum non sumus rati, quin ad tollendam concilii suspensionem properaremus: sperantes cum Dei gratia omnes jam qui concilio ipsi interesse debent, promte ad locum destinatum accessuros, & operam pro se quisque daturos, primum ut discordiæ in rebus religionis, quibus ecclesiæ unitas misere in partes scinditur, penitus tollantur. Deinde ut ea quæ in populo Christiano reformatione indigent, reformentur, & in meliorem formam restituantur. Postremo

vero

ANNO CHRISTI 1545.

vero ut communi omnium consilio atque auxilio aliqua expeditio decernatur, qua & ea a fidelibus recuperentur, quæ ab infidelibus occupata sunt, & tot millia animarum, quæ quotidie sub eorum jugo miserabiliter pereunt, liberentur & salventur. Quorum trium capitum causa concilium maxime esse necessarium semper duximus.

Igitur cum impedimenta, quæ concilii celebrationem antea retardare solebant, sublata sint, & bonam spem habeamus, quod tam ipse sereniſſimus imperator & Christianiſſimus rex, quam ceteri Christiani reges & principes vel per sese huic sanctæ celebrationi sint affuturi, vel saltem graves viros eorum legatos missuri. Habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio & assensu, suspensionem prædictam per nos, ut præfertur, factam, apostolica auctoritate, tenore præsentium tollimus & removemus, sublatamque ac remotam esse declaramus. Omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos & episcopos, quam dilectos filios abbates, & alios quoscumque, quibus jure ac privilegio in conciliis generalibus residendi & sententias in eis dicendi permissa potestas est, requirentes & hortantes & admonentes, ut ad Dominicam IV. in quadragesima proxime futura, quam tamquam diem lætitiæ ad prosequendum ipsum concilium deputavimus, sub periurii & aliis tunc in litteris indictionis expressis poenis personaliter, nisi forte justo detineantur impedimento, de quo fidem facere teneantur, aut eo casu per suos legitimos nuncios & procuratores prosecutioni ipsius celebrationis concilii jam nunc faciendæ omnino adesse & interesse velint.

Insuper dictum Carolum imperatorem & Franciscum regem, necnon ceteros reges, duces & principes, quorum præsentiam hoc pacis tempore orthodoxæ fidei & Christianorum saluti utilem fore sperandum est, rogamus & in Domino obsecramus, quatenus ipsi personaliter, quod valde cupimus, aliquin per oratores suos idoneos huic sacro concilio adesse, & usque ad optatum ipsius finem assistere & favere velint, quo tutius & liberius, quæ ad tollenda in religione dissidia, & ad reformandos Christiani populi mores, necnon ad suscipiendam sub sanctissimo crucis signo contra infideles expeditionem pertineant, Deo bene juvante, in dicto concilio consuli & tractari, ac demum confici & ad optatum exitum perduci possint. Et ut præmissa omnia ad eorum quorum interest notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam juste prætendere possit, aut se legitime excusare, volumus & dicta apostolica auctoritate decrevimus, quod præsentes litteræ per aliquos curiæ nostræ cursores vel notarios publicos in basilica principis apostolorum de Urbe & ecclesia Lateranensi, dum inibi multitudo populi ad audienda divina convenerit, palam & clara voce legantur, & lectæ in earumdem basilicæ & ecclesiæ valvis, necnon in acie campi Floræ affigantur, ubi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquandiu affixa pendeant. Et cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis remaneant affixa; quodque earum transsumtis manu notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, certa & indubitata fides adhibeatur, prout præsentibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, requisitionis, admonitionis, rogationis, obsecrationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXLIIII. tertio decimo calendas Decembris, pontificatus nostri anno XI.

Blo. & Fulgin.

B. Mota.

Fides publicationis supra scriptæ bullæ.

Anno a nativitate Domini MDXLIV. indictione II. die vero trigesima et ultima Novembris, pontificatus SS. in Christo patris & Domini Pauli divina providentia papæ III. anno ejus XI. retro scriptæ literæ indictionis, intimationis, annunciationis, convocationis, & obsecrationis concilii generalis, palam publice, alta, clara & intelligibili voce in basilica principis apostolorum de Urbe, dum ibi divina officia celebrantur, & magna populi multitudo congregata esset, de verbo ad verbum per me Johannem Roillard præfati SS. domini nostri papæ cursorem, lectæ, & deinde affixæ, & publicatæ fuerunt & successive eadem die in ecclesia S. Johannis Lateranensis etiam de verbo ad verbum similiter hora vesperorum per me eumdem Johannem lectæ, affixæ & publicatæ fuerunt. Et postmodum eadem die affixæ & publicatæ fuerunt in valvis seu portis cancellariæ apostolicæ, & in acie campi Floræ, dimissis in suprascriptis locis per aliquod temporis spacium affixis, & deinde amotis, copiam earumdem litterarum in quolibet loco supradicto affigendo & dimittendo per nos Petrum Gomez & Johannem Roillard prælibati SS. domini nostri papæ cursores.

Ita est Petrus Gomez cursor.

Ita est Johannes Roillard cursor.

Ita est Theobaldus Tallard magister cursorum.

ANNO CHRISTI 1545.

BULLA MANDATI APOSTOLICI

In perſonam reverendiſſimorum præſidentium ſacri concilii Tridentini.

Paulus epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Johanni Mariæ epiſc. Prænestino & dilectis filiis Marcello tit. S. Crucis presbytero & Reginaldo S. Mariæ in Coſmedim diacono S. R. E. cardinalibus S. & A. B.

Ibid. pag. 1044.

UNiverſalis gregis dominici curam nobis licet inſufficientibus ſuperna diſpoſitione commiſſam utiliter gerere cupientes ſingulis Chriſtianæ reipublicæ occurrentiis, quibus debitum apoſtolicæ ſervitutis nos ipſi perſonaliter præſtare non poſſumus, viros proponimus virtute, doctrina & auctoritate pollentes, quorum operatione miniſterium nobis commiſſum divina aſſiſtente gratia utiliter exequi valeamus. Cum itaque nos alias ſperantes, quod in rebus religionis diſcordiæ, quibus eccleſiæ unitas ſcindebatur, penitus tollerentur, & oves errantes ad ovile dominicum reducerentur, ac ea quæ in populo Chriſtiano reformatione indigebant, reformarentur in melius, & in meliorem formam reſtituerentur. Necnon communi omnium conſilio & auxilio aliqua expeditio decerneretur, qua & ea fidelibus recuperarentur, quæ ab infidelibus occupata erant, & tot millia animarum quæ quotidie ſub eorum jugo miſerabiliter peribant, liberarentur & ſervarentur, ſuſpenſionem celebrationis ſacri oecumenici & univerſalis concilii dudum antea per nos in civitate Tridentina ex cauſis tunc expreſſis, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium conſilio & aſſenſu indicti, ex certis aliis etiam tunc expreſſis cauſis, uſque ad illud opportunius & commodius tempus per nos declarandum, ſimili conſilio & aſſenſu factam, accepto nuncio pacis inter cariſſimos in Chriſto filios noſtros Carolum Romanorum imperatorem ſemper auguſtum & Franciſcum Francorum regem Chriſtaniſſimum conciliatæ, pari conſilio & aſſenſu ſuſtulerimus & amoverimus, prout in aliis noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Noſque ætate noſtra jam valde ingraveſcente, & alias multipliciter impediti, ad dictam civitatem ad præſens perſonaliter accedere, & ipſi concilio juxta deſiderium cordis noſtri intereſſe nequimus. Nolentes tam ſanctum celebrationis concilii hujuſmodi initium ex noſtra abſentia impediri, vos fide ferventes, & doctrina & probitate conſpicuos, ac prudentia & rerum experientia inſignes, cum plena & libera ac omnimoda legatorum de latere poteſtate ac ſpeciali & expreſſo mandato, necnon ratihabitionis & aliis clauſulis in ſimilibus apponi ſolitis, de ſimili eorumdem fratrum noſtrorum conſilio, noſtros & apoſtolicæ ſedis legatos de latere apoſtolica auctoritate tenore præſentium conſtituimus & deputamus, voſque ad dictam civitatem Tridentinam pro concilio hujusmodi celebrando tamquam pacis angelos deſtinamus, ac vobis, aut uno ex vobis legitimo impedimento detento, vel abſente, duobus ex vobis nomine & auctoritate noſtris, ipſi concilio præſidendi, ac in illo pro veſtra pietate & ſapientia, ea omnia quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria, & alias quomodolibet opportuna eſſe, ac alias ad laudem & honorem Dei pertinere noveritis, etiamſi magis ſpeciale mandatum exigant, juxta formam litterarum indictionis noſtræ, faciendi & exercendi plenam, liberam auctoritate prædicta tenore præſentium concedimus poteſtatem & auctoritatem. Quocirca circumſpectioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus injunctum vobis munus hujuſmodi ita implere ſtudeatis, ut ſperati fructus inde proveniant, voſque a nobis commendationem, & a Deo bonorum operum retributore felicitatis æternæ gloriam conſequi valeatis. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dominicæ MDXLIV. octavo calendaſ Martii pontificatus noſtri anno XI.

Bloſius & Fulgin.

BULLA POTESTATIS.

Transferendi concilium ex Tridento ad quamcumque aliam civitatem, ſub dat. Romæ MDXLIV.

Paulus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Johanni Mariæ Prænestino, & dilectis filiis Marcello tituli S. Crucis in Jeruſalem presbytero, ac Reginaldo S. Mariæ in Coſmedim diacono cardinalibus, noſtris & apoſtolicæ ſedis legatis de latere, S. & A. B.

Ibid. pag. 1049.

REgimini univerſalis eccleſiæ, meritis licet imparibus, diſponente domino, prædentes, noſtri officii partes eſſe putamus, ut ſi quid gravis cauſa reipublicæ chriſtianæ conſtituendum ſit, id non modo tempore opportuno, verum etiam loco commodo & idoneo perficiatur. Cum itaque nos nuper poſtquam ſuſpenſionem celebrationis ſacri œcumenici & univerſalis concilii alias per nos in civitate Tridentina, ex cauſis tunc expreſſis, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium conſilio & aſſenſu indicti, ex certis aliis etiam tunc expreſſis cauſis uſque ad aliud opportunius & commodius tempus per nos declarandum, de ſimili conſilio & aſſenſu factam, audita pace inter cariſſimos in Chriſto filios noſtros Carolum Romanorum imperatorem ſemper auguſtum, & Franciſcum Francorum regem chriſtianiſſimum conciliata, pari conſilio & aſſenſu ſuſtuleramus & amoveramus; nequeuntes ipſi tunc legitime impediti ad dictam civitatem perſonaliter ac-

ANNO CHRISTI 1545.

accedere, & eidem concilio intereſſe, vos noſtros & apoſtolicæ ſedis legatos de latere in eodem concilio, de ſimili conſilio conſtituerimus & deputaverimus, voſque ad eam civitatem tamquam pacis angelos deſtinaverimus, prout in diverſis noſtris deſuper confectis litteris plenius continetur. Nos ne tam ſanctum celebrationis concilii hujuſmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportune providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, parique conſilio & aſſenſu, vobis inſimul ac duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimento detento, ſeu inde forte abſente, quand cumque vobis videbitur, concilium prædictum de eadem civitate Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem, & opportunio em, ſeu tutiorem civitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi, & mutandi, ac illud in ipſa civitate Tridentina ſupprimendi & diſſolvendi, necnon prælatis & aliis perſonis concilii hujuſmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate Tridentina procedant, etiam ſub cenſuris & pœnis eccleſiaſticis inhibendi, ac idem concilium in alia civitate hujuſmodi ad quam illud transferri & mutari contigerit, continuandi, tenendi & celebrandi, & ad illud prælatos & alias perſonas concilii Tridentini huiusmodi, etiam ſub perjurii & aliis in litteris indictionis concilii hujuſmodi expreſſis pœnis evocandi: eidemque ſic tranſlato & mutato concilio nomine & auctoritate prædictis præſidendi, ac in illo procedendi, ceteraque in præmiſſis & circa ea neceſſaria & opportuna, alias juxta priorum vobis directarum litterarum continentiam & tenorem, faciendi, ſtatuendi, ordinandi, & exequendi plenam & liberam apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus poteſtatem & facultatem, ratum & gratum habituri, quid. quid per vos in præmiſſis factum, ſtatutum, ordinatum, exſecutumve fuerit, idque facturi, auctore Domino, inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit inourſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis MDXCIV. octavo calendas Martii, pontificatus noſtri anno XI.

Fab. epiſcopus Spoletanus.
B. de Motta.

BULLA,

Per quam inhibetur prælatis, ne compareant in concilio per procuratorem.

Paulus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam.

DEcet nos a cœleſti patrefamilias vineæ ſuæ excolendæ præfectos, more diligentis villici, qui ſingula quæque in agro ſuo peragenda, non ſolum opportunis loco & tempore, verum etiam per miniſtros ad id idoneos expedire curat, diligenter intendere, ut quæ in eadem vinea pro tempore facienda occurrunt, tum congruis loco & tempore, tum etiam per miniſtros, ad quos ea ſpectant, ſollicite procurentur. Dudum ſiquidem ſperantes ex celebratione œcumenici & generalis concilii fieri poſſe, ut diſſidia in religione chriſtiana tollerentur, & chriſtiani populi mores reformarentur, ac ſub ſanctiſſimo crucis vexillo epeditio contra infideles ſuſciperetur, ſacrum œcumenicum et generale concilium in civitate Tridentina incipiendum & proſequendum indiximus, & annuntiavimus, ac omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres noſtros patriarchas, archiepiſcopos & epiſcopos, quam dilectos filios abbates & alios quoſcumque, quibus jure aut privilegio in conciliis generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi poteſtas permiſſa eſt, rerequiſivimus, hortati fuimus, & monuimus; eis nihilominus in vi jurisjurandi quod nobis & huic ſanctæ ſedi præſtiterunt, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis jure aut conſuetudine in celebrationibus conciliorum adverſus non accedentes ferri & proponi ſolitis, mandantes arcteque præcipientes, ut ipſimet perſonaliter, niſi forte juſto detineantur impedimento, de quo fidem facere tenerentur, aut eo caſu per ſuos procuratores legitimos & nuncios proſecutioni celebrationis concilii hujuſmodi omnino adeſſe & intereſſe vellent, prout in diverſis noſtris deſuper confectis literis plenius continetur.

Ibid. pag. 1057.

Cum autem, ſicut nobis nuper innotuit, licet IV. Dominica quadrageſimæ, quam tamquam diem lætitiæ ad proſequendum concilium hujuſmodi deputaveramus, jam diu effluxerit, nihilominus præter noſtros & dictæ ſedis legatos, & quoſdam prælatos, qui ex curia Romana illuc ſe contulerant, pauci adhuc prælati ad dictam civitatem acceſſerint; quin immo fide dignorum relatione accepimus, quamplures ex prælatis et aliis in conciliis generalibus vocem habentibus, non reminiſcentes, quod ipſi, ubi aliquo legitimo juris impedimento non detineantur, per ſeipſos et non per procuratores in concilio comparere, et illius proſecutioni intereſſe debent, propterea quod mandata ad inibi pro ſe comparendum aliis dederint, ad concilium hujuſmodi accedere non curare. Nos attendentes gravitatem negotiorum, quæ in eodem concilio tractanda erunt, prælatorum et aliorum vocem habentium hujuſmodi judicium, conſilium

ANNO CHRISTI 1545.

ANNO CHRISTI 1545.

lium et præsentiam exigere; et propterea ne sub prætextu alicujus forsitan minus legitimi impedimenti, aut seræ spei eorum admissionis per procuratorem, ipsi ab accedendo ad ipsum concilium retrahantur, et ut absque aliqua corruptela singulorum prælatorum, ac aliorum, ut præfertur, vocem habentium, judicia et consilia hujusmodi in eodem concilio libere exquiri et haberi possint, providere volentes; habita desuper cum venerabilibus fratribus nostris sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio et assensu, eosdem patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et abbates, et alios quibus in conciliis generalibus residendi, et in eis sententias dicendi, ut præmittitur, permissa est potestas, de novo monemus, et hortamur, ac in domino requirimus, eisque non solum sub perjurii et aliis pœnis prædictis, verum etiam suspensionis a regimine et administratione ecclesiarum quibus præsunt, et aliarum dignitatum ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, quorum ratione eis locus in concilio & potestas sententias in eo dicendi permittitur, per eos attentorum, necnon interdicti ingressus ecclesiæ, sententiisque per eos, nisi præsentibus cum effectu paruerint, eo ipso incurrendis, districte præcipiendo mandamus, quatenus mandatis procurationum per eos hactenus, ut præfertur, factis, vel in posterum faciendis: quæ omnino revocare, & eorum revocationem procuratoribus per eos constitutis, aut in concilio hujusmodi minime attentis, ipsimet personaliter per se ipsos, & non per procuratorem aut procuratores, nisi forte justo detineantur impedimento; quo casu procuratorem ad se in eodem concilio excusandum, & de eorum impedimento fidem legitimam faciendam: ita tamen, quod eodem impedimento cessante, ipsi personaliter, & non per procuratorem aut procuratores ad hæc omnino teneantur, constituere possint, quanto citius poterint, ad eamdem civitatem Tridentinam accedere, & prosecutioni celebrationis concilii hujusmodi adesse & interesse velint, nec mandata procurationum pro aliquibus prælatis aut aliis vocem, ut præfertur, habentibus, nisi justo impedimento detineantur; & tunc ad eorum impedimenta dumtaxat deducendum & probandum recipere aut acceptare præsumant. Nos enim omnia & singula mandata per eosdem prælatos & alios, ut præfertur, vocem habentes, ad aliud quam eorum justum impedimentum in concilio hujusmodi allegandum & probandum hactenus facta, & in posterum facienda; nulla, irrita, inania, nulliusque roboris vel momenti fore, ac solum per prælatos & alios vocem, ut præfertur, habentes, in dicto concilio præsentes, & pro ipsis dumtaxat & non aliis, etiamsi ab eis mandata cum quacumque etiam plena & libera facultate & potestate habuerint, vocem in dicto concilio habere, sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscumque quavis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi auctoritate & facultate, judicari & interpretari debere. Et quicquid secus super his, a quolibet quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decrevimus, non obstantibus quibusvis concessionibus, indulgentiis, et litteris apostolicis, et quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibus et aliis decretis quomodolibet, etiam motu proprio concessis, et etiam iteratis vicibus, approbatis et innovatis, contrariisque quibuscumque; aut si patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et aliis sub præsentibus litteris comprehensis, communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdiu suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Ut autem præmissa omnia ad eorum quorum interest notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam juste prætendere possit, volumus, et apostolica auctoritate decernimus, quod præsentes litteræ per aliquos curiæ nostræ cursores vel notarios publicos in basilica principis apostolorum de Urbe, et ecclesia Lateranensi, dum ibi multitudo populi ad divina audienda convenerit, palam et clara voce legantur, et lectæ in eorumdem basilicæ et ecclesiæ ac cancellariæ apostolicæ valvis, necnon in acie campi Floræ affigantur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquandiu affixæ pendeant, et cum inde amovebuntur, eorum exempla in eisdem locis remaneant affixa, quodque eorum transsumtis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis certa et indubitata fides adhibeatur, prout præsentibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ monitionis, hortationis, requisitionis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ MDXLV. decimo calendas Maii pontificatus nostri anno XI.

Fab. episcopus Spoletanus.

B. Motta.

ANN CHRI 154

BUL-

ANNO CHRISTI 1545.

BULLA INDICTIONIS

Supplicationum seu processionum per universum orbem Christianum pro celebratione sacri oecumenici concilii, cum hortatione ad jejunium & communionem & plenaria indulgentia.

Paulus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Ibid. pag. 1055. CUm prophetæ vox nostris in auribus jugiter insonet *Clama ne cesses*, idque præcipuum munus ex onere nostris injuncto humeris, licet his impari, nobis incumbere agnoscamus, ipsa præsertim temporum calamitate, ac hæresum undique pullulantium pernicie: in intimis adeo pulsamur præcordiis, ut nobis ipsis pro sancta universali ecclesia, ac dominici gregis nostræ curæ crediti salute, numquam satis operæ, laboris ac sollicitudinis adhibere posse videamur Tot igitur ac tantis turbinibus aliquando sedandis nullum æque salutiferum, ac præsentissimum remedium comperiri semper existimavimus, quam sanctissimi oecumenici concilii celebrationem indicere, ad sananda scilicet catholicæ ecclesiæ vulnera, ab impiis infidelibus reprobisque hæreticis eidem inflicta.

Una igitur hac ratione sanctissimam synodum a nobis Tridenti jam dudum indictam, hodierna luce aperiri mandavimus, eam fine optato, Spiritu-sancto adjuvante, conclusam iri, & optatam orbi christiano salutem allaturam, denique sperantes. Oecumenicum autem cum sit concilium hoc, decet a cunctis fidelibus humili & contrito corde devotisque precibus celebrari, ut quos adesse coram opus fuerit, ii multorum orationibus adjuti, gratius in rebus catholicæ fidei, dictæque universalis ecclesiæ reformationis ibi peragendis omnipotenti Deo exhibere valeant obsequium.

Quamobrem omnes Christi fideles hujusmodi hortamur, ac in domino requirimus, ut posteaquam hæ nostræ litteræ ad eorum manus pervenerint, & per locorum ordinarios publicatæ fuerint, diligenti peccatorum suorum perscrutatione & examine præviis, se ad eorum confessionem, in hebdomada earumdem litterarum publicationem immediate sequenti, de more ecclesiæ subeundam præparent, & illa confiteantur, quartaque ac sexta feria ipsius hebdomadæ, necnon die sabbati jejunent; dominica vero die proxime sequenti, sacratissimam corporis domini nostri Jesu Christi eucharistiam sumant, Deum ex intimis cordis pro Christianorum omnium pace, & pro salutifero & tranquillo ac fructuoso ejusdem sacrosancti oecumenici concilii progressu & prosecutione orantes; ac ut præfatos Christi fideles ad hoc etiam præmiis cælestibus invitemus, omnibus & singulis Christi fidelibus ipsis, qui præmissa adimpleverint, & processionibus ac supplicationibus quarta & sexta feriis ac sabbati die prædictis, eo ordine, qui in alma urbe nostra Romæ observatus extitit publice haben-

dis, interfuerint, aut qui adversa valetudine seu alio impedimento detenti ac abbatissæ, prioriss & monasteriorum quorumcumque moniales, etiam sub clausura existentes, & eisdem, processionibus interesse nequeuntes, si eleemosinam juxta eorum devotionem & facultatem alicui pauperi Christi pie fuerint elargiti, aut inopes extiterint, dominicam orationem cum salutatione angelica quinquies recitaverint, & præmissorum loco pias ad Deum preces devote effuderint, eisdem omnipotentis Dei benignitate ac misericordia, beatorumque ejus apostolorum Petri & Pauli auctoritate freti, pleniissimam omnium peccatorum suorum veniam & remissionem misericorditer in Domino concedimus & elargimur.

Et ut hæc omnia ad plurium notitiam pervenire valeant, simulque Deus ipse misericors a quamplurimis exoretur, omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, ut quamprimum eædem præsentes litteræ ad eorum manus pervenerint, eas seu earum transumtum manu alicujus prælati seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ subscriptum, ubique per eorum provincias, ecclesias, civitates & dioeceses absque ullo quæstu, cum gratiis concessionibus & indulgentiis ibidem contentis gratis publicari faciant, in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, constitutionibus & ordinationibus apostolicis, et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem quod hujusmodi processiones et supplicationes unica tantum vice in civitatibus, terris, castris et locis, et in ecclesiis, in quibus præcipua animarum cura iniuncta reperitur, dumtaxat fiant et habeantur, præsentibus postquam in urbe ac provinciis, ecclesiis, civitatibus et dioecesibus prædictis publicatæ fuerint, ac quarta et sexta feria et dies sabbati hujusmodi præterierint minime valituris. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis dominicæ MDXLV. idus Decembris pontificatus nostri anno XII.

L. de Torres.
B. Motta.

APERITIO CONCILII TRIDENTINI

MDXLV. XIIII. Decembris.

Breve aperitionis concilii.

Ibid. pag. 1057. PAulus papa III. venerabilis frater, et dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Anno superiore secuta Dei munere pace inter sereniissimum Cæsarem et regem christianissimum, nos sperantes concilium universale celebrari posse, ejusdem concilii suspensionem sustulimus, illudque in dominica *Lætare* proxime præterita inchoandum esse decrevimus. Cum autem ob subsecutas postea justissimas illas quidem et ipsamet religionem concernentes rationes et causas, ip-

ANNO CHRISTI 1545.

sam celebrationem in hanc usque diem distulerimus, et insuper ipsis causis cessantibus, ipsum concilium in dominica *Gaudete*, tertia præsentis adventus, aperiendum, inchoandum, et prosequendum esse, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, decrevimus, id vobis per præsentes nostras significare voluimus vobis injungentes, ut ad aperitionem, et inchoationem prosecutionemque dicti concilii in dicta tertia dominica præsentis adventus, juxta formam litterarum nostræ indictionis, ac facultates vobis desuper a nobis concessas, in Dei omnipotentis nomine procedentis; præmissis decretis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die IV. Decembris MDXLV.

Blosius, & *Fulgiu*.

a tergo.

Venerabili fratri Johanni Mariæ episcopo Prænestino, & dilectis filiis Marcello titulo S. Crucis presbytero, & Reginaldo S. Mariæ in Cosmedin diacono S. R. E. cardinalibus, nostris & apostolicæ sedis legatis.

BULLA

Per quam prælati qui præsentes sunt in concilio eximuntur a solutione decimarum & subsidiorum, & conceditur eis facultas percipiendi fructus in absentia.

Paulus papa III. ad futuram rei memoriam.

Ibid. pag. 1070.

CIrcumspecta Romani pontificis providentia singulorum merita & obsequia debita meditatione considerans, illos prout æquum est, specialibus favoribus & gratiis prosequitur, quos universalis ecclesiæ obsequiis jugiter intentos pro ea laborare, & dispersas impensas subire cognoscit. Hinc est quod nos tam ad labores quam ad impensas graves, quas venerabiles fratres patriarchæ, archiepiscopi, ac episcopi, necnon dilecti filii abbates, & ceteri, quibus jure vel privilegio in conciliis generalibus residendi, & in eis sententias dicendi permissa est potestas, sacro oecumenico & generali concilio per nos dudum in civitate Tridentina indicto, & quod ad præsens celebratur, interessentes, pro prosecutione ejusdem concilii, sustinere coguntur, debitum respectum habentes, & animo revolventes, eos inibi residendo universali ecclesiæ reservire, & cum causa reipublicæ Christianæ absint, in ecclesiis in quibus præsunt, aut in quibus beneficiati existunt, præsentes & residentes merito reputari debere, motu proprio, non ad eorumdem patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum ac abbatum & ceterorum prædictorum vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, omnibus & singulis patriarchis, archiepiscopis ac episcopis, necnon abbatibus & aliis sententias dicendi, ut præfertur, potestatem habentibus, & in posterum habituris, qui in dicto concilio ad præsens residebunt, & ad illud in posterum accedent, quod quamdiu concilium prædictum duraverit, & ipsi illi interfuerint, occasione patriarchalium seu archiepiscopalium vel episcopalium ecclesiasticorum cum cura & sine cura sæcularium, & quorumvis ordinum regularium, quæ etiam ex quibusvis concessionibus & dispensationibus apostolicis in titulum et commendam alias quomodolibet obtinent, et in posterum obtinebunt, quæcumque, quotcumque et qualiacumque sint, quæ omnia pro expressis haberi volumus, ad solutionem quorumcumque subsidiorum seu decimarum, per nos et sedem apostolicam ex quavis quantumvis urgenti causa, hactenus impositarum et in posterum imponendarum minime teneantur, nec ad id ab eorumdem subsidiorum seu decimarum collectoribus seu subcollectoribus, aut aliis exactoribus vel quibusvis aliis personis quavis auctoritate fungentibus cogi possint; quodque in eodem concilio quamdiu duraverit, residendo, pro præsentibus et residentibus ac divinis interessentibus in ecclesiis, monasteriis et beneficiis supradictis habeantur, ac etiam a die arrepti per eos ad dictum concilium itineris, quousque ad ecclesias, monasteria et beneficia sua hujusmodi commode redire potuerint, omnes et singulos suos fructus, redditus et proventus ac distributiones quotidianas ecclesiarum et monasteriorum ac aliorum beneficiorum suorum, quæ in quibusvis ecclesiis sive locis obtinent, et in posterum obtinebunt; etiamsi canonicatus et præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis et collegiatis, et dignitates quæ in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales majores, seu in collegiatis ecclesiis hujusmodi principales fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes, et officia hujusmodi consueverint per electionem assumi, eisque cura imminet animarum cum ea integritate, cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis, monasteriis seu locis personaliter residerent, et divinis interessent, percipere libere et licite valeant, apostolica auctoritate, tenore præsentium de speciali gratia indulgemus.

Mandantes universis et singulis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon canonicis metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel per alium seu alios faciant, auctoritate nostra, fructus, redditus, et proventus, ac distributiones hujusmodi eisdem patriarchis, archiepiscopis, episcopis, necnon et aliis sententias dicendi potestatem habentibus et habituris, in eodem concilio pro tempore residentibus, quamdiu concilio hujusmodi interfuerint, vel procuratoribus suis eorum nomi-

ANNO CHRISTI 1545.

nibus, juxta indulti hujuſmodi tenorem integre miniſtrari. Non permittentes eos per locorum ordinarios et dilectos filios capitula eccleſiarum prædictarum aut quoſvis alios quomodolibet moleſtari, contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, et alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

Non obſtantibus ſi in eisdem eccleſiis ſive locis primam non fecerint reſidentiam perſonalem conſuetam, ac quibuſvis apoſtolicis necnon in provincialibus et ſynodalibus conciliis editis generalibus et ſpecialibus conſtitutionibus et ordinationibus ac prædictarum et aliarum eccleſiarum, in quibus beneficia hujuſmodi fuerint, necnon eorumdem monaſteriorum juramento, confirmatione apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis et conſuetudinibus, etiam ſi de illis ſervandis, et non impetrandis litteris apoſtolicis contra ea et litteris ipſis etiam ab alio ſeu aliis impetratis, aut alias quovis modo conceſſis, non utendo, patriarchæ, archiepiſcopi et epiſcopi ac abbates, et alii præfati per ſe vel procuratores ſuos præſtiterint forſan hactenus vel eos in poſterum præſtare contigerit juramentum. Aut ſi eisdem locorum ordinariis et capitulis a dicta ſit ſede indultum, vel in poſterum indulgeri contingat, quod canonicos, rectores et perſonas eccleſiarum, civitatum et dioeceſeon eorumdem, etiam in dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus vel officiis conſtitutos, per ſubtractionem proventuum beneficiorum ſuorum eccleſiaſticorum, aut alias compellere valeant ad reſidendum perſonaliter, ſeu quod canonicis, rectoribus et perſonis eccleſiarum ſuarum civitatum et dioeceſeon, etiam in dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus vel officiis conſtitutis, et in illis non reſidentibus, aut qui in eis primam non fecerint reſidentiam perſonalem conſuetam, fructus, redditus, proventus et diſtributiones quotidianas beneficiorum eccleſiaſticorum in abſentia ſua miniſtrare minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam et expreſſam de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, et qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam effectus hujuſmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua ejuſque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis.

Proviſo quod eccleſiæ et monaſteria ac alia beneficia hujuſmodi debitis propterea non fraudentur obſequiis, et animarum cura in eis quibus illa immineat nullatenus negligatur, ſed per bonos et ſufficientes vicarios, quibus de beneficiorum eorumdem proventibus neceſſaria congrue miniſtrentur, diligenter exerceatur, deſerviatur inibi laudabiliter in divinis. Et quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula in quibus de eis fides forſan facienda fuerit loca deferri, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumtis manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, et ſigillo alicujus curiæ eccleſiaſticæ, vel perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis ea prorſus fides in judicio et alibi, ubi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris die 1. Januarii MDXLVI. pontificatus noſtri anno XI.

Bloſius & Fulgin.

ANNO CHRISTI 1545.

BULLA INDULGENTIÆ

pro pace publica & exſtirpatione hæreſum.

Paulus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam.

DEi omnipotentis ſpiritus, cujus nomen & providentia eccleſiæ ſuæ ſemper adeſt, nos pro paſtorali officio noſtro hortari & admonere non deſinit, ut ex ipſa eccleſia peſtiferas, quæ in ea increbuerunt hæreſes auferre ſtudeamus; ac nos quidem jam inde a noſtri pontificatus initio hanc in animo noſtro curam inſitam & infixam habuimus, ut vineam Domini perpurgaremus, & diſſeminata ab hæreticis in Germania impiorum dogmatum zizania evelleremus. Ingemuimus enim ſemper, & ex intimo corde doluimus, cernentes tantum piarum animarum numerum, quas Chriſtus Dominus noſter pretioſiſſimo ſuo ſanguine redemit, propter peſtiferas inimicorum doctrinas, ex ſanctæ matris eccleſiæ ſinu & obedientia abſtractum fuiſſe. Sed non ſolum errantes filios in viam revocare ſemper optavimus, verum ipſorum quoque hæreticorum mentes, ſi qua ratione poſſemus, ſanare tentavimus. ibid. pag. 104.

Et primo quidem quod noſtræ naturæ humanitas poſtulabat fecimus, ut lenibus eos medicamentis ad ſanitatem reducere conaremur. In quo etiam Deum Dominum noſtrum imitari voluimus, qui longanimis & miſericors peccatores diu ut convertantur expectat. Sed cum lenes nihil medicinæ proficerent, omneſque conatus noſtri inanes eſſent atque irriti, ad concilium generale deſcendimus, cujus auctoritatem illis graviſſimam fore ſperabamus, ipſumque concilium in urbe Tridentina, quæ in ipſius Germanicæ nationis jure ac ditione eſt, ad accedendum commoda, ad commorandum libera congregavimus. Sed ita profecto res ſe habet, ut qui non errore humano, ſed diabolica pertinacia a recto ſalutis curriculo deflexerunt, quæ ad eorum animos flectendos valere deberent, valeant potius ad indurandos, nihil enim prorſus nec concilii generalis movit auctoritas, nec variis ex locis epiſcoporum conventus, nec chriſtianorum regum & populorum veneratio, quam hujuſmodi ſemper œcumenicis conventibus tribuerunt, itaque aperto jam multis menſibus concilio, celebratiſque aliquot ſeſſionibus eorum nemo illuc accedere voluit, ſanctamque ipſam Tridentinam ſynodum in Spiritu-Sancto legitime congregatam, uſque eo contemnunt ac deſpiciunt, ut non decretis ejus ſtaturos ſe, non diffinitionibus fidem habituros, non auctoritati ceſſuros eſſe palam profiteantur atque denuntient; ſed in priſtina ſua pertina-

ANNO CHRISTI 1545.

cia & impietate permanentes, ſicut ipſi ſubverſi ſunt: ita alios ſubvertere, & ut nihil concilii auctoritate moveantur perſuadere nituntur.

Hanc eorum tam diuturnam pravitatem ſi diutius in eccleſia manere, & ad aliorum perniciem impunitate ipſa augeri & corroborari paterentur, non videmus profecto quomodo graviſſimam Dei iram & judicium poſſemus effugere, nec quam rationem tot animarum, quot ab iſtis ad exitium & interitum ducuntur, in illo die ſupremoque judicio repoſcenti a nobis Domino reddere. Itaque cum de eorum correctione omnino deſperaviſſemus, vidiſſemuſque illos plane ſanctæ Dei eccleſiæ hoſtes eſſe, bellumque piis omnibus indixiſſe nefarium, quantiſque poſſunt conatibus eniti & contendere, ut in eamdem, in quam ipſi ceciderunt foveam impietatis reliquos omnes detrahant, divini Spiritus inſpiratione accidit, ut chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Romanorum imperator ſemper auguſtus, fortiſſimus & religioſiſſimus princeps in eoſdem & Dei hoſtes, & rebelles ſuos, arma ſibi capienda eſſe ſtatuerit: cujus quidem pios laudabileſque conatus, & excellens in rem chriſtianam ſtudium omnibus noſtris & ſanctæ Romanæ eccleſiæ facultatibus pro piorum ſalute, pro religionis defenſione, pro Dei honore, denique pro pace & tranquillitate publica ſumus adjuturi; ſed cum omne donum optimum ſuperne ad nos deſcendat a patre luminum, paxque ſancta & ſalutaris, quam eccleſiæ catholicæ reſtituere cupimus & paramus, e Dei manu ad nos ventura ſit, ſacris etiam litteris moniti, patres noſtros jejuniis ſæpe & lacrymis, & orationibus, fide integra & ſincero affectu effuſis, iram divini numinis placaviſſe, extinctiſque diſſenſionibus concordiam, & ſedatis bellis victoriam & pacem impetraviſſe.

Idcirco Chriſti fideles omnes utriuſque ſexus hortamur in Domino, & paterne admonemus in quibuſcumque provinciis, regnis & oppidis, lociſque ſint, ut ad eumdem Dominum noſtrum humili corde converſi, poſteaquam præſentium noſtrarum litterarum tenor & ſententia eorum, qui ordinarii locorum ſunt, opera, ut ad eorum aures & notitiam venerit, huic ſanctæ expeditioni, ſuis ad Deum orationibus, piiſque erga pauperes eleemoſynis ſuffragentur, quartaque & ſexta feria, & ſabbato proxime ſequentibus jejunent, niſi aliquo juſto impedimento id agere prohibeantur. Interim pura cordis contritione & oris confeſſione conſcientias ſuas diligenter emundent; & ut Deum ſibi magis propitium reddant, die dominica quæ ſabbatum quo jejunaverunt proxime ſequitur, ſalutari Chriſti Domini noſtri corpore reficiantur, Deum omni animi ſtudio ſuppliciter orantes, ut tandem populi ſui quem unigeniti filii ſui ſanguine redemit, miſericordia commotus, præſentibus eum calamitatibus liberare dignetur, pacemque illi & concordiam ſublatis diſſenſionibus donare: quo omnes ejus fideles impiis exſtirpatis hæreſibus, ſublatiſque diſſidiis, & infidelium chriſtianæ religionis hoſtium metu vacui ac ſoluti, divinæ ejus majeſtati cultum & pium famulatum exhibeant; atque ut tranquilliore animo & majore fiducia cæleſti euchariſtiæ pane veſcantur, neque ullius gravitate peccati, & abſolutionis difficultate eum ſumere prohibeantur; utque eorum oratio quo puriore a corde manaverit, hoc ſit Deo acceptior, & ad miſericordiam chriſtiano nomini impetrandam efficaciori noſtra, quam a Deo obtinemus, auctoritate, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, qui hæc quæ præcepimus egerint, concedimus, ut presbyteros ſæculares & cujuſcumque ordinis regulares poſſint eligere, quibus peccata ſua confiteantur; quorum confeſſionibus diligenter auditis, illi unumquemque eorum a quibuſvis delictis & peccatis, quamvis gravibus etiam ſedi apoſtolicæ reſervatis, præterquam iis quæ in bulla in die cœnæ Domini legi ſolita continentur, & ab omnibus cenſuris, in quas propter illa peccata incidiſſent, ſalutari pro delictis admiſſis ſatisfactione injuncta, poſſint abſolvere, dummodo & admiſſorum eos peccatorum ex animo pœniteat, & in poſterum recte, & ut chriſtianos homines decet, vivere ſtatuant, eaque quæ ſacerdotes illis pro peccatorum ſatisfactione mandaverint exſequantur; atque etiam eadem auctoritate apoſtolica jus & facultatem damus & concedimus prædictis ſacerdotibus, vota omnia ab ipſis Chriſti fidelibus ſuſcepta in alia quævis pietatis opera commutandi, exceptis dumtaxat caſtitatis & religionis votis.

Præterea ut Chriſti fideles præmiis cæleſtibus inviremus, omnibus & ſingulis, qui hæc omnia rite fecerint, proceſſionemque indicendam, animo ad Deum & cogitatione converſa ei pro hæreſum exſtirpatione & pace publica ſupplicantes, fuerint proſecuti; aut ſi qui eorum morbo aut alio quopiam juſto impedimento id facere prohibeantur, piam eleemoſynam alicui pauperi homini pro Chriſti amore quantam ipſis videbitur elargiti fuerint, aut ſi ipſi egent aut pauperes ſint, quinquies orationem dominicam & ſalutationem angelicam pacis a Deo & concordiæ impetrandæ, & tollendarum ex eccleſia hæreſum cauſa, pia mente dixerint, nos omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ſuorum auctoritate confiſi, pleniſſimam in domino peccatorum omnium veniam & indulgentiam damus atque largimur. Præcipientes inſuper omnibus presbyteris tam cathedralium & collegiatarum eccleſiarum ſæcularibus, quam aliarum quarumcumque etiam clauſtralium regularibus, ſimulque omnibus cujuſvis ordinis monialibus, ut durante hoc adverſus impios & pertinaces hæreticos bello, donec fuerit divino auxilio feliciter confectum, ſecunda, quarta & ſexta feria poſt miſſarum ſolemnia litanias pie canant, una cum orationibus ad hanc rem accommodatis.

Atque ut hæc omnia quo pluribus Chriſti fidelibus nota fuerint, hoc inveniantur plures qui Deo pro publica pace & extinctione hæreſum ſupplicent, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus omnibus & ſingulis patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis eccleſiarum prælatis, ut cum primum præſentes aut illarum tran-

ANN CHRIS 1545

transumtum manu alicujus prælati aut personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ subscriptum, ad eorum manus pervenerit, eas statim omni in loco per suas ipsorum provincias, diœceses, ecclesias, castra & terras sine aliqua fraude aut fuco, cum iis gratiis, concessionibus, facultatibus & indulgentiis gratuitis, publicare faciant, non obstantibus quibuscumque constitutionibus & ordinationibus apostolicis, & aliis quibuscumque in contrarium, ea declaratione præmissa, quod postquam præsentes in regnis, dominiis, provinciis, civitatibus, castris, diœcesibus, terris, locisque supradictis publicatæ fuerint, aut ad supra dictorum Christi fidelium aures pervenerint, diesque prædicti quartæ & sextæ feriarum ac sabbati, ac dominicæ fuerint elapsi, ulterius non sint valituræ. Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ M. DXLVI. idus Julii, pontificatus nostri anno XII.

Visa de curia. Jo. de Fortibus, Franc. Aragonia. B. Motta, Sixtus vice episcopalis.

EPISTOLA PAULI III.

Ad Patres Concilii Bononiæ coacti.

Consulit illos utrum transferendum sit Concilium Tridentum instantibus Germanis.

Venerabili fratri nostro Joanni Mariæ Episcopo Prænestino nuncupato, & apostolicæ sedis Legato de Latere.

VEnerabilis frater salutem, & apostolicam benedictionem. Missus ad nos his proximis diebus a Sereniſſimo Cæsare dilectus filius noster Christophorus tituli Sancti Cæsarii presbyter cardinalis Tridentinus ipsius Cæsaris nomine nobis retulit, majestatem suam magno studio, & diligentia procuraſſe, ut universa natio Germanica Concilio jam indicto, & incœpto Tridento celebrando se submitteret, prout se submiserat, addiditque se habere in mandatis ab ipso Cæsare, ut suæ majestatis, ac sereniſſimi ejus fratris Romanorum Regis, & statuum sacri Imperii nomine a nobis peteret, ut pro reunione dictæ nationis ad gremium ecclesiæ ipsum concilium Tridentum reduci faceremus. Et deinde dilectus filius Didacus Mendoza ipsius Cæsaris orator in nostro consistorio (intereſſentibus de nostra voluntate, cum ipsi id cuperent, cæteris oratoribus Principum & Rerumpublicarum, qui apud nos sunt) idem dixit & petiit, & ne mora interponeretur instanter postulavit. Nos vero re cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus communicata de ipsorum consilio, & voto pro communis pacis conservatione, & pro evitandis, & ut tam illud, per quod Concilium Bononiam translatum est, quam cætera istius sacrosanctæ synodi decreta illæsa conservarentur, ante omnia in re tam ardua, more majorum nostrorum ipsius sanctæ Synodi fratres nostros episcopos & prælatos, qui ex omnibus fere nationibus isthic sunt consulendos esse decrevimus. Quamobrem de salute dictæ nationis solliciti, & ne mora ad respondendum ipsi Cæsari interponatur, volumus, ut hæc omnia ejusdem sacrosanctæ synodi patribus explices, ac sancti Spiritus nomine, quo illa regitur, invocato, universale bonum reipublicæ Christianæ & sanctæ Fidei catholicæ, ac dictæ nationis reunionem præ oculis habentes, omnes ea mature examinetis, & perpendatis, & quid ipsi Cæsari a nobis super hoc responderi posse putetis, ad nos scribere non differas. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XVI. Decemb. MDXLVII. pontificatus nostri anno XIIII.

Anno Christi 1545.

BULLA

Qua retardari jubet pontifex concilii progressum, & ad se mitti concilii deputatos mandat.

Venerabili fratri Joanni Mariæ episcopo Prænestino, et dilecto filio Marcello tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero S. R. E. cardinalibus nostris, et apostolicæ sedis de latere Legatis.

VEnerabilis frater, et dilecte fili Noster, salutem, et apostolicam benedictionem. Quam semper fuerit flagrans, et ardens desiderium nostrum, ut oecumenicum concilium pro remedio hæresum, et reformatione morum, ac cæteris Christianitatis necessitatibus per nos non solum indiceretur, sed indictum aperiretur, continuaretur, sineque debito concluderetur, notum Deo est, non ignotum hominibus, vobis vero notissimum, qui in ipso concilio legati nostri, eique nostro nomine præsidentes, id nostrum desiderium cura, diligentia, et pietate vestra, illorumque venerabilium patrum vobiscum in eo commorantium, hactenus indeficienter executi estis, ita ut rem ad propinquum pene finem domino auctore perduxeritis: sed accidit, ut dum nos nostri officii, universalisque beneficii, et vestri pii laboris fructum atque exitum jamjam affore speraremus, hic noster, vesterque in sancto pietatis studio cursus, sicut alias ex bellis, et discordiis christianorum principum, ita nunc ex causa, quam vobis putamus non ignotam, aliquantisper necessario retardandus fuerit. Cogimur enim querelas coram nobis propositas audire, ne justitiæ administrationem super illis denegare velle videamur, quod sane neque nostræ, neque hujus sanctæ sedis consuetudinis unquam fuit. Proinde et si voluissemus ea, quæ restabant, per nos agenda in ipso concilio quanto citius expediri, ne celebratio, neque expeditio ejus tandiu contra nostram voluntatem dilata diutius differretur, boni tamen consulendum, et æquanimiter ferendum nobis est, si ad modicum tempus a prosequutione rerum in ipso concilio tractandarum supersedeatur, et interim præcognita ipsius rei veritate ad ipsam prosequutionem concilii postea recurratur

Apud Raynald. ad an. 1548. n. 32.

ANNO CHRISTI 1545.

tatur tanto ardentius, quanto id ipsum ad nostrum utrumque officium, atque ad bonum publicum, cui omnes studere debemus, pertinebit.

Nuper siquidem pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti per dilectum filium Jacobum, seu Didacum de Mendozza apud nos oratorem procuratoremque ad id specialiter constitutum coram nobis, et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in Consistorio nostro secreto fuit contra vos, et prælatos vobiscum Bononiæ congregatos exhibita ac proposita querela, per quam idem Jacobus procurator nomine ejusdem Cæsaris conquerebatur.

NOMINA PATRUM

Qui Bononiensis concilii inchoationi interfuerunt.

Collectoris præmonitio.

PAtrum qui concilio Bononiæ inchoando interfuerunt nomina quidem haud omittit Labbeus; sed ejus recensio adeo manca est & imperfecta, ut operæ pretium duxerim accuratiorem illum catalogum reproducere, quem ex Barberino codice vulgavit Raynaldi continuator ad annum 1549. 22.

Sacri concilii præsidentes, & Legati.

Reverendissimus, & Illustrissimus dominus Maria episcopus Prænestinus de Monte.

Reverendissimus, & illustris. dominus Marcellus Cervinus tit. sanctæ Crucis in Hierusalem, presbyter, S. R. E. card. sacri concilii præsidentes, & apostolici legati de latere.

Oratores Henrici regis Christianissimi.

Illustrissimus D. Claudius Durfe, præfectus provinciæ, de Forez, Gallus.

Illustris. D. Michael ab Hospitali, consiliarius Parisiensis, Gallus.

Archiepiscopi.

R. D. Andreas Cornelius, archiepiscopus Spalatrensis, Venetus.

R. D. Antonius Filholi, archiepiscopus Aquensis.

R. D. Ludovicus Cheregattus, archiepiscopus Antibarensis ordinis Minorum de Observantia, Vicentinus.

R. D. Jacobus Coccus, archiepiscopus Corcyrensis, Venetus.

R. D. Michael Saracenus, archiepiscop. Materanus, & Acheruntinus, Neapolitanus.

R. D. Lecavela, archiepiscopus Naxien. ordinis Prædicatorum, Græcus.

R. D. Olaus archiepiscopus Upsalensis, Gothus.

R. D. Robertus Vauchop. Venantius, archiepiscopus Armacanus, Scotus.

Episcopi.

R. D. Christophorus de Spiritibus episcopus Cæsenatensis Viterbiensis.

R. D. Philos Roverella, episcopus Asculanus, Ferrariensis.

R. D. Jacobus Ponzetta, episcopus Malphetensis.

R. D. Thomas Campegius episcopus Feltrensis, Bononien.

R. D. Benedictus de Nobilibus, episcop. Aciensis ordinis Prædicatorum, Lucensis.

R. D. Quintius de Rusticis, episcop. Militensis, Romanus.

R. D. Robertus Senatis, episcopus Ambricen. Gallus.

R. D. Joannes ab Angesto, episcop. Noviomen, Gallus.

R. D. Cathelanus Trivultius, episcopus Placentinus, Mediolanensis.

R. D. Ferdinandus Pandolphinus, episcopus Trojanus, Florentinus.

R. D. Alexander Campegius, episcop. Bononien.

R. D. Antonius de Humeis, episcop. Isernen. Florentinus.

R. D. Leo Ursinus, episcopus Forolivien. Romanus.

R. D. Fuscherus, episcopus Torcellan. Venetus.

R. D. Lucius Staphileus, episcopus Sibinicen. Illyricus.

R. D. Marcus Antonius episcopus Grossetan. Bononien.

R. D. Dionysius Græcus, episcopus Millopotamen. & Chironensis, ordinis Minorum de Observantia, Græcus.

R. D. Braccius Martellus, episcopus Fesulanus, Florentinus.

R. D. Lælius Baruffus de Piis, episcopus Sarsinaten. Britonorien.

R. D. Philibertus Babu, episcopus Angolismensis, Gallus.

R. D. Joannes Baptista Campegius, episcopus Majoricen., Bononien.

R. D. Thadæus de Pepulis, episcopus Carinen., Bononien.

R. D. Petrus Vorstius episcopus Aquensis auditor Romanæ Curiæ, Flander.

D. Augustin. Zanettus. episcop. Sebasten. Bononien.

R. D. Helisæus Theodinus, episcopus Soranus, Arpinas.

R. D. Jacobus Cortesius a Prato, episcopus Vasionensis, Romanus.

R. D. Franciscus Boerus, episcopus Maclovien sis, Gallus.

R. D. Georgius Cornelius, episcopus Tarvisinus, Venetus.

R. D. Baldassar Lympus, episcopus Portuen. in Portugallia ordinis Carmelitarum, Portugallien sis.

R. D. Bernardus Bonioannes, episcopus Camerinen. Romanus.

R. D. Angelus Paschalis episcopus Motulanus ordinis Prædicatorum, Dalmata.

R. D. Joannes Campegius, episcop. Parentinus, Bononien.

R. D. Ludovicus Simoneta, episcopus Pisaurien. Mediolanen.

R. D. Augustinus Stenchus, episcop. Chissamensis Bibliothecarius apostolicus, Eugubinus.

R. D.

ANNO CHRISTI 1545.

R. D. Tiberius de Mutis, episcopus Jearacen. Romanus.

R. D. Georgius Andreacius, episcop. Regiensis, Mantuanus.

R. D. Aloysius Lipomanus episcopus Motonensis coadjutor Veronen. Venetus.

R. D. Jolicius, episcop. S. Pauli, Gallus.

R. D. Philippus Archintus, episcopus Salutiarum vicarius SS. D. N. papæ in urbe; Mediolanen.

R. D. Vincentius de Durantibus episcopus Thermularum, Brixien.

R. D. Jo. Petrus Ferrettus, episcopus Mylonensis, Ravennaten.

R. D. de la Guiche, episcopus Mirapiscensis, Gallus.

R. D. Ægidius Folietta, episcopus Caprulanus, Cingulanus.

R. D. Ricardus Patus episcopus Vigornien. Anglicus.

R. D. Petrus Ghinuccius episcopus Cavallicen. Senensis.

R. D. Cornelius de Mussis, episcopus Bituntinus ordinis Minorum Conventualium, Placentinus.

R. D. Marcus Maliperius, episcopus Corsulanus, Venetus.

R. D. Jacobus Jacobellus, episcopus Belcastren. commissarius generalis apostolicus sacri concilii, Romanus.

R. D. Alvarus de la Quadra, episcopus Venusinus, Hispanus.

R. D. Thomas Casellus, episcopus Britinorien. ordinis Prædicatorum, Rossanen.

R. D. Galeatius Floreimonteus, episcodus Aquinaten, Suessanus.

R. D. Philippus Bonus, episcopus Famagusten. Venetus.

R. D. Jo. Baptista Cicada, episcopus Albingenen. auditor cameræ apostolicæ, Genuensis.

R. D. Stella, episcopus Lavellensis ord. Prædicatorum, Venetus.

R. D. Franciscus de Mauni, episcop. Briocensis, Gallus.

R. D. Puccius, episcopus Veneten. Florentinus.

R. D. Berengarius Bombau, episc. Calvensis, Hispanus.

R. D. Franciscus Gallianus, episcopus Pistorienſis, Florentinus.

R. D. Petrus Dival, episcopus Sagiensis, Gallus.

R. D. Gregorius Castagnola, episcopus Mylenensis ordinis Prædicatorum, Græcus.

R. D. Roccabella, episcopus Maceratensis, Recanatensis.

R. D. Jacobus Barba, episcopus Aprutinus ordinis Heremitarum sacrista apostolicus, Neapolitanus.

R. D. Camillus Mentuatus episcopus Satrianensis, Placentinus.

R. D. Jacobus Spiphame episcopus Nivernien. Gallus.

R. D. Sebastianus Pighinus, episcopus Aliphanus, auditor curiæ Romanæ, Regiensis.

R. D. Ambrosius Catherinus Politus, episcopus Minorien. ordinis Prædicatorum, Senensis.

R. D. Peregrinus Fabius episcopus Vestanen. auditor Romanæ curiæ, Bononien.

R. D. Pompejus de Zambeccaris, episcopus Sulmonensis, Bononiensis.

R. D. Camillus Peruschus, episcopus Alatrinus rector studii Romani, Romanus.

Procuratores.

R. P. Ambrosius Pelargus ordinis Prædicatorum procurator, reverendissimi, & illustrissimi Domini Adolphi archiepiscopi Colonien. sacri Romani imperii electoris, necnon capituli ejusdem ecclesiæ Colonensis procurator, reverendissimi & illustrissimi domini archiepiscopi Treveren. electoris sacri imperii, germanus.

Abbates.

R. D. Lucianus de Octonibus, abbas Pomposiæ Ferrarien. Mantuanus.

R. D. Chrysostomus Gimilianensis, abbas SS. Trinitatis de Cajeta, Calaber.

Generales ordinum.

R. P. Franciscus Romeus, generalis ordinis Prædicatorum, Aretinus.

R. P. Bonaventura Pius, generalis ordinis Minorum Conventualium, Costacciarius.

R. P. Heronymus Seripandus generalis Heremitarum S. Augustini Neapolitanus.

R. P. Nicolaus Audetus, generalis ordinis Carmelitarum, Cyprius.

R. P. Augustinus Bonuccius generalis ordinis sanctæ Mariæ Servorum, Aretinus.

R. P. Simon Guicciardus Stampensis, generalis ordinis Minorum S. Francisci de Paula, Gallus.

Officiales Concilii.

D. Hugo Boncompagnus abbreviator, Bononien.

D. Hercules Severolus Promotor, Faventinus.

D. Angelus Maffarellus secretarius, Sanctoseverinus

Pompejus de Spiritibus magister Cæremoniarum, Spoletanus.

Subduntur nomina Notariorum diversarum nationum, qui fuere tredecim, & Theologiæ professorum, qui fuere numero octuaginta quinque, quorum ultimi a societate Jesu, qui presbyteri reformati dicebantur, fuere viri insignes, Claudius Jajus, Jacobus Laynes, Alphonsus Salmeron, socii sancti Ignatii, & Petrus Canisius Germanus eruditis operibus clarissimus.

BRE-

ANNO CHRISTI 1545.

BREVE APOSTOLICUM

ad universos episcopos Galliæ.

Eos invitat ad concilium Tridentinum,

Affert Martene Vet. Mon. to. VIII. pag. 1423.

VEnerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, & dilectis filiis abbatibus, ac quorumvis ordinum generalibus, & aliis in conciliis generalibus locum aut vocem quomodolibet habentibus, in regno Franciæ constitutis S. & A. B.

Cupientes pro commisso nobis apostolatus officio, & debito honoris Dei & salutis animarum studio, & tam gravibus malis laboranti universali ecclesiæ eo remedio subvenire, quod sancta hæc sedes ad tollendas hæreses, & schismata sedanda perpetuo adhibere consuevit, sicut ab initio pontificatus statutum ad deliberandum nobis fuit: cujus voluntatis nostræ carissimum in Christo filium nostrum, regem Christianissimum, aliosque reges & principes, testes & consocios habemus. Hesterno die ad Dei omnipotentis laudem, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio & assensu, oecumenicum & generale concilium in civitate Tridentina, a die sacratissimo resurrectionis dominicæ proxime futuro, divina opitulante gratia, celebrandum indiximus, sicut litterarum exemplo, quas super ejus indictione edidimus, cognoscetis. Etsi autem minime dubitamus, quin tam necessario tempore, quisque vestrum muneris sui memor, paratus sit Deo & sponsæ ejus ecclesiæ officium suum præstare, sicut bonos & catholicos præsules ac fideles Dei ministros decet; tamen pietatem vestram nostra etiam hortatione duximus vehementius excitandam, universitatem vestram in Domino cohortantes, & monentes, & per apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipientes atque mandantes, ut sine recusatione ad celebrandum concilium Tridentinum intra præstitutam diem conveniatis, affuturis illic sedis apostolicæ legatis, qui vos & ceteros prælatos advenientes excipient, ut pro vestro ac reliquorum studio ecclesia tam diuturnis miseriis afflicta erigatur, et ex tantis laboribus & procellis aliquando conquiescat, sicut divina misericordia freti confidere debemus. Nos quidem pro loco & munere nostro vos & reliquos fratres ac filios nostros omni studio, cura, diligentia, adjuvare parati sumus, nihilque quod præstari a nobis possit prætermittere, quoad concilium ad optatum, Deo annuente, finem perducatur.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die ultimo Novembris 1560. pontificatus nostri anno 1.

NOMINA CARDINALIUM

Oratorum, archiepiscoporum qui sessioni XI. Tridentinæ interfuerunt.

REverendissimus Marcellus de Crescentiis, cardinalis legatus.

R. cardinalis Tridentinus.

R. episcopus Sipontinus, præsidens.

R. episcopus Veronensis, alter ex præsidentibus.

R. Sebastianus archiepiscopus Maguntinus elector.

R. Joannes archiepicop. Trevirensis elect.

Generosus D. Comes de Monfort, Orator imperii.

D. Franciscus de Toledo regis Hispaniarum orator.

R. Federicus Nauceri episcopus Viennensis orator regis Romanorum.

R. archiepiscopus Turritanus.

R. archiepiscopus Antiberensis.

R. archiepiscopus Panormitanus.

R. archiepiscopus Calarritanus.

R. archiepiscopus Granatensis.

R. episcopus Segrobicensis.

R. episcopus Majoricensis.

R. episcopus Castellarianensis.

R. episcopus Laucianensis.

R. episcopus Algarensis.

R. episcopus Micensis, suffraganeus Maguntinus.

R. episcopus Siracusiensis.

R. episcopus Gzarensis.

R. episcopus Aurensis.

R. episcopus Pacensis.

R. episcopus Constantinensis.

R. Episcopus Oscensis.

R. episcopus Solonensis, suffraganeus episcopi Herbipolensis.

R. episcopus Calagurritanus.

R. episcopus Elnensis.

R. episcopus Monopolitanus.

R. episcopus Lezionensis.

R. episcopus Onetensis.

R. episcopus Tudensis.

R. episcopus Lacorensis.

R. episcopus Cadinensis.

R. episcopus Astoricensis.

R. Nicolaus Pseaume episcopus Virdunensis.

R. episcopus Salaminensis, suffraganeus Majoricensis.

R. episcopus Bossanensis.

R. episcopus Mutinensis.

D. Franciscus, Fiscalis Hispaniarum.

D. Secretarius concilii.

Doctores Theologi non copiosa hominum turba

SA.

ANNO CHRISTI 1545.

Sacrosanctæ synodi protestatio ante Galliæ regis literarum lectionem facta.

SAcrosancta generalis oecumenica synodus interpretando verba literarum christianissimi regis, ubi illam *conventum* appellat, in bonam partem, prout de tanto rege Christianissimo credendum est, ita ut de conventu hoc legitimo, oecumenicum ac generale concilium faciente intelligantur, & protestando si aliter literæ intelligerentur, non esse ad ipsam synodum directas, passa est quod literæ regis prædictæ legantur & protestatur legi sine aliquo ejus præjudicio.

BULLA S. D. N.

D. Julii divina providentia papæ III. Novæ monitionis & requisitionis poenalis prælatorum, ut ad concilium quantocius possint personaliter, & non per procuratores accedant.

JUlius episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet nos alias ex certis tunc expressis rationabilibus causis, sacrum oecumenicum generale concilium per foelicis recordationis Paulum papam tertium prædecessorem nostrum indictum, ad civitatem Tridentum reducendum esse duxerimus, ac venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, nec non dilectos filios abbates, omnesque & singulos alios de jure, vel consuetudine aut privilegio, conciliis generalibus interesse debentes, ut tunc proxime futuris, & nunc præteritis cal. Maji in ipsa civitate Tridentina, legitimo cessante impedimento convenire & se congregare, ac ipsius concilii continuationi & prosecutioni incumbere vellent, per nostras litteras hortati fuerimus, prout in illis plenius continetur, ac dilectus filius Marcellus tituli sancti Marcelli presbyter cardinalis de Crescentiis nuncupatus, noster & apostolicæ sedis ad dictum concilium legatus, & Venerabiles fratres Sebastianus episcopus Sypontinus, ac Aloysius episcopus Veronensis, nostri & dictæ sedis, ac in eodem concilio, una cum præfato Marcello cardinali & legato nomine nostro præsidendum nuncii, eisdem cal. in dicta civitate adfuerint, & concilium ipsum resumpserint, ac sessionem in Kal. Septembris proxime futuris fieri ordinaverint, jamque æstivi calores præterierint, et ex ipsius Dei benignitate, annona aliquanto uberior nobis reddita sit, nec res humano victui necessariæ hoc tempore desint. Nihilominus præter legatum & præsidentes præfatos, ac nonnullos Hispanicæ nationis episcopos, pauci admodum prælati in dicta civitate convenerint, in maximum prosecutionis ejusdem concilii præjudicium, & in eo tractandorum dilationem. Nos qui indictionis & alias quascumque desuper confectas & publicatas ipsius prædecessoris litteras, cum omnibus & singulis in eis contentis litteris, clausulis & decretis in suo robore permanere voluimus, & quatenus opus esset innovavimus, ipsius prædecessoris, qui prælatos & alios vocem in eodem concilio ut præfertur habentes sub diversis poenis iterato monuit, vestigiis inhærentes, habita desuper cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio & assensu, eosdem patriarchas, archiepiscopos, et episcopos et abbates & alios in conciliis generalibus residendi & in eis sententias dicendi potestatem habentes, de novo hortamur & monemus, ac in Domino requirimus, eisque in virtute sanctæ obedientiæ & in vi juramenti quod nobis & aliis Romanis pontificibus prædecessoribus nostris præstiterunt, ac sub omnibus de jure, vel consuetudine in celebrationibus conciliorum adversus non accedentes ferri et promulgari solitis, aliisque in litteris prædecessoris hujusmodi, contentis, per eos nisi præsentibus cum effectu paruerint, incucrendis poenis districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsimet personaliter per seipsos, & non per procuratorem aut procuratores, quos solùm ad se in eodem concilio, si forte justo impedimento detineantur excusandum, & de eorum impedimento fidem legitimam faciendam, ita tamen quod eodem impedimento cessante, ipsi personaliter & non per procuratorem aut procuratores comparere omnino teneantur, constituere posse nolumus, quanto citius poterunt ad eandem civitatem Tridentinam accedere & continuationi et prosecutioni concilii hujusmodi adesse et interesse velint. Nec mandata procurationum pro aliquibus prælatis aut aliis vocem, ut præfertur, habentibus nisi, ad eos ut præfertur excusandum & eorum impedimenta deducendum & probandum recipere aut acceptare præsumant. Nos enim omnia et singula mandata per prælatos & alios prædictos ad aliud quam eorum justum impedimentum in concilio hujusmodi allegandum et probandum, hactenus facta et in posterum facienda, nulla, irrita, et inania, nulliusque roboris et momenti fore, ac solum prælatos et alios patres in dicto concilio præsentes, et pro ipsismet præsentibus tantum et non pro aliis, etiam si ab eis mandata cum quacumque et plena et libera facultate et potestate habuerint, vocem in dicto concilio habere posse. Sicque in præmissis omnibus et singulis per quoscumque, quavis authoritate fungentes, sublata eis et cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et authoritate judicari et interpretari debere, ac quicquid secus super his a quoquam, quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus quibusvis concessionibus, indultis et litteris apostolicis, sua quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, quomodolibet etiam motu proprio

ANNO CHRISTI 1545.

concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliter in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Etiamsi patriarchis, archiepiscopi et aliis præfatis ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint; per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ut autem præmissa omnia ad eorum quorum interest notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam juste prætendere possit, volumus et apostolica authoritate decernimus, quod præsentes litteræ per aliquos curiæ nostræ cursores vel notarios publicos, in basilica principis apostolorum de urbe et ecclesia Lateranensi, dum inibi multitudo ad divina audiendum convenerit, palam & clara voce legantur, & lecta in earundem basilicæ & ecclesiæ, ac cancellariæ apostolicæ valvis, nec non in acie campi Floræ affigantur, ubi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquamdiu affixæ pendeant, & cum inde amovebuntur earum exempla eisdem in locis remaneant affixa, per quæ earum transumptis manu notarii publici subscriptis & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, certa & indubitata fides adhibeatur, prout præsentibus adhiberetur si fuerint exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ hortationis, admonitionis, requisitionis, mandati, voluntatum, decretorum, & derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum ejus Petri, & Pauli se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1551. sexto Kal. Septembris, pontificatus nostri anno secundo.

Gal. Aquinas a Latata.

Pro R. D. M. cardinali Crescentio.

Joannes Larniens.

A tergo supra scriptæ Bullæ hæc erant descripta.

ANno a nativitate Domini 1551. indictione nona, die vero ultima mensis Augusti, pontificatus sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Julii divina providenti Papæ III. anno secundo: præsentes retro scriptæ litteræ affixæ, publicatæ & lectæ fuerunt, juxta formam retro scriptam litterarum apostolicarum, ut moris est, dimissis copiis, affixis ad valvas seu portas Basilicarum principis apostolorum de Urbe, & ecclesiæ Lateranensis, & cancellariæ apostolicæ, ac in Arce Campi-floræ, dimissa bulla originali affixa per aliquod temporis spatium, & deinde dimissis copiis affixis ut supra per nos Thomam Roger, & Joannem Freyle præfati sanctissimi D. N. papæ cursores.

ANNO CHRISTI 154.

Registrata apud Galeatium Secretarium.

P. Gomez magister cursorum.

LITERÆ

Missivæ regis Galliæ ad concilium Tridentinum.

HEnricus divino beneficio Francorum rex Sanctissimis in Christo & observandis summopere patribus Tridentini conventus S. P. D. Hoc in in primis visum est convenire cum cuidam singulari observantiæ nostræ, majoru mque nostrorum in universam ecclesiam, tum egregio præterea studio erga ordinem vestrum, patres ornatissimi, quod apud vos minime nos quidem dissimulandum duximus, quibus non causis, quam justis, quamque necessariis modo adducti vel impulsi, verum etiam coacti simus nullum episcopum qui nostræ ditionis esset, Tridentum mittere, ad eum conventum celebrandum, qui esset a beatissimo patre papa nostro Julio indictus nomine publici concilii, eaque de causa præferibenda breviter ad vos omnia curavimus, & quæ pro nobis exponenda, et quæ vobis ipsis, ista dignitate, ista gravitate hominibus diligenter et attente perpendenda videbantur. Præsertim cum nobis dubium non esset, valde alienum a sapientia, prudentia, integritate vestra sanctissimi patres, factum aliquod aut nostrum, aut alterius cujusvis temere condemnare; quod prospecta dijudicataque causa vobis facillime probaretur. In iis itaque quæ pro causa nostra scripta mittimus, sunt quæ partim communi omnium, partim quæ præcipuo jure aut profitemur ultro, aut aspernantur a nobis, ac deprecamur, necessario quodam et explorato pene injuriæ, ac contumeliæ metu si quis retineatur a vobis humanitatis sensus, aut benignitatis, minus vehementer, ac præter modum videbimur oppugnari a nonnullis. Quibus tamen ne repugnaremus quidem, si liceret nobis ab omni justitiæ, atque æquitatis instituto & suscepto semel patrocinio recedere. Sed hæc omnia sanctissimi patres non secus ac honorarii arbitri comiter, ac benigne uti audiatis ab eoque recitari patiamini, cui has ipsas literas ad vos nulla alia de re dedimus vos vehementer etiam, atque etiam obtestamur, eaque sic accipiatis, obsecramus, non tanquam ab ignoto, aut alieno, aut adversario profecta, sed velut ab eo, qui hæreditario nomine Maximus, aut, sicuti loquimur, primus, et perhibeatur, et sit ecclesiæ catholicæ filius; quo quidem in domestico ornamento obtinendo, & in sustinenda majorum nostrorum et virtutis & pietatis opinione pollicemur vobis præstantissimi patres, idque adeo nobis sumere audemus freti benignitate Domini nostri Jesu Christi recipimus, spondemus nos mirificam illorum animi magnitudinem, vigilantiam, sollicitudinem, fortitudinem, religionem, omni

Ibid. 224.

gene-

ANNO CHRISTI 1545.

genere præstaturos esse, studiorum, officiorumque nostrorum; tantum abest ut dum factam, & illatam ab aliis injuriam necessario cogimur repellere, aut traditam nobis a majoribus nostris ecclesiæ catholicæ catitatem deponere queamus, aut nostra sponte desinere prosequi quidquid ab ea pertractatum, decretum, constitutum fuerit. Quomodo videlicet ab illa pertractari decerni, & constitui par est: dum nequid interea sincero atque integro ab hæreticorum vecordia principi immerenti, atque innocenti aut captiosum comparetur, aut contumelioſum. Sit D. N. Jesus Christus ipse, qui author est, custos etiam & conservator, patres ornatissimi, salutis, incolumitatis dignitatisque vestræ. Valete. Ex villa regia, quæ fontis Bellæ-aquæ dicitur ante diem Id. Aug. 1551. Sic signatum Henry; & inferius Du Thier. In dorso literarum fuerat scriptum: sanctissimis & observandis in primis in Christo patribus conventus Tridentini.

Protestatio regis christianissimi nomine facta.

Ibid. pag. 225.

HÆc sunt, sanctissimi patres, quæ post susceptum primum agri Parmensis patrocinium a christianissimo rege, post exortam deinde ea de re gravissimam, sed injustissimam illam quidem querimoniam, post oblatum postremo proximum hunc tumultum, & certissimum civilium armorum intestinique belli terrorem ostentatum Rex ipse christianissimus jussit, tum beatissimo patri papæ nostro Julio, tum sacro cardinalium collegio profiteri, denuntiarique, quæ eodem prope verbis sunt deinceps exposita. Cum facta quædam sua, quæ non modo reprehensione nulla, sed etiam summa laude digna essent, trahi tamen, atque vocari in invidiam animadverteret, idque hominum quorumdam iniqua interpretatione fieri, eoque dissensionum semina jaci, quærique materiam armorum, illud in primis sedulo curavisse ut quoad res integra esset & consilii, & facti totius rationem illius sanctitati, collegioque accuratissime redderet Paulus a Termis orator suus, vir equestri dignitate clarissimus, idque de consilio a se factum esse, ut si qua in animis illorum minus commoda de se opinio insedisset, ingenua illa satisfactione revelleretur. Atque ita imminentibus malis, si repudiata pace occasiones armorum cupidius arriperentur, iret ipse obviam, & quoad ejus fieri posset, tanto ante refutaret. Itaque primum omnium illud proposuisse, id quod feciſſet, ut ejus propugnationem susciperet, qui in fidem suam quasi in portum aliquem confugisset, se non videre qua ratione a quoque jure possit improbari; quippe cum id non magis communis cujusdam esset humanitatis ad incertos & rerum, & temporum casus, quam optimi, maximique ac vere regii, & liberalis animi officium; nec æquum esse se deteriori conditione haberi quam cæteros. A se nihil astute actum, nihil subdole cogitatum, nihil commodi alicujus sui causa gestum; sed unius ecclesiæ tantummodo habitam esse rationem, pro perpetua quadam Francorum regum ac majorum suorum consuetudine, qui illam ipsam non opibus solum suis exornarunt, aut armis extulerunt, sed corpora etiam sua gravissimis illius temporis periculis omnibus oppoſuerunt. Idque quod fieret illius causa cœptum esse, his conditionibus esse testatissimum, quas ipsas pacis, concordiæque constituendæ obtuliſſet; quæ quidem eo semper spectarent, uti qua de re agebatur, ea res ne ecclesiæ aliquando, vel surriperetur, vel eriperetur, quam vellet perpetuo juris ejusdem ditionisque esse, idque unum tantopere contenderet. Quæ cum hujusmodi essent, neminem sanæ mentis existimare posse, quæcumque a se vel actum, vel susceptum, quod non maximum, generosissimumque regem deceret, & hoc loco, & hoc animo principem, qui se non modo abstinentissimum præstitisset, sed etiam suis maximis sumptibus ac nonnullo suarum rerum dispendio Italiæ pacem, otium, libertatem obtuliſſet, & omni suo studio, conatuque ecclesiæ dignitatem, atque authoritatem procurasset; se præterea palam denuntiasse, ac testatum esse, si beatissimi papæ nostri sanctitas hanc justam esse causam armorum decrevisset, ac proinde Italiam, atque adeo universam pene Europam bello implicavisset, ex quo ecclesiæ status convelleretur, tum mores, tum religio, tum fidei ipsius causa in ultimum discrimen adduceretur. Maximo id quidem suo cum dolore futurum, sed sibi tamen nihil eorum merito imputatum iri, qui omnia ante feciſſet, quo minus illa acciderent; omnesque propterea conditiones, quæ modo & honestæ & romporis illius essent, non solum ferre, verum etiam arripere voluisset. Denique concilii, quod nuper indictum esset, solutionem, quam si ad arma iretur necesse erat consequi, sibi minime assignari posse; orare etiam atque etiam obtestari enixius summi nostri pontificis sanctitatem, considerare etiam atque etiam quanta ex bello semel suscepto damna, atque incommoda reipublicæ christianæ impenderent, eaque ne evenirent, quod pro pace tuenda facillimum erat efficeret. Attamen cum hæc tot ac tanta pro se per supradictum illum oratorem suum egisset, monuisset, denunciasset, hortatus esset, tantum abesse ut illis omnibus, quæ summopere jure omni divino humanoque niterentur, ullo modo summus Christianorum pontifex moveretur, ut cum pacem tranquillitatemque tueri deberet, controversias, dissidia, lites, siquæ ipsis inter se principibus christianis essent, vel minuere, vel funditus tollere, ocium atque securitatem omni ratione celebrando concilio parare; Italiæ tamen funestissimum bellum concitare, quo totam mox Europam conflagrare necesse esset, nova excitare animorum dissidia, aditus ad concilium omnes præcludere maluisse videretur, eamque omnibus suspicionem inducere, istam ipsam concilii Tridentini indictionem non communis universæ ecclesiæ utilitatis gratia repetitam esse, sed factam potius conditionem cum iis, quorum privatis rationibus ac commodis illic inserviretur, nullo reclamante, nullo repugnan-

ANNO CHRISTI 1545.

te; videri certe ſummi pontificis noſtri ſanctitatem ſe excludere, ac fructu optatiſſimi concilii privare voluiſſe; id rerum initia, progreſſus, exitus conciliorum ſanctitatis ejus videri declaraſſe cum illa de cauſa, nec hoc tempore, nec hoc authore, aut bellum tam pernicioſum, tanto univerſæ reipublicæ periculo ſuſcipi, aut tanta ejuſdem, reipublicæ jactura & calamitate geri debuerit. Claros ſæpe numero & admirabili quadam animi magnitudine principes diſſimulandis gravioribus injuriis pacem retinuiſſe, eoque modo reſtinxiſſe initia communis incendii. Nunc quæſitam videri ultro & adornatam, a quo minime debuit flammæ iſtius pernitioſiſſimæ ac luctuoſiſſimæ materiam; conſtituendam fuiſſe, aut revocandam magis exemplo ſanctitatis illius, concilio ipſo jam indicto, veteris eccleſiæ ſeveriorem diſciplinam, ac ſpeciem, non labefactandam aut deformandam eam, quæ cum pauciſſimorum hominum religione nititur, tum pauciorum multo honeſtate, ac moribus agnoſcitur, nec ſpargenda chriſtianis principibus odiorum ſemina, nec obiiciendam Petri principis apoſtolorum naviculam majoribus prope fluctibus quam unquam ulla majorum noſtrorum memoria objecta ſit, nec ſe ab eo concilio, quod magnopere expediviſſet, interclusis itineribus arceri oportuiſſe. Regem perpetuo ſuo ſenſu non modo nomine chriſtianiſſimum, cujus cum tanta majorum beneficia in eccleſiam exiſtant, ipſe in communi fidei, ac religionis cauſa non hæſerit uſquam, nec offenderit, nec titubarit ullo modo, nec animo futurus ſit unquam ab eccleſiæ catholicæ rationibus alieno, ſe facere non potuiſſe, quin apud [illegible]lus ſancti atem, apud ſacrum cardinalium collegium dolorem ſuum exponeret, ac vere, & ex animo conqueretur, illudque tamen querendo tum precando poſtularet, nec alienum exiſtimaret aut ſuo, aut majorum ſuorum more quod deprecaretur quædam, hoc eſt (ut nunc loquimur) proteſtaretur ipſe quomodo quidem omnino proteſtatus eſt; ſicut ab ipſo ſibi jure permiſſum eſſe non ignorabat, videlicet ne ſibi graviſſimis bellicorum motuum difficultatibus implicato neceſſe eſſet Tridentum ad concilium mittere ſuæ ditionis epiſcopos, quippe quibus nec liber, nec tutus eo pateret acceſſus, neve ad ipſum concilium, a quo excluderetur invitiſſimus, generale, totius eccleſiæ catholicæ aut haberetur, aut appellaretur, quin potius privatum exiſtimaretur concilium, quod videretur quidem quæſitum & expetitum non reformandæ, reſtituendæque diſciplinæ, nec ſectarum comprimendarum ſtudio, ſed quibuſdam obſequendi, quorum privatæ utilitatis magis quam publicæ ratio inita eſſe videretur. Denique nec concilii hujuſmodi, eorumve decretis aut ipſe, aut populus Gallicus, aut ulli eccleſiæ Gallicæ miniſtri in poſterum tenerentur. Immo vero ſe teſtari palam, ac denunciare ad eadem ſe remedia ac præſidia deſcenſurum, ſi neceſſe videretur, quibus majores ſui Francorum reges in re conſimili, cauſaque uti conſueviſſent; nec ſibi quidquam antiquius fore ſecundum fidei, ac religionis integritatem, libertate, & incolumitate eccleſiæ Gallicanæ. Nihilominus hoc ſe profiteri tamen non hæc ita a ſe dici, quaſi aut cogitaret ullo modo, aut haberet in animo meritam, ac debitam a ſe ſanctæ apoſtolicæ ſedis obſervantiam, & obediendi conditionem, aut excludere, aut imminuere; contra operam daturum eſſe ut magis, ac magis in dies ſe dignum probaret hoc chriſtianiſſimi regis cognomine, hocque maximi eccleſiæ, & fidei protectoris elogio. Animi hujus ſui ac ſtudii propenſiones ad feliciora, melioraque tempora reſervari, cum ſcilicet hoc humano generi, ac præcipue reipublicæ chriſtianæ ſummis ipſius, ac populi totius Gallici votis Dei optimi maximi gratia tribuiſſet, ut honeſte depoſitis armis, quæ eſſent parum modeſte illata, & motiones componerentur, & hoc modo pax ipſa conveniret. Sed præterea cum ab ejus ſanctitate, tum ab ipſo ſacro collegio poſtulare, uti ne moleſte ferrent ſi ſuam ipſe profeſſionem, inſtationem, denunciationem, deprecationem in acta referri peteret, ſibique inſtrumenta his de rebus publice confici, quibus quoties aut tempora, aut res ſuæ popoſciſſent, uti poſſet ad ſuperiorum omnium fidem, ſibique, ut ad ſingula reſponderetur, rogare, ut his de rebus omnibus cæteros chriſtiani nominis principes, populos, civitates liceret certiores facere. Nunc itaque, ſanctiſſimi patres, cum votis promptum ſit, ac facile nudum chriſtianiſſimi regis animum, & explicatam, apertamque facti conciliique ſui mentem proſpicere, poteſtis etiam ſtatuere nec hunc ordinis iſtius conventum ab illo ſperni, nec authoritatem gravitatemque non magni fieri, ſed præreptam potius hujus celebrandi facultatem, quod vos ita accepturos confidit, ornatiſſimi patres, ut nec de illius religione dubitare poſſitis, nec de animi erga vos totamque eccleſiaſticam adminiſtrationem ſecus ac commodum eſt, judicare. In quo uno veſtro judicio adverſus malevolorum, & iniquorum hominum ſermones ſatis ſibi præſidii eſſe putat, ſatis adverſus ſuggillationes argumenti, ut in ſui conſcientia & recordatione officiorum ſuorum conquieſcat. Henry. Du Thier.

Reſponſio ſynodi poſt literarum lectionem.

SAcroſancta, & generalis Synodus in Spiritu S. legitime congregata intendens conſulto, & mature, ac cauſæ cognitione adhibita, & publica ſeſſione, prout vos facere eligitis; necnon ipſius negotii qualitas requirit, vobis reſpondere, monet vos ut ad audiendam & recipiendam reſponſionem hujuſmodi prima proxime futura ſeſſione, quæ erit die undecima Octobris proxime venturi coram ipſa ſynodo omnino comparere debeatis, dumque chriſtianiſſimus rex veſter in ſuis literis affirmat in civitate Tridentina adeſſe concilium, acceptat, admittitque libenter; perſonam vero veſtram pro legitima, ac omnia alia per vos dicta non admittit, niſi quatenus de jure id facere tenetur. Proteſtans nihilominus nullum inter ea ipſi ſacroſanctæ ſynodo, ac proſecu-

Ibid. pag. 227.

cutioni ipsius concilii, etiam per quæcumque per nos acta, & gesta præjudicium generari: ac interim inhibet omnibus notariis ne instrumentum istius actus vobis aut alicui tradant, nisi una cum adjectione suæ responsionis, & sui notarii subscriptione; aliter protestatur de nullitate.

ANNO CHRISTI 1545.

DECRETUM

Prorogationis 4. articulorum de Sacramento Eucharistiæ, & salvi-Conducti protestantibus dati, publicatum in tertia sessione Tridentina die 11. Octobris MDLI. sub Julio III. pontifice maximo.

EAdem sancta synodus errores omnes, qui super sanctiss. Sacramento repullularunt, tanquam vepres, ex agro dominico evellere, ac omnium fidelium saluti prospicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti pie oblatis, inter alios ad hoc Sacramentum pertinentes articulos, diligentissima veritatis catholicæ inquisitione tractatos, plurimis accuratissimisque pro rerum gravitate disputationibus habitis, cognitisque præstantissimorum theologorum sententiis, hos etiam tractabat. An necessarium sit ad salutem, & divino jure præceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum venerabile Sacramentum accipiant, & num minus sumat qui sub altera, quam qui sub utraque communicat, & an erraverit sancta mater ecclesia, laicos & non celebrantes sacerdotes, sub panis specie dumtaxat communicando, & an parvuli etiam communicandi sint. Sed quoniam ex nobilissima Germaniæ provincia, ii qui se Protestantes nominant, super his ipsis articulis, antequam diffiniantur, audiri a sancta synodo cupiunt, & eam ob causam fidem publicam ab illa postularunt, ut ipsis tuto huc venire, & in hac urbe commorari, ac libere coram synodo dicere, atque proponere quæ senserint, & postea cum libuerit recedere liceat; sancta ipsa synodus licet magno desiderio eorum adventum multos antea menses expectarit, tamen, ut pia mater quæ ingemiscit & parturit, summopere id desiderans, ac laborans, ut in iis qui Christiano nomine censentur, nulla sint schismata; sed quemadmodum eundem omnes Deum & redemptorem agnoscunt, ita idem dicant, idem credant, idem sapiant, confidens in Dei misericordia, & sperans fore, ut illi in sanctissimam & salutarem unius fidei, spei, & charitatis concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, securitatem & fidem (ut petierunt) publicam, quam *salvum-conductum* vocant, quod ad se pertinet, ejus qui infra scriptus erit tenoris dedit, atque concessit, & eorum causa diffinitionem illorum articulorum ad secundam sessionem distulit, quam ut illi commode ei interesse possint, in diem festum conversionis divi Pauli, qui erit XXV. die mensis Januarii anni sequentis, indixit. Illudque præterea statuit, ut in eadem sessione de Sacrificio Missæ agatur: propter magnam utriusque rei connexionem. Interea sessione proxima de Poenitentiæ & Extremæ-Unctionis Sacramentis tractandum. Illam autem die festo Divæ Catharinæ virginis & martyris, qui erit XXV. Novembris habendam esse decrevit, simul ut in utraque materiam reformationis prosequatur.

ANNO CHRISTI 1545.

PRÆLATI

Qui interfuerunt Sessioni III. Tridentinæ sub Julio III. pont. Max. die 11. Octob. MDLI.

Quanquam in Labbeo non deest catalogus iste patrum, mendosus est tamen adeo, ut iterum sit dandus ex actis Psalmæi.

RReverendissimus & illustrissimus D. Marcellus S. R. E. presbyter cardinal. Crescentius nuncupatus, sacri concilii legatus, & primus præsidens Romanus. Ibid. pag. 247.

R. D. Sebastianus Pighinus archiepiscopus Sipontinus, secundus præsidens, Regiensis.

R. D. Aloysius Lippomanus episcopus Veronensis, tertius præsidens, Venetus.

Cardinales.

Reverendissimus & illustrissimus D. Christophorus Madruccius, tituli Sti. Cæsarii in palatio, S. R. E. cardinalis presbyter & episcopus princepsque Tridentinus & administrator Brixiensis Germanus.

Sacri imperii principes electores.

Reverendissimus & illustrissimus D. Sebastianus Henseistein, archiepiscop. Maguntinus, Germanus.

R. & Ill. D. Joannes ab Isemburgh archiepiscopus Trevirensis, Germanus.

R. & Ill. D. Adulphus ex comitibus de Scanemburgh, archiepiscopus Colonienſis, Germanus.

Oratores Cæsaris.

Illustr. D. Hugo comes a Monfort, & Rotenfels, Germanus.

Illustr. D. Franciscus a Toleto. Hispanus.

R. D. Guillelmus a Pictavia, archidiaconus Campiniæ, Flandrus.

Oratores Ferdinandi Romanorum regis.

R. D. Paulus Gregorian. episcopus Ragubrienſis. Hungarus.

R. D. Fredericus Nanseri, episcopus Vienensis. Germanus.

Oratores electoris Brandeburgenſis.

Excell. D. Christophorus a Straſſen, J. U. Doctor, Germanus.

Mag. D. Joannes Hoffmannus, secretarius, Germanus.

Ar-

ANNO CHRISTI 1545.

Archiepiſcopi.

R. D. Salvator Salaputius, archiepiſcopus Turritanus. Sard.

R. D. Ludovicus Chiregritus, archiepiſcopus Antibarenſis. Vicentin.

R. D. Olaus, magnus archiepiſcopus Upſalenſis. Gothenſ.

R. D. Perrus Taqliania, archiepiſcopus Panormitanus. Siculus.

R. D. Petrus Gnerrero, archiepiſcopus Granatenſis. Hiſpanus.

R. D. Balthaſar de Heredia, archiepiſcopus. Calaritanus. Sard.

Epiſcopi.

R. D. Thomas Campegius, Feltrenſis. Bononienſis.

R. D. Gaſpar Joffredus epiſcopus Segrobricenſis. Valentinus.

R. D. Corolianus Marticanus, epiſcopus Sti. Marci. Neapolitanus.

R. D. Jo. Baptiſta Campegius, Majoricenſis. Bononienſis.

R. D. Becardus Bonjoannes Camerinenſis. Romanus.

R. D. Joannes Fonſcea, epiſcopus Caſtellimaris. Hiſpanus.

R. D. Joannes Salazar, epiſcopus Laucianenſis. Hiſpanus.

R. D. Balthaſar Vauſman, Miſienſis ſuffraganeus. Maguntinus Germanus.

R. D. Petrus Vagnier, epiſcopus Alagarenſis. Hiſpanus.

R. D. Hieronymus de Bononia, epiſcopus Syracuſanus. Siculus.

R. D. Richardus Patus, epiſcopus Vigornienſis. Anglus.

R. D. Eraſmus a Limpurgh, Argentinenſis Germanus.

R. Cornelius de Muſſis, Bitutinenſis. Placentinus.

R. D. Jacobus Jacobellus, Bullicaſtrenſis. Romanus.

R. D. Franciſcus Manricque, epiſcopus Aurienſis. Hiſpanus.

R. D. Franciſcus de Navarra, Pacenſis. Hiſpanus.

R. D. Joannes Jobinus, Conſtantianenſis Hiſpanus.

R. D. Petrus de Auguſtinus Oſcenſis. Hiſpanus.

R. D. Jacobus Naclautus, Olodienſis. Florentinus.

R. D. Gregorius Elarh, epiſcopus Solonen. ſuffraganeus Herbipolenſis. Germanus.

R. D. Joannes Bernardus Diaz de Luco, Calagurritanus. Hiſpanus.

R. D. Michael Puccius. epiſcopus. Elnenſis. Hiſpanus.

R. D. Michael a Turre, Serenenſis. Utinenſ.

R. D. Octavianus Preconis, Monopolitanus. Siculus.

R. D. Joannes Ferdinandi Teſmino, Legionenſis. Hiſpanus.

R. D. Chriſtophorus Roſcius, Onetenſis. Hiſpanus.

R. D. Joannes Emilianus, Tudenſis. Hiſpanus.

R. D. Antonius Codina, Laconenſis. Suffraganeus Barchinonenſis. Hiſpanus.

R. D. Martinus Aliala, Guadicenſis. Hiſpanus.

R. D. Petrus de Acuqua, Aſtoricenſis. Hiſpanus.

R. D. Nicolaus Pſeaume, epiſcopus Virdunenſis. Lotharingius.

R. D. Chriſtophorus, Conſtantienſis. Germanus.

R. D. Franciſcus Salazar, Salaminenſis, Hiſpanus.

R. D. Vincentius de Leone, Boſſanenſis. Siculus.

R. D. Ægidius Faſcararis, Mutinenſis Munenſis.

Abbates.

R. P. Gerardus de Hamerincourt, abbas Sti. Martini, Marinenſis Dioeceſis. Flandrus.

R. P. Marcus de Brixia, abbas ſancti Vitalis. de Ravenna.

R. P. Euſebius de Parma, abbas ſanctæ Mariæ Gratiar. Placentin. Dioeceſ.

Alii epiſcopi.

R. D. Laicer de Caravalla, epiſcopus Placentinus. Hiſpanus.

R. D. Franciſcus de Benavides, epiſcopus Meridonienſis. Hiſpanus.

R. D. Gerardus de Pambaldis, epiſcopus Civitatenſis. Veronenſis.

R. D. Petrus Ponz de Leon epiſcopus Cinitatenſis, Hiſpanus.

R. D. Gaſpar del Stuniga, epiſcopus Segobrienſis. Hiſpanus.

R. D. Angelus Bragadinus, epiſcopus Vicentinus. Venetus.

R. D. Alvarus Meſcoſus, epiſcopus Pampilonenſis. Hiſpanus.

R. D. Thomas de Plantanis, epiſcopus. Turienſis.

R. D. Julius Phurqius epiſcopus Neumburgenſi. Germanus.

R. D. Chriſtophorus Patavinus, generalis ordinis Heremitar. S. Auguſtini.

Doctores theologi miſſi a S. D. N.

Jacobus Lainez, Hiſpanus } Congr.
Alphouſus Fermeco, Hiſpanus } Jeſu.

Miſſi ab imperatore.

Petrus Malvenda, Hiſpanus } Clerici
Joannes Arſe Hiſpanus. } ſæculares.

Melchior Canus, ordinis Prædicatorum. Hiſpanus.

Alphonſus de Caſtro, ordinis Minorum. Hiſpanus.

Miſſi ab univerſitate Lovanienſi & ſereniſſima regina Hungariæ Maria.

Quardus Quaper, decanus & cancellarius univerſitatis Lovan. Flandrus.

Joannes Leonhardus Faſſolenſis clericus ſæcularis. Flandrus.

Fran-

ANNO CHRISTI 1545.

Franciſcus Sonnius, clericus ſæcularis. Flandrius.
Jodocus Ramenſthein, Ciletanus clericus ſæcularis Flandrus.
Joannes Valtheri ordinis Prædicatorum. Flandrus.
Joannes Mauffius, Aldernandenſis, ordinis Minorum. Flandrus.
Rogetius Juvenis, ordinis ſancti Auguſtini Flandrus.
Alexius Candidus, ordinis Carmelitarum. Flandrus.

Qui ſunt cum ſacri imperii electoribus.

Ambroſius Pelargus, ordinis Prædicatorum cum Rmo. Trevirenſi. Germanus.
Joannes Troperus Clinis cum R. Colonienſi. Germanus.
Eberardus Billicus, ordinis carmelitarum cum Rmo. Colonienſi. Germanus.
Joannes Delphicus ſæcularis clericus cum Rmo. Trevirenſi. Germanus.

Qui ſunt apud D. prælatos clerici ſæculares.

Martinus Malo, familiaris R. D. Onetenſis. Hiſpanus.
Jacobus Ferrufius cum R. D. Segrobrienſi. Hiſpanus.
Franciſcus Joro cum R. D. Granatenſi. Hiſpanus.
Martinus Claveus, procurator Rmi. cardinalis Auguſtenſis. Hiſpanus.
Melchior Voſmediano cum R. D. epiſcopo Pacenſi Hiſpanus.
Petrus Frago cum eodem R. D. Pacenſi. Hiſpanus.
Joannes Cabalius cum R. D. Aurienſi Hiſpanus.

Regulares ordinis Prædicatorum.

Reginaldus de Genua. Siculus.
Aloizius de Catavia cum R. D. Panormitano. Siculus.
Bernardinus de Colloredo cum R. D. Lenetenſi. Utinenſis.
Didacus Xanes, ſocius patris de Cano. Hiſpanus.
Deſiderius de Verona in ſancto Laurentio, ordinis Minorum de obſervantia.
Alphonſus de Contreras, ſocius patris de Ortega. Hiſpanus.
Antonius Ulla, ſocius patris de Caſtro. Hiſpanus.

Ordinis S. Auguſtini.

Marianus Feltring, prior S. Marci. Tridentinus.
Adeodatus de Senis cum Rmo. D. Panormitano.
Franciſcus cum Generali.

Ordinis Minorum Conventualium.

Sigiſmundus Feduus de dicuta D. Umber cum R. Tridentin.

Ordinis Carmelitarum.

Deſiderius de Panormi cum R. D. Boſſanenſi.

Ordinis S. Hieronymi.

Franciſcus de Viſargia cum R. D. Granatenſi. Hiſpanus.

ANNO CHRISTI 1545.

Die Jovis 28. Aprilis 1552. celebrata fuit poſtrema ſeſſio in æde Divi Vigilii, in qua poſt miſſæ celebrationem, R. D. Pighinus præſes, abſente D. Legato ob morbi gravitatem, quo interea laboravit, inchoavit ſolemnia Seſſionis, aſſiſtente illi D. Veronenſi præſidente. Deinde decretum ſuſpenſionis concilii lectum fuit a D. Senedenſi ex ambone, quod quidem placuit fere omnibus, præterquam archiepiſcopo Turritano qui maxime contradixit, prout in cedula infra ſcripta, aliiſque epiſcopis, Caſtellimaris, Laucianenſi, Pacenſi, Calagurritano, Elmenſi, Gadicenſi, Aſtoricenſi, Tudenſi, Pampilonenſi, Civitatenſi, & Segobrienſi. Ibid. pag. 324.

COPIA

Decreti ſuſpenſionis concilii in Seſſione ultima Tridentini publicati, per reverendum dominum Senedenſem.

SAcro-Sancta oecumenica & generalis ſynodus Tridentina in Spiritu Sancto legitime congregata, præſidentibus in ea reverendiſſimis D. Sebaſtiano archiepiſcopo Sipontino, & Aloyſio, epiſcopo Veronenſi, nunciis apoſtolicis, tam eorum proprio, quam Rmi. D. Marcelli, tit. Sti. Marcelli, S. R. E. cardinalis Creſcentii legati nomine, ob adverſam ejus graviſſimam valetudinem abſentis, non dubitat Chriſtianis omnibus patere, hoc concilium oecumenicum Tridentinum, primo a Paulo foel. record. convocatum & collectum fuiſſe; deinde a S. D. N. Julio III. efflagitante Carolo V. auguſtiſſimo Imperatore, ea præcipue de cauſa fuiſſe reſtitutum, ut religionem in multis orbis partibus, & præſertim in Germania, in diverſas opiniones miſerabiliter diſtractam, in ſtatum priſtinum revocaret, abuſus & mores Chriſtianorum corruptiſſimos emendaret. Cumque ad hoc agendum quamplurimi patres nulla laborum ſuorum periculorumque habita ratione, e diverſis regionibus alacriter confluxiſſent, reſque ſtrenue magno fidelium concurſu foeliciterque procederet, ac ſpes eſſet non levis, illos Germanos, qui eas novitates excitarunt, in concilium venturos, ſic animatos ut veris eccleſiæ rationibus unanimiter acquieſcerent, lux denique quædam rebus affulſiſſe videretur, caputque attollere inciperet profligata antea & afflicta reſpublica Chriſtiana; hi repente tumultus, ea bella hoſtis generis humani verſutia exarſerunt, ut concilium velut hærere, ac ſuum curſum interrumpere ſatis incommode cogeretur, ſpeſque omnis Ibid.

ulte-

ANNO CHRISTI 1545.

ulterioris progreſſus hoc in tempore tolleretur, tantumque aberat ut ſancta ſynodus Chriſtianorum maliſ & incommodis mederetur, ut multorum mentes præter animi ſui ſententiam irritaret potius quam placaret. Cum igitur ipſa ſancta ſynodus omnia, & præcipue Germaniam armis ardere & diſcordiis videret, omnes fere episcopos: Germanos, præſertim principes electores, ſuis conſultum eccleſiis e concilio abiiſſe, decrevit tantæ neceſſitati non reluctari, & ad meliora tempora reticere, ut patres, quod eis nunc agere non licet, ſuis ovibus proſpectum, ad ſuas eccleſias regredi valerent, ne diutius utrobique inutili otio conterantur. Atque ita quoniam ſic temporum conditio tulit; hujus oecumenici concilii Tridentini progreſſum per biennium ſuſpendendum fore decrevit, prout præſenti decreto ſuſpendit; ea tamen lege, ut ſi citius pacata res ſit, ac tranquillitas priſtina reſtituatur, quod ſperat Dei Opt. maximi beneficio, non longo forſan ſpatio futurum, ipſius concilii progreſſus, eodemmet tempore ſuam vim, firmitatem, vigoremque habere cenſeatur. Sin autem, quod Deus avertat, peracto biennio prædicta legitima impedimenta non fuerint ſubmota, quam primum ceſſaverint, talis ſuſpenſio eo ipſo ſublata eſſe intelligatur, ac ſuus vigor & robur concilio ſit reſtitutum, & eſſe intelligatur, ſine alia nova concilii convocatione: accedente ad hoc decretum conſenſu & authoritate ſanctitatis ſuæ & S. Sedis apoſtolicæ. Interea tamen eadem ſancta ſynodus exhortatur omnes principes Chriſtianos & omnes prælatos, ut obſervent, & reſpective quatenus ad eos ſpectat, obſervare faciant in ſuis regnis, dominiis & eccleſiis omnia & ſingula, quæ per hoc ſacrum oecumenicum concilium fuerunt hactenus ſtatuta & decreta.

Reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini reverendique patres, placentne hæc omnia vobis? omnibus placuit, exceptis ſuprarememoratis. Laus Deo.

PROTESTATIO

Oratoris regis catholici ſuper præcedentia.

Ibid. pag. 289.

DOm. Claudius Fernandes Vegil de Quignones comes Lunæ &c. Philippi Hiſpaniarum utriuſque Siciliæ, Hieruſalem &c. regis Catholici, archiducis Auſtriæ, ducis Burgundiæ, Brabantiæ, & Mediolani, & comitis Hapsburgi, Flandriæ & Tyrolis, & ad hoc ſacrum oecumenicum concilium Tridentinum orator &c. Etſi mihi ut tali Oratori, hic & alias, & in hoc conſeſſu locus debeatur, qui primus poſt imperatoris Romani oratorum ſedes eſt (quod ante omnia teſtificor ac proteſtor) verum cum hic locus, & ea cauſa de qua agitur, tempusque etiam ipſum, & reſpublica, ſit hujuſmodi, ut humanis ullis contentionibus ſanctiſſimus hic divinarum rerum, & ſalutis publicæ petendæ curſus non impediri debeat, cumque ſit maxime conſentaneum, ut qui ad juvandum, ſuſcipiendum, præſtandum hoc communis cauſæ conſilium adhiberi, ii primum ipſi diligentiſſime curent, dentque operam, ne quam a ſe afferant contentionis, diſcordiæ, ſeceſſionis, ullis hominibus vel minimam cauſam. Cum hæc ita ſint quod ad, locum ſedemque attinet, accipio quod datur, eoque in præſentia, & quo aderit commodum, utar, ita tamen, ut omnes intelligant, velle me, (id quod ſedulo prædico ac proteſtor) ne quod hæc mea moderatio & ſalutarium hujus ſacri oecumenici conventus deliberationum, a me habita ratio, præjudicium ullum, ulla ratione dignitati, majeſtati, juri principis mei Philippi regis catholici, poſterumve ejus nomine, juſtiſſimam veriſſimamque intentionem, omnibus, ut regibus loco & honore omni præferatur, & ad has & alias omnes cauſas, omnia loca, tempora, reſervatam eſſe volo, ac reſervo: ut ſemper ea jura, eamque intentionem & proſequi & tueri perinde poſſint, ac ſi hoc tempore, & hoc loco debitus mihi, ut tali, Oratori locus quem dixi datus fuerit; iiſque omnibus quæ a quovis hominum objecta huic meæ aſſervationi & proteſtationi adverſari videri poterunt, minime obſtantibus, omninoque abnegatis: quam meam proteſtationem hoc libello comprehenſam a vobis peto, patres ſanctiſſimi, ut actis hujus ſanctiſſimæ Synodi inſeri adſcribique faciatis, neque ſine ejus integro exemplo hodiernæ actionis hujus monumenta circumferri, edive cuiquam patiemini, mihique imprimis hujuſce rei exemplum teſtationemque publicis tabulis obſignatam, a reverendiſſimo ſecretario, ſcribisque veſtris jubeatis dari, patres reverendiſſimi.

RESPONSUM

Oratorum chriſtianiſſimi regis ad proteſtationem Oratoris catholici, eodem die in congregatione.

Ibid.

SI nos hodie in hac Sta. ſynodo alio loco ſederemus, quam ſemper majores noſtri, & noviſſime in concilio Conſtantienſi, & ultimo Lateranenſi, qui primi poſt imperatoris & ante omnes cæterorum regum Oratores ſederunt, ſi etiam novus hic locus, in quo nunc extra ordinem Oratorum ſedere incipit clariſſimus catholicæ majeſtatis Orator, illuſtris comes a Luna, poſſet nobis, aut aliis oratoribus eſſe damno; Vos certe, patres ſanctiſſimi, qui eccleſiam univerſalem repræſentatis, nobili veſtro officio & majorum exemplo non omnes ad antiquum ordinem revocaretis: aut ſaltem denuntiatione evangelica nobiſcum ageretis. Cum ante taceatis, neque etiam huic novitati intercedant clariſſimi Cæſareæ majeſtatis Oratores, quibus-cum cauſa noſtra non poteſt non eſſe communis: Nos qui hodie in ordine Oratorum, & proximi Cæſareæ majeſtatis Oratori, priſtinam poſſeſſionem regi noſtro conſervamus, fretique fide, amicitia, & affinitate maximi & potentiſſimi Philippi regis catholici in Carolum fratrem, pupillum, regem Chriſtianiſſimum, poſtulamus tantum a vobis, ut hodiernum dictum

& fa-

& factum illustris comitis a Luna ita interpretemini, ne quod inde præjudicium fieri possit antiquissimæ prærogativæ, & perpetuæ possessioni regis Christianissimi, idque in acta vestra referri jubeatis.

Anno Christi 1545.

Die Sabathi vigesima secunda, cardinalis Lotharingius profectus est Ferrariam, invisurus cardinalem Ferrariensem. Eodemque die a meridie pronuntiavi votum in congregatione super abusibus ordinis in medium propositis.

ANONYMI.

de inchoatione Concilii sub Pio IV. epistola.

Illustrissime & Reverendissime Domine Domine mi Colendiss.

HEri die 18. cathedræ Romanæ S. Petri, indicta est in Dei nomine solemni ritu apparatuque inchoatio sacri Concilii, prout in Congregatione habita die Jovis præterita determinatum fuerat. Mane igitur hora XV. DD. legati, & D. Cardinalis Mandrutius comitantibus prælatis processerunt ad S. Petri, ibi omnes assumptis pluvialibus ac mitris in morem sacræ pompæ ad cathedralem profecti sunt, ubi sacro peracto a Cardinale Mantuano, Regiensis archiepiscopus ex Ordine S. Francisci assumptus peroravit, demonstrans temporis hujus exigentiam postulare hoc promptum concilii præsentis remedium; quid etiam a Patribus præstandum esset ostendit, ut tam sanctum opus juvarent. Eo peracto, Cardinalis Mantuanus opem S. Spiritus precibus quibusdam recitatis imploravit, tum ipse cum legatis aliis assedit ante altare, donec Litaniæ intonarentur, quas omnes genuflexi religiose prosequuti sunt. Secundum hæc D. de Tilisio a secretis e suggestu jussu legatorum alte legit bullam de concilii celebratione a sanctitate sua dudum evulgata, tum & facultatem concessam Illustrissimis DD. præsidendi nomine legatorum sedis apostolicæ. Post hæc archiepiscopus Reginensis, qui orationem ad Patres habuerat, e manu Domini Illustrissimi Mantuani duas schedulas accepit, in quibus decreta continebantur, quæ die Jovis præcedentis in plena congregatione proposita fuerant. Utramque de suggestu legit. Prioris summa hæc erat, an placeret Patribus ad honorem Dei & exaltationem S. Sedis Apostolicæ celebrari S. Concilium, in quo pro extirpatione hæresum, & reformatione ecclesiæ, juxta bullam D. N. ea agerentur, quæ a legatis proposita fuissent. Alterius vero, ut prima sessio indici posset ad V. feriam Dominicæ II. in Quadragesima, quæ incidet in diem 26. Februarii. Postremo huic libenter assenserunt omnes; priori vero reclamatum ab Hispanis nonnullis, illis omnibus in unam sententiam convenientibus, quin & Granatensis archiepiscopus legit Secretario e schedula votum quoddam suum in formam consuetam decreti, ferens sibi haud probari unis DD. legatis res in concilio agendas, jus fore. Veruntamen cæteris omnibus, pau-

M. S. d. Vet. Ex. Il. D. tri Gra- nigo.

cis his excepris, decretum approbantibus, assurgens concilii promotor rogavit omnes patronos & notarios ut publicas conficerent tabulas omnium eorum, quæ concluſa & decreta fuerant; atque ita hora jam diei XXI. evoluta dimissa est sessio. Interfuerunt Cardinales V. cum Domino Duce Mantuæ, qui a Card. Mandrutio sedebat secundus, Patriarchæ tres, nempe Hierosolymitanus, Barbarus electus Aquilejensis, & Venetus qui in ipso processionis inchoandæ articulo supervenit, archiepiscopi XI. episcopi nonaginta, Abbates tres, Generales quatuor, & si iter paulo ocius accelerare potuisset nec defuisset episcopus Quinqueccleſiensis, quem mittit Cæsar Regni Hungariæ oratorem, cum secunda tantum hora, post hæc omnia confecta, huc pervenerit.

Capita ad levandas dissensiones inter oratores principum.

ILlustrissimi domini concilii præsidentes & legati ad obviandum difficultatibus & dissensionibus quæ oriri possent inter oratores circa eorum præcedentias, decernunt ut sequitur.

Marten. Vet. Mon. Tom. VIII. pag. 1250.

Quod in aula congregationum oratores ecclesiastici sedeant in parte dextra illustrissimorum legatorum, sicut in præcedenti congregatione sederunt. Oratores vero laici imperatoris sive alterius cujusque regis, sedeant in parte sinistra ipsorum DD. legatorum.

Dum ex ædibus illustrissimi cardinalis Mantuani itur in ecclesiam, oratores laici præcedant illustrissimos legatos & crucem immediate. Oratores autem ecclesiastici subsequantur immediate post illustrissimos legatos, ante omnes prælatos, & hoc ordine ingrediantur ecclesiam.

In celebratione missarum solemnium in ecclesia cathedrali & in sessionibus oratores ecclesiastici sedeant ubi erat tabernaculum corporis Christi prope altare majus in ecclesia S. Vigilii. Oratores vero laici sedeant e contra illustrissimos legatos.

Pax & incensum detur prius oratoribus ecclesiasticis, deinde oratoribus laicis, postmodum reverendissimis prælatis.

Dum imponitur cinis, quia prælati omnes sunt cum mitris & pluvialibus, prius accedant oratores ecclesiastici, deinde ceteri prælati, & post prædictos mitratos accedant oratores laici.

Oratores ecclesiastici si dicere voluerint eorum sententias in congregationibus & sessionibus, quia tunc loquuntur ut episcopi non ut oratores, loqui debent juxta ordinem promotionum quas fecerunt.

Deputationes super indice librorum prohibitorum.

ANtonius de Maglicio, archiepiscopus Pragensis sacræ cæsareæ majestatis orator. Ibid. pag. 1254.

Johannes Trivisanus, patriarcha Venetiarum.

Sebastianus le Cavellius, archiepiscopus Naxiensis.

ANNO CHRISTI 1545.

Ludovicus Beccatellus, archiepiscopus Raguſinus.
Julius Panctius, archiepiscopus Surrentinus.
Bartholomæus de Martyribus archiepiscopus Bracarenſis.
Thomas Caſſellius, episcopus Cavenſis.
Donatus de Cauſentiis, episcopus Arianenſis.
Ægidius Foſcleratus; episcopus Mutinenſis.
Hieronymus Vloſcus, episcopus Evetenus.
Antonius Auguſtinus episcopus Ilerdenſis.
Dominicus Bolano, episcopus Brixenſis.
Nicolaus Sfondratus, episcopus Cremonenſis.
Hieronymus Treviſanus, episcopus Veronenſis.
Urbanus Vogerius, episcopus Sennegalienſis.
Abbas Caſinenſis Euticius.
Generalis Minorum de Obſervantia.
Generalis S. Auguſtini.

Literæ ad ſanctiſſimum dominum noſtrum Pium IV. nomine illorum qui tenent reſidentiam eſſe de jure divino.

Ibid. pag. 1267.

BEatiſſime pater, poſt ſanctorum pedum oſcula, cum ſuperioribus diebus diverſæ inter patres hujus œcumenici concilii de paſtorum reſidentia opiniones extiterint, quod eam nonnulli humano tantum, alii vero divino jure præceptam eſſe contenderent; incredibili dolore animi affecti ſumus, cum accepimus non defuiſſe, qui non ſcandala & diſſenſiones alere, atque in ſanctam apoſtolicam ſedem malo animatos eſſe apud ſanctitatem veſtram inſimulant, propterea quod illam ſententiam quam veriorem putaremus, ſecuti ſumus, utque a ſancta ſynodo declararetur, pio quodam & ſincero ſtudio petierimus. Hujus autem generis crimen, cum a nobis adeo remotum ſit, ut non longius diſtet cœlum a terra, faciendum exiſtimavimus, ut ſanctitati veſtræ ad ejus ſanctiſſimos pedes humiliter jacentes, conſilii noſtri rationem nude & aperte probaremus, nedum catholicæ & ſanctæ Romanæ eccleſiæ fidem & obſervantiam profitemur, pro ejus auctoritate vitam ipſam profundere parati ſumus, tamquam iniquitatis filii merito damnemur. Nos beatiſſime pater, ſic, præcipiente ſanctitate veſtra, ad hoc ſacroſanctum concilium ea mente acceſſimus, ut afflante Spiritu ſancto, omnia noſtra ſtudia ad catholicæ eccleſiæ utilitatem conferremus, nihil præ oculis habentes, niſi gloriam Dei, cum ſedis apoſtolicæ, & ſanctitatis veſtræ auctoritate conjunctam; quare ſi cum oblata occaſio eſſet, ut de reſidentia ageretur, diximus placere nobis, ut a ſacroſancta ſynodo ſtatueretur, illam divina lege conſtitutam eſſe; id ea potiſſimum ratione fecimus, doctrina ſanctorum patrum & graviſſimorum theologorum auctoritate confirmati, ut magis reſidentia ſtabiliretur, quam uſque ad hanc diem nimis negligi a pleriſque magno eccleſiæ detrimento animadvertimus, eoque alacrius hanc ſententiam amplexi ſumus, quod idem etiam ſanctitatem veſtram ſentire multis ex patribus affirmarunt. Neceſſariam autem hanc declarationem judicavimus, quod videremus non ſine piorum offenſione, quoſdam paucis ab hinc annis eam in dubium revocaſſe, & nedum ſermonibus, ſed libris etiam in vulgus editis contrarium aſſerere veritos non fuiſſe, dubitaremuſque, uti hominum ingenia ſemper ad malum proniora ſunt, ne tam late hujus peſtis contagio ſerperet, ut eccleſiæ catholicæ majores tenebræ offunderentur. Verum ſi ex hujus capitis explicatione, quod nonnulli jactant, abſurda aliqua conſequi poſſe videantur, quæ ſedis apoſtolicæ auctoritatem imminuant; dicimus vereque affirmamus, ea nobis hactenus incognita fuiſſe, quæve illa ſint ne ſupicari quidem poſſe: quin potius exiſtimare, quo ſtabiliora eccleſiæ inſtituta appareant, eo ſummi pontificis poteſtatem illuſtriorem reddi, ad quem ſolum, cujuſvis legis declaratio & interpretatio ſpectat. Illud præterea pro ea pietate & obſervantia, qua ſanctitatem veſtram & ſanctam Romanam eccleſiam proſequuti ſemper fuimus, religioſe promittimus, & aperte profitemur, nos omnia illa, quæ inde oriri poſſent, ſcandala, cum ea conſtiterint, non ſolum deteſtaturos & reprobaturos eſſe, ſed pro viribus etiam operam daturos, ut certo & proprio decreto damnentur, ne veſtræ ſanctiſſimæ ſedis auctoritas aliqua ex parte lædatur, aut eccleſiaſticæ hierarchiæ ordo a Domino inſtitutus, nobiſque a majoribus traditus perturbetur. Cum igitur hæc ita ſe habeant, non dubitabimus ſanctitatem veſtram ſupplices obſecrare & obteſtari, primum, ut hujus controverſiæ veritatem, ad totius eccleſiæ ædificationem, ut arbitramur, maxime accommodatam illuſtrari patiatur; deinde ut ſinceram hanc noſtram mentem, qua nos Chriſti ſponſæ eam quam debemus pietatem ac fidem præſtare credamus, pro ſua clementia benigne agnoſcat, noſque ut S. R. E. filios ſervoſque obſequentiſſimos tueatur. Quod reliquum eſt, pater beatiſſime, veniam nomis ſanctitas veſtra dabit, ſi ei aliquam his lutteris moleſtiam attulimus. Nam quamvis recta conſcientia freti, longe nos ab omni ſuſpicione abeſſe exiſtimemus: tamen veriti ne qua nobis per calumniam objecta criminatio patris & domini noſtri animum offenderet, audaciores fortaſſe fuimus, quam per noſtram numilitatem nobis licebat; dominus noſter Jeſus Chriſtus, cujus vices in terris gerit, ſanctitatem veſtram diutiſſime incolumem ſanctæ catholicæ eccleſiæ conſervet.

Tridenti die VI. Junii MDLXII.

Beatitudinis veſtræ fideliſſimi & devotiſſimi ſervi.

Sebaſtianus archiepiſcopus Naxienſis.
Ludovicus archiepiscopus Raguſinus.
Muſius archiepiſcopus Jadrenſis.
Julius archiepiſcopus Surrentinus.
Auguſtinus archiepiſcopus Genuenſis.
Ludovicus episcopus Britronorienſis.
Jacobus Naolantus episcopus Clugienſis.
M. episcopus Cenetenſis.
A. Epiſcopus Nolanus.

An-

ANNO CHRISTI 1545.

Antonius episcopus Brugnatensis.
Ægidius episcopus Mutinensis.
P. episcopus Fesulanus.
Jac. M. episcopus Vivariensis.
G. episcopus Esinus.
Jacobus episcopus Groiseti.
Urbanus episcopus Senogalliensis.
Jo. Carolus episcopus Ostunensis,
Minturnus episcopus Vexentinus.
Vincentius episcopus Anconæ.
Hieronymus episcopus Beanensis.
Jo. Fabritius episcopus Acerrensis.
Hieronymus episcopus Sutrinus & Nepesinus.
Petrus Aquensis episcopus.
Jo. episcopus Massæ Lubrensis.
Federicus episcopus Bergomensis.
Hippolytus Papiæ coadjutor.
Hieronymus episcopus Sebenicensis.
Hieronymus Famagustæ coadjutor.
Antonius Maria Salviatus episcopus S. Papuli.
Espinellus episcopus Politianus.
Hieronymus episcopus Seronensis.

A tergo.

Sanctissimo ac beatissimo domino nostro Pio IV. sanctæ universalis ecclesiæ pontifici maximo.

Episcopi Hispani, quorum maxima pars ejusdem erat sententiæ circa residentiam, cujus supra scripti, has noluerunt subscribere litteras ut ceteri.

PIUS PAPA QUARTUS.

Responsum summi pontificis ad patres quosdam occasione residentiæ.

Ibid. pag. 1275.

VEnerabiles fratres S. & A. B. Fraternitatis vestræ literas pietatis & devotionis vestræ erga sanctam hanc sedem indices grato animo accepimus, in quibus literis, quod in disputatione, quæ isthic habita fuit, de pastorum residentia, mentis vestræ sinceritatem nobis esse notam & testatam voluistis: nos plane credimus, & persuasum habemus vos & cæteros quibus declarari placuit, quo jure præcipiatur pastoribus ut resideant, pro studio commotos fuisse, & omnes vos dixisse quod sua quemque monuerit conscientia. Nec vero nos hi sumus qui offendamur libertate cujusquam: concilium enim plane liberum esse volumus, & suæ quemque religioni ac conscientiæ consulere & satisfacere debere censemus atque etiam hortamur. Illud tantum desideramus, ut offensionibus & scandalis, quæ ex discordia & pertinaci dissentione oriri possent, aditus præcludatur, sicut pro vestra prudentia vos quoque faciendum esse intelligitis; cum hæretici perattente quid in concilio agatur speculentur & diligenter observent; quibus nullam dari ansam oportet obtrectandi, & sacræ synodi auctoritatem elevandi, si ipsum concilium inter se divisum esse videatur. Quare eam moderationem ab omnibus cupimus adhiberi, ut cum ingenue atque aperte dixerit quisquam quid de re proposita sentiat, tum ea quæ decernenda visa fuerint, remoto contentionis studio, ea qua decet consensione atque concordia statuantur. Qua de re quamplurima loquuti sumus cum venerabili fratre Leonardo archiepiscopo Lancianensi, quæ fraternitatibus vestris referet. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo piscatoris die prima Julii MDLXII. pontificatus nostri anno tertio.

Antonius Horebellus Cavellinus.

A tergo.

Venerabilibus fratribus Naxiensi, Ragusino, Jadrensi, Surrentino, & Januensi archiepiscopis, ac Britonoriensi, Clugiensi, Cenetensi, Nolano, Brugnatensi, Mutinensi, Fesulano, Vivariensi, Exino, Grossetano, Senogalliensi, Ostuniensi, Voxentino, Anconitano, Theanensi, Acerrensi, Sutrino, Aquensi, Massæ Lubiensi, Bergamensi, Siclinensi, Sancti Papuli Politiano & Veronensi episcopis, Papiæ & Famagustæ episcoporum coadjutoribus in Tridentino concilio constitutis.

Patres deputati ad conficiendum canones & doctrinam de sacrificio missæ.

ARchiepiscopus Granatensis, Hispanus.
Archiepiscopus Lancianensis, Genuensis. Ibid. pag. 1281.
Episcopus Lectoratensis, Cosentinus.
Episcopus Interamnensis, Neapolitanus.
Episcopus Senensis, Portugallensis.
Episcopus Vaurensis, Gallus.
Episcopus Almeriensis, Hispanus.
Episcopus Veronensis, Venetus.
Generalis Fratrum Minorum Observantiæ, Hispanus.

Et possunt uti opera & studio theologorum quos magis voluerint. Deputarunt quoque infra scriptos, ut colligant quæ vitanda, & quæ non erunt in sacrificio missæ.

Deputati ad colligendos abusus de sacrificio missæ.

Archiepiscopus Ragusinus, Bononiensis.
Archiepiscopus Surrentinus, Brixiensis.
Episcopus Senogallensis, Genuensis.
Episcopus Laventinus, Germanus.
Episcopus Limisinensis, Florentinus.
Episcopus Tortosæ, Hispanus.
Episcopus Tinimensis, Hungarus.

Quibus rebus expletis & sic statuis, dimissa est congregatio.

Dogmata tradita patribus consideranda.

CUm omnia quomodocumque in finem concilii properent, cumque multa adhuc superfint, quæ omnino necesse esset expedire; visum est illustrissimis dominis legatis aliqua dogmata aliquibus reverendissimis patribus & reverendis theologis tradere, ut illorum abusus considerantes, decreta conficiant in congregatione ante sessionem, reverendissimis patribus ostendenda & transigenda, ac ejusmodi forma utendo, ut brevius & facilius ad finem perveniatur: atque ita per classes negotium hoc partiti sunt, concedendo reverendissimis patribus deputatis Ibid. pag. 1415.

tatis totidem reverendos theologos, videlicet.

ANNO CHRISTI 1545.

De purgatorio.

Clodienſis	
Legonienſis.	Doctor Soliſius.
Senogallienſis.	Decanus Lovanienſis.
Hiprenſis.	Doctor Cornelius.
Abbas Longevillæ.	Doctor Tricius

De imaginibus.

Lancianenſis.	Salmeronus.
Camerinus	Magiſter *Suppre.*
Aurienſis.	Frater Franciſcus Forerius.
Atrebatenſis.	Secundus theologus Lovanienſis.
Terviſinus.	Doctor *Zumel.*

De indulgentiis.

Bracharenſis.	Magiſter Adrianus.
Mutinenſis.	Magiſter Vigor.
Veſtanus.	Doctor Paira.
Namurcenſis vel ejus loco Argolicenſis.	Ultimus doctor Lovanienſis.
Ilerdenſis.	*Rhomiſer.*

Atque ita quoridie proceditur domi illuſtriſſimi præſidentis, ubi ad hoc conveniunt illuſtriſſimi DD. legati cardinales de Loreno & Madruccius, reverendiſſimi deputati, necnon quamplurimi patres & theologi.

Proteſtatio patrum inferius ſubſcribentium contra decretum ſuſpenſionis ad biennium concilii Tridentini, lecta in dicta ſeſſione per reverendiſſimum D. Salvatorem archiepiſcopum Turritanum.

Ibid. pag. 1421.

CUm hoc ſacrum œcumenicum concilium ante tot annos a toto chriſtiano orbe denderatum, tantis laboribus procuratum, tandem Tridenti ad exſtirpandas hæreſes, tollenda ſchiſmata, reformandos mores, pacemque inter Chriſtianos principes componendam fuerit convocatum, neque poſt ejus convocationem fuerit adhuc ſatisfactum, nedum omnibus, ſed nec plane alicui ex cauſis, propter quas convocatum eſt, præſertim reformationi neceſſariæ abuſuum, unde mala omnia quibus vexatur eccleſia exorta eſſe & confoveri apertum eſt; nos infraſcripti archiepiſcopus & epiſcopi, noſtrarum conſcientiarum teſtimoniis compulſi, huic decreto ſuſpenſionis concilii cum omnibus in eo contentis circumſtantiis & conditionibus; tam quoad ſubſtantiam ejus, quam quoad formam contradicere decrevimus, prout de præſenti contradicimus & repugnamus; tum quia cauſæ ſuſpendendi quæ in eo aſſignantur, bella ſcilicet & Germaniæ tumultus, quos brevi ſedatos iri ac componi, vel in ipſo decreto ſperari dicitur, non uſque adeo videntur urgere, ut ſit propter eas ita a concilii proſequutione ceſſandum, ſaltem in his quæ ad reformationem attinent: quin immo ad ſedandas principum diſcordias aptiſſima viſa eſt concilii convocatio, ſubindeque proſequutio & continuatio: tum etiam quia dicta ſuſpenſio magis diſſolutionis, quam juſtæ, moderatæ aut neceſſariæ * ſuppreſſionis ſpeciem præ ſe ferre videtur. Neque enim etſi ceteræ difficultates deerint, quas timere nos docuit experientia, tam celebris prælatorum conventus ex tam diverſis remoriſque provinciis haberi facile poterit, nec deerunt impugnatoribus catholicæ eccleſiæ occaſiones & rationes ad cienda alendaque bella atque diſcordias, quibus hujus concilii, cujus nomen apud eos eſt tam odioſum, reaſſumtionem impediant, ac ludificentur; quod nunc eos conari variiſque rationibus tentare videmus, ſi præſertim viderint conatus hujuſmodi proſpere eis cedere, noſque eo adegiſſe, ut ab incœpto opere ceſſaverimus. Præterea deterret nos ingens ſcandalum, certaque hæreſum prope confirmatio, quam ex tali & tam diuturna ſuſpenſione, nedum ipſis eccleſiæ adverſariis, ſed & catholicorum pleriſque orituram eſſe manifeſtum eſt, cum Dominica caſtra publicamque cauſam deſerere non alia ratione magis quam perſecutionum metu, laborum impatientia, & quod pejus eſt, cauſæ ipſius & divini auxilii deſperatione opinabuntur, cum tamen in tuto loco ab omni bellica injuria remoto ſediſſe nos viderint, uti alias cum non miſi nus periculoſa bella gererentur, nihilominus ipſa ſynodus fiducialiter in divino hoc opere perſeveraverit, quod profecto inficiari nec nos ipſi poſſumus, immo & contradicimus, & quantum poſſumus abſolute repugnamus. Ne tamen omni concilio non conſentiendi rationem quærere videamur, neve abhorrere credamur a ſuavi rerum diſpoſitione, cum & nos difficultatis temporum receſſuſque prælatorum Germanicæ nationis rationem aliquam habendam eſſe non improbemus penitus, ut ſequens viam quam hactenus tenuit atque ſervavit hæc ſancta ſynodus, ſeſſionem ad proximas calendas Maii indictam, ad moderatum aliquem terminum proroget, diemque declaret, qui ipſe ita pro homine interpellet, ut alia convocatio, declaratio aut intimatio minime ſit expectanda, quominus ad hunc locum concilii omnes prælati convenire & poſſint & teneantur: addentes nihilominus, quod ſi infra dictum declarandum terminum prædicta impedimenta ceſſaverint, curet ſanctitas ſua prælatos omnes ad proſecutionem concilii revocare, quos interim ad proprias eccleſias remeare, ſi libeat, licebit. Ultima vero decreti verba, quibus commendatur decretorum hujus ſanctæ ſynodi obſervatio, placerent utique, ſi abſque his verbis, *quatenus ad eas de jure ſpectat*, publicetur; quæ litium occaſio eſſe videntur & ſeminarium. Quæ quidem omnia ita & non aliter fieri petimus, & proteſtamur quod ſi ſecus fiat, nullum nobis, nec ſanctæ ſynodo præjudicium fieri quovis tempore, tam propter hujus decreti ſuſpenſionis publicationem, quam ob quemcumque alium actum factum vel faciendum, attentatum vel attentandum per quaſcumque perſonas contra hujus œcumenici concilii auctoritatem & poteſtatem, conciliorumque œcumenicorum omnium. Petimus inſuper a ſynodi hujus notario, ut hanc noſtram ſchedulam contradictionis, atteſtationis ac proteſtationis inter acta ſyno-

ANNO CHRISTI 1545.

*f. ſu ſpenſio

ANNO CHRISTI 1545.

nodi, una cum hoc decreto inſerat; indeque ipſe vel alii nobis unum vel plura authentica inſtrumenta exhibeant.

Prælati qui contradixerunt decreto ſuſpenſionis concilii fuerunt iſti.

Reverendiſſimi D. Salvator Alexius Salparus, archiepiſcopus Turritanus, Hiſpanus.

D. Johannes *Sallazar* epiſcopus Lancianenſis Hiſpanus.

D. Alvarus *della Quadra* epiſcopus Venuſinus, Hiſpanus.

D. epiſcopus Tundenſis.

D. Petrus Acuna & Avellanea epiſcopus Aſtoricenſis, Hiſpanus.

D. epiſcopus Civitatenſis.

D. Johannes Fonſeca epiſcopus Caſtellimaris, Hiſpanus.

D. Franciſcus de Navara epiſcopus Pacenſis, Hiſpanus.

D. Michael *Puch* epiſcopus Elnenſis Hiſpanus.

D. epiſcopus Gadixenſis.

D. epiſcopus Pampilonenſis.

D. Johannes *Diaz* epiſcopus Calagurita-nus contradixit ſimpliciter ſuſpenſioni, nulla facta diſtinctione inter ſuſpenſionem vel prorogationem concilii &c.

PII QUARTI PONT. MAX.

Oratio poſt abſolutum concilium Tridentinum in Conſiſtorio. Julio Pogiano auctore.

ex MS. Cond. apud P. Hieron. Lagomarinum Soc. Jeſu

VEre hæc dies aliam vitam affert, fratres, alios mores poſtulat. Eſt enim Tridentini concilii auctoritate correcta, quæ corruptiſſima erat, morum diſciplina, præſcriptaque, præcipue eccleſiaſticis hominibus, vivendi ratio, ut, qui eam perſonam ſuſceperint, facile videant, ſibi eſſe neceſſitatem impoſitam colendæ ejus vitæ, quam ſalutaribus decretis divinitus expreſſam intelligunt. Qua in re, quemadmodum apud vos proxime fecimus, primum Deo gratias agimus immortales, cujus benignitate Tridentino concilio, celeberrimo & maximo, felix & optabilis exitus contigit: deinde Ferdinando imperatori laudem tribuimus Chriſtianæ pietatis, & in nos ſtudii ſingularis; cujus ſepta præſidio, ac pondere Tridentina ſynodus ſuam auctoritatem amplitudinemque liberam & incolumem conſervavit. Nec vero non hujus officii teſtimonium reliquis regibus catholiciſque principibus libenter impertimus. Laudamus etiam magna animi voluptate legatos noſtros propter vigilantiam ac prudentiam, fortemque difficillimis & rebus, & temporibus, & conſtantem animum, nullo loco deſideratum in tuenda ſedis apoſtolicæ dignitate. Denique reliquorum patrum fidem, religionem ac liberæ ſententiæ perſeverantiam agnoſcimus ac probamus; qui laborem diligentiamque omnem ad tollendas hæreſes pravaſque conſuetudines ejiciendas contulerunt. Quibus quidem patribus magnam quoque noſtro nomine gratiam habemus, quod in moribus emendandis, corrigendaque vitæ diſciplina adeo ſe præbuerunt moderatos in nos & indulgentes, ut, ſi nobis ipſis illam curam ad noſtrum arbitrium revocare, nec patrum judicio integram relinquere placuiſſet, omnino adhibiturî fuerimus plus animadverſionis. Cum igitur hæc ſalutariter conſtituta ſint, certum ac fixum eſt nobis efficere, ut ſervatis ſacri concilii decretis, illa diſciplinæ ratio in mores inducatur. Quod iis, ſi qui malam de nobis opinionem imbiberunt, illum eripiet errorem, qui, neſcio unde ortus, multorum animos occupavit, futurum, ut, quod ad reformationem attinet, primi nos tamquam concilii clauſtra perfringamus. Itaque patrum ea in re vel moderationem, vel certa aliqua ratione adhibitam diligentiam, ſi res tulerit, corrigemus ipſi, & tamquam cognitioni ac judicio noſtro reſervatam ſupplebimus: tantum abeſt, ut remiſſum de ea aliquid vel detractum velimus. Et quidem Moronum cardinalem, conſilii vi, animique magnitudine præſtantem, Tridentinarum actionum, quibus cum laude & interfuit & præfuit, peritiſſimum, jubemus curare ac videre diligenter, ne quid concilii decretis vel adverſarium vel alienum in ſenatu agatur, aut privatim nobiſcum per miniſtros noſtros ulla ratione tentetur. Quas item partes eſſe volumus collegæ ejus Simonettæ cardinalis, cujus in Tridentina legatione fides & induſtria, perpetuaque S. ſedis propugnatio celebratur, acute odorandi videndique, datario adhibito, nequid ejuſmodi poſtuletur a nobis, quod, per ſummas occupationes noſtras non ſatis animadverſum, ac propterea etiam fortaſſe conceſſum, habere poſſit invidiam & offenſionem apud eos, qui vel non norunt noſtri animi ſenſus, vel omnia male interpretantur. Omnino ſumma conſilii noſtri ſpectat huc, ut Tridentino concilio pontificiam auctoritatem adjungamus, cujus acta, decreta, rata & firma ſunto ſic, ut eorum jus nullius vi aut gratia violetur. Quod ſi, ut rerum uſus fert, & vita hominum, certa aliqua utilitas aut ratio poſtularit, ut a concilii ſententia diſcedatur, numquam tamen illi tempori, venerabiles fratres, niſi de veſtra ſententia conſulemus. Quo loco (ſic) *nihil* commoveri cogimur, eximii in ſingulos vos amoris noſtri conſcientia, ſummique judicii, quod de univerſo ordine ſemper fecimus; cui paterno fraternoque animo noſtro quam malam gratiam referant quidam, dolenter ſane, ſed tamen, ſanandi cauſa præproperam nefariamque cupiditatem, vobiſcum neceſſario conqueremur. Non deſunt, qui viventibus nobis, aperte ambientes, & pontificatum, quem jam diu ſpe devorarunt, tentantes omni conditione pecuniæ, ne minimam quidem vitæ noſtræ moram ferre poſſe videantur. Nimis properas, Marcelle; non potes hujus corpuſculi ac pene cadaveris exitum expectare: non te diutius morabitur; jam tolletur hoc impedimentum; jam jam hac oculorum, et animi moleſtia liberabere. Sed iſti, niſi totam & pontificatus & ſalutis viam ignorarent, quem honorem malis artibus & pecunia tentant, eum vitæ integritate & innocentia quærerent. Hoc eſt apertum ac directum iter cardinali digniſſimum, quod

ANNO CHRISTI 1545.

ANNO CHRISTI 1545.

quod omnes votis ac benevolentia prosequuntur. Contra clandestinum illud atque transversum, inane & omnium odio maledictisque propositum est. Quid vero est magis omnium sermone jactatum; quam ab istis menstruo stipendio tentatos esse nonnullorum vestri ordinis animos, ut eorum mercenariis sententiis suffragiisque ad novi pontificis creationem abuterentur? magna argenti atque auri vi, majori spe ac promissis alios quotidie sollicitari ab istis, qui pecuniam sibi *quamquam* ratione conciliantes, quantamque maximam possunt, auferentes undique, & de omni re conficientes, profusis largitionibus suffragia corrumpunt? Quos nisi obcæcaret & furentes ageret ambitio, prospicerent illorum celerem ac *principem* destitutionem, quorum sententias pretio mercari student; nihil enim est mercenaria voluntate fallacius, nihil mobilius. Rem indignam atque scelestam, fratres! sed illud indignius ac scelestius, quod adeo effrenato ac præcipiti furore rapiuntur, ut aperta vi, aperta, inquam, vi, si ulla ex omni memoria atrocior res audita est, occupare pontificatum, ac ferro, quoniam auri subsidium tardius est, in pontificiam sedem irruere conantur. Verum inauditam rei atrocitatem, in qua invictissima versatur oratio nostra, omittamus, tantumque moneamus eos, qui hæc moliuntur, ut mentem mutent, pecuniæque & armorum, si quam in illis spem posuerunt, obliviscantur, potiusque se nostra mansuetudine dignos præbeant, quam nos justo dolori servire cogant. Nam & veteri jure pontificum maximorum, & sanctæ memoriæ Pauli quarti pontificis edicto, in nefarii sceleris affines, nisi ad sanitatem redierint, animadvertere, ejusmodique monstra, expleto ordine amplissimo, tollere necesse habebimus. Quod vero pontificatus initio quibusdam cardinalibus dedimus provincias, quibus ad biennium legationis nomine præessent, eas illi quadriennium obtinuerunt, cogimur aliquando illo subsidio multas magnasque difficultates sublevare. Nam & tenuiores cardinales, quo dignitatis gradum tueri possint, sunt adjuvandi, & providendum ærarii angustiis, quod exhausimus continentibus quadriennii prope infinitis sumptibus, dum Gallos præsidio & pecunia juvamus pro religione dimicantes, dum Avenionem agrumque ejus ab hæreticorum obsidione & vastatione defendimus, dum subvenimus Helvetiis, dum in urbem provinciasque nostras rerum omnium copiam introducimus, dum portus reficimus, urbem communimus, portas, mœnia, arces, propugnacula exstruimus, ædes sacras ædificamus, aliasque impensas facimus in res publico usui ac splendori necessarias. Quare non modo æquis, sed etiam libentibus illis cardinalibus speramus, illo adjumento provinciarum tot publicis consulturos incommodis, præsertim cum ipsi etiam affines nostri cardinales sint de suis provinciis discessuri. Volumus autem ipsi obire provincias, coramque provincialium hominum postulata cognoscere, ut, qua lætitia videndi Principem domi suæ post Paulum III. Pontificem maximum ad hanc diem caruerunt, ea nostra præsentia perfruantur. Sed quia decretum est consilio Tridentino, ut in suo episcopatu commorentur episcopi quod nos jamdiu veheementer optavimus, cum videremus hanc initio occasionem lupos habuisse ovilis invadendi pastorum absentiam, ut gregem, mercenario custode, crudeliter misereque diriperent, jubemus, eos primo quoque tempore in suos episcopatus proficiscentes, parere concilio. Quare, quos apud se cardinales habent, statim dimittant, quo eos & nostra vocat auctoritas, & compellit sacrosancti concilii lex, & episcopalis officii cura, commissique gregis tempora flagitant. Itaque tollimus omnes exceptiones, omnem præcidimus omnibus spem in urbe adhærescendi. Quin ipsi nullum patiemur episcopum negotii nostri causa, vel munere urbanæ administrationis implicari; pro quibus prothonotarios adhibere, & eorum opera ad illud officii munus uti volumus. Nec tamen nolumus ipsis esse consultum episcopis. Nam, qui episcopatibus cardinales ita cesserunt, ut & fructus & administrationem eorum retinuerint, *restituentur* administrandi jus illis, quibus deberi censemus, & ita cum ipsis vectigalia partientur, ut æque sit utraque pro dignitate prospectum. Placet etiam nobis, quod a Tridentino concilio divinitus decretum est, ut Romæ ac Bononiæ seminaria instituantur ecclesiasticæ disciplinæ; ubi alantur, & iis moribus atque artibus informentur pueri, ut inde soboles existat & copia bonorum ecclesiæ ministrorum. Concilii autem decreta principes ipsi amplectimur & colimus, ut exemplo & instituto nostro commoti omnes, illa necessario servanda, nullamque sibi relictam causam existiment a concilii auctoritate discedendi. Quam cum ipsi nobis hujus officii necessitatem imponimus, non tam quid potestas nostra postulet meminimus, quam quid mansuetudo requirat, ac modestia, cogitamus. Præclarum est enim, legibus solutum principem vivere ex legibus. Sed, ut tota hæc concilii ratio quam optime via atque ordine procedat, cardinalibus legatis Cicadam, Vitellium ac Borromeum adjungimus, ut omnem complectantur cogitationem confirmationis concilii decretorum, & quomodo vulgo præceptorum formularum consuetudo capi possit, animadvertant. Tum, ne quibus auctoritatis nostræ pondus accesserit, ea quisquam violare audeat. Extremum illud erit in oratione nostra, ut, quorum hæreses, si quis rei initium diligenter consideret, ex illa causa magna ex parte profectæ sunt, quod episcopalis honor iis plerunque datus est, quorum aut malitia aut nequitia fuit insignis, uti posthac ad eum dignitatis gradum provehantur viri, illo amplissimo munere digni. Quare damus negotium trium ordinum principibus cardinalibus, qui una cum relatore diligenter cognoscant de vita, moribus ac doctrina eorum, quibus mandandus sit episcopatus, & ut de iis omnino referatur, quia eam personam substinere possint, cujus & verbo et exemplo salutaris cibus gregi benigne præbeatur, qui sit, illorum fidei prudentiæque commissus: et ut

deni-

ANNO CHRISTI 1549. denique tales nominentur in hac paſtoralis officii difficillima ratione, qui non, ut ſæpe antea, ſacri honoris ornamenta turpare, ſed epiſcopalem ſplendotem luce animi & ingenii illuſtrare poſſe videantur. ANNO CHRISTI 1549.

CONCILIUM PROVINCIALE

Cleri Scoticani habitum Edinburgi anno Domini 1549.

Extat apud Wilkins. to. IV. pag. 46. Ex MS. Bibl. regiæ Paris. n 3887. codd. Baluzian. n. 38.

ADmonuit nos ſalubriter divus Paulus, ut, qui ipſius & cæterorum apoſtolorum vices gerere dignoſcimur, huic nosmetipſos præcepto quamprimum accommodare nitamur. Attendite, inquit, vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit epiſcopos, regere eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Quocirca præſens hujuſce regni ordinariorum prælatorum, aliorum eccleſiaſticorum & cleri conventio in Spiritu Sancto congregata conformiter apoſtolico huic præcepto, ad Dei gloriam, eccleſiaſtici ſtatus tranquillitatem reſarciendam, ac integritatem conſervandam, intente animadvertens quamplurimas hæreſes in greges dominicos paſtoralibus eorum curis commiſſos crudeliter graſſari, volenſque easdem ab ipſis velut radicibus funditus extirpare, prudentis medici exemplo agendum fore decrevit, ut primum ſtudioſa meditatione, tantorum malorum, quibus eccleſiaſtici mores pridem corrupti ſunt, anſas & occaſiones indagandas curet; deinde ut de opportunis remediis illis cogitet & provideat; cumque duæ potiſſimum malorum cauſæ & radices appareant, quæ tantas nobis turbas hæreſumque occaſiones excitavere, nimirum in perſonis eccleſiaſticis omnium fere graduum morum corruptela ac vitæ profana obſcoenitas, tum bonarum literarum artiumque omnium graſſa inſcitia; atque ex his præſertim duobus capitibus multi abuſus oriuntur: hæc ſancta ſynodus ac provinciale concilium hiſce malis quoad pro temporum occaſione liceat, remedia & modum ponere ſtatuit. Ad laudem igitur & gloriam omnipotentis, morum in eccleſia Scoticana reformationem, & hæreſum extirpationem die mercurii menſis Novembris A. D. 1549. in templo fratrum prædicatorum Edinburgen S. Andreæ dioece. habita & facta fuit conventio reverendiſſimi & reverendorum venerabiliumque in Chriſto patrum & dominorum ordinariorum, prælatorum, aliorumque ſpectabilium et eximiorum virorum eccleſiaſticorum, & de clero infra ſcriptorum generalem hujus regni conventionem & concilium provinciale archiepiſcoporum & epiſcoporum, ordinariorum, prælatorum & aliorum eccleſiaſticorum & de clero pro tempore facientium & repræſentantium, venerabili in Chriſto patre et domino Johanne S. Andreæ archiepiſcopo, totius regni Scotiæ primate, legato nato, et monaſterii a Paſſeto abbate concilium indicente & præſidente.

Epiſcopi ſequuntur.

Willelmus Aberdonenſis. Patricius Moravienſis commendatarius a Scona. Andreas Candidæ Caſæ et capellæ regiæ Striviligenſis. Willelmus Dunblanenſis. Robertus Orchadenſis commendatarius a Kinlos. Willelmus electus Leſmorenſis confirmatus.

Vicarii generales ſedium vacantium.

Magiſter Gavinus Hamylton, eccleſiæ metropolitanæ Glaſguenſis decanus, et ejusdem ſede vacante vicarius generalis. Magiſter Jacobus Herven, decanus Dunkeldenſis, & ejusdem ſede vacante vicarius generalis.

Abbates, priores & commendatarii.

Jacobus prioratus eccleſiæ primatialis S. Andreæ commendatarius.

Jacobus a Kalco et Melros commendatarius.

Georgius a Dunfermlyng commendatarius archidiaconus S. And. primatialis.

Malcolmus prior de Quhithorne.

Donaldus abbas a Cupro.

Quintinus abbas monaſterii Crucis regalis.

Gualterius abbas Vallis Lucis.

Alexander prior Pluschardenſis.

Willelmus commendatarius de Culros.

Jacobus abbas de Newbottle.

Adam abbas de Dundrayman.

..... abbas de Dery.

Johannes prior de Mungſter.

Doctores in theologia licentiati, & bacalaurei.

Magiſter Petrus Sacellarius, collegii S. Salvatoris infra civitatem S. Andreæ canonicus et præpoſitus ejusdem coadjutor, doctor theologus.

M. Johannes Gryſon ſacrarum literarum profeſſor.

M. Johannes Wynrame, eccleſiæ metropoli primatialis S. Andreæ canonicus regularis, et ſuperior, theologiæ doctor.

F. Richardus Marſuell Anglus, divinarum literarum profeſſor.

F. Robertus Leeche, ordinis prædicatorum in theologia licentiatus.

M. Willelmus Cranſton, præpoſitus de Scypuy in theologia licentiatus.

M. Alexander Anderſone, collegii Aberdonenſis univerſitatis ſupprimarius in theol licent.

M. Alexander Dick, ſacrarum literarum bacalaureus.

M. Johannes Mary, decanus facultatis theologicæ univerſitatis S. Andreæ, et Martinus Balfour, doctores in theologia, annoſi, grandaevi, et debiles comparuerunt per procuratores. *Or-*

ANNO CHRISTI 1549.

Ordines prædicatorum.

Johannes Gerſovin provincialis.
F. Robertus Leche.
F. Andreas Abercromby.

Ordinis minorum de obſervantia.

F. Johannes Paterſon, miniſter generalis.
F. Andreas Cotis, guardianus dicti ordinis apud S. Andream.
F. Jacbous Wincheſter, guardianus apud Perth.
F. Johannes Scott.

Ordines conventualium: ordines S. Auguſtini; ordines SS. Trinitatis de redemptione captivorum: ordines Carmelitarum.

M. Johannes Spittel, præpoſitus beatæ Mariæ de Campis, officialis S. Andreæ principalis ac rector univerſitatis S. Andreæ.
M. Abraham Weichtoun, præpoſitus de Dunglas officialis S. Andreæ infra archiepiſcopi .....
M. Jacobus Hamyltone, decanus Brichinenſis.
M. Johannes Sinclare, decanus a Reſtalrig.
M. Gregorius Hay, decanus de Dunbar
M. Willelmus Lamb, rector a Coreis.
M. Johannes Thornton, præcentor Moravienſis.
M. Johannes Stevenſon, præcentor Glaſguenſis.
D. Georgius Cryghton, præpoſitus SS. Trinitatis prope Edinburgum.
M. Patricius Myrtoune, archidiac. Aberdonenſis.
M. Alexander Erskyne, ſubdecanus & officialis Dunkeldenſis.
M. Archibaldus Boyne, præpoſitus de Dalzeil.
M. Alexander Ferret, præpoſitus de Fidolis.
M. Johannes Maccale, archidiac. Leſmorenſis.
M. Arthurus Telzefere, canonicus Aberdonenſis.
D. Nicolaus Roch, præpoſitus de Taynes.
D. Andreas Dickſone, canonicus Dunkeldenſis.
D. Hugo Curroye, commendatarius de Strathphillan.
D. Andreas David, eruditus & ſtudioſus in theologia.
M. Johannes Macquin, divinarum ſcripturarum interpres.
D. Robertus Leddal, ſupprior de Melros ordinis Ciſtercienſis.

Secretarius & notarius in concilio Andreas Eliphantus.

Qui omnes convenientes, miſſa primitus ſolenni ibidem in dicto templo fratrum prædicatorum Edinburgen. de mandato reverendiſſimi domini archiepiſcopi, primatis, legati nati; præſidentis, pro divina gratia ſundenda, felicique incremento & ſucceſſu rerum gerendarum in præſenti concilio ſeu ſynodo cantata & finita, ſimul unanimiter egredientes, ſe in aulam ſeu ſecretarium refectionis dictorum fratrum contulerunt, & ibidem omnibus in ſuo ordine ſedentibus, & excluſis excludendis, habita fuit concio per .... eruditiſſimum in ſacris licentiatum.

ANNO CHRISTI 1549.

Sequuntur acta ordinata in præſenti concilio, & inprimis circa reformationem morum.

1. *De incontinentia eccleſiarum.*

HÆc præſentis ſynodus provide attendens quam conſtet ex clericorum incontinentia graviſſima eccleſiæ ſcandala eſſe exorta, proinde pro hujuſmodi macula repurganda ſtatuit decretum illud concilii Baſileenſis de concubinariis, ſeſſione viceſima adunguem obſervandum, & executioni demandandum, cujus decreti tenor ſequitur in hæc verba. Sacroſancta ſynodus generalis Baſileenſis in Spiritu ſancto legitime congregata univerſalem eccleſiam repræſentans ad perpetuam rei memoriam ſtatuit, ut quicunque clericus cujuſcunque ſtatus, conditionis, religionis, dignitatis etiamſi pontificalis, vel alterius præminentiæ exiſtat, qui poſt hujus conſtitutionis notitiam quam habere præſumatur, per duos menſes poſt publicationem ejuſdem, in eccleſiis cathedralibus, quam ipſi diœceſani omnino facere teneantur, poſtquam eadem conſtitutio ad eorum notitiam pervenerit, publicus fuerit concubinarius, a perceptione fructuum omnium beneficiorum ſuorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus ſuperior in fabricam vel aliam evidentem eccleſiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur convertat, necnon & hujuſmodi publicum concubinarium, ut primum eſſe talem innotuerit, mox ſuus ſuperior teneatur monere, ut intra breviſſimum terminum concubinam dimittat, quam ſi non dimiſerit, vel dimiſſam aut aliam publice reſumpſerit, jubet hæc ſancta ſynodus, ut ipſum omnibus ſuis beneficiis omnino privet, & nihilominus hi publici concubinarii, uſquequo cum eis per ſuos ſuperiores poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem, manifeſtamque vitæ emendationem fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quarumcunque dignitatum, beneficiorum vel officiorum ſint inhabiles; qui ſi poſt diſpenſationem recidivo vomitu ad hujuſmodi concubinatum publicum redierint, ſine ſpe alicujus diſpenſationis, ad prædicta prorſus inhabiles exiſtant. Quod ſi hi ad quos talium correctio pertinet, eos, ut prædictum eſt, neglexerint punire, eorum ſuperiores tam in ipſos de neglectu, quam in illos de concubinatu modis omnibus digna punitione animadvertant. In Conciliis etiam provincialibus & ſynodalibus adverſus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos per ſuſpenſionem a collatione beneficiorum vel alia condigna pœna ſeveriter procedatur. Et ſi hi, quorum deſtitutio ad ſummum pon-

ANNO CHRISTI 1549.

pontificem spectat, per provincialia concilia, aut suos superiores propter publicum concubinatum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis ipsi summo pontifici deferantur. Eaque diligentia & inquisitio in quibuscunque capitulis generalibus & provincialibus quoad suos servetur, pœnis aliis, contra prædictos & alios non publicos concubinarios statutis, in suo robore permansuris; publici autem intelligendi sunt, non solum hi, quorum concubinatus per sententiam aut confessionem in jure factam, sed per rei evidentiam, quæ nulla possit tergiversatione celari, notorius est, & qui mulierem de incontinentia suspectam, & infamatam tenet, & per suum superiorem admonitus ipsam cum effectu non dimittat. (Cum hoc nunc in præsenti concilio addito, quod ordinarii locorum in clericos non beneficiatos & in sacris ordinibus initiatos pœnis arbitrariis animadvertent, juxta personarum insordescentium qualitatem, contemptum & in similibus delictis perseverantiam.) Quia vero nonnulli jurisdictionem ecclesiasticam, pecuniarios quæstus a concubinariis percipere non erubescunt patiendo eos in tali fœditate insordescere, sub pœna maledictionis æternæ præcipit, ne deinceps sub pacto, compositione, aut spe alicujus quæstus talia quovis modo tolerent, aut dissimulent, alioqui ultra præmissam negligentiæ pœnam, duplum ejus quod propterea restituere ad pios usus omnino teneantur & compellantur; ipsas autem concubinas seu mulieres susceptas prælati modis omnibus curent a suis subditis etiam per brachii secularis auxilium, si opus fuerit, penitus arcendas. Qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios apud patres suos cohabitare non permittant. Jubet insuper hæc sancta synodus, ut etiam in prædictis synodis, & captulis hæc constitutio publicetur, & quilibet suos ad ipsarum concubinarum dimissionem diligenter hortetur.

Injungit præterea omnibus secularibus viris, etiam si regali præfulgeant dignitate, ne ullum qualecunque inferant impedimentum, quocunque quæsito colore, prælatis qui ratione officii sui adversus suos subditos pro hujusmodi concubinatu procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege divina prohibitum sit, & sub peccati mortalis pœna necessario evitandum, monet omnes laicos tam uxoratos quam solutos, ut similiter a concubinatu abstineant, nimis enim reprehensibilis est qui uxorem habet, si ad alienam mulierem accedat; qui vero solutus est, si continere nolit juxta apostoli consilium, uxorem ducat. Pro hujus autem divini observatione præcepti, hi ad quos pertinet tam salubribus monitis quam aliis canonicis remediis omni uti studio laborent. Et hoc ipsum in præsenti decreto contentum in præmissis etiam monialibus hujus regni, prout congruit, præsens conventio statuit & decrevit observari.

2. *Proles concubinarias in suis consortiis clerici non teneant.*

ANNO CHRISTI 1549.

Item hortatur hæc synodus, ne qui prælati aut alii ecclesiastici inferiores proles suas ex concubinatu susceptas in suis consortiis teneant, nec in suis ecclesiis directe aut indirecte promoveri patiantur, neque eas baronibus quovis quæsito colore in conjugium de Christi patrimonio jungant seu barones efficiant.

3. *Ne clerici vel monachi secularibus negotiis sese immisceant.*

Similiter ordinandum est, ne ullus ecclesiasticus, habens unde juxta suum statum honeste vivere possit immisceat se secularibus negotiis, præcipue mercaturam exercendo, aut lucri causæ, ut empta revendat, emens, alienave prædia conducendo, quo rusticis laboribus a spirituali exercitio, propria cura neglecta abstrahatur.

4. *De vestibus clericorum.*

Item ut beneficiati & in sacris ordinibus constituti byretis rotundis, veteri clericorum more, duntaxat utantur, pileosque in ecclesiis & potissimum in choris & tempore divinorum omnino deponant, nec vestes, ut puta caligas & diploides, vel alias sectas, vel colorum prohibitorum, ut flavi, viridis, & id genus discoloris deferant, togas in ecclesiis, civitatibus, oppidis & villis insignioribus portent longas & talares; itinerando vero togas habeant curtas, & manicatas, salva tantum loci & temporis necessitate; camisias habeant albas & albæ futuræ, sub pœna suspensionis in presbyteros, & excommunicationis in alios per locorum officiales, commissarios, & decanos declaranda; a quibus quidem pœnis non absolvantur, nisi prius præstita cautione de abstinendo in futurum sub pœna arbitraria judicis arbitrio juxta qualitatem personarum infligenda pro prima vice; & deinceps inobedientia crescente, augeatur & pœna. Super quibus per singulos decanos in eorum visitationibus, & si quis fuerit, fiat diligens inquisitio: & qui culpabiles inventi fuerint, post duos menses a publicatione præsentis statuti puniantur ut supra. Si autem decani in præmissis deficiant, sive ordinationis negligentes sint comperti officiales, tunc seu ordinariorum commissarii in eos ad suum arbitrium severius animadvertant.

5. *Circa nutrientes barbas, & non portantes tonsuras.*

Hæc eadem conventio variis adducta argumentis, & rationibus circa barbarum usum propositis, universos & singulos hujus provinciæ clericalis sortis & ecclesiasticos per locorum ordinarios attente hortari decrevit, ut sui status & conditionis rationem habentes, & frequentes obtrectationes contra barbatos compescantur, utque clerici a laicis distincti appareant, eorum barbas ton-

ANNO CHRISTI 1549.

dendas curent, utque singuli clerici, saltem in sacris initiati ordinibus, rasuram congruam in coronis habeant.

6. De temperantia in victu clericorum.

Item præsens conventio hortatur omnes hujusce regni prælatos & alios ecclesiasticos beneficiatos, ut in posterum parcius & moderatius in eorum mensis vivant, omnium esculentorum & poculentorum exquisita superfluitate juxta uniuscujusque statum & præeminentiam rejecta, ut & largius & liberalius pauperibus in eorum necessitatibus subveniatur, publicamque jejuniorum ab ecclesia indictorum violationem & in se & in suis familiis evitent, ne ex hoc de cætero eorum malo exemplo laici scandalizentur, precaturque in ecclesiasticorum mensis frequentiores lectiones sacrarum scripturarum juxta decretum concilii Toletani tertii, cujus tenor est talis. *Pro reverentia Dei & sacerdotum universa constituit synodus, ut quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali convivio lectio divinarum scripturarum immisceatur; per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.*

7. De gravitate habituum clericorum.

Item hortandi sunt prælati & ecclesiastici omnes, ut dehinc graviores solito portent habitus, qui potius laici sint decentis coloris quam serici, gravitatem præ se ferentes, meminerintque illius versiculi divi Bernardi, vid. Discite pontifices in fræno quid facit aurum.

8. De clericorum servis.

Item curent prælati ut tales in eorum familiares continuosque domesticos alant & teneant, qui non aleatores, scortatores publici, ebrii, pugnaces, scurræ, noctivagi, aut divini numinis blasphematores, execrabilibus juramentis assueti reputentur, sed qui catholici, probæ vitæ, bonorum morum ac conversationis honestæ habeantur, in bonorum exemplum & iniquorum terrorem: cum, ut Bonaventura, insolentia familiæ patrisfamilias dedecus videtur.

9. De visitationibus monasteriorum.

Item statutum est insuper, ut singuli locorum ordinarii, cum primum poterunt, visitent monasteria canonicorum regularium, monachorum non exemptorum & monialium, ad effectum, ut quæ inibi corrigenda repererint, insequenti & proximo concilio sive conventione per visitationis chartam referant. De exemptis vero, ut qui quid per inquisitionem in vicinis parochiis ex publica voce & fama contra honestatem vitæ monasticæ, & debitam loci reparationem, redituumque administrationem deprehenderint, similiter futuro concilio insinuetur, ut ex hoc de remedio prospiciatur opportuno; & qui prætendunt exemptiones in talibus monasteriis, ut easdem una cum numero religiosorum commendatarii, & illa in commendas obtinentes, ut suas provisiones in dicto futuro concilio exhibeant, ad effectum considerandi & intelligendi ad quid ipsi rigore suarum provisionum teneantur, & quatenus privilegiis sit deferendum. Et circa hæc præsens conventio exhortatur in Domino omnes & singulos abbates, priores, commendatarios, administratores locorum exemptorum, cum constet regularem disciplinam & monasticam magna ex parte, negligentia eorum qui illis superintendere tenentur, labefactatam & collapsam esse, quatenus ipsi & eorum quilibet, prout decet bonos pastores, vitam, mores, devotionem, & studia religiosorum reformanda, & ad primum religionis statum reducenda curent, quo inibi & devotio vigeat, & populi murmur devitetur.

10. De apostatis revocandis.

Simili modo mandat præsens conventio omnibus & singulis abbatibus, prioribus, commendatariis, administratoribus, ministris & locorum præsidentibus, quatenus ipsi & eorum quilibet omnimodam diligentiam faciant pro perquirendis & comprehendendis suis apostatis & fugitivis, qui extra loca eis subjecta aufugerint, auxilium ordinariorum illorum locorum, in quibus existunt, ad effectum comprehensionis & reductionis eorum invocent, & si id per ipsos fieri non possit, auxilium sæcularis potestatis per ipsos ordinarios imploretur.

11. De monialibus apostatis revocandis.

Item statutum, est ut ordinaria auctoritate compellantur omnes priorissæ monialium, ut quam primum dispersas suas moniales in unum congregent respective ad effectum, ut cum ipsis simul cohabitent & sustententur, vel in aliis locis monialium hujus regni pacificis collocentur, priorissæ impensa sustentandæ.

12. De criminibus puniendis cum invocatione brachii sæcularis.

Item contra adulteros, incestuosos, sacrilegos notorios ordinat hæc conventio, ut primum prælatorum ordinatione charitative admoneantur ad vitæ emendationem, & si nihilominus in suis publicis criminibus postea inforduerint, fulminentur monitoriales cum omnibus censuris ecclesiasticis, etiam cum interdicto, quam citissime fieri poterit, ad quod etiam, si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocetur, & super hujusmodi publicis excessibus diligentem per decanos investigationem fieri ordinat, si non licet in delinquentium ecclesiis, saltem in vicinis ecclesiis sit talis indagatio.

13. De visitationibus.

Præterea constituit hæc conventio, quia nonnunquam tales, ut præfertur publici excessus, tam majores, quam minores, per decanos & alios visitatores occultari & dissimulari dicuntur,

eo

ANNO CHRISTI 1549.

eo quod pecuniarios quæstus a concubinariis & adulteris accipere non erubescant, faciendo eos in tali foeditate sordescere, quod decani ante suceptionem sui officii jurent de fideli ejus administratione in omnibus, & cum excessus majores eorundem commissariis deferunt, non prius recipiantur ab eis, quam illi denuo jurati fuerint, quod omnes & singulos excessus majores, tam publicos quam privatos, sibi per assisas & inquisitiones utrobique delatos, absque gratia & favore, prece vel pretio, nullis penitus omissis, commissariis tradant, qui si reperti fuerint in præmissis culpabiles, perjurii, amissionis officii, & aliis arbitrariis poenis per ordinarium infligendis subjaceant; & super hoc solicite inquirant commissarii, prout domino ordinario sunt responsuri.

14. *De electis ecclesiæ non dandis in infeudationem vel emphiteosim.*

Ne residentia vicariorum & rectorum in animarum curis & sacramentorum ecclesiæ administratione negligatur, statutum est, ut nullæ fiant infeudationes seu emphyteutariæ locationes, vel ad longum tempus assedationes quarumcunque glebarum, seu terrarum ecclesiasticarum aliquarum, rectoriarum, vel vicariarum per ipsos rectores vel vicarios in posterum, nisi prius causis tractatis; & ne tales infeudationes seu locationes per ordinarios vel capitula admittantur ullo modo vel auctorizentur; quæ, si factæ fuerint, pro nullis reputentur, & quod longas assedationes novemdecim annorum de & supra fructibus & decimis garbalibus dignitatem ecclesiarum cathedralium post pontificales majorum ac præbendarum, rectoriarum particularium, mensis episcopalibus & abbatialibus seperatis præsens conventio easdem fieri usque ad proximam conventionem generalem vel concilium provinciale statuendum, inchoandum, & celebrandum, penitus prohibet, & ne ordinarii seu capitula interim aliquas hujusmodi admittant seu auctorizent; & si quas interea fieri contigerit nullæ & invalidæ sint, & qui in præmissa interesse prætenderint, in proximo concilio audiantur.

15. *Circa neglectam doctrinæ reformationem divinique verbi ministerium.*

Præsens conventio mature avisata, actis concilii Tridentini in sessione quarta inhærens, ad hæreses reprimendas, & ad ædificationem Christi fidelium in verbis doctrinæ evangelicæ, statuit & ordinat, ut quilibet episcopus, ut & loci ordinarius in grege sibi commisso verbum Dei, juxta gratiam sibi a Domino conceſſam, per se saltem quater in anno, nisi legitimo impedimento, ultra communes prædicationes, quæ per alios ad id admissos fient, prædicet; & si qui ordinarii hactenus minus exercitati fuerint in prædicando, sese, quam primum fieri poterit, ad hujusmodi officium tam proprio studio quam aliorum doctorum reddant habiles, & ad hunc effectum viros in sacris literis eruditos in suam familiam & contubernium ascisant. Cujus quidem concilii, acti seu decreti tenor sequitur in hæc verba.

„ Eadem sacrosancta synodus piis summorum pontificum & probatorum conciliorum constitutionibus inhærens, easdemque amplectens, & illis adiiciens, ne „ cæleſtis ille thesaurus sacrorum ciborum, „ quem sanctus Spiritus sua liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, statuit & decrevit; quod in illis ecclesiis, „ in quibus præbenda aut præstimonium, „ seu quovis alio nomine nuncupatum stipendium, pro lectoribus sacræ theologiæ „ deputatum reperitur, ipsi episcopi, archiepiscopi, primates, & alii locorum „ ordinarii eos, qui præbendam aut præstimonium seu stipendium hujusmodi obtinent, ad ipsius sacræ scripturæ expositionem & interpretationem per seipsos, si „ idonei fuerint, alioqui per idoneum substitutum ab episcopis, archiepiscopis, primatibus & aliis locorum ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant & compellant. De cætero „ vero præbenda præstimonium seu stipendium hujusmodi non nisi personis idoneis, „ qui per seipsos id munus explicare possunt conferantur; & aliter facta, provisio nulla sit & invalida. In ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus, si „ civitas insignis seu populosa ac etiam in „ collegiatis existentibus in aliqua insigni „ oppido etiam nullius dioecesis; si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla præbenda aut præstimonium seu stipendium ejusmodi deputatum reperitur, præbenda „ quomodocunque, præterquam ex causa resignationis, prima vacatura, cui aliud „ onus incompatibile injunctum non sit, ad „ eum usum ipso facto perpetuo constituta „ et deputata intelligatur; & quatenus in „ ipsis ecclesiis nulla vel sufficiens præbenda foret, metropolitanus vel episcopus „ ipse per assignationem fructuum alicujus „ simplicis beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suæ civitatis „ & dioecesis, vel alias, prout commodius „ fieri poterit, de capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacræ scripturæ lectio habeatur; ita tamen quod quæcunque aliæ „ lectiones vel consuetudine, vel alia quavis ratione institutæ, propter id minime „ prætermittantur: ecclesiæ vero, quarum „ annui proventus tenueris fuerint, & ubi „ tam exigua est cleri & populi multitudo, „ ut theologiæ lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant „ ab episcopo capituli consilio eligendum, „ qui clericos aliosque scholares pauperes „ grammaticam gratis doceat, ut deinceps „ ad sacræ scripturæ studia, adjuvante „ Deo, transire possint; ideoque illi magistro grammatices alicujus simplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, „ quamdiu in docendo perstiterit, assignentur;

ANNO CHRISTI 1549.

„ tur; dum tamen beneficium ipſum ſuo
„ debito non fraudetur obſequio, vel ex
„ capitulari vel epiſcopali menſa condigna
„ aliqua merces perſolvatur, vel alias epi-
„ ſcopus ipſe aliquam rationem ineat ſuæ
„ eccleſiæ & dioeceſi accommodam, ne pia
„ hæc utilis ac fructuoſa proviſio quovis
„ quæſito colore negligatur. In monaſteriis
„ quoque monachorum, ubi commode id
„ fieri queat, etiam lectio ſacræ ſcriptu-
„ ræ habeatur, qua in re, ſi abbates negli-
„ gentes fuerint, epiſcopi locorum in hoc
„ ut ſedis apoſtolicæ delegati, eos ad id
„ opportunis remediis compellant. In con-
„ ventibus vero & aliorum regularium lo-
„ cis, in quibus ſtudia commode vigere poſ-
„ ſunt, etiam lectio ſacræ ſcripturæ ha-
„ beatur; quæ lectio a capitulis generali-
„ bus vel provincialibus aſſignetur digniо-
„ ribus magiſtris. In gymnaſiis etiam pu-
„ blicis ubi tam honorifica et cæterarum
„ omnium maxime neceſſaria lectio inſtitu-
„ ta non fuerit, religioſorum principum &
„ & rerum publicarum pietate & charita-
„ te ad catholicæ fidei defenſionem & in-
„ crementum, ſacræque doctrinæ conſer-
„ vationem & propagationem inſtituatur,
„ & ubi inſtituta foret, & negligeretur,
„ reſtituatur, & ne ſub ſpecie pietatis im-
„ pietas diſſeminetur.

16. Quomodo eligi debeat publicus lector.

„ Statuit eadem ſancta ſynodus neminem
„ ad hujuſmodi officium lectionis tam publice
„ quam privatim admittendum eſſe, qui
„ non prius ab epiſcopo loci de vita, mo-
„ ribus & ſcientia examinatus & probatus
„ fuerit, quod tamen de lectoribus in clau-
„ ſtris monachorum non intelligatur.

17. Privilegia ſtudentium in theologia.

Docentes vero ſcripturam ipſam ſacram, dum publice in ſcholis docuerint, & ſcholares qui in ipſis ſcholis ſtudent, privilegiis omnibus de perceptione fructuum præbendarum & beneficiorum ſuorum in abſentia a jure conceſſis plene gaudeant & fruantur. „ Quia vero chriſtianæ reipublicæ non
„ minus neceſſaria eſt prædicatio evangelii
„ quam lectio, & hoc eſt præcipuum epi-
„ ſcoporum munus; ſtatuit & decrevit ea-
„ dem ſancta ſynodus omnes epiſcopos, ar-
„ chiepiſcopos, primates, & omnes alios
„ eccleſiarum prælatos teneri per ſeipſos,
„ ſi legitime præpediti non fuerint, ad præ-
„ dicandum ſanctum Jeſu Chriſti evange-
„ lium; ſi vero contigerit epiſcopos &
„ alios prælatos legitimo detineri impedi-
„ mento, juxta formam generalis concilii vi-
„ ros idoneos aſſumere teneantur ad hu-
„ jusmodi prædicationis officium ſalubriter
„ exequendum, ſi quis vero hoc adimplere
„ contempſerit, diſtrictæ ſubiaceat ultioni.

18. De prædicatione verbi populo.

„ Archipresbyteri quoque, & plebani,
„ & quicumque parochiales vel alias cu-
„ ram animarum habentes eccleſias quo-
„ cunque modo obtinent, per ſe vel alios
„ idoneos, ſi legitime impediti fuerint, die-
„ bus ſaltem dominicis & feſtis ſolennibus
„ plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum
„ capacitate paſcant ſalutaribus verbis,
„ docendo ea quæ omnibus ſcire neceſſa-
„ rium ad ſalutem, annunciandoque eis,
„ cum brevitate & facilitate ſermonis, vi-
„ tia, quæ eos declinare, & virtutes, quas
„ eos ſectari oportet, ut pœnam æternam
„ evadere, & cæleſtem gloriam conſequi
„ valeant; id vero ſi quis eorum præſta-
„ re negligat, etiamſi ab epiſcopi juriſdi-
„ ctione quavis ratione ſe exemptum eſ-
„ ſe prætenderit, etiamſi eccleſiæ quovis
„ modo exemptæ dicantur, aut alibi ali-
„ cui monaſterio etiam extra dioeceſim
„ exiſtenti forſitan annexæ vel unitæ (mo-
„ do reipſa in dioeceſi ſint) provida pa-
„ ſtoralis ſolicitudo non deſit, ne illud
„ impleatur *parvuli petierunt panem & non erat qui frangeret eis*. Itaque ubi ab epi-
„ ſcopo moniti trium menſium ſpatio mu-
„ neri ſuo defuerint, per cenſuras eccle-
„ ſiaſticas aut alias, ad ipſius epiſcopi ar-
„ bitrium, cogantur, ita ut etiam, ſi
„ ei expedire viſum fuerit, ex beneficio-
„ rum fructibus alteri, qui id præſtet,
„ honeſta aliqua merces perſolvatur, do-
„ nec principalis ipſe reſipiſcens officium
„ ſuum impleat. Si quæ vero parochiales
„ eccleſiæ reperiantur ſubjectæ monaſteriis,
„ in nulla dioeceſi exiſtentibus, ſi abba-
„ tes & regulares prælati in præmiſſis ne-
„ gligentes fuerint, a metropolitanis, in
„ quorum provinciis dioeceſes ipſæ ſitæ ſunt,
„ tanquam, quoad hoc, ſedis apoſtolicæ
„ delegatis compellantur; neque hujus de-
„ creti executionem conſuetudo vel exem-
„ ptio, aut appellatio, vel reclamatio,
„ ſive recurſus impedire valeat, quouſ-
„ que deſuper a competente judice, qui
„ ſummarie, & ſola facti veritate inſpe-
„ cta, procedat, cognitum ſit ac deciſum.
„ Regulares vero cujuſcunque ordinis, niſi
„ a ſuis ſuperioribus, de vita, moribus, &
„ ſcientia examinati & probati fuerint,
„ ac de eorum licentia, etiam in eccleſiis
„ ſuorum ordinum prædicare non poſſunt,
„ cum qua licentia perſonaliter ſe coram
„ epiſcopis præſentare, & ab eis benedi-
„ ctionem petere teneantur antequam præ-
„ dicare incipiant.

„ Item in eccleſiis, quæ ſuorum ordi-
„ num non ſunt, ultra licentiam ſuorum
„ ſuperiorum etiam epiſcopi licentiam ha-
„ bere teneantur, ſine qua in ipſis eccle-
„ ſiis non ſuorum ordinum nullo modo
„ prædicare poſſint, ipſam autem licen-
„ tiam epiſcopi gratis concedant.

19. De pſeudo-prædicatoribus.

„ Si vero, quod abſit, prædicator er-
„ rores aut ſcandala diſſeminaverit in po-
„ pulum, etiamſi in monaſterio ſui vel al-
„ terius ordinis prædicet, epiſcopus ei præ-
„ dicationem interdicat. Quod ſi hæreſes
„ prædicaverit, contra eum ſecundum ju-
„ ris diſpoſitionem aut loci conſuetudinem
„ procedat; etiamſi prædicator ipſe gene-
„ rali,

ANNO CHRISTI 154[illegible]

ANNO CHRISTI 1549.

„ rali vel ſpeciali privilegio exemptum ſe
„ eſſe prætenderet. Quo caſu epiſcopus au- A
„ ctoritate apoſtolica, & tanquam ſedis a-
„ poſtolicæ delegatus procedat. Curent au-
„ tem epiſcopi, ne quis prædicator vel ex
„ falſis informationibus vel alias calum-
„ nioſe vexetur, juſtamve de eis conque-
„ rendi occaſionem habeat. Caveant præ-
„ terea epiſcopi, ne aliquem vel eorum
„ qui cum ſint nomine regulares, extra
„ clauſtra tamen & obedientiam religio-
„ num ſuarum vivunt, vel presbyterorum
„ ſecularium niſi ipſis noti ſint, & mori-
„ bus atque doctrina probati, etiam quo-
„ rumlibet privilegiorum prætextu in ſua
„ civitate vel diœceſi prædicare permit-
„ tant, donec ab ipſis epiſcopis ſuper ea B
„ re ſancta ſedes apoſtolica conſulatur, a
„ qua privilegia hujuſmodi, niſi tacita
„ veritate, & expreſſo mendacio, ab in-
„ dignis extorqueri veriſimile non eſt.
„ Quæſtores vero eleemoſynarii, qui e-
„ tiam quæſtuarii vulgo dicuntur, cujuſcun-
„ que conditionis exiſtant, nullo modo nec
„ per ſe, nec per alium, prædicare præ-
„ ſumant; & contrafacientes ab epiſco-
„ pis & ordinariis locorum, privilegiis qui-
„ buſcunque non obſtantibus, opportunis
„ remediis omnino arceantur.

20. *Quod rectores & epiſcopi quater in anno prædicent.*

Circa quæ quo frequentioribus divini verbi prædicationibus inſtruatur populus ſtatutum eſt, ut eccleſiarum parochialium rectores, qui judicio ordinarii ad prædicandum fidei rudimenta ſuis parochianis habiles & idonei cenſebuntur, per ſe ſaltem juxta ſtatuta provincialia & ſynodalia pro prædicatoribus edita, quater in anno prædicent; illis vero rectoribus, qui juvenes & idonei ad id viſi fuerint, per locorum ordinarios injungatur, ut ſe ad hoc quam primum reddant per ſtudia in gymnaſiis publicis habiles, & interim per alios prædicatores ſuis ſumptibus de licentia ordinarii D admittendos, prædicare, & ſuas vices ſupplere debeant; qui autem grandævi & doctrinæ incapaces ſunt, hoc ipſum ſimiliter per alios fieri procurent, quos etiam per ſuam præſentiam prædicantes auctorizare oportebit, & hoc ultra communes prædicationes ſeu inſtructiones per vicarios ſeu curatos ſingulis dominicis diebus & forſan aliis majoribus feſtis, ut ſupra, fiendas. De rectoriis vero, monaſteriis, collegiatis eccleſiis, ſeu aliis piis locis in communiis ſeu menſæ capitulari unitis, ordinatum eſt ut abbates, priores, & commendatarii, adminiſtratores, præpoſiti, decani, & præbendati, rectoriarum portionarii, per ſe vel E eorum membra inferiora, ſeu alios eorum nomine, populum in fide inſtruendum curent, & id ſuis parochianis fieri procurent; prioriſſas autem monialium archiepiſcopo ſancti Andreæ ſubjectas, ut a ſede apoſtolica ſententiatum eſt, ſub poenis in dicto provinciali ſtatuto & aliis ſtatutis deſuper editis, ad idem teneri decrevit, quæ de novo publicari & præſentibus inſeri in hac ſynodo decretum eſt.

21. *Quod in unaquaque eccleſia cathedrali ſit theologus, & juris canonici profeſſor.*

ANNO CHRISTI 1549.

Concilium ſeu conventio verbi divini ſeminationem inſequens pro ſuſtentatione doctorum & eruditorum in theologia, ac jure pontificio, apud eccleſias cathedrales & civitates, ſtatuit; ut univerſi & ſinguli locorum ordinarii apud ſuas eccleſias cathedrales habeant continuo unum doctorem theologum, licentiatum vel bacalaureum in theologia, & ſimiliter canoniſtam in jure pontificio qualificatum; utque theologus prædictus omni die legibili, ſaltem in unaquaque B hebdomade, in ſacris literis publice legat & interpretetur, ac tam in eadem cathedrali quam in aliis eccleſiis prædicet, cui interpretanti & prædicanti civitatis illius epiſcopus & canonici & reliqui ipſius civitatis clerici interſint; pro quorum theologi ac canoniſtæ ſuſtentatione quilibet ordinarius deputabit aliquod beneficium de proximo vacaturum ad ſuam diſpoſitionem ſpectans infra ſuam eccleſiam, ad valorem annuum pro theologo ad minus centum librarum, pro canoniſta vero centum marcarum Scoticanæ monetæ, pro perpetuis futuris temporibus, ipſis & eorum ſucceſſoribus in iisdem officiis remanſuris. Qui ambo theolo- C gus ac canoniſta legere & docere circa feſtum divi Michaelis die 29. menſis Sept. proxime futuri incipient. Provitum eſt quoque per hanc synodum, quod uſque ad vacationem beneficiorum prædictorum, ad præmiſſum effectum diſponendorum, quilibet ordinarius ſuis propriis ſumptibus a dicto feſto divi Michaelis eos honeſte ſuſtentabit ad ratam & quantitatem dictarum ſummarum.

22. *Quod in unoquoque monaſterio ſit unus theologus.*

Similique pro effectu ad eundem modum, D ut ſacrarum literarum ſtudia & virtutes, ipſi Deo acceptæ, in monaſteriis, ut olim, ſecundum Deum floreant, ordinatum eſt ut ſinguli abbates, priores, commendatarii, prælaturarum majorum adminiſtratores inveniant & ſuſtentent theologum religioſum vel ſæcularem, qui ſingulis diebus, ut ſupra, infra ſepta monaſteriorum divinas literas, prout auditoribus expedierit, legere teneatur, & in eccleſiis ipſis monaſteriis annexatis, ut præmittitur, prædicent. Prælati etiam beneficia ad eorum diſpoſitionem ſpectantia obtinentes iisdem theologis & eorum ſucceſſoribus pro eorum ſuſtentatione de beneficiis ad valorem centum marE carum provideant; non habentes vero beneficia ad eorum diſpoſitionem & præſentationem ad prædictum effectum, cujusmodi ſunt illi Ciſtercienſis ordinis, eundem theologum propriis expenſis, juxta præfatæ ſummæ rationem, præfato theologo honeſte ſecundum ſtatuta ſui ordinis ſuſtentando providere curent, ea tamen lege adjecta, quod per hanc ordinationem, eleemosynæ conſuetæ religioſorum mendicantium & prædicatorum

ANNO CHRISTI 1549.

torum non abſtrahantur vel minuantur. Item ut in monaſteriis de ſe etiam evadant & efflorcant viri literati, & in divino eloquio & paſtu animarum ſalutari concionatores, hæc ſancta conventio præcipit, ut ex uniuscujuſque hujus regni dioeceſis monaſteriis, juxta ipſorum monaſteriorum facultates, transmittantur, duo aut unus religioſi, vel religioſus ad literarum capacitatem maxime habiles, & ingenioſi, ad univerſitates omnes proximas vel alias, ut illis libuerit, ibidem ſaltem ad quadriennium in theologia & ſacris litteris ſtudenda remanſuri, quo ſpatio completo remittantur ad ipſas univerſitates alii religioſi prædicti, pari modo literis vacaturi.

23. *Monaſteria præcipua e quibus ad literarum ſtudia præfati effectus cauſa religioſi juxta monaſteriorum vires & facultates ſint emittendi, ſequentem per modificationem notantur.*

Et primo de dioeceſi S. Andreæ.

Ex monaſterio prioratus ſancti Andreæ religioſi. 3.
Ex monaſterio de Aberbrothick religioſi 3.
Ex monaſterio de Dunfermling. 2.
Ex monaſterio ſanctæ Crucis 2.
Ex monaſterio de Calco 2.
Ex monaſterio de Cupro 2.
Ex monaſterio de Cambuskenneth 1.
Ex monaſterio de Lundoris. 1.
Ex monaſterio de Balmerino 1.
Ex monaſterio de Coldinghame 1.
Ex monaſterio de Pettynweyme 1.
Ex monaſterio de Drybrugh 1.
Ex monaſterio ſive prioratu de North Berwick. 1.
Ex prioratu de Hadington ſæculari 1.

Glaſguenſis dioeceſis.

Ex monaſterio de Paſleto 2.
Ex monaſterio de Melros 2.
Ex monaſterio de Kylwyning. 1.
Ex monaſterio crucis regalis 1.
Ex monaſterio de Jedbourg 1.
Ex monaſterio de Halywoode 1.
Ex monaſterio dulcis cordis 1.

In dioeceſi Candidæ caſæ.

Ex prioratu de candida caſa 2.
Ex monaſterio Vallis lucis 1.
Ex Dundraman 1.
Ex Tungland 1.

In dioeceſi Aberdonenſi.

Pro monaſterio de Deyr 1.

In dioeceſi Moravienſi.

Ex monaſterio de Kinlos 1.
Ex monaſterio Pluſcardenſi 1.

A *In dioeceſi Dublanenſi.*

Inchechaffray 1.
Culros 1.
Inchemahome 1.

In dioeceſi Dunkeldenſi.

Pro monaſterio S. Columbæ

De reliquis dioeceſibus tacetur.

24. *De methodo & forma prædicationum.*

B Prædicatores nunc inſtituti & alii ſecundum præſentem hanc synodum poſt hujuſce ſtatuti publicationem hanc formam in ſuis prædicationibus obſervare tenebuntur ut in omnibus, & ſingulis eorum prædicationibus ſeu concionibus priorem partem epiſtolæ vel evangelii declarando tribuant, & illius partem poſteriorem, prout tempus & auditores patientur, catechiſmo, hoc eſt communi doctrina & inſtructione impertiantur. Catechiſmum autem vocamus brevem inſtructionem in fidei rudimentis, vel in expoſitione articulorum fidei, decalogi præceptorum, peccatorum ſeptem mortalium, ſeptem eccleſiæ ſacramentorum, dominicæ orationis,
C & ſalutationis angelicæ, ac operum miſericordiæ; in quibus omnibus prædicationibus injungatur ut populum chriſtianum inducant ad ſacramenti altaris condignam venerationem, & ut de viribus & uſu ejusdem pro captu populi populum inſtruant.

25. *Forma in interpretatione theologiæ ſervanda.*

Ut ea circa hæc in publicis gymnaſiis & academiis legantur, per quæ doctrinam utilem tradi & populi Chriſti fidelis eruditioni conſuli ſperetur; ſtatuit hæc ſancta ſynodus, ut lectores ſcripturarum & theolo-
D giæ in ſingulis collegiis ita ſcripturis & theologiæ vacent, ut aliqui ſcripturas quam puriſſime juxta eccleſiæ catholicæ ſenſum tractare nitantur; alii vero ex eis ad veterum doctorum amuſſim & catholicæ fidei veritatem theologiæ diverſis horis uniuscujusque hebdomadæ diebus certis legendæ incumbant; ſic ut taliter ſtudentes in ſacris ipſis ſcripturis & ſpeculativis proficiant, & ut id ipſum quilibet ordinarius intra ſuam univerſitatem, ſi quam habeat, aliter vero intra ſuam civitatem & apud eccleſiam cathedralem fieri procuret; mandat ipſa ſynodus, quod utilius & pro tempore efficacius fore cenſetur, ut quantum ad ſpe-
E culativam theologiam, lecturæ probatorum auctorum, ut ſunt opera magiſtri ſententiarum, commentarii divi Thomæ Aquinatis, ſancti Bonaventuræ, & aliorum potius vacent.

ANNO CHRISTI 1549

26. *Ordo ſervandus in lectionibus grammatices & dialectices.*

Vult & jubet hæc eadem ſynodus, ut provideat uniuſcujuſque univerſitatis rector, cauſis ad id moventibus non oblitis ſeu omiſſis, ne ulli ad ſcholas dialectices recipiantur, niſi qui latine & grammatice loquuntur, ac ut dialecticam artem experiri cupientes prius quam ad illam artem admittantur, examinentur, & ne ad bacalaureatus ſeu magiſterii lauream recipiantur, niſi prius ad hoc de examinis rigore idonei fuerint reperti; alioqui ad proximam inferiorem claſſem deponantur, quod niſi factum fuerit, rectori imputabitur.

Item provideat archidiaconus ſancti Andreæ pro magiſtro ſcholæ grammaticalis in civitate ſancti Andreæ, qui ſit in grammaticis verſatus, & bonis moribus imbutus, & in aliis ad inſtruendos pueros, & puerilia grammaticæ non callentes requiſite ſufficiens.

27. *De qualitate ordinandorum.*

Quantum ad qualitatem ordinandorum in moribus, ſcientia & titulo, ſtatutum eſt ut in his ſacrorum canonum diſpoſitio ad unguem ſervetur, & inter ordinandum ſinguli ordinarii habeant præ oculis eandem diſpoſitionem, quam ordinando legere, aut legi facere, faciant, quodque nulli eccleſiaſtici quantuncumque in literis & moribus ſufficientes per ſpatium trium annorum proximorum a data præſentium futurorum in ſacris ordinibus initientur, niſi benenciati, religioſi, titulum canonicum ad valorem viginti librarum monetæ Scoticanæ habentes; circa quæ diſcutiant diligenter ordinarii eorum titulos; omnis etiam illicitæ pactionis abſit ſuſpicio, & ſuper hoc fidem faciant ordinandi. Et ordinati per ultramarinos epiſcopos, undecunque venerint, altari non ſe immiſceant, & niſi per dioeceſanos aut eorum deputatos ad id commiſſos in quorum dioeceſibus altari ſeſe junxerunt, prævio examine idonei comperiantur, nequaquam permittantur, itaut idonei ſecundum præſens inſtitutum reperti admiſſionem mereantur, & in his inidonei comperti ab ordinum ſuorum executione, uſquequo habiles & idoneos ſeſe reddiderint, ſuſpendantur.

28. *Quod ſinguli curati examinentur per ordinarios.*

Circa parochialium eccleſiarum curatos ſeu miniſtros curam animarum exercentes, qeia ex illis plurimi per totum regnum Scotiæ adeo inſufficientes, tam in literatura, moribus, & diſcretione, quam in aliis ad id officium neceſſariis deprehenduntur; ſtatuit præſens conventio, ut per locorum ordinarios intra hinc & ultimum Decembris proxime futurum vocentur coram ipſis ordinariis, vel eorum commiſſariis ad id deputatis, ſeu deputandis, ſinguli curati ad ſubeundum examen debitum in omnibus eorum officio convenientibus, cum certificatione, quod ſi non comparuerint, ab eorum curis & officiis amoveantur, & qui idonei fuerint, & comparuerint, continuabuntur & denuo admittentur; inidonei vero juxta juris diſpoſitionem reiicientur, & ad ſe removendum in proximis eorum ſynodis præmoneantur, ac ſinguli curatorum inidoneorum vicarii ſeu rectores, ubi vicarii proximi non ſunt, admoneantur; ut per ſe in eorum curis deſerviant, quoadusque per ordinarium loci de qualificato curato proviſum fuerit. Penſionarii vero vicarii, ut ex ſtatutis & conſuetudine in eorum curis & penſionibus reſideant, ac per ſe deſerviant ſub pœna ſuſpenſionis & confiſcationis fructuum omnium ſuorum penſionum, & redituum in pauperum uſus per ordinarium applicandorum; & ſimiliter examinentur illi vicarii penſionarii, ac eorum parochiani & vicini, ſeu alii noritiam habentes, & qui inhabiles inventi fuerint, ſtatim ordinariis deferantur ad effectum, ut in concilio provinciali ſeu conventione generali proxime futura contra eos de remedio provideatur opportuno.

ANNO CHRISTI 1549.

29. *Qualis eligi debeat, ut fiat curatus.*

Idoneitas autem præficiendorum animarum curis & beneficiis eccleſiaſticis in hoc potiſſimum conſideretur, ut qui ad hujuſmodi beneficia & curas admitti petunt, ſatisfacere velint & poſſint officiis ſuis ſibi committendis, ſuoque munere juxta beneficii & curæ exigentiam fideliter fungi, ſintque viri legitimæ ætatis, moribus graves, literarum ſcientia præditi, ad ſacros ordines promoti, nec corpore vitiati; alioqui ſciant hi, quorum intereſt, tales ad beneficia eccleſiaſtica & curas admitti cupientes, ut ſiquidem dolo, gratia, favore, vel negligentia in his peccaverint, non minorem ſibi quam illis malis vicariis aut curatis, quos ipſi dictis curis præfecerint, poenam incurriſſe, quæ eis in diſtricto Dei judicio imminet, & præterea poenis etiam canonicis ſciant eſſe obnoxios. Et præterea, ut ipſi vicarii & curati ſuo officio attentius abſque impedimento deſervire teneantur, negligentiaque eorum liberius puniatur; ordinatum exiſtit, ut quilibet vicarius penſionarius ſeu curatus curam animarum exercens & in eo reſidens, habeat ſingulis annis pro ſuo feudo & ſtipendio viginti marcas Scoticanæ monetæ, vel æquivalentiam computandam proficuis horto & curæ adjacentibus, hoc proviſo, quod in illis dioeceſibus ſeu locis, ubi viget fames & caritas victualium ex hoſtium invaſionibus & incurſionibus, ordinarii locorum in ſuis ſynodis hujusmodi ſterilitatis & caritatis annonæ cauſa ſtipendia charitative augeant, ac ut non liceat ipſis vicariis penſionariis ſeu curatis per ſubſtitutos, ſed per ſeipſos in dictis curis reſidere, alioqui loco curatorum licebit vicario ſeu rectori alium loco non reſidentis deputare de ordinarii conſilio, abſque ulteriori proceſſu; quum penſionarii non reſidentes per ordinarios veniant privandi juxta illud Tridentini concilii, quod incipit

inſe-

ANNO CHRISTI 1549.

riora vero beneficia, cujus tenor sequitur in hæc verba: inferiora vero beneficia ecclesiastica præsertim curam animarum habentia, personis dignis & habilibus, & quæ in loco residere, ac per seipsos curam earum exercere valeant, juxta constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quæ incipit: *quia nonnulli*: & aliam Gregorii X. in generali Lugdunensi concilio, quæ incipit: *licet canon*: editam, conferantur. Aliter autem facta collatio sive provisio, omnino irritetur; & ordinarius collator poenas constitutionis generalis concilii, quæ incipit: *grave nimis*: se noverit incursurum.

30. *Quod nemo plura beneficia incompatibilia habeat.*

Quicunque plura curata habeat, aut alia incompatibilia beneficia ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam seu commendæ perpetuæ aut alio quocunque nomine & titulo, contra formam sacrorum canonum, & præsertim constitutionis Innocentii III. quæ incipit: *de multa*; recipere ac simul retinere præsumpserint, beneficiis ipsis juxta ipsius constitutionis dispositionem ipso jure præsentis canonis vigore privatus existat.

31. *Quod ordinarii dispensationes exhiberi faciant.*

Ordinarii locorum quoscunque plura curata aut alia beneficia incompatibilia beneficia ecclesiastica obtinentes dispensationes suas exhibere districte compellant; alias procedant juxta constitutionem Gregorii X. in generali Lugdunensi concilio, quæ incipit: *ordinarii*: quam eadem sacrosancta synodus innovandam censet & innovat; addens insuper, quod ipsi ordinarii, etiam per idoneorum vicariorum deputationem, & congruæ portionis assignationem, omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur, & beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur; appellationibus & exemptionibus quibuscunque, etiam cum judicum specialium deputatione, & illorum inhibitionibus in præmissis minime suffragantibus.

32. *De unionibus beneficiorum.*

Uniones perpetuæ a quadraginta annis citra factæ examinari ab ordinariis, tanquam a sede apostolica delegatis possunt, & quæ per surreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint irritæ declarentur; illæ vero quæ a dicto tempore citra concessæ, vel in toto vel in parte effectum nondum sunt sortitæ, & quæ deinceps ad cujusvis instantiam fuerint, nisi eas ex legitimis & rationabilibus causis coram ordinario loci, vocatis quorum interest, verificandis factas fuisse constiterit, per surreptionem obtentæ præsumantur, ac propterea, nisi aliter a sede apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

Beneficia ecclesiastica curata, quæ cathedralibus, collegiatis, seu aliis ecclesiis vel monasteriis, beneficiis seu collegiis, aut piis locis quibuscunque perpetuo annexa & unita reperiuntur, ab ordinariis locorum annis singulis visitentur; qui solicite providere procurent, ut per idoneos vicarios perpetuos (nisi ipsis ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur) ab eis pro tertiæ partis fructuum aut majori vel minori arbitrio ipsorum ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur; appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum judicum deputatione, & illorum inhibitionibus, quibuscunque in præmissis minime suffragantibus.

33. *Ordinarii loca exempta visitent.*

Locorum ordinarii quascunque ecclesias quomodolibet exemptas, auctoritate, apostolica singulis annis visitare teneantur, & opportunis remediis providere, ut quæ reparari indigent, reparentur, & cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur; appellationibus, privilegiis, consuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præscriptis, judicum deputationibus & illorum inhibitionibus penitus exclusis.

34. *Circa clericos parochiales.*

Statuit synodus, ut clerici parochiales per se deserviant in eorum officiis, vel præsentent in singulis synodis sufficientem substitutum, per ordinarium admittendum, in ipso officio deservientem, qui honestus sit, & novit honeste vices sui principalis in officio hujusmodi supplere, alioqui si id non factum fuerit, mulctetur tertia parte emolumentorum clericatus prima vice, & secunda bina pauperibus applicanda, & deinceps arbitrio ordinarii pœna puniatur.

35. *De testamentis, & quod executores computum reddant & rationem.*

Hæc conventio statuit, ut registrentur authentice omnia testamenta, & defunctorum bonorum inventaria, ad executionem nominatorum, & bonorum intermissorum conservationem, a quibus per officiales & commissarios ordinariorum singulis annis de bonorum & rerum fideli administratione computum & ratio omnium reddatur, prout ad id admonendi sunt tam in confirmationibus, quam in redditione computorum, ut provideatur super indemnitate prolium, pupillorum, legatariorum, & aliorum interesse habentium per sufficientem rationem, & aliter, prout de jure & ne decani vel commissarii aliqua testamenta confirment, nisi prius receptis juramentis ab executoribus de fidelitate, & veritate inventariorum, & de pretiis bonorum.

ANNO CHRISTI 1549.

36. Circa teſtamenta diœceſanorum Orcadenſium ad modum & morem ſolitum & debitum reliquarum provinciæ Scoticæ diœceſeon reducend. & obſervand.

Præſens provinciæ Scoticanæ generalis conventio, ſeu concilium provinciale legitime convocatum, ſervatis primitus de jure & conſuetudine ſervandis, ac longis & juſtis ſuper infraſcriptis tractatibus & conſiderationibus præhabitis diſputatis & diſcuſſis, pro perpetuis futuris temporibus, & ad perpetuam rei memoriam conſtituit, decrevit, & ordinavit; quod in condendis teſtamentis & bonorum innotationibus, tam in teſtatis quam non teſtatis ab inteſtato decedentium per omnes & ſingulas totas & integras inſulas Orcaden. & Zetlandiæ, & alias partes ubilibet per diœceſes & jurisdictionem ſpiritualem ſubjectas Orcadenſi eccleſiæ, omnes et ſinguli Orcadenſes diœceſani eidem legi & conſuetudini ſubjaceant, quibus cæteri in aliis quibuſlibet Scotiæ provinciis ac diœceſibus; quodque defunctorum diœc. Orcaden. executores nominati, & utcunque teſtantium et non teſtantium, ſeu ab inteſtato decedentium bonorum intermiſſores ad conficienda bona inventaria, eaque ordinario aut ejus commiſſariis exhibenda et confirmanda curent, et pro eis ordinaria debita & ſolita ſatisfacere teneantur: quod ſi non fecerint, ſeu aliquis eorum non fecerit, licebit dicto ordinario & ejus commiſſariis, ſervatis proceſſibus in ſimilibus conſuetis, de dictis bonis ſive teſtatis ſive non teſtatis executores dativos ad ejus arbitrium dare & conſtituere in omnibus, juxta morem præfatum in illis ſervatum & ſervandum.

37. De examinatione notariorum.

Ordinatum eſt præterea, ut vocentur notarii in ſingulis diœceſibus per eorum ordinarios reſpective ad ſubeundam novam examinationem ſecundum juris conſuetudinem, & parlamentorum regni exigentiam, qui vocari ſtatuuntur ad hos dies, ad quos vocandi ſunt eccleſiarum curati, inter hanc & primam ſuarum diœceſeon ſynodum, ad effectum examinationis; utque interea fiat inquiſitio inter eorum vicinos per commiſſarios ad hoc deputandos, ſuper firma exiſtimatione, legalitate & fideli exercitio tabellionatus & officiis hujuſmodi, antequam ad examinationem veniant; ubi habita examinatione, idonei reperiantur, admittantur, & ſtatim literas ſuarum admiſſionum recipiant; inidonei vero ab executione officii ſuſpendantur, ſic quod in poſterum eorum inſtrumenta pro nullis & invalidis in judicio & extra habeantur; nec non quod notarii admiſſi imprimant, vel ſubſcribant ſua ſigna, quibus in inſtrumentis uſi ſunt & uſuri, in libris officialium illarum diœceſeon, ſive commiſſariorum, coram quibus & per quos examinentur, & contumaces citatione præventi uſque ad comparitionem ſuſpendantur, & tam admiſſi quam non admiſſi in ſynodis prædictis publicentur.

38. De protocollis notariorum defunctorum.

Statuit hæc ſynodus et decrevit, ut protocolla, ſive libri et inbreviaturæ notariorum defunctorum decedentibus notariis, ad officialem illius diœceſis, in qua decedunt, actualiter deliberentur, et ſi hi libri protocolli per notarios decedentes aliquibus in eorum teſtamentis legati fuerint, ineatur ratio ſeu tranſactio inter tales legatarios & ſcribas officialium, ſuper proficuis et utilitate inſtrumentorum de protocollis extrahendorum, quæ fienda curent ſinguli officiales in eorum officialibus et juriſdictione; et quod folia protocollorum in eorum receptione numerentur, et ſignentur per dictos officiales.

ANNO CHRISTI 1549.

29. De pluralitate beneficiorum.

Quantum ad pluralitatem beneficiorum conventio ſeu concilium refert ſe ordinatis ſeu ordinandis in concilio Tridentino, nondum diſſoluto, quod ſic incipit: Nemo quacunque etiam dignitate, gradu aut præeminentia præfulgens, plures metropolitanas, ſeu cathedrales eccleſias in titulum ſive commendam, aut alio quovis nomine, contra ſacrorum canonum inſtituta, recipere et ſimul retinere præſumat; cum valde felix ſit ille cenſendus, cui unam eccleſiam bene ac fructuoſe et cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit. Qui autem plures eccleſias contra præſentis decreti tenorem nunc detinent, una, quam maluerint, retenta, reliquas infra ſex menſes, ſi ad liberam ſedis apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant, alias infra annum, dimittere teneantur; alioquin eccleſiæ ipſæ, ultimo obtenta duntaxat excepta, eo ipſo vacare cenſeantur. De beneficiis inferioribus ſuperius patuit.

40. De fundationibus hoſpitalium & monaſteriorum.

De hoſpitalium ſtatu et reformatione ſtatutum, eſt ut quilibet ordinarius per ſuam diœceſim diligenter inquirat de fundationibus hoſpitalium, ubicunque locorum intra ejus diœceſim ſitorum, et ſi ipſarum fundationis chartæ ſive inſtrumenta reperiri poterunt, conſideret diligenter qui reditus et jura eiſdem ſpectabant, et ſpectare deberent, et pro quibus et qualibus perſonis erant inſtituta, et de eorundem piorum locorum deſtructione, mutatione reddituum in alios uſus, et a quibus de præſenti poſſidentur, et quo titulo; et idem fiat de capellanis et aliis fundationibus et officiis eccleſiaſticis perpetuis, et in divinum cultum et pro ſalute et ſuffragio animarum fundatis intra diœceſim; et quod in præmiſſis certi comperuerint, in ſequenti conventione generali, ſeu prælatorum concilio provinciali, ad effectum correctionis referant: circa quæ hortatur hæc conventio omnes et ſingulos abbates, priores, commendatarios, adminiſtratores, prioriſſas monialium, necnon præpoſitos, ac decanos eccleſiarum collegiatarum, et qui ad hoc tenentur, quatenus eleemoſynas per

ANNO CHRISTI 1549.

ipſos pauperibus mendicantibus erogari ſolitas, renovandas et continuandas curent, ac ſuas eccleſias tam in parietibus quam in tectis ruinoſas, ac defectuoſas reparent, et reſtaurent; et deſuper ſinguli ordinarii in ſuis viſitationibus proxime futuris diligentem inquiſitionem et diſcuſſionem habeant, nec non et hujuſmodi eleemoſynarum diſpenſatio viris fidelibus et diſcretis ac honeſtis committatur, qui pauperum curam in illis locis agant, atque ut uniuſcujuſque monaſterii magiſtri fabricæ et operum directores, quatenus ſingulis annis in eccleſiis fieri debet, ad loca eccleſiaſtica ipſis monaſteriis et eccleſiis præfatis annexata, pro defectuum correctione viſitanda mittantur, hortatur et ordinat.

41. *Quod beneficia patronatus non conferant niſi prævio edicto.*

Item ad evitandas lites in beneficialibus, ne ex ignotis procedatur interdum ad conferendum beneficia, quæ ad aliorum patronatum ſpectant, ſtatuit concilium, ne per locorum ordinarios proviſiones quorumcumque beneficiorum, in non maxime claris, niſi prævio edicto publice et ſummarie, tam de vacationibus quam de jure patronatus ipſorum præſentantium, juxta cap. *ſid.* de elect. lib. VI. cognito. Exceptis his, quæ ad ipſorum ordinariorum diſpoſitionem collationemque pleno jure pertinent, et de quorum patronatu certo et liquido conſtat, cuicumque vel quibuſcunque fiant aut concedantur, utque regiſtra omnium collationum apud ſingulos ordinarios et eorum quemlibet remaneant.

42. *Ad ſubſtentationem & perſiſtentiam ſeminatorum verbi divini, quo chriſtiana plebs paſcenda eſt.*

Archiepiſcopus, primas, epiſcopi ordinarii, & alii inferiores de clero, in concilio præſenti provinciali conventionem generalem epiſcoporum, & cleri regni Scotiæ repræſentantes, ad perpetuitatem ſermocinantium per provinciam, & eorundem ſuſtentationem, ne prædicantes ipſi victu & neceſſariis deſtituantur, aſſignarunt pro ſe & aliis reſpective prædicatoribus ſermocinaturis, per quemlibet prælatum, in ſuis locis & populo ſubjecto, prædicandi beneficia ſequentia, cum proviſione fienda de non reſignandis illis per poſſeſſores in præjudicium ſermocinantium, ut inſtrumentis deſuper captis continetur.

Sequitur prædicatoribus aſſignatum.

Pro archiepiſcopo S. Andreæ rectoria ſeu eccleſia de Mutzerz.

Pro archiepiſcopo Glasguenſi vicaria Glasguenſis ſeu Glasgu. ſecunda.

Pro epiſcopo Aberdonenſi præcentoria aut præbenda de Crouden.

Pro epiſcopo Moravienſi rectoria de Inverkathen.

Pro epiſcopo Candidæ caſæ rectoria de Szertzersy.

Pro epiſcopo Dumblanenſi præbenda de Kippin.

Pro epiſcopo Dunkeldenſi archidiaconatus Dunkeldenſis.

Pro epiſcopo Lesmorenſi archidiaconatus Lesmorenſis.

Pro epiſcopo Orcadenſi præpoſitus de Kulzenay, aliter Orknay.

Pro epiſcopo Brechinenſi ſubdiaconatus Brechinenſis.

Pro epiſcopo Roſſenſi archidiaconatus Roſſenſis.

Pro epiſcopo Cathanenſi archidiaconatus Cathanenſis.

Pro prioratu S. Andreæ vicaria trinitatis S. Andreæ.

Pro monaſterio de Aberbrothec vicaria de Heymure.

Pro monaſterio de Pasleto vicaria de Kilmahome.

Pro monaſterio Kilwyning vicaria de Domlop.

Pro monaſterio de Dumfermling vicaria de Muſſilbrugh.

Pro monaſterio de Kelſo vicaria de Lynthon.

Pro monaſterio Sanctæ crucis vicaria de Falkirk.

Pro monaſterio de Driburg vicaria de Killymuyt.

Pro monaſterio de Lundoris vicaria Dumdey.

Pro monaſterio de Scona eccleſia Kylernad in dioeceſi Cathanenſi.

Pro Inchmahomo vicaria Linthrathen.

Pro monaſterio de Melroſs vicaria de Haſieden.

Pro prioratu de Codynhame vicaria de Edinburg.

Pro prioratu de Quhythorne vicaria de Glaſſantone.

Pro Kynioſs.

Pro monaſterio S. Columbæ inſulæ vicaria de Leſſlia.

Pro monaſterio de Jedburg vicaria de Dunbian.

Pro monaſterio de Deyr vicaria de Petterburgh.

Pro monaſterio de Balmerino rectoria de Logymarthe.

Pro Cupro.

Pro Glenlus.

Prælati monaſteriorum non habentes beneficia ad eprum diſpoſitionem, dent penſiones condignas ad ſuſtentationem prædicantium.

Prioriſſatus de Northberwick vicaria de Largo.

Item viſum eſt præſenti concilio rerum & temporis qualitate penſata, ut in principio ſive exordio concionum, ſeu poſt easdem finitas, ſervetur vetus & receptus invocandi modus, dicendi *Pater noſter*, pro gratia obtinenda, cum ſalutatione angelica ad beatiſſimam Virginem, ad divinam gratiam pro felici & fructuoſo ſermone fiendo impetrandam apud Dominum Deum; ut fiat in fine ſermonis oratio pro animabus defunctorum, ex recepta eccleſiæ conſuetudine.

43. *Pro*

ANNO CHRISTI 1549.

43. Pro hæresibus extirpandis.

Item pro hæresibus extirpandis in præsenti concilio statutum est, ut singuli locorum ordinarii in suis dioecesibus deputent hæreticæ pravitatis inquisitores viros, pios probos, eruditos, & in theologia doctos, qui etiam sint bonæ conversationis, & famæ, & magnæ circumspectionis, & qui cum exactissima diligentia perquirent de hæresibus, & coercendis erroribus, & peregrinis opinionibus contra sacramenta ecclesiastica, & aliis; quique inquirere teneantur de libris damnatis hæreticorum, & de fide male sentientium, & ubi comperti fuerint, ad locorum ordinarios deferantur. Et præterea B singuli abbates & priores, commendatarii, administratores, provinciales, ministri & guardiani in suis monasteriis, coenobiis, & locis, hoc idem circa suos subditos & religiosos faciant, diligenter cellas suorum religiosorum perscrutentur, ut quicquid ibi hæreticorum librorum, aut contra fidem sentientium repertum fuerit, etiam ad ordinarios deferatur.

44. Sequuntur nonnullæ ordinationes ad reprimendas hæreses tum utiles tum necessariæ.

In primis statutum est, ut ordinarii locorum quantum commode fieri poterit, pro tempore & locorum ratione contra hæreticos diligentem & exactam inquisitionem faciant singulis annis, universales quater in anno, particulares vero toties quoties occasio sese obtulerit; ut eas quidem juxta suam possibilitatem & diligentiam exequantur, secundum formam & dispositionem sacrorum canonum, & præscriptorum capitum, ut officium cap. *objurans*, cap. *& commissæ*, cap. *ut statuta* de hæreticis, lib. 6. aliaque jura canonica insequendo ac regni consuetudines hactenus observatas con- D tra hæresiarchas, & sacramentarios, & præcipue contra sacramentum Eucharistiæ obloquentes cum severitate juris procedant; & ut inhibitoriales literæ fulminentur sub poena excommunicationis ipso facto, tam contra prædicantes absque permissione ordinarii, quam contra ipsos parochianos, seu alios eorundem hujusmodi prædicatorum auditores, ne ipsis audientiam & assistentiam seu favorem præstent; & cum hoc literæ reginæ suis literis conformes per ordinarios impetrentur, & executioni demandentur.

Item hortatur præsens conventio in visceribus Jesu Christi, ac pro pietatis zelo, quo E omnium hæresum in hoc regno occasionibus facilius occurratur, ipsique ordinarii ad easdem reprimendas liberius & expeditius procedere valeant, quatenus ipsi & eorum quilibet, nec non cæteri prælati, & beneficiati regni mores suos ac vitam juxta præsentis concilii statuta & ordinationes ad meliorem frugem emendent, ne ad aliorum mores districte corrigendos prorumpant ipsi notoriis criminibus irretiti, cum hinc maximum populi scandalum, et plurima hæreseos pars oriatur.

ANNO CHRISTI 1549.

45. De prædicatione verbi Dei.

Tertio, ut provideat quisque infra suam dioecesim, ut rectores ecclesiarum, & aliæ ecclesiasticæ personæ laborent pro viribus, ut verbum Dei inter suos greges pure, sincere, & catholice tractetur, veri ceremoniarum ecclesiasticarum usus prædicentur modeste, sobrie & prudenter; vetentur opiniones falsæ, criminentur palam & arguantur. Ut ecclesiis, monasteriis, collegiis, universitatibus, aliisque piis locis unitis & B incorporatis frequentioribus verbi Dei prædicationibus provideatur, statutum est ut abbates, priores, commendatarii, administratores, ac talium locorum præpositi, mercedes solito liberaliores, tam religiosis quam aliis, ad disseminandum verbum evangelicum per ordinarios admittendis, restituant; & ut ipsi prædicatores ad unamquamque ecclesiam parochialem benigno hospitio recipiantur, quodque ad hunc effectum ipsi religiosi & singulis parochialibus ecclesiis, de quibus nullas habent annuas pensiones victualium, pro quatuor prædicationibus per ipsos annuatim ad supplendum rectorum vices fiendis, pro suis laboribus C & expensis in toto quadraginta suscipiant annuatim solidos: pro qua summa officiales seu commissarii singularum dioecesum, ubi per ipsos religiosi ad hoc vocati fuerint, ostensis testimonialibus contra rectores suas monitiones simplices fulminent, atque eosdem cogant, ad earundem summarum solutionem aliis juris remediis opportunis; proviso tamen, quod iidem religiosi sint contenti pensionibus victualium, quas annuatim ex monasteriis, prioratibus, aliisque locis seu collegiis pro suis prædicationibus percipere solent.

46. Quoties prædicetur per rectores inquiratur.

Item ut singuli curati in suis libris notent, quoties nomine rectoris seu vicarii in singulis ecclesiis concionati fuerint ipsi religiosi, & idipsum locorum ordinariis in suis synodis intiment, atque etiam ut per ipsos prædicatores commonstrent vicarii seu curati residentes de certo die festo prædicationis futuræ, ut ipsi parochianis suis debito tempore denuncient, quo frequentiores sermonibus interesse possint, & curati hoc negligentes per ordinarios..... feriantur; & de singulis in præsenti statuto contentis diligenter inquirant decani in suis visitationibus.

47. Articuli inquirendi per inquisitores hæreticæ pravitatis.

Item expedire visum est, ut notentur specialiter nonnulli articuli, super quibus hæreticæ pravitatis inquisitores suas inquisitiones formare potissimum deberent, & ut concionatores in suis prædicationibus, ubi

ANNO CHRISTI 1549.

eorundem occaſiones inciderint ſecundum temporis & auditorum exigentiam, inter quos tales errores noti fuerint, contra eosdem diſerte & prudenter populum doceant & inſtruant, juxta catholicæ eccleſiæ ſententiam. Caveant tamen, ne ubi nullas inter ſuos auditores hæreſes compertas habuerint, de hæreſibus ignotis mentionem faciant.

48. Sequuntur ipſi articuli.

In primis contra eos, qui adverſus ipſa ſacramenta aut ceremonias, ritus, & obſervantias ab eccleſia receptas in ſacramentorum adminiſtratione obganniunt, & præſertim in ſacramento baptiſmi, & ſacrificium miſſæ, confirmationis, extremæ unctionis, poenitentiæ, & aliorum; contra cenſuras eccleſiaſticas contemnentes.

Contra negantes aliquas animam ſanctorum cum Chriſto jam regnare uſque ad diem judicii, & cum anima & corpore glorificato poſtea in æternum regnaturas.

Contra negantes animæ immortalitatem.

Contra negantes retributionem operum in fide & charitate.

Contra negantes purgatorium poſt hanc vitam.

Contra negantes interceſſiones & orationes ſanctorum.

Contra negantes imagines licitas eſſe in eccleſiis chriſtianorum, & ſanctiones canonicas.

Contra negantes auctoritatem concilii generalis in decernendis dogmatibus.

In univerſum contra adverſantes quibuslibet determinatis vel determinandis per concilium generale, ſeu provinciale; contra derogantes jejuniis, & feſtis indictis ab eccleſia.

Item ut unusquisque ordinarius intra ſuam dioeceſim, perquirat, qui apud ſe detinent aliquos libros rythmorum ſeu cantilenarum vulgarium, ſcandaloſa eccleſiaſticorum & hominum vel conſtitutionum vituperia & probra, ſeu famoſos libellos, aut quamcumque hæreſim in ſe continentia; & ubi comperti fuerint, prohibeantur ſub poenis actorum parlamenti atque confiſcentur, & comburantur, interdicaturque univerſaliter eorum uſus, mercatura, impreſſio & lectura ſub ſimilibus poenis.

49. Circa orationem dominicam.

Concilium decrevit ex moventibus hoc vulgare quod ſequitur hic inſerendum.

De Pater noſter & Ave Mariæ in concionibus.

In omnium concionum publicarum exordiis ſervetur vetus & receptus invocandi modus per orationem dominicam, cum ſalutatione angelica ad virginem Deiparam, pro gratia impetranda; & in earundem concionum fine oretur pro animabus defunctorum in recepta eccleſiæ conſuetudine.

50. Sequuntur nonnullæ ordinationes penes officium procuratorum.

De exercitio curiarum conſiſtorialium in earum cauſis deducendis.

Inprimis prohibet hæc conventio, ne qui procuratorum in foro eccleſiæ cauſas vel intendendas vel defendendas temere ſuſcipiant, abſque integra & plenaria informatione veritatis, ſi non in primo, ſaltem in ſecundo termino; & ſi ſi ſuper veritate informationum fidem facere recuſaverint, denegetur eis procurandi ſuffragium; habita vero in hunc modum informatione prudenter explorent, & quilibet eorum exploret merita cauſæ, & quo jure tam actio quam defenſio notatur; quod ſi per ſe hoc non valeant præſtare, a doctoribus exquirant quid juris, & ſi comperiant nec canonico, nec civili, nec municipali, & conſuetudinario juri aut ſtylo fore conſonam informationem, ſuo patrocinio deſtituant, quantumvis magna merces proponatur, & idipſum faciant, ubicunque in cauſæ deductione de ejusdem injuſtitia apparuerit.

51. De calumniatoribus & infamibus.

Secundo ſtatutum eſt contra manifeſtos calumniatores, qui nihil penſi habent, juſtane an injuſta cauſa fuerit, dummodo ſpes lucri inde fulſerit, quod quicunque de talibus fuerint convicti ſcienter iniquam cauſam ſuſcepiſſe, vel ſuſtinere, vel qui ad deterrendas partes a juſtis actionibus vel defenſionibus proferre præſumant, ſeſe cauſas vel lites ad annum, biennium, vel aliud longum tempus protracturos calumniandi animo, tanquam perjuri ac infames habendi ſint, ac ab officio procurandi repellantur, & inſuper per ordinarios locorum ad arbitrium puniantur; & idipſum de his ſentiendum eſt, qui cum litigatore de quota litis paciſcantur, aut paciſcentibus ſuam operam pollicentur.

52. Fruſtratorias rationes obiiciens punitur.

Item ſtatutum eſt, quo meliori fide cauſæ tractentur, ut ſi quis fruſtratorias rationes, vel exceptiones exhibuerit, iiſdem repulſis, vel ſi admiſſæ fuerint, non probatis exhibens eaſdem ſeu producens, ultra expenſas litis parti ſolvendas, taxatione judicis pro prima vice duos ſolidos perſolvat, pro ſecunda vice in eadem cauſa duplicetur, pro tertia triplicetur, & ſic deinceps creſcat pœna, & inſuper ſuſpectus de calumnia habeatur, & pœnis prioris ſtatuti ſubjaceat; ſi tertio in eadem cauſa hoc admiſerit, & ſi quas nova relevantes, aut alias quævis legitima ratione non admiſſibili produxerit, antequam ad eorundem reformationem de ſtylo . . . . . admittatur, juret, quod ſuam omnimodam diligentiam fecit pro iiſdem pertinenter ad ipſum terminum fabricandis, nec ex induſtria inſufficientes propoſuiſſe ad effectum prorogandi terminum.

ANNO CHRISTI 1549.

53. *Inducere ad jurandum.*

Item ſtatutum eſt, ſi quis ſive perſuaſionibus partes aut teſtes ad ſophiſtice jurandum induxerit, aut fruſtrationis cauſa ſubterfugere fecerit inſtrumentave corrumpenda procuraverit, aut a protocollis varianda, quod poenis de calumniatoribus ſubjaceat.

Item ne quis longiores urgeat dilationes, quam cauſæ neceſſitas poſtulat, ne ſuæ diſſidiæ aut malitiæ falſas excuſationes protelandæ animo lites, ſcripturaſve ſemel in judicium productas ſupprimat, ne judiciorum curſus defectu earundem impediatur, aut cauſas ultro inter ſe per colluſionem dormire patiantur.

54. *De ordine advocatorum in judicio.*

Item ſtatutum eſt, ut in judicio aut cauſarum diſputationibus omnia modeſte & abſque tumultu fiant & dicantur, & ut quiſque ſuo loco ſedeat, quoadufque per ſcribam ejus cauſa fuerit in ſuo turno nominata; & tamen breviter deſiderio termini reſpondeat; & ſic viciſſim alterius partis procurator agat, atque a vulgari ſermone, quantum fieri poſſit, in judicio abſtineant, reliqui vero audiant in ſilentio, ad quos illa cauſa non ſpectat.

55. *Advocati judici honorem deferant.*

Item ſtatutum eſt, ut ſcribæ curiarum in omnibus ſe promptos & paratos ad obſequendum & parendum judicum mandatis præſtent, eiſdemque debita obſequia, honorem & obſervantiam deferant, atque intra ſui officii fines ſeſe contineant, vid. præter communia nihil, inconſulto judice, nullaque acta confeſſionis, niſi prius per judicem conſiderata, an levia, an ſecus, an ſimoniaca, an uſuraria, aut alias illicitas pactiones continentia fuerint; & ne ultra taxam veterem a procuratoribus vel partibus exigant, prætextu cujuſcumque conſuetudinis aut corruptelæ hactenus obtentæ, cujus taxæ veteris tenor infra habetur.

56 *Ut proceſſus per ſcribam ante judicem diligenter obſervetur.*

Item, ut ſcripta conſerventur & proceſſus partis, ſtatutum eſt, ut regiſtra fiant, in quæ omnium proceſſuum omnes partes & ſcripta in judicium producta redigantur, ne pereat ulla pars proceſſus, aut ne alia, quam coram judicibus producta primo fuerint, ſupponantur; principalia vero remaneant ad regiſtrum, & accepto ſigno receptionis & nomen recipientis in libro notent, quæ tantum quamprimum ſcribæ reſtituantur. Et ſi in præmiſſis culpapiles reperti fuerint ſcribæ, provideant poteſtatem habentes de aliis eorum loco.

57. *Circa reformationem proceſſuum curiarum conſiſtorialium.*

ANNO CHRISTI 1549.

In primis pro abbreviatione proceſſuum ſtatutum eſt & ordinatum, ut in omnibus cauſis ſummam viginti librarum non excedentibus, procedatur in poſterum modo quo ſequitur; ut parte citata, & minime comparente, in pœnam contumaciæ ejuſdem proponatur petitio rem petitam continens, & ſpecificatio qualitatum ejuſdem ad articulos referatur, & ſtatim ſtatuantur termini ad articulandum & probandum, et citetur pars ad reſpondendum poſitionibus et articulis, nec non ad videndum teſtes, et alia probationum genera recipi, jurari, et admitti, qui ſi apparuerint etiam in poenam contumaciæ rei nolentis comparere, ad effectum præmiſſum admittantur, et examinentur, et ſtatim ad acta fiat publicatio, et ſtatuatur terminus ad dicendum contra producta, necnon ad proponendum omnia jura, parte adhuc citata, in quo termino parti ſimiliter contumaci ſtatuatur terminus ad pronunciandum.

Si vero pars rea in primo termino comparuerit, qualificetur ſtatim petitio & inſeratur apud acta; ſi nolit ſtatim reſpondere facta fide corporaliter, quod inſtanter reſpondere nequeat, detur ei triduum ad reſpondendum, aliudve breve tempus ex arbitrio judicis, quo termino ſi ad reſpondendum contumax fuerit, quovis modo procedatur, ut ſupra; ſi vero comparuerit, & dilatorias propoſuerit, diſcutiantur ſimiliter excluſa omnium reſervationum cauſa, & lite poſtmodum conteſtata, ſtatuatur unicus terminus ad probandum, et poſt probationes productas ſi reus petat articulos directe contrarios; juratus primitus ſolenniter quod ſint neceſſarii pro defenſione cauſæ, ſtatuatur ei brevis terminus ad probandum eosdem una cum oblatis contra perſonas teſtium & peremptoriis ac omnibus juribus quibus uti voluerit in cauſa procedendum; quibus hinc inde diſcuſſis & probationibus deſuper deductis, quam breviſſime juxta formam veteris ſtatuti, ſuper hoc ſtatuatur terminus ad pronunciandum in principali cauſa, in omnibus tamen his ſalvis legibus ..... partium defenſionibus replicatis, duplicatis, cum arbitrio boni judicis neceſſariis abſque tamen calumnia.

Et eodem modo quo ſupra in omnibus cauſis ſummariis procedatur, & breviter, ut in cauſis infra viginti libras procedatur æque ſummarie, ſalvis infra ſcriptis atque ſolitis, et in cauſis infra decem libras.

In plenariis vero uſitate procedend. forma ſervetur, terminis tamen arbitrio judicis, ſalvis ſubſtantialibus judicii, corripiendis & abbreviandis.

In cauſis vero appellationum ſtatutum eſt, ſi ab interlocutorio appellatum fuerit, & nequaquam devolvantur, niſi cauſæ in appellatorio contentæ relevantes apparuerint, juxta juris diſpoſitionem; abſolutiones vero nullæ dentur ante devolutionem, ſive ab interlocutoria ſive a definitiva fuerit appellatum; præterea, ſi decretum fuerit per ju-

ANNO CHRISTI 1549.

judicem, ad quem bene judicatum et male appellatum, ab interlocutoria remittatur-A causa judicii, a quo nec retineatur; et ante omnia cavendum, ne dentur citationes seu inhibitiones super appellatoriis nisi visis apostolis.

Item infra archidiaconatum Laudoniæ non committatur examinatio testium ulli notorio curiæ primatialis, nisi ipsi officiali Laudoniæ suisve commissariis ad hoc faciendum per supplicationem primitus requisitis.

Item si quis citatus ad respondendum positionibus & articulis comparens, jurare aut respondere requisitus per judicem, recusaverit; decrevit conventio, quod juris dispositioni consonum esse agnoscit, ut pro confitente in articulis habeatur, ne per recusantis malitiam retardetur jus alterius partis.

Item caveant procuratores, et alia membra judiciorum, ne judicem vociferationibus in judicio turbent, ne vel palam vel occulte apud collitigantes blasphemiis, aut convitiis traducant, sed si læsos sese quovis modo comperiant, modeste de remedio juris protestentur.

Item statutum est, ne quis officio procurandi sese ingerat, nisi catalogo fuerit descriptus, atque hi omnes sint parati ad præmissa observanda, et ad omnimodam reverentiam judici, tam in judicio quam extra, exhibendam, et qui in præmissis culpabiles fuerint, arbitrio judicis coerceantur, vel a procurandi officio penitus suspendantur.

58. Demum hæc sancta synodus seu concilium provinciale statuit et decrevit proximum futurum concilium provinciale huius provinciæ Scoticanæ habendum et celebrandum fore, sine quacunque prætermissione, aut literis mittendis vel fulminandis, in loco fratrum prædicatorum Edinburg. infra oppidum Edimburgi die Jovis 14. mensis Augusti proxime futuri, salvis tamen impedimentis, alioquin dicto die Jovis 14. Augusti præfati in civitate S. Andreæ seu oppido de Lynlythuho sancti Andreæ dioecesis, sic et prout rogati et requisiti fuerint episcopi ordinarii, prælati, et alii de clero regni prædicti.

B

Anno Christi 1551.

JULIUS PAPA III.

Sedit ab anno 1550. usque ad annum 1555.

Anno Christi 1551.

CONCILIUM PROVINCIALE

cleri Scoticani habitum Edinburgi An. D. MDLI.

In quo sequentia acta edita sunt.

IN primis hoc præsens concilium, constans huius regni prælatis, concilium provinciale facientibus, relectis, auditis, et discussis diligenter per omnia statutis et ordinationibus aliarum provincialium conventionum, præside reverendissimo domino primate totius regni moderno et præsenti, antehac habitarum, eadem in certissimum totius ecclesiastici status ac populi christiani commodum vergere, in universum ratificanda, approbanda, et observanda una cum nonnullis in hac synodo additis, et adjectis, quæ in specie sequuntur communi omnium et publico decreto concluſa, prout eadem præsenti tenore approbat, acceptat, et ratificat.

2. *Executio decretorum prioris concilii.*

Verum quia propter temporis difficultatem et multiplicia impedimenta quædam eorundem statutorum prius editorum, quibus executioni demandandis certa in ipsis erant tempora præfixa, nullum tamen adhuc effectum sunt sortita; idcirco expresso jam omnium consensu absque ulla ulteriori dilatione deinceps eadem, quemadmodum antea salubriter sancita erant, ita et nunc diligenter executioni demandanda decrevit, ad tempora inferius limitata, prout unusquisque ordinariorum respondere voluerit pro suo officio in districto Dei judicio.

3. *De prædicatione verbi Dei.*

Et specialiter cum cæteris omnibus supra scriptis approbat præsens concilium statutum illud prius editum, de divini verbi prædicationibus per rectores..... quater singulis annis fiendis, cum mulctis et poenis in deficientes seu contravenientes eidem utrobique adductis; atque ejusdem executionem per singulos ordinarios fieri mandat, infra hinc et proximas uniuscujusque dioeceſis synodos. et quod in contravenientes suasve partes in dicto statuto injunctas absque mora citationes simplices dentur pro ipsarum mulctarum solutione, juxta statuti tenorem per ipsos ordinarios, aut eorundem commissarios, in religiosorum et pauperum usus applicandarum.

4. *De theologo & canonista.*

Approbat quoque similiter statuta ista de theologis et canonistis apud singulas ecclesias cathedrales, necnon pro theologis in singulis monasteriis instituendis, et honorifice sustentandis, juxta continentiam ejusdem; placet universo concilio, ut statuta eadem sententia debitam executionem sortiantur, intra hinc et festum divi Michaelis proximum, et quod contra negligentes severiter procedatur; atque eodem modo ut statutum illud de religiosis, ad universitates studiorum gratia mittendis, et ibi juxta monasterii facultates honeste sustentandis suam executionem cum omni rigore intra hinc et festum Pentecostes proximum sortiatur.

5. *De examinatione curatorum & vicariorum.*

Ad hæc universæ synodo visum est utile et necessarium, ne diutius per minus sufficientes seu idoneos curatos animarum cura defraudetur, ut statutum illud de curatorum, et vicariorum pensionariorum examinationibus, diligenti indagatione et excussione habeatur infra hinc et proximas cujusque dioeceſis synodos; et ibidem circa statutum de monasteriorum examinationibus, & clericorum parochialium.

6. *De computo & ratiocinio testamentorum.*

Approbat similiter præsens conventio constitutionem illam de testamentorum confirmationibus prius promulgatis, hoc addito, ut in posterum nullæ omnino confirmationes ad intus et extra dentur, sed singula confirmanda in specie exprimantur, & contineantur in bonorum inventariis, non autem sub aliqua summa generali & extra sub poena omissionis quotæ levandæ piis usibus applicandæ.

Item mandat, ut reverendissimi & reverendorum dominorum ordinariorum, & decani registra testamentorum, tam majorum quam minorum, habentes eadem, bis singulis annis, ipsis officialibus, seu commissariis generalibus patefaciant, ut procuratoribus fiscalibus pro computis & ratiociniis eorundem testamentorum mandatum dent, ut ipsa computa expedienda quamprimum juris ordine curent, & ipsi procuratores super debito sui officii respondere voluerunt, alioquin de negligentia puniendi & officio destituendi; ne tam proles defunctorum suis

por-

ANNO CHRISTI 1551.

portionibus bonorum, quam creditores & legatarii fraudentur.

Simili quoque modo ſtatutum illud de teſtamentis Orcaden. dioeceſis ad formam & honorem cæterorum hujusmodi regni dioeceſeon ordinandis, approbat & teſtamenta dioeceſis ..... & inſularum omnium extendendis, decrevit, cum ubi pia dignoſcitur eſſe ratio, eadem quoque debet eſſe juris diſpoſitio.

7. *De cauſis matrimonialibus.*

Porro quia contingit cauſas matrimoniales nimis leviter in judicio tranſmitti; cum tamen ſint ſua natura valde graves & arduæ, ac epiſcopis ipſis de jure reſerventur; ſtatuit hæc ſancta prælatorum conventio, ut nullæ deinceps ſententiæ in cauſis matrimonialibus ad divortium tendentibus per officiales ſeu commiſſarios cujuſcunque diœceſis hujus regni pronuncientur, niſi proceſſus hujuſmodi & cauſarum merita per ipſos ordinarios diſcuſſa, & legitime perpenſa fuerint, quo facto ex ſpeciali ipſorum ordinariorum mandato & conſilio, quod ſacris canonibus conſonum fuerit, decernatur; utque teſtes ipſi in ejuſmodi cauſis prudenter & circumſpecte ſuper gravibus facti circumſtantiis ad teſtium fidem tentandam & explorandam neceſſariis & opportunis examinentur & diligenter interrogentur, quodque ſuppoſitiones pro teſtium examinationibus infra alienas diœceſes præciſa ipſis locorum ordinariis, officialibus ſeu commiſſariis ..... cujuſcumque dioeceſis, & nullis deputatis, aut ſubſtitutis delegabuntur, teſtibus vero ſecus examinatis nulla fides habeatur.

8. *Quod parochiani ſingulis dominicis & feſtivis interſint miſſæ.*

Item præſens conventio animadvertens divinorum myſteriorum contemptum maximum aliquot hiſce proximis annis inter regni ſubditos invaluiſſe, ſicut pauci admodum ex populoſiſſimis parochiis ſacroſanctæ miſſæ ſacrificio diebus dominicis, & aliis feſtivis duplicibus ab eccleſia indictis, aut divini verbi prædicationibus adeſſe dignentur; ideo ſtatuit & ordinat, ut omnes & ſinguli a ſuis parochialibus miſſis diebus præſcriptis vel prædicationibus verbi divini in ſuis eccleſiis parochialibus ſeſe ultro abſentantes diligenter notentur per curatos, qui eoſdem decanis in ſuis viſitationibus majorum exceſſuum deferant, poenis publicatis juxta perſonarum qualitates, & delicti hujuſmodi frequentationem, & hujuſmodi deficientiam diſtricte puniendos; & ſimiliter, qui rem ſacram minus reverenter aut indevote audire conſueverint, quique jocantur, aut ſcurriliter ſe gerunt in eccleſiis temporibus ſermonum, aut qui in portis eccleſiarum aut cœmeteriis ludibria interim exercere, aut aliis profanis negotiationibus vacare præſumpſerint, non ſolum cenſura eccleſiaſtica feriantur, ſed etiam aliis pœnis arbitrio ordinariorum infligendis ſubjaceant; & quod hujuſmodi abuſuum occaſiones citius tollantur, ſtatuit hæc præſens conventio, ut prohibeantur per vicarios & curatos omnes mercaturæ in portis eccleſiarum, & in coemeteriis divinorum tempore diebus dominicis & feſtivis, & quod nulla venalia durante ſacro exponantur, ſeu aperiantur, prope limites eccleſiarum, ſed quod ſinguli tunc temporis vel ſacro, orationibus, precibus, vel divini verbi prædicationibus diligenter attendant, & hoc ſub poena excommunicationis, & 200. ſolidorum ſingulis vicibus, quibus præſentibus fuerit contraventum.

9. *De viſitatione hoſpitalium.*

Inſuper præſens conventio pietate erga pauperes Chriſti mota, ad quorum ſupportationem hoſpitalia ab initio erant inſtituta, ſtatutum illud celeberrimum ſuper viſitationibus hoſpitalium in ſingulis hujus regni dioeceſibus, intra hinc & feſtum divi Michaelis proximum executioni mandari vult; & ut decani in ſuis viſitationibus de ſtatu omnium hoſpitalium juxta tenorem illius ſtatuti referant, & debito tempore officialibus, ſeu commiſſariis generalibus ad effectum, ut ipſi defectus hujuſmodi corrigant, & opportuna remedia deſuper proſpiciant.

10. *Additio ad vetus ſtatutum de excommunicatis vitandis.*

Item quod excommunicatio omnium eccleſiaſticarum perſonarum graviſſima poena præ hominum corruptis & diſſolutis moribus prope viluit, ut eidem tamen ſua auctoritas, reverentia, & vigor juxta ſacrorum ſanctiones canonum reſtituatur quantum, hæc tempora ferunt; ſtatuit hæc præſens conventio, & nomina excommunicatorum per ſingulos curatos ſuarum parochiarum, cujuſcunque ſtatus, gradus, conditionis aut præeminentiæ fuerint, in ſuis libris ſcribantur, ut ſingulis diebus dominicis publicentur omni timore & favore excluſis.

11. *Nomina excommunicatorum publicentur.*

Item ut inſordeſcentes a viginti diebus juxta vetus ſtatutum provinciale, niſi ſub juſta appellatione fuerint, velut abominabiles in cancellis eccleſiarum parochialium, & in aliis publicis locis per curatos affigantur, & ibidem fixa remaneant eorum nomina, donec abſolutionis beneficium obtinuerint; habita vero abſolutione eorum nomina de libro deleantur, & in margine ſcribatur talis abſolutus.

12. *Inſordeſcentes affigantur in cancellis & valvis eccleſiæ.*

Inſuper ut ipſi curati, antequam exordiantur rem divinam, moneant publice & generaliter omnes perſonas excommunicatas, ut quamprimum ſeſe a divinis rebus amoveant; certificando expreſſe, quod quicunque ſcienter poſt illam admonitionem ſeu requiſitionem ſeſe divinis ingeſſerit, tunc tem-

ANNO CHRI 155

ANNO CHRISTI 1551.

temporis excommunicatus existens sive personaliter, sive in sua ecclesia fuerit parochiali publice & solenniter denunciatus sententiam juris incurrit, a qua non poterit absolvi, nisi per sanctissimum dominum nostrum papam, & insuper poenis actorum parliamenti subjacebit: & si ecclesiastica persona & beneficiata fuerit, & hujusmodi admonitionem contempserit, aut quandiu sub excommunicatione hujusmodi insorduerit, quod pro rata temporis suæ insordescentiæ fructibus sui beneficii privabitur, in paupere s suæ parochiæ per ordinarios, aut eorundem commissarios erogandis; si vero non fuerit beneficiatus, tamdiu incarceretur pane & aqua, quamdiu sub ejusmodi censura insorduerit, vel aliter arbitrio ordinarii puniatur.

13. De glebis ecclesiæ non alienandis.

Præterea quod res & bona ecclesiarum & certæ decimæ reditus & proventus jam passim sub prætextu evidentis utilitatis ecclesiarum, ad ipsorum possessorum cupiditatem dumtaxat explendam, aut consanguineorum & amicorum opes, facultates, & possessiones augendas, & ampliandas, carnali affectione ad longum tempus locantur, alienantur, dilapidantur, & profligantur, tam in ipsarum ecclesiarum irrecuperabile dispendium, & damnum, quam etiam in ipsorum successorum summam inopiam & penuriam, ut vix ex reliquis fructibus onera ecclesiæ & necessarias expensas juxta personæ suæ facultatem sufferre possit & valeat; quocirca hujusmodi parum providis ecclesiasticarum personarum administrationibus occurrere volens præsens conventio inhibet expresse, ne in posterum mansiones, croptæ proximæ vicariis ipsis residentibus deputatis ecclesiis contiguæ jacentes per rectores vel vicarios in emphytheosim ullo tempore futuro dentur, aut ad longum tempus assedentur; constitutiones veteres provincialium conciliorum hujus regni desuper olim prudenter sancitas in usum revocandas, hoc ipsum temporum necessitate exigente, decrevit, easdem approbat in omnibus & ratificat, ac in perpetuum valitura constitutione firmum eisdem robur addit.

14. De clandestinis matrimoniis, & bannis, & registris curatorum.

Eodem quoque modo approbat & ratificat præsens conventio vetera illa statuta provincialia super clandestinis matrimoniis, et bannorum debitis proclamationibus, tenoresque eorundem præsentibus inseri mandat, eisdemque addendo quod quia experimentis quotidianis compertum est ex nativitate et matrimoniorum clandestinorum quæstibus & controversiis, quamvis etiam legitime ratis, in summum paternæ seu avitæ hæreditatis, ac fortunarum omnium discrimen adduci; et hoc potissimum defectu legitimorum documentorum super natalibus et nativitatis temporibus, superque bannorum proclamationibus: statutum igitur est, ut singuli curati deinceps habeant registrum, in quo nomina infantum baptizatorum inscribantur, una cum nominibus personarum, quæ talium baptizatorum parentes communiter habentur et reputantur, necnon compatrum et commatrum, cum die, anno, mense, adscriptis etiam duobus testibus notent; quod etiam ipsum in bannorum proclamationibus servetur, quas præsens conventio in ecclesiis parochialibus tam viri quam mulieris respective, si diversarum fuerint parochiarum, fieri mandat; quæ quidem registra inter pretiosissima ecclesiæ jocalia conservari vult et præcipit, quodque decani in suis visitationibus desuper diligentem indaginem faciant, et deficientes ad commissarios referant, ut gravi-

ANNO CHRISTI 1551.

ter in eosdem animadvertatur.

15. De pœna ministri in clandestino matrimonio.

Præterea statuto de poenis tam partium contrahentium, quam ministrorum in matrimoniis clandestinis addit, & id aliqua ex parte reformat, statuitque ut presbyteri suam ad eadem clandestina matrimonia contrahenda operam seu ministerium accommodantes incarcerentur per annum, in pane et potu, necnon ab executione ordinum in triennium suspendantur; partesque ipsæ contrahentes publicas agant poenitentias, arbitrio ordinariorum, juxta statum et qualitatem earundem personarum moderandas et imponendas; hortaturque, ne ordinarii sint in hac parte quacunque occasione nimis remissi, ut plurima inconvenientia, quæ hinc proveniunt, saltem metu poenæ evitentur.

16. Circa editionem & publicationem catechismi in gratiam virorum ecclesiasticorum curam animarum gerentium.

Item præsens conventio semper habens ob oculos, quam diligenter ecclesiæ pastoribus a pastorum omnium principe Christo Jesu sit prædicandi verbi Dei officium commendatum, ut saltem in primis fidei catholicæ rudimentis probe instituantur greges ipsi, suæ curæ concrediti; atque interim secum reputans quot horrendæ hæreses aliquot hisce ordinis in variis et diversis hujus regni partibus sint grassatæ, jam vero devotissimi maximique providentia, singularique favore principum ac prælatorum vigilantia studioque erga fidem catholicam tandem repressæ, ac fere sopitæ videantur; consideransque insuper ecclesiasticos hujus regni inferiores et prælatos pro majori parte nondum eo eruditionis in sacris literis esse provectos, ut populum recte in fide catholica, aliisque ad salutem necessariis instruere, aut errantes convertere suo studio valeant. Ad igitur juvandos eorum pios conatus, industriamque promovendam, utque eadem vera, catholica, et apostolica fides, seclusis universis erroribus, integra et inviolabilis conservetur; statuit et ordinat librum quendam vulgari et Scotico idiomate conscriptum, ac prudentissimorum hujus regni prælatorum, doctissimorumque

ANNO CHRISTI 1551.

theologorum, et aliorum ecclesiasticorum virorum præsenti conventioni interessentium judiciis et calculis exactissima discussione habita, approbatum, in rectorum, vicariorum, et curatorum manus, tam pro populi christiani, cujus curam gerunt, instructione tradendum; quem catechismum, id est, communem et facilem rudimentorum fidei institutionem et doctrinam vocari vult, ipsiusque reverendissimi domini Johannis S. Andreæ totius regni Scotiæ primatis, in præsenti concilio præsidis, ipsiusque provincialis hujusce synodi nomine imprimendum, inque lucem edendum, ac in multa exemplaria transumendum, continentem veram sinceramque, juxta catholicæ ecclesiæ sensum ac intellectum decalogi, seu decem mandatorum Dei interpretationem, articulorum fidei, septemque sacramentorum simplicem, puram, ac christianam doctrinam, necnon orationis dominicæ, et salutationis angelicæ integram et salutarem expositionem; quorum *ignorantia*, ut ait Bernardus in declarationibus: *excusare non poterit hominem, qui se magistrum infantium doctoremque insipientium profitetur, quippe ipse ignorans ignorabitur; immo multos ignorare faciet & ignorari; quantum enim sit periculi omnibus, cum non invenit pastor pascua, ignorat dux itineris viam, vicarius nescit Domini voluntatem, ecclesia quotidie multipliciter & miserabiliter experitur*. Hæc divus Bernardus.

Cujus quidem libri exemplaria omnia, ubi excussa fuerint, præsentari ipsi reverendissimo mandat et ordinat præsens concilium, ut ipse singulis tam suis ecclesiasticis, quam aliis singulis locorum ordinariis, quot cuique dioecesi pro rectorum, vicariorum, ac curatorum numero et multitudine sufficere videntur, ejs tribuat; reliqua vero apud ipsum reverendissimum remaneant, et firma custodia serventur, prout tempus et necessitas postulaverint, dispertienda.

Caveant vero ipsi rectores, vicarii, et curati, ne sua exemplaria secularibus quibusque indiscrete communicent, nisi ex judicio, consilio, et discretione sui ordinarii; quibus ordinariis licebit nonnullis probis, bonæ fidei, ac discretis viris laicis, ejusdem catechismi exemplaria communicare, et iis potissimum, qui videbuntur potius suæ instructionis causa, quam curiositatis cujuscunque eadem expetere.

Cujus quidem catechismi singula capita et partes singulas ab ipsa præfatione seu exordio libri incipiendo ad finem usque absque interruptione, seu locorum quoruncunque omissione, continuando rectores per se, vel ipsi vicarii, aut curati, qui curam administrant omnibus dominicis et festivis diebus, quando ad divina audienda populus convenire solet et tenetur, alta et intelligibili voce, distincte, clare, articulate, et punctuatim omnibus silentio interdicto, quanta poterit maxima gravitate in suggesto, superpellicio ac stola induti ante summam missam ad dimidiæ horæ spatium legere, et de libro ipso recitare integre, et absque ulla hæsitatione, nihil addito, mutato, suppresso, vel omisso, sed prout verba jacent, sic ut populus lecta & recitata modo, quo supra, audire cum fructu, ac ædificationem inde concipere, & suæ salutis intelligentiam haurire valeat.

Quod ipsum quo melius, quo facilius, & cum majori populi reverentia & utilitate præstare possint, ipsi, quibus hoc munus præsenti constitutione injungitur, caveant ipsi rectores, vicarii, vel curati, ne minus præmeditate in pulpitum conscendant, sed toto studio & intentione ad lectionem peragendam crebra, frequenti ac diuturna futuræ lectionis repetitione sese præparent, ne se auditorum ludibrio exponant, ubi imparati in medio lectionis cursu hæsitaverint, aut impegerint, & propter hoc maledictioni divinæ se reddant obnoxios, cum, ut inquit scriptura *maledictus omnis, qui facit opus Domini negligenter*: & similiter, ne languide & oscitanter, sed cum quanto possunt maximo spiritus ardore, voce, vultu, & gestu ad pronunciationem concurrentibus, ut quæ leguntur animis auditorum vivæ vocis impressione, prout cuique gratiam dederit Dominus, infigantur. Hoc tamen proviso, ut non liceat cuiquam auditorum super lectis, aut modo quo supra recitatis, controversiam ipsi rectori seu vicario seu curato movere. Et si aliquis id attemtare præsumpserit, deferatur inquisitoribus hæreticæ pravitatis; nec vicissim licebit ulli rectori vicario, seu curato; nisi ad hoc ipsum (specialiter habita consideratione ipsius qualificationis) fuerit ab ordinario loci ei facultas concessa in scriptis, ullis controversias & quæstiones hujusmodi moventibus desuper respondere, aut disputationes ingredi, sed mox respondeatur, se hujusmodi disputationis resolutiones ad ipsos ordinarios remittere, & hoc sub poena privationis ab hujusmodi officio seu beneficio.

17. *De multa in negligentes lectionem catechismi.*

Quod si quis rector, vicarius, seu curatus in aliquo præsentis statuti puncto negligens aut culpabilis fuerit deprehensus, pro prima vice mulctetur, 20. solidis, irremissibiliter ab eo exigendis & levandis; pro secunda 50. solidis; pro tertia duplicetur mulcta, & cum hoc incarceretur in pane & potu duntaxat ad mensem, et ulterius ad arbitrium ordinarii. Nihilominus ubi contigit conciones verbi Dei per religiosos vel alios ordinarios prædicatores vice rectorum, juxta tenorem priorum statutorum interim fieri, quod talibus diebus catechismi lectio intermittatur impune. Et super singulis punctis & partibus præsentis statuti fiant diligentes inquisitiones per decanos in suis visitationibus, & desuper delationes fiant fideles absque omni favore vel odio commissariis majorum excessuum.

Finis omnium statutorum concilii provincialis in omnibus suis sessionibus facti per reverendissimum Johannem archiepiscopum sancti Andreæ, & reliquos regni Scotiæ episcopos, & abbates, ac totius Scoticanæ ecclesiæ clerum, in annis Domini millesimo, quingentesimo, quadragesimo nono, & quinquagesimo primo respective.

CON-

CONCILIUM PROVINCIALE

ANNO CHRISTI 1552.

ANNO CHRISTI 1552.

Prælatorum & cleri Scotiæ Lythqvoi habitum anno 1552.

EOdem plane tempore cum hæretici catholicam religionem commoviſſent, quicunque ex clero prudentiſſimi, doctiſſimi & integerrimi fuerunt, concilio proviancili Lythqvoi celebrato, hæreſim juſtiſſima anathematis nota configunt; omniaque quæ patrum auctoritate in concilio Tridentino ſub Pauli III. auſpiciis ſancita erant, juſta, rata ac tanquam Dei imperio fixa plenis comitiis declarant. Multaque alia decrera, quæ ad hæreſis vires elidendas, catholicæ fidei auctoritatem firmandam, ac cleri mores perpurgandos plurimum faciebant, conſtantiſſime ſciſcunt. Hæc Lesleus.

CARDINALIS POLI LITERÆ

Diſpenſatoriæ cum iis, qui bona eccleſiæ poſſident, & illicita matrimonia contraxerunt.

ANNO CHRISTI 1554.

REginaldus, miſeratione divina S. Mariæ in Cosmedin S. Romanæ eccleſiæ diaconus cardinalis Polus nuncupatus, ad ſereniſſimos Philippum & Mariam, Angliæ reges, fidei defenſores, & univerſum Angliæ regnum ſanctiſſimi domini noſtri papæ & ſedis apoſtolicæ de latere legatus, eisdem ſereniſſimis Philippo & Mariæ regibus ſalutem in Domino ſempiternam.

Cum ſupremum concilium iſtius regni parliamentum nuncupatum, magiſtratibus veſtris per ſuos ſupplices libellos expoſuiſſet, quod perniciosiſſimo ſchiſmate in hoc regno alias vigente, quod nunc Dei miſericordia & majeſtatum veſtrarum pietate extinctum eſt, auctoritate ipſius parliamenti nonnulli epiſcopatus diviſi, & ex his aliquæ inferiores eccleſiæ in cathedrales erectæ, & ſcholæ atque hoſpitalia fundata, necnon plurimæ diſpenſationes & beneficiorum proviſiones factæ fuerunt, ac multæ perſonæ, quibus perſuaſum fuerat, juris canonici diſpoſitiones hoc in regno amplius locum non habere inter ſe in gradibus conſanguinitatis vel affinitatis de jure prohibitos, & aliis impedimentis canonicis ſibi obſtantibus, matrimonia per verba de præſenti contraxerunt, & multi actus judiciarii & proceſſus tam in primis, quam ulterioribus inſtantiis ſuper rebus ſpiritualibus & eccleſiaſticis, coram judicibus, tam ordinariis, quam delegatis, qui auctoritate laicali procedebant, habiti & ſervati; ac ſuper eis etiam ſententiæ latæ & promulgatæ fuerunt, & bona eccleſiaſtica per diverſas ejusdem regni perſonas occupata & apprehenſa fuerunt. Quæ quidem licet ex ſacrorum canonum inſtitutis irrita declarari poſſint, tamen ſi ad alium ſtatum, quam in quo nunc ſunt, revocarentur, publica pax & quies univerſi regni turbaretur, & maxima confuſio oriretur, præſertim ſi dictorum bonorum poſſeſſores moleſtarentur; & propterea majeſtatibus veſtris humiliter ſupplicaverint, ut apud nos intercedere dignentur, ut præmiſſarum rerum firmitati & ſtabilitati, & ſimul hujus regni quieti & tranquillitati, de benignitate apoſtolica providere velimus.

Cumque epiſcopi quoque deinde, ac reliquus provinciæ Cantuarienſis clerus totum fere corpus eccleſiaſticorum regni repræſentans, ad quos hæc bonorum eccleſiaſticorum cauſa maxime pertinet, expoſuerint, quod hæc bona ad jus eccleſiarum revocari non poſſunt, quin pax univerſalis & quies hujus regni turbetur, & cauſa fidei atque unitatis eccleſiæ jam toto omnium conſenſu hoc in regno introducta, in maximum periculum adducatur: & proprerea ipſi quoque ſupplicaverint, ut apud nos intercedere velint, ut in his bonis eccleſiaſticis poſſeſſoribus relaxandis reſtricti & difficiles eſſe nollemus; majeſtates autem veſtræ, ad quas maxime ſpectat providere, ut regnum ipſarum poteſtati, regimini, & curæ commiſſum, in pace & tranquillitate conſervetur, his ſupplicationibus & poſtulatis cognitis, & mature conſideratis, judicaverint ea omnia, & maxime illa, quæ in bonorum eccleſiaſticorum cauſa petuntur, pro cauſa fidei et pro pace publica, per nos debere ſine ulla dilatione concedi; et quemadmodum rogatæ fuerunt, apud nos intercedere dignatæ fuerint; prout in ſupplicationibus per idem ſupremum conſilium, et epiſcopos, ac clerum præfatum majeſtatibus veſtris porrectis, atque in libello interceſſionis per easdem majeſtates veſtras nobis ſimul cum aliis ſupplicationibus exhibito latius apparet.

Idcirco nos, qui ad majeſtates veſtras et hoc nobiliſſimum veſtrum regnum a ſanctiſſimo domino noſtro Julio papa tertio, ipſius et ſedis apoſtolicæ de latere legati miſſi ſumus, ut regnum iſtud, quod jam diu ab eccleſiæ catholicæ unitate ſeparatum fuerat, Deo et eccleſiæ Chriſti, ejuſque in terris vicario reconciliaremus, et ut ea omnia, quæ ad pacem et tranquillitatem hujus regni pertinerent, omni ſtudio procuraremus; poſtquam Dei benignitate, et majeſtatum veſtrarum pietate, per auctoritatem ejusdem ſanctiſſimi domini noſtri papæ, cujus vices hic ſuſtinemus, reconciliatio jam facta eſt, ut paci et tranquillitati regni præfati conſulamus, atque ut unitas eccleſiæ, ex qua ſalus tot animarum pretioſo Chriſti ſanguine redemptarum dependet, hoc in regno jam introducta conroboretur, et ſalva per-

ANNO CHRISTI 1552.

maneat, cum utriusque rei stabilitatem in eo maxime consistere, si horum ecclesiasticorum bonorum possessoribus molestia nulla inferatur, quo minus ea teneant, tot et tam gravia testimonia nobis fidem faciunt, et majestatum vestrarum intercessio, quæ pro unitate ecclesiæ et sedis apostolicæ auctoritate hoc in regno instauranda, tam studiose et tam pie elaborarunt, eam, quam par est, auctoritatem apud nos habeat; et ut universum hoc regnum sedis apostolicæ maternam vere indulgentiam et charitatem erga se agnoscat, et reipsa experiatur; quoscunque, ad quos infra scripta pertinent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, auctoritate apostolica per literas sanctissimi domini nostri, domini Julii papæ tertii nobis concessa, et qua fungimur in hac parte, tenore præsentium dispensamus: quod omnes et singulæ cathedralium ecclesiarum erectiones hospitalium, et scholarum fundationes, tempore præteriti schismatis licet de facto et nulliter attentatæ, in eo statu, in quo nunc sunt, perpetuo firmae et stabiles permaneant, illisque apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ita ut non ea auctoritate, qua prius, sed ea, quam nunc eis tribuimus factæ ab omnibus censeantur: et cum omnibus et singulis personis regni prædicti, quæ in aliquo consanguinitatis vel affinitatis gradu, etiam multiplici, vel cognationis spiritualis seu publicæ honestatis justitiæ impedimento, de jure positivo introductis, et in quibus sanctissimus dominus noster papa dispensare consuevit; matrimonia scienter vel ignoranter de facto contraxerint, ut aliquo impedimentorum præmissorum non obstante, in eorum matrimoniis sic contractis, libere et licite remanere, seu illa de novo contrahere possint, misericorditer in Domino dispensamus, prolem susceptam, aut suscipiendam legitimam decernentes; ita tamen ut qui scienter et malitiose contraxerit a sententia excommunicationis, et ab incestus seu sacrilegii reatu absolutionem a suo ordinario vel curato, quibus id faciendi facultatem concedimus obtineant; ac omnes ecclesiasticas sæculares, seu quorumvis ordinum regulares personas, quæ aliquas impetrationes, dispensationes, concessiones, gratias et indulta, tam ordines quam beneficia ecclesiastica, seu alias spirituales materias prætensa auctoritate supremitatis ecclesiæ Anglicanæ, licet nulliter et de facto obtinuerint, et ad cor reversæ ecclesiæ unitati restitutæ fuerint, in suis ordinibus et beneficiis per nos ipsos, seu a nobis ad id deputatos, misericorditer recipiemus, prout jam multæ receptæ fuerunt, atque super his opportune in Domino dispensabimus; ac omnes processus in quibusvis instantiis, coram quibusvis judicibus tam ordinariis, quam delegatis, etiam laicis super materiis spiritualibus habitos et formatos, et sententias super eis latas, licet nulliter et de facto, quoad nullita em, ex defectu jurisdictionis præfato tantum insurgentem sanamus, eisdemque et illas auctoritate apostolica confirmamus: ac quibusvis hujus regni personis, ad quarum manus bona ecclesiastica ex quocunque contractu seu titulo oneroso vel lucrativo jam devenerint, illaque tenuerint, seu etiam teneant, omnes et quoscunque fructus ex eisdem bonis, licet indebite perceptos, in totum remittimus et relaxamus, volentes et decernentes, quod istorum bonorum ecclesiasticorum tam mobilium, quam immobilium possessores præfati non possint in præsenti, nec in posterum, seu per conciliorum generalium et provincialium dispositiones seu decretales Romanorum pontificum epistolas, seu aliam quamcunque censuram ecclesiasticam in dictis bonis, seu eorundem possessione molestari, inquietari, vel perturbari; nec eis aliaquæ censuræ vel poenæ ecclesiasticæ propter hujusmodi detentionem, seu non restitutionem irrogari vel infligi: et si per quoscunque judices et auditores sublata eis, qua suis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicare et definire debere, et quicquid secus attemptari contigerit, irritum et inane fore decernimus, non obstantibus præmissis defectibus, et quibusvis apostolicis, ac in provincialibus & synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Admonemus tamen, cum divisio episcopatuum et erectio cathedralium ecclesiarum sit de majoribus causis, quæ summo pontifici sint reservatæ, recurrendum esse ad suam sanctitatem, et ab ea simpliciter postulandum, ut hæc confirmare, seu de novo facere dignetur. Et licet omnes res mobiles ecclesiarum indistincte eis, qui eas tenent, relaxaverimus, eos tamen admonitos esse volumus, ut ante oculos habentes divini judicii severitatem contra Baltheſarem, regem Babylonis, qui vasa sacra non a se, sed a patre e templo ablata, in profanos usus convertit, ea propriis ecclesiis, si extant, vel aliis restituant. Hortantes etiam et per viscera misericordiæ Jesu Christi obtestantes eos omnes, quos hæc res tangit, ut salutis suæ non omnino immemores, hoc saltem efficiant, ut ex bonis ecclesiasticis maxime eis, quæ ratione personatuum & vicariatuum populi ministrorum sustentationi fuerint specialiter destinata, seu aliis cathedralibus, & aliis, quæ nunc extant inferioribus ecclesiis, curam animarum laudabiliter exercere, & onera incumbentia congrue supportare valeant. Datum Lambeth, prope London. Wintonien. diœceseos, anno nativitatis Domini MDLIV. nono cal. Januarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri Julii, divina providentia papæ tertii, anno quinto.

Reginaldus cardinalis Polus, legatus.

ANNO CHRISTI 155.

MAR-

ANNO CHRISTI 1555.

MARCELLUS PAPA II.

Sedit ab anno 1555. eodemque deceſſit.

ANNO CHRISTI 1555.

PAULUS PAPA IV

Sedit ab anno 1555. uſque ad annum 1559.

CARDINALIS POLI MONITIO

Ad ſynodum legatinam celebrand. apud Vveſtmonaſt. ſecundo die Decembris anno 1555.

EDmundus, permiſſione divina London epiſcopus, reverendo in Chriſto confratri noſtro Thomæ, eadem permiſſione Elien. epiſcopo ſalutem & fraternam in Domino charitatem. Noverit fraternitas veſtra reverenda nos literas commiſſionales & mandatarias illuſtriſſimi & reverendiſſimi in Chriſto patris & domini, domini Reginaldi, miſeratione divina ſanctæ Mariæ in Coſmedin S. R. E. diaconi cardinalis, Poli nuncupati, ſanctiſſimi domini noſtri papæ & ſedis apoſtolicæ ad ſereniſſimos Philippum & Mariam Angliæ reges, & univerſum Angliæ regnum de latere legati, ſigillo iſtius illuſtriſſimi & reverendiſſimi patris in quadam capſa ſtanea & cera rubea cum filis ſericis rubei coloris comprehenſo, ſigillatas, nuper cum ea, qua decuit, reverentia, obedientia, & honore recepiſſe humiliter exequendas, ſub eo, qui ſequitur, verborum tenore: Reginaldus ſanctæ Mariæ miſeratione divina in Coſmedin S. R. E. diaconus cardinalis, Polus nuncupatus, ſanctiſſimi domini noſtri papæ & ſedis apoſtolicæ ad ſereniſſimos Philippum & Mariam, Angliæ reges, & univerſum Angliæ regnum de latere legatus, venerabili & nobis in Chriſto dilecto Edmundo epiſcopo London ſalutem in Domino ſempiternam. Circumſpectioni tuæ, de qua in his, & aliis plurimum confidimus, ut epiſcopos & reliquos provinciæ Cantuar. perſonas eccleſiaſticas, quæ ſynodis provincialibus de jure, vel legitima, & hic hactenus approbata conſuetudine intereſſe ſolent, quatenus ipſi intra competentem arbitrio tuo ſtatuendum terminum, præſenti qua, Spiritus S. gratia inſpirante, auctoritate apoſtolica nobis quomodolibet conceſſa & commiſſa, qua fungimur, cum eadem circumſpectione tua & aliis tam ejuſdem Cantuar, quam Eboracen. provinciarum epiſcopis & reliquis eccleſiaſticis, quæ jam hic adſunt, perſonis inchoavimus, ſynodo per ſe, vel ſi legitimo aliquo ſunt impedimento detenti, per procuratorem idoneum mandatum legitimum habentem adeſſe, & uſque ad ejus finem intereſſe debeant, per ſe vel alium etiam ſub certis contra inobedientes arbitrio tuo comminandis pœnis, nomine noſtro moneas, & eandem ſynodum voces eadem auctoritate, tenore præſentium committimus & mandamus, contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum in palatio apud S. Jacobum probe Weſtmonaſter, anno a nativitate Domini MDLV. ſexto idus Novembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Pauli, divina providentia papæ quarti, anno primo: ſic ugnatas, Reginaldus cardinalis Polus legatus. M. Antonius, Faitæ ſecretarius Lampſonius. Quarum quidem literarum reverendiſſimatum vigore pariter & auctoritate nos Edmundus, epiſcopus antedictus, vos reverendum confratrem noſtrum prædictum, & per vos decanum & capitulum & archidiaconos eccleſiæ veſtræ cathedralis, cæteroſque prælatos quoſcunque, & clerum dicœc. veſtræ prædictæ, tam exemptos quam non exemptos quoſcunque, tenore præſentium, auctoritate prædicta peremptorie monemus; vobiſque & illis ſub pœna ſuſpenſionis ab officio mandamus, quatenus vos, reverende confrater antedicte, decanuſque, archidiac. & prælati perſonaliter, dictum vero capitulum, & clerus per vos auctoritate & tenore præſentium monendi, per procuratorem idoneum ſufficienter inſtructum, & clauſulam ratihabitionis in procuratorio ſuo habentem, ſi perſonaliter comparere non poſſint, aut voluerint coram dicto illuſtriſſimo & reverendiſſimo in Chriſto patre & domino cardinali & legato prædicto ſynodum prædictam, Deo favente, profecturo in cappelia ſive oratorio vulgo vocat. The King's chappel, infra palatium regium apud Weſtmonaſter. ſecundo die menſis Decembris prox. poſt datam præſentium venturi (ſi citius ſaltem venire non poteritis aut poterint) inter horas octavam & nonam ante meridiem ejusdem diei, cum continuatione & prorogatione dierum & horarum ex tunc ſequent. & locorum, ſi & quatenus dicto illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino cardinali & legato antedicto ita expedire videatur, in ſynodo legatina prædicta cum aliis prælatis & perſonis tam Cantuar. quam Eborae. provinciarum compareatis & compareant, interſitiſque & interſint, ſuper hiis, quæ in dicta ſynodo tractabuntur, tractaturi, deliberaturi, conſenſuri, & concluſuri, cæteraque facturi, geſturi, & expedituri, quæ dictæ ſynodi natura & qualitas literarumque prædictarum tenor in & de ſe exigunt & requirunt, vobis inſuper injungimus & mandamus ſub poenis ſuſpenſionis

præ-

ANNO CHRISTI 1557.

prædictæ, tam de receptione & executione præsentium, ac de omni eo quod in hac parte monendorum sufficienter & plene continente, dictum illustrissimum & reverendissimum in Christo patrem cardinalem & legatum antedictum dictis, die, hora, & loco debite certificet fraternitas vestra. Dat. in palatio nostro London. sub sigillo nostro, decimo die mensis Novembris, anno Domini MDLV. & nostræ translationis anno decimo septimo.

In hac synodo die 13. Decembris, prolocutor protulit librum intitulatum. *Institutio hominis christiani*, factum tempore Henrici VIII. examinandum, & divisus est in partes: & tunc seligebantur quidam e domo inferiori ad conficiendas homilias; & articuli symboli apostolorum committebantur quibusdam ex eadem domo.

Die Lunæ 16. Decembris, fuit divisio novi testamenti, ut verteretur in Anglicum, & de septem sacramentis tractabatur.

Die Veneris 20. Decembris, prolocutor ex parte reverendissimi mandavit omnibus præsentibus, præsertim decanis, ne confirmarent aliquas elocationes factas a clericis de beneficiis suis; deinde protulit scriptum continens quædam vocabula bene consideranda in translatione novi testamenti, de quorum interpretatione tractatum fuit 8. die Januarii; quo die prolocutor mandavit nomine reverendissimi, ut consultarent de modo stabiliendi scholas in ecclesiis cathedralibus: et 20. die ejusdem mensis delecti sunt quidam ex ambabus provinciis qui consultarent de quibusdam articulis, de modo alendi scholasticos in ecclesiis cathedralibus.

Primo, ut qui susciperent beneficia vacantia, solverent decimam partem pro primo anno tantum.

Secundo, ut de bonis intestatorum aliqua portio per ordinarios assignetur, et ut administratores obligentur ad solvendum.

Tertio, ut contributio fiat de bonis in salutem animarum testatorum non certis personis legatis.

Quarto, ut prædictæ solutiones durarent ad triennium.

Sequenti die 21. Januarii, facta fuit sessio apud Lambhith, in superiori camera, ubi die Lunæ seq. tractatum fuit de ministris sacerdotum, qui neque ministrarunt, neque ad celebrandum venire volunt, sed obstinate sese absentant. Die decimo Februarii (post nonnullas continuationes sessionum) prolocutor monuit omnes, ut convenirent in ecclesia parochiali de Lambhith ad audiend. constitutiones provinciales postridie legendus (*quas vide apud Labbeum tom. 20. pag. 1009.*

Hoc facto, adierunt sacellum infra manerium reverendissimi, ubi solennis missa de Trinitate habita fuit, reverendissimo, episcopis, et electo ibidem præsentibus, cum copiosa multitudine plebis. Et finita missa, fiebant nonnullæ precationes, ministrante reverendissimo. Et postea mag. Watson, ex suggestu, Latine concionem habuit, in qua, inter alia, pronunciavit prorogationem factam a reverendissimo usque in diem 10. Octob. proximo futuri.

CONVOCATIO PRÆLATORUM

& cleri provinciæ Cantuar. auctoritate brevis regii celebrata per dom. Reginald Polum, card. archiepiscopum Cant. 1. Januarii in ecclesia S. Pauli, London. anno 1557.

ANNO CHRISTI 1557.

EOdem die, sacris peractis, episcopus London. exhibuit certificatorium super executione mandati monitorii, & reverendissimus clerus domus inferioris jussit eligere sibi prolocutorem, 24. die Januarii præsentandum. Quo die Johannes Harpsfield præsentatus & admissus fuit a reverendissimo apud Lambhith, qui mox causas hujus synodi verbo tenus proposuit, videlicet: quod cum de antiquo more rex Angliæ ob aliquot arduas causas prælatos hujus regni ad concilium sive parliamentum suum adesse jubet, propter regis securitatem & hujus regni statum ac bonum publicum concernent. consilia, & auxilia sua impensuros; ita archiepiscop. Cantuar. episcopos suos suffraganeos, prælatos &c. ad sacrum concilium evocare assolet de iisdem causis tractaturos, & auxilia sua consimili modo daturos. Et inter alia monuit negotium eximii ponderis; scilicet cogitare, quomodo oppidum Caleis ad pristinum jus regni vi armata reduci possit. Etiam censuit perpendendum, & istud inprimis, quo modo defectus ecclesiarum cathedralium, rectoriarum, vicariarum, totius cleri, & status omnium dioeceseos & provinciæ Cantuarien sis; & ut ecclesiæ ex reginæ munificentia dispositioni reverendissimi commendatæ, recto ordine disponi & confirmari valeant. Et quid sibi videatur, voluit eos sibi significare. Et ad feliciorem expeditionem commissum est hoc negotium episcopis London. Roffen. Meneven. Pertiburgen. & Glouceſtr. ut consulta sua in scriptis renunciare velint quamprimum: deinde voluit reverend. statuta ecclesiarum novitet erectarum, aut mutatarum a regularibus ad seculares, expendi per episcopos Lincoln. Cicestren. & Petriburgen. item, & Nicolao Wotton Cant. Edmund. Stuard, Winton. & Setho Laud, Wigorn. ecclesiarum decanis; & quæ considerandæ sunt, referre reverendissimo, quamprimum commode poterint.

Extat apud Wilkins tom. IV. p. 155.

Ex reg. Poli fol. 59. seq.

Sequenti die 28. Januarii, episcopus London exhibuit in scriptis quædam collecta, quæ ipse aliique episcopi in suis dioeces. reformatione digna esse existimarunt. Et

quia

ANNO CHRISTI 1557.

quia omnes non erant parati cum ſuis collectionibus, ideo ſuperſederunt de lectione uſque in tempus magis opportunum. Deinde prolocutor cum clero intrans, porrexit patribus ſchedulam cauſarum raritatis preſbyterorum ex una parte collectarum, & remedia, quibus major copia valeat haberi, ex adverſa continentem. Qua lecta pe- Henr. Cole decanum, &c. patres voluerunt, ut hanc ſchedulam traderet reverendiſſimo. Deinde monuit locumtenens prælatos inferiores domus, ut ipſi exhiberent in ſcriptis, quod reformandum putarent, & exhiberent proximo die, vid. 4. Februarii, ad quam continuata fuit ſynodus.

Quo die 4. Februarii, epiſcopus London. propoſuit quandam ſchedulam circa res divinas; qua lecta, rogabat patres, ut illi de remediis cogitarent, & deputarent certos epiſcopos, ut inter ſe conſulerent. Deinde idem Dominus præſidens conſuluit, ut, quia ſtatus hujus regni perturbatur ex infeſtatione Gallorum, & Scotorum, ipſi velint regiæ majeſtati ſubvenire; & putavit ampliorem ſummam concedendam, quam antea, qua majus periculum ab hoſtibus ſit timendum. Quibus verbis a præfato locumtenente vix prolatis, omnes una voce affirmabant hoc perquam neceſſarium, idque lubenti animo ſe præſtituros. Quod negotium quo facile expediri poſſit, electi ſunt epiſcopi London. Winton. Elien. Roffen. Lincoln. & Patriburgen. quibus adjuncti ſunt ſex de domo inferiori, qui conſtituerent inter ſe tam de quantitate ſolvenda, quam etiam de modo, & tempore ſolutionis.

Et tandem poſt varios tractatus, 9. die menſis Februarii ſtatuerunt concedere regiæ majeſtati octo ſolidos de qualibet libra omnium beneficiorum eccleſiaſticorum; idque ultra ſolutionem veteris ſubſidii prius conceſſi. Quam conceſſionem in inſtrumento publico redactam, 14. die Februarii exhibuerunt reverendiſſimo, qui archiepiſcopum Eborac. de ſubſidio conceſſo certificavit, rogans, ut ille conſimiliter in ſua provincia facere dignetur.

Sequenti 16. die Februarii in domo capitulari, comparuit epiſcopus Aſſavenſis ex mandato reverendiſſimi, ſe cupere, ut durante parliamento toties ſynodus celebraretur, quoties commode fieri poſſet, atque ut de rebus reformatione indigentibus tractaret; ac parliamento finito, ut illi, qui decedere ad ſuas dioeceſes vellent, vices ſuas concederent, ut aſſenſum darent, epiſcopis London. Elien. Roffen. & cæteris epiſcopis hic permanſuris, quæ ſtatuenda viderentur ad reformationem eccleſiæ.

Secundo poſt die, vid. 18. menſis Februarii, dom. locumtenens, &c. conſultabat, quomodo beneficia tenuia poſſint officiari; & tandem habitis inter ſe mutuis colloquiis, excogitaverunt ſequentes articulos ad eam rem pertinentes; vid.

I. That no prieſtes be taken up to ſerve the vvars.

II. Item, That tvvô ſmal benefices contiguale may be joyn'd together in commendam by the bishop, to ſerve them. *Alterius vicibus.*

III. Item, That the parishioners of chapels annexed may be compelled to come unto the parish church, vvhere unto they be annexed for a time, till curates may be provided.

IV. Item, That the bishops may be authorized by the prope to give orders: extra tempora præſcripta.

Quos articulos rogarunt patres dominum Cole, ut ipſe eorum nomine reverendiſſimo exhiberet.

Deinde 25. Februarii locumtenens & alii patres convenientes, conſultarunt, de providendis armis contra vim Scotorum, de conceſſione ejuſmodi armorum, quomodo, & a quibus eſſent præparanda. Quos articulos reverendiſſimo tradiderunt, qui voluit (ſynodum) expedire, an concedendum ſit hoc tempore quadrageſimali, ut promiſcue omnes in tanta piſcium caritate lacticiniis veſci poſſent, qua de re aliquandiu patres conſultantes, nihil certi ſtatuerunt.

Tandem habitis tractatibus de ſolutione decimarum, quam adhuc ceſſare non poſſe perſpexerunt, reverendiſſimus 8. die Martii continuavit, & prorogavit convocationem ad 11. diem Novembris, anni MDLVIII.

In MS. ſequuntur nonnulla capita articulos de doctrina, & diſciplina eccleſiæ, & eccleſiaſticorum continentia; item ſtatuta quædam de eadem materia, quæ in hac ſynodo, ſi non ſtabilita, ſaltem propoſita fuiſſe, valde probabile eſt.

Articuli de doctrina.

Cap. I. Ut populus per concionatores, quantum fieri poteſt, doceatur; ut quatuor brevium concionum geneta Anglice perſcribantur, eaque ubi concionatores defuerint, dominicis diebus, & aliis feſtis populo per rectores, vicarios, & parochos recitentur.

Primi generis conciones, ſint de euchariſtia, de poenitentia, de confeſſione auriculari, & de reliquis ſacramentis, quæ hæretici noſtri temporis maxime impugnarunt. Item, de libero arbitrio, de juſtificatione, de bonis operibus, de eccleſia, ejuſque auctoritate, unitate, ac miniſtris.

Secundi generis, ſint expoſitiones in articulos fidei, orationem dominicam, angelicam ſalutationem, decalogum, & ſeptem eccleſiæ ſacramenta.

Tertii generis, ſint conciones breves de tempore, & de ſanctis.

Quarti generis conciones ſint de natura, uſu, & ſignificatione ceremoniarum, quæ in eccleſia ſunt maxime uſitatæ. Item de virtutibus & vitiis, velut de charitate, de obedientia, de timore Dei, de extremo judicio; de adulterio, de avaritia, de perjurio, de luxu &c.

Ut brevis catechiſmus edatur Latine & Anglice, quo juventus in fidei rudimentis erudiatur.

Sint quoque ſalutaria quædam ac pia documenta, quibus Sacerdotes tam in confeſſionibus audiendis, quam in infirmis viſitandis, utantur.

De

ANNO CHRISTI 1557.

De his quæ ad orationem pertinent.

II. Ut precationum liber, horas beatæ Mariæ, pſalmos poenitentiales, vigilias mortuorum, commendationes, pſalmos paſſionis, & alias pias precationes complectens, Latine & Anglice edatur, quo a populo in eccleſia uniuſmodi precandi modus obſervetur.

Sit formula quædam gratiarum in prandio, & in coena Deo agendarum, patrum ſermone compoſita, qua laici per totum regnum utantur.

Ut dum concio, vel ſumma miſſa, quam vocant, ac ſolennis peragitur, nullus ſacerdos celebret; ſed omnes tam ſacerdotes B quam laici eam attentis animis pariter audiant.

Ut breviaria ac libri miſſales recognoſcantur, & repurgentur, & uniuſmodi per totum regnum habeantur.

Ut in omnibus dioeceſibus eædem ceremoniæ omnino teneantur.

Ut feſtum dedicationis uno certo ac ſtatuto die in omnibus eccleſiis celebretur.

Ut in templis, dum res divina peragitur, nemo ambulare, aut confabulari permittatur; ſed vel precibus ſe dedat, vel exeat e templo.

De templis decore ornandis, & reſarciendis.

III. Ut veſtes ſacræ, ad tremenda myſteria obeunda, ſint in ſingulis templis ad minimum duplices; quarum unæ diebus feſtis, alteræ profeſtis inſerviant: ſint etiam honeſtæ ac decoræ.

Sint calices argentei; ſint præterea thuribula honeſta, & crux cum vexillo.

Altaria item ſint decore admodum ornata: parentur item libri ad ſanctum Dei cultum neceſſarii: ſint etiam corporalia munda.

Sit porro imago crucifixi ad dominicæ paſſionis recordationem. Sint etiam ſuperpellicia pro parocho & miniſtro honeſta & D munda.

Paretur locus vel circiter medium altaris, vel ad ejus cornu, in quo ſacroſancta euchariſtia ſub ſerra ſancte cuſtodiatur, ne in eam impii ſacramentarii aliquando impetum faciant.

Ut veſtimenta ſacra, calices, & altaria jamdudum polluta, & prophanata, denuo conſecrentur.

Ut tecta, feneſtræ, tabulatum, crucifixi, & cæteræ partes templorum probe reficiantur.

Ut altaria diruta in ſingulis templis denuo erigantur.

Ut coemeteria ſancte ſerventur, diligen- E terque circumſepiantur, ne pecudes irrumpant.

De diſciplina eccleſiaſtica removenda, & moribus cleri per eandem reformandis.

Ut in ſynodis inquiratur diligenter in omnes rectores, vicarios, & curatos, & alios quoslibet ſacerdotes, quomodo anno præterito ſe geſſerint.

Provideatur item de archidiaconis, qui A ſunt epiſcoporum oculi, ut ſuis muneribus ſecundum veteres canones ſedulo perfungantur.

IV. Ut rurales decani, & officiales non venalem habeant diſciplinam eccleſiaſticam, ſic ut inopes (ſicut hoc tempore fit) plectantur, divites ne appellentur quidem.

V. Ut nullus ſacerdos mulierem probabiliter ſuſpectam, vel alias infamem in ædibus ſuis teneat, ſed ab ordinario admonitus, intra menſem eam excludat.

VI. Ut ſacerdotes nullam exerceant mercaturam, neque ſordidis, & prophanis muneribus omnino ſe dedant, ne ordo contemnatur, ejuſque vileſcat auctoritas.

VII. Ut Sacerdotes ſinguli vel in precibus, vel in ſtudiis, vel in pueris erudiendis, vel aliis honeſtis exercitiis aſſidue verſentur, ne adverſarius eos otioſos reperiat.

VIII. Epiſcopus, presbyter, diaconus, aut ſubdiaconus, in fornicatione, aut perjurio, aut furto deprehenſus, vel legitime convictus, caſtigetur, vel deponatur.

IX. Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, qui vel aleæ, vel ebrietatibus indulget, admonitus, vel deſinat, vel deponatur.

X. Presbyter ſi uxorem duxerit, ab ordine ſuo illum deponi debere. Quod ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, C extra eccleſiam abiici, & ad poenitentiam inter laicos redigi.

XI. Si quis clericus, jam olim poſt ſuſceptos ſacros ordines, illicite conjugatus, & poſtea ſeparatus, & poſt poenitentiam reſtitutus miniſterio, ad illicitum thorum denuo redire præſumpſerit, officio deponatur uſque in diem mortis, laica tantum communione ei conceſſa.

XII. Et quoniam populus a cultu Dei, qui a ſacerdotibus conjugatis tam irreverenter obitur, penitus abhorret, tales ſacerdotes, vel amoveantur penitus a miniſterio, vel, propter paucitatem miniſtrorum ac ſacerdotum, ſint ad tempus curati. Sed nullum omnino proprium habeant ſacerdotium, quin etiam poenitentiam dignam crimine, quod admiſerunt, agere cogantur.

XIII. Ut in dioeceſibus, in quibus uxores duxerunt, miniſtrare nullo modo permittantur; ſed iidem ad ſexaginta millia paſſuum removeantur: & ſi quiſpiam illorum vel ſemel verſatus cum uxore, vel collocutus eſſe deprehenſus fuerit, canonice caſtigetur. Et in ſingulis ſynodis de eorum converſatione inquiratur.

XIV. Quo ſimoniæ labes, qua eccleſia Anglicana non ante hoc tempus ſolum, ſed etiam jam miſere infecta eſt, prorſus tollatur; ſtatuat ſynodus, ne vendantur a patronis eorumve famulis ſacerdotia, neque ſub pacto aliquo, aut conditione concedantur; neque ſacerdotum quiſpiam, qui ſacerdotium aliquod petit, quidquam muneris, quo illud obtineat, cuiquam det. Quod ſi patronus ſacerdotium vendidiſſe, aut ſub pacto aliquo cupiam ſacerdoti conceſſiſſe deprehenſus fuerit, non admittatur. Singuli denique ordinarii ab hiis, qui ipſis præſentati fuerint, recipiant juramentum, prout

alias

ANNO CHRISTI 1557.

alias ſtatutum fuit in conſtitutione provinciali, quæ incipit: *Præſenti de jurejurando* cujus formula ſequitur ad verbum:

„ Ego N. præſentatus ad eccleſiam parochialem de N. per talem patronum ejuſdem „ eccleſiæ, juro ad hæc ſacroſancta Dei „ evangelia per me corporaliter tacta, quod „ propter eccleſiam parochialem prædictam „ obtinendam, aut præſentationem ad eandem habendam, aut acquirendam, neque „ ego, neque alia perſona vice & nomine „ meo, nec de conſenſu aut ſcientia meis „ prædicto patrono, ſeu alii cuicunque aliquod, præmiſſorum nomine aut intuitu, „ promiſimus, aut dedimus; nec quicquam „ ejus rei gratia permutavimus, compenſavimus, aut prius datum confirmavimus, „ apudve quemquam depoſuimus; ſeu quicquam mutavimus, commodavimus, ſeu „ elocavimus; priuſve mutuatum, commodatum, depoſitum, aut elocatum, aut „ quocunque modo debitum remiſimus ſeu „ relaxamus. Nec de ſanctuario, gleba, „ terris, prædiis, tenementis, reditibus prædictæ eccleſiæ, fructibuſve, decimis, aut „ oblationibus ejuſdem præteritis, præſentibus, aut futuris, donationem, remiſſionem, locationemve promiſimus, fecimus, „ aut inivimus, ſeu aliquis noſtrum de mandato, ſcientia, aut conſenſu meis promiſit, fecit, aut inivit. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſacroſancta Dei evangelia.

XV. Ut nemo levi de cauſa excommunicetur.

XVI. Ut nemo cum excommunicatis verſari permittatur, niſi quibus de jure permiſſum eſt.

XVII. Ut epiſcopi, & ordinarii in ſynodis; & alias, diligenter inquirant de iis, qui tempore ſchiſmatis magiſtros ſe profitebantur pravorum dogmatum, ut vel publice ſe jam reſipuiſſe profiteantur, vel a miniſterio amoveantur; & ſi laici fuerint, excommunicentur.

XVIII. Ut in menſis ſacerdotum lectio ſacrarum literarum habeatur.

XIX. Ut ſacris initiandi literas teſtimoniales habeant, & titulum, itemque ut de doctrina, ætate, & moribus exquiſite examinentur.

De eccleſiis cathedralibus & aliis.

XX. Ut in illis ſint aliqui præbendarii concionatores verbi qui epiſcopos juvent.

XXI. Ut ſecundum antiqua eccleſiarum cathedralium ſtatuta, ſit in ſingulis earum vir doctus, qui ſacras literas clero & populo interpretetur. Et in noviter erectis eccleſiis aſſignetur aliqua præbenda cum incremento redditus, quæ nulli conferatur, niſi qui velit hæc præſtare.

XXII. Ut in ſingulis prædictarum eccleſiarum ſint ſexaginta, vel plures pueri ex beneficiis appropriatis ſuſtentandi, ibique grammaticam diſcant, quo clero poſtea inſerviant.

XXIII. Provideatur item, ut in ſingulis eccleſiis parochialibus ſit rector, vicarius, aut parochus: & ubi non ſatis ex decimis & fructibus eccleſiæ ſuppetit ad ſacerdotem ſuſtentandum, vel aliquo modo fructus augeantur, vel duæ eccleſiæ uniantur, idque potiſſimum in urbibus & oppidis incorporatis.

Conſideretur etiam de capellis annexis.

Ut pluralitas beneficiorum doctis ſolum viris concedatur, quod doctrinæ præmium ſit, & indocti ab hoc privilegio prorſus excludantur.

De veſtitu.

Ut ſacerdotes omnes habitu clericali incedere cogantur.

Ut, qui præbendis aut ulla promotione ſpirituali gaudent, etiamſi ſacris non ſint initiati, habitu ſacerdotali, vel clericali veſtiti incedant pro more patriæ, ubi degunt.

Ut in veſtitu epiſcoporum & presbyterorum moderatio adhibeatur.

Ut epiſcopi inquirant de his, qui ſylvis, aut aliis abditis locis ſe occultant, aut alioquin non accedunt ad parochiales eccleſias diebus & horis, quibus divina officia diebus feſtis celebrantur; & ſi admoniti non reſipiſcant, examinentur tanquam ſuſpecti hæreſeos, & canonice caſtigentur ad aliorum exemplum.

Articuli de academiis & ſcholis.

I. Ut una eademque ſophiſticæ & dialecticæ introductio in utraque academia juventuti prælegatur. Deinde Porphyrii prædicabilia & prædicamenta. Tum Ariſtotelis dialectica. Adhibeatur interdum (ſi placet) Rodulphus Agricola de inventione. Cæteræ omnes dialecticæ reiiciantur.

II. In philoſophia tam morali, quam naturali legatur ſolus Ariſtoteles.

III. In theologia legat unus aliquam Bibliæ partem, alter Magiſtrum Sententiarum, vel alium auctorem ex theologis ſcholaſticis, quo doctrina ſcholaſtica, quæ theologiæ profeſſoribus maxime neceſſaria eſt, renovetur.

IV. Et quoniam ſtudiorum ardor, qui in academiis olim vigere ſolet, jam pene deferbuit, & ad profeſſores publicos audiendos, propter delicatum quoddam faſtidium, pauci admodum confluunt; provideatur, ut certus numerus cujuſque collegii, prout præpoſitis collegiorum ad hanc vel illam lectionem magis idonei judicabuntur, ad ſingulos prælectores publicos audiendos quotidie accedere cogatur, quo & prælectores ipſi ad accuratius prælegendum incitentur, & auditores majores in libris faciant progreſſiones.

V. Ut nemo in ſociorum, aut diſcipulorum numerum in aliquo collegio cooptetur, & bonis alatur collegii, niſi pauper ſit, & parentes illius polliceri voluerint, ſe cum eo, ſimulatque ad maturam ætatem pervenerit, ſerio acturos, ut clero ſe addicat conſecretque. Idemque in ludis literariis, in quibus aliquis diſcipulorum

ANNO CHRISTI 1557.

numerus ex fundatoris beneficio sustentatur, omnino observetur.

VI. ——

VII. Ut maturè provideatur, quo numerus eorum, qui in academiis operam literis navant, aliqua ratione augeatur; uti non desinant, qui in posterum clero se addicant.

VIII. Ut omnes, cujuscunque ordinis, conditionis, aut status sint, qui in academiis dicendi causa versantur, clericali & sacerdotali habitu, sub pœna expulsionis, vestiti incedant, quo a laicis distinguantur; & quotquot aliquo gradu scholastico sunt insigniti, semper extra collegia induti incedant, prout ipsorum gradus postulat, sub eadem pœna.

IX. Ut nemo ad sacerdotium, aut ullam aliam promotionem (ut vocant) spiritualem supra summam viginti librarum admittatur, nisi triennio in academia ætatem discendi causa degerit, & gradu saltem bacalareatus insignitus fuerit.

X. Ut nemo alearum, chartarum pictarum, tesserarum ludo in taberna, diversorio, aut domo ulla extra collegia pro pecunia utatur, sub pœna expulsionis.

Ut prolixæ præfationes, atque etiam confutationes, quæ nuper in principiis disputationum haberi solebant, amputentur, quo tempus in argumentis concisis consumatur.

Ut beneficiati, qui in academiis studii causa, vel sub prætextu studii degunt, teneantur statutis temporibus sese disputationibus exercere, & lectionibus publicis interesse, & in collegiis, vel aulis, aut aliis domibus studentium morari.

De scholis.

Ut plures ludi literarii (si fieri potest) exigantur, & illis, tum qui jam sunt, tum qui futuri sunt, pii ludimagistri, & catholici præficiantur, & de hæresi suspecti removeantur.

Ut nemo ad juventutem vel in scholis, vel in generosorum ædibus instituendam admittatur, nisi per ordinarium approbatus.

Statuta clero in synodo collecto proposita.

Quod episcopi tum ea, quæ infra scribuntur, tum omnia alia quæ suo officio incumbunt, diligenter exequantur. Quum archiepiscopi, & episcopi esse debeant, forma gregis, ad quam se debeant subditi reformare, quod nequit fieri, nisi se omnibus exhibeant in exemplum; maiorum itaque institutis inhærentes, exhortamur in Domino, & in virtute sanctæ obedientiæ, atque sub divina attestatione judicii monemus, ut omnes & singuli episcopi in festis principalibus, saltem in festis Nativitatis Domini, Paschæ, & Pentecostes, atque in hebdomada sancta præsentiam suam debitam in ecclesiis suis cath. exhibeant, ibique missas celebrent, & oleum sacrum, atque infirmorum in die coenæ Domini quolibet anno conficiant, nisi eos ab ipsis ecclesiis a suis superioribus evocari, aut ex infirmitate, vel aliqua alia justa causa tunc abesse contingat. Circumeant præterea dioeceses suas temporibus opportunis, monasteria & hospitalia reformando, clerum & plebem corrigendo, hæreses & errores extirpando, & verbum vitæ in agro dominico seminando, in conferendis ordinibus, atque beneficiis instituendis; curatis multo diligentius, quam ante hac, vigilando, ne inhabiles ad curam animarum, etiam ad tempus, substituantur, præcavendo; beneficiatos, qui ex causa non admodum urgenti abfuerint, ad residendum in suis beneficiis citra omnem redemptionem compellendo, veniasque eadem beneficia pro pecunia locandi prorsus rescindendo; exactiones & rigores officiariorum & ministrorum suorum compescendo; ecclesiarum & capellarum privilegiat. abusus comprimendo; concionatores idoneos per dioeceses suas subinde emittendo; hæreticos eorumque libros explorando & corrigendo, & cum opus fuerit, etiam condemnando & extinguendo, &, ut rudimenta fidei & literarum tam in universitatibus, quam in aliis gymnasiis publicis pura jaciantur, puriusq; & sincerius coalescant, solicitius incumbendo; abbates & priores ad debitum numerum religiosorum reducendo, ipsosque religiosos in suis monasteriis degentes, ad monasticam conversationem excitando, absentes ad sua monasteria compellendo licentiam capacitatum coercendo; et, ut per proprietarios, rectoresque & vicarios frequentes in suis ecclesiis conciones fieri procurent, distributionesque debite inter pauperes earundem parochianos fiant, diligentissime providendo; clericos delinquentes vigilantius inquirendo, & severius, quam antehac, corrigendo, eosdem que super horrendis sceleribus etiam coram laicis convictos, in carceribus vel in perpetuum retinendo, vel saltem non ita facile, nec tam cito ad purgationem admittendo; simoniacos deponendo, & carnis libidine lapsos, ad rigorem canonum, & constitutionum tam in præsenti synodo, quam in prioribus editarum, castigando; venatores & aucupes clericos coercendo; pretiosisque vestibus indutos, ad vestium modum in hac synodo præfinitum reducendo, & in eodem retinendo; cæterosque clericos otiosos, aut dissolutos ad exercitia, & honestam conversationem revocando: & ut summa dicamus, omnes subditos viros ad mandatorum Dei, canonumque & constitutionum maxime tuitionem, fidei & morum integritatem concernentium observantiam verbo & exemplo cohortando, persuadendo, &, ubi opus fuerit, etiam compellendo.

De qualitate ordinandorum.

Præsentis sacri concilii provincialis auctoritate sancimus, ordinamus, & statuimus, quod nullus episcopus per se; sive suum suffraganeum quempiam alienæ dioeceseos, præter regulares exemptos per ordinatorem debite examinatos, ad sacros ordines intra Cant. provinciam de cætero admittat, nec ordinet; nec iis, aut eorum alicui liceat extraneos, & qui infra dioec. vel jurisdictionem suam non sunt oriundi, aut beneficiati non fuerint, vel domicilium

ibid.

ANNO CHRISTI 1557.

ibid. per triennium non habuerint quoquomodo ordinare, etiamsi idem literas episcoporum suorum dimissoriales habuerint; quas auctoritate præsentis concilii decernimus non esse admittendas quoquo modo. Statuimus quoque & ordinamus, quod nullus clericus secularis de cætero admittatur ad sacros ordines, nisi habuerit literas testimoniales curati, & oeconomorum, vel parochiæ, in qua natus, beneficiatus, vel per triennium proximo præcedens commoratus fuerit, sub sigillo archidiac. illius loci, vel ejus officialis, ubi archidiaconus jurisdictionem habuerit; alioquin sub sigillo commissarii in parochia prædict. jurisdictionem habentis; seu si in aliqua universitate studens fuerit, sub sigillo commissarii universitatis Oxon. seu vicecancellari Cantabrig. cum testimonio superioris loci sui; quæ literæ ipsius ordinandi vitam, genus, patriam, bonam famam, & conversationem, tam circa fidem catholicam, quam circa alia contineant: pro quibus quidem literis, & sigillo ultra quatuor denarios nihil exigatur, sub poena suspensionis ab officio, quam ipso facto auctoritate hujus concilii incurrat, donec duplum pecuniæ receptæ parti sic solventi restituat. Exacte itaque curent episcopi, ut neminem de cætero ad subdiaconatus ordinem promoveant, nisi eum, qui adeo sit exercitatus in evangeliis, & epistolis sacris saltem in missali contentis, ut eorundem sensum grammaticalem examinatori prompte & expedite reddere valeat. Sitque eorum quilibet sufficienter instructus etiam in aliis ad ordinem illum, quem tunc assumpturus est, per sacros canones requisitis, & in officiis divinis secundum morem ecclesiæ & loci consuetudinem promptus & expertus; habeatque præterea in presbyterum ordinandus cetera ad ipsius officium & ordinem per c. *Quæ ipsis* 38. *dist.* ipsis sacerdotibus necessario requisita.

De idoneitate admittendorum ad beneficia.

Sacerdotibus valde tremendum est judicium Dei, ne per eorum ignorantiam, aut negligentiam populus ob penuriam verbi Dei fame pereat, et a regno Dei excludatur. Statuimus itaque, et ordinamus; quod ad ecclesiam parochialem, ejusve vicariam perpetuam, post annum a publicatione præsentis statuti, ordinarii locorum neminem admittant, nisi eum, qui omnia & singula in quadam constitutione provinciali sic incipien. *Ignorantia sacerdotum &c.* de officio archipresbyteri intellexerit, adeo in eisdem tritus et exercitatus fuerit, quod memoriter et prompte eorum sensum verum juxta tenorem cujusdam libelli vocati, *Exoneratorium curatorum*, explicare, & exponere possit; eidemque per ordinarium specialiter tunc injungatur, quod quater ad minus in anno ea omnia suis parochianis diligenter et sincere exponat, prædicet, et declaret: super quo, an debite observatum fuerit, ordinarii locorum in singulis suis visitationibus inquisitionem faciant specialem, et quos constitutionem tam salubrem violasse, prædictaque non fecisse comperierint, prima vice per suspensionem ab officio per unum mensem, et secunda vice per duos menses, et sic deinceps poenam aggravando, prout illorum negligentia crescit, ad observandum prædicta compellant: providentes tamen, ut interim curæ animarum impensis suspensi, quatenus opus fuerit, debite deserviatur. Sacras vero literas, ad ecclesiam parochialem, ejusve vicariam perpetuam admittendus, & admissus ita grammatice intelligat, ut earum sensum cum industria, & aliquali studio, secundum interpretationem alicujus catholici doctoris, & intelligere, & suis parochianis exponere possit. Quod si eorum aliquis præmissa facere & observare neglexerit, aut quovis justo impedimento præpeditus, præmissa facere & observare non possit; tunc, si ejus beneficium valoris fuerit octo librarum, semel in anno; si vere valoris fuerit decem librarum bis anno; si valoris fuerit viginti librarum, quater in anno verbum Dei parochianis suis per concionatorem idoneum & approbatum solicite, & cum effectu in partem recompensationis sui in ea parte officii prædicari procuret, præter et ultra sermones, quos in ecclesiis suis alioqui ad populum haberi continget. Quod si beneficium appropriatum fuerit, & vicarius pro sua portione decem libras habeat aut supra, vicarius, qui simul ad curam, & hospitalitatem obligatur, bis; proprietarius vero, si ejus portio, seu fructus in beneficio sibi approbato, super vel circiter decem libras communiter valeat, tunc annuatim bis; si vero viginti libras excedat, tunc (modo prædicatorum idoneorum sufficiens copia fuerit) ter; si vero plurium infra decem libras, tunc saltem semel in beneficio hujusmodi per se, vel aliam personam idoneam prædicari procuret, præter distributiones parochianis ejusdem alioqui impertiendas. Et ad præmissa diligenter facienda, tam rectores & vicarii quam ipsi proprietarii per ordinarios locorum, sub poena 6. s. 8. d. pro qualibet vice, in pauperum parochianorum, & alios pios usus illius parochiæ distribuendorum, si in præmissis remissi fuerint inventi, arceantur & compellantur.

De substitutis beneficiatorum per ordinarium admittendis.

Statutum, decretum, & ordinatum est, ne quis de cætero rector vel vicarius ex quacunque causa per tres menses absens a beneficio suo curato quempiam ibid. ad vices suas supplendas substituat, nisi quem hujusmodi rector aut vicarius episcopo, ejusve vicario in spiritualibus generali, officialive principali, aut commissario locive ordinario per literas suas privatas, vel si beneficiatus in partibus fuerit transmarinis, tunc per literas sui procuratoris, signo & subscriptione dicti rectoris, vicarii, seu procuratoris munitas præsentaverit; & quem sic præsentatum, episcopus dioecesanus, vicarius generalis, officialis, seu commissa-

ANNO CHRISTI 1557.

rius, locive ordinarius prædict. in moribus & scientia prius approbaverit, & ad curam animarum administrandam admiserit. Quibus quidem literis rectoris, vicarii, seu procuratoris signatis, ut præfertur, & subscriptis, ordinarius, & quilibet officialium prædict. fidem indubiam sine dilatione dabit. Ita tamen, ut sic præsentatum ad administrationem curæ illius non admittant, nisi quem adeo doctum esse constiterit, ut omnia & singula contenta in constitutione provinciali suprascripta, sic incipien. *Sacerdotibus valde tremendum est, &c.* quantum ad cognitionem sacrarum literarum attinet, parochianis suis præstare possit. Quod statutum diligenter, & perpetuo in omnibus observari volumus, nisi summa temporis necessitas, taliumve virorum extrema inopia alios, licet minus idoneos, etiam ante præsentationem hujusmodi substituti, exigat, aut permittat. Super quo volumus stare juramento substituentis procuratoris ipsius, quod alium magis idoneum justo pretio pro tunc commode invenire non potest; quem tamen sic substitutum, diutius remanere nolumus, quam magis idoneus commode inveniri possit. Ordinarii autem seu commissari antedicti eosdem sic præsentatos infra tres dies proxime & immediate sequen. diem, qua hujusmodi præsentati præsentis suis se obtulerint, sine quacunque ulteriori dilatione vel repellant, vel admittant. Quod si non fecerint lapsis, ut præmittitur, dictis diebus pro admisso habeatur; nec rector, vicarius, vel substitutus prædict. ultra, de & pro substitutione illius sacerdotis, pro illa saltem vice, per ordinarium, vel dictos officiales ea de causa molestetur, inquietetur, aut turbetur. Si quis vero a beneficio curato suo hujusmodi sive substituto taliter, ut præmittitur, præsentato & admisso absens fuerit, fructibus beneficii sui, in pios usus per ordinarium distribuendis, tam diu careat, donec ad beneficium suum redierit, et in eodem resederit, vel ordinario suo, seu ejus officiali, aut commissario prædict. suum substitutum in moribus & scientia approbandum, ut præfertur, præsentaverit, et ejus admissionem, ut præfertur, obtinuerit; pro quibus quidem substitutis admittendis ordinarius, officialis, vel commissarius prædictus nihil omnino accipiat, aut accipi permittat: nullusque sacerdos, secularis, vel regularis curam animarum in ecclesia paroch. ab ordinario prius ad eandem non admissus, administret, nisi in tempore, ut præfertur, necessitatis. Qui autem contra fecerit, interdicatur ei per annum immediate sequen. ne ulli curæ deserviat infra dioecesim, in qua taliter servire tentaverit, nec in aliqua alia illi dioecesi contigua. Si quis vero dictorum officialium aliquem substitutum minus idoneum, sibi, ut præfertur, præsentatum, ad serviendum curæ animarum admiserit, ordinarii arbitrio, et discretione poena condigna puniatur.

A *De non admittendis ad beneficia per procuratorem.*

Quia ubi res agitur per procuratorem, ordinarius potest mores, scientiam, & conditiones personæ sibi præsentatæ ignorare, & sic inscius indoctum vel indignum (ut sæpe contingit) aut religiosum ad beneficium nomine clerici, vel capellani, suppresso religionis titulo, per procuratorem sibi præsentatum in beneficio ecclesiastico instruere. Igitur statutum, ordinatum, & decretum est, ut quilibet ad beneficium curatum præsentatus, in persona sua propria ad ordinarium veniat, si in sua dioces. vel B jurisdictione præsens fuerit, si autem abfuerit, & reliquerit in sua absentia vicarium generalem, ad ipsum veniat, ut diligenter examinetur, an moribus, & scientia, ac cæteris qualitatibus sit aptus, & idoneus ad ejusdem beneficii curam administrandam; Et quod taliter non examinatus, ad beneficium per procuratorem non admittatur, nisi sit in dignitate aliqua ecclesiastica constitutus, vel nisi sit ex aliqua certa universitate ad minus artium magister; aut juris pontificii, vel Cæsarei bacalaureus secularis, vel nisi sit talis, de cujus scientia et moribus alio modo suo ordinario satis constat, vel nisi in partibus transmarinis, ex aliqua causa C legitima coram ordinario approbanda, tunc egerit, vel nisi adversa valetudine impediatur. Si quis autem in suo procuratorio se in ecclesiastica dignitate constitutum, artiumve magistrum, seu juris canonici, aut civilis bacalareum falso nominaverit, aut se clericum vel capellanum, cum sit religiosus, existere falso simulaverit, aut adversa valetudine laborare finxerit, cum sit sanus, quia dolus et fraus nemini debent patrocinari, institutio, vel in possessionem inductio sequens ex hujusmodi fallaci procuratorio, nullius sit roboris, aut momenti; ipseque constituens tale procuratorium beneficio, ad quod tunc nominatur, sit ipso D facto privatus; et liceat patrono beneficium sic vacans conferre, seu ad idem alium idoneum præsentare. Quod si aliquis, cum quo forte per sedem apostolicam de delatione habitus, vel ut sit capax beneficii ecclesiastici, dispensatum sit; coram ordinario in habitu seculari, cum sit religiosus, comparuerit, et se religiosum esse ordinario, etiam non interrogatus, non detexerit, institutio, et in possessionem inductio pro nullo habeatur. In omnibus autem prædictis casibus, quibus præsenti constitutione quemquam per procuratorem ad beneficium curatum admitti permittitur, illud omnino volumus observari, ut procurator ipse suo proE prio, vel alterius fide dignæ personæ, cui promovendus sit cognitus, juramento fidem faciat se credere, quod is, quem ad beneficium admitti postulat, quantum ad mores attinet, idoneus quantum vero ad scientiam, sufficiens existat ad ea omnia et singula præstandā, quæ in aliis constitutionibus præsentis synodi exiguntur.

Cau-

ANNO CHRISTI 1557.

Causa correctionis ex officio.

Ut, quæ a sacris canonibus pro animarum salute salubriter cognoscuntur statuta cum minori delinquentium jactura, & dispendio, quantum fieri potest, executioni mandentur; statuimus, ne quisquam in causa correctionis morum, ad effectum poenitentiæ, vel purgationis indicendæ, ex apparitorum informatione, vel aliter, ex officio mero & promoto, coram quocunque, ordinario vocetur, nisi prius de eodem crimine, vel in visitatione per probos detectus fuerit, vel nisi crimen notorium existat, vel nisi is qui ad judicium sit vocandus, apud bonos & graves fuerit de eodem crimine infamatus; quibus casibus si purgatio veniet indicenda pro fornicatione & simili crimine, non ultra sextæ manus; pro graviori vero non ultra duodecimæ manus compurgatorum numerum imponant. Ita tamen ut pro singulo quoque compurgatorum non ultra unum denarium; pro laboribus vero aut feodis curæ officiorum, non ultra decem denarios, arbitrio ordinarii dividendos, hujusmodi purgationis causa exigatur.

Districtius quoque inhibendo præcepimus, ne locorum quorumcunque ordinarii in quibusvis causis quemquam ultra duas dietas ad respondendum positionibus, vel ad ferendum testimonium, vel ad se purgandum, nisi episcopo ordinario prius de urgenti aliqua causa ad eum ulterius evocandum constiterit, personaliter trahant; sed committatur examinatio aliquibus viris idoneis in locis illis, quibus partes examinandæ, & purgandæ commorantur. Qui in aliquo præmissorum hanc nostram constitutionem violare præsumpserit, duplum damni, quod illatum est parti læsæ restituat.

Proviso, quod nec hoc statutum, nec aliquid in eodem contentorum, in aliquo præjudicet jurisdictioni, aut auctoritati archiepiscopi Cant. in quantum archiepiscopus est primas, vel legatus natus; nec canonibus, aut constitutionibus contra simoniacos seu hæreticos editis, per aliquid in hoc statuto contentum quovis modo derogetur.

De absentibus causa studii.

Ne falsus studii prætextus excuset absentes a beneficiis, ordinarii locorum in singulis suis visitationibus et capitulis diligentem faciant de absentibus a beneficiis suis curatis inquisitionem, nulliusque absentiam gratia studii in quacunque academia approbent, nisi absentes hujusmodi bonarum literarum capaces, et ad adipiscendam doctrinam admodum apti per probationem legitimam sibi commendantur. Ac deinceps caveant prælati ne senibus beneficium, vel beneficia habentibus (præsidibus collegiorum, seu aularum, aut publicis in sacra theologia, jure canonico, aut civili prælectoribus duntaxat exceptis) a suis beneficiis, prætextu studii, abesse indulgeant, vel permittant: qua in re sub obtestatione divini numinis prælatorum conscientias oneramus. Et ut dicta nostra ordinatio promptiorem sortiatur executionem, ulterius statuimus, et ordinamus, quod cancellarii, seu vices gerentes utriusque universitatis in prima sua admissione ad sua officia, juramentum præsentent corporale, alioqui non admittendi, quod bis singulis annis de ineptis et inidoneis hujusmodi per singula collegia, aulas et hospitalia, specialem faciant inquisitionem; quod si quos ibid. etiam juvenes beneficiatos, nulli deditos studio, in otio et deliciis vitam degentes, compererint, de eisdem diœcesanos episcopos, seu ordinarios, ubi beneficiati existunt, cum omni, qua possunt, celeritate, et diligentia certiores facere non omittant, qui mox eos ad residentiam in ecclesiis suis parochialibus debitam, et hospitalitatis solatium, quæ sub velamento studii desides hujusmodi fraudulenter subtraxerint, canonice cogant, et compellant.

ANNO CHRISTI 1557.

De hiis, qui, deserta residentia in cura propria, recipiunt stipendia aliunde.

Hoc sacro approbante concilio, prohibemus, ne cantarista vel aliter beneficiatus, propria cura sua, cantaria vel suo beneficio dimisso, alieno deserviat, nec stipendia aliunde percipiat, sub poena amissionis medietatis fructuum sui beneficii, arbitrio ordinariorum, tempore visitationis eorum, sub testimonio oeconomorum, applicandorum ad reparationem ecclesiæ, ornamentorum, & pauperum parochianorum eleemosynas; exceptis illis studentibus in universitatibus, quorum beneficiorum valor ad summam octo marcarum de claro non extenditur.

De concionatoribus.

Item, quoniam, pronunciante apostolo, cognovimus, quod in novissimis diebus instarent periculosa tempora, & quod multi a fide discederent, attendentes spiritibus erroris, videmusque ovile Christi per lupos rapaces Wicleffi, & recentiorum quorundam hæreticorum discipulos, undique periclitari; summa prudentia maximaque prælatorum diligentia huic morbo tempestive succurrendum est, ne malum hoc latius divagando vires acquirat, & ne sero de medicina cogitetur, cum per longas moras malum hoc adeo invaluerit, ut de remedio quodammodo desperetur. Et quia hujus defensionis officium tam per divinas leges, quam per sacros canones ad episcopos, apostolorum successores, maxime spectat, & ipsi propter suas occupationes multiplices, vel invaliditates corporales, seu occasiones alias, per seipsos in hoc periculoso tempore non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas, & diffusas dioeceses; hac sacra synodo statuimus, & ordinamus, ut episcopi viros idoneos, ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum, pro dioecesium suarum amplitudine assumant, potentes opere & sermone, qui greges eorundem (cum ipsi episcopi aliter impediti, hoc nequeunt per se ubique perficere) solicite visitantes, errores

& hæ-

ANNO CHRISTI 1557.

& hæreſes modo invaleſcentes exterminent, rectam & veram fidem, & quæ credenda, quæque fugienda ſunt, doceant verbo, & exemplo ædificent, quibus ipſi epiſcopi, neneſſaria juxta canonem *inter cætera* de officio ordinarii curent ſubminiſtrari, epiſcoporum conſcientias apud altiſſimum in hac parte onerantes. Conſtitutionem quoque provincialem poſitam ſub titulo *De hæreticis*, *C. reverendiſſimi*, ſalubriter editam, quoad ea, quæ ſequuntur, innovando atque ampliando ſtatuimus, ordinamus, & decernimus, quod nullus ſecularis, aut regularis, præterquam in ſua eccleſia, ad prædicandum verbum Dei etiam a jure ſcripto auctorizatus, privilegiove ſpirituali munitus, officium ſive exercitium prædicationis verbi Dei in ſe aſſumat, populove, aut clero quovismodo prædicet in latino ſermone ſeu in vulgari, in eccleſia aut extra, niſi primo archiepiſcopo, vel dioeceſano illius loci, in quo prædicare ſic nititur ſe præſentet, & examinationem ſubeat, ſicque deinde tam moribus, quam ſcientia per ipſum archiepiſcopum, vel dioeceſanum idoneus ad prædicandum comprobetur. Et poſtea per eundem cum literis authenticis ad prædicandum mittatur ad aliquam certam parochiam, vel ad plures, prout eidem archiepiſcopo, vel ordinario, ſecundum qualitatem perſonæ videatur expediens. Nec etiam aliquis præmiſſorum, etiamſi per archiepiſcopum ſive dioeceſanum admiſſus prædicare præſumat, niſi prius eodem die rectori, vicario, ſeu curato loci, ubi concionaturus eſt, ipſius archiepiſcopi, ſeu dioeceſani literas, ſub ſigillo ſuo magno ad hæc ſibi confectas, oſtendit. Cætera vero omnia in conſtitutione provinciali ſupradicta, De hæreticis *C. reverendiſſimi*, contenta, juxta formam in eadem traditam firmiter obſervari, & executioni diligentiſſime demandari, etiam hujus præſentis ſynodi auctoritate decernimus, ſtatuimus, & ordinamus.

De hæreticis & hæreticorum libris.

Noſtræ ſollicitudinis præcipua cura eſſe debet, ſtatim ut pullulare aliquid cognoſcimus, quod fidei chriſtianæ puritatem, vel eccleſiæ Chriſti concordiam, pacem, & tranquillitatem offendit, illud penitus reſcindere, agrum dominicum a noxiis zizaniis & vepribus omni diligentia expurgare. Sane dudum in noſtra provincia, quod dolenter referimus, quidam hæreſiarchæ damnabiliter excæcati, alios ſecum in infidelitatis interitum trahere ſatagentes, libellos nonnullos Latino & vulgari ſermone conſcriptos, edere, ſpargere, & publicare curaverunt, contraria fidei catholicæ, & ſanctæ matris eccleſiæ doctrinæ dogmata continentes; cujus generis eſt liber, qui *Parabola Mammonæ iniquitatis* inſcribitur. Item alius liber, qui *Obedientia chriſtiani hominis* vocatur. Item tranſlatio Novi Teſtamenti in lingua Anglicana a Willelmo Hychyns, alias Tyndal, corrupta. Item alius liber, qui *Revelatio Antichriſti* intitulatur. Item alius liber, qui *Dialogus inter patrem & filium* vocatur. Item alius infamis liber, qui de ſepultura miſſæ rythmico ſermone vernaculo compoſitus eſt. Item alius, qui *Introductio in Epiſtolam Pauli ad Romanos* inſcribitur. Item alius, qui *Supplicatio mendicorum* nominatur. Item alius liber, qui *Practica Prælatorum*, & alius, qui vocatur *A. B. C. to the prelacy*, & alius, qui vocatur, *Defenſorium pacis*. & alius, qui vocatur *Dialogus inter generoſum, & ruſticum*. Item alius in vituperium divi Thomæ, quondam archiepiſcopi Cant. Qui quidem libri, una cum multis aliis peſtiferis, partim a Willelmo Hychyns, alias Tyndal, partim a Simone Fiſhe, Willelmo Roy, & Richardo Bryghtwell, eorumque complicibus compoſiti ſunt.

Quos omnes & ſingulos libros, infandis & peſtilentiſſimis hæreſibus & blaſphemiis refertos, innumeris erroribus plenos, una cum prædictis, & aliis eorundem, & ſimilium auctoribus quibuſcunque, hoc ſacroſancto concilio approbante, damnamus, reprobamus, & hæreticos eſſe judicamus & decernimus. Præterea etiam patrum noſtrorum veſtigiis inhærentes, prohibemus, ne quis impoſterum tractatus, opuſcula, ſchedulas, aut libros quoſcunque, ſacram ſcripturam aut ejus interpretationem in ſe continentes, in linguam vulgarem translatos, vendere, donare, commendare, emere, imprimere, ſcribere, edere, legere, ſpargere, aut publicare in parte vel in toto, publice vel privatim, vel penes ſe ſcienter retinere, abſque ſui dioceſani in ſcriptis licentia, præſumat, niſi prius hujuſmodi libri epiſcopo loci exhibiti, atque ab eodem diligenter examinati, atque auctoritate ejuſdem comprobati fuerint. Qui vero contra fecerit, ut zizaniorum fator, & hæreticæ pravitatis fautor puniatur. Si quæ vero perſona eccleſiaſtica vel in prædicto exceſſu, vel in quavis hæreſi, vel errore pernicioſo, quem illico ad monitionem dioceſani loci recantare recuſaverit, manifeſte deprehenſus fuerit aut convictus, beneficiis, ſi quæ habeat, hoc ſacro approbante concilio, ſit ipſo jure privatus, & ad dignitates eccleſiaſticas quaſcunque, vel alia beneficia curam animarum habentia, necnon ad curati officium gerendum perpetuo inhabilis reddatur. Et quia multi libri hæretici in lingua Latina a Luthero, Lamberto Pomeriano, Zuinglo, Oecolampadio, Bucero, Melanchthono, Carolſtadio, Brentio, Jona, Weſtmero, Heghen, Dorphino, Johanne Agricola, Urbano Breníemano, Andrea knopkyn, Simone Heſſe, Johanne Wylkith, Ottone Bromſelſio Weſſello compoſiti & editi; & quidam etiam alii libri nullius auctoris nomine prodeuntes, cujuſmodi eſt liber ille, qui *De veteri & novitio Deo* inſcribitur. Item alius qui *Piæ precationes*, alius qui *Oeconomia Chriſtiana* vocatur; omnes innumeris erroribus & peſtilentiſſimis hæreſibus pleni brevi gregem dominicum infecturi videntur, ſi in vulgus prodire, & paſſim ab omnibus, nihil in eis non rectum ſubeſſe ſuſpicantibus, lectitari poſſent. Et alii etiam ejuſdem generis libri, aliis nominibus & titulis quotidie novi

ANNO CHRISTI 1557.

ANNO CHRISTI 1557.

vi parantur & eduntur. Ad occurrendum huic imminenti malo, hoc sacro approbante concilio, prohibemus, ne quis librum quemcunque sub prædictis titulis, aut auctorum præfatorum, aut quorumcunque aliorum de novo imprimendorum nomine inscriptum aut compositum, vel in posterum componendum, habere, legere, edere, publicare, seu penes se retinere præsumat. Quod si fecerit, ut de hæresi suspectus habeatur, & puniatur, nisi forte episcopus loci ejusdem propter singularem ejus doctrinam, fideique integritatem hujusmodi librum, sive in lingua vernacula sive Latina editum, ad effectum impugnandi, eundem habere, legere, vel penes se retinere concesserit; nova vero opera quæcunque, ad sacram scripturam ejusve interpretationem, seu ad dogmata ecclesiastica pertinentia, cujuscumque fuerint auctoris aut tituli, ne prius edantur aut publicentur, præcipimus, quam ab episcopo loci examinata & comprobata fuerint, sub pœna prædicta.

De clericis convictis.

Statuimus, & præsentis sacræ synodi auctoritate ordinamus, quod quilibet sacerdos, diaconus, vel subdiaconus, qui vel de criminibus gravioribus; videlicet, de crimine proditionis, matricidii, homicidii voluntarii, furti per insidias in viis publicis, vel per effractionem ecclesiarum aut domorum commissi, vel super crimine violenti raptus mulierum, incendii domorum aut agrorum voluntarii, coram judice laico convictus fuerit, & traditus ordinario loci; si postea de crimine hujusmodi ipsis ordinario, vel per confessionem partis, aut per probationes legitimas coram eodem canonice factas, constiterit, clericus hujusmodi sit coram ordinario convictus, perpetuis, absque spe aliqua purgationis admittendæ, custodiatur carceribus, & omni beneficio ecclesiastico, si quod habeat, censeatur ipso facto privatus. Quod si clericus hujusmodi super criminibus prædictis, aut eorum aliquo graviter apud loci ordinarium suspectus vel defamatus fuerit, & nihilominus facta per ordinarium infra annum inquisitione legitima, clericus hujusmodi per confessionem suam, aut per alia legitima probationum genera, super eisdem vel eorum aliquo legitime, ut præfertur, minime convincatur; quia tamen sua culpa in tantam infamiam, in scandalum cleri, videtur incidisse, ille antequam ad purgationem faciendam admittatur, per unum ad minus annum integrum in vinculis in arcta carceris custodia detineatur, tribus diebus singulis septimanis illius anni tolummodo pane & aqua aut cervisia refectus. Et post lapsum anni, si tunc ad purgationem faciendam hujusmodi clericus petat se admitti, certi dies & locus idonei, in quibus hujusmodi purgatio recipi debeat, per ordinarium designentur, fiantque locis convictionis & purgationis sufficientes monitiones, citationes, & publicationes purgationis indicendæ, viis & modis juxta juris ordinem seu morem consuetum, pro ponere volentibus contra hujusmodi purgationem, ut die & loco præfixis, quia sua interesse putaverint, si velint, in loco purgationis recipiendæ, auditis per ordinarium allegatis hinc inde & propositis, si ordinarius clericum illum ad purgationem faciendam admittendum existimaverit, cum sex ad minus probis & honestis viris in forma juris juratis, & non aliter, ad eandem admittatur. Quæ quidem omnia tam in prædictis, quam in aliis convictis clericis ordine ecclesiastico etiam prima tonsura, priusquam hujusmodi majora scelera commiserant, initiatis, qui tonsuram & habitum suo ordini competentem gerere consueverint, observari volumus, quamdiu ordinarii ad custodiam illorum, qui per ordinis vel saltem primæ tonsuræ ante commissionem illorum scelerum, pro quibus coram judicibus laicis fuerant convicti, susceptionem ad clericatum minime assumpti fuerunt, inviti non arctentur. In convictis vero & incarceratis clericis pro aliis criminibus, quam prædictis, per purgationem liberandis, nolumus antiqua jura & ecclesiæ consuetudinem immutari; nisi quod illud etiam exacte observandum præcipimus, ne hoc casu faciliter liberentur, nec perfunctorie pro eis purgatio admittatur.

De vestibus & indumentis clericorum.

Quoniam aliquot annos jam abusus clericorum in vestitu & indumentis longe magis invaluit, quam antea fieri consuevit, unde non mediocrem apud vulgus invidiam sibi conflarunt, & ingentem obloquendi præstiterint ansam, nimirum ecclesiæ bona in apparatum nimis sumptuosum prodigentes; idcirco ista sacra synodus remediis quibusdam opportunis huic malo duxit quanto citius occurrendum. Quamobrem statuit, decrevit, & ordinavit, quod nemo in sacris ordinibus constitutus, vel beneficium assecutus ecclesiasticum, toga quavis utatur publice, quæ serica sit, ornatave pretiosis pellibus, nisi prælatus, ordinis senatorii, vel alicujus baronis ad minus filius, aut frater, vel nisi fuerit de cancellaria domini regis, vel alicujus archiepiscopi, vel episcopi vicarius generalis, aut officialis principalis, archidiaconus, seu aliter in dignitate ecclesiastica constitutus, seu ex universitate aliqua graduatus; quibus licebit uti sericis sumptuosisque pellibus, prout, secundum eorum gradus in universitatibus susceptos, ubi permissi sunt, & consueverunt. Item statuit, & decrevit, quod nemo in sacris ordinibus constitutus in tunica sua utatur chameloto, nisi fuerit ad minus artium magister, vel in legibus bacal. Nec in epitoglis quisquam præsumat, uti velveto aut sacrineto, nisi fuerit, ut præmittitur, graduatus, vel beneficium assecutus ecclesiasticum; sed nec cuiquam in pileo suo velveto uti liceat in futurum. Nam honestatem, & modestiam in suis indumentis clericos omnes exhibere decet, potius quam splendorem, vel pompam; sed & juxta pristinam sacerdotum laudabilem consuetudinem, sacrorumque patrum instituta, semper

ANNO CHRISTI 1557.

ANNO CHRISTI 1557.

per extima veſtis, quam quisque, præterquam, itineris gratia in publicum exiens, gerit, ſit talaris, hoc eſt, neque nimia longitudine caudam trahens, neque nimia brevitate crura tibiaſque demonſtrans; ſit eadem quoque ſuperius proxime ſub prento clauſa pariter, & inferius tam honeſte collecta, ne fimbriis ipſius togæ patulis, & diffluentibus conſpicua fiant, quæ tegi magis & operiri pro honeſtate clericali conveniret. Manicis quinetiam togæ ſuæ quisque congruis, & decoris utatur, non pendiolis, aut notabiliter in latitudine, longitudine, vel anguſtia peccantibus. Nullus præterea clericus, niſi cui pro dignitate ſui gradus conveniat, annulum aureum, vel deauratum geſtet in digitis; nullus induſiis, aut camiſiis, quas vocant Phrygiatis, hoc eſt acu laboratis, auro, ſericove contextis, utatur. Nullus conſpiciendum ſe non indutum toga publicitus oſtendat. Nullus pileo cum ligulis, aut corrigiis laneis affutis, aut contextis, caput operiat. Nullus caligis varii coloris, aut cæſuris panni ſericive deſuper inſertis, ſe induat: Nullus calceos, aut ſotulares cum ungulis utrinque prominentibus, more laicorum, pedes tegat. Nullus abſque tonſuris foras prodeat, quin & ita tonſuratus incedat, ut infima pars auris queat liquido conſpici. Ut igitur in ſumma dicatur, ſinguli clerici, maxime ſacris in ordinibus conſtituti, veſtibus incedant ejusmodi, quæ materia, colore, compoſitione, modoque utendi, clericalem ordinem haudquaquam dehoneſtent. Si quis vero contra ſtatutum et ordinationem dictam agere deprehenſus fuerit, is primo per ordinarium, ejusve officialem, aut commiſſarium, decanumque ruralem moneatur, quatenus errorem ſuum reformet, nec deinceps recidat in eundem. Quod ſi per triduum in obſtinantia ſua ſteterit, aut emendatus poſtea reinciderit, a celebratione divinorum ſuſpendatur per menſem. Quod ſi nec ſic emendatus fuerit, tunc iterum ſuſpendatur, donec reſipiciat realiter cum effectu.

De clericis venatoribus.

Quum ſacerdotes, & clerici in ſacris ordinibus conſtituti, canes venaticos loris more laicali ducere, & accipitres manibus per civitates, & loca publica geſtare nunc dierum non verentur; nos tantam clericorum impudentiam poenali lege reprimere cupientes, ſtatuimus ut quicumque clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, vel beneficium adeptus eccleſiaſticum, qui canes ſic ducere, & accipitres, aut aves aucupes per vicos & plateas, in villis, vel urbibus quovis modo geſtaverit, a celebratione divinorum ipſo facto per unum menſem ſit ſuſpenſus.

De clericis & religioſis lapſis in vitium carnis.

Quum nullum vitium æque ut carnis gravet infamia, & miniſtros Domini deceat mundities & ſanctitudo, quoniam ipſe mundus, & ſanctus eſt; ideo ſtatuimus, & ordinamus, ut ſubdiaconus aut diaconus, qui in ſimplici fornicatione deprehenſus, vel confeſſus, vel convictus fuerit coram ordinario ſuo, ſingulis quartis et ſextis feriis omnium hebdomadarum unius menſis in pane anguſtiæ, & aqua doloris in carcere maneat. Ita ut in ſingulis ordinum prædictis duplicetur poena pro adulterio, triplicetur pro inceſtu. Et in cæteris carnis ſpurcitiis poena creſcat, ut impuritas creſcit, & turpitudo; quod ſi etiam ſacerdos, curatus, vel religioſus ſit, aliquid illi præter cæteros addatur ad poenam veluti qui duplicis voti ſit reus, et ordinis, & profeſſionis. Ut hæc obſerventur, conſcientias prælatorum onera mus; et ut infamiam vitent, quæ ad illos recurret, niſi ſeveriter in impuros animadvertant, in Domino exhortamur. Incorrigibiles vero juxta ſacrorum canonum ſtatuta deponantur. Quod ſi quiſpiam ex his in lupanari, aut ullo alio loco infami deprehenſus ſit, in quo fama eſt pudicitiæ proſtitutiones publice aut ſecrete exerceri, illi augeatur præſcripta poena ordinarii arbitrio juxta vitii qualitatem.

De ſimonia vitanda.

Quanta autem ſimoniæ infamia contra noſtri temporis tam ſeculares, quam cujuſlibet ordinis religioſos invaluit; quis eſt qui ignorat? Non enim precibus & obſequiis tantum, ſed & aſſertis muneribus beneficia, & prælaturas non modo vacantes, ſed de veriſimili vacaturas, in animarum ſuarum graviſſimum periculum his proximis annis abque rubore, & Dei timore aliquo comparuerunt, quorum ambitione factum eſt, ut electionum ſaluberrimæ formæ, quæ per canones liberæ eſſe deberent, jam multis annis vel fraudibus obtenebratæ ſunt, vel ad compromiſſi neceſſitatem redactæ. Ut itaque tanto ſcandalo ſalubri aliquo remedio, quanto citius & melius fieri poſſit, conſulamus; præſentis ſacræ ſynodi auctoritate præcipimus, & mandamus, ut epiſcopi hujus Cant. provinciæ ſinguli in ſuis dioeceſibus diligenter advertant, ne talia de cætero committantur; curentque per ſe, & miniſtros ſuos, maxime quos in prælatorum electionibus tanquam directores & conſultores intereſſe continget, ut electiones hujuſmodi ſecundum ſacratiſſimos canones, & indulta principum, deinceps libere pro arbitrio eligentium procedant, fraudeſque & pactiones, per quas in hujuſmodi electionibus recta eligentium conſcientia captivetur aut ſeducatur, penitus ſecludantur; ſingulique locorum ordinarii in ſuis viſitationibus, & quoties neceſſitas poſtulaverit, diligentem in ſuis dioec. faciant inquiſitionem, an contra aliquos intra eaſdem ulla ſimoniacæ labis nota orta ſit. Et ſi quempiam, Dei timore poſtpoſito, per pecuniæ & munerum ſordes prælaturam, vel aliud quodcunque beneficium eccleſiaſticum adeptum fuiſſe compererint, poenis jam a jure communi contra ſimoniace promotos ſalubriter adinventis, in eundem acriter animadvertant; ut quarum poenarum deſuetudo obli-

ANNO CHRISTI 1557.

oblivioſa audaciam jam aliquot annis præbuit delinquendi, earundem nunc innovatio, & irremiſſibilis executio cunctos in officio contineat, & a delinquendo cohibeat.

De his, qui pactionem faciunt cum præſentatis.

Ejuſdem auctoritate concilii ordinamus, ac ſtatuimus, ut nullus patronus ſpiritualis pro penſione, quam ſibi, & eccleſiæ ſuæ prætendit debitam, præſentatum a ſe jurare cogat de penſione ſolvenda, vel aliter de novo ſibi obligari. Cum iſtiuſmodi juramenta & obligationes nonnihil in ſe habeant ſuſpicionis contractus ſimoniaci; & patronus, ſi jure penſionem petat, etiam citra præſentati juramentum, aut obligationem aliunde remedium habeat contra negantem de jure communi. Idem eadem auctoritate mandamus, ut præſentando ne hoc juramentum aut obligationem præſtet, immo potius beneficium recuſet; & nihilominus ſi ob hanc cauſam repulſum ſe fuiſſe probare poſſit, & patronus in poenam ea vice careat jure præſentandi, & ordinarius velut hujus vicis patronus, prout illam eſſe volumus & ordinamus, præſenti decreto, clerico repulſo ob hanc cauſam tantum ſuo jure beneficium illud, ad quod præſentandus erat, conferat, quum æquum non ſit, ut illi obſit ſua probitas. Quod ſi & patronus jus jurandum exigit, & clericus præſtet; et hunc inhabilem ad hoc beneficium, vel ad ullum aliud eccleſiaſticum intra proximum triennium cenſemus & decernimus, & illum, prout ſupra, jure patronatus pro ea vice privamus.

De otio vitando, & honeſta clericorum converſatione.

Quia deſidia mater eſt omnium quodadmmodo vitiorum, hoc ſacrum concilium omnibus curatis, rectoribus, vicariis, & cantariſtis mandat & præcipit, quod peractis divinis officiis, ſint deinceps occupati in ſtudiis, orationibus, lectionibus, aut aliis honeſtis rebus & negotiis quæ ſuam deceant profeſſionem; videlicet, inſtruendo pueros in alphabeto, lectura, cantu, aut grammatica, & tribus in hebdomada diebus, tres vel ad minus duas horas in ſacræ ſcripturæ vel alicujus doctoris approbati lectione, ceſſante legitimo impedimento, ſe exerceant. De qua re diligenter in ſuis viſitationibus inquirant ordinarii, ut ſacerdotes otioſos, & tempus ſuum male terentes, ſevere caſtigent & puniant. Et quia nimia ſacerdotum inter laicos converſatio nonnulla pericula, præter ordinis ſui contemptum, gignere ſolet, ſinguli in ſuis dioec. epiſcopi, & cæteri ordinarii curent, quod rectores, vicarii, curati etiam, & cantariſtæ, qui domos ſuis beneficiis pertinentes habent in rectoriis, vicariis aut cantariis ſuis, et non alibi, niſi itineris aut infirmitatis gratia pernoctent. Et quod ſi plures in eadem villa ſint ſacerdotes, ſimul, & non ſeparatim, quatenus judicio ordinarii commode fieri poteſt, communes habeant. Et quia non ſolum a malo, ſed ab omni ſpecie mali ſecundum apoſtolum abſtinendum eſt, ideſt, ab eo quod mali apparentiam habet, aut ſuſpicionem ſiniſtram gignere, aut ſcandalum populo præbere poſſit, abſtinendum eſt; præſentis ſacræ ſynodi decreto ſtatuimus, ac præſentis ſynodalis concilii auctoritate diſtricte inhibemus, ne quis clericus in ſacris conſtitutus, ludos aliquos, jure canonico, vel regni aut regis auctoritate prohibitos quovis modo exerceat aut utatur; loca ſuſpecta aut malorum iniquorumque conſortia omnino devitet; tabernas, in quibus quodvis genus potus paſſim venditur, non frequentet, niſi aliter neceſſitas cogat, aut in iis quovis modo moram faciat; mulierum colloquia ſuſpecta nullatenus habeat. Quod ſi per ordinarium ſuum aut alium quemvis ſufficienti auctoritate ſuper alquo præmiſſorum monitus non reſipiſcat, prima vice ab executione ſui officii per integram hebdomadam ſuſpendatur; & creſcente in hac parte ejus contumacia, creſcat & hujuſmodi poena pariformiter. Et ſi nec reſipiſcat, ſi cantariſta aut aliter beneficiatus exiſtat, tertiam partem fructuum cantariæ, ſive beneficii ſui ipſo jure ſit privatus, in pauperum ſubventionem, et alios pios. uſus diſcretione ordinarii diſtribuendorum, et convertendorum, donec reſipiſcat, et ab hujuſmodi exceſſibus abſtineat; ſi vero nec beneficiatus nec cantariſta fuerit, ſed ex ſolo ſtipendio vivens, ſi tertio, ut præfertur, monitus ſe non corrigat, ab altari remotum ſe noverit, donec et quouſque ab hujuſmodi exceſſibus plene abſtineat. Item quia, ut ait ſapiens, *multa mala docet otioſitas*, ad hoc peſtiferum virus evitandum & eliminandum præſentis ſacræ ſyndi decreto præcipimus, & firmiter injungendo mandamus ſub poena ſuſpenſionis ab officio & beneficio, ut quilibet in ſacris conſtitutus, & præſertim ſacerdotes ſtipendiarii tres horas vel ad minus duas in ſacræ alicujus ſcripturæ vel approbati doctoris lectione ſingulis diebus, ceſſante legitimo impedimento, ſe exerceant.

De ludimagiſtris & uniformi docendi modo.

Quia vetus eſt adagium *quod nova teſta capit, inveterata ſapit: & qualis eſt moderator in civitate, talis eſt & populus*; hoc ſacro approbante concilio, ſtatuimus, quod præceptores ſcholarum grammaticalium ſint præter eruditionem, quatenus fieri poteſt viri catholici & probi, & ut primum omnium doceant pueros ſibi traditos ſimplicem fidei & agendorum & fugiendorum ſummam. Et ne pueris rudibus prælegantur opuſcula, quæ puerorum mores aut fidem videbuntur corruptura, neque ulli alii libri in quibus, quaſi per luſum puerilia ingenia infici poſſent. Et quum vel propter peſtem laborantem in locis ubi hujusmodi publicæ ſcholæ ſunt, aut propter mortem præceptoris, ut plurimum contingit, quod qui anno aut biennio ſub uno præceptore grammaticam addiſcere

ANNO CHRISTI 1557.

coepit, illo relicto, cogitur novum adire præceptorem, apud quem alius eſt docendi modus, ut pene diverſus eſt apud omnes; atque ita fit, ut rudes adhuc in grammatica magnum ex hoc ſentiant in provectione ſtudii detrimentum; ad communem igitur utilitatem totius provinciæ Cant. hoc ſacro approbante concilio, ſtatuimus, ut poſt annum a publicatione præſentium unus & uniformis ſit docendi modus per totam provinciam Cant. nullus auctor regularum ſeu præceptionum grammaticalium pueris inſtituendis in grammatica ediſcendus proponatur, niſi quem archiepiſcopus Cant. ſimul cum quatuor aliis ſuæ provinciæ epiſcopis, quatuor abbatibus, & quatuor archidiaconis in hac ſynodo deputandis hoc anno proximo ſequenti præſcripſerunt pueris perlegendum; qui etiam habeant poteſtatem formulam inſtitutionis grammaticorum præceptoribus præſcribendi. Ludorum vero grammaticalium magiſtri tam admiſſi, quam admittendi, juramenti vinculo per locorum ordinarios ad obſervandum omnia in hoc ſtatuto contenta, quatenus eos concernit, adſtringantur, maxime, hii, qui in locis inſignioribus publicas ſcholas ſalario publico vel privato tenent.

De inquiſitione habenda tam ſuper hæretica pravitate, quam de modo ſtudendi in univerſitatibus.

Quia, fonte corrupto, neceſſum eſt, rivulos inde fluentes impuros & inſalubres eſſe, conſtatque univerſitates illas Oxon. & Cantabrig. fontes eſſe, unde rivuli omnium ſcientiarum profluxerunt; qui quidem fontes, ſi fuerint corrupti, ſi errorum & hæreſum maculis conſpurcati fuerint, quantum timendum eſt, ne ex illis fontibus prodeant, qui univerſum regnum ſuis hæreſibus inficiant! Ut igitur ſanæ doctrinæ eruditioni in ipſius fontibus conſulatur, errorumque, & hæreſum in ipſis omnis occaſio tollatur; hoc ſacro approbante concilio, ſtatuimus & ordinamus, quod epiſcopus Lincoln. ad univerſitatem Oxon. & epiſcopus Elien. ad Cantabrig. univerſitatem infra ſuas juriſdictiones reſpective exiſtentem, quam primum & quoties opus fuerit, accedant, & ibid. ſupra hæretica pravitate diligenter reſpective inquirant, & puniant quoſcunque in hac parte delinquentes. Et inſuper adhibitis ſibi cancellariis prædictarum univerſitatum, ſeu eorum vices ibidem gerentibus, cum ipſorum conſilio, conſenſu, & aſſenſu, ſuper debito in ſtudiis modo habendo, ordinem ſtatuant, atque conſtitutionem provincialem bonæ memoriæ Domini Arundell, Cant. archiepiſcopi titulo *de hæreticis*, incipien. *Feciales* in hac parte factam, una cum hac noſtra ordinatione ibidem publicent; & poſtea annuatim in utraque univerſitate prædicta eaſdem, ſimul cum hac noſtra ordinatione, publice repeti, & executioni demandari faciant; ſingulis annis conſimilem viſitationem & inquiſitionem, ac quoties opus fuerit, ſtudiorum ordinationem in utraque univerſitate prædicta, juxta conſtitutiones prædictas faciendo. Quod ſi aliquo alio tempore eoſdem epiſcopos, vel eorum commiſſarios, ad dictas reſpective univerſitates pro hæreticæ pravitatis, aut aliorum exceſſuum reformatione, accedere contingat; totiens, quotiens ſic fecerint, jus commune, conſuetudines & antiqua, tam ipſorum epiſcoporum, quam univerſitatum privilegia inviolabiliter obſerventur, quibus nolumus ullo modo per præſentem conſtitutionem derogari.

Ut numerus debitus & conveniens religioſorum in unoquoque monaſterio perpetuo habeatur.

Nihil magis laicos, eos potiſſimum, qui religioſorum locorum fundatores exiſtunt, hoc noſtro tempore a ſimilium locorum fundatione deterret, quam quod vident loca religioſa carere numero tum religioſorum, cum aliorum pauperum, quos vel ſecundum primævam fundationem, vel ſecundum portionem redituum, quos nunc poſſident, ſuſtinere aut alere deberent. Statuimus itaque & ordinamus, ut numerus religioſorum debitus in unoquoque monaſterio deinceps habeatur & perpetuo ſervetur; oneribus ordinariis atque extraordinariis proventuumque prædiorum, per maris & fluviorum inundationem, & aliquin, damnis & ruinis pro tempore, propenſis & conſideratis.

De educatione & exercitio religioſorum.

Quum ex nulla re magis monaſteria collabi ſoleant, quam cum ignari & rerum agendarum imperiti monaſteriis præficiuntur, atque ita expediat habere plures in ſingulis religioſorum domibus, qui tam in temporalibus quam in ſpiritualibus modum & uſum calleant, ne ſi quando religioſorum domus vacare contingat, non habeant inter ſe idoneum de gremio, quem defuncto ſubſtituant; ſtatuimus & ordinamus, ut in quolibet monaſterio, & loco religioſo ſit, juxta Clement. *Ne in agro dominico*, inſtructor aliquis grammatices ſufficienter eruditus ad informandum religioſos in grammatica, & aliis primitivis ſcientiis; ex quibus illi, qui in ſingulis locis ad capeſſendas literas aptiores fuerint juxta facultatum poſſeſſionem eorundem, mittantur ad univerſitatem Oxon. vel Cantabrig. ad ſtudendum in ſacris literis, ut eo modo cognita lege divina, magis convaleſcat obſervantia veræ religionis. Et ut abbates & priores diligenter & aſſidue curent ſuos religioſos ſubditos juniores per alios ſuorum monaſteriorum provectiores in regulis, conſtitutionibus, & ceremoniis ſui ordinis inſtitui & informari. Et quos ad adminiſtrationem ſpiritualium ſeu temporalium aptiores inter ſuos fratres arbitrentur, eos in adminiſtrationibus competentibus exercere ſatagant; officia cellarii camerarii, hoſpitalarii, & alia tum clauſtralis obſervantiæ, quum exterioris induſtriæ, fratribus ad hoc aptioribus ita impertiendo & committendo, ut in utriſque viciſſim tri-

ti

ANNO CHRISTI 1557.

ti & exercitati, ad abbatis seu prioris officium; cum vacaverit, habiliores reddantur.

De recipiendis apostatis, & aliis religiosis pœnitentibus.

Quum inter opera charitatis numerari soleat, si quis errantem ab errore revocet, & ecclesia nunquam claudat gremium redeunti; statuimus & ordinamus, quod religiosi, qui prætextu capacitatum, seu literarum suorum præsidentium, vel alias superioribus, sive invitis, sive consentientibus, se ab observantia regulari absentarunt in mundo aliquandiu degentes, si poenitentes fuerint, & bono spiritu ad loca suæ professionis redire nitantur, dictorum locorum abbates seu priores ipsos in sua monasteria recipere, & cum omni charitate, quantum per statuta religionis possunt, in iisdem tractare teneantur. Illis duntaxat exceptis, qui dioecesano loci, ex signis & judiciis vehementibus, videantur in necem abbatum, priorum seu fratrum sui monasterii vel olim conspirasse, vel in posterum conspiraturi, vel eandem necem alioqui moliturі. Existimabitur autem bono spiritu reditum ad suum monasterium religiosis aprecari, si quemvis locum, gradum, aut conditionem in eodem pro sui abbatis aut prioris secundum regulam arbitrio humiliter acceptet & servet; & per testimonium proborum virorum coram abbate, priore, seu ordinario suo, si requiratur, constare poterit, eum, dum extra monasterium agebat, vel saltem per annum ante hujusmodi petitionem proxime præcedentem, si in sæculo diutius commoratus est, honeste fuisse conversatum & proopsitum habuisse redeundi. Quod si talliter receptus postea a suo monasterio deserta religione, discesserit, eum postea superior ejus in suum monasterium recipere minime hujus statuti vi teneatur.

Quod literæ ex falsa suggestione impetratæ non suffragentur apostatis.

Præterea statuimus & ordinamus, quod nullus religiosus, qui tria cujusvis probatæ religionis vota emiserit, possit per aliquam dispensationem etiam apostolicam, etiam sub plumbo concessam, suum monasterium, domum, hospitale, sive collegium exire, aut aliquod beneficium, servitium, aut cantariam acceptare, nisi prius coram ordinario loci, in quo moratur, suo primitus abbate, priore, magistro, sive superiore ad hoc vocato, causam sive causas in hujusmodi dispensationis suggestione expressas, veras ac justas esse & fuisse probaverit, & pro sic probatis per eundem ordinarium declarari & decerni obtinuerit. Qui contra fecerit, tanquam verus apostata per suum abbatem, priorem, magistrum, sive superiorem quemcunque apprehendi, corrigi, & puniri licite poterit, juxta canonicas sanctiones contra apostatas salubriter editas, atque juxta statuta, ordinationes, & consuetudines laudabiles loci illius, a quo sic illicite recesserit.

A *De ecclesiis appropriatis & hospitalibus.*

ANNO CHRISTI 1557.

Curent quoque episcopi singuli in suis dioecesibus, ut proprietarii faciant distributiones debitas in parochiis appropriatis, juxta juris exigentiam sub poena sequestrationis fructuum, & quod infra annum a tempore publicationis præsentis statuti, in singulis ecclesiis parochialibus, monasteriis appropriatis, quarum proventus ad id sufficiant, judicio ordinarii, vel loci dioecesani habentis jurisdictionem episcopalem, B canonice instituatur unus vicarius perpetuus cum sufficienti portione, secundum proventus ecclesiæ appropriatæ quantitatem & qualitatem curæ animarum; & quod infra triennium a publicatione præsen. idem vicarius habeat sufficientem mansionem sumptibus ipsorum proprietariorum (modo emolumenta ex eisdem ecclesiis proprietariis provenientia ad id sufficiant) primitus erectam, & per eundem vicarium postea substentandam & manutenendam: Et casu, quo emolumenta prædicta ad hoc non sufficiant (quod intelligi volumus ex ipso, quod ad novam libras non extendant) redeat ecclesia in pristinum statum, & instiC tuatur ibidem rector, sicut ante appropriationem fieri consuevit. Hospitalium quoque quorumcumque fundationes, quibus jam magnus cernitur abusus, serventur juxta Clementinam *de religiosis domibus: quia contingit*: & tam proprietarii prædicti, quam etiam hii qui hospitalibus præsunt, ad omnia, de quibus supra respective observanda, per fructuum sequestrationem, censuras ecclesiasticas, & alia juris remedia ordinariorum arbitrio cogantur.

De abusibus in capellis S. Johannis & similium.

D Quoniam in diversis partibus hujus regni tam milites & alii, qui sunt de religione crucis signatorum hospitalis S. Johannis Jerosolymitani, in capellis suis vocatis *Lavoles churches and chapels*, quam illi in turri London, & alii complures alibi in ecclesiis seu capellis admittunt alienos parochianos ad clandestinorum & illicitorum conjugiorum solemnizationem, etiam bannis non editis, & ad aliorum perceptionem sacramentorum & sacramentalium in ecclesiæ scandalum & animarum multarum manifestissimum periculum; prohibemus itaque ne quis deinceps in ecclesiis seu capellis antedictis, vel aliis exemptis & non exemptis alterius parochiæ parochianum, nisi in casibus a jure permisE sis ad solemnizationem matrimonii sive bannis editis sive non editis, vel aliorum sacramentorum perceptionem, sine licentia ordinarii, admittat, seu eorum aliquod administret, sub poena excommunicationis, quam contravenientes, atque eorum fautores, nec non omnes, qui matrimonium in aliqua hujusmodi ecclesia vel capella, absque licentia dioecesani, solemnizare procurant, seu eucharistiam in festo Paschatis, vel circiter absque licentia sui proprii curati, seu saltem dioecesani, suscipere præ-

ANNO CHRISTI 1557.

sumpserint, noverint se ipso facto incursuros, a qua a nemine absolvi possunt, præterquam ab episcopo, infra cujus dioecesim hujusmodi ecclesiæ vel cappellæ situatæ sunt, aliis tam ordinariis, & curatis, quam partibus etiam læsis prius satisfact. Et præterea ipsi sacerdotes huic ordinationi aliqua ex parte contravenientes, ad quodcunque beneficium ecclesiasticum per septennium proxime sequens, ipso facto sint inhabiles.

De dilapidationibus.

Salubriter ab Edmundo olim Cant. archiepiscopo extitit ordinatum, ut, decidente rectore, ex bonis ipsius tanta portio per loci ordinarium deduci deberet, quanta ad reparandas ecclesiæ, & aliarum ejusdem beneficii ædium ruinas videretur sufficere; nos eidem ordinationi addere cupientes, præsenti decreto statuimus, & ordinamus, ut beneficiati, qui deinceps aliquid ex bonis præ- A decessorum suorum sub nomine vel prætextu reparandarum ædium, vel supplendorum ecclesiæ defectuum ex decreto ordinarii, compositione cum hæredibus executoribus, vel administratoribus bonorum defuncti, vel alio quocunque modo acceperint, illud totum in earundem ædium reparatione, & defectuum earundem suppletione infra biennium a tempore receptionis exponere teneantur, deductis expensis (si quæ expositæ fuerint) circa litem & recuperationem dictæ summæ receptæ. Quod si incumbens resignaverit, aut decesserit, seu alio quocunque modo a beneficio suo recesserit, tunc summa per eum pro dilapidationibus recepta, & non B exposita, relinquatur, & realiter tradatur futuro successori, qui, sicut dictam summam, nomine dilapidationum recepit, ita in eosdem usus exponat, ut supra dictum est. Et ad observationem præmissorum in sua institutione, sive admissione juramentum præstent corporale; alioqui institutio ipsa, sive admissio ipso jure nulla censeatur.

LOVI-

ANNO CHRISTI 1556.

LOVITIENSE IN POLONIA CONCILIUM PROVINCIALE AB ALOYSIO LIPPOMANO A. S. L.

ANNO CHRISTI 1556.

Anno 1556. habitum.

FRAGMENTUM EPISTOLÆ

Aloysii Lippomani, Veronensis episcopi & apostolici in Poloniam legati, ad ducem Palliani, in quo Lovvetiensis concilii historia fuse narratur.

Ex M. S. Cod. Excell. D. Petri Gradenigo Senat. Veneti. Concilium istud praecedenti praferendum erat. Epistola vero hac quanquam Italice scripta, hic tamen Latine datur, ut cateris cohareat.

ALiis epistolis meis renunciavi nos coactos sollicitationibus Catholicorum, ac præsertim capitulorum Cathedralium ecclesiarum Regni indixisse præsulum & capitularium conventum ad diem VI. Septembris currentis; atque ita ad statutum tempus infrascripti Præsules convenerunt, videlicet, Cracovienſis, Posnanienſis, Plocenſis, Dermienſis, Præmisliensis Chilmenſis, & Camonenſis; defuit archiepiscopus Liponiensis, gravi senio præpeditus, & Culmensis detentus morbo. Rex etiam per literas apud me excusavit episcopos Lituanos, quorum consilio in præsenti rerum Lituanicarum discrimine indigere se dixit. Præterea ex toto Regno cathedralia capitula singula duos e suo ordine canonicos miserunt, sicut & qui per se non potuerunt episcopi ablegatos suos miserunt suo nomine conventui interfuturos. Ita tandem, opitulante Deo, Dominica sexta mensis diu solemni sacro Spiritui sancto cum cantu habito, cœpta synodus est, in qua lecto prius brevi sanctitatis suæ a me delato ad archiepiscopum cæteroſque Regni hujus præsules verba pauca feci de fraterno amore & caritate, qua Dominus noster omnes simul & singillatim singulos prosequebatur; cum statim ab assumptione sua in Pontificem jusserit venire me in hoc regnum ut præsentibus malis remedium aliquod una cum ipsis quæreretur; tum ejus nomine salutem singulis dixi ejusque in hac re opem authoritatemque spopondi. Adjeci, laudari illos plurimum ab eodem SS. Domino, quod in præsenti rerum suarum angustia confugissent in sinum piissimæ matris, apostolicæ sedis, quæ portus est tutissimus ad refugium oppressorum miserorumque omnium, cujus consilii sui ne eos pœniteret, demonstravi SS. eundem Pontificem toto hoc anno tum per me, cum per literas efficacissimas, tum denique ore proprio apud Regium legatum Romam missum, nunquam non solicitasse eundem serenissimum regem, ut removere tandem vellet a regno hæreses hasce, liberumque cursum permitteret juri episcoporum; in nullo tandem defuturam beatitudinem suam muneri suo pastorali spopondi. Multa præterea alia in eam rem dixi, ut sibi cavere persuaderentur, & furori perversorum horumce hæreticorum strenue obsisterent. His absolutis; regressi sumus domum, nosque omnes lauto convivio dominus archiepiscopus excepit. Post hæc omnes invitavi in sequentem diem ad prosequendum colloquium; ipsique me vicissim rogarunt, ut mane alterius diei spatium illis unius horulæ concederem ad consultandum meditandumque breve responsum ad ea quæ ego in templo dixeram, spondentes me dein conventuros simulque de rebus in communi agendis deliberaturos.

Die igitur lunæ, mane primo, hora nempe XII. Antistites hi omnes simul convenerunt, acciditque jucundo casu, ut clausi illi manerent usque ad horam XXII. longam inediam trahentes, altercantes & expostulantes cum reverend. archiepiscopo, quod eos ad synodum arcessisset sub poena tantum marcarum & delationis ad sedem apostolicam; contendentes haud ita se invitandos esse. Ipse tamen se defendit egregie causatus ita agi oportere cum negligentibus, qui alias absque poenarum multa invitati deriserunt vocantes & venire despexerunt; sibi vero ut primati & legato jus competere cogendi metu poenarum; præsertim synodalibus constitutionibus faventibus; quod si venire neglexissent, facto ipso se comprobaturum dixit quid tandem posset. Demum motus iste quievit, tum in absurdum aliud consilium descenderunt; hoc scilicet, ut me absente de rebus consultarent, & postquam convenissent me aditent in aulam ad colloquium destinatam deducturi ubi unus pro omnibus loqueretur. Ea vero res erat contra omne jus ac plane inusitatum in hisce conventibus. Destinabant huic muneri Varmiensem episcopum, de quo certe mirabar, quod scilicet cum esset scientia præditus, sedi apostolicæ maxime addictus & amicus meus singularis, hanc me insscio provinciam assumeret. Igitur die tota venientes oppertus, nec quenquam intuitus usque ad vesperam, volvebam animo num scandali aliquid subortum fuisset; cum præsertim habeam exploratum fovere illos inter se odia internecina; caritate penitus destitui, cujus si quid supereſſet, nunquam tantum maledicti in regno debaccharetur. Demum ex improviso subeunte nocte convenerunt me archiepiscopus, episcopus Varmiensis, & illis nondum quidquam locutis, supervenit episcopus Craeviensis, qui prolixo sermone me detinuit ultra horam, verborum circuitu huc se illucque convolvens, nihil vero de priori inter eos altercatione tangens; significavit tamen decreviſſe se quod responsum mihi daretur per unum. Hæc intelligens ego,

prin-

ANNO CHRISTI 1556.

principio quidem vehementer conqueſtus ſum, quod me tota die expectantem haud ſane pro dignitate neglexiſſent, ne admonitum quidem per miniſtrum, uti ſe facturos ſponderunt. Nihil, tale me promeruiſſe ab illis; cum enim eo veniſſem a beato Petro miſſus, ut eorum honori conſulerem, me nuntium ejus haud ſatis obſervaſſent. Simul vero quæ hæc ratio eſſet habendæ ſynodi quæſivi, ut inter ſeſe conſultarent de rebus occurrentibus, abſente nuntio ſanctitatis ſuæ, atque uni committerent ut pro omnibus reſponderet: rem plane novam & inauditam. Ille excuſare factum, tanquam non dolo malo præſtitum, ſed ne tandiu Polonici ſermonis difficultatem atque moroſitatem in deliberando ſentirem. Ego tamen, qui noram probe id ab illis actum ne teſtis adeſſem rixarum, diſſidiorum, & oppreſſionum, quas in epiſcopos capitulares parabant, repoſui me id nequaquam laturum, quin & præſentem adſtiturum conſultationibus omnibus, ne quis prohiberetur a ſententia ſua libere quo melius poſſet, expromenda. Tyranni enim eſſet ſecus agere. Is finis colloquio fuit.

Die martis ſuccedenti, in quam natalitia B. V. feſta inciderunt, ſacro ſolemni archiepiſcopus operatus eſt in templo; quo peracto ex meis domeſticis quidam habita ad patres oratione palam omnibus expoſuit præſentium temporum calamitatem deſolationes ſubverſioneſque templorum, decimarum ſubtractiones, ſacrorum locorum profanationes, everſiones monaſteriorum, imaginum dejectiones, ac tandem fidei inſtabilitatem, tantumque in ea diffidii ab hæreticis invectum. Longum igitur veternum excuterent, zelo ſe paſtorum munirent, armarent doctrinis divinis & pietate religioſa; ſeque opponerent furori impiorum luporum urſorumque vineam domini vaſtantium, factoque inter ſe coetu ſimul regem adirent, rogarent, poſtularentque fidei catholicæ reſtitutionem in regno, patriarum legum in hæreticos vindicationem. Oratione peracta, præſules omnes excepi convivio. Eadem die, Vermienſis epiſcopus auditore meo ſevocato a cæteris colloquium cum illo diu prorogato, profeſſus eſt continuo ſe in ſedem apoſtolicam & in me pariter obſequentiſſimum; quare non paſſurum, ut illi celaretur aliquid, quod de me obmurmurari audiebat, ut quæ ipſe intellexiſſet ad me dextere referret: ajebat, me fervidiorem eſſe, neque permittere, ut alii ſenſus ſuos proderent, ſed pro imperio & authoritate omnia moliri; quod ſane iniquum videbatur. Hæc ab Auditore renunciata, ſollicitum me valde reddiderunt; ſed agnovi demum innocentiam meam, nec niſi per ſummam injuriam mihi hæc exprobrari intellexi, cum ne penumbra quidem ſuperbiæ atque impatientiæ ex me tranſluxerit; quin & humaniorem me ac benigniorem plus quam par eſt præſtiterim, in auſcultando omnes quantumvis moroſos. Immo forte accuſationes iſtæ in eos ipſos accuſatores meos recidunt; cum ipſi eo ſint ingenio, ut nunquam deſiſtere velint a loquendo, nec aliis loqui permittant; quare in eam deſcendi ſententiam, num forte bonus hic epiſcopus aliena ſenſa ſua lingua deprompſerit, atque alieno igni fomitem ſe præbuerit, vel tandem, quod invitus ajo, num ille inani quadam gloriola tactus aegerrime tulerit, præpediri ſe a conſilio ſolitarium loquendi in ſynodo, ac totam illam eloquentiam ſuam eructandi juxta illud ſatyrici Poetæ. Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter &c.

ANNO CHRISTI 1556.

Die Mercurii ſummo mane archiepiſcopus una mecum conventum accivit, ubi palam dixi inſuſurratum mihi eſſe in aures a viro probo & amiciſſimo, palam de me dictitari, virum me eſſe fervidioris ingenii, alieni ſermonis impatientem, qui omnia agere vellem pro imperio & authoritate & arbitrio meo; quod de me dictum graviter ferri ajebam, cum nulli unquam ſive præſuli, ſive capitulari occaſionem dederim, ut merito ita de me quereretur; in omnibus enim colloquiis privatis liberam cuique facultatem permiſi, ut diceret quantum ferret voluntas. Nunc vero primum palam in ſynodo me loquutum; neque aliam ante hac actionem ſynodi præceſſiſſe; nec adhuc quicquam ab illis petii, ſeu quenquam a loquendo impedivi. Ita me brevibus expedii; continuo pro ſe quiſque ſententiam ſuam promere contendebat, factoque a Præſulibus exordio, tum capitulares ſuo ordine, ſinguli queſti ſunt de his dicteriis; quæ non niſi dæmone inſtigante ſparſa dicebant, ut diſſidii inter me & Præſules igniculi iniicerentur; haud vere hæc in me obiici. Ipſe pariter Vermienſis epiſcopus viſus eſt inique tuliſſe hæc de me jactari, palamque ex me quæſivit, quis mihi renunciaſſet ſynodum de me conqueri; ſe quidem audiviſſe e vulgo aliquos hæc ita obmurmurantes; nihilque contra repoſuiſſe. Cui ſtatim ego: e ſynodo aliquem queri de me nunquam afferui.

His expeditis, ego tunc verbo aſſumpto: Rev. Domini, dixi, delatum eſt ad me id vos cepiſſe conſilii ut inter vos de rebus deliberaretis, me abſente, tum me revocatum uni a vobis delecto pro omnibus reſpondere adigeretis. Id injuriæ in Pontificem ſedemque apoſtolicam illatæ me nunquam paſſurum ſciatis, ut ſcilicet ſynodus ab ejus nuncio & ab archiepiſcopo indicatur, tum vero ab ea Nuncius ipſe abigatur. Jus mihi eſſe contendo perpetuæ ſeſſionis, tanquam ſanctitatis ſuæ miniſtro; eumque tenere gradum volo, quem inter omnes eccleſiaſticos prima ſedes tenet. Per me tamen licebit, ubi vobis libuerit, conventus agere veſtros; dummodo meo invitatu dum hanc in ſynodum conveneritis me præſentem ſemper habeatis, ſitque omnibus tum præſulibus cum capitularibus libera loquendi poteſtas: quia ſumus in negotio fidei, & quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Igitur hoc volo, ut ab impacta accuſatione me purgem, ſciantque omnes nequaquam id mihi ſumere, ut ſolus loquar, nec feram alios loquentes. Collectis ſuffragiis convenerunt omnes in meam ſententiam, factum illud prius excuſantibus omnibus, tanquam non dolo malo nec eo conſilio ſuggeſtum ut me excluderent; ſed ideo tantum ut mihi tædium adimerent commodumque pararent.

In

ANNO CHRISTI 1556.

In ſynodo gemina fuit conſultatio. Res fidei, & abuſus quidam cleri in ſcandalum degenerantes. De altera quidem, recitata malorum iliade, quæ miſerum hoc Regnum affligebat, utpote quod tanta dira hæreſum monſtra vel ipſa narratione horrenda tenebat, decretum fuit ut præſules omnes una omnes Regem venientem Varſoviam conveniremus, atque apud eum inſtaremus, rogantes, vellet ipſe ſervare, & ſervari ab omnibus mandaret fidem apoſtolicam in Regnum invectam a S. Romana ſede, quod & ipſe ſe cum Regni coronam acciperet juratus ſponderat, hæreſes quaſcunque depelleret. Quod vero hæreſes adeo invaluerint, ut non in eadem tantum Urbe, ſed vel in una eademque domo fides ſit diverſa; tum etiam quod ipſi pariter hæretici ſe tenere fidem Catholicam affirment, tanta caligine omnia obvoluta ſunt, ut ſimplices veram fidem jam diſtinguere plane neſciant, in tanto tacrorum oratorum ac Parochialium rectorum defectu; communi totius ſynodi decreto proviſum eſt, ut breviſſima conderetur formula explanans fidem catholicam, quam totum regnum diſceret; eademque Regi proponeretur, quo authoritate ſua ad eam obſervandam omnes adigeret. In ea temporis anguſtia decreverunt Patres ſeligi formulam Lovanienſis Univerſitatis, cum breviſſima ſit, rebus præſentibus aptiſſima, unoque veluti ictu hæreſibus ſimul omnibus hic regnantibus quæcunque tandem ſint cervicem præciderit; deſumptam vero ex Florentino Concilio & S. Thomæ opuſculis, cui forte acceſſio fieri poterit ex capitibus derivatis e libris S. Auguſtini de SS. Trinitate; cum impii iuti homines negandam illam aſſumpſerint, contendentes unum Deum coli oportere, nec alium eſſe ſervatorem noſtrum quam Dei miniſtrum & hominum magiſtrum. Addunt, nullibi in SS. ſcripturis reperiri, ſpiritum ſanctum, poſtquam in apoſtolos illapſus eſt ſub ignearum linguarum emblemate, in Coelos dein rediiſſe; & ſexcentas id generis blasphemias. Ideo res exigere viſa eſt ut formula illa ſcriberetur nihil novi ſtatuens, ſed Catholicam fidem exponens, alioqui omnia in deterius ruebant.

Altera de re quæ in deliberationem venit, producta ſunt in medium multa de epiſcopis, de ſingularibus eccleſiis peſſime adminiſtratis, de juvenibus ſtudentibus, de lectione librorum hæreticorum, de concionatorum defectu, decretumque fuit ſervari in his omnibus veteres novasque Regni conſtitutiones provinciales quæ opportune de ſingulis ſtatuunt, quarum executionem ut urgeret ſereniſſimo archiepiſcopo iniunctum eſt.

Præſules cæterique omnes in eandem ſententiam convenerunt, ne Uladislavienſi quidem excepto, cui verbum nullum excidit alteri grave. Adfuit & Chilmenſis epiſcopus qui Comiti Ternovienſi in primis carus, haud vehementer probavit ſe aliis, at juſtam indidit ſuſpicionem, ne quid novarum opinionum, quam tamen non prodidit, foveret in mente. Ex Præſulibus duo probitate excellebant, Priſmilienſis nempe, canoniſta optimus & mentis ſinceræ, & Caminienſis, Theologus, pauper licet, cum ejus redditus 150. ducatus non ſuperent.

ANNO CHRISTI 1556.

Hæc acta die veneris menſis undecima; atque ita tandem conventui finis eſt impoſitus, lætique omnes ad propria remearunt. Vel ipſi pariter Varmienſi epiſcopo ſatis factum eſt, cui ſemper obſecundavi, eundemque obſervavi; ſpopondit ſe venturum ad Verſovienſem conventum, dummodo ad hoſpitandum domum illi conducam; quod & exequar. Capitulares pariter, qui omnes, favente Numine, Catholicam fidem tenent, obſequium ſemper maximum in ſedem apoſtolicam, & in me quoque obſervantiam exhibuerunt. Exorantibus licet multis ex his Præſulibus ut abſolverem & diſpenſarem Oricoviam illum, qui ſacerdotio initiatus uxorem duxit, & pertinaciter retinet; haud acquievi, negans id mihi eſſe juris a SS. Præſule datum; nec ſi mihi id conceſſiſſet, eo uſurum ob ſcandalum quod ab illo in Clerum inducitur, tum quod minus probum Chriſtianum illum agnoſco, arguente ea quam mihi legit epiſtola, quam traſmitto. Cum vero ipſe ſcribat ſe in Dieta ſuperiori abſolutionem & diſpenſationem ab omnibus Præſulibus obtinuiſſe, id cum illis expoſtulavi. Cauſati ſunt, ſe non abſolviſſe quidem hominem, ſed cenſuras ſuſpendiſſe, donec rebus ſuis per Pontificem providiſſet.

Dum in Synodo ageremus, uti poſtea relatione comperi, Comes Tercovienſis cum plurima nobilium turba, capita quædam dictavit Vormienſi conventui exhibenda, inter quæ eſt articulus Communionis ſub utraque ſpecie, conjugii ſacerdotum, miſſæ in vulgari idiomate celebrandæ, abrogationis annatarum.

Nec deſides manent hæretici &c.

Leges Polonicas in hæreticos, quarum facta hic mentio eſt, & Patres Synodi rememorandas Regi decreverunt, has recitat idem M. S. Exc. Gradenigi Codex; nec dubito eas ipſas eſſe, quas Veronenſis epiſcopus Romam literis ſuis inſertas tranſmiſerit.

CONSIDERATIO PRINCIPUM

Tam ſpiritualium, quam ſæcularium, baronum, procerum militum, nobilium &c. Regni Poloniæ in regnicolas inobedientes, juri contumaces & hæreticos ac eorum fautores.

NOs Principes ſpirituales & temporales, barones, proceres, comites, milites, nobiles, civitates, tota communitas regni Poloniæ, ſingulariter ſinguli, & univerſaliter univerſi, eodem modo, eadem voluntate, ſcientia, conſenſu & ratihabitione, omnes unanimiter ſignificamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis, præſentibus & futuris notitiam præſentium habituris, quomodo conſideratis nonnullis diſordinationibus, quæ in ipſo regno Poloniæ ſuboriri inceperant, viſis literis prædeceſſorum noſtrorum Poznariæ, Pythrokoviæ, & in Geldne factis circa eaſdem literas & earum articulos, ſub quaſcumque forma verborum confectis remanere volu-

mus

ANNO CHRISTI 1556.

mus usquequaque & spondemus, & præcipue circa hunc articulum: quod quicumque existens indigena regni poloniæ vellet aliquas inobedientias contra jus terrestre, commune, aut etiam guerras, nobis & eidem regno Poloniæ damnosas alicui movere sine licentia D. N. regis gratiosissimi & consilii sui, & in jure terrestri communi nollet contentari, aut etiam hæreticalis erroris favere vel promovere vellet; contra talem seu tales cujuscumque status, gradus, conditionis & præeminentiæ existant, sive spirituales sive sæculares, & in eorum constitutionem consurgere volumus, & promittimus sub fide & honore nostris absque dolo & fraude, nec ipsis auxilio vel favore patrocinari volumus sub fide & honore nostris, etiamsi sanguine, affinitate, & quacumque propinquitate forent nobis & alicui nostrum conjuncti, nec pro eis loqui volumus. Jura tamen nostra ducalia & terrestria in nullo per hoc violando, nec ab eisdem recedendo. Harum, quibus sigilla nostra cum suscriptione nominatim nominum nostrorum in pendulis sigillorum sunt appensa testimonia literas; (*sic*) scriptum & datum in nova Civitate feria VI. ipso die S. Marci apostoli & evangelistæ, generali tunc parlamento celebrato; anno Domini MCDXXXVIII.

FORMULA CHRISTIANÆ

& catholicæ fidei, tradita in sacra synodo provinciali Lovitii, celebrata anno Domini MDLVI. die XI. Septembris, præsidentibus in ea reverendissimo domino Aloisio Lippomano episcopo Veronensi, nuncio apostolico, & reverendissimo domino Nicolao DzierGovvki archiepiscopo Gnesnensi, legato nato, & totius regni Poloniæ primate, quæ omnibus ecclesiis provinciæ ejusdem inviolabiliter servanda & tenenda mandatur.

1. PRincipio symbolum apostolorum, Nicoenum & Constantinopolitanum, symbolum etiam divi Athanasii, recipimus, veneramur & complectimur, omnibusque recipiendum & amplectendum mandamus.

Ex Mart. Vet. Script. Tom. VIII. pag. 1445.

2. Juxtaque symbola certa & firma fide credimus, sanctam Trinitatem, id est Patrem & Filium, & Spiritum sanctum unum Deum omnipotentem, unius essentiæ, unius potestatis, Creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

3. Eadem fide credimus Patrem a semetipso esse, non ab alio; Filium a Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen.

4. Eadem pariter fide credimus Spiritumsanctum a Patre & Filio æqualiter procedere, consubstantialemque Patri & Filio coæternum esse, qui super apostolos in linguis igneis descendit, & a quo totum corpus ecclesiæ sanctificatur, vivificatur & regitur, atque in ea manet in æternum.

5. Simul & illud credimus & confitemur æque Filio & Spiritui sancto, atque Deo patri cultum latriæ præstari debere, æque Filium & Spiritum-sanctum atque Patrem adorandum & glorificandum esse, quando quidem tres personæ Deus unus est; per Christum nos quidem accessum ad Deum Patrem habere, esse illum advocatum & mediatorem nostrum secundum humanam naturam, qua minor est Patre. Secundum divinam vero æqualem esse Patri, & eodem cum illo & Spiritu-sancto honore afficiendum.

6. Credendumque esse septem ecclesiæ sacramenta a Christo instituta, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium, per quæ quamvis externa & corporalia signa Deus invisibiliter sive per bonos sive per malos ministros nostram salutem operatur.

7. Baptismus ad salutem omnibus est necessarius etiam infantibus, per quem peccata plene tolluntur, & fiunt filii Dei ac hæredes vitæ æternæ, nec unquam est iterandus.

8. Pœnitentiæ sacramentum, quod post baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium, complectitur contritionem, confessionem & satisfactionem.

9. Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi; non autem ut quidam hoc sæculo perniciose docent, terror conscientiæ propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum: præparat tamen terror & gehennæ metus ad veram contritionem.

10. Confessurus diligentiam legitimam adhibere debet, quo sacerdoti judici suo manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab eis per illum absolvatur, cujus absolutionis minister est solus sacerdos secundum ritum ecclesiæ confecratus.

11. Satisfactio est persolutio poenæ plerumque adhuc debitæ, remissa jam culpa: erroneum est & scripturis sacris adversatur.....

12. Certa fide tenendum est hominem habere liberum arbitrium, quocum potest male, & cum gratia bene agere, & post peccatum mortale admissum, Deo adjuvante, poenitere & peccatorum remissionem consequi.

13. Ad justificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, qua certo credimus Christum-Jesum Dei filium, nobis propitiationem esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine qua nullis nostris operibus, nulloque poenitentiæ & propositi vivendi secundum mandata Dei justificamur.

14. Fides qua quis firmiter credit & certo statuit propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam æternam, nullum habet in scripturis testimonium, immo eisdem adversatur, etiamsi firma & certa spe expectare debemus in hac quidem vita per sacramentum baptismi & poenitentiæ remissionem peccatorum, in sæculo autem futuro vitam æternam.

15. Itaque quamdiu inter hostes nostros & adversarias potestates hic vivimus, nulla est nobis securitas, sed cum timore & tre-

ANNO CHRISTI 1556.

tremore juxta ſententiam apoſtoli noſtram ſalutem operari debemus, & ſecundum varias animorum noſtrorum affectiones nunc magis ſperare, nunc magis timere, ſimpliciter tamen magis & frequentius de miſericordia Domini ſperandum, eſt quam formidandum de ſeveritate.

16. Opera bona omnibus adultis ſunt ad ſalutem neceſſaria, & cum ex fide caritatis ſpiritu perficiuntur, ita grata ſunt Deo, ut eis tamquam juſtam mercedem vitam retribuat æternam.

17. Confirmatio & extrema Unctio ſacramenta ſunt a Chriſto inſtituta, ſed non ut duo præcedentia ad ſalutem neceſſaria, ex contemtu tamen illa omittere eſt peccatum mortale.

18. In Euchariſtiæ ſacramento eſt reipſa verum corpus Domini noſtri Jeſu-Chriſti, illud ipſum quod de Virgine natum eſt, & in cruce paſſum eſt.

19. In Euchariſtia non manet panis & vinum, ſed hæc in corpus & ſanguinem Chriſti admirabili potentia verbi illius ſunt converſa, manentibus tantum panis vinique ſpeciebus: unde certa fide tenendum eſt ſacram Euchariſtiam a nobis adorari ſive in miſſa, ſive extra miſſam, ubicumque repoſita fuerit, aut quoties in ſupplicationibus publicis a ſacerdote circumfertur.

20. Non eſt laicis neceſſaria ad ſalutem communio ſub utraque ſpecie, juſtisque de cauſis ab eccleſia ſancitum eſt, ut illis ſub una panis tantum ſpecie ſacramentum communicetur, in quo carnem & ſanguinem atque ita totum Chriſtum ſub una ſpecie ſumunt.

21. Sacrificium miſſæ ex inſtitutione Chriſti tam vivis prodeſt quam defunctis, ac ſolis ſacerdotibus ſecundum eccleſiæ ritum ordinatis data eſt a Chriſto poteſtas conſecrandi verum corpus Chriſti & ſanguinem.

22. Matrimonium contractum & conſummatum inter Chriſtianos eſt indiſſolubile, qualiſcumque fiat alter conjugum, ſive adulter, ſive ſterilis, ſive hæreticus.

23. Numquam licet Chriſtiano poſt divortium contrahere matrimonium, vivente eo cum quo quis legitime contraxerat.

25. Matrimonia contracta contra canones ipſa dirimentes ſimpliciter ſunt irrita & nulla.

25. Firma fide tenendum eſt unam eſſe in terris veram atque catholicam Chriſti eccleſiam, eamque viſibilem, quæ ab apoſtolis fundata in hanc uſque noſtram ætatem perdurans, retinet & ſuſcipit quidquid de fide & religione tradidit & traditur a cathedra Petri, ſuper quam ita a Chriſto ſuo ſponſo eſt ædificata, ut in eis quæ fidei ſunt & religionis errare non poſſit.

26. Extra hanc nulli eſt ſperanda ſalus, ſuntque extra hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, unde vehementer formidanda eſt excommunicatio, nec humana, ſed divina eſt excommunicandi poteſtas.

27. Unus eſt eccleſiæ ſummus paſtor, cui omnes obedire tenentur, ad cujus judicium controverſiæ quæ ſuper fide & religione exiſtunt, ſunt referendæ.

28. Summam hanc præpoſituram primus omnium geſſit S. Petrus verus Chriſti in terris vicarius & totius familiæ ejus paſtor: poſt Petrum vero, ex Chriſti inſtitutione omnes deinceps pontifices Petri in cathedra ſucceſſores.

ANNO CHRISTI 1556.

29. Certa fide tenenda ſunt non ſolum quæ ſcripturis expreſſe ſunt prodita; ſed etiam quæ per traditionem eccleſiæ catholicæ credenda accepimus, & quæ definita ſunt ſuper fidei & morum negotiis per cathedram Petri, vel per concilia generalia legitime congregata.

30. Conſtitutiones eccleſiaſticæ de jejuniis, feſtis, & abſtinentia ciborum aliiſque multis, obligant in conſcientia, etiam extra caſum ſcandali.

31. Recte fit in eccleſia quod ſanctos in coelis cum Chriſto agentes veneramur & invocamus ut pro nobis orent, quorum etiam meritis & interceſſione Chriſtus nobis hic multa largitur, alias non largiturus, per quos etiam miracula multa operatur.

32. Quapropter ſancte & religioſe faciunt, qui loca eis dicata una cum ipſorum reliquiis religioſa pietate viſitant, & hoc modo ab ipſis opitulationem quærunt.

33. Gratus eſt Deo imaginum uſus, rectèque coram eis procumbimus invocaturi ſanctos, quos repræſentant.

34. Firmiter credendum eſt poſt hanc vitam purgatorium eſſe animarum, in quo ſolvitur poena peccatis adhuc debita. Eisdem tamen ſubvenitur ſacrificio altaris, oratione, jejunio, eleemosyna, aliisque bonis operibus vivorum, ſicut & indulgentiis quo citius ab ea liberentur.

35. Animæ defunctorum purgatæ mox regnant cum Chriſto in coelo, & animæ impiorum hinc migrantes, ſempiternis inferni traduntur ſuppliciis.

36. Recte Deo vota facimus. Tam monaſtica, quam alia facta obligant apud Deum, nec adverſantur libertati evangelicæ, quæ a peccatis libertas eſt, & his quæ ſpiritum noſtrum quoquo modo impediunt quominus totus Deo ſerviat: non autem a voti & juramenti obligatione, nec ab obedientia magiſtratus eccleſiaſtici vel ſæcularis.

EPISTOLA NICOLAI

Archiepiſcopi Gneſnenſis ad Paulum IV. ſummum pontificem.

De ſuo adverſus hæreticos ſtudio.

Ibid. pag. 1448.

SAnctiſſimo ac beatiſſimo in Chriſto patri & domino, domino Paulo divina providentia papæ IV. ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummo domino clementiſſimo.

Sanctiſſime ac beatiſſime in Chriſto pater ac domine, domine clementiſſime, poſt oscula pedum beatorum, perpetuam ſervitutem, orationes meas ſanctitati veſtræ humillime defero. In hac noſtra perpetua cum hæreticis horum temporum lucta, nihil mihi accidere poteſt optabilius, quam quod apud ſanctitatem veſtram gratum eſſe ſtudium meorum qualiumcumque laborum, quos aſſidue

ANNO CHRISTI 1556.

assidue: in vinea domini libenter impendo, ex litteris illius intellexerim: in quo studio ut gnaviter perseverarem, non solum paternæ monet; sed etiam ut ad evitanda pericula, quæ ecclesiæ catholicæ ab hæreticorum fautoribus in futuris comitiis impendent, consilia mea cum reverendissimo domino episcopo Veronensi, nuncio sanctitatis vestræ, alioquin viro prudentissimo & integerrimo, conjungam, ipsique in omnibus adsim sancte & pie, me cohortari dignata est: pro qua sanctitatis vestræ clementi & benigna de me persuasione gratias eidem immortales ago, enitarque sedule, ut in cuncto mihi munere commisso aliquatenus pro posse meo satisfacere possim. Et si ante officii mei esse videbatur, ut ea de quibus in proxime præterita nostra synodo provinciali egimus, sanctitati vestræ describerem, tamen cum ea omnia reverendissimus dominus episcopus Veronensis, qui nostræ synodo non modo interfuit; sed etiam præfuit, sanctitati vestræ præscripserit, longioribus meis litteris gravissimis illam reipublicæ Christianæ negotiis intentam interpellare nolui. Quod reliquum est, summis votis exopto, ut Deus optimus maximus sanctitatem vestram diutissime & felicissime conservare dignetur incolumem pro sui nominis gloria & Christianæ reipublicæ tranquillitate. Datum Lovitii XXI. Septembris, anno Domini MDLVI. Nicolaus archiepiscopus Gnesnensis.

LITTERÆ PALATINI VILNENSIS

Responsivæ ad litteras nuncii apostolici, receptæ Lovitii die V. Septembris MDLVI.

Ibid. pag. 1449.

REverendissime præsul, amice carissime & honorandissime, salutem ac Christianam felicitatem.

Quod reverendissimam dominationem tuam de mea erga illam voluntate presbyter D. Cornanki, majestatis regiæ secretarius, litteris suis certiorem fecerit, egit hoc sane, ut verum fatear, me penitus inscio: etsi etenim in eo sermone, qui mihi cum eo non ita pridem acciderat, multa sim de dominatione tua reverenda & amanter & honorifice locutus, tamen ut ad eam deferrentur non putabam necessarium esse, proinde studium quidem hoc in me ipsius, quo admodum reverendam dominationem tuam conatus est mihi amiciorem reddere, non solum non improbo, verum etiam vehementer laudo, gratiasque illi ago plurimas. At quod reverenda dominatio tua pro hac mea quantulacumque, quæ declarari potuit humanitate & benevolentia, multum se mihi & debituram esse & devinctam fore asserat, non video quomodo sim de illa meritus, ut qui ceteris quoque omnibus exteris, qui modo aulam sereniſſimi regis nostri adeunt, eædem omnia, mente eadem libentissime solitus sim præstare. Par est profecto mea hæc erga reverendissimam dominationem tuam cum aliis humanitas. Nihil peculiare est, quod in ipsam contulerim, communis apud nos ex majorum more & gratia & fortuna esse omnibus solet. Itaque nec ego etiam peculiarem aliquam nomine hoc a reverenda dominatione tua expeto exoptove gratiam. Satis est si id mihi redditur, ut animum meum meaque amica & candida officia esse apud se grata jucundaque sinat; cujus rei declarandæ ac testificandæ gratia, quod tua reverenda dominatio tua viri boni, hominisque, ut præfert, in primis Christiani munere, capta inde occasione, nonnulla mihi ignota quasi, idque animo & candido & mei majorem in modum amante & studioso, præscribenda & communicanda operæ pretium duxerit, non possum non fateri agnoscere me in eo suæ erga me gratissimæ voluntatis non obscura indicia, quæ ut eo etiam mihi cara magis sint, cum hic reverendæ dominationis tuæ candor & singularis benevolentia, tum viro ætas ejus, non vulgari, ut videre licet, condita humanitate affecit. Accepta ergo hæc sunt a me omnia in partem, quod ajunt, optimam, & ita sane accepta, non, quemadmodum reverenda dominatio tua arbitratur, ignota, sed prorsus notissima; neque & intra meos tantum privatos sensus obstrusa atque recondita; sed ut sæpe ante hæc a me palam & publice professa, & multorum hominum oculis multis in locis sine fuco sineque omni simulatione objecta; in quibus licet fortasse quæ mea sit sententia, reverenda dominatio tua confirmari vel ipso silentio possit, tamen ut ne hanc suam in me compellando cohortandoque libertatem, vel neglectam a me vel prorsus contemtam esse existimaret, respondendum illi breviter ad singula duxi eo modo eodemque ordine, qui mihi ab illa propositus est per omnia servato; atque id equidem non quo tantum in ista harum controversia disputationum vel ingenio vel arte doctrinaque passim me ostentem; sed ut qui meus sit de objectis sensus, etiam quibus fundamentis quibusve rationibus nitatur, simplicissime exponam. Sum fateor homo aulicus, magisque militiæ artibus quam studio theologiæ atque philosophiæ deditus; attamen cui nihil desit ex iis quæ Deus hominibus ad investigandam sui notitiam, verumque sui cultum, ad veram religionem eognoscendam & apprehendendam, pro sua admirabili bonitate indidit & concessit.

In primis autem scribit reverenda dominatio tua, cum non ita pridem Augustæ Vindelicorum apud sereniſſimum Romanorum regem aliquandiu ageret, audisse se quædam de me, quæ illi minus placuissent, nimirum a catholica fide me penitus defeciſſe, manum cum novis hæreticis junxisse; ejus rei adlatum ad se indicium, me cum discedere nollem ab instituto aperte, a regia majestate prohibitum esse, ne contra id quod matris ecclesiæ constitutum erat, sextis feriis & diebus sabbatorum carnibus vescerer.

Ex his sane ipsis reverenda dominatio tua vel facillime existimare potest, quam ego sermones illos, qui tunc ibi de me vulgabantur, esse mihi voluerim ignotos, cum ea quæ domi facerem, sic essent intra ejus parietes foresque conclusa, ut non solum in vulgus ipsum, sed ad regiam majestatem statim

ANNO CHRISTI 1556.

tim prorumperent, cujus judicium & auctoritatem, si cuiquam parum parte in ea videbar veritus, multo minus miror, quin etiam maximopere lætor, ea reverendæ dominationi tuæ & sui similibus non potuisse probari pro comperto confirmatoque ab ejus loci ordinisque hominibus, quæ recta sunt pro malis, quæ mala pro recte factis censeri, sicut apud evangelistam homines ejusdem farinæ scribæ & pharisæi.

Epistolam hanc longissimam quia hæreticis dictis refertam esse vidi, & summarium totius hæreticæ pravitatis, nolui inter mea scripta referre, eamque data opera prætermisi. Scias in summa, in ea nihil aliud contineri præter mera mendacia & sacrilegia.

RESPONSIONES PRÆLATORUM,

Canonicorum & capitulorum cathedralium Gnesnensis, Posnanensis, Uladislaviensis, & Plocensis ecclesiarum regni majoris Poloniæ, ad consultationem reverendissimi domini nuncii apostolici, super negotio fidei summatim collectæ.

EA quæ per illustrissimam dominationem vestram S. D. N. nomine nobis sapientissime sunt proposita, ad exhortationem & consolationem nostram adducta, gratissimo excepimus animo, ut quæ non obscure testantur piam & præclaram voluntatem sanctitatis suæ erga religionem Christianam, lethali quadam temporum calamitate non solum apud nos, sed etiam apud alias vicinas nationes graviter perturbatam. Plurimum igitur hanc optimam suæ sanctitatis mentem universali pastore dignissimam collaudamus, & cum omni alacritate atque devotione amplectimur, eidemque quam maximas possumus gratias habemus pro tanta illius erga nos humanitate, quod non solum sanctitas sua piam curam & sollicitudinem de nobis suscipere, sed etiam ad salutandam & invisendam humilitatem nostram per illustrissimam dominationem vestram dignissimum suum legatum dimittere sit dignata. Precamur vero nos indigni sanctitatis suæ sacellani & exoratores, ut Deo optimo maximo conatus istos sanctitatis suæ pro restauranda religione Christiana susceptos feliciter dirigat, atque gubernet, utque sanctitatem suam diutissime servet incolumem.

Satisfacere igitur, ut par est, volentes mandatis reverendissimæ dominationis vestræ, ea quæ ex mutuis colloquiis ac deliberationibus præhabitis consequi nobis datum est, non celamus, immo libere & alacriter coram dominatione vestra reverendissima declaramus adducti in eam spem, ut morbi hujusmodi causis detectis & plane cognitis, facilius in pristinum statum hoc regnum reduci valeat, tua amplitudine, prudentissimo medico, mediante.

Primam igitur hæreseos in hoc regno introductæ causam esse negligentiam pastorum & prælatorum ovilis Christi dicimus, inter quos, ut principem locum obtinet apostolica sedes; ita timemus ne mali hujus quoque (parcat nobis) illa aliquatenus causa sit, quatuor præsertim rationibus.

Primo, quod a triginta & amplius annis, quo coeptum est hoc malum, Romani pontifices, qui pro tempore fuerunt, excepta sanctitate sua, cui Deus longissimam vitam concedat, nullum vel legatum vel nuncium ad hoc regnum misere, qui apud reges instanter sollicitarent, juxta paternas leges temerarios hos ausus comprimerent, & etiam ecclesiæ defensores existerent.

Secundo, quia etsi generale concilium Tridenti indictum fuerit, non tamen ea sit diligentia adhibita, ut felicem cursum haberet; sed semper aliquibus & levioribus occasionibus coeptum intermitteretur. quod ipsum forte non tam apostolicæ sedis quam Christianorum principum culpa factum asserere possumus, mutuis inter se odiis & dissidiis & bellis contendentium.

Tertio, propter multa privilegia regibus & imperatoribus a diversis Romanis pontificibus contra ecclesiarum libertates & immunitates concessa: per quæ ipsi redditi sunt insolentiores, & aliquando negligentiores ad Christianam fidem tuendam & defendendam, cum totum contrarium habuissent, prout de jure tenentur.

Quarto denique propter beneficiorum aliquantisper absurdas provisiones. Nam dum degentibus in Romana curia quibusdam, seu potius heneficia expiscantibus, canonicatus cathedralium ecclesiarum & parochiales ecclesiæ regni nostri conferuntur a sede apostolica; de hujusmodi beneficiis quandoque mercimonia & nundinationes, ne quid obscurius dicatur, a provisis fiunt, qua re nulla posset esse ipsis ecclesiis infaustior & deterior, prout dominatio vestra ampliſſime perpendere potest.

Secundo loco est negligentia reverendissimorum episcoporum nostrorum, quæ prorsus etiam magnæ ruinæ est causa. Cum enim triplici gaudeant potestate, episcopali, senatoria & temporali, nulla harum, proh dolor! bene usi quidam fuisse videntur. Missas facimus hic duras exactiones & deputationes in grave prorsus pondus, quod subditis suis imponunt & faciunt, Dominicis etiam ac festis diebus eos laborare cogendo, & haud parum eis videatur si nobilibus hac in re pares sint, nisi etiam superent illos multis nominibus: sed etiam non admittenda quæ in admonenda & manutenenda regia majestate in pristina fide ipsi reverendissimi domini episcopi & iidem primarii senatores non eam quam debebant & poterant fecerunt diligentiam; idque ideo quia ascensiones in corde suo meditantur semper, sed non in montem Dei Jacob. Expediret reipublicæ nostræ, ut non tam crebræ translationes fierent episcoporum. Nam horum expectatio efficit, ut impoſito digito ori suo loqui pro domo Dei nolint vel non audeant. Adversus hæreticos concionatores & sectatores processum est procediturque negligentissime, ut quidam eos in curiis suis & suos familiares habeant, illis defensores concilient. Excommunicationis tanta vis est, ut cum excommunicatis aliis conversari sit religio, illis fautores & commensales sint, & breviter tam bene ac libenter contra hæ-

ANNO CHRISTI 1556.

ANNO CHRISTI 1556.

hæreticos & alios contumaces episcopali utuntur potestate, ut libentius ea carerent, & facile eam sibi suspendi patiantur: quod jam in aliquot comitiis generalibus factum fuisse videmus, immo & summi pontificis auctoritati plurimum detrahi patiuntur; nescimus aurem, si non etiam procurant proscriptionibus, bannitionibus toties factis contra eos, qui ad Romanam sedem in causis recurrunt. Quidam etiam eorum coram nobilitate dixisse auditus est, Credat, inquiens, quisque ut vult, modo reditus mei integri, sint. Libri hæreticorum, nemine prohibente, imprimuntur & distrahuntur in regno, ut jam pene totum pretium ac lucrum bibliopolarum sit ex eorum venditione. In defendendis ecclesiæ juribus & personarum ejus quanta sit remissio, palam testantur rapti proventus, & earum vacuæ ministris aliæ plus quam sexaginta in variis episcopatibus, aliæ prorsus spoliatæ, pulsi locis suis sacerdotes & ex arbitrio hæreticorum alii constituti. Collationes etiam reverendissimorum episcoporum non carent labe sua; nam plurima hic ratio sanguinis & servitutis habetur; eruditionis autem & honestatis vitæ parva admodum; unde ut parum religiosi & parum utiles, utpote pueri, ecclesiæ præficiuntur, & plerique tales vel taliter, & hoc respectu promoti nec erant, nec vestiuntur clericorum habitu. Cancellarii doctique viri non serviunt in suis ecclesiis, & minime residet, sed huc illucque semper vagantur, ut lupis sit aditus ad caulas Domini quandocumque voluerint invadendas. Multa alia dici possent, sed quæ ex his facile colligi possunt.

Sed cum tam multa de negligentia reverendissimorum DD. episcoporum diximus, numquid sunt tantum in hac parte culpabiles, immo & innumeri alii. Nos omnes inquam, & in ordine ecclesiastico & religioso omni magnam esse videmus morum deturpationem. Nam luxu, pompa, avaritia, libidinibus, otioque & negligentia omnia repleta videmus; &, quod omnibus deterius videtur in sacerdotibus, legis Dei ignorantia, quam quia Judæorum sacerdotes a se repulerunt, & Deus se eos repulsurum ne sacerdotio fungantur, per prophetam minatur.

Præterea glisçit perpetuo inveteratum odium sæcularium, qui inhiant bonis nostris; ita quod non alium prætextum mutandæ religionis forsan habent, quam ut ecclesiastica bona occupent.

Diuturna etiam pax civilis mali & errorum domesticorum præbet occasionem: ita cum militaris ordo sine exercitio sit bellici studii, arma projecerunt militaria, & libros sine judicio tractare coeperunt, unde multæ hæreses in diem augentur.

Postremo regiæ majestatis facilitas & conniventia, quodque omnibus indifferenter tam hæreticis, quam Christianis gratiam regiam liberalitatemque & munificentiam exhibere, ac honoribus citra debitum insignire omnes dignatur, præsertim hæreticos, quod tamen regni legibus expresse est prohibitum.

Educatio etiam juventutis in studiis Germanicis & commercia hæreticorum, necnon licentia imprimendi libros, plurimos infecit, & hæreses invexit. Et hæ sunt causæ istorum omnium malorum.

Sed & absentia dominorum episcoporum a judiciis regiis, quando rex in comitiis præsidet, multum incommodi affert, vel potius multis commodis rempublicam defraudat; propterea que per ignaviam videntur se subducere ab administratione justitiæ, & a patrocinio miserabilium personarum; sed & ecclesiasticæ personæ miserabiliter illic a prophanis rabulis opprimuntur, patronis earum nihil id ad se pertinere putantibus.

Hucusque magno cum animi nostri dolore morborum & vulnerum nostrorum causas retexuimus. Quibus autem rationibus hoc malum sistendum esset ex provincia, explendum facile occurrit, quod contrariis omnibus, siquidem contrariis contraria curantur, ut in medicinali proverbio dicitur.

Primum igitur remedium esse videtur, quod sancta & apostolica sedes hoc in regno sicut & apud alios principes facit, nuncium continue haberet vel legatum, virum doctum, bonum, & Deum timentem, rerum gerendarum scientia peritum, qui familiam haberet exemplarem, qui munera non diligeret, qui forti & masculo esset animo, & in curia resideret, semperque regis lateri adhæreret, atque eum officii sui admoneret; hic catholicam fidem atque libertatem ecclesiasticam tueretur, & sedis apostolicæ obedientiam & reverentiam in regno conservaret, & ad eum tamquam ad asylum viri boni semper pro justo patrocinio confugere possent.

Secundum illud videretur, quod sanctitas sua primo quoque tempore per se quoddam curaret concilium oecumenicum, nec bella moveret quæ corpora perimunt. Nam hæc de qua nobis sermo est, omni bello truculentior pestis est, necat enim animas, & pretium pars hæc corpore majus habet. Novimus multa concilia ad sedandos multos bellorum tumultus coacta fuisse: tantum abest ut propter bella concilium destitui debeat; nec videmus, quo faciliori modo desiderium nationalis concilii extingui debeat, quam celeriori generalis congregatione concilii, in loco tamen libero, & nulli regum subjecto, ad quod sub gravissimis poenis omnes qui de jure vel consuetudine venire tenentur, accedere debeant, & non hi pauci tantum qui a regibus mittuntur, ceteris domi retentis.

Illud & tertium occurrit, quod regibus & principibus ipsis tot & tanta privilegia quotidie non concedantur, quæ ecclesiarum jura, immunitates & libertates enervant. Num si penes capitulum essent episcoporum electiones, ut sunt in Germania, fortasse alios sibi viros contra fidei ecclesiæ hostes præstarent ipsi episcopi, atque nunc præstant, quod præterita tempora satis nobis exemplo ostendere possunt.

Quartum demum remedium quod ad sedem apostolicam attinet, esset quod collationes, canonicatuum & aliorum beneficiorum, præsertim curatorum, quæ per sanctitatem suam in hoc regno fiunt, intuitu ecclesiæ

ANNO CHRISTI 1556.

clesiarum, non autem personarum fierent, & viri docti & boni assumerentur, qui verbo & exemplo populos pascerent, & personalem residentiam omnino apud collatas ecclesias facere tenerentur; qui etiam si ante beneficiorum adeptionem diligenter super vita & moribus atque doctrina examinarentur valde consultum esset ecclesiis.

Venimus nunc ad aliam hæreseos causam, quæ dominorum episcoporum nostrorum negligentiæ attributa est, clericorumque vitæ impuritati; in primisque morum reformationem in ordine ecclesiastico, tam in capite quam in membris; aut potius, si fieri posset, tam in ecclesiasticis quam in sæcularibus, & in sublimitate constitutis personis, ad repurgandam ab hæresibus catholicam religionem, censemus plurimum esse utilem atque necessariam. Agnoscimus enim mores nostros a prisca illa ecclesiasticæ disciplinæ norma multum defluxisse, indeque omnium malorum causam exortam esse. Subscribimus vero in hoc omnes, ut catholica & modesta pro temporis congruentia fiat reformatio inter ecclesiasticas personas morum & abusuum, juxta canones sanctorum patrum & sanctiones nostras synodales, quæ tamen duret, & inviolabiliter servari debeat.

Et quia nunc episcopi ad nominationem regiæ majestatis conceduntur ecclesiis cathedralibus, valde opportunum esset, si omnes nominati indifferenter antequam a sede apostolica præficerentur, sub districti examinis rigore de vita & moribus & litteratura, fama eorum & pristina conversatione, quibus mediis ad dignitates ascenderint, & magis in Romana curia quam hic discuterentur, & demum tales prælati haberentur, qui scirent & possent, dignique essent ecclesias regere. Licet enim majestatis regiæ intentio sit optimos quosque viros nominare, attamen cum sit aliis pene infinitis occupata negotiis, illi quandoque surripitur ab his qui lateri ejus adhærent, & pro auro nonnumquam ei supponitur auricalcum.

His deinde quos de præsenti habemus omni cum reverentia suggerimus, ut curias suas reforment, secundum præscriptum canonum vivant, ex negligentibus fiant diligentiores speculatores, exploratores & indagatores dioecesum suarum; circumeant quolibet anno dioeceses suas, synodos etiam dioecesanas quolibet anno celebrent, vitiosos arguant synodaliter, & unumquemque delicti sui pudeat, & alios in vitam cleri & mores ac doctrinam intendant, curam sæcularium rerum omnino contemnant, & spiritualium assumant, quæ est eorum propria œconomia; ecclesias parochiales reforment, ut in eis idonei presbyteri, & nonnisi prius de vita, moribus, eruditione bene & diligenter examinati ponantur, & laicos & pueros ex eis eliminent. Ad prædicandum facile quemquam non admittant, & certum modum prædicandi ab ecclesia receptum illis tradant. Bibliothecas sæpius revideant, & libertatem imprimendi quibusvis impressoribus, necnon vendendi bibliopolis auferant: aut unusquisque parochorum pro concionibus auctores bonos ab ecclesia receptos juxta dispositionem provincialium habeant, ut habet in omnibus parochiis vera & sana Domini nostri Jesu Christi doctrina. Cæterum domini ipsi episcopi vitam suam, quæ ubique male audit, pace ipsorum sit dictum, reforment, & quemadmodum ceteris præstant dignitate, sic præstent exemplo & laudabili conversatione: ex cupidis & avaris sint munifici & liberales, in pauperes primum, deinde in alios, etiam viros equestris ordinis, eosque citra jacturam suam sibi & ecclesiis suis devinciant, hospitalitatem servent, ex curiis suis hæreticos ejiciant, doctos viros & sacerdotes reliquamque familiam in curiis suis exemplarem habeant, cessent in eis scandala & oppressiones subditorum, revocentur pro maledictionibus benedictiones, in reliquo tollantur e medio causæ, quæ eorum præstiterunt occasionem, quibus sublatis auferentur effectus. Cesset omne studium exaltationis fratrum, nepotum & consanguineorum suorum, quorum causa etiam pii pontifices ab officio suo quandoque deviant. Si enim sui eorum non dominarentur, tum immaculati essent, & emundarentur a dicto delicto maximo. Capitula pristinam auctoritatem retineant in commonefaciendis episcopis, & eorum admonitiones grato suscipiant animo. Hoc enim semper præsentissimum fuit remedium ad continendos dissolutos prælatos, maxime oppressores subditarum ecclesiarum.

De reformatione etiam cleri qui est secundus articulus, dicimus neminem esse qui non videat clerum reformatione in vita & moribus ac toto statu suo egere; quæ ut apprime est necessaria & utilis in ecclesia, ita nobis est optabilis, ut modo fiat, ut dictum est, tam in capite quam in membris, ut tollantur inde omnes occasiones scandalorum. Unde expectatur exemplum, & modo omnes religiosi, præsertim qui Mendicantes appellantur, quoniam & ipsi non minus quam non sæculares clerici ea indigent, in dicta reformatione includantur. Sed adversarii ecclesiæ talem forte reformationem volunt, ut clerum atque adeo ecclesias ac monasteria omnibus proventibus & bonis immobilibus spolient & exuant, quo postea facilius clerum opprimant, quod nullo pacto eis concedendum est rationibus multis, quæ hic adduci possunt.

Quod vero ad caput odii sæcularium contra clerum, et ad inhiationem eorum ad bona ecclesiæ pertinet, hoc plus quam verum esse asserimus. Sed si clerus bene viveret, si sæculares in suis paupertatibus adjuvaret; si filios eorum in disciplinis studiorum foveret, si eorum filiis quo honeste nubere possint aliqua eleemosyna solveretur, ut prisci patres facere consueverant; facile rumor et inhiatio ista tolli possent. Nihil enim magis infensorum odium placat quam liberalitas, eleemosyna et elargitio.

At quod diuturna pax in ordine militiarum bellum nobis cum Deo et ejus fide pepererit, inficiari non possumus. Verum is severissimis compellendus esset poenis, ne ad libros hæreticorum manus poneret, ne-

ve

ANNO CHRISTI 1556.

ve in his se exerceret quæ muneris sui non sunt; sed eorum qui ad ecclesiarum regimina, Deo vocante, asciti sunt. Cum ipsi oves sint; et ad eos discere pertineat, non docere, quod pastorum proprium officium est.

Quamvis autem de regia majestate domino nostro clementissimo tacere hoc in loco maluissemus, quam aliquid dicere, cujus mens semper pia, catholica et sancta nobis visa est pluribus in rebus perspecta: quia tamen sine ejus auspiciis, ductu et favore, nulla aut pauca præstari possunt, necesse est, ut de ea humiliter et qua decet reverentia nonnulla loquamur. Primum ergo roganda est regia majestas, ne ad tot et tantas impietates innovationes conventicula, quæ quotidie in regno suo, modo in uno, modo in alio loco fiunt, atque ecclesiarum occupationes, et illarum bonorum deprædationes ulterius conniveat. Nam tandem hæc sub silentio tolerata regni excidium parient, prout Bohemia, Germania et Anglia exemplo nobis esse possunt.

Regia etiam majestas aulam suam repurgare dignetur, obsecranda est, utque ipse nulli ex hæreticis communicet, consiliis eorum non utatur, nec aliquem eorum ad honores aut dignitates vel officia provehat; et illis præficiat.

Insuper prohibere omnino regia majestas dignetur, ne hæresiarchæ isti ex Germania in Poloniam veniant, utpote Laski, Calvinus, Melancton, et ceteri eorum similes, qui sua rabie reliquum plebis inficere, et regnum in magnum discrimen civilis belli suis seditiosis concionibus possent inducere.

Cum etiam omnium rerumpublicarum atque regnorum fundamentum sit fides et religio, et in nostro regno tam fortes et efficaces leges contra hæreticos et innovatores istos latæ sint, enixissime roganda esset majestas sua, ut illas exsecutioni demandaret; quod quidem ut fiat, nullius magis interest, quam ipsius regiæ majestatis, nisi malit videre interitum regni sui. Nam si isti audent, jam quasi exsisa obedientia, litteras regias spernere, nec mandatis ejus in aliquo parere, futurum est quod isti, si numerosiores erunt, conabuntur regem in suam pertrahere sententiam, et in eumdem errorem quem ipsi sequuntur; alioquin recepta sensim majori licentia, audacia et temeritate cavendum est, ne obedientiam suæ majestati interdicant, et pro rege eum habere recusent. Ista itaque regiæ majestati essent inculcanda et persuadenda, si vult videre salutem regni sui, suumque quietum imperium, executionem legum de hæreticis omnino ne differat, ponendo suæ majestati oboculos quod in executione legum hujusmodi continetur, nempe unitas, pax obedientia et tranquillitas. Per conniventiam autem et impunitatem ac licentiam seditio, tumultus, discordia, ad ultimum interitus regni, et periculum, quod absit, personæ regiæ sequitur.

Si, quod absit, regia majestas prohibere hæresim et leges regni desuper exsequi noluerit, quod pro sua pietate numquam credimus, ex tunc reverendissimi episcopi qui prima loca et vota in senatu obtinent, cum sibi adhærentibus protestationem solemnem faciant publice in senatu se ad aliqua consilia alia procedere nolle, per quæ in religione a majoribus eorum recepta, mutatio fieri debeat, & per eos non stat quominus regno a periculis ob tolerationem hæresis illi imminentibus provideatur, neque se amplius in senatu per aliquas novationes obijciant, & id genus alia facienda, quæ ad talem protestationem consona visa fuerint. Hac ratione confidimus adducendum fore regem, & multos ex senatoribus in sententiam nostram.

Quod in nobis est, nomine nostro & totius cleri afflicti, promittimus ipsis reverendissimis dominis episcopis assistere velle, & omnia nostra ecclesiarumque nostrarum, & quæ in manibus & facultatibus nostris sunt, parati sumus profundere, & insuper corpora in catholicæ fidei nostræ defensionem.

Quo etiam in casu omnia summo pontifici deferenda essent, ut sanctitas sua in spiritu lenitatis primum salubriter eum admoneret, etiam cum advocatione imperatoris & aliorum regum, ne officio suo majestas regia deesset, postea, & comminationibus utendum esset, sanctitatem suam nempe processuram contra suam majestatem, si non resipuerit, sicut contra talem qui ab universali ecclesia sese amovere conaretur. Sed, absit, quod ad tam fortia remedia deveniendum esset. Christianissimum enim Dei gratia regem habemus, & sanctæ apostolicæ sedis obedientissimum filium.

Et quia inter causas hæreseos illa etiam adnumeratur, quod pueri mittebantur ad studia Germanica: placeret quod omnino ratio inveniretur, ut pueri nostri in regno erudirentur, vel in collegiis erectis, ut est Posnanense, vel apud cathedrales ecclesias cum contributione monasteriorum, & prout alias in synodo provinciali constitutum fuit: quod tamen nullam habet executionem, & tunc exigerentur poenæ a legibus nostris statutæ contra mittentes filios suos ad studia peregrina, & nulli qui in hoc delinqueret parceretur, quacumque præfulgeret dignitate.

Utile etiam foret & valde necessarium, ut duo saltem ad minus episcopi, viri boni & Deum timentes, semper essent præsentes in aula regia, qui quando principi familiariores essent, plura in negotio religionis præstare possent; nam reverendus dominus vicecancellarius tanta negotia contra tot religionis expugnatores vix solus sustinere valet; qui etiam prælati judiciis regiis ferendis interessent, prout eorum prædecessores facere solebant, & fidei ac ecclesiarum negotia, jura & libertates tutarentur, & viduarum & pupillorum ac paperum personarum defensores existerent. Ita enim fieret, ut ex ore clementissimi nullum judicium nisi rectum, nisi justa lance libratum prodiret.

Admonendi quoque videntur reverendissimi domini summa diligentia, ne comitiis particularibus in quibus nuncii terrarum ad comitia majora eligi solent, intereſſe dedignentur, & quam maxime curent, ut viri catholici in nuncios deligantur, quos & officiis

ANNO CHRISTI 1559.

ficiis & beneficiis ſibi conciliare ſtudeant; non fruſtra enim dicitur, immo vulgari proverbio patrem eſſe multorum conciliatorem, hæc nobis viſa ſunt in tam difficili conſultatione V. R. D. ſuggerenda, quæ omnia prudentiſſime in primis ſanctiſſimi domini noſtri ejuſque ſacri ſenatus, atque ampliſſimæ D. V. judicio ſubjicimus, atque illud Spiritu-ſancto ſuo gubernet D. Deum precamur.

ANNO CHRISTI 1559.

CONCILIUM PROVINCIALE

Totius cleri Scoticani utriuſque provinciæ S. Andreæ & Glasguen. habitum Edinburgi Anno Domini MDLIX.

LITERÆ (a) JOHANNIS ARCHIEPISCOPI

(a) Johannis Hamilton.

S. Andreæ, totius regni primatis, quibus dictum concilium indicit, & Jacobum, archiep. Glasguenſem ad illud invitat.

Extat apud Wilkins tom. IV. p. 204. Ex autographo in colleg. Scot. Pariſ. mem. Scot. tom. 1. f. 129.

JOhannes, miſeratione divina S. Andreæ archiepiſcopus, totius regni Scotiæ primas, apoſtolicæ ſedis legatus natus, ac per univerſum regnum prædictum ejuſdem ſedis de latere legatus, reverendiſſimo in Chriſto patri, ac fratri noſtro, domino Jacobo, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſc. Glasguenſi, felix ſuſceptæ curæ moderamen, & mutuam in domino charitatem pro ſalute.

Inter graves ſolicitudines, & multiplices animi curas, quibus pro paſtoralis officii, ac metropoliticæ & provincialis noſtræ debito premimur; verum etiam ex injuncto apoſtolicæ legationis munere, quo, licet immeriti, ex apoſtolicæ ſedis clementia in hoc regno fungimur, ea peculiaris & præcipua eſt, ut defenſioni, & indemnitati, ac animarum ſaluti, non ſolum dioeceſanorum noſtrorum nobis immediate ſubjectorum, ſed & aliorum nobis tam jure metropolitico, & regni primatiali, quam etiam jure legationis apoſtolicæ de latere nobis commiſſæ ſubditorum, quorum auctor æternus de ſua benignitate & clementia, & apoſtolicæ ſedis providentia curam ſuperioritatem, dominium, viſitationem, correctionem, jurisdictionem, reformationem, poteſtatem, & præeminentiam habere voluit, ſemper & aſſidue invigilemus, & remediis & curis omnibus ita provideamus, ne ſancta catholica Scoticana eccleſia, illiusve prælati, miniſtri, & ſubditi, etiam cujusvis exemptionis titulo, qualitercunque inſigniti, hoc tempore procelloſo, Lutheranis, Calvinianis, & aliis quamplurimis nefandis hæreſibus undique infra regnum iſtud pullulantibus, per hæreticos & hæreſiarchas, ac hæreticæ pravitatis Lutheranarum, & Calvinianarum ac nefandarum aliarum hæreſum in hoc regno fautores, auctores, aſſiſtentes, ac inſectatores indies, & continuo omni eorum cura, ſtudio, & diligentia, libertatem ipſam eccleſiaſticam, illiuſque ſtatum, ac jura, & privilegia ipſius S. Scoticanæ eccleſiæ ſimpliciter, & in totum enervare, tollere, & ſubvertere nitentes, in ſpiritualibus aut temporalibus, aliquo modo damnum ſeu detrimentum aliquod patiatur, ſeu pati valeat, ſed in unitate fidei chriſtianæ, ſtatu, libertate, & privilegiis ſuis priſtinis, ſublatis quibusvis erroribus, & obſtaculis, in contrarium agentibus, ſemper & ſecure, ac pacifice, ut decet, remaneat. Et ut hæc eo facilius citius & melius, & felicius ſuccedant, quo paternitas veſtra reverendiſſima, & alii hujus regni prælati, ac cleri famoſior pars, in unum nobiſcum congregati, prout ex SS. PP. decretis & ordinationibus tam pie tamque ſalubriter editis, per ſingulas provincias epiſcoporum concilia generalia, tum ad Dominici agri præcipuam culturam, quæ vepres, ſpinas, & tribulos hæreſum errorum, & ſchiſmatum extirpat, mores, & exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit; tum ad querelarum & controverſiarum, quæ inter diverſos eccleſiæ ordines naſci aſſolent, diſſolutionem, quorum neglectus præmiſſa diſſeminat atque fovet, quotannis, ſæpiuſque & frequenter celebrari uſum eſt ea, quæ fieri mandantur veſtra & eorum opera, cura, conſilio, unanimique concurſu, pro libertatis eccleſiæ, hujuſce regni defenſione, & manutenſione, perſonaliter compareant, pro conventione & ſynodo provinciali generali inter nos paternitatem veſtram, & eos ad præmiſſorum effectum habenda, ad laudem gloriam, & honorem ſummæ & individuæ Trinitatis, Patris videlicet, & Filii, & Spiritus S. beatæque intemeratæ Viginis Mariæ Dei & Domini Noſtri Jeſu Chriſti genitricis, & omnium coeleſtis curiæ ſanctorum, ac hujus univerſalis Scotinæ eccleſiæ immenſum & ineſtimabile bonum, auctoritate noſtra metropolitica, & regni primatiali (cum de jure concilium ipſum provinciale generale, & in hoc regno indicere, & convocare ſpectat & incumbit nobis, ut præmittitur) ac etiam inſtigante pia & benigna inquiſitione illuſtriſſimæ ſupremæ dominæ noſtræ, reginæ regentis, ad effectum præmiſſorum videntis, quam maximos nefarios tumultus in populo decedente, & prorſus aberrante a vera fide, idem concilium provinciale generale die primo menſis Martii proxime futuri, intra locum fratrum dominicanorum Edinburgy celebrandum, tenenendum, & inchoandum, cum continuatione & prorogatione dierum ſubſequentium, uſque ad ejusdem concluſionem & diſſolutionem, in quo, diſponente altiſſimo,

præ-

ANNO CHRISTI 1559.

præſidebimus, indicimus, convocamus, denunciamus, ſtatuimuſque & præfigimus. Quare veſtram reverendiſſimam paternitatem in Domino obnixe requirimus & hortamur, quatenus una nobiſcum, & aliis reverendis patribus, & fratribus noſtris dominis hujus regni coepiſcopis, ac clero eadem veſtra paternitas reverendiſſima compareat perſonaliter dictis die & loco, cum continuatione dierum ſubſequentium, uſque ad finalem concluſionem dicti concilii provincialis, generalis, hora octava de mane, ad pertractandum, communicandum, conſulendum, determinandum, & definiendum ea quæ pro libertatis eccleſiaſticæ, totius Scoticanæ eccleſiæ, & ejuſdem privilegiorum, & immunitate, conſervatione, manutenſione, & defenſione, pertractanda, communicanda, conſulenda, determinanda, & definienda fuerint. Inſuper citari, requiri, & moneri veſtra ordinaria auctoritate curetis reverendos, & venerabiles patres, dominos epiſcopos veſtros ſuffraganeos, ac abbates, priores, commendatarios, decanos, præpoſitos, & alios viros eccleſiaſticos, & circumſpectos veſtros ſubditos, & ex famoſioribus, conſultoribus, & prudentioribus de capitulis & clero veſtrarum eccleſiæ, civitatis, diœceſis, & provinciæ Glaſguenſis, etiam religioſis, cujuſvis fuerint ordinis, &, ut præmittitur, qualitercunque exemptos, prout paternitati veſtræ reverendiſſimæ viſum fuerit, expedire; ad vobiſcum dictis die & loco ad effectum præmiſſorum comparendum, ibidemque nobiſcum una cum paternitate veſtra reverendiſſima, & aliis regni prælatis, & clero uſque ad diſſolutionem, terminationem, concluſionem, vel continuationem dicti concilii provincialis, generalis incluſive permanſuros, obnixe, ut præmittitur, requirimus & hortamur in Domino. Præterea, ex pia requiſitione, & benigna illuſtriſſimæ & ſupremæ dominæ noſtræ, reginæ regentis, proceſſiones publicas, uti moris eſt, omnibus diebus dominicis, quartis & ſextis feriis, infra veſtram dioeceſim in omnibus collegiatis, & parochialibus eccleſiis, & aliis quibuſcunque per vicarios, curatos & capellanos, orandi Deum pro felici ſucceſſu hujuſmodi noſtri concilii generalis, provincialis, ac pace, & tranquillitate reipublicæ hujus regni & ſublatione errorum & hæreſum fieri procuretis, & demandetis. Datum Edinburgi ſub noſtra ſubſcriptione manuali, & ſigneto noſtro ultimo die menſis Januarii, anno Domini milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo octavo, conſecrationis noſtræ XIII. & translationis noſtræ ad regni primatialem ſedem anno decimo.

V. R. P.

Humiliſſimus confrater,
Johannes, archiepiſcopus S. Andreæ.

In dorſo inſcripta: Reverendiſſimo in Chriſto patri domino Jacobo, Dei gratia archiepiſcopo Glaſguenſi, confratri noſtro chariſſimo.

MANDATUM JACOBI ARCHIEPISCOPI GLASGUEN.

Pro convocatione abbatum, priorum &c. ſuæ dioeceſis ad dictum concil. provinciale Edinburg.
A. D. MDLIX.

JAcobus miſeratione divina archiepiſcopus Glaſguenſis decano noſtro chriſtianitatis de Lanrick ſeu cuicunque alteri capellano, curato, vel non curato, infra civitatem, diœceſim, & provinciam noſtram Glaſg. conſtituto, & ſuper executione præſentium debite requiſito, ſalutem, cum benedictione divina. Vobis, & veſtrum cuilibet in virtute S. obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis a divinis ſtricte præcipiendo mandamus, quatenus moneatis legitime omnes & ſingulos abbates, priores, commendatarios, uſufructuarios, miniſtros, præceptores, præpoſitos, & inſigniores, & probiores eccleſiarum parochialium rectores, & vicarios perpetuos, per veſtrum decanatum conſtitutos, & præſertim magiſtrum Robertum de Bailze rectorem de Lamington; magiſtrum Nycholaum Graford., rectorem de Hartſyde, Thomam Levinſton, rectorem de Cultrie; magiſtrum Johannem Stenſone, rectorem de Thankerton; magiſtrum Thomam Somervell, rectorem de Quenquhem; & dominum Thomam Wedy, rectorem de Liberton; quod compareant perſonaliter coram nobis, & reliquis hujus Synodi Dominis ordinariis, prælatis, & de clero in loco fratrum Dominicanorum Edinburgenſi die ſexto menſis Aprilis proxime futuri, ad ea omnia & ſingula, quæ ad eos attinent, tractanda, agenda, decernenda, & concludenda fuerint, aſſiſtendum & conſentiendum; & generatim omnia alia faciendum, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna; ſub pœna excommunicationis majoris ſententiæ latæ in his ſcriptis & præſentes debite executas earundem latori reddatis. Datum ſub noſtro ſigneto apud Edinburgum die 18. menſis Martii, anno Domini milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo octavo, & noſtræ conſecrationis anno ſeptimo.

Per dictum reverendiſſimum dominum archiepiſcopum Glaſguenſem.

Willelmus Fogo, ſecretarius de mandato.

Sequuntur ſubſcriptiones prædictorum decani, rectorum, &c. quibus teſtantur ſe mandatum archiepiſcopi prædictum debite inſinuaſſe, & executioni mandaſſe.

MAN-

ANNO CHRISTI 1559.

MANDATUM MALCOLMI,

Vicarii generalis ecclesiæ Candidæ Casæ, infra provinciam Glasguensem, quo convocat abbates, priores, &c. ejusd. diœc. Cand. Casæ ad dictum conc. provinciale.

A. D. MDLIX.

id. 4. 1.

MAlcolmus, permissione divina, commendatarius perpetuus, ecclesiæ cathedralis Candidæ Casæ, & sedis episcopalis ejusdem jam vacantis vicarius generalis venerabili viro Domino Michaeli Havvthorn, nostro commissario, & decano de Finnes, & Renis, seu cuicunque alteri capellano, curato, vel non curato, infra nostram jurisdictionem divina celebranti, & super executionem præsentium debite requisito, salutem. Quia reverendus in Christo pater & Dominus Jacobus, miseratione divina archiepiscopus Glasguensis literas suas monitoriales ad universos & singulos ordinarios suos ad comparendum coram reverendissimo in Christo patre & domino, domino Johanne, eadem miseratione divina S. Andrææ archiepiscopo, totius regni Scotiæ primate, legato nato, & a Pasleto abbate in cœnobio fratrum prædictorum Edinburgensi die sexto mensis Aprilis proximo futuri ad omnia & singula, quæ ad eos attinent, tractanda, agenda, definienda, & concludenda in hoc instanti concilio provinciali jam inchoato, & quotidie conveniente & sedente in dicto cœnobio, sub poena excommunicationis emisit: vobis igitur & vestrum cuilibet præcipimus & mandamus, quatenus moneatis legitime primo, secundo, tertio, peremptorie omnes & singulos abbates, priores, commendatarios, usufructuarios, ministros, præceptores, præpositos, & probiores viros beneficiatos præfatæ nostræ dioeceſis Candidæ Casæ, & præcipue venerabiles in Christo patres Jacobum, permissione divina Vallis Lucis abbatem, Johannem, eadem permissione commendatarium sedis animarum, venerabiles viros magistrum Patricium Vaus, rectorem de Wigton; dominos Georgium Clapperton, & Davidem Paterson, rectores de Kirkkynie; magistrum Wilelmum Blayr, archidiaconum Candidæ Casæ, necnon dominum Andream Arnot, dicti archidiaconatus usufructuarium; ad comparendum personaliter in prædicto concilio provinciali, in prædicto coenobio fratrum prædicatorum Edinburgensi, præfato die sexta Aprilis proxime & immediate sequentis, ad sedendum in eodem concilio, assistendum, consulendum, tractandum, & approbandum ea, quæ ad honorem divinum, catholicæ fidei exaltationem, & reipublicæ, ecclesiæque utilitatem tractanda, agenda, & concludenda fuerint; & generaliter omnia alia & singula, quæ ad partes suas in præmissis attinent, faciendum, decernendum, gerendum, & exercendum hac vice, sub poena excommunicationis, quam contrarium facientes, incurrere volumus ipso facto; & præsentes debite executæ reddantur latori. Datum ex Irvyne sub nostris signeto, & subscriptione manuali 24. Martii, anno Domini MDLVIIII.

ANNO CHRISTI 1559.

Malcolmus, Candidæ Casæ vicarius generalis.

ACTA CONCILII

Provincialis totius cleri Scoticani utriusque provinciæ habiti Edinburgi

A. D. MDLIX.

CONcilium provinciale cleri totius regni Scotiæ indictum & convocatum per reverendissimum in Christo patrem, & dominum Johannem S. Andreæ archiepiscopum, ejusdem regni primatem, legatum natum &c. assistente & consentiente reverendissimo in Christo patre, Jacobo Glasguensi archiepiscopo; convocatis etiam, & præsentis utriusque archiepiscopi reverendis dominis suffraganeis episcopis, vicariis genetalibus abbatibus, prioribus, commendatariis, decanis, præpositis, sacrarum literarum professoribus, rectoribus, ac aliis literatis viris ecclesiasticis, ecclesiam Scoticanam repræsentantibus, coeptum est Edinburgi in religiosa domu Dominicanorum primo die mensis martii, anno juxta computationem ecclesiæ Scoticanæ (*a*) MDLVIII. & finitum ibidem 10. die mensis aprilis anno Domini MDLIX. & hoc ad dictæ ecclesiæ Scoticanæ disciplinam recte reformandam, & dominici gregis salutem promovendam; propterea quod videremus pastorale nostrum munus in extrema incidisse tempora, in quibus crudeles lupi dispersas Christi oves modis omnibus conantur devorare, legitimos sacramentorum usus invertere, ecclesiæ ceremonias a Christo, ejusque discipulis & successoribus bene institutas, prorsus contemnere, omnia demum Dei, & sanctorum templa diruere: in quo quidem concilio antiquas majorum consuetudines insequuti sumus, quas apostoli instituerunt; apostoliol viri retinuerunt, atque nobis sanctissime veluti per manus reliquerunt; ut videlicet, quoties de fide christiana quæstiones occurrerent, scandala pullularent, aut hominum mores, emendatione indigerent, toties synodum indicerent, in qua salutaria remedia adhiberent occurrentibus suo tempore periculis. Pari modo, Deo disponente, in hac præsenti synodo consultavimus, quonammodo possimus oves nobis commissas in christiana professione retinere, salutarem eis cibum providere, curantes humeris nostris impositas ad ovile Dominicum reducere, & ecclesias in sincera pace regere, donec generale concilium his tantis malis aptiora provideat remedia. Nostræ consultationi accessit auxilium, opera, et beneficium nobilissimæ & christianissimæ principis Mariæ, hujus regni Scotiæ reginæ dotariæ, ac regentis; cujus piam voluntatem experti sumus non solum in defendendo hoc nostro regno a ferocibus exterorum incursibus, sed etiam in administranda justitia per singulas hujus regni provincias, necnon in vera religione præservanda, retinenda, & augenda, sic nos Dei gratia et favore dictæ principis

Ex codice MS. bibl. regiæ Paris. num. 3887. cod. Baluzian. num. 38. apud eundem Vvilkins.

(*a*) Hoc sæculo Scoti annum exordiebantur adunc a 25. Martii, verum initio sæculi sequentis sancitum est auctoritate supremorum regni comitiorum initium anni deinceps a calendis Januar. computandum.

ANNO CHRISTI 1559.

collegimus, ac congeſſimus ea in conſtitutione, quæ maxime videbantur pro ratione horum temporum neceſſaria et commoda, ad Dei honorem et reverentiam, eccleſiaſticæ diſciplinæ emendationem, atque ad chriſtiani populi ſalutem; quæ omnia communi conſenſu decrevimus publicanda, ut a cunctis hujus regni incolis obſerventur. Quapropter univerſos eccleſiæ Scoticanæ ordines oramus, atque in viſceribus Jeſu Chriſti obteſtamur, ut præſentis concilii decreta diligenter legant, lecta obſervent, atque ſibi ipſis perſuadeant, nos gratia Dei & auxilio dictæ reginæ curaturos ea exacte executioni demandanda. Præterea cunctis eccleſiaſticis viris præcipimus et mandamus, ut oves Chriſti illis commiſſas diligenter curent, frequenter viſitent, & recte exerceant, conformiter traditioni et conſuetudini eccleſiæ catholicæ, rejectis vanis novitatibus, et ſuſpectis opinionibus; ſic enim tam nobis ipſis quam ovibus noſtræ curæ commiſſis, acquiremus æternam beatitudinem, quam nobis tribuat, qui ſine fine vivit et regnat. Amen.

Primum actum: approbatio conciliorum apud Linlythquho & Edinburgum ante tentorum.

Præſens ſynodus diligenti conſilio & maturo tractatu præhabitis, decretis quoque conſtitutionibus, & ordinationibus conciliorum provincialium in oppido de Linlythquho in menſe auguſto, & Edinburgi in menſe novembri anno Domini milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo nono; Edinburgi etiam in annis MDLI. & MDLII. reſpective tentorum & celebratorum inhærens, eadem decreta, conſtitutiones & ſtatuta ratificat, approbat, & confirmat, quatenus in præſenti concilio immutata, declarata, & innovata non ſunt, ipſaque inviolabiliter obſervanda decrevit, eisdem quoque lectis, viſis & diſcuſſis, præſentis concilii auctoritate robur adiiciens.

Jam ſequuntur ſtatuta edita in concilio provinciali celebrato in menſibus martii & Aprilis annis Domini MDLVIII. & MDLIX. reſpective.

1. Hæc præſens ſynodus prioris apud Linlythquho inchoati, Edinburgi finiti MDXLIX. conſtitutionibus adhærens, ratificat & acceptat decretum concilii Baſilienſis contra concubinarios promulgatum, & in prædicto priori concilio per eccleſiaſticos hujus regni receptum, in omnibus ſuis capitibus obſervandum, & executioni demandandum, tam in archiepiſcopos epiſcopoſque & eorum ſuffraganeos, quam in alios prælatos, ac inferiores clericos hujus regni per metropolitanos in epiſcopos ſuffraganeos, & epiſcopos in alios clericos inferiores reſpective; & ne reverendiſſimus Johannes S. Andreæ archiepiſcopus, hujus regni primas, legatus natus, &c. nec non reverendiſſimus Jacobus, Glaſguenſis archiepiſcopus, videantur reverendis ſuis ſuffraganeis, & aliis inferioribus eccleſiæ onera gravia alligare, & ſuis forte privilegiis & exemptionibus ſibimetipſis liberius indulgere, ſua ſponte in bonum aliorum exemplum ſubmiſerunt ſe conſilio, requiſitioni, & admonitioni faciendæ per reverendos patres epiſcopum Dunkeldenſem, poſtulatos candidæ caſæ, & Roſſenſem; nec non probos & doctos viros magiſtrum Johannem St. T. Clar, decanum de Reſtalrig fratrem Joannem Griſoun, provincialem ordinis fratrum Prædicatorum hujus regni, & facultatis theologicæ univerſitatis S. Andreæ, Civitatis decanum, Joannem Wynrame, ſacræ theologiæ profeſſorem, monaſterii eccleſiæ metropolitanæ S. Andreæ ſuppriorem; ut ipſi inquirant de obſervatione præſentis ſtatuti per eoſdem tam per ſe quam de correctione exercenda in inferiores pro obſervatione ejuſdem. Et ut commodius dicti inquiſitores ſuo fungantur munere, convenient Edinburgi bis ſingulis annis, primo vid. maii, & 15. Januarii, ubi diligenti inquiſitione præhabita per dictos ſex, quinque, aut ſaltem quatuor illorum, ſi quid emendatione dignum deprehenderint, primum prædictos reverendiſſimos archiepiſcopos chriſtiano more & charitative admoneant; deinde provinciali concilio, ſi neceſſe fuerit, referant; poſtremo ſanctiſſimo noſtro papæ abſque ulla mora aut concluſione, prout coram ſummo judice reſpondere voluerint, intiment & notificent; & ſi quemquam ex dictis ſex, extra regnum fore, aut vita defungi contigerit, licebit cæteris alium in locum absentis vel demortui ſurrogare. Præterea concilium hoc decrevit, ut tam archiepiſcopi, quam epiſcopi curent prædictum ſtatutum concilii Baſilienſis dein continentia obſervandum in omnes & ſingulos abbates, priores, commendatarios, & alios quoſcunque inferiores clericos exemptos ſuarum diœceſeon reſpective, aliter abſque præjudicio ſui ordinis.

II. Circa proles eccleſiaſticorum.

Inhibet præterea hæc ſynodus, ne qui prælati, aut alii eccleſiaſtici inferiores ſuas proles ex concubinatu ſuſceptas, in ſuis familiis, aut conſortiis alant, aut teneant; & ne ultra quatriduum, et id non palam, ſingulis trimeſtribus in eorum familia morentur, ſub pœnis ducentarum librarum, prima vice per archiepiſcopum in præmiſſis culpabilem, & centum librarum per epiſcopum, aut alium prælatum, ſub pœna arbitraria in alios inferiores clericos, arbitrio ordinarii injungenda, levanda, & in pios uſus applicanda, & tertio quadruplicanda.

III. De non promovendis filiis presbyterorum in eccleſiis paternis.

Vetat quoque, ne ullus archiepiſcopus, aut alius prælatus ſuas proles directe, aut indirecte ad beneficia quæcunque eccleſiaſtica in ſuis eccleſiis promoveat, aut promoveri patiatur; alioqui promotio vel proviſio

ANNO CHRISTI 1559.

visio desuper concessa, ipso facto nulla sit & invalida, sic quod licitum sit superiori, vel cui devolvitur potestas conferendi tale beneficium, libere conferre clerico idoneo, cui voluerint; non obstante prædicta collatione, vel provisione antea contra juris dispositionem, & præsentis statuti tenorem facta. Et ut præsens statutum debitum sortiatur effectum, concilio visum est expedire reginam obnixe rogandam, quatenus literas supplicatorias ad SS. D. N. papam mittat, eidem sanctitati supplicando, ut nullas dispensationes adversus prædictum statutum inposterum concedat. Et si fraudolenter, nulla mentione habita hujus statuti, obtentæ fuerint, ipso jure nullæ sint & irritæ.

IV. De non elocandis filiabus prælatorum, & ecclesiasticorum baronibus de patrimonio Christi.

Inhibet similiter hæc præsens synodus, nequi prælati, aut quicunque ecclesiastici per se vel alios eorum nomine, filias suas baronibus, aut aliis terrarum dominis supra summam centum librarum annui hæreditarii proventus habentibus, de patrimonio Christi dotent, aut in matrimonio collocent, sub pœna tantundem pecuniæ, quantum dotis nomine promissum, datumve fuerit, solvendi, & in alium usum exigendi, inque pios usus disponendi; neque etiam filios suos barones aut terrarum dominos ultra summam centum librarum annui hæreditarii proventus efficiant, sub pœna tantumdem levandi, & repetendi, quantum terræ valuerint; terras autem ecclesiasticas, aut alias ad eorum beneficia spectantes, vel decimas dictis suis partibus & concubinis directe vel indirecte nullo modo alienent, vel assedent; quod si secus factum fuerit, cassæ sint locationes & assedationes ipso facto & jure.

V. De familiis & servitoribus ecclesiasticorum.

Statuit præterea hæc synodus, ut nullus prælatus aut ecclesiasticus, cujuscunque status, gradus, dignitatis, aut præeminentiæ existat, teneat, aut alat in sua familia, vel comitatu, aut ullo quotidiano officio, quascunque personas de hæresi suspectas aut qui sacrosanctæ missæ sacrificio, & aliis divinis officiis interesse dedignantur, diebus saltem dominicis, & majoribus festis, vel qui contemnunt ecclesiæ Sacramenta, vel qui contra fidem catholicam, et orthodoxorum patrum sententiam erroneas teneant opiniones; sed statim ubi hujusmodi reperti fuerint culpabiles, ab eorum consortio, servitio & familia removeantur, prout iidem prælati respondere voluerint coram summo judice; ac desuper fiat diligens inquisitio per ordinarios, sub pœnis ducentarum librarum in singulos archiepiscopos & alios prælatos, abbates, priores, & commendatarios in præmissis culpabiles, pro prima vice, & duplicanda pro secunda vice, & tertia vice triplicanda; & sic deinceps arbitraria in ecclesiasticos inferiores arbitrio ordinariorum.

VI. Ne clerici exerceant mercaturam.

Similiter statuit decretum prioris concilii mercaturam, & secularia negotia per ecclesiasticos vetans, & prohibens, ad unguem observandum; addendo, quod si qui prælati, aut alii ecclesiastici per se, vel alios emant victualia, pisces, sal, bissinum, lanam, vel alias quascunque merces lucri causa, ut empta revendant, hujusmodi merces, aut eorum valores a tali clerico negotiatore exigantur, & leventur pro prima vice (nomine multæ intelligitur poena aliqua arbitraria, quæ imponitur ad arbitrium) et si talis clericus negotiator continuaverit, exigatur duplum ejusdem per ordinarium loci, vel superiorem ejusdem in pia opera applicandum.

ANNO CHRISTI 1559.

VII. De habitibus.

Statutum est et ordinatum, quod constitutiones prioris concilii de habitibus et tonsura clericorum, et ecclesiasticorum virorum executioni demandentur, etiam in ipsos abbates, priores, commendatarios, & alios quoscunque beneficiis ecclesiasticis gaudentes, sub poena amissionis quartæ partis proventuum suorum beneficiorum per ordinarium vel superiorem levandæ, et piis usibus applicandæ, pro prima vice .... Hortatur similiter omnes et singulos archiepiscopos et episcopos hujus regni, quatenus in publico et in ecclesia semper indumentis lineis, vid. suis rochetis congruis temporibus utantur.

VIII. De celebratione horarum canonicarum, & de sacrificio missæ.

Præterea hoc præsens concilium rogat, & in visceribus Jesu Christi hortatur omnes, & singulos prælatos, & alios quoscumque ecclesiasticos, ut frequentius solito sacrosanctum missæ sacrificium in conspectu populi celebrent ad Dei honorem, quo facilius populum christianum ad pietatem & religionem moveant; inquirant quoque ordinarii, an sacerdotes & beneficiati dicant, & quotidie recitent horas canonicas & alia divina officia, & interfint sacrificio missæ, saltem diebus dominicis, et aliis festis; et ad hoc per ordinarios moneantur, & compellantur sub poenis arbitrariis in ipsos infligendis.

IX. De visitatione monasteriorum.

Insuper decrevit, quod statutum prius editum pro visitatione monasteriorum, monachorum, & monialium diligenter observetur, & quod ordinarii per seipsos, aut eorum fide dignos commissarios visitent singula monasteria etiam exemptorum intra suas dioeceses, secundum formam concilii Tridentini, & de singulis, quæ corrigenda sunt, inquirant, et corrigant; et curent; ut sufficiens numerus religiosorum in illis sustentetur per facultates et reditus loci, ut honeste tractentur tam monachi, quam moniales in victu, vestitu, et in aliis neces-

ANNO CHRISTI 1559.

fariis; et ut loca diruta, et dilapsa reparentur, et ipsi ordinarii diligenter prædictum statutum exequantur, prout respondere voluerint coram summo judice; et quod priorissæ monialium per ordinarios moneantur, et compellantur ad reddendum computum, et ratiocinium omnium et singulorum proventuum suorum respective monasteriorum ipsis locorum ordinariis singulis annis, sub poenis et censura ecclesiastica.

X. De reparationibus ecclesiarum.

Item ordinat præsens synodus et decrevit, ut ecclesiæ quæcunque intra regnum Scotiæ dirutæ et dilapsæ reædificentur, et reparentur in parietibus, tectis, ornamentis, et omnibus necessariis, a rectore et parochianis reparari solitis, et ad hoc per sequestrationem fructuum per ordinarios compellantur, et quod dirigantur literæ monitoriales contra rectores, eorum firmarios pro reparatione earumdem, et fiat diligens inquisitio per ordinarios contra infringentes imagines, violatores, combustores ecclesiarum, et coram ordinariis vocentur, secundum juris dispositionem, et canonicas sanctiones puniendi; et pari modo procedatur contra parochianos pro reparationibus navium ecclesiarum, et murorum coemeteriorum. Vocentur quoque violatores sequestri, et puniantur, prout de jure; statuit præterea, ut nullæ arbores in coemeteriis ecclesiarum plantatæ, et crescentes ex quavis causa scindantur, aut exscindantur nisi ex speciali causa consensu ordinarii, rectoris, vicarii, et parochianorum ipsius parochiæ, et ecclesiæ, & qui in hoc culpabiles invenientur, coram ordinario vocentur, et puniantur, non solum in extimationem, et valorem arboris excisæ, & ablatæ, verum etiam in damnis et interesse, arbitrio ordinarii moderandis; verum si quæ arbores ob vetustatem, vel aliquo casu fortuito deciderint, fabricæ ipsius ecclesiæ applicabuntur.

XI. Quod beneficiati compellantur ad receptionem sacrorum ordinum, & de pluralitate beneficiorum.

Approbat similiter hoc præsens concilium statuta in prioribus conciliis edita, quod singuli plura beneficia ecclesiastica obtineutes, per locorum ordinarios inter hinc & primum diem mensis augusti proximi vocentur ad exhibendum suas dispensationes, si quas habeant, juxta tenorem cap. *ordinarii* de officio judicis ordinarii lib. 6. singuli quoque beneficia ecclesiastica obtinentes per locorum ordinarios ante dictum diem similiter vocentur, et qui minime sacris ordinibus initiati fuerint ad susceptionem ordinum suis beneficiis requisitorum, aut iisdem suis beneficiis renunciandum censura ecclesiastica, et sub pœnis in cap. *licet ea* de ele. lib. 6. per ordinarios compellantur, ne de altari vivant, qui altari inservire dedignantur.

XII. De curatorum stipendiis.

Confirmat quoque et approbat præsens synodus statutum in concilio, editum, quod singuli curati annuatim summam viginti marcarum monetæ Scoticanæ cum manso et horto, pro suo annuo stipendio, et salario habeant; quod in dioecesibus Aberdonensi, Rossensi, Moraviensi, Cathanensi, et Oreadensi observari decrevit. In aliis vero dioecesibus hujus regni singulis curatis summa 24. marcarum annuatim pro suo stipendio et salario persolvatur, cum manso et horto solitis et consuetis.

Item vicarii pensionarii per locorum ordinarios ad personalem residentiam sub privationis poena compellantur.

XIII. De posnis delinquentium & de excessibus.

Statuit præterea et ordinavit hæc synodus, quod statutum circa officium decanorum ruralium, in priori concilio editum debitæ executioni demandetur, et ulterius brachii secularis auxilium invocetur contra impedientes decanos rurales, ac commissarios ordinariorum in visitatione ex executione sui officii, et similiter contra parochianos citatos super, assissiis et inquisitionibus contumaces, aut respondere super articulis recusantes. Insuper statuit, ut crimina laicorum ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinentia, per publicas poenitentias in parochia, in qua delictum est commissum, vel apud cathedralem ecclesiam, ut ordinario et suis commissariis visum fuerit, secundum qualitatem et quantitatem delicti puniantur et corrigantur, et invocetur auxilium brachii secularis contra inobedientes: et similiter procedatur super excessibus clericorum juxta juris exigentiam. Verum quia nonnulli poenas pecuniarias ab hujusmodi delinquentibus exigere, levare, et in suos primos usus convertere dicuntur; statuit quod hujusmodi poenæ pecuniariæ, ad quas solvendas sponte sese obligant delinquentes, vel pro quibus cautionem invenerint in pios usus, partim intra parochiam, ubi delictum est commissum, partim alibi arbitrio ordinarii disponantur. Et quo præsens statutum debitum sortiatur effectum, quilibet ordinarius eligat tres aut quatuor sui capituli, aut alios probos et discretos viros ecclesiasticos, qui de delictis hujusmodi, et eorundem poenis cognoscant, ut eaidem moderentur; et quod aliqui ex eisdem poenas pecuniarias in delinquentes injunctas exequantur, et recipiant, et de consilio ordinarii ad prædictos et alios pios usus applicent, prout respondere voluerint.

XIV. De prædicatione verbi, & circa neglectam doctrinæ reformationem.

Hoc præsens concilium approbat singula statuta in priori concilio pro prædicatione verbi Dei edita, et debitæ executioni demandanda decrevit; quibus etiam addit ut singuli episcopi per se non solum quater in

anno

ANNO CHRISTI 1559.

anno, prout in priori concilio ſtatutum erat, in ſuis dioeceſibus prædicent, verum etiam frequentius, quoties commode per eosdem fieri poterit ſecundum formam & tenorem conſtitutionis concilii generalis in cap. *inter cætera*, de officio judicis ordinarii, & contra negligentiam inquiratur in proximo concilio provinciali. Et ſinguli etiam epiſcopi quolibet biennio ad minimum ſuas dioeceſes integras per ſeipſos complete viſitent. Et inter viſitandum per ſe, & per alios verbum Dei prædicent, & quæ corrigenda invenerint, diligenter reforment & corrigant; & archidiaconi ad ſequendum ſuum officium in viſitando compellantur ſub poenis in jure communi & ejus diſpenſatione contentis, & hoc ultra viſitationes fieri ſolitas per archidiaconos & decanos rurales, aut epiſcoporum commiſſarios. Et præterea decrevit concilium ſtatutum prioris concilii pro ſuſtentandis per ordinarios canoniſta & theologo in ſingulis eccleſiis cathedralibus ante proximum concilium executioni demandandum, & quod ſinguli archiepiſcopi & epiſcopi in familia ſua theologum habeant.

XV. De prædicatione facienda per alios eccleſiaſticos.

Inſuper, ut frequentioribus verbi Dei prædicationibus inſtruatur populus, ſtatutum eſt, ut eccleſiarum parochialium rectores, qui de judicio ordinarii ad prædicandum fidei rudimenta ſuis parochianis habiles & idonei cenſebuntur, per ſe non ſolum quater in anno, ut antea in priori concilio ſtatutam erat, ſed etiam frequentius, ad diſcretionem ordinarii, prædicent ſub poena amiſſionis quartæ partis fructuum ſuorum beneficiorum, per ordinarium loci levandorum, & in pios uſus applicandorum; his vero, qui juvenes ſunt, & inidonei ad prædicationis munus debite exequendum, per ordinarios injungatur, ut ſeſe ad hoc quamprimum reddant per ſtudia in gymnaſiis publicis habiles, & interim per alios prædicatores ſuis ſumptibus per ordinarios examinandos & admittendos prædicari, & ſuas vices ſuppleri faciant; donec de alio juris remedio opportuno fuerit proviſum; & ad illud munus, ut dictum eſt, obeundum, ſinguli tales rectores prædicatores ſuos conducant, & cum ipſis conveniant, & ordinario præſentent ante primum diem Auguſti proximi. Grandævi autem, qui quinquageſimum annum exceſſerint, & antea non ſunt ſoliti concionari, hoc ipſum ſimiliter per alios fieri procurent, quibus etiam aſſiſtant, & eorum propria præſentia prædicatoribus ipſis majorem honorem addent & auctoritatem; & hoc præter & ultra communes inſtructiones & catechiſmi lectiones ſingulis diebus dominicis, & aliis majoribus feſtivis, cum non ſit concio, per curatos & penſionarios fieri ſolita: & ſimiliter epiſcopi, abbates, priores, prioriſſæ, commendatarii, adminiſtratores, præpoſiti, portionarii eccleſiarum, & quicunque præſunt eccleſiis cujuscunque monaſterii, menſis epiſcopalibus, capitulis & collegiatis unitis & annexis procurent verbum in ſuis eccleſiis prædicandum per ſe, aut alios idoneos prædicatores, per ordinarium dioeceſanum examinandos & admittendos, cum quibus conveniat, & eosdem ordinario præſentent ante dictum primum diem menſis Auguſti: quo quidem primo die menſis Auguſti elapſo, & dictis concionatoribus minime conductis, & ordinario præſentatis, quilibet ordinarius quartam partem fructuum cujuſcunque eccleſiæ, cui de prædicatore minime proviſum fuerit, exiget, & levabit, quos partim ad ſuſtentationem prædicatorum applicabit, & partim in alios pios uſus diſtribuet & diſponet.

XVI. De uniformi doctrina per ſingulos prædicatores obſervanda.

Approbat ſimiliter hoc præſens ſynodus ſtatutum in priori concilio editum de methodo & forma prædicationum a prædicatoribus obſervanda, addit quoque hoc præſens concilium, ut nullus officium prædicandi verbum Dei aſſumat, niſi prius per ordinarium loci examinatus, & legitime ad hujuſmodi prædicationis munus exercendum admiſſus fuerit; & prædicatores admiſſi in his, quæ circa negotia fidei, & religionis chriſtianæ, ſacræ ſcripturæ, ſanctorumque doctorum & patrum approbatorum teſtimoniis, eccleſiæ quoque catholicæ, & conciliorum generalium auctoritate decreta ſunt, ſedulo ac diligenter inter concionandum ſeſe exerceant, populumque in illis inſtruant, præſertim circa articulos ſubſequentes.

Sequuntur articuli de traditionibus eccleſiæ.

Articulus I.

Certa fide tenendum eſt, non ſolum quod expreſſe nobis atque aperte per ſcripturas traditur, verum etiam quidquid eccleſia ſancta catholica, aut univerſale concilium legitime congregatum, credendum tradidit, definit, & concludit; & ſimiliter quicquid obſervand. præcepit, quod ad bonos mores attinet, obſervari debet; & contrarium pertinaciter aſſerere hæreticum eſt.

Appendix.

Eccleſiæ traditiones & ordinationes, ut quæ de jejuniis, ciborum abſtinentiis, & electu, feſtorum celebrationibus ſeu feriationibus, & id genus aliis ad ſui obſervationem publice & privatim chriſtianos obligant.

De ſanctorum veneratione & invocatione.

Articulus II.

Recte fit in eccleſia, quod ſanctos cum Chriſto in coelis agentes veneramur & invocamus, ut pro nobis orent, quorum precibus & interceſſione Chriſtus hic nobis multa largitur, per quos & in terris multa miracula operatur.

De

ANNO CHRISTI 1559.

De recto imaginum usu.

Articulus III.

Imagines Christi & sanctorum sunt licitæ ad eorumdem repræsentationem & imitationem, & eædem absque ludibrio & opprobriis reverenter tractandæ sunt.

De purgatorio post hanc vitam.

Articulus IV.

Firmiter credendum est post hanc vitam esse purgatorium pro animabus in quo poena adhuc debita peccatis exsolvitur; quibus tamen subvenitur piis vivorum operibus, quo citius liberentur.

De existentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ sacramento.

Articulus V.

In Eucharistiæ sacramento est reipsa verum corpus Domini nostri Jesu Christi; hoc est, vera caro & verus sanguis ejusdem, immo totus Christus; Deus & homo: unde in eadem non panem, non vinum, non easdem etiam, quæ oculis corporeis obiiciuntur, species, sed Dominum nostrum Jesum Christum crucifixum recte adoramus, sive in missa, sive extra missam, ubicunque eucharistia reposita fuerit, aut quoties in supplicationibus publicis a sacerdote circumfertur.

De laicorum communione sub una tantum specie.

Articulus VI.

Non est laicis ad salutem necessaria sub utraque specie communio, sed juxta legitimam ecclesiæ sanctionem sub altera tantum panis vid. sacramentum exhibere sufficit, in quo carnem & sanguinem atque adeo totum Christum sub una duntaxat specie sumi credendum est.

De utilitate missæ.

Articulus VII.

Missæ sacrificium in recordationem passionis Christi institutum, ejusdem passionis virtute vivis & mortuis prodest.

De legitimo sacramenti eucharistiæ ministro.

Articulus VIII.

Evangelico tantum sacerdoti secundum ecclesiæ ritum legitime ordinato eucharistiæ sacramentum benedicendi, consecrandi, aut ministrandi potestas concessa est.

XVII. De exhortationibus ante ministerium sacramentorum.

Insuper ut populus Christianus sacramentorum ecclesiæ verum effectum, vim, ac usum facilius ac commodius intelligere valeat, statuit hoc præsens concilium quasdam catholicas exhortationes, easque succinctas declarationes sacramentorum baptismi, sacrosanctæ eucharistiæ, extremæ unctionis, matrimonii auctoritate hujus concilii edendas, & inferius inserendas, quas singuli parochi, vel alii presbyteri eorundem sacramentorum legitimi ministri, ipsa sacramenta ministraturi, singulis suam propriam & debitam exhortationem præmittant, & publice & distincte recitent; & legant singuli curati & vicarii, dum sacræ missæ sacrificium diebus dominicis & aliis majoribus festis sunt celebraturi, infrascriptam exhortationem; & ejusdem sacrificii declarationem publice in ecclesia similiter legant, quo populus christianus majori pietatis affectu rebus divinis assistat, & intersit, & idem observent episcopi in ministratione sacramentorum, confirmationis & ordinis, & confessarii sacerdotes in sacramento pœnitentiæ, quæ quidem exhortationes in calce (*a*) hujus concilii inscribuntur.

XVIII. De religiosis ad universitates mittendis.

Statuit & decrevit præsens synodus, quod statutum antea desuper editum executioni mandetur circa religiosos, ad universitates gratia studii mittendos; & singuli abbates, priores, & commendatarii exhibeant & præsentent ipsis ordinariis nomina eorum, qui mittuntur ad universitates, intra hinc & primum diem mensis Augusti proximi, & similiter testimoniales literas ipsius universitatis, in qua fuerint recepti, & desuper diligens inquisitio per ordinarium fiat.

XIX. De qualitate promovendorum ad beneficia.

Hæc præsens synodus diligenter attendens quamplurima oriri scandala in ecclesia Dei, dum inidonei ætate, moribus, & doctrina assumuntur, & ad ecclesiastica beneficia promoventur, statuit & decrevit, ut nullus inposterum assumatur, aut quovis modo promoveatur ad quodcunque ecclesiasticum beneficium per ordinarium loci, vel quemcunque alium, ad quem de jure vel consuetudine collatio vel provisio, seu quævis alia dispositio pleno jure, & aliter ad præsentationem alicujus patroni pertinet, nisi præsens per ordinarium diligenter examinatus, ab eodem inveniatur idoneus ad exercendum & implendum officium tali beneficio annexum: alioqui collationes, provisiones, & dispositiones hujusmodi eo ipso nullæ sint & invalidæ; & eo in casu potestas disponendi & conferendi, ea vice duntaxat, ad superiorem, cui de jure provisio

(*a*) I
clarati
nes ha
MS. I
ziano
omissa
sunt.

ANNO CHRISTI 1559.

visio in casu devoluto pertinet, devolvatur, acsi hujusmodi collatio minime facta fuisset. Et pro observatione præsentis statuti concilium decrevit serenissimam dominam nostram reginam obnixe & humiliter deprecandam, ne quemquam ad episcopatum, monasteria, prælaturas, seu quodcunque aliud beneficium ad præsentationem, seu supplicationem, aut nominationem regiam spectans & pertinens, nominet, præsentet, aut promovere patiatur, nisi moribus, scientia, & ætate ad officium dicto beneficio incumbens ad Dei honorem, & populi ædificationem exercendum idoneus, & qualificatus reperiatur; onerando conscientiam domini ordinarii admittentis seu conferentis, ne in districto Dei judicio sanguis pereuntium de ejus manibus requiratur. Et pari modo concilio expedire visum est, literas supplicatorias ad sanctissimum dominum nostrum papam mittendas, ne quemquam ad prælaturas, vel alia quæcunque beneficia promoveat, aut promoveri patiatur, nisi ætate, moribus, & scientia idoneum.

XX. *De executoribus testamentorum dativis.*

Hæc synodus provincialis volens & cupiens damno & indemnitati prolium, pupillorum, & aliorum in rebus & bonis ab intestato decedentium interesse habentium occurrere, & de remedio providere, statuit & decrevit, ac ordinavit, quod in futurum nulli dentur aut confirmentur executores dati ad bona ab intestato decedentium, vel extra testamenta emissa, nisi prævio edicto publico tempore divinorum in ecclesia parochiali defuncti, saltem per quindecim dies antea citando intromissores bonorum talis defuncti, & omnes alios interesse habentes, debite executo, & indorsato, & vocato; & quidam magis idonei juxta discretionem ordinarii de proximioribus agnatis, vel cognatis defuncti, si comparuerint, in executores dativos confirmentur, cum tamen sufficiente cautione de fideli & debita dispositione & administratione bonorum & computo ad finem anni a die confirmati testamenti computandi reddendo & faciendo; nec non de debita responsione solutionis debitorum evictorum creditoribus, si qui sunt pro rata bonorum, absque tamen præjudicio bonorum pertinentium uxori & prolibus defuncti, & casu, quo agnati cognati sunt, ut præmittitur, citati recusaverint onus executoriæ acceptare, vel non comparuerint, constituantur per ordinarium alii viri probi, & boni testimonii, qui illud officium cum simili cautione debite exequantur: prohibet quoque, ne qui locorum ordinarii sibi ipsis aut suis familiaribus aliqua de dictis bonis, præter quotam solitam, recipiant, vel assignent.

XXI. *De mortuariis.*

Item in relevamen & subsidium pauperum, ad tollendum strepitum & murmur contra mortuaria obloquentium eadem in futurum solvenda, prout sequitur, decrevit; videlicet defunctorum bonis in inventario, debitis abstractis, in debitas partes divisis, ubi defuncti pars ad decem libras monetæ Scoticanæ tantum se extenderit, vicario illius ecclesiæ in compositione pro annuali sine mortuario persolvi solito, & veste superiori solvantur quadraginta solidi tantum; & ubi defuncti pars ad summam decem librarum se non extenderit, sed infra eandem summam usque ad viginti solidos respective in compositione, de qua supra, solvatur vicario de dicta parte defuncti, pro rata quadraginta solidorum de decem libris; & quando defuncti pars viginti solidos non excesserit, nihil inde solvatur pro mortuario, vel veste superiori. Si vero defuncti pars ultra summam decem librarum dictæ monetæ Scoticanæ se extenderit, tum satisfaciat vicario pro præmissis, ut antea consuetum est, non obstante præsenti constitutione. Circa barones vero & burgorum incolas servetur vetus consuetudo. Si qui autem defunctorum justa inventaria non fecerint, aut bona in ipsis inventariis contenta juste non extimaverint, tunc per ordinarios in vicariorum favorem de remedio provideatur opportuno: & in singulis episcoporum synodis hoc ipsum statuatur & publicetur, non obstante præcedenti constitutione.

XXII. *De terris ad ecclesias spectantibus in feudi firmam, seu emphitheosim minime locandis.*

Pensato diu ecclesiæ incommodo, subditorum hujus regni depauperatione, & magno inde exorto, præsertim belli tempore, & alias, defectu habilium pro tuitione regni virorum, dispendio per locationem terrarum ecclesiæ spectantium in feudo, emphitheosi, & aliis assedationibus & arrendationibus, aliis personis, quam antiquis nativis tenentibus, possessoribus & elaboratoribus terrarum; vetat & prohibet præsens concilium, ne quis archiepiscopus, episcopus, abbas, prior, prioriſſa, commendatarius, præpositus, decanus, usufructuarius, præceptor, minister ecclesiæ cathedralis & collegiatæ canonicus, præbendarius, rector, vel vicarius, seu quivis alius ecclesiasticus sæcularis vel regularis quascunque terras, ad suum beneficium pertinentes, deinceps locet, concedat, aut arrendet in emphitheosim, vel assedationem quamcunque longam vel brevem, nisi duntaxat tenentibus & elaborantibus earundem; & si quas tales terras contra præsentis constitutionis tenorem locari contigerit, earundem locationes, sive ad feudum, sive ad certos annos fiant, ipso jure nullæ existant & invalidæ cum decreto irritante. Et archiepiscopi, prælati, & alii ex prædictis ecclesiasticis dignitatibus & beneficiatis, terras taliter principaliter in feudum, vel ad annos locantes, tertia parte fructuum illius beneficii, cui tales terræ pertinent, pro uno anno mulctabuntur, per superiorem suum levanda, & ad pios usus applicanda; & eadem

ANNO CHRISTI 1559.

dem poena canonici, & præbendarii ex cathedralibus & collegiatis ecclesiis in tertia parte suorum beneficiorum, ac religiosi ex conventibus religiosorum & monasteriorum in tertia parte suæ portionis pro uno anno, simili modo in pios usus arbitrio ordinarii dioecesani applicanda, punientur; ipsis nihilominus alienationibus, seu locationibus contra præsentis statuti tenorem factis seu fiendis, nullis omnino existentibus & invalidis ipso facto & jure, super quibus uniuscujusque dioecesis ordinarius singulis annis tenebitur diligenter facere inquisitionem. Et præterea statutum est casu, quo aliqui ex dictis tenentibus & terrarum laboratoribus, qui tales locationes obtinuerint, aut quos in posterum obtinere contigerit easdem in manibus superiorum, in favorem quorumcunque, ex quavis causa resignare voluerint; tum eo in casu non licebit dictis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prælatis, vel aliis dictis ecclesiasticis beneficiatis in dictis feudis vel locationibus recipere vel admittere quoscumque alios existentes majoris gradus & potentioris, quam dicti resignantes extiterint, dummodo sufficientes fuerint ad hujusmodi terras occupandas, & pro eisdem juxta tenorem locationis respondendis; proviso tamen, quod si contigerit dictos tenentes & laboratores fundorum deficere in solutione censuum, vel aliud committere, propter quod hujusmodi locationes amittere debeant, & ab illis juste amoveri, eo casu licebit dictis prælatis & ecclesiasticis beneficiatis, talibus tenentibus amotis, vel easdem terras suis propriis bonis occupare, (a) vel aliis personis non majoris gradus & conditionis, sufficientibus tamen laboratoribus, & non aliis locare, sub poena tertiæ partis fructuum supradictorum, necnon nullitatis hujusmodi locationis fructuum ipso facto & jure. Quantum vero ad glebas ecclesiasticas attinet, vetat & prohibet præsens synodus, ne ullo modo, aut ex quavis causa in feudum seu emphitheosim locentur, aut etiam ultra triennium, & hoc duntaxat laboratoribus & occupatoribus earundem de præsenti eisdem possessis, & non aliis, sub poenis supradictis; præsenti statuto pro quinquennio proxime futuro duntaxat duraturo.

(a) forte *applicare*.

XXIII. *De decimis.*

Statutum item & ordinatum extat in favorem pauperum colonorum et agricolarum, quod decimæ garbales, quæ de præsenti in manibus seu libera dispositione archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum, commendatariorum, prioriſſarum, monialium, præpositorum, ecclesiarum tum cathedralium, quam collegiatarum, canonicorum, vel præbendariorum, rectorum, seu aliorum quorumcunque ecclesiasticorum virorum, tam religiosorum quam secularium, aut per ipsos viros ecclesiasticos ad eorundem proprios usus colligantur, aut ipsis colonis et agrorum laboratoribus locentur et assedentur, nisi ipsorum colonorum obstat malitia nolentium; videlicet pro decimis hujusmodi ecclesiasticis viris reditus consuetos et persolvi solitos, saltem communiter ad decennium jam proxime persolvere, et sufficientem cautionem pro solutione fienda præstare. Quod si ipsis colonis seu occupatoribus terrarum recusantibus tales decimas, aliis locare contigerit, tunc hujusmodi locatio pro triennio duntaxat fiat; alias vero decimas, quæ in aliorum manibus ad longum vel breve tempus sive super literas assedationis ..... sive tolerantia existunt, omnibus modis tenentur ecclesiastici viri, ad quos earundem decimarum locatio pertinet, ipsis colonis seu terrarum occupatoribus, ut supra locare; quod si commode id efficere nequeant, omni saltem ingenio talem conditionem cum decimis hujusmodi de novo conducentibus inire studeant, quod colonis sive laboratoribus juxta ratam occupationis eorundem moderato pretio seu æstimatione locentur tales decimæ, ne adversus ecclesiasticos viros tali occasione oriantur scandala, aut murmur invalescat in posterum; super quorum executione singulorum onerantur conscientiæ, prout in die judicii respondere voluerint; præsenti tamen decreto pro quinquennio duntaxat duraturo.

XXIV. *De abbreviatione processuum curiarum consistorialium & officio procuratorum.*

Statuit præterea omnia et singula statuta in priori concilio edita pro abbreviatione processuum curiarum consistorialium, & officio procuratorum observantiæ et debitæ executioni demandanda, et quod in omnibus causis summariis procedatur summarie, & de pleno sine strepitu judicii, amputatis dilationibus, quantum de jure fieri poterit. Quæ vero sint causæ summariæ in calce præsentis concilii inferentur; addendo insuper, quod quicunque procurator vel advocatus frivolam exceptionem replicandam, duplicandam, triplicandam, quadruplicandam in judicio exhibuerit, seu aliter manifeste deprehensus fuerit, pro prima vice poena 40. solidorum, pro secunda vice quinque librarum monetæ hujus regni, in pios usus, ad arbitrium judicis applicandorum absque remissione mulctetur, & tertia ab officio procurandi vel advocandi in ea curia in perpetuum suspendatur & removeatur.

XXV. *Quod nullæ absolutiones dentur ex motivis neque ad effectum agendi.*

Statuit similiter, quod nullæ deinceps per archiepiscopos, episcopos, eorumve officiales & commissarios, vel alios quoscunque judices ecclesiasticos, ordinarios, vel delegatos, dentur absolutiones a sententiis excommunicationis, & aliis censuris ecclesiasticis ex quacunque causa fulminatis, cum illa clausula *propter motiva; ex motivis*, vel similibus clausulis; sed vel concedantur simpliciter, vel inseratur causa in iisdem, propter quam dentur, alioquin nullius sint roboris vel momenti. Item quod in posterum nullæ dentur absolutiones a quibusvi-

sen-

ANNO CHRISTI 1565.

tentiis excommunicationis, & aliis cenſuris eccleſiaſticis, ex quacunque cauſa etiam contumaciæ fulminatis, ad effectum agendi, proſequendi, judicandi, vel alicujus membri curiæ officium exercendi, niſi duntaxat teſtimonii conferendi cauſa; alioquin nullæ ſint ipſo jure & invalidæ.

XXVI. Quod in capitulis omnia capitulariter gerantur.

Similiter ſtatutum eſt, quod in omnibus capitulis & conventibus, in quibuſcunque actibus capitularibus, omnia gerantur, et fiant capitulariter, et in loco capitulari, tam quoad conſenſum præſtandum, quam etiam quoad ſubſcribendum et ſigillandum; alioquin facta et geſta nulla ſint et invalida.

XXVII. De officialibus & commiſſariis epiſcoporum.

Statuit inſuper, quod officiales et commiſſarii ordinariorum ipſorumque delegati quicunque, ſint ſacerdotes, et aliter ſufficienter qualificati pro juriſdictione eccleſiaſtica exercenda; et ſinguli archiepiſcopi, epiſcopi, et alii juriſdictionem ordinariam habentes, hoc ſtatutum executioni demandent, infra hinc et primum diem menſis Junii, ſuperioribus negligentiam ſuorum inferiorum dicto die elapſo ſuppleturis.

XXVIII. De legitima ætate ſubditorum regni.

Præterea ſtatuit et declarat, ſubditos hujus regni, quamprimum viceſimum primum ætatis ſuæ annum compleverint, eſſe et debere cenſeri majores, ætatiſque perfectæ; et ita judicandum in foro eccleſiæ, quod et in foro civili de jure et conſuetudine hujus regni eſt obſervatum; et ſi quæ actiones coram judicibus pendent, ſecundum præſentis tenorem judicentur.

XXIX. De collectoribus poenarum.

Inſuper ſtatutum eſt, quod in ſingulis dioeceſibus per ordinarios deputentur tres aut quatuor eccleſiaſticæ perſonæ, habiles et ſufficientes ad collectiones et levationem omnium et ſingularum poenarum pecuniarumque ſtatutarum prædict. cum poteſtate easdem in pia opera, modis, quibus ſupra, et aliis legitimis, de eorundem ordinariorum reſpective conſilio diſponendi; qui etiam deputati tenebuntur in proximo conſilio provinciali diſpenſationis et diſpoſitionis ſuæ rationem reddere.

XXX. Quod ſinguli parochiani interſint miſſæ ſacrificio.

Item, quod a ſingulis ordinariis per eccleſiarum rectores leventur literæ monitoriales, ut ſinguli parochiani divinis officiis, et præſertim miſſæ ſacrificio devote interſint, ſingulis annis per decanos rurales, et alios commiſſarios contra eos, qui adeſſe dedignantur, diligens inquiſitio fiat.

ANNO CHRIST 1565.

XXXI. De forma literarum ordinariarum, & aliarum monitorialium & inhibitorialium exequendarum.

Statutum eſt, quod in futurum literæ monitoriales ſive inhibitoriales ſuper proviſionibus et collationibus beneficiorum, et ſuper decimis, dentur per locorum ordinarios, et eorum officiales ſub poena excommunicationis cum hac clauſula: *Quam pœnam in contrarium facientes ferimus in his ſcriptis, & quos vos ſic excommunicatos in eccleſiis veſtris & ubi epiſcopus fuerit, dominicis & aliis feſtivis diebus tempore ſummæ Miſſæ & divinorum excommunicatos denuncietis & publicetis.*

XXXII. De ratione pro minutis decimis & oblationibus ante Paſcha facienda.

Cum juxta apoſtoli ſententiam non ſolum ab omni malo, verum etiam ab omni ſpecie mali abſtinendum ſit, maxime vero circa eccleſiæ ſacramentorum adminiſtrationem, quæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut gratis inſtituit, gratis etiam fidelibus exhiberi & miniſtrari voluit; hinc ad evitandum populare murmur, præſertim tempore Paſchæ, dum in ſacramenti corporis & ſanguinis Chriſti miniſterio, in exigendis minutis decimis, et aliis quibuſdam oblationibus eccleſiæ miniſtros adeo contingit eſſe ſolicitos, ut in grave chriſtianorum ſcandalum rudi ſaltem populo, ſinguliſque, qui in eccleſia fuerint, ratione veſtimenti reddendi, videantur auguſtiſſimum illud ſacramentum venundare; ſtatuit et ordinat hæc ſynodus, ut eccleſiarum vicarii, prout ſingulis eorum manebit, cum ſuis parochianis paulo ante Quadrageſimam in menſe Februario pro decimis hujusmodi minutis, ſive perſonalibus ſive mixtis, aliis quoque oblationibus eccleſiæ debitis, rationem ineant, et ad hunc effectum literas monitoriales in forma debita a ſuis ordinariis reſpective levent, impetrent, et executioni demandari curent, ut in paſchali ſolennitate populus chriſtianus liberius orationi vacet, idemque ſacramentum ardentiori pietatis affectu, divinoque fervore percipiat, omni tunc temporis exactione penitus interdicta: ſpontaneæ autem fidelium oblationes, facto dicti ſacramenti miniſterio, ab eis, qui libere offerre voluerint, recipiantur; ac nihil exigatur, ut ſupra.

XXXIII. De baptizatione infantum ſecundum formam a Chriſto inſtitutam, & ab eccleſia receptam.

Quoniam Paulus Methvven, Willelmus Harlawe, Johannes Grant, Johannes Willocks, Johannes Patriz, & alii complures chatholicæ fidei & eccleſiaſticæ unitatis deſertores, non ſolum peſtifera hæreſeos dogmata diſſeminarunt, ſed & novum, inuſitatum, & nuſquam ab eccleſia catholica hactenus receptum baptizandi modum induxerunt, unde merito dubitari poſſit, utrum

ANNO CHRISTI 1559.

utrum infantes, ab eis & similibus sic baptizati, verum baptisma sint consecuti, necne; proinde ut hujusmodi omnis ambiguitas tollatur, & infantum saluti tutius ac melius consulatur; decrevit hæc synodus, ut tales infantes a sacerdotibus baptizentur secundum formam a Christo institutam, & ab ecclesia receptam, in qua quidem ecclesiæ forma sacerdotes proferant hæc verba: *si tu es baptizatus ego non te baptizo; sed si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris &c.* adiiciendo etiam aspersionem, oleum, & alia inter baptizandum observari solita. Atque ut dictum decretum ad honorem Dei & infantum salutem cito & facile sortiatur effectum, moneat patrem & matrem dictorum infantium, ut illos deferant aut deferendos curent ad suas ecclesias parochiales, & præsentandos vicario, curato, aut alii sacerdoti illius sacramenti legitimo ministro, & hoc ante quindecim dies monitionem talem proxime subsequentes, sub pœna excommunicationis majoris. Insuper prohibet præsens synodus, ne qui infantes imposterum baptizentur, nisi a sacerdotibus, & hoc secundum communem formam ecclesiæ, necessitatis articulo excepto, sub pœna excommunicationis majoris tam in patrem, quam in matrem, quam etiam in ministros, & patrinos, & matrinas, & aliis pœnis a jure statutis.

A

XXXIV. Ne sacramenta eucharistiæ aut matrimonii ministrentur, nisi secundum solitam formam ab ecclesia institutam.

Similiter prohibet hæc præsens synodus, ne quis inposterum præsumat ministrare sacramenta eucharistiæ & matrimonii, vel eadem recipere, nisi secundum solitam & consuetam formam ecclesiæ, hactenus rite observatam, & a sacerdotibus celebrari consuetam, sub pœna excommunicationis majoris, tam in ministrantes & celebrantes, B quam etiam in eadem suscipientes.

Apud ædem dominicanorum fratrum in concilio provinciali hujus regni Scotiæ incepto, ut supra, & finiendo seu finito die 10. mensis aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono.

Monitio sive intimatio concilii provincialis proxime futuri. Hæc præsens synodus significat, & intimat reverendis archiepiscopis, eorumque episcopis, suffraganeis, abbatibus, prioribus, commendatariis, ac omnibus aliis hujus regni ecclesiasticis viris, fore concilium Edinburgi in coenobio dominicanorum die dominica septuagesimæ proxime futura; ut illic diligenter consideretur, utrum omnia præsentis concilii decreta sint executioni demandata, atque ut ibidem mature consulretur de aliis rebus ecclesiasticæ disciplinæ, si quæ interim oriantur. Præterea vult præsens synodus, ut omnes ecclesiastici ordinis existiment se hac intimatione sufficienter monitos atque citatos ad dictum concilium proxime futurum.

C

PIUS

ANNO CHRISTI 1565.

PIUS PAPA IV.

Sedit ab anno 1559. usque ad annum 1565.

COLLECTORIS MONITUM.

ABsoluto Tridentino concilio, cæterorum quæ deinceps celebrata sunt per Christianum orbem conciliorum collectionem prætermissurum se Venetus Labbei editor profitetur. Nec sane plura dedit supra ea quæ necessaria duxit ut Labbeanam editionem fideliter repræsentaret. Quanquam excidisse illi quædam nova, Labbeo plane intacta scimus. Hujus ego consilii rigorem moderatione quadam temperandum ratus, omnia quidem omittam concilia facile obvia, cujus generis ea judico, quæ collectionibus conciliorum singularium gentium vel nationum ut Hispanica, Hungarica, Anglica offeruntur. Reliqua vero huc usque palantia nec adhuc in familiam redacta ut non negligerem & singulorum dignitas poscebat, & eruditorum desideria, ex difficultate alias habendi sollicitata efflagitare visa sunt. Acquiescendum illis duxi, præmonitis tamen lectoribus ne me accusent oscitantiæ, si nihil hic viderint eorum, quæ a Veneto collectore primum omissa, ex me fortasse quæsierint.

ACTA CONCILII PROVINCIALIS TRAJECTENSIS

Per reverendissimum & amplissimum dominum, D. Fredericum, Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopum Trajectensem,

Præsentibus reverendissimis episcopis comprovincialibus, abbatibus & prælatis, in civitate Trajectensi, & insigni ecclesia Metropolitana indicti & celebrati, anno dom. millesimo quingentesimo sexagesimo quinto.

SESSIO PRIMA

Habita die duodecima mensis octobris.

IN hoc concilio provinciali fuerunt præsentes, reverendissimus dominus noster archiepiscopus Trajectensis.

Reverendissimus dominus, Nicolaus a Nova terra, episcopus Harlemensis.

Reverendissimus dominus Nicolaus de Castro, episcopus Middelburgensis.

Reverendissimus dominus Joannes Knyff, episcopus Groningensis.

Reverendissimus dominus Remigius Drutius, electus & confirmatus Leovardiensis.

Reverendissimus dominus Joannes Mahusius, electus & confirmatus Daventriensis.

Qui quidem episcopi sunt comprovinciales reverendissimo domino archiepiscopo Trajectensi præfato.

Præter hos adfuit reverendissimus dominus Wilhelmus Lindanus, episcopus Ruremundensis, vocatus per reverendissimum dominum archiepiscopum Trajectensem, & admissus per suam reverendissimam Paternitatem Trajectensem in concilium, hoc, non ea quidem ratione, quod esset comprovincialis, sed subditus suæ P. reverendissimæ, tanquam decanus Hagiensis, & tanquam sacræ paginæ professor, cujus opera atque consilium suæ P. reverendissimæ Trajectensi usui esse poterit in hac synodo Provinciali.

Item fuerunt præsentes abbates S. Pauli Trajectensis, insulæ beatæ Mariæ partium Geldriæ, præpositus, & decanus metropolitanæ, præpositus S. Joannis, decani S. Salvatoris, S. Petri, S. Joannis, & S. Mariæ ecclesiarum Trajectensium, una cum magna copia canonicorum earundem quinque ecclesiarum Trajectensium.

Interrogati autem sigillatim per reverendissimum dominum archiepiscopum omnes antedicti episcopi comprovinciales, abbates, prælati, decani & canonici ibidem præsentes, an ne vellent recipere, acceptare, & parere statutis & decretis sacro-sancti concilii oecumenici generalis Tridentini factis, quantum ad fidem nostram catholicam, sacramenta & ritus ecclesiæ catholicæ spectaret, responderunt iidem episcopi comprovinciales, abbates, & archidiaconi, præpositi & decani ac canonici præsentes omnes, uno successive, ore, se amplecti omnia & singula, in dicto sacro concilio Tridentino acta concernentia fidem nostram catholicam, sacramenta & ritus ecclesiæ catholicæ, & se penes illa vivere velle & mori.

Insuper recepto a reverendissimo domino nostro archiepiscopo præfato, prædictis episcopis comprovincialibus, abbatibus, archidiaconis, præpositis, prælatis, decanis & canonicis hujusmodi responso, declaravit quoque sua P. reverendissima se quoque obviis ulnis amplecti antedicta sacri conci-

ANNO CHRISTI 1565.

lii Tridentini circa fidem catholicam, sacramenta & ritus ecclesiæ Dei decreta & concluſa.

Quibus peractis reverendiſſimus dominus Remigius Drutius, electus & confirmatus epiſcopus Leovardienſis, tam ſuo reverendiſſimi domini Joannis Mahuſii, electi & confirmati epiſcopi Daventrienſis nominibus, exhibuit antedicto domino noſtro reverendiſſimo archiepiſcopo litteras clauſas illuſtriſſimæ duciſſæ Parmenſis gubernatricis, ad antedictum reverendiſſimum dominum noſtrum archiepiſcopum ſcriptas, quibus innuit ſua celſitudo illuſtriſſima de ſuo conſilio & adviſamento antedictos reverendiſſimos dominos epiſcopos Leovardienſem & Daventrienſem ad hoc concil. provinciale, non obſtante eo quod nondum ſint conſecrati, admittendos eſſe, quo ſuis prudentia & conſilio in eadem ſynodo provinciali negotia ejusdem juvarent, dirigere, ſuaque prudentia doctrina et experientia tractare.

Deinde reverendiſſimus dominus epiſcopus Middelburgenſis, exhibuit quoque ibidem certum conſtitutionum & deputationum mandatum per decanum & capitulum eccleſiæ cathed. Middelburgen. de perſona venerabilis domini magiſtri Thomæ Mertuorſtii, canonici eccleſiæ collegiatæ S. Martini Middelburgenſis, factum, petens, quatenus reverendiſſimus dominus noſter archiepiſcopus eundem quoque dominum Thomam, ut procuratorem et commiſſarium antedictæ eccleſiæ cathedralis Middelburgenſis, ad hoc concilium provinciale ad deliberandum et tractandum admittere dignaretur.

Quem quidem dominum Thomam lecto prius ſuæ deputationis mandato, reverendiſſimus dominus archiepiſcopus ad idem concilium provinciale admiſit.

Quo facto ſolutum et dimiſſum fuit concilium per dictum reverendiſſimum dominum noſtrum archiepiſcopum in chriſtianæ diei horam nonam antemeridianam, quam ſua P. reverendiſſima præſentiibus hujus concilii hic in capitulo comparituris præfixit. Actum anno et die præſcriptis, in domo majori capitulari eccleſiæ Metropolitanæ Trajectenſis.

SESSIO SECUNDA

Habita die jovis, undecima menſis Octobris anno proxime præſcripto.

REverendiſſimus dominus noſter archiepiſcop. Trajectenſis expoſuit patribus concilii provincialis, qualiter ſancta ſynodus generalis Tridentina ſeſſione viceſima quinta, cap. ſecundo præceperit & mandarit, prout ſequitur.

Cogit temporum calamitas, et invalescentium hæreſum malitia, ut nihil ſit prætermittendum, quod ad populorum ædificationem et catholicæ fidei præſidium videatur poſſe pertinere; præcipit igitur ſancta ſynodus patriarchis, primatibus, archiepiſcopis, epiſcopis, et omnibus aliis, qui de jure vel conſuetudine in concilio Provinciali intereſſe debent, ut in ipſa prima ſynodo provinciali poſt finem præſentis concilii habenda ea omnia, et ſingula, quæ ab hac ſancta ſynodo definita vel ſtatuta ſunt, palam recipiant, nec non veram obedientiam ſummo Romano Pontifici ſpondeant et profiteantur, ſimulque hæreſes omnes a ſacris canonibus et generalibus conciliis, præſertimque ab hac eadem ſynodo damnatas, publice deteſtentur, et anathematiſent, etc. Idemque reverendiſſimus dominus noſter archiepiscopus Trajectenſis hæc inſequendo petiit, ut omnes patres hujus Provincialis concilii ita ut ſupra lectum eſt, faciant et ſubſcribant.

Comparuit eadem hac ſeſſione nomine reverendi domini abbatis ſancti Laurentii in Ooſtobrouck, venerab. D. Chriſtophorus Alberti, ejusdem conventus gubernator in temporalibus et ſpiritualibus deſignatus ob adverſam ipſius domini abbatis valetudinem, qui quoque per reverendiſſimum dominum noſtrum Trajectenſem ad hoc concilium fuit admiſſus.

Deinde præfatus reverendiſſimus dominus noſter archiepiſcopus Trajectenſis de communi conſilio et aſſenſu ſuorum epiſcoporum comprovincialium, admonuit et requiſivit omnes et ſingulos canonicos prædictarum eccleſiarum Trajectenſium barbas geſtantes, ut infra trium dierum ſpatium ſuas reſpective abradi faciant barbas, ad minus forcipe ad latum culmum, ita ut deſit in clero ſcandalum; idque ſub poena ſuſpenſionis a divinis, et privatione quotidianarum diſtributionum, et ad eum modum easdem ſuas barbas exinde abradi, et ſi velint, getere curent.

Eodem die reverendus dominus abbas in Dickelingen patriæ Transyſulanæ miſit fratrem Anthonium Bartholomæi ſacellanum ſuum, conventualem dicti monaſterii, excuſaturum eundem dominum abbatem, prout id latius contineri dixit in litteris ejusdem domini abbatis ad dominum decanum divi Petri Trajectenſis ſcriptis, et per hoc concilium provinciale tractanda et concludenda ſubſcripturum: quem reverendiſſimus dominus archiepiſcopus Trajectenſis ad dictum concilium provinciale admiſit; ſalva tamen reverendiſſimo Trajectenſi iteratione litterarum ad eundem ſuum abbatem ſcribendarum.

Quo facto reverendiſſimus dominus noſter archiepiſcopus Trajectenſis primo, deinde alii comprovinciales epiſcopi et abbates, ſtipulatione ſolemni mediante, receperunt, et acceptarunt decreta concilii Tridentini, quantum concernit orthodoxam fidem, ſacramenta et ritus eccleſiæ catholicæ, execrantes, deteſtantes, et anathematizantes omnes et ſingulas hæreſes per concilia generalia, et præſertim ſacrum concilium Tridentinum damnatas, ſpondentes et promittentes obedientiam ſummo pontifici in præmiſſis: abbates autem adjecerunt ſe quidem modo præmiſſo recipere, acceptare, execrari, deteſtari, et anathematizare, ſalvis juramento ſedi apoſtolicæ præſtito, necnon juribus et privilegiis ſuorum ordinum.

Deinde archidiaconi, prælati, decani et canonici quinque eccleſiarum Trajectenſium, (quorum nomina hic inferius ſunt inſerta) receperunt quoque et acceptarunt, ſtipulatione

ANNO CHRISTI 1565.

tione ſolemni etiam mediante, decreta ſacri concilii Tridentini circa articulos præmiſſos, videl. quoad fidem, ſacramenta et ritus eccleſiæ catholicæ. Nomina autem eorundem archidiaconorum, prælatorum, decanorum et canonicorum ſequuntur.

Reverendus dominus Cornelius de Myerop, præpoſitus et archidiaconus. Johannes van den Vecht, decanus metropolitanæ eccleſiæ. Bucho a Montzima, præpoſitus ſancti Joannis.

Wilhelmus Taitz de Amerongen, decanus ſancti Salvatoris. Jacobus Uten-Eng, decanus ſancti Petri, Adrianus de Zuylen, decanus ſancti Joannis. Dominus Johannes ab Hogelande, decanus beatæ Mariæ. Et canonici quinque eccleſiarum, videl. Wouterus de Coddenort ſancti Petri, Joannes Scetter, ſancti Salvatoris, præpoſitus Zutphanienſis.

Lebuinus ter Spille,) beatæ
Arnoldus Collart,) Mariæ.
Theodoricus de Zuylen)
Joannes Bogaeit, ſancti Petri.
Rodolphus Muylart præpoſitus Leydenſis.) Metro-
Johannes a Bruhezen.) politanæ.
Gerardus Ram.)
Wychardus Scuerinck, beatæ Mariæ.
Tylmannus de Morendael, S. Salvatoris.
Johannes de Duvenuoirdt, Scolaſticus metropolitanæ.
Jacobus Cnuretorff, S. Salvatoris.
Johannes de Drolshagen, Scolaſticus beatæ Mariæ.
Gerardus de Veno, metropolitanæ.
Gerardus Boſch, S. Petri.
Albertus de Bozichem, S. Salvatoris.
Wilhelmus Pik, S. Joannis.
Joannes a Noirtwic, beatæ Mariæ.
Theodoricus Boncamp.)
Otto de Malfem.) metropoli-
Joannes Axelius.) tanæ.
Joannes de Zuylen.)
Petrus Honthorſt, S. Salvatoris.
Bernardus Coeſuelt, beatæ Mariæ.
Joannes de Wael, metropolitanæ.
Gerardus Knoop.) S. Joan-
Bernardus Vyten-Eng.) nis.
Adelbertus a Nyeborch.) S. Salvato-
Heymannus Ruysch.) ris.
Gaſpardus Oom, S. Petri.
Johannes de Reneſſe, S. Joannis.
Florentinus Herema, S. Salvatoris.
Maximilianus a Walſcapple, metropolitanæ.
Albertus Boll.)
Theodoricus de Zuylen) beatæ
Lambertus van den Borch.) Mariæ.
Cornelius Junius)
Egbertus Lueſſinck.)
Valerius Cuyck.) metropoli-
Georgius de Reneſſe.) tanæ.
Gerardus Beyer,)

reſpective eccleſiarum Trajectenſium.

Canonici D. Thomas Mertuortius, commiſſarius eccleſiæ cathedralis Middelburgenſis.

Item Fr. Chriſtophorus Alberti, adminiſtrator in Ooſtbrouck, etiam reverendi domini abbatis ſui ibidem valetudinarii nomine acceptavit quoque, ut ſupra per abbates ſtipulatione mediante acceptatum fuit.

Et quia plerique canonicorum dictarum quinque eccleſiarum Trajectenſium fuerunt abſentes, decretum fuit et ordinatum per præſentis concilii patres, quod iidem canonici admoniti per ſuos reſpective decanos ſimili ſtipulatione recipient, et acceptabunt ſacri Tridentini concilii decreta, in quantum fidem catholicam, ſacramenta et ritus eccleſiæ concernit.

Inſuper decreverunt, unanimiterque ſtatuerunt ejuſdem concilii patres, quod craſtina die in eccleſia Metropolitana Trajectenſi in chori ſuperiore parte publice legentur omnes & ſinguli articuli in ſacro concilio Tridentino decreti, concernentes fidem noſtram catholicam, ſacramenta & ritus eccleſiæ: & ſi dies ille chriſtianus non ſufficiat legendis hujuſmodi decretis, quod reliquum fuerit, legetur diebus ſequentibus; decernentes eoſdem articulos teutonice legendos eſſe, ut omnes eos intelligant, & id quidem pulſata primitus ad certum temporis ſpatium magna campana.

Deinde reverendiſſimus dominus noſter archiepiſcopus Trajectenſis auctorizavit dominum Adrianum wilhelmi Scæyk Nuntium hujus concilii, ad intimandum rectoribus civitatis Trajectenſis, ut & ipſi hoc ipſum campana civitatis publicandum curent, necnon curatis & paſtoribus civitatis Trajectenſis.

Similiter ſua P. reverendiſſima authorizavit quoque me Joannem de Lamzweerde Notarium infraſcriptum, ad excipiendum, annotandum, & deſcribendum omnia hujus Provincialis acta concilii.

Decernentes inſuper quod exinde nihil aliud tractabitur, aut in hoc concilio Provinciali procedetur ulterius, niſi primitus publicatis dicti ſacri Concilii Tridentini circa fidem catholicam, ſacramenta & ritus eccleſiæ editis ſtatutis & decretis.

Quibus abſolutis, Patres Concilii ſtatuerunt ulterius ad alia procedendum, vel in hac domo capitulari, vel alio loco congruo, ut Prælatis liberum erit, vel per ſe, vel per ſuos legatos ſufficienti mandato ſuffultos comparere.

TERTIA SESSIO

Habita die decima menſis Octobris, anno ut ſupra.

REverendiſſimus dominus noſter Archiepiſcop. Trajectenſis coram provincialis hujus concilii patribus retulit unam partem concilii ſacri Tridentini feliciter eſſe abſolutam; nunc autem reſtare, ut ſecunda pars quæ reformationem continet, publice legatur de canone ad canonem uſque ad finem continuanda. Quo facto dixit ſua P. reverendiſſima ſe communicaturam & reſponſuram ſuper articulis gravaminum per Prælatos eccleſiarum Trajectenſium, nec non capitula ſuæ P. reverendiſſimæ exhibitis, nec non moderatione deſuper per eoſdem Prælatos, Archidiaconos & capitula reſpective conceptis. Denique ſuam P. reve-

ANNO CHRISTI 1565.

reverendiſſimam cum patribus hujus concilii conveniſſe, ut præmiſſis abſolutis denuncientur in hac ſynodo provinciali crimina & exceſſus omnium & ſingulorum, quæ in eodem concilio provinciali denunciari poſſunt; mandans inſuper ſua P. reverendiſſima mihi Notario infraſcripto ad reformationum canonum lecturam procedere, prout idipſum ſuæ P. reverendiſſimæ obſequens feci.

QUARTA SESSIONE.

Nempe decima ſexta menſis Octobris, anno ut ſupra.

CONtinuata fuit canonum lectura reformationum, quique hac ſeſſione abſoluti non ſunt, reverendiſſimus dominus noſter Trajectenſis præfixit diem craſtinum ad eoſdem ulterius legendum.

Die XVII. menſis Octobris, anno ut ſupra, fuit quinta Seſſio.

Qua quidem Seſſione, quandoquidem nec iidem reformationum canones ſunt abſoluti, ac proinde craſtinus dies ſacer eſt divo Lucæ, reverendiſſimus dominus noſter præfixit patribus concilii diem perendinum ad horam nonam hic compariturus.

Die decima nona menſis Octobris, quæ fuit ſexta Seſſio, anno ut ſupra.

Abſolutis canonibus ſuper reformatione per ſacrum Tridentinum concilium decretis, reverendiſſimus dominus noſter archiepiſcopus Trajectenſis patribus concilii provincialis, reliquo quoque Clero præſenti dixit et propoſuit, quod cum jam ad finem uſque lecti ſint canones et decreta reformationum, ac proinde archidiaconi, prælati, et capitula ſuæ P. reverendiſſimæ nonnulla exhibuerint gravamina, declaravit ſua P. reverendiſſima ſe eadem gravamina velle viſitare, et cum ſuis comprovincialibus epiſcopis communicare; eoque facto denuo capitulum ſeu patres concilii deſuper convocare, et ſic ſua P. reverendiſſima hujus diei ſeſſionem abſolvit.

Die viceſima ſecunda menſis Octobris, anno ut ſupra, fuit ſeptima ſeſſio.

Priuſquam patres hujus concilii eſſent congregati, reverendiſſimus dominus abbas monaſterii in Dickelighen, patriæ Tranſiſulanæ, ſtipulatione ſolemni præcedente, per me Notarium inferius deſcriptum facta, accepit, atque acceptavit omnia et ſingula decreta ſacri concilii generalis Tridentini, in quantum catholicam fidem, ſacramenta et ritus eccleſiæ concernerent, et prout alii abbates eadem receperunt et acceptarunt, deteſtans, execrans etc.

Deinde congregatis in ſolito loco concilii hujus provincialis patribus, reverendiſſimus in Chriſto pater, ampliſſimuſque dominus, archiepiſcopus Trajectenſis dixit, et propoſuit archidiaconis, prælatis, decanis et capitulis eccleſiarum Trajectenſium, hodie indictum eſſe hoc capitulum ad audiendum reſponſum ſuæ P. reverendiſſimæ et epiſcoporum comprovincialium, ſuper nuper exhibitis gravaminibus ex decretis ſacri concilii Tridentini collectis et reſultantibus; petente ſua P. reverendiſſima ab archidiaconis, prælatis, decanis et capitulis, ac toto clero ibidem præſente, an ne parati eſſent idipſum reſponſum audire? Unde antedicti domini archidiaconi, prælati, decani et capitula, per os reverendiſſimi domini Joannis Vandem Vecht, decani Metropolitanæ eccleſiæ Trajectenſis, dixerunt et declararunt idem reſponſum ſe cupere et velle audire.

Reſponſoque hujuſmodi dato, jubente archiepiſcopo reverendiſſimo illud ipſum reſponſum per me notarium, fuit ibidem palam lectum, tenoris ſubſequentis.

Fridericus Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Trajectenſis.

Viſis diligenterque expenſis et maſticatis gravaminibus pro parte venerabilium dominorum archidiaconorum, prælatorum, atque capitulorum quinque eccleſiarum Trajectenſium nobis exhibitis, et ex decretis ſeu canonibus ſacri concilii Tridentini, ut aſſeritur, reſultantibus, habitaque deſuper matura cum reverendiſſimis confratribus noſtris comprovincialibus epiſcopis deliberatione, de eorundem conſilio et aſſenſu dicimus et declaramus, nobis nullam alterationem, moderationem, ſeu interpretationem præmentionatorum ſacri concilii decretorum permiſſam, idipſumque ſub certis, eiſque graviſſimis poenis inhibitum eſſe; et ea propter omnia et ſingula decreta et canones ejuſdem ſacri concilii, quoſcunque etiam concernentia, inviolabiliter ſecundum eorundem tenorem ac ſeriem obſervanda eſſe, et obſervari debere.

Hinc eſt quod vos univerſos et ſingulos requirimus in virtute ſanctæ obedientiæ, atque ſub pœnis et cenſuris in ſacris canonibus et concilii Tridentini decretis, cautis, contentis et expreſſis, quatenus, omnia et ſingula ſæpe mentionati concilii Tridentini decreta acceptetis et palam recipiatis, prout per eadem, nec non ſanctiſſimum dominum noſtrum Pium pontificem magnum mandatur.

Ita erat ſubſcriptum; Fredericus a Tautenborch, archiepiſcopus Trajectenſis.

Nicolaus a nova terra, epiſcopus Harlemenſis.
Nicolaus de Caſtro, epiſcopus Middelburgenſis.
Johannes Knyff, epiſcopus Groningenſis.
Remigius Druitius, electus Leovardienſis.
Johannes Mahuſius, electus Daventrienſis.

Proinde lecta hujuſmodi declaratione & reſponſo reverendiſſimi domini noſtri archiepiſcopi, reverendus dominus Johannes vanden Vecht, eccleſiæ Metropolitanæ Trajectenſis decanus, tam ſuo quam reverendorum dominorum archidiaconorum, prælatorum & capitulorum eccleſiarum prædictarum nominibus, dixit, & declaravit decreta conci-

ANNO CHRISTI 1565.

cilii Tridentini, quantum ad morum & vitæ reformationem attinet, tanquam prorsus necessariam se velle acceptare, salvis jurisdictionibus, juribus, privilegiis, libertatibus, statutis, consuetudinibus, et exemptionibus archidiaconorum, prælatorum & capitulorum quinque ecclesiarum Trajectensium; de quo expresse protestabatur, petens sibi decerni per reverendissimum dominum nostrum archiepiscopum ejusdem responsi & declarationis copiam, & certum competentem terminum ad desuper deliberandum & communicandum cum archidiaconis, prælatis & capitulis prædictis. Unde præfatus reverendissimus dominus noster prævia aliquali deliberatione antedictis archidiaconis, prælatis & capitulis concessit antedicti responsi & declarationis copiam, præfigens eisdem terminum ad deliberandum ad triduum, ac ipsis unum pro prima, secundum pro secunda, & tertium dies pro tertia dilatione assignando.

Quo facto, reverendus dominus decanus Metropolitanæ ecclesiæ prædictæ, alta & intelligibili voce interrogavit, ab archidiaconis, prælatis & capitulis ibidem præsentibus, an ne haberent suam acceptationem, declarationem & petitionem superius factam, ratam & gratam; quod autem nullus archidiaconorum, prælatorum & capitulorum quicquam in contrarium diceret, sed prorsus omnes tacerent, tacendo declararent se idipsum habere ratum & gratum.

SESSIO OCTAVA

habita XXV. mensis Octobris, anno ut supra.

POstquam reverendissimus dominus noster archiepiscopus Trajectensis patribus hujus concilii provincialis dixisset, hunc diem præfixum esse reverendis dominis archidiaconis, prælatis, & capitulis quinque ecclesiarum Trajectensium ad respondendum nuperæ declarationi per suam P. reverendissimam ab archidiaconis, prælatis & capitulis prædictarum ecclesiarum, an ne suum hujusmodi responsum haberent paratum. Unde reverendus dominus, decanus Metropolitanæ ecclesiæ prædictæ, tam suæ ecclesiæ, quam archidiaconorum, prælatorum, & aliarum ecclesiarum nominibus exhibuit eorundem dominorum archidiaconorum, prælatorum & capitulorum in scriptis responsum ad manus suæ P. reverendissimæ, quod jubente eadem sua P. reverendissima ibidem per me Notarium infrascriptum palam fuit lectum, tenoris subsequentis.

ANNO CHRISTI 1565.

RESPONSUM

Archidiaconorum, prælatorum, & capitulorum,

quinque ecclesiarum Trajectensium, ad declarationem per reverendissimum dominum nostrum archiepiscopum Trajectensem, die vicesima secunda octobris super exhibitis gravaminibus per eosdem prælatos resultantibus ex decretis & canonibus sacrosancti concilii Tridentini.

Reverendissime pater, archipræsul amplissime.

QUoniam P. vestra reverendissima declaravit nullam alterationem, moderationem seu interpretationem præmentionatorum sacri concilii decretorum gravaminum vestræ P. reverendissimæ permissam; imo idipsum sub certis iisque gravissimis penis esse inhibitum; eapropter omnia & singula decreta & canones ejusdem sacri concilii, quoscunque etiam concernentia, inviolabiliter secundum eorundem seriem & tenorem, observanda esse & observari debere.

Idque de consensu & consilio dumtaxat confratrum reverendissimæ P. vestræ coepiscoporum comprovincialium, sic nos sentientes hujusmodi subitaneo sine ulla nobiscum communicatione habita responso ac declaratione gravatos, cupientesque in termino nobis præfixo P. vestræ reverendissimæ super præmisso gravamine respondere, eidem P. vestræ reverendissimæ in modum infrascriptum respondendum duximus, prout per præsentium tenorem respondemus, petentes ut eadem vestra P. reverendissima hoc nostrum responsum benigne accipere, æquique, bonique consulere dignetur.

In primis, quod nos cupientes satisfacere intentioni patrum congregatorum in sacrosancto concilio Tridentino, necnon regiæ majestatis catholicæ desiderio, requisito a reverendissima P. vestra a nobis omnibus & singulis suffragio, prout hoc in communi concilio provinciali solemni more observari consuevit, omnia & singula, quæ in sacrosancto concilio Tridentino decreta sunt, in quantum concernunt fidem nostram catholicam, administrationem sacramentorum, nec non ritus eorundem, publice communibus suffragiis, etiam stipulatione subsecuta, tam a nobis quam a vestris confratribus coepiscopis comprovincialibus & abbatibus acceptavimus, & in publicationem eorundem consensum nostrum adhibuimus.

Et quantum ad reformationem attinet; eandem quoque tanquam prorsus necessariam, quantum spectat ad vitam & mores, lubenti animo amplexi sumus; in quo utique nos nostro officio functos esse credimus, desiderioque patrum concilii, & sacræ majestatis catholicæ sufficienter satisfeciisse.

Verum quoniam multa alia sunt in decretis prædictis contenta, quæ nihil commune habent cum reformatione vitæ ac morum, quorum acceptationem ecclesias nostras, illa-

ANNO CHRISTI 1565.

larumque jura, jurisdictiones & privilegia, libertates, exemptiones, bona, & laudabiliter hactenus observatas consuetudines læderemus; hinc est, quod nos cupientes eadem servare illæsa atque illibata, prout Cæsarea majestas seli. recordat. in translatione temporalitatis primo, deinde regia & catholica majestas tempore suæ inaugurationis, & postremo P. vestra reverendissima ante admissionem ad archiepiscopatum Trajectensem, in eisdem nos conservare sacrosancte addixerunt; non possumus eadem, in vim juramenti nostri ecclesiis nostris præsertim, prout ibidem decreta sunt acceptare, de quo protestamur expresse.

Et quia hujusmodi vestræ P. reverendissimæ declaratio facta est cum consilio dumtaxat privatim, & extra concilium habito comprovincialium episcoporum, de quorum particulari & privato commodo nec non adipiscenda jurisdictione archidiaconorum & capitulorum ecclesiarum Trajectensium agitur, cujus etiam ratione lites, & quæstiones habitæ sunt, sintque etiam inter illos nonnulli, qui nec ordinem episcopalem, nec jurisdictionem habent, & per consequens votum decisivum de jure habere non possunt, imo quod amplius est, nobis spretis, inconsultis & inauditis, licet tamen ratione jurisdictionis nobis & archidiaconis nostris votum etiam decisivum competere dignoscatur, prout etiam in duobus notissimis conciliis provincialibus Colonienſibus sub reverendissimo domino Adolpho, archiepiscopo Colonienſi celebratis habuimus.

Et quia nos quoque a P. vestra reverendissima ad præsens concilium vocati sumus ad consultandum & pertractandum super iis, quæ Dei gloriam, ecclesiæ decus, unitatem fidei, morum emendationem atque animarum salutem respicere dignoscuntur, eaque forma non sit observata, imo ad hoc nequidem requisiti sumus, ita ut nullus tractatus aut consultatio nobiscum habita hanc vestræ P. reverendissimæ declarationem præcesserit.

Dicere cogimur honore & reverentia vestræ P. reverendissimæ salvis, eandem declarationem esse nullam, nullitatisque vitio subjacere, atque proinde ad ejusdem declarationis observationem nos minime teneri, de quo etiam tenore præsentium expresse protestamur, ut progressum sacri concilii impedire velimus, sed potius ut eo facilius sine nostra læsione idem sacrum concilium suum consequatur effectum.

Protestantes insuper, quod si durante præsente concilio provinciali aliquid tractetur, diffiniatur, aut terminetur nobis inauditis & inconsultis seorsum, & extra concilium, aut si quid tractatum, diffinitum aut terminatum fuerit, quod hoc ipsum habeamus pro nullo. Ita erat subscriptum, de mandato reverendorum dominorum archidiaconorum, prælatorum & capitulorum quinque ecclesiarum prædictarum.

Lamsvverde, Not. Secr.

Eodemque responso lecto reverendissimus dominus archiepiscopus Trajectensis hujusmodi responsi petens copiam, jussitque per suam P. reverendissimam dictis archidiaconis, prælatis & capitulis Trajectensibus paululum secedere, ac prius, communicato consilio cum episcopis comprovincialibus & abbatibus, de omnium eorundem episcoporum & abbatum consensu & assensu dixit P. suam reverendissimam non putare archidiaconos, prælatos, & capitula prædicta in nullo gravatos aut gravata esse, eo quod super supplicatione certa quædam gravamina continente, ratione certorum decretorum atque statutorum concilii generalis Tridentini suæ P. reverendissimæ oblata ad communicationem habendam cum eadem sua P. reverendissima & episcopis comprovincialibus non fuerint admissi, ex eo & ob id, quod supplicantes non deberent esse judices aut consultores in negotiis propriis in dicta supplicatione contentis.

Secundo, quod reverendissimi domini episcopi electi & confirmati Leovardienses & Daventrienses de jure vocem habent in negotiis suæ ecclesiæ & dioecesis, etiam ante consecrationem obtentam.

Quantum attinet ad juramentum Imperatoriæ atque regiæ majestatis ipsis præstitum, hoc se posse allegare, loco & tempore opportunis, juramentum autem a sua P. reverendissima præstitum in nullo violatum esse, neque violandum, memores tamen eos esse debere, quod in juramentis intelligi debet excepta superioris auctoritas. Etsi ad illum finem suæ P. reverendissimæ porrecta esset supplicatio ad invicem tractandum & colloquendum, hoc in suæ P. reverendissimæ potestate & arbitrio non fuisse, quum ex debito obedientiæ teneantur in omnibus & per omnia sequi decreta atque statuta dicti sacri Tridentini concilii.

Et quoniam antedicti prælati, archidiaconi & capitula scripto primum, deinde verbo alligarunt comprovinciales episcopos esse suspectos, eo quod de ipsorum privato commodo hic agitur, nempe de exercitio jurisdictionis ecclesiasticæ & aliis, prout latius in dicto responso in scriptis per eos dato continetur.

Respondit sua P. reverendissima antedictorum episcoporum comprovincialium nominibus se merito suspectos haberi non debere, quum nihil hic attentetur, nisi quod authoritate sacri concilii generalis omnibus per universum orbem terrarum episcopis permissum, indultum & injunctum sit, etiam sub poenis in ejusdem concilii generalis decretis contentis, potissimum quum ipsi in concilio generali præhabito vota sua in proprium commodum & aliorum detrimentum non inveniantur protulisse, imo nec ejusdem concilii tractatibus interfuisse, excepto solo reverendissimo domino episcopo electo Daventrienſi, quo in dicto concilio præsente non istiusmodi, sed dumtaxat negotia fidei & sacramentorum tractabantur: his addens sua P. reverendissima, quod prælati & capitula in hoc provinciali concilio vocem quidem haberent decisivam in negotiis ipsorum commodum non respicientibus.

Ac

ANNO CHRISTI 1565.

Ad quæ reverendus dominus decanus metropolitanæ ecclesiæ Trajectensis quibus supra nominibus respondit & dixit, quod maxime suspecti haberi debeant iidem episcopi comprovinciales, quum ratione jurisdictionis ecclesiasticæ etiam in judicio contradictorio lites habitæ sint, atque per sententiam decisam in favorem archidiaconorum & ecclesiarum Trajectensium prædictarum, & quod propterea insistat suo priori responso, maxime attento quoque, quod quum votum decisivum dependeat ex auctoritate jurisdictionis, non autem ordinis episcopalis, quod ideo episcopi in concilio præsentes, quum non habeant jurisdictionem, nec debeant etiam in præsenti concilio ad votum decisivum admitti, sed solum illi qui habent, (& non B sunt suspecti) hujusmodi jurisdictionem; proinde etiam archidiaconos, prælatos & capitula habentes, & habentia jurisdictionem episcopalem ad vota decisiva respective admittendos esse, & admittenda, maxime attento quod sint in ea possessione.

Et super declaratione suæ P. reverendissimæ, qua declarant eosdem prælatos admittendos, ubi non agitur de illorum privato commodo, dixit idem dominus decanus nominibus quibus supra, eosdem generaliter esse admittendos, quum hic de illorum privato commodo non agatur; sed solum de damno communi vitando, & alii episcopi comprovinciales agant in præjudicium di- C ctorum archidiaconorum, prælatorum & capitulorum de lucro captando.

Ad hoc ultimum sua P. reverendissima respondit episcopos comprovinciales non certare de lucro captando propria auctoritate, sed in vim legis atque statuti per concilium generale per totum orbem terrarum promulgati, cui velint nolint, in vim juris-jurandi præstiti obedire tenentur & obligantur.

Deinde communicatione habita cum episcopis comprovincialibus & abbatibus videl. S. Pauli Trajectensis, insulæ beatæ Mariæ partium Geldriæ & abbate de Dickelingen partium Transylvlaniæ, declaravit sua D P. reverendissima, & declararunt antedicti episcopi & abbates in omnibus & per omnia, nullo excepto, parendum atque obediendum esse sæpe dicti Tridentini concilii statutis atque decretis: abbatibus iisdem hoc adjicientibus, se hoc quoque declarare, salvis respective juribus & privilegiis suorum ordinum.

Quo facto redierunt archidiaconi, prælati et capitula quinque ecclesiarum, (qui dum proxime præscripta declaratio fieret secesserant) ad reverendissimum dominum nostrum archiepiscopum Trajectensem, atque repetentes per dictum dominum decanum metropolitanæ ecclesiæ, dixerunt, E quod insistant suo priori responso atque protestationi, dicentes denuo ex causis præscriptis nonnullos episcopos comprovinciales in hoc præsenti concilio, (quantum illorum proprium concernit commodum) esse suspectos, ea propter illos honore tamen et reverentia illorum salvis, non agnoscant tanquam judices, porrigens eo ipso idem dominus decanus, nominibus quibus supra, A reverendissimo domino nostro archiepiscopo novam aliam brevem petitionem seu supplicationem, petens quatenus sua P. reverendissima eandem dignaretur acceptare, prout eandem acceptavit sua P. reverendissima, dicens quod eandem cum suis comprovincialibus episcopis visitabit, et desuper deliberabit in crastinum diem aut diem sabbati ad horam nonam, quam sua P. reverendissima patribus concilii ad hoc capitulum comparituris præfixit: addens sua P. reverendissima, quod reverendissimus dominus episcopus Harlemensis hoc die non possit adesse, suam P. reverendissimam hoc ipsum antedicto domino decano Metropolitano hora quinta hujus Dei vespertina indicaturum. Et petita tam reverendissimorum episcoporum comprovincialium, quam archidiaconorum, prælatorum et capitulorum nominibus omnium præscriptorum copia, solutum fuit hujus diei concilium. Brevis autem illa petitio seu supplicatio præmentionata sequitur in modum infra scriptum.

ANNO CHRISTI 1565.

Quia gravamina nostra ad illum solummodo et nullum alium finem reverendissimæ vestræ P. exhibita sunt, quam ut P. vestra reverendissima eadem visitare, eoque facto nobiscum desuper communicare pro moderatione obtinenda ab iis, quibus hoc in vim concilii Tridentini permissum esse dignoscitur; quod quum factum non sit petimus omnia et singula decreta concilii Tridentini derogantia ac præjudicantia juribus, jurisdictionibus, privilegiis, libertatibus exemptionibus et laudabilibus consuetudinibus ecclesiarum nostrarum, eorundemque decretorum executionem suspendi, donec et quousque eandem moderationem a summo pontifice, aut rege nostro catholico obfuerimus. Ita erat subscriptum, de mandato reverendorum dominorum archidiaconorum, prælatorum et capitulorum quinque ecclesiarum prædictarum.

Lamsweerde Not. Sec.

Die vicesima sexta mensis octobris fuit habita nona Sessio, anno ut supra.

Qua quidem sessione, jubente reverendissimo domino nostro archiepiscopo lecta sunt quædam ex parte abbatum, quæ sunt P. reverendissima heri dixit fuisse omissa, videl. quod declararent prout sequitur. Quia abbates heri dixerunt se in omnibus et per omnia obedire velle statutis et decretis concilii Tridentini generalis salvis eorum privilegiis et exemptionibus, interrogati a nobis quomodo hoc intelligerent, responderunt se cupere privilegia quidem et exemptiones suas esse salvas, sed non in illis casibus, in quibus per decreta generalis concilii Tridentini specialiter, vel generaliter illis est derogatum; nam in illis tanquam filii obedientiæ obedire intendunt sacro concilio et sanctissimo domino nostro papæ.

Qua quidem cedula responsionis lecta reverendi domini abbates S. Pauli Trajectensis, insulæ beatæ Mariæ virginis partium Geldriæ, et in Dickelingen partium Transy-

ANNO CHRISTI 1565.

sulaniæ rogati a reverendissimo domino nostro prædicto, an ne ita sentirent, responderunt quod sic, et approbarunt id quod lectum fuit, uti prima facie apparebat.

Postmodum reverendissimus dominus archiepiscopus Trajectensis docendo, quod reverendissimi domini episcopi Leovardienses et Daventrienses electi et confirmati, non tamen consecrati, per suam P. reverendissimam fuerint et sint admissi ad ordinandum, consulendum et tractandum cum sua P. rereverendissima ea quæ in hoc concilio provinciali agenda et tractanda incumbunt, exhibuit sua P. reverendissima literas clausas illustrissimæ ducissæ Parmensis, gubernatricis, etc. quæ quidem litteræ, in parte hanc materiam concernente, fuerunt ibidem per me notarium infrascriptum lectæ, tenoris subsequentis.

Hoogvverdige in Godt, besondere goede Vrint; Alsoo van vvegen de gekoren Bisschoppen van Levvaerden en van Deventer ons te kennen gegeven is gevvest, hoe dat zyluyden by U. L. gevoerdert en beschreven zyn gevveest ten concilio provinciael binnem Utrecht, ende ons geconsulteert hebben, hoe zy hen deshalven zouden hebben te holden ende reguleren, hen latende duncken, dat zy behoiten geexcuseert te zyn der comparitien aldair, aengesien dat zy niet geconsacreert, noch gestelt zyn in possessie van haire Bisdommen, konnen U. L. nyet verhalden, dat vvy aengemerkt die voorsz. Bisschoppen re vera gekoren zyn, hebben voor goet neegesien in respecte van haire geleertheyt, ervarentheyt, goet leven, ende andere goede qualiteyten, dat zy hen aldair vuegen, ende veynden laten, ende hen belast also te doen, om met hairen goeden raydt die dingen ten besten te holpen stueren, ende ordineren, tot voerderinghe ende hanthaldinge van onsen heyligen gelove ende religie, tot gemeyn vvelvaert der heyliger Kerken, ende des Geestelyken staets, &c.

Geschreven tot Bruessele den tvveden dag des maents Octobris, 1565.

En vvas onderteyckent,

Margareta.

Deinde reverendissimus dominus noster archiepiscopus Trajectensis respondendo petitioni reverendorum dominorum archidiaconorum, prælatorum & capitulorum quinque ecclesiarum Trajectensium, dedit & exhibuit suæ P. reverendissimæ eandem responsionem in scriptis, cujus tenor sequitur, & est talis.

Fredericus, archiepiscopus.

Perspecta ac mature visitata supplicatione continente petitionem suspensionis executionis nonnullorum decretorum sacrosancti concilii Tridentini, nominibus reverendorum dominorum archidiaconorum, prælatorum & capitulorum quinque ecclesiarum Trajectensium, die hesterna vicesima quinta Octobris nobis exhibita & porrecta, habitaque desuper deliberatione ac communicatione cum reverendissimis dominis nostris comprovincialibus episcopis, simulque abbatibus in concilio hoc provinciali congregatis de eorumdem consilio & assensu dicimus & declaramus, non esse in nostra facultate aut potestate petitionis ab ipsis factæ suspensionem concedere.

Superest igitur si opportunum aut necessarium esse videbitur, ut pari consilio tractemus de cultu divino, morum reformatione atque emendatione vitæ, & aliis eodem pertinentibus. Et erat subscriptum, de speciali mandato Amplissimi reverendissimi domini, D. Frederici archiepiscopi, aliorumque præfatorum assensu, & subsignatum.

Henricus Zonnius, Not. Secr.

Qua quidem responsione reverendissimi domini archiepiscopi per me notarium infrascriptum lecta, reverendus dominus decanus metropolitanæ ecclesiæ, quibus supra nominibus petiit, cum dictis archidiaconis, prælatis & capitulis paululum secedere & desuper deliberare, prout de consensu suæ P. reverendissimæ secessit & deliberavit, qui post parvum temporis intervallum cum eisdem archidiaconis, & prælatis rediens, dixit eosdem archidiaconos prælatos, & capitula ecclesiarum petere copiam hujus suæ P. reverendissimæ responsioni: quam quidem copiam eadem sua P. reverendissima eisdem archidiaconis, prælatis & capitulis annuit & concesit una cum termino ad desuper deliberandum: & ulterius idem dominus decanus metropolitanæ ecclesiæ quibus supra nominibus dixit archidiaconos, prælatos & capitula contentos esse & contenta, quod insuper procedatur ad reformationem, prout in eadem suæ P. reverendissimæ responsione. Ad cetera iidem domini archidiaconi, prælati & capitula habita per ipsos deliberatione, responsuros se dixerunt suæ P. reverendissimæ.

Deinde per reverendissimum dominum nostrum archiepiscopum Trajectensem interrogatus venerabilis dominus Thomas Mertvorstius, canonicus sancti Middelburgensis, an ne acceptaret omnia ea ad formam eam qua abbates acceptarunt decreta concilii, respondit idem dominus Thomas commissarius in scriptis, ut sequitur.

Cum reverendissimus in Christo pater & & archipræsul amplissimus vicesima sexta octobris a domino Thoma Mertvorstio, commissario venerabilium dominorum decani & capituli cathedralis ecclesiæ divi Petri Milddelburgensis, votum & mentem expeteret de decretorum concilii Tridentini acceptatione, respondi & respondeo per præsentes me omnia & singula, quæ ab eodem concilio Tridentino definita sunt & statuta palam recipere, tam quæ fidem, quam morum reformationem & venerabilium sacramentorum administrationem concernunt, & publice detestari & simul anathematizare omnes hæreses a sacris canonibus & generalibus conciliis, præsertimque ab hoc concilio Tridentino damnatas, salvis semper privilegiis & immunitatibus supradictorum.

domi-

dominorum meorum decani, vicedecani et capitula, quibus per eadem decreta expresse derogatum non existit, salvis itidem gratiis aliisque privilegiis posthac per sanctiss. dominum, D. nostrum papam, sanctamque sedem apostolicam eisdem concedendis, et seu antiquis renovandis & moderandis.

Posthæc jussit reverendissimus dominus noster archiepiscopus domino commissario reverendi domini abbatis S. Laurentii Oostbrouck, ut adferat proxima vice plenum mandatum ad recipiendum & acceptandum, prout supra per illos abbates est receptum.

Die vicesima nona mensis Octobris, anno ut supra, habita fuit decima sessio.

Qua quidem sessione congregatis ibidem præsentis concilii provincialis patribus, cum reverendissimus dominus noster archiepiscopus Trajectensis dixisset hoc capitulum esse indictum ad audiendum responsum dominorum archidiaconorum, prælatorum & capitulorum, petivissetque, an ne iidem domini paratum haberent suum responsum rev. D. decanus metropolit. eccl. illud ipsum responsum exhibuit in scriptis ad manus suæ P. rev. quod ibidem jubente sua P. reverendissima fuit lectum, per me notarium infrascriptum tenoris sequentis.

REQUISITIO

Archidiaconorum, prælatorum, & capitulorum quinque ecclesiarum Trajectensium, quoad declarationem factam per reverendissimum dominum nostrum archiepiscopum Trajectensem super supplicatione per requirentes facta de suspensione executionis quorundam decretorum concilii Tridentini.

REverendissime in Christo Pater archipræsul amplissime.

Quamvis ex nostris prioribus responsis, declarationibus, ac protestationibus coram reverendissima P. vestra factis abunde testati sumus, & ingenue declaravimus nos nunquam intentionem habuisse, prout nec adhuc habemus, nos apponendi sacrosancto concilio Tridentino, sed illud acceptaverimus, in quantum fidem nostram catholicam, sacramenta ecclesiæ, ritus eorumdem, necnon reformationem vitæ ac morum concernit, prout ad oculum est videre ex declaratione per nos vicesima secunda octobris facta, ad quam nos referimus, ita quod nos quoad concilii mentem & præcipuam intentionem putemus nos officio nostro ac desiderio concilii, & sacræ regiæ & catholicæ majestatis satisfeciisse; quia tamen in dictis decretis multa sunt & continentur, quæ cum fide nostra catholica, reformatione vitæ ac morum nihil habent commune, sed solummodo concernunt ademptionem jurisdictionum, libertatum jurium exemptionum & laudabilium consuetudinum nostrarum, quibus sacrum concilium voluisse præjudicare, & nos privare, nobis inauditis, in animum inducere non potuimus. Rogavimus propterea obnixe per reverendissimam P. vestram ea decreta, eorundemque executionem pro sua solita erga omnes humanitate suspendi, donec a S. D. N. papa desuper interpretationem, aut a rege nostro catholico moderationem obtinuissemus. Et licet P. vestra reverendissima secundum decreta sacri concilii Tridentini, bullæque per modernum sanctissimum pontificem super illius confirmatione promulgatæ jus, facultatem & potestatem habuerit hujusmodi suspensionem nobis concedendi, attento quod tam dictum concilium quam summus pontifex in bulla super dicta confirmatione concilii emanata sedi apostolicæ interpretationem, & moderationem omnium difficultatum & controversiarum, (si quæ ex dicto concilio, illiusque decretis obortæ fuerint) expresse & disertis verbis reservaverit declarandas, et decidendas promittendo eisdem difficultatibus pro omnium provinciarum necessitatibus, ea ratione quæ sanctitati suæ commodior visa fuerit, providere; decernendum irritum & inane si secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari idque sub indignatione incursionis iræ omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum, referendo desuper ad bullam prætactam; in qua quidem reservatione moderationis & declarationis tacite proculdubio videtur esse comprehensum congruum tempus, intra quod hujusmodi moderationis sollicitatio a sancta sede apostolica commode posset obtineri; præcipue quod aliquo concesso, omnia concessa videantur, sine quibus ad illud perveniri non potest: nihilominus P. vestra reverendissima vicesima sexta octobris declaravit suæ amplitudini illam facultatem non esse concessam seu permissam, & sic petitam suspensionem nobis non posse concedere: quod ipsum decretum, cum tendat in gravissimum præjudicium, imo ademptionem & subversionem jurisdictionum, libertatum, jurium, exemptionum, privilegiorum, & laudabilium consuetudinum nostrarum, nobisque habeamus persuasum esse contra mentem, non solum concilii, sed etiam domini nostri papæ, nec non sacræ regiæ & catholicæ majestatis, qui alicui jus suum tollere, & indicta causa, contra jus naturæ aliis jus quæsitum adimere non cupiunt; præsertim etiam cum regiæ majestatis nomine illustrissima Ducissa Parmensis ad reverend. P. vestram litteras dederit, quibus diserte contendit prærogativis & præeminentiis suæ majestatis, suorum vassallorum, nec non subditorum, inter quos etiam prælati & ecclesiæ Trajectensis tanquam repræsentantes primum statum in suæ majestatis ditionibus & dominiis Trajectensibus connumerandi & comprehensi sunt, per hujusmodi concilii decreta non esse derogatum, sed potius ratione locorum & provinciarum singularum regionum ita omnia venire moderanda, ut nemini querelæ possit esse locus; vehementer & obnixe rogamus reverendissimam P. & amplitudinem vestram, quatenus præmissis rationibus attentis, & maxime quod executio bonæ partis decretorum prætactorum erit irreparabilis, dignetur dictum decretum suum innovare, & seu mitigare, et dictorum concilii decreto-

ANNO CHRISTI 1565.

rum executionem ſuſpendere, quoad noſtros legatos ad S. D. N. papam modernum et ſeu ſacram regiam catholicam majeſtatem, vel illuſtriſſimam dominam gubernatricem pro obtinenda interpretatione vel moderatione miſerimus, et reſponſum eorundem receperimus.

Et quantum concernit ulteriorem declarationem P. V. reverendiſſimæ, ut procedatur & tractetur de cultu divino, morum reformatione, atque vitæ emendatione, parati ſumus cum P. veſtra reverendiſſima ad eandem procedere, dummodo nihil agatur, aut concludatur circa præmiſſa, nobis inconſultis, noſtriſque ſuffragiis non collectis.

Abſoluto jam quinque diebus Provinciali concilio Trajectenſi, reverendiſſimus dominus noſter Trajectenſis, ea quæ ſequuntur annotari hic præcepit, videl.

Hæc archiepiſcopus acceptanda non duxit tanquam ſuæ derogantia auctoritati, quæ non a capitulorum ſuffragiis, ſed a canonibus, & poteſtate ſibi jure permiſſa in hujuſmodi pendere debeat. Actum IV. Novembris, anno 1565.

Qua quidem requiſitione per me Notarium infraſcriptum lecta, juſſiſque per reverendiſſimum dominum archiepiſcopum antedictis archidiaconis, prælatis & capitulis paululum ſecedere, præviaque aliquali deliberatione, redeuntibuſque archidiaconis, prælatis & capitulis ſua P. reverendiſſima ipſis dixit & reſpondit, ſibi non eſſe integrum a priore ſuo reſponſo recedere, ſed hic eſſe obſervandum, prout in concilio provinciali Cameracenſi actum eſt, in quo decretum eſſe dixit ſua P. reverendiſſima, omnia & ſingula decreta ſacri concilii generalis Tridentini fore & eſſe obſervanda, ſalvo quod ſi quiſpiam ſentiret ſe hujuſmodi decretis gravatum eſſe, liberum eidem foret adire ſanctam ſedem apoſtolicam pro moderatione obtinenda.

Cum autem prædicti archidiaconi, prælati & capitula inhærerent dicto ſuo reſponſo, & prætenderent vigore executionis decretorum præfati ſacri concilii Tridentini ſibi damnum imminere irreparabile, &c.

Idem reverendiſſimus dominus noſter archiepiſcopus dixit non eſſe damnum cenſendum, quod per ſanctos patres in concilio oecumenico ſtatutum fuit & diffinitum, longe minus irreparabile eſſe, nam ſua P. reverendiſſima cavebit una cum ſuis epiſcopis comprovincialibus (quorum intereſt, ſi opus fuerit) de reſtituendo eoſdem archidiaconos, prælatos & capitula in integrum, & in priſtinum ſtatum, ſi a ſede apoſtolica præfatorum decretorum moderationem aut aliam proviſionem acquirere & obtinere poterunt.

Quo quidem reſponſo per ſuam P. reverendiſſimam verbo dato, iidem domini archidiaconi, prælati & capitula paululum ſecedentes, & deliberatione inter ſe prævia habita revertentes ad reverendiſſimum dominum noſtrum, reverendus dominus decanus Metropolitanæ eccleſiæ Trajectenſis, nominibus quibus ſupra ad præmiſſa reſpondit & dixit, quod quantum concernit ulteriorem declarationem P. ſuæ reverendiſſimæ proxime ſupra factam, archidiaconos, prælatos & capitula inhærere prioribus ſuis reſponſis ac proteſtationibus, & ſe adhuc proteſtari de nullitate decreti ſuæ P. reverendiſſimæ; item de gravamine, & appellando aut alio juris remedio acquirendo, ipſis magis utili, neceſſario & opportuno, petens hanc ſuam proteſtationem apud acta hujus concilii annotari, ſibique deſuper confici & tradi inſtrumenta.

Deinde quæſitum fuit per reverendiſſimum dominum noſtrum archiepiſcopum a præfatis dominis archidiaconis, prælatis & capitulis, cum dixiſſent ſe decreta ſacri generalis concilii Tridentini quoad fidem & reformationem morum acceptaſſe, an ne in omnibus illis caſibus, in quibus morum reformatio, atque exceſſuum correctio epiſcopis conceſſa eſt, tamquam ſedis apoſtolicæ delegatis, epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe, atque illis decretis parere vellent. Ad quæ propoſita cum antedictus dominus decanus nominibus prædictis diceret, ſe ſuper propoſitis velle deliberare cum reverendis dominis archidiaconis, prælatis & capitulis quinque eccleſiarum prædictarum, ac peteret propterea certum terminum deliberandi & deſuper reſpondendi; reverendiſſimus dominus noſter archiepiſcopus Trajectenſis eundem terminum petitum conceſſit, præfigendo eiſdem diem perendinum ad deſuper reſpondendum ad horam nonam antemeridianam.

Cæterum quia non vagus rumor erat, ea quæ in hoc concilio tractantur, paſſim evulgari, reverendiſſimus dominus noſter archiepiſcopus una cum ſuis epiſcopis comprovincialibus ſtatuit & decrevit, quod eo quod in hoc concilio provinciali decernentur & ſtatuentur, non debeant conſcribi per aliquem privatum, ne aliis extraneis ab hoc concilio communicentur, ac proinde in vulgus prodeant.

Emanato autem hoc decreto ſoluta eſt præſentis diei ſeſſio, & continuata in diem perendinum.

Die triceſima menſis Octobris fuit undecima, & hujus provincialis concilii ultima Seſſio, anno ut ſupra.

Lectis ex reverendiſſimi domini archiepiſcopi mandato prius iis quæ proxima ſeſſione tractata & decreta ſunt, rogatiſque prælatis, archidiaconis & capitulis, an ſuper nudiustertius, quantum reformationem concernit, per reverendiſſimum dominum noſtrum propoſitis, & ab iiſdem archidiaconis, prælatis, & capitulis interrogatis deliberaſſent; reverendus dominus decanus Metropolitanæ eccleſiæ prædictæ, tam ſuæ eccleſiæ quam archidiaconorum, prælatorum, & capitulorum nominibus reſpondit, & ſuæ P. reverendiſ. dixit, quod quantum concernit reformationem vitæ ac morum, quam acceptarunt, parati ſint ad eandem procedere; ſalvis juribus, privilegiis, juriſdictionibus, libertatibus, & laudabilibus conſuetudinibus ac ſtatutis eorumdem, prout declaravit die viceſima ſecunda huius menſis Octobris, cui

decla-

ANNO CHRISTI 1565.

declarationi se per omnia inhærere dixit.

Ad quæ reverendissimus dominus noster archiepiscopus respondit, istud responsum non congruere suo in nupera & ultima sessione facto quæsito, & suam P. reverendissimam per consequens in decretis atque statutis oecumenici concilii super hoc quæsito proditis & emanatis persistere. Reverendo autem domino decano iterum insistente suis allegatis protestationibus & appellationibus, declarando ulterius in vim privilegiorum, jurisdictionum, statutorum & consuetudinum ecclesiarum suarum se paratos esse incontinenti procedere ad vitæ reformationem, morum emendationem, correctionemque criminum & excessuum illorum videl. quæ adhuc emendanda & corrigenda.

Et cum reverendissimus dominus noster archiepiscopus sustineret in vim decretorum prædictorum sacri Tridentini concilii sibi in delinquentes jurisdictionem competere, in illis casibus in quibus hoc diserte & expresse statuitur.

Dictus dominus decanus metropolitanæ ecclesiæ Trajectensis dixit se contrarium sustinere nominibus quibus supra, addendo ipsis illam jurisdictionem, quam hactenus præfati archidiaconi, prælati & capitula inviolabiliter exercuerunt, per decreta concilii Tridentini non esse ademptam, sed relictam, & magis confirmatam; petens ad illum finem certos canones in concilio hoc provinciali denuo relegi ad finem, ut possit constare quid archidiaconis, prælatis, & capitulis sit relictum, & quid in certis criminibus ipsis sit ademptum, solisque episcopis concessum; & id quidem, ne in exercitio jurisdictionis ecclesiasticæ fiat perturbatio.

Relectis autem ibidem de suæ P. reverendissimæ expresso consensu & mandato per me Notarium infrascriptum nonnullis canonibus, reverendus dominus decanus Metropolitanæ ecclesiæ, nominibus, quibus supra dixit, & declaravit dictos canones ad illum finem esse lectos, ut constaret de eorum jurisdictione, quam tanquam ordinarii hactenus exercuerunt, & quod eandem in vim dictorum canonum adhuc exercere possunt: & cum proinde ageretur de exemptione archidiaconorum, prælatorum, & quinque ecclesiarum Trajectensium, idem dominus decanus Metropolitanus, quibus supra nominibus respondit, & dixit; quod dictæ quinque ecclesiæ Trajectenses non sunt meræ exemptæ ab ordinaria reverendissimi domini archiepiscopi jurisdictione, nam ab illorum sententiis in prima instantia latis tam civilibus, quam correctoriis causis, liberum semper fuit ad reverendissimum Trajectensem, sed non ad ipsius officialem appellare, prout adhuc liberum est. Et quod idem reverendissimus in criminibus majoribus, etiam in prima instantia, possit cognoscere conjunctim in capitulo, prout sæpius hoc observatum esse dixit, & clare exprimitur in libro statutorum ecclesiarum Trajectensium.

Ad quæ P. sua reverendissima respondit, se acceptare claram, atque dilucidam confessionem decani prædicti, nomine & consensu quinque ecclesiarum Trajectensium ibidem præsentium, colore provincialis concilii vesti tam, scil. quod palam recognoverunt se ab archiepiscopi sui jurisdictione non esse exemptas seu exempta, quominus cognoscere poterit in civilibus atque correctoriis causis inter capitulares seu canonicos emergentibus, eo modo atque ritu, sicut latius in supradicta domini decani metropolitani confessione narratur, atque continetur. Et quoniam occasione eorum, quæ de ordinariis statuit concilium, ad se trahat, atque sibi cognitionem primo loco competere existimet; dixit reverendissimus dominus noster, nomine ordinarii absolute & sine distinctione prolati contineri episcopum juxta tit. *Et quæ*, ubi habet, decret. in rubrica de off. judicis ordinarii. Nam omne analogicum, per se positum, capitur pro suo significato famosiore: unde antedicto domino decano metropolitano, nomine earundem ecclesiarum & confratrum suorum sustinente & cupiente contrarium docere fuisse videl. intellectum, ac mentem concilii Tridentini contrariam, petiit legem quintæ sessionis sub Paulo tertio de lectione & prædicatione sacræ scripturæ decretos articulos, ubi his verbis uti dixit; " episcopi, archiepiscopi, " primates & alii locorum ordinarii " distinguendo sic episcopos ab aliis locorum ordinariis. Item sessione septima, quæ incipit, *deinde ut*, ubi quoque sic dicit; " Statuit sancta synodus, ut episcopi, archiepiscopi, " primates & alii locorum ordinarii. " Item in bulla confirmationis concilii, ubi etiam sanctissimus dominus noster utitur ordinarie eisdem verbis, ita ut constet non alios esse ordinarios, quam solos episcopos; addendo etiam de jure illos debere censeri ordinarios, qui ordinariam jurisdictionem exercuerunt, & adhuc actu exercent, ipsisque ecclesiis, ac prælatis illam ordinariam jurisdictionem attributam esse, non solum ex præscriptione et longo usu, sed etiam ex capite *irrevocabili* de off. ordinarii. Et ex sententia Panormitani in cap. *cum ab ecclesiarum*, eodem titulo dicendo, eos quoque esse ordinarios, qui ordinariam jurisdictionem exercent.

Ad quæ reverendissimus dominus noster archiepiscopus respondit & dixit, quod licet super præmissis sint controversiæ doctorum, & opinionum diversitas, attamen declaravit sua P. reverendissima, non esse suæ intentionis decanis & capitulis jurisdictionem suam ordinariam, si quam habeant, imminuere aut e medio tollere, sed in illis casibus in quibus episcopis jurisdictio tribuitur & conceditur per statuta generalis concilii privativa, & non cumulativa, ut in illis secundum decreta ejusdem concilii jurisdictio sit apud episcopos. Et prædicto domino decano metropolitanæ ecclesiæ, nominibus quibus supra, insistente suis prioribus responsis, protestationibus & appellationibus de gravaminibus, acceptavit idem decanus primam partem declarationis P. suæ reverendissimæ, qua sua P. reverendissima declaravit, non intendere decanos & ecclesias Trajectenses privare sua jurisdictione, si quam habeant, prout dicebat

ANNO CHRISTI 1565.

ANNO CHRISTI 1565.

bat prælatos & capitula habere, ſalvis interim juribus archidiaconorum tanquam judicum ordinariorum; ſuper quo ultimo puncto reverendiſsimus dixit ſe velle deliberare cum patribus concilii jubens ſecedere prælatos & eccleſias Trajectenſes: quibus reverſis, reverendiſsimoque poſt communicationem habitam iterum ſedente cum patribus concilii, juſsit per nuntium capituli aperiri valvas majoris domus capitulagis eccleſiæ Trajectenſis, atque habens in ſuis manibus quandam papiraceam cedulam, abſque eo quod prælatis & eccleſiis prædictis quicquam reſponderit ſuper dicto ultimo puncto, eandem mihi notario legendam tradidit, cujus tenor ſequitur.

Nos Fredericus, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Trajectenſis, una cum noſtris epiſcopis comprovincialibus in hoc concilio provinciali in civitate Trajectenſi congregatis, inſiſtentes prioribus noſtris declarationibus & decretis, non obſtantibus quibuſcunque per archidiaconos, prælatos, & capitula quinque eccleſiarum Trajectenſium allegatis, unanimi conſenſu decernimus & declaramus, juxta ſanctiſsimi domini noſtri papæ, ſimul & regiæ catolicæque majeſtatis decretum, omnia & ſingula ſtatuta & conſtitutiones ſacroſancti concilii Tridentini eſſe ſtricte in omnibus & per omnia inviolabiliter obſervanda & obſervandos, & executioni demandanda, & demandandos, prout eadem et easdem per præſentes obſervari, & executioni demandari præcipimus & jubemus ſub poenis ſententiis, & cenſuris in decretis dicti ſacri oecumenici concilii expreſsis, contentis & comprehenſis. Et per hoc præſens concilium concludimus, eique finem imponimus, ad laudem, honorem & gloriam omnipotentis Dei eccleſiæque ſuæ ſanctæ. Et ita erat ſubſcripta cedula, de mandato ampliſsimi, reverendiſsimi, domini archiepiſcopi Trajectenſis, atque ceterorum comprovincialium epiſcoporum.

Et erat adhuc ſignata,

Henricus Zonnius, ſecret. &c.

Quo quidem decreto & declaratione concluſionis concilii provincialis lecto & audito, reverendus dominus decanus metropolitanæ eccleſiæ, nominibus quibus ſupra proteſtatur de gravamine, nullitate, & appellando, ac alio juris remedio deſuper inveniendo, præſertim quod de mandato illorum epiſcoporum hoc decretum promulgaverit, contra quos notoriæ cauſæ ſuſpicionis in hoc concilio ſunt allegatæ, quæ primo & ante omnia ad arbitros remitti debuiſſent, antequam ad hujusmodi decreti promulgationem perveniri potuit, referendo ſe deſuper ad jus commune, & petens ſuas priores proteſtationes hic inſeri, easdem de novo repetendo, ſibique deſuper tradi inſtrumentum, & inſtrumenta.

Et ego Joannes de Lanzwerde, clericus Tornacenſis dioeceſis publicus, ſacris apoſtolica & imperiali auctoritatib. notarius admiſſus, ac per reverendiſsimum dominum archiepiſcopum Trajectenſem ad præſcripta concilii acta conſcribendum auctorizatus, quia omnibus & ſingulis ſeſſionibus hujus concilii provincialis præſens interfui, eaque ſic ut præſcribuntur, fieri vidi & audivi; ideo ea omnia in hanc præſcriptam formam redegi, ſignoque & cognomine meis ſolitis ſubſcripſi, & ſignavi in fidem omnium præmiſſorum.

ANNO CHRIS 1565

STATUTA SYNODALIA

Archiepiſcopi Trajectenſis.

De conſilio pariter & aſſenſu prælatorum & capitulorum quinque eccleſiarum Trajectenſium lecta & publicata anno Domini milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo quinto.

FRedericus a Tautenburch, Dei & apoſtolicæ ſedis, nec non catholicæ Regiæ majeſtatis gratia archiep. Trajectenſis, omnibus & ſingulis, reverendis dominis abbatibus, prælatis, præpoſitis, archidiaconis, decanis, capitulis, paſtoribus, abbatiſſis, prioriſſis monaſteriorum, quorumcunque regularium præfectis, totique clero ac populo in civitate & dioeceſi noſtra metropolitana & provincia Trajectenſi ubilibet conſtitutis, ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus. Officii noſtri debitum explere cupientes, & libertatem & eccleſiaſticam jurisdictionem & emunitatem cleri & eccleſiæ obſervare volentes, ſtatuta ſynodalia infraſcripta mandamus & decernimus vobis & veſtrum cuilibet publicanda & intimanda, ac eadem præcipimus & volumus inviolabiliter ſub ſententiis, cenſuris ac pœnis inibi contentis obſervari.

In primis epiſcoporum Trajectenſium prædeceſſorum noſtrorum pro tempore veſtigiis in hac parte inhærendo monemus primo, ſecundo, tertio, & peremptorie omnes & ſingulos presbyteros, curatos & huic ſynodo ſubjectos, quatenus ſingulis annis feria tertia poſt Dominicam *Cantate*, atque in craſtino Remigii de mane hora primarum, perſonaliter compareant Trajecti in eccleſia noſtra Trajectenſi cum ſuperpelliciis ac religionem induti, & inibi maneant uſque ad finem ſermonis, ac ſtatutorum & mandatorum ſynodalium publicationem peractam, & intra triduum a civitate Trajectenſi non recedant, niſi de noſtra, ſeu vicarii noſtri generalis ſpeciali licentia petita & obtenta, ac interim curati & Vicecurati de cathedratico, quod *aſſum* vocatur, collectori ad hoc deputato ſatisfaciant ſub excommunicationis & trium ſcudatorum antiquorum pœnis, prout in ſtatuto noſtro ſynodali plenius continetur.

Cum nuſquam Salvator noſter majorem exercuerit cenſuram, ac diſtrictionem (quam in aſſerenda dignitate, & æſtimatione domus patris ſui) quam & domum orationis vocandam dixit, notumque ſit in eccleſias noſtræ civitatis & dioeceſis, præſertim in noſtram ſummam Metropolitanam

ædem

ANNO CHRISTI 1565.

ædem detestandum irrepsisse abusum, ut tam clerus quam populus inibi sub divinis obambulando, confabulando & garriendo incondito murmure magnoque strepitu convexa templi faciant reboare, adeo & in tantum ut nec sacrificantis sacerdotis, nec psallentium in choro voces nequeant exaudiri; statuimus, præcipimus & ordinamus, hunc abusum penitus esse abolendum, edicentes, ne quis de cætero talia præsumat, sed inquiete, modestia & devotione piis precibus dominum Deum sanctificet, maxime missarum dum peraguntur solemnia, idque sub pœna arbitraria, nec non suspensione præsentiarum unius hebdomadæ, quam ad instantiam nostri Fiscalis pro rei & personarum qualitate in locis non exemptis; in exemptis vero per Syndicum cujusque ecclesiæ, duxerimus infligendam. Præcipientes omnibus pastoribus & ordinum mendicantium concionatoribus, ut in singulis concionibus sacris, hæc populi auribus diligenter inculcent, hortantes etiam magistratus ac judices seculares, ut pro suo erga domum Dei zelo, pium hoc nostrum statutum sua quoque provehant auctoritate, pœnali judicio, multisque statutis adversis edicto nostro non parentes. Prohibemus quoque sub anathematis pœna, ne in æde sacra seu ecclesia agitentur convivia aut commessationes; domus quippe Dei non commessationis, sed orationis esse debet. Vetamus etiam & interdicimus, ne post in domibus claustralibus, aut collegiatis alicujus ecclesiæ, seu infra emunitatem ecclesiasticam constitutis, celebrentur nuptiæ, neque puerperia teneantur, exceptis conjugatis domos claustrales inhabitantibus; veterum statutorum super hoc editorum pœnis, adiicentes quoque pecuniariam nostro arbitrio in pauperum usus convertendam.

Item statuimus, præcipimus & ordinamus, ut Curati parochialium ecclesiarum sub pœna privationis fructuum, in usus substituendi eo casu pastoris applicandorum, personaliter in suis parochiis resideant, suoque fungantur officio, nisi legitimam obtinuerint dispensationem, Vice-curatis mox & prorsus amovendis, nisi fuerint sufficientis doctrina, probatorum morum, ætatis maturæ, & inculpatæ vitæ, qui populum pascere queant doctrinæ, moribus & exemplo.

Cum experientia quotidiana manifestet, quantum malorum agmen in ecclesiam Dei invehant fugitivi & apostatæ monachi, qui prætextu apostolicæ, (quam jactant) dispensationis, per obreptionem & subreptionem illicite præsumunt regere parochiales ecclesias: statuimus & ordinamus omnes tales a regimine amovendos, & custodiæ mancipandos, donec indultorum (quæ jactant) series & narratio plenissime fuerit in contradictorio judicio verificata & probata, in loco insigni, hujus regionis catholicæ majestatis dictioni subjecto, ubi est copia peritorum & doctorum hominum: & quod talia indulta nunquam possint aut debeant purificari in contumaciam citatorum & non comparentium, quorum interest, sed qui juridice, & in figura judicii totum & omne id probetur, quod de motu & compulsione parentum, seu minoritate Sanctissimo domino nostro papæ suggesserit.

ANNO CHRISTI 1565.

Fit quoque non raro ut apostatæ præfati huc veniant ex regionibus alienis, in quibus eorum indulta prætenduntur purificata; sed quia fere semper aut in contumaciam, aut levato velo, causa plene non cognita nec discussa fieri, & factum hoc esse manifestum est; præcipimus & statuimus id eis in nullo penitus suffragari intra limites nostræ diœcesis, quoad assecutionem & retentionem simplicium beneficiorum, multo minus ad alicujus parochialis ecclesiæ regimen, vel obtinendum, vel tenendum, nisi doceant dictam dispensationem legitime coram ordinario ejusdem loci fuisse & esse purificatam.

Item statuimus & ordinamus, ne clerici beneficia ecclesiastica obtinentes, aut ordinibus sacris initiati nocte vagenter per plateas, neque habitum deferant secularem, non calceos aut caligas gestent scissas, sed integras, non bisso transverso distinctas, nec subductura suffarcinatas, neque tabernas & loca inhonesta ingrediantur, non gladio accincti discurrant, sed ad honestatem ecclesiasticam modis omnibus se componant, pœna transgressoribus secundum juris regulas infligenda. Statuimus quoque clero nostro barbas non esse nutriendas, nisi ratio nabilis causa & probabilis observetur.

Præcipimus omnibus abbatibus, præpositis, abbatissis, & prioribus, cæterisque monasteriorum rectoribus, ne habitum religionis monasticæ, quem ab antiquo, secundum regulæ & ordinis instituta obtinent, in aliquo sinant immutare. Quare vestes monachorum in factura, & præcipue vestimenta monialium, quæ nimium exorbitare & secularem curiositatem referre cernuntur, ad veterum & consuetum ante viginti quinque annos cultum reformentur, inobedientibus arbitraria nostra pœna percellendis.

Urgentibus innumeris causis statuimus, præcipimus & mandamus, ut clerici & sacerdotes quicunque per totam metropolitanæ diœcesis nostræ Trajectensis provinciam constituti, a contubernio & cohabitatione sua amoveant focarias & concubinas, idque intra spatium trium septimanarum a publicatione præsentium, ut scandalis & offendiculis innumeris exinde scatentibus, tandem & dignitas cleri, quæ per hoc eviluit, in pristinam æstimationem restituatur, puraque sacrificia offerantur puritatis amatori Deo; injungentes fiscalibus & officialibus respective nostris, ut quanto acrius de jure potuerint, contra inobedientes procedant ad pœnas canonicas, & tales, quales noverint magis formidabiles fore, simpliciter & de plano, sine strepitu & figura judicii, cum in notoriis iuris ordo minime sit observandus.

Interdicimus & prohibemus, ne juniores ex clero & nobilitate, sine justa & urgenti causa ad monialium cameras aut triclinia accedant, nec interdiu seu noctu potando aut alias vanitates exercendo conversentur, sed moniales sinant pensum servitutis suæ in choro persolvere, ac in omnibus ordi-

ANNO CHRISTI 1565

ordinis regularis disciplinam observare; ad quod in virtute sanctæ obedientiæ omnes pio requirimus affectu, ne opus sit ad alia confugere, quibus sic periculosus abusus de medio tollatur.

Cum virgines sacras non deceat virorum cœtibus immiscери, statuimus ut moniales civitatis & diœcesis nostræ non reformatæ, a vagando arceantur, nec in civitate Trajectensi vel alia in domo aliqua seculari pernoctent, nisi ex legitima causa superioribus probata, atque ab iisdem licentia obtenta; quod tamen ultra triduum in civitate Trajectensi, extra civitatem vero ultra spatium trium septimanarum non debet extendi, nisi licentia a nobis aut Vicario nostro obtenta.

Ad hæc statuimus & districte præcipimus, ne abbatissæ aut prioriſſæ, uno eodemque tempore plures quam duas moniales exire permittant, etsi aliquando suos parentes in locis distantibus & consanguineos invisere cupiant, prout hoc minus canonice inolevit, non ad multas septimanas, ut de facto contingit, sed ad duas dumtaxat hebdomadas præcise hæc, illis ex gratia concedantur, & non ultra, nisi ex justa & rationabili causa superiores suæ tempus laxius eis duxerint concedendum; si in hoc vel abbatissæ, vel prioriſſæ, vel moniales excesserint vel deliquerint, sciant se pecuniariam mulctam pauperum necessitatibus erogandam incursuras.

Item statuimus & ordinamus, quod si per nostram diœcesim electi seu promoti in abbates aut præpositos monasteriorum administrare præsumpserint in temporalibus ante confirmationem a nobis aut alias legitime obtentam, aut spiritualibus solemniis abbatialibus, antequam a nobis munus consecrationis fuerint adepti, se immiscere præsumpserint, eo ipso sint & censeantur privati omni jure per electionem sibi quæsito, non enim sine manuum impositione sacram illam functionem suscipere possunt.

Cum plerique abbates, præpositi monasteriorum, abbatissæ & prioriſſæ quotannis non curent debitum calculum & computum fieri de monsterii bonis, tam receptis, quam erogatis, colludentes cum suo receptore in præsentia paucorum, unde receptor ditatur & conventus damnificatur: statuimus ut tales faciant & curent tales receptores suos in præsentia totius conventus suas reddere rationes liquide & pertinenter, adhibito etiam discreto viro per nos ad hoc deputando, qui in civitate Trajectensi, aliisque locis oportunis talibus interfit rationibus audiendis: incumbit enim nostræ sollicitudini providere, ne bona monastica detrimentum patiantur; imo potius incrementum acquirant, si quid superſit, in pios usus æternosque thesauros recondendum.

Item statuimus de hospitalariis, piorumque locorum rectoribus, ut pertinentes & congruas quotannis rationes reddant, & pauperibus ac miserabilibus suis personis (de cunctis necessariis, de victu, vestitu, & cæteris, juxta debitum, consuetumque ritum provideant, nobis si in hoc negligentes fuerint, officium suppleturis.

Item statuentes, jus vetus innovamus, ut executio testamentaria ultimarum voluntatum ad pias causas intra anni spatium, a morte testatoris non finita seu terminata, idque elapsis annis gratiæ & computatis, mox ad nos pleniſſime cum omnibus dependentibus & connexis, devolutio causarum executionum testamentorum tanquam ad Diœcesanum devolvantur & devoluta censeantur; volentes ut hæc constitutio ad præterita quoque trahatur.

Item prohibemus quoque sub arbitraria correctione, ne peregrini importentur libri, aut distrahantur, nisi prius per eos qui ad hoc commissi sunt, fuerint approbati.

Item prohibemus sub excommunicationis pœna, ne monachi vel quicunque religiosi, (exceptis ordinibus mendicantium) publice coram promiscuo populo in suggestu concionari præsumant, nisi prius licentia a nobis petita & obtenta; docent enim quod nunquam didicerunt, cupiuntque agere doctores priusquam fuerint discipuli, inanem vulgi auram captantes, & venantes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Religiosi enim qui sub se habent ecclesias parochiales, sive vocati ad regimen alicujus parochiæ, in eadem dumtaxat poterunt prædicare, dummodo tamen sanam piamque promant doctrinam, & dictæ curæ institutionem rite fuerint assecuti.

Item renovantes vetera jura statuimus, a correctione legitima in notoriis, ac manifestis criminibus appellari non posse; & si appellatum fuerit, appellationi non esse aliquatenus deferendum.

Frequenter contingit, ut ecclesiarum parochialium rectores e suggestu & in concione sacra pudendum in modum detonent in plebem ac rixentur, ob non solutas oblationes, obventiones, aliaque, ut vocant jura curæ pastoralis, unde & prædicantis evilescit æstimatio, animi nullo cum fructu irritantur, quare statuimus sub excommunicationis pœna, ne curati post hac in suggestu aut ecclesia taliter rem suam agant, sed nihil ibi præter verbum Dei pure prædicent, absque ullis affectibus, sacrisque officiis summo cum fervore insistant, proprii commodi respectum saluti animarum posthabentes; poterunt tamen extra ecclesiam locis & temporibus congruis, debitores & cessatores compellare, & juris tramite ad solutionem adigere.

Cum multis collegiis & monasteriis incorporatæ sint ecclesiæ parochiales, præcipimus illis viros exemplares in Theologia aut jure canonico præfici graduatos & promotos, aut saltem artium liberalium magistros, aut alias examine debito præmisso repertos idoneos, qui non solum doctrina, verum etiam populum pascant moribus & vita; in quo si fuerit cessatum, fisci nostri erit officium agere contra cessantes & contemnentes, ut per censuras & arbitrariam mulctam ad hoc juridice compellantur.

Cæterum quia capitula & monasteria tam agunt comparce et exiliter cum hiis substitutis parochis, ut honeste se exhibere, nec hospitalitatem servare, nec suo muneri cum decore præesse queant, declinantes ad turpia

ANNO CHRISTI 1565.

pia lucella, & populi fervorem placitis magis quam piis concionibus abblandientes, unde postea scatent multa incommoda; statuimus & ordinamus, ut talibus de honesta & decente sustentatione provideatur: æquum enim modis omnibus est, *ut qui altario serviunt, de altario vivant; & non est alligandum os bovis triturantis* in area fruges; maxime cum talia collegia & monasteria ratione incorporatæ curæ ut plurimum possideant decimas opimas, quæ pro necessitate parochi sublevanda abunde sufficiant.

Denique statuimus & ordinamus, ne ecclesiæ vel monasteria solitas suas eleemosynas, & consuetas panis, frumenti, cibi ac potus in usus pauperum distributiones diminuant, extenuent ac præscindant, nec absque justa & notoria causa siliginem dent, ubi triticum dare consueverunt: & qui curam hospitalium gerunt, lectisternia pro infirmis non diminuant, sed augeant potius & multiplicent, ut in die illo gaudentes audire queant.

Esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi & dedisti mihi bibere, hospes eram & collegistis me &c.

Si hoc mandatum non adimpleverint nostrum, sciant nos huic negotio vices nostras interposituros.

Postremo statuimus & ordinamus, ut sexus utriusque monasteria, ecclesiæ, piaque loca nostræ jurisdictioni seu legi dioecesanæ subjecta, quot annis ad minus semel visitentur per suffraganeum aut vicarium officialem nostrum, vel illum aut illos, quibus de jure aut consuetudine competere dignoscitur; & ibi quæ noxia fuerint, evellant, eradicent, extirpent; quæ vero salutaria, seminent, serant & plantent, & si opus fuerit, nostrum quoque ministerium invocent, ad Dei gloriam & animarum salutem, & sanctæ religionis conservationem.

Item, eadem nostra auctoritate præcipimus, & mandamus, quod in & super omnibus matrimoniis contrahendis in facie ecclesiæ, ante ejusdem matrimonii solemnizationem & benedictionem, diebus dominicis aut festivis, & uno non festivo a se distantibus, per presbyterum parochialis ecclesiæ fiant proclamationes seu banna publica tempore divinorum, ut si qui sciverint legitimum impedimentum, proponant & publicent, & hoc præcipiatur sub poena excommunicationis; et ipsi presbyteri investigent utrum aliquod impedimentum obsistat; alioquin hujusmodi matrimonia nullatenus solemnizent, et istud præcipimus sub poena, nostro seu vicarii nostri arbitrio taxanda et moderanda.

Item, præcipimus nostra eadem auctoritate et mandamus, sub poena excommunicationis et viginti scudatorum antiquorum ad usum pauperum, si commissa fuerit, applicandorum, ne de solemnizatione quorumcunque matrimoniorum aliter quam supra, et similiter de solemnizatione, et ne de proclamatione, seu bannorum abbreviatione seu omissione, et cæteris casibus nostræ ordinariæ potestati et auctoritati reservatis, absque nostra licentia speciali vos nostræ synodo subjecti intromittatis, et matrimonia clandestine contracta et etiam qualitercunque contrahenda inter personas diversarum parochiarum non solemnizetis, nisi contrahentes de proclamationibus, modo quo supra in ambabus eorum parochialibus ecclesiis factis, legitime certificaverunt, et docuerunt sufficienter: et quod hujusmodi matrimonium solemnizationes et benedictiones non in sacristiis, neque in domibus, aut cameris seu locis privatis, sed publice tempore divinorum in facie ecclesiæ honorifice celebrentur.

ANNO CHRISTI 1565.

Item, ne sanguis subditorum de manibus vestris requiratur, vobis rectoribus parochialium ecclesiarum, sub excommunicationis et viginti scudatorum antiquorum ad usus pauperum applicandorum poenis, districte præcipiendo mandamus, ut excommunicatos propter clandestinum matrimonium contractum et ejus intereſſentiam, ac existentes in hæresi, adulterio, fornicatione, perjurio, illicita cohabitatione, diffidio aut aliquo alio excessu notorio et manifesto, vel qui sunt usurarii publici, vel peremptores, aut qui in festivitate paschali, vel saltem semel in anno vobis confessi non fuerint, nobis cum talia sciveritis aut ad hoc requisiti fueritis, nominatim et in specie insinuetis, prodatis et reveletis, ut eorum crimina et excessus non maneant impunita.

Item præcipimus et mandamus, quod monachi, etiam quicunque ecclesiastici, aliquem propter clandestinum matrimonium contractum, vel propter alios casus prohibitos in excommunicationem existentem, non absolvant, nisi talis excommunicatus a nobis, seu vicario nostro desuper absolutionem in scriptis obtinuerit.

Item, præcipimus et mandamus procuratoribus et custodibus ecclesiarum parochialium et quarumcunque capellarum ac locorum sacrorum, in quibus venerabile sacramentum conservatur, sub excommunicationis et duodecim florenorum poena, toties quoties commissa fuerit, ad usus pauperum applicandorum, ut candelam seu lampadam ardentem ante venerabile Sacramentum eucharistiæ hujusmodi die noctuque teneant, et in hoc nullatenus sint negligentes.

Item, auctoritate apostolica, et regiæ majestatis decreto, nec non auctoritate nostra ordinaria inhibemus omnibus et singulis Christi fidelibus, ne quis libros fratris Martini Lutheri, Philippi Melantonis, Johannis Calvini, aliorumque hæreticorum, tam latino, quam alamanico sermone compositos multisque ab orthodoxa fide alienis erroribus refertos, et propterea a sede apostolica damnatos, legere, tenere, emere, vendere, imprimere, describere, aut prædictis libris quoquo modo favere præsumant; quinimo tales libros in termino trium dierum a notitia præsentis mandati, ad manus vicarii nostri in spiritualibus generalis ferant, vel mittant debito igne comburendos, sub poenis et censuris in literis apostolicis ac regiæ majestatis decreto contentis.

Item, eadem nostra auctoritate ordinaria prohibemus, sub excommunicationis latæ sententiæ poena in his scriptis, ne quis aliquem excommunicatum in ecclesia vel ce-

ANNO CHRISTI 1565.

meterio ejusdem audeat sepelire seu cadaver excommunicati in ecclesia seu cemeterio ponere super terram, et si qui sepulti sint, iterum exhumentur, dummodo eorum ossa ab aliorum Christifidelium ossibus discerni possint, nisi amici aut hæredes, eorundem pro eis absolutionis beneficium meruerint obtinere ac creditoribus satisfecerint, & emendam præstiterint de commissis condignam.

Articuli clarius quam nuper elucidati ex concilii Tridentini statutis & decretis, per prælatos & capitula atque canonicos quinque ecclesiarum Trajectensium receptis & acceptatis, excepti & obedienter observandi.

Primo, ut non solum inferior clerus, sed etiam quinque dictarum ecclesiarum tam capita, quam membra in moribus et vestitu, abjicendo scilicet caligas, calceos, sagula et indumenta personis ecclesiasticis indigna, deinde in conversatione honesta, vitando monasteria virginum et religiosorum, tabernas, choreas, venationes, lusus, et cantica indecora, a sacris canonibus (quos servari vult concilium Tridentinum) interdicta; adhæc in chori frequentatione et tertiæ partis omnium fructuum ratione distributione, horis canonicis intercedentibus præstandorum assignatione, se præbeant obedientes concilio Tridentino, assignatione inquam facienda tam ex fructibus dignitatum quam officiorum, scilicet scholastriarum, thesaurariarum, et certarum præpositurarum atque canonicatuum et præbendarum in dictis quinque ecclesiis provenientibus; his etiam in omnibus collegiatis ecclesiis per totam nostram dioecesim similiter inviolate observandis; et episcopo præfatorum fructuum quantitas indicetur ut ex eis faciat secundum latiorem dicti concilii tenorem.

Pariter obediant eidem concilio quoad residentiam, ne ultra tres menses quolibet anno absint. Item in honestate vitæ, ne vel attonsis sint crinibus, vel barbas deferant, pariter et in continentia, ut concubinas amoveant, nec earum contubernia repetant, nec alias superinducant aut recipiant.

Ut quoque obediant in recipiendis ordinibus sacris, ut dimidia saltem pars canonicorum sint presbyteri, cæteri vero diaconi et subdiaconi, postquam ordines unicuique præbendæ et canonicatui (secundum concilium) fuerint assignati et annexi: et utrum tunc possessores eorundem canonicatuum, vel eorum successores tantum ad dictos ordines teneantur, consulendus erit sanctissimus dominus noster pontifex romanus, ante Festum Remigii proximum.

Ut omnes in ecclesia per se divina, & non per substitutos obeant, ac officia sua adimplere debeant; alioqui ad id compellendi juxta concilium.

Ut habentes beneficia curata seu dignitates, quibus cura imminet animarum, vel quibus ex fundatione, statuto vel consuetudine annexus est ordo sacerdotalis & presbyterii, curent hi primo quoque tempore se in sacerdotes ordinari, maxime si ultra annum fuerint in possessione talium dignitatum, cum intra annum a tempore ademptæ possessionis ad sacerdotium se promoveri curare debuissent.

Ut causæ matrimoniales, criminales & incontinentiam vitæ concernentes, non decani, archidiaconi aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquantur.

Ut episcopi in choro & in capitulo, & actibus publicis sit prima sedes & locus, & præcipua rerum agendarum auctoritas, qui si aliquid canonis ad deliberandum proponat, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agitur, episcopus ipse capitulum convocet, vota exquirat & juxta ea concludat.

Ut in executione testamentorum ad pias causas se regulent executores secundum concilium Tridentinum, quod se refert ad jus scriptum; proinde anno elapso cogantur episcopo reddere rationes, eique omnia tradere, & assignare munimenta, literas, registra, scripta & reliqua omnia, quæ ad eamdem rationem reddendam necessaria fuerint, seu alia quomodolibet opportuna.

Ut negotium seminarii a sacro Tridentino concilio præscripti ad effectum deduci & absque moris inchoari possit, cum episcopus ad illud perficiendum duos de capitulo assumere debeat, ex parte sua nominat dominum thesaurarium, magistrum Johannem Bruhesen, & de reliquo clero abbatem S. Pauli.

Ut archidiaconi & capitula, seu alii quivis neminem ad ecclesiasticum beneficium instituant, nisi prius examinatum, & approbatum ab Episcopo.

Ut capitula quinque ecclesiarum mox nominent ex suo gremio, qui una cum archiepiscopo sint habituri cognitionem causarum super delictis & aliis, prout in decreto concilii latius est expressum, ne vel ex officio, vel ad partis instantiam justitia denegari videatur diutius.

Denique ut non solum hi articuli, sed alia omnia quæ in decretis dicti sacri Tridentini concilii continentur, non solum a clero hujus nostræ metropolis, sed etiam ab omnibus per totam nostram dioecesim nobis subjectis, devote recipiantur & fideliter observentur.

Hi articuli fuerunt per reverendissimum archiepiscopum Trajectensem præsentibus regis commissariis propositi, dati & assignati prælatis et capitulis quinque ecclesiarum Trajectensium, pro regiæ majestatis voluntate ac mente dicti reverendissimi ab ipsis ad adamussim observandi et accomplendi. Actum Trajecti in aula archiepiscopali, die quarto mensis Julii anno a nativitate Domini supra millesimum, quingentesimum, sexagesimo octavo.

ANNO CHRISTI 156.

Sequi-

ANNO CHRISTI 1565.

Sequitur deſcriptio Prælatorum ex copia copiæ authenticæ.

Reverendiſſime in Chriſto pater, archipræſul ampliſſime.

Nos prælati et capitula quinque eccleſiarum veſtrarum Trajectenſium, cupientes paternitati veſtræ reverendiſſimum pium noſtrum deſiderium pariter et voluntatem circa univerſalem obſervationem decretorum ſacroſancti concilii Tridentini demonſtrare, atque conſequenter tam hiſce poſterioribus, quam prioribus articulis per P. veſtram reverendiſſimam nobis propoſitis reſpondere, dicimus atque declaramus juxta ea quæ in ultima acceptatione decretorum dicti concilii Tridentini una cum P. veſtra reverendiſſima diximus et declaravimus, nos in omnibus et per omnia dictis concilii Tridentini decretis realiter & cum effectu parere ac obedire velle, ac proinde P. veſtræ reverendiſſimæ liberum eſſe juxta auctoritatem eidem a præfato concilio attributam, ad eorundem decretorum executionem, ac eorum quæ nondum ſunt emendata, & inobedientium correctionem procedere, obnixe P. veſtram reverendiſſimam rogantes, ut in exequendo ejus rationem habere dignetur, ut nihil exequatur, quod contra expreſſum textum concilii vel dubium videri poſſit.

Quia vero in articulis heſterno die per veſtram P. reverendiſſimam exhibitis, nonnulla continentur quæ videntur non ſatis convenire intentioni decretorum dicti concilii & in ſe continere quandam dubietatem, viſum nobis fuit in primis quantum attinet ad aſſignationem tertiæ partis omnium fructuum ratione diſtributionum pro intereſſentibus horis canonicis, videri nobis canones ea de re in concilio præſcripto mentionem facientes, non habere locum in quinque eccleſiis noſtris Trajectenſibus, attento quod præſcripti canones loquantur de illis eccleſiis dumtaxat, ubi nullæ ſunt præſentiæ, aut tam tenues, ut veriſimiliter negligantur. Jam vero licet in confeſſo ſit præſcriptis eccleſiis veſtris de præſcriptis diſtributionibus ſic ſatis eſſe proviſum, ut ob eam ſaltem cauſam non negligantur, tamen ut cultus divinus cumulatius frequentetur eique plures quotidie interſint, offerunt præmiſſarum eccleſiarum ſingulæ quotidianas diſtributiones ad mille florenos annuos pro horis divinis intereſſentibus, atque ibidem permanentibus augmentare, & quatenus hæ noſtræ allegationes & oblationes non ſatisfaciunt reverendiſsimæ P. veſtræ ſententiæ & intentioni, ſtatuunt juxta beneficium dicti concilii hanc quæſtionem ad ſedem apoſtolicam referre; parati interim ſub feſtum Remigii proximi præmiſſorum mille florenorum ſummam præſentis applicare.

Secundo quoad barbam & crines, licet nihil decretum ſit in decretis antedicti concilii, tamen referunt ſe dictæ eccleſiæ veſtræ ad decretum ea de re factum in ultimis ſtatutis ſynodalibus.

Tertio, quandoquidem canones concilii, præſcripti loquentes de contentis tertii articuli, clari ſunt & manifeſti, non præſentes videlicet præbendarum poſſeſſores, ſed earundem ſucceſſores tantum eſſe obligatos ad eorum (de quibus agitur) ordinum ſuſceptionem.

Et quia ſequens quartus articulus commode exequi non poſſit ex eo quod non inveniantur aliquibus præbendis certa onera annexa eſſe, paratæ tamen ſunt eccleſiæ veſtræ quoad commode fieri poterit, effectum ſuum perſonaliter peragere.

Quoad cauſas criminales in ſexto articulo expreſſas, eccleſiæ veſtræ inhærentes canoni tertio ſextæ ſeſſionis concilii Tridentini, referunt ſe ulterius ad diſpoſitionem juris communis & doctoris.

Quantum ad executionem teſtamentorum ad pias cauſas octavo articulo comprehenſam, eccleſiæ veſtræ referunt ſe ad canonem octavum XXII. ſeſſionis, cujus tenori ſeſe plene ſubmittunt: reliquos articulos tam præſentes quam ſubſequentes eccleſiæ veſtræ acceptant, ſalvo quod in examine inſtituendorum ad dignitates, canonicatus & beneficia iidem non reiiciantur niſi legitimis de cauſis, archidiaconis, decanis & capitulis exprimendis nominatim tam ad executionem ſeminarii, quam cauſarum criminalium cognitionem ſuos commiſſarios. Actum IX. Julii A. LXVIII. Paulo inferius ſcriptum erat. Concordat præſens copia cum originali reſponſo reverendiſſimo dato, quod atteſtor ſubſcriptus Lamsweerde, ſecr.

ANNO CHRISTI 1565.

ANNO CHRISTI 1566. 1568.

S. PIUS PAPA V.

Sedit ab anno 1566. usque ad 1572.

PROVINCIALIS SYNODUS RAVENNATENSIS

Anno 1568. habita.

HISTORIA CONCILII

Ex Rubeo hist. Raven. lib. X. pag. 747.

DIligens archiepiscopi studium, nequaquam tot persancte institutis contentum, vetustæque dignitatis revocandæ cupidum, hic non perstitit; sed ut optimus pastor, cogniturus, quæ sint illius oves, & qua ratione curarentur, indixit provinciale concilium. In qua re opus archiepiscopo haud minus potenti, ac diligenti, profecto fuit, multis subjectis episcopis, sese liberos, neque Ravennati archiepiscopo subjectos, in tanta rei intermissione, asserentibus: ducentos enim, & quinquaginta iam annos derelictam hujusmodi subjectionis significationem revocanti etsi recte consideremus, maxima auctoritas & diligentia, summusque labor fuit adhibendus. Pietatis autem & religionis officia archiepiscopus non omittens, cum indicti concilii tempus adventaret, primum quidem ad eos, quos alebat perpetuo domi familiares viros doctos, summosque theologos, alios undique evocatos adjungit; idem facit, de phonascis, ut diligentiori cultu sacra fierent. Et ne quidquam incommodi Ravennatibus accederet, comportari commeatum Foro Sempronii, suisque cæteris e regionibus jubet. Quæ omnia quanta impensa fierent, ut explicetur, necessarium non puto.

Cum autem hoc temporis spatio tempus concilii præstitum, kalendæ scilicet Majæ, advenissent, ii Antistites Urbinam in ædem congregati sunt, Julius Feltrius ab Ruvere, Urbinatium cardinalis tituli S. Petri ad Vincula, Arcis Soræque dux, & archiepiscopus Ravennas; Joannes cardinalis Moronus Mediolanensis Mutinensium; Gabriel cardinalis Paleottus Bononiensis, Bononiensium; Alexander cardinalis Sfortia, Romanus, Parmensium; Lelius Garuffus Pius, Sassinensium; Baptista Grossus Mantuanus, Regiensium; Alfonsus Rosettus Ferrariensis, Ferrarensium; Scipio Sanctacrucius, Romanus, Cervicnsium; Julius Parisanus, Tolentinas, Ariminensium; Julius Cananus, Ferrarensis, Hadrianorum; Odoardus Gvalandus Pisanus, Cæsenatium; Franciscus Guarinus, Tifernas, Foro cornelianorum; Joannes Baptista Sighicellus, Bononiensis, Faventinorum; Hercules Sacr atus, Ferrarien. Cimaclienſium; Antonius Zanottus Muntagnanensis, Forolivianorum; Franciscus Rusticutius, Fanestris, Fanestrium; Joannes Baptista Maremontes, Forosempronienſis, Uticensium episcopi; Augustinus Molignattus, Vercellensis, Britonorianus episcopus, quod erat ægrotus, interesse non nisi per procuratorem potuit, ejusque accepta est excusatio. Omnium postremus Joannes Antonius Bonomus Cremonensis, abbas Nonantulanus, numeratus est. Cum itaque cardinales & episcopi, ceteriq. minores sacerdotes quisque ordine consedissent, in medio autem præalta in sede mitratus archiepiscopus veteris dignitatis honorem referret; Letaniis pie pronunciatis, sacra solemnia, admirabile & vario cærimoniarum modo, & eximio phonascorum concentu incredibilique hominum frequentia, operante archiepiscopo, peracta sunt. Secundum quam Bernardinus Pinus, vir disertissimus, suggesto ligneo conscenso, splendidam orationem habuit, qua utilitatem conciliorum provincialium ostendebat, ejusq. diei, que felicissima Ravennati populo illuxit, lætitram explicabat. Eo tacente, archiepiscopus sua in sede graviter exorsus, declarat initio archiepiscopatus sui, ut corruptos mores conformaret; depravatam disciplinam ad normam sac rosancti Trid. concilii restitueret; fidem catholicam, ac vere orthodoxam evangelicamq. in animis populorum confirmaret juſſis patrum qui hujusmodi, provinciales synodos, in concilio eodem Tridentino, mandassent, pareret, animum ad illud provinciale habendum concilium adjecisse, nullisque cujusvis generis incommodis retardari tam salubri instituto potuisse: simili enim omnium aliorum episcoporum opera persancte actitata maximam operam comparandam fore ad sedandam procellam, qua jam multarum externarum gentium animi vehementissime commoventur, & longe maximum Reipubl. diuturnis affectæ malis discrimen imminet: sperareque se benignitate Dei, divorum immortalium, qui recta incedentes via nusquam fefellerunt, adjuncta Pii quinti pontificis maximi, atque optimi diligentia, iis coeptis summa eventus felicitate responsuros. Quamobrem omnes hortari atque obsecrare, ut, quando studia, cogitationesque suæ omnes ad rem christianam juvandam mirifice conversæ atoque directæ esse debent, omni alia cura posthabita, quo ad ejus fieri posset, accurate, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum sunt necessaria in eo con-

ANNO CHRISTI 1568.

conventu, cum Dei auſpicio, & nomine, agerent, & conſulerent. Quibus dictis, Camillus Perutius a Mondulfo juris conſultus & Ruverei archiepiſcopi a ſecretis, cauſarumque judex, qui actis concilii præerat, in medium prodiens, omnes, qui adeſſe deberent, nomine appellavit; cunctis, extra epiſcopum Placentinum reſpondentibus, quod is multo pertinacius, quam reliqui, ſe minime Ravennatis eccleſiæ ſubjectum affirmaſſet, cui & a Leonardo Moriſio juriſconſulto Ravennati, concilii, (ut ajunt) promotore dicta dies eſt; facta demum primum ab archiepiſcopo, deinde a ceteris, ex laudabili majorum conſuetudine & Pii quarti Pontificis præſcripto, ſuæ fidei confeſſione, reliquiſque cæremoniis, quæ in pontificum editis libris habentur, prima ſeſſio Kalendarum majarum abſoluta eſt. In altera, quæ tert. Non. Maii eſt habita, poſtquam ſacris, & cæremoniis de more peractis, nomine Alexandri Sfortiæ cardinalis, Parmenſium epiſcopi, luculentam orationem canonicus Parmenſis habuit, Joannes Baptiſta Maremontes, epiſcopus Uticenſis, Ruverei archiepiſcopi vicarius, pro ſugA geſto ligneo parvo adiid muneris accommodato, eorum partem, quæ decreta fuerant, recitavit: reliquorum recitationem tertia, eademque poſtrema ſeſſione ad ſept. id. abſolvens: quam ſeſſionem extremam Franciſcus Vicedominus, Ferrarienſis cocullatus, franciſcanus, Ruvereis archiepiſcopi Theologus eleganti, & docta oratione plurimum exornavit, dum ſingularem explicavit archiepiſcopi pietatem, atque prudentiam, ingentemque omnium, Ravennatiumque præſertim lætitiam, atque eo majorem, quo diuturnius, atque acrius hæc conciliorum provincialium Ravennatium conſuetudo diſturbata, diſſipata, intermiſſa, tunc demum ſingulari Dei omnipotentis beneficio ſanctis TriB dentini concilii inſtitutis & ſumma Julii Ruverei archiepiſcopi non tam cura, & ſumptu, quam felicitate, ac laude revocata videbatur. Recitatis decretis, quibus ad ſummam cavebatur, ut omnia ad ſalutem noſtram pertinentia, pure, caſte, atque ex more, inſtitutoque majorum tractarentur, cum patres placere ſibi reſpondiſſent, dimiſſum eſt concilium.

ANNO CHRISTI 1568.

DECRETA

PROVINCIALIS STNODI

RAVENNATIS,

PRAESIDENTE IN EA

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISS. DOMINO

JULIO DE RUVERE,

Tituli ſancti Petri ad Vincula, S. R. E. presbytero cardinali Urbin. ſanctæ Ravenn. eccleſiæ archiepiſcopo.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Ex Edito Romæ anno 1569.

NOs Julius Feltrius de Ruvere, tituli ſancti Petri ad Vincula S. R. E. presb. cardin. Urbin. & Dei, atque apoſtolicæ ſedis gratia, S. Raven. eccleſiæ archiepiſcopus, de conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum DD. coepiſcoporum noſtrorum, in præſenti Raven. provinciali Synodo legitime congregatorum, hæc, quæ ſequuntur, ſtatuimus & ordinamus.

Profeſſio Fidei.

In primis vero fidei confeſſionem, ut decet, præmittentes, atque in hunc, qui ſequitur, modum, eam juxta formam in bulla fe. re. Pii Quarti traditam, profitentes; E credimus, & profitemur omnia, & ſingula, quæ continentur ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet, Credo in unum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, & ex patre natum ante omnia ſæD cula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis; & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt: crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt: & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: & aſcendit in cælum: ſedet ad dexteram Patris: & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in ſpiritum ſanctum dominum, & E vivificantem, qui ex patre, filioque procedit: qui cum patre, & filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam catholicam, & apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum: & expecto

ANNO CHRISTI 1568.

pecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem ecclesiæ observationes, & constitutiones, firmissime admittimus, & amplectimur. Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum, admittimus: nec eam umquam, nisi juxta unanimem consensum patrum accipiemus, & interpretabimur.

Profitemur quoque septem esse vere, & proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, (licet non omnia singulis necessaria,) scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre; ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipimus, & admittimus. Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplectimur, & recipimus.

Profitemur pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, una cum anima, & divinitate domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem: quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fatemur etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter tenemus purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis juvari: similiter & sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse: eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmiter asserimus imagines Christi, ac deiparæ semper Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse: atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam; Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmamus.

Sanctam, catholicam, & apostolicam Romanam ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnoscimus: Romanoque pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondemus, ac juramus: cætera item omnia a sacris canonibus, & oecumenicis conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipimus, atque profitemur, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, nos pariter damnamus, rejicimus, & anathematizamus.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profitemur, & veraciter tenemus, eandem integram, & immaculatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a nostris subditis, vel illis, quorum cura ad nos in nostro munere spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in nobis erit, curaturos.

Præscriptam autem fidei professionem, ex ejusdem fere: re: Pii Quarti Bulla, omnino facere teneantur, quicumque de beneficiis ecclesiasticis, curam præsertim animarum habentibus, quovis modo provisi fuerint: quive in posterum ad doctorales, vel magistrales gradus promovebuntur, seu hactenus sunt promoti: ea ratione habita, ut qui nondum sunt promoti, in ipso promotionis actu, alii vero infra tempus ab episcopo statuendum, fidem ipsam profiteantur: necnon publice, vel privatim, theologiam, canonicam, vel civilem censuram, medicinam, philosophiam, grammaticam, atque alias bonas artes quascumque profitentes, legentesve, sub poenis in eadem Bulla contentis.

De canonicatibus vero, atque aliis ecclesiasticis dignitatibus provisi, præter professionem fidei positam, in episcoporum manibus faciendam, in ipso quoque capitulo, infra duorum mensium spatium, a die adeptæ possessionis, ex sacri Tridentini concilii præcepto, fidem profiteantur, ut fructus suos faciant: & adepta illis possessio suffragetur. Quod si capitulum in ea recipienda, negligens fuerit, graviter, ordinarii arbitrio, puniatur, si vero ipsius provisi culpa id acciderit; ad distributiones, donec, satisfecerit, non admittatur: nihilominus ad eam gravioribus poenis propositis, faciendam, omnino cogatur.

In fidei autem professione facienda, præcipue observetur; ut publice, ac palam ab omnibus fiat, adhibitaque jam præmissa verborum forma: necnon eamdem perepiscopalis curiæ Notarios de ea rogatos, in peculiari libro annotari, cum ipsius profitentis subscriptione, ad perpetuam rei memoriam, episcopi curent.

CAP. I.

De hæreticis.

QUod ad conservandam catholicæ fidei integritatem pertinet, ut ab eo potissimum exordiamur, quam maxime episcopos hortamur ac monemus in domino: ut diligentissime in primis invigilent, & attendant, ne virus aliquod in tanta mali propinquitate ex infecta aliqua radice latenter subrepat, quod gregem, & ejus pascua inficiat, vel corrumpat: studeant ut opportuna adhibeantur remedia, quæcunque ad populos in orthodoxa fide continendos, facere videantur: idque præ ceteris curent, ut conventiculæ rudium, ac

præ-

ANNO CHRISTI 1568.

præsertim suspectorum hominum prohibeantur: de his, quæ ad fidem pertinent, ab idiotis præcipue, & literarum ignaris nec publice, nec privatim disputetur: a catholicis, & sanæ doctrinæ religiosis viris sermones, vel conciones quam sæpissime habeantur: & his similia. Quod si putridum quid appareat, statim resecari provideant: & quos semel infectos fuisse cognoverint, diligenter observent.

CAP. II.

In hæreticis, vel de hæresi quoquo modo suspectis perquirendis, & extirpandis, non solum vigilantissimi sint episcopi, atque ordinarii omnes; quod præcipuum est eorum munus, usque ad animam, & sanguinem exequendum: sed etiam sæculi principes, ac magistratus quoscunque frequenter admoneant: quemadmodum eos monemus, & hortamur in domino; ut episcopis atque aliis sacræ inquisitionis ministris auxilium, favorem, & consilium præbeant; quo canonicas poenas evitent, atque enitantur, in hoc tam necessario ac præcellenti fidei negotio plurimum proficere: quo certe nil Deo gratius, aut populis salubrius excogitari potest.

CAP. I.

De libris prohibitis.

POsteriorem librorum prohibitorum indicem, cum suis regulis, episcopi ad unguem observari faciant: bibliopolisque atq. impressoribus, quæcunq. ad eos pertinent, ad memoriam sæpe revocari curent; ne in aliquo delinquentes, poenas contra eos statutas incurrant.

CAP. II.

Animadvertant præterea episcopi, in quorum dioecesibus imprimendi ars exercetur, ut libri atque opera quæcunque, antequam imprimantur, exactissime perlegantur, atque ubi opus fuerit, castigentur: cum primum vero typis excusa fuerint, non antea ex officina exeant, aut venalia proponantur, quam cum originalibus diligentissime conferantur: eademque subsignata ad perpetuam rei memoriam fideliter conserventur.

CAP. III.

Episcopi non solum in eos, qui libros, quavis ratione prohibitos retinent; sed etiam in omnes sacræ scripturæ verbis ad jocum, assentationem, contumeliam, superstitionem, atque alios profanos usus abutentes, severissime animadvertant.

CAP. I.

De verbi Dei prædicatione.

NOn ambigitur, episcoporum munus in pascendo grege, ac diligenter in fide erudiendo, potissimum versari. Proprium itaque munus agnoscentes episcopi ipsi illud pie, ac fideliter exequi satagant, & spiritualem panem esurientibus frangant: sæpe recolentes, ovium suarum sanguinem ex eorum manibus esse requirendum: quod sane officium, si per seipsos, ut decet, legitime præpediti obire nequeant, idoneos verbi Dei ministros, juxta sacri Tridentini concilii decretum, eligendos, sibi ipsis adjungant: qui eorum vices omni diligentia, & pietate suppleant: atque in primis attendant, ut eorum sana sit, & illibata doctrinia; ne mala sibi electio imputari possit.

CAP. II.

Hæc autem præcipue a verbi Dei prædicatoribus quibuscunque observentur: ne quæstionibus inutilibus, aut fabulosis, vel jocosis verbis, aut dubiis, vel implicitis sermonibus audientium mentes occupent: ab historiis apocryphis, miraculorumque non approbatorum recitatione abstineant: hæreticorum opiniones, & argumenta (nisi id urgens rei necessitas postulet) quanto minus fieri potest, nominatim recenseant, sed omnino refellant: vitia generatim reprehendant: & Salvatoris exemplo, populorum vitam componere, atque instituere studeant: in aliquem tacite, vel expresse non invehantur: prælatos, & magistratus pie, ac reverenter admoneant: subditosque ad eorum obedientiam excitent, & hortentur; quibus de rebus, atque aliis hujusmodi, sacrarum concionum tempore, ab episcopis, & curatis omnibus, prædicatores præmoneantur, ut quid magis, vel minus pro loci, & popularium peccatorum qualitate, sit audientibus enunciandum intelligant: doceanturq. in vitiis redarguendis, atque animis Deo reconciliandis, potissimum sibi esse elaborandum: rejectis quibuscunque ad ostentationem, & fastum tantummodo facientibus.

CAP. III.

Ordinarii omnes in propriis, & subditorum ecclesiis, ubi commode fieri potest, statutis a Tridentino concilio diebus sacras conciones haberi curent: quibus non solum ipsi frequenter interfint; sed & clericos loci universos adesse curent.

CAP. IV.

Dei verbum quocunque anni tempore diurnis horis prædicetur. Item passio domini nostri Jesu Christi lucescente die, non autem noctu, per prædicatores enuncietur: provideantq. episcopi, ne quid per illos, eo tempore, vel etiam alias quandocunque dicatur, aut fiat, etiam ad lachrymas

ANNO CHRISTI 1568.

ANNO CHRISTI 1568.

mas provocandas; quod a Christiana disciplina aliquo modo abhorret; & a tanti mysterii dignitate sit alienum.

CAP. V.

Provideant insuper episcopi; quo ad ejus fieri potest, ut in concionibus foeminæ seorsum a masculis in ecclesiis intersint, atque ita disponantur; ut a maribus, religionis, ac honestatis gratia, distinguantur.

CAP. VI.

Ne vero aliqua inter parochos & populos sibi commissos, de alendo prædicatore, eique de aliqua eleemosyna providendo, ut sæpe fit, dissensio habeatur; statuimus, & ordinamus laudabiles locorum consuetudines inviolabiliter amplecti debere: in dubio autem superiores admoniti, quod sibi magis expedire videbitur, efficiant: ac parochorum præsertim pauperum, quo magis fieri potest, indemnitati provideant.

CAP. VII.

In prædicatore autem eligendo inhibemus, ne sæculi potestates, magistratus aut universitas aliqua ullo pacto se se ingerat; cum hoc totum munus ad episcopos, & ecclesiarum rectores ex sacrorum canonum dispositione pertineat, qua in re si difficultas aliqua suborta fuerit, ad ordinarium deferatur: qui modis omnibus ecclesiarum immunitati consulat, sicuti magis conducere existimaverit.

CAP. I.

De lectione theologica

THeologiæ lector, ubi commode fieri potest, sæcularis clericus; sin minus regularis in subsidium, in unaquaque cathedrali ecclesia, ac etiam collegiata insigni extra civitatem per ordinarios adhibeatur: statuta eidem congrua mercede, vel ex præbenda proxime vacatura, vel alio quovis modo, juxta Tridentini concilii decretum, veluti magis unicuique prælato videbitur, & ecclesiæ suæ qualitas patietur.

CAP. II.

Is autem, qui lectioni hujusmodi deputatus fuerit, statis diebus, & horis juxta episcopi præscriptum, sacræ scripturæ libros, atque alios pro casuum poenitentialium cognitione, a curatis, & sacerdotibus habenda, clero præsertim, per anni circulum, in loco per episcopum designato interpretabitur: cujus lectioni, ut tam majoris, quam minoris gradus clerici frequenter intersint; non solum episcopi curent, sed etiam sæpissime singulos illius auditores, ut in hujusmodi lectione proficiant, hortentur, & admoneant.

ANNO CHRISTI 156[illegible].

CAP. I.

De scholis & magistris.

UT literarii ludi, bonarumque artium magistri, non tam doctrina, quam fide orthodoxa, ac bonis moribus ornati, ab his, ad quos pertinet, eligantur; episcopi atque alii locorum ordinarii exactissimam curam adhibeant: cum ex hoc ipso potissimum pendeat adolescentium salus, & incorrupta morum ac vitæ institutio & disciplina.

CAP. II.

Caveant autem maxime profitentes hujusmodi; ne libros aliquos, obscoena, vel turpia tractantes, discipulis legendos, vel interpretandos proponant: studeantque commissos eorum disciplinæ pueros honestis moribus, in flexibili illa ætate, & ad malum prona, decenter imbuere: scientes se se de ipsorum negligentia, Deo primum rationem reddituros; ac propterea sibi maxime cavendum esse, ne rebus pessimis vel profanis initientur.

CAP. III.

Ut ergo nullus sit hæsitandi locus; & via omnis fraudibus præcludatur; statuimus, & ordinamus, ne quis literarium ludum per comprovinciales dioeceses aperiat, vel privatim profiteatur; nisi facultate ab ordinario prius gratis obtenta, ac fidei professione emissa, sub illius arbitrii poena: cum sæpe re ipsa compertum sit, lupos sub ovina pelle delituisse.

CAP. IV.

Meminerint præterea episcopi, puerorum scholas, nedum gymnasia, ubi juventus publice profitetur, ex officio sibi esse visitandas: qua in re plurimum confidimus omnem curam ab eis fore impendendam. Hortamur autem sæculi principes, & magistratus quoscunque, ut episcopis visitantibus faveant: ac eosdem, proprium munus obeuntes, perturbari nullo pacto patiantur.

CAP. V.

Illud insuper decernimus, ut ordinarii in quorum dioecesibus generalia vel quævis alia studia vigent, provideant, ne conclusiones aliquæ, publice vel privatim ostentandi ingenii causa, vel alia quapiam ratione disputentur, aut defendantur, antequam per eos examinentur, & approbentur: quacumque consuetudine, non obstante; nec item patiantur disputationes, quæ sine clamoribus fieri non possunt, de cætero in sacris ædibus haberi, sub eorum arbitrii poena.

CAP.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. I.

De sanctorum Reliquiis.

SAnctorum reliquiæ honestissimis in locis, ac decoris vasculis, in ecclesiis asserventur; non sine luminibus populo exhibeantur: nec temere, & sine ordinarii licentia, ex propriis loculis extrahantur: neve ad inspiciendum, vel tangendum alia quapiam ratione, quam devotionis gratia proponantur; pro certis autem non nisi illæ habeantur, quæ rite fuerint ab episcopis approbatæ; quæcunque vero pro reliquiis sunt habitæ, honestatis causa, decenti ac tuto loco recondantur.

CAP. II.

Si quas vero reliquias, de novo detegi, aut exhumari contigerit; episcopi provideant, ne incertæ pro certis habeantur: & quod religioni, ac pietati consentaneum videbitur, adhibito quoque piorum, ac religiosorum hominum consilio, decernant.

CAP. III.

Abusus quoque, si qui forsan in reliquiarum veneratione, aut visitatione irrepsisse videantur, ab episcopis quam primum tollantur: ne piorum animæ sub falsitatis imagine decipiantur. Eam autem venerationem sanctorum reliquiis ab omnibus exhiberi, & doceri episcopi curent, quam sacrosancta Tridentina synodus decrevit.

CAP. I.

De sacris imaginibus.

IN sacris imaginibus effingendis, id primum vitetur: ne insolita aliqua imago, vel insolito modo pingatur, sculpatur, vel apponatur: præsertim in ecclesiis, atque aliis piis, & religiosis locis. Nihil præterea indecens, indecorum, lascivum, profanumve, habitu, vel vultu, ac toto corporis statu adhibeatur: atque hujusmodi divinæ imagines existant, ut in illis inspiciendis pietas excitetur: nec quicquam in eis appareat, quod prototypo, ac exemplari suo, ex approbata ecclesiæ consuetudine, non conveniat.

CAP. II.

Mandamus propterea ejus generis artificibus quibuscunque, atque imaginum effingendarum curatoribus; ut nonnisi de episcoporum, vel parochorum licentia, sacras imagines quovis modo effingere, vel in ecclesiis, piisque locis apponere præsumant: & quæ hactenus appositæ sunt, si se recte non habeant, eas episcopi deleri, corrigi, vel instaurari faciant, eorum sumptibus, ad quos ea res pertinet, sub eorum arbitrii pœnis.

CAP. III.

ANNO CHRISTI 1568.

Quod autem ad ipsarum sacrarum imaginum cultum, & venerationem attinet; eam pariter reverentiam, & honorem illis episcopi impendi curent, quam sacrosancta Tridentina Synodus statuit: idque sæpius populos edoceri studeant.

De miraculis.

In novorum miraculorum approbatione formam a sacro Tridentino concilio traditam, episcopi diligenter observent. Sed quoniam sæpe, vulgi concursu, & populi clamore, quid pro miraculo promulgatur, quod vere non est; studeant episcopi summopere, cum se se offert occasio, ut primis illis vulgi clamoribus obsistant; donec miraculi veritas habeatur, ac legitime comprobetur: ne falsa pro veris recipiantur; atque incerta tolerando, eadem approbare videantur: ad populi nihilominus devotionem & pietatem, quantum catholicæ fidei ratio patitur, respicientes, dubia quæcunque juxta ejusdem concilii decretum, quam primum decernantur.

De sacrorum gestorum repræsentatione.

Scripturæ sacræ historiæ, sanctorum martyria, & actiones, aut etiam Domini nostri Passio; quasi ex scæna, seu alio quocunque modo; sive in sacro, sive in profano loco, aut etiam in monialium monasteriis, nullatenus repræsententur: cum exemplo constet, ex iis astantes magis oblectari, & ad risum, ac scandalum sæpius excitari; quam ad pietatem accendi: nisi aliud pro populi devotione, ac rei & temporum conditione episcopis, ex rationabili causa, videatur: qui re ipsa diligenter cognita; quod pietati conducere prospexerint, pro eorum prudentia statuent.

CAP. I.

De festorum dierum cultu.

FEstorum dierum reverentiam, ore nobis Dominico propositam, episcopi, atque alii ordinarii omnes, honore debito prosequentes, diligenter curent; ut Dominici dies, & alii ab ecclesia recepti, præcipue vero in honorem Dei, beatæ Mariæ virginis, & sanctorum apostolorum feriati, omni, qua decet, veneratione, juxta sanctissimi D. N. D. Pii quinti bullam, per eorum civitates & diœceses observentur. Omnes Christi fideles in diebus hujusmodi, ecclesias frequentent: divinis officiis devote incumbant atque eo potissimum tempore ab illicitis quibuscunque abstineant. Qui vero festis diebus illicitum opus aliquod facientes, deprehensi fuerint, ex quo lucrum præcipue sibi redundet; præter divinam ultionem, & alias pœnas ex ejusdem bullæ dispositione inflictas, graviter quoque pro modo culpæ, ex episcopi arbitrio, puniantur.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. II.

Illas præterea festivitates, quæ juxta locorum consuetudinem solemniter celebrari consueverunt; eadem consuetudine servata, propositis itidem ex arbitrio poenis, ejusdem bullæ auctoritate; debita cum reverentia episcopi observari curent.

CAP. III.

Prædicta vero omnia, non solum in civitatibus, & oppidis, Episcopi festa servari studeant; sed etiam per agros & villas; quibus in locis a rusticis, & villicis hominibus, in hoc sæpe delinquitur; quod crebris parochorum admonitionibus, & executorum adhibita diligentia, consequi poterunt.

CAP. IV.

Ut autem Divi Apollinaris primi Ravenn. ecclesiæ antistitis, & martyris glorioſi, aliorumque undecim archiepiscoporum, qui per columbam electi fuere, memoria digne ac pie habeatur, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, & eorum decreta innovantes; statuimus, ut a comprovincialibus episcopis in suarum ecclesiarum calendariis, eorum nomina perpetuo ascribantur, ubi id consuetudo ferat; & eorum festa celebrentur.

CAP. V.

Quæcunque vero a fidelibus festo tempore vel agenda, vel vitanda sint; populos ex sui officii debito, episcopi, commoneri faciant: quo major festis diebus reverentia, ut par est, ab omnibus præstetur.

CAP. I.

De jejuniorum observatione.

SAcra jejunia quæcunque ex ecclesiæ instituto indicta, pariter ab omnibus observari, episcopi studeant: quisquis autem eadem legitima cessante causa, violare præsumpserit; præter divinam ultionem, quam cibis utendo vetitis, ipso jure incurret; graviter quoque ordinarii arbitrio, si id absque rationabili causa factum fuisse constiterit, puniatur; præsertim si sæpius in illud idem crimen inciderit.

CAP. II.

Jejuniorum tempore, ac præcipue quadragesimæ, vetiti cibi pro imbecillium ac infirmorum usu, non alibi, aut ab aliis vendantur, quam in statutis locis, & ad id deputatis: ac non nisi ex causa ab utroque medico comprobanda, ac licentia ab ordinario, vel ejus vicario, seu deputatis ab eis gratis subsignata & obtenta, sub poenis ex arbitrio statuendis; extra urbes vero, & oppida a parochis licentiæ hujusmodi ex rationabili ac urgenti causa dumtaxat, ubi medici consilium haberi non potest, ac similiter gratis concedantur: cum his tamen conditionibus, quæ suis episcopis necessariæ videbuntur.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. III.

Cibos insuper jejuniorum solemnium tempore prohibitos coquentes, vel ad esum quoquo modo parantes, aut absque prædicta licentia ementes, vel participantes, severius ab ordinariis ipsis plectantur & si sit opus, & culpæ qualitas id exposcat; in subsidium quoque excommunicentur.

CAP. IV.

Quæ vero jejunii diebus observari vel vitari debeant, episcopi populos edoceri curent: eosque moneant, jejuniorum tempore non solum a cibis vetitis esse abstinendum; sed etiam ex præscripta ab ecclesia forma, jejunandum; ubi quis a jejunii præcepto, aliquo rationabili jure non subtrahitur, aut excusatur.

CAP. I.

De maleficiis, & incantationibus.

MAleficos & maleficas quoscunque cum incantationibus, ligaturis, ac remediis omnibus, quæ non commendat ars medicorum, ex sacrorum canonum dispositione, episcopi puniant: & si ita oportere intelligant, de hujusmodi crimine vehementer, etiam suspectos, a suis diœcesibus eliminent; quod si forte, vel homicidæ fuerint, vel in eorum maleficiis aliquis sacramentorum abusus intercesserit; legitime puniendos curent.

CAP. II.

Res præterea quascunque ad maleficia paratas exhibentes, propinantes, vel ministrantes, item hi qui flagitia hujusmodi affectaverint; vel cum eadem profitentibus participaverint; ex communicentur; atque aliter pro modo culpæ, ex arbitrio puniantur; necnon cum dæmone tacite vel expresse quicunque convenerint, & a catholica fide quoquo modo apostataverint, maleficii causa, adhibito etiam inquisitore, canonicis poenis afficiantur.

CAP. I.

De superstitionibus.

SUperstitiosas, & vanas populi observationes, quæcunque sint, episcopi tolli, & ab ovibus sibi commissis, veluti rem perniciosissimam vitari curent: concionumque tempore, atque alias quandocunque opportunum videatur, hæc atque alia hujusmodi a recta fide aberrantia, subditos cavere moneant; & gravi quoque poena proposita ex sacrorum Canonum decreto, compellant.

CAP.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. II.

Certum insuper candelarum numerum, cum vana quacunque observatione ad morbos præsertim ex vulgi opinione, repellendos, vel ad maleficia perpetranda; sive in Missæ sacrificio, sive alias quomodocunque, adhiberi prohibemus; sub arbitrii poena: clerici vero consentientes, vel id fieri permittentes, aut scientes, nec ad episcopum deferentes, ab eo graviter puniantur.

CAP. I.

De blasphemia.

IN blasphemos quam maxime, ut reatus qualitas exigit, insurgentes; statuimus, tam laicos, quicunque sint, quam clericos, qui Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum, vel gloriosam virginem Mariam, ejus genitricem, expresse blasphemaverint, poenis in Bulla Sanctiss. D. N. Pii Quinti contentis omnino afficiendos esse. Si vero reliquos sanctos maledictis lacesserint, vel eorum nomini detraxerint, pro personæ & culpæ qualitate, ex eadem Bulla, Ordinarii arbitrio corripiantur.

CAP. II.

Blasphemantium parentes, aut domini, filios, vel ministros, blasphemandi consuetudinem deserere nolentes, objurgent, deferant, & incorrigibiles eiiciant; ne & ipsi divinæ Majestatis rei, tantum scelus perferendo, constituantur: quod in eorum receptatoribus locum habere decernimus.

CAP. III.

Sæculares quoque potestates, ac Magistratus, in blasphemos insurgere monemus, & hortamur in Domino; ut Indulgentiam a posteriore Lateranensi concilio illis con cessam consequantur; neve poenas quas ab aliis sumere prætermiserint, ex ejusdem concilii decreto, in seipsos convertant.

CAP. IV.

Studeant autem episcopi modis omnibus, hoc execrabile blasphemiæ scelus abolere: quod ut facilius assequi possint, vehementer hortamur; ut societates nominis Dei in eorum civitatibus, & dioecesibus institui curent: juxta regulam eidem societati præscriptam; una cum Indulgentiis in Bulla fel. rec. Pii Quarti desuper edita contentis.

CAP. I.

De cathedrali ecclesia vacante.

QUoties Dei voluntate, cathedralem aliquam nostræ hujus metropolis ecclesiam, vacare contigerit, defuncti pastoris exequias, ipsius vacantis ecclesiæ capitulum, clericis omnibus adscitis, quo decet studio, ac pietate celebret: illiusque animam frequenti Missarum sacrificio, aliisque sacris precibus, in quibusvis tam orbatæ civitatis, quam dioecesis ecclesiis, de more adhibitis, Deo plurimum commendari curet; quod item episcopos comprovinciales omnes, fraternæ charitatis memores, accepto de alicujus episcopi dormitione nuncio, quamprimum facturos esse confidimus: quemadmodum eos, ne id ullo pacto facere prætermittant, prædecessorum nostrorum vestigia sequentes, plurimum in Domino cohortamur. Tum publicæ supplicationes & privatæ orationes juxta sacri Tridentini concilii monita decernantur: quibus universo clero adstante a Deo religiosissime postuletur, ut eum viduato gregi Pastorem concedere ex sua largitate dignetur; qui tanti ministerii munus digne, ac laudabiliter exequi possit.

CAP. II.

Curet autem vacantis ecclesiæ capitulum, infra præstitutum ab eadem Tridentina Synodo tempus (ne jus hujusmodi ad Superiorem devolvatur) ex ejusdem Synodi decreto, ut Oeconomus, ac vicarius orbatæ ecclesiæ ejusmodi eligantur, qui eorum munus exequi, ac futuro Pastori optimam de seipsis rationem reddere possint; caveant autem præcipue, ne dimissorias ad ordines, nisi post annum, quo Sedes ipsa vacaverit, vel nisi aliquis jure arctatus existat, cuiquam concedant, ex ejusdem concilii Tridentini decreto.

CAP. I.

De promovendis ad cathedrales ecclesias.

QUicunque mandatum Apostolicum de aliquo ad cathedralem ecclesiam regendam examinando, susceperit; eum per viscera misericordiæ Dei nostri obsecramus; ut omnem curam, mentem, & cogitationem pro sua ipsius conscientia exoneranda, ad hujusmodi examen recte conficiendum, adhibeat: memineritque; vel ex hoc ipso potissimum, populi salutem, & orbatæ ecclesiæ dignitatem pendere; Pastor vere dignus assumatur, quive præesse, ac prodesse sciat: & propterea in re tam necessaria, quam maxime esse animadvertendum.

CAP. II.

Hæc autem examinis formula, ut sacri Tridentini concilii monitis obtemperemus; a nobis in præsenti Synodo, pro assumendis ad cathedrales ecclesias Sanctissimi D. N. arbitrio comprobanda, præscribitur; ut accepto apostolico mandato ab episcopo cui dirigitur, primum per testium, quo fieri poterit graviorum, examen, cui ipsemet episcopus præsit, super promovendi vita, moribus, & ætate, quam diligentissime inquiratur, his vel similibus interrogationibus propositis, quæ sequuntur.

Primo, an ex legitimo matrimonio, an

ANNO CHRISTI 1568.

ex catholicis parentibus ortus, ubi, qualiter, & a quibus educatus, qualisve a pluribus annis citra fuerit illius vita, & converſatio, an infamia unquam notatus, vel de aliquo crimine inquiſitus, vel ſuſpectus; an unquam apoſtataverit, vel publice pœnituerit, an bigamus, an, & a quo tempore ſacris initiatus; an ſanæ mentis, timoratæque conſcientiæ; an, & qualiter aliquam aliam eccleſiam rexerit; an domui ſuæ bene præſit; an aliquo corporis vitio, ac præcipue exitiali morbo laboret. Item de animi dotibus, modeſtia, affabilitate, prudentia, ſobrietate, continentia, & ejuſmodi; an trigeſimum annum expleverit; an in aliquo publico gymnaſio profeſſus fuerit, & an ſit denique eis moribus, & virtutibus ornatus, ut in eccleſia Dei non immerito præſul eſſe poſſit.

CAP. III.

Cum vero in promovendis ipſis ſcientia maxime ſit neceſſaria; idcirco quamvis aliquis in univerſitate ſtudiorum, magiſter, ſive doctor, aut licentiatus in ſacra theologia, vel jure canonico ſit promotus; ſeu etiam publicum alicujus academiæ teſtimonium doctrinæ ſuæ oſtendat; ut omnino via fraudibus præcludatur, is nihilominus examinis periculo ſubjiciatur. Adhibitis itaque non paucioribus quam tribus, juxta promovendi profeſſionem, theologiæ, ſeu juris pontificii peritis; duo illi puncta, ſeu articuli aſſignentur, quibus poſt integri unius diei & noctis intervallum congrue reſpondeat, atque ad interrogationes ſuper illis, ex tempore faciendas, apte eruditeq. juxta ipſius epiſcopi conſcientiam, ac peritorum juratorum relationem replicet. Quibus peractis ad fidei profeſſionem admittatur: atque omnia a notario, qui examini interfuerit, in inſtrumentum relata, & ab epiſcopo obſignata, ad ſanctiſſimum Romanum pontificem fideliter deinde transmittantur.

CAP. I.

De epiſcopi qualitate, & dignitate.

ILlud primum epiſcopi ex ſacri Tridentini concilii præcepto admonentur, ut paſtores ſe ſe, non percuſſores conſtitutos eſſe exiſtiment: nec dominandi quidem cauſa, ſed ut ſubditos ſuos uti fratres, ac filios ament, arguant, obſecrent, increpent in omni patientia & doctrina. In puniendis autem delictis ſeveritatem cum manſuetudine temperent, medicosque imitantes, a leviorибus ad graviora remedia deſcendant, atque alia hujusmodi in hoc genere obſervent, juxta ſaluberrimum præfati concilii decretum.

CAP. II.

Subditi vero ita epiſcopos ipſos tractent, ut nullum obſequii genus erga illos prætermittant, quod eorum dignitatem tuendam pertineat, reverentiam, atque obedientiam omnem illis exhibentes, ac deferentes: eorum admonitionibus, præceptisque obtemperent, & acquieſcant, veluti parentes eosdem vereantur, & ament: illis non detrahant, ſed ſubditos ſe ſe ad propriam ipſorum ſalutem, ſemper agnoſcant.

CAP. III.

Sæculi quoque principes, & magiſtratus omnes quo majore fieri poteſt animi affectu, hortamur & obteſtamur in Domino, ut epiſcopos pro eorum dignitate venerentur, ac nullo pacto patiantur, ut obſequiis quibusque epiſcopali ordine minime congruentibus, ipſis inferviant, ne divinam ultionem incurrant. Epiſcopos vero ipſos, enixe admonemus; ut a ſacri concilii Tridentini decreto, quoad obſequia per eos principibus impendenda, minime diſcedant, meminerintque, ſi ſecus fecerint, in unaquaque provinciali ſynodo, non ſine eorum dignitatis nota, culpæ ſuæ rationem ſibi reddendum.

CAP. IV.

Sit autem epiſcoporum vita, & converſatio irreprehenſibilis, qualem Dei miniſtros decet; prorſusq. enitantur, ut a quacunque vel levi, mali ſuſpicione, ne dum ab ipſo malo caveant: atque ita ſeipſos, ac domos ſuas componant, ut cæteris ſint exemplo, nec jure merito redargui poſſint.

CAP. V.

Sit præterea non nimis lauta, ſed frugalis epiſcoporum menſa, ſpiritualis alicujus lectionis pabulo condita: quam & benedictio præcedat, & gratiæ ſubſequantur. Supellex non ſumptuoſa vel ſuperflua, ſed moderata exiſtat: omnisque luxus vitetur, & quæcunque ab apoſtolicis traditionibus, ac ſacrorum canonum diſpoſitione ſuper his, quæ ad vitam, & mores pertinent, aliquo modo abhorrent, penitus epiſcopi ipſi ab illis abſtineant; parſimoniam, quæ tantopere nos Deo commendat, omnino ſectentur: ut eo uberius, his quæ ſupererint, pauperum indigentia ſublevari, & eccleſiæ ipſæ commodius inſtaurari, ac exornari valeant. Familiares vero numero, ætate, & qualitate tot habeantur, quot pro cujusque epiſcopi dignitate congruere videbuntur: ſintq. & ipſi religione, ac pietate conſpicui, nemini ullam offenſionem dantes. Si quis vero in præmiſſis reprehenſibilis unquam (quod abſit) extiterit; de immoderata ſua ipſius actione merito redarguetur.

CAP. VI.

Meminerint præterea epiſcopi, quod valde populos ædificat, & ad religionem excitat, ut ſæpe publice, quam ſæpiſſime privatim, feſtis præſertim diebus, miſſæ ſacrificium celebrent, ac divinis interſint: ſtudeantque, ut omnia in earum eccleſiis recte, atque ea, qua decet, majeſtate, ac pietate peragantur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. VII.

In ecclesiasticis autem bonis distribuendis quicunque bene præesse voluerint episcopi, atque alii ecclesiæ prælati, qui communes omnium, præsertim subditorum, parentes existimantur; illam potissimum rationem servent, quam sacri canones statuerunt: miserabiles vero suarum civitatum, ac dioecesium personas, præcipue respiciant, atque in necessitatibus protegant; earumque egestati parerna charitate succurrere non differant, aut ullo modo prætermittant.

CAP. I.

De episcoporum residentia.

ANimadvertant in primis episcopi sibi minime licere a propriis ecclesiis abesse, nisi ex causis a sacro concilio Tridentino comprobatis, quo, præter mortalis peccati reatum, alias quoque pœnas ab eadem synodo in absentes statutas, evitent: sciantq. de commissis hoc in genere se se in provinciali synodo rationem reddituros. Libenti itaque ac hilari animo episcopi ex proprio munere, & conscientia in eorum ecclesiis, vel dioecesibus resideant: ne si desertas oves, pastore nesciente, lupus comedat, id sibi culpæ, ac vitio dari possit.

CAP. II.

Ne sit autem otiosa prælatorum residentia, pontificalia munia per seipsos episcopi obeant, nisi legitimo impedimento detineantur, promovendorum ad ordines, ac si fieri potest, de beneficiis etiam providendorum examini ipsimet præsint, subditorum pacem inquirant, & prosequantur, loca pia quæcunque ac præsertim clericorum seminaria, & monialium monasteria recte curari studeant, atque alia omnia quæ pastoralis sunt muneris in Domino exequantur; quo frugifera sit, ac populo salutaris, prælati cujusque residentia.

CAP. I.

De visitatione.

DIoeceses suas episcopi, atque alii locorum ordinarii singulis annis visitare, si per earum amplitudinem liceat, alioquin infra biennium ex sacri Tridentini concilii præcepto non prætermittant. Scopus autem in visitando præcipuus is sit: religio & pietas, vitiorum expulsio, lapsorumque morum, & ecclesiasticæ disciplinæ reparatio; quos autem visitant, inutili sumptu non gravent: exquisitiores epulas devitent, ne visitatis clericis plus æquo sint oneri: quosve modum excedere comperierint arguant, atque compescant. Quanto vero citius fieri poterit, ecclesiæ cujusque visitationem, commode tamen, absolvi decernimus; plurimum confidentes episcopos ipsos in comitatu, atque aliis ad visitationem pertinentibus, pro eorum prudentia, ea moderatione usuros, ut merito reprehendi non possint, nec alicui conquerendi occasio præbeatur.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. II.

Visitantes autem suas dioeceses episcopi prospiciant, qua ratione pauperum ecclesiarum rectoribus, ac presbyteris consuli possit; ne dum suo recte funguntur munere, egestate laborent; quod si nulla ratio iniri possit, qua curatorum miseria sublevetur; summum pontificem ea de re consulant.

CAP. III.

Ubicunque vero urbanæ alicujus parochiæ fines, extra locorum moenia protendi contingat, animadvertant episcopi, ne parocho intra urbem, vel oppidum pernoctante, quæ foris sunt animæ periclitentur, idcirco provideant, ut, vel alicui viciniori parochiali ecclesiæ forensi, familiæ extra moenia constitutæ aggregentur; vel ecclesia de novo in suburbiis, ubi id per rectoris, & forensium parochianorum facultates liceat erigatur, vel alia aliqua ratione, præsentis decreti auctoritate, huic malo episcopi ipsi succurrant, prout magis expedire videbitur.

CAP. IV.

Diligenter quoque visitando perpendant episcopi; ut ubi parochiæ sunt ampliores, seque nimis late diffundentes, populorum commoditati, ac saluti aliqua ratione provideant, vel novas erigendo parochias ex ejusdem concilii decreto, si fieri potest; vel alteri proximiori ecclesiæ, quod longius abest, aggregando, vel commendando, prout satius fore judicaverint.

CAP. V.

Ubi vero ita numerosus populus existat, quamvis latius non diffundatur, ut sacerdos unicus minime sufficiat, vel aliæ parochiæ episcoporum judicio constituantur, vel tot sibi sacerdotes adjungere, juxta ejusdem decreti formam, rector ipse cogatur, quot sufficere possint, ejusdem rectoris impensa alendos, ubi ecclesiæ facultates, & emolumenta, pluribus suppetere valeant: alioquin qua commodiore videbitur via, ab episcopis huic incommodo consulatur.

CAP. VI.

Provideant insuper episcopi visitantes, ne in sacramentis administrandis ubi flumina transmeare, oportet, sacra præsertim eucharistia fluminis periculo exponatur; quod valde abominabile videtur: ac propterea curent, vel parochianos trans fluvium existentes viciniori ecclesiæ ascribi, aut commendari: vel saltem ex eadem ecclesia sacramenta sumi; aut pontes, ubi fieri potest, constitui; vel oratorium trans amnem, aut etiam novam parochiam erigi, & ædi-

fi-

ANNO CHRISTI 1568.

ncarl, prout magis parochianis ipſis, ac matrici eccleſiæ conſultum fore videbitur: modo in deferendis ſacramentis, & ſacroſancta præſertim euchariſtia, periculum omne vitetur.

CAP. VII.

Cum autem potiſſima viſitationis, ac paſtoralis muneris ratio in dioeceſana ſynodo celebranda conſiſtere videatur; meminerint epiſcopi ſingulo quoque anno, ex ſui officii debito, omni jure ad ipſam dioeceſanam ſynodum congregandam teneri, prout eandem nullo modo prætermitti mandamus; in qua præter ea, quæ de jure vel conſuetudine fieri conſueverunt; & examinatorum electio, vel confirmatio, judicumque deputatio, & decretorum tum provinciallum, tum ſynodalium receptio vel commemoratio fiet: nec non difficultates omnes, quæ inter viſitandum acciderint; tractari, ac definiri poterunt; prout epiſcopo cuique magis oportere videbitur.

CAP. I.

De beneficiorum collatione

COllatores quoſcunque in Jeſu Chriſti viſceribus hortamur, & enixe obſecramus; ut eos eccleſiis rectores præficiant, qui vere ſuo muneri ſatisfacere poſſint: ne ambigendum ſit, quin de eccleſiis ipſis, ac earum bonis & juribus, bene ſint promeriturí; ab indignis, atque his præſertim, qui non religione & animi devotione ducti, ſed ſuæ, vel ſuorum commoditati potiſſimum conſulentes, eccleſiaſtica beneficia appetunt, omnino caveant; præcipue vero in parochialibus eccleſiis merito conferendis, quam maxime invigilent; cum ex hoc ipſo pendeat recta eccleſiarum adminiſtratio, & animarum ſubjectarum ſalus: quæ cæteris omnibus eſt præferenda.

CAP. II.

Quia vero exemplo conſtat diutinam vacationem eccleſiis detrimentum afferre conſueviſſe, curata præſertim beneficia, ab his ad quos pertinet, Tridentini concilii decreti, ac ſanctiſſimi D. N. Pii Quinti bullæ ſervata forma, quamprimum conferantur, curentque epiſcopi, ut vacationis notitia, quanto citius fieri poteſt, habeatur: quo vacantes eccleſiæ infra præſtitutum tempus, a ſuis collatoribus juxta ejuſdem ſanctiſſimi D.N. bullam canonice conferri poſſint.

CAP. III.

Illud autem ſummopere curent epiſcopi, ut in examinatores ex præfati concilii decreto, in unaquaque dioeceſana ſynodo eligendos, ii proponantur, & comprobentur; qui religione, ac vitæ integritate cæteris præſtent: & quod eorum electionis tempore jurant, fideliter exequantur, ita enim fiet, ut nonniſi digni ad beneficia recipiantur, & approbentur.

CAP. IV.

Animadvertant præterea epiſcopi, ne beneficia in eorum dioeceſibus, vel alibi ſita, a ſubditis ita obtineantur, ut vel alter fructus, & emolumenta quæcunque abſque apoſtolica diſpenſatione percipiat; alter nudo nomine tantum, ad alterius commodum beneficium retineat, vel ad alterius nutum tacito, vel expreſſo pacto eidem cedere teneatur: quæ ſimoniaca proculdubio exiſtunt, tum ex ſacris canonibus, tum ex ſe. re. Pii Quarti, ac etiam ſanctiſſimi D. N. Pii Quinti Bulla.

CAP. V.

Opportune inſuper epiſcopi caveant, vel jurejurando, vel alia quapiam ratione, ne laici in beneficiorum quomodolibet ad ſe pertinentium collationibus, ab his ad quos ſpectat, faciendis, aliquid ſibi dari paciſcantur; aut ex hujuſmodi cauſa conſequi, vel retinere, quomodocunque præſumant, ſub excommunicationis pœna: qua clericus quiſque uſurpationi alicui conſentiens, ex ejuſdem concilii Tridentini decreto ipſo facto innodabitur.

CAP. VI.

Nulli liceat in caſibus a jure permiſſis, ſe ſe a vexatione redimere, abſque ordinarii licentia: qui re diligenter inſpecta & cognita, quod juri, & æquitati conſentaneum videbitur, pro ſua conſcientia decernet & admittet.

CAP. VII.

Pro beneficiorum collationibus nihil penitus a collatoribus ipſis accipiatur: nec notarii ea ratione plus exigant, quam quod ipſis juſte pro labore debeatur: pro ſigillo vero non niſi, quod in taxa deſuper ab epiſcopis ſtatuenda continebitur, perſolvatur: quod epiſcopi ipſi diligenter curent; abuſuſque ſi qui hac in re irrepſiſſe videantur, quam primum tollere non prætermittant.

CAP. VIII.

De beneficiis quomodolibet proviſi, infra menſem a die adeptæ poſſeſſionis numerandum, ordinariis, in quorum dioeceſibus beneficia ipſa conſiſtunt, eorumdem tam mobilium, quam immobilium rerum inventarium tradere, ac præſentare teneantur; ut cum præcedentibus inventariis conferri poſſit: & ſi quid deſit; epiſcopi reſtituendum curent; tranſgreſſoreſque ipſos graviter ex arbitrio puniant.

CAP. IX.

In reſignationibus admittendis, collationibuſque ex cauſa reſignationis de cætero faciendis diligenter attendant epiſcopi, atque animadvertant, id ſibi licere in caſibus

ANNO CHRISTI 1568.

bus tantum a sanctissimo D. N. Pio Quinto in ejus literis expressis, non autem passim ac indistincte: meminerintque ex earumdem literarum dispositione excommunicationem, & suspensionem propterea contrahendam, apostolicæ sedi reservatam fore.

CAP. X.

Quicunque de ecclesiastico beneficio per inferiores ab episcopo provisus fuerit; is intra duos menses ab ipso provisionis die computandos, patentes suæ collationis literas, vel alterius cujuscunque provisionis testimonium præsentare debeat; quod si legitime præmonitus non satisfecerit, ejusdem beneficii de quo agetur, unius anni fructibus careat: & nihilominus suæ provisionis titulum ostendere, propositis ex arbitrio poenis, servato juris ordine compellatur.

CAP. I.

De judiciali foro episcopi.

Ecclesiastici judices quicunque in administranda indifferenter omnibus justitia, maxime pauperibus, ac miserabilibus personis, se promptos, & faciles præbeant: ac breviori qua fieri potest ratione; præcipue ubi summarie de jure procedere licet, causas expediant, ac decidant; litigantiumque sumptibus, quo ad ejus fieri poterit, parcere studeant: ac præsertim in causis alimentorum, mercedum, piorum locorum, atque hujusmodi, quæ moram non patiuntur; in casibus a jure permissis, absque judiciaria tela, veritati, & æquitati innitendo, ad expeditionem procedant.

CAP. II.

Ut autem omnis avaritiæ suspicio ab ecclesiastico foro arceatur, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes statuimus & ordinamus, cujusque episcopalis curiæ notariis, cancellariis, carcerum custodibus, executoribus, atque aliis hujusmodi ministris in singulis cujusque operæ mercedibus taxam legitimam & honestam per episcopos ipsos quam primum præstitui, ubi hactenus præstituta non est; quam qui excesserint, & officii privatione, inhabilitationeve, & carceris maceratione, atque alias pro modo culpæ severissime puniantur.

CAP. III.

Ne autem indefensæ miserabiles personæ sua in re fraudentur, vel adversariorum potentia opprimantur; curent episcopi personis hujusmodi, vel generales in suis dioecesibus procuratores, & advocatos constitui, vel quoties casus evenerit, illis per episcopos, vel eorum vicarios de opportuna defensione provideri: quam qui suscipere absque rationabili causa recusaverit, inhabilis ad ecclesiastica negotia tractanda ad episcopi beneplacitum censeatur.

CAP. IV.

ANNO CHRISTI 1568.

Curent præterea episcopi, ut notarii quicunque juxta sacri Tridentini concilii decretum examinentur: & quos minus idoneos invenerint, aut quomodocunque in officio deliquerint, eos ex ejusdem concilii decreto a spiritualium causarum usu arceant: studeantque ecclesiastici fori notarios jure jurando eorum admissionis tempore compellere, ut causarum ad episcopalem curiam pertinentium acta & processus quicunque per eos exemplentur; atque omnium pro curia gestorum instrumenta, in authenticam formam redactam in archivio reponantur, ac perpetuo conserventur, insuper notarios ipsos modis omnibus episcopi cogant, ut infra terminum ab eadem Tridentina synodo statutum, in appellationum causis, acta conscribant, & partibus ea petentibus exhibeant, modo & forma, ac sub poenis in ipso decreto contentis.

CAP. V.

Ne partes sumptibus inutiliter prægraventur; aut inhibitiones indebitas fieri contingat; in executionem sacri Tridentini concilii decreti, de non recipiendis appellationibus, aut earum commissionibus, vel inhibitionibus concedendis, nisi a diffinitiva reparari non possit; propterea decernimus, ea de re in primis a judice ad quem, breviore termino partibus præfixo, ubi probabiliter juxta communes juris regulas & doctrinas ea de causa dubitetur esse discutiendum, an appellatio sit ejusmodi, quæ ex præfati concilii decreto recipi vel reji ci debeat: ne si quas minime deceat, appellationes judex admiserit, vel admittendas, rejecerit; justa conquerendi occasio alicui præbeatur.

CAP. VI.

Carcerum episcopalium custodiæ, eos episcopi præficiant, qui diligentia, ac pietate polleant: quive tam carceratorum commoditati, quam curiæ securitati consulant; meminerintque ordinarii omnes, quam sæpissime carceres, non solum episcopales, sed etiam, si fieri potest, sæcularium judicum, quantum ad religionem, atque ad eorum qui carcere detinentur, vitæ necessaria pertinet, per se vel alium, ipsis impeditis visitare: curentque ut opportunis temporibus carceratis ipsis ecclesiastica sacramenta subministrentur, in quo quidem charitatis opere plurimum confidimus, & exoptamus, auxilium & favorem omnem a sæcularibus potestatibus, ac magistratibus, episcopis impartiendum; velut eosdem in domino monemus, & cohortamur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. I.

De archivio.

INſtrumentorum atque aliarum ſcripturarum quarumcunque de rebus ad cathedrales eccleſias, ſeu etiam collegiatas inſignes, earumque dioeceſes pertinentibus, perpetuitati proſpicere cupientes, mandamus, in unaquaque cathedrali, vel collegiata inſigni, ubi hactenus non extant, archivia inſtitui, vel epiſcopo & capitulo communia, vel ſeparata, prout magis expedire videbitur; aut epiſcopi ipſi cum eorum capitulis convenerint. Quæ vero jampridem ſunt inſtituta, ea recte curari epiſcopi ſtudeant: omnemque diligentiam adhibeant, ut inſtrumenta quæcunque, atque aliæ ſcripturæ omnes in eis contentæ, ita conſerventur; ut ea nequeat vel temeraria manus attingere, vel ullo pacto violare.

CAP. II.

Ut vero facilius eccleſiæ cujuſque jura, ac monimenta quæcunque ob temporum injuriam, & hominum incuriam deperdita, aut uſurpata reperiri poſſint; canonica monitione præmiſſa, excommunicationi ſubjiciantur quicunque ea detinentes, vel uſurpantes non revelaverint, donec ſatisfecerint; ſcripturaſque, ac inſtrumenta ipſa, quæ ab aliquo detineri ſciunt, omnino prodiderint. Qui vero ea detinent vel uſurpant, ab epiſcopis certiores fieri debeant, eos ex ſacri Tridentini concilii decreto, uti eccleſiaſticorum jurium uſurpatores excommunicationis ſententiam incurriſſe.

CAP. III.

Unicuique autem archivio cuſtos ab epiſcopo pro ſuo, & eccleſiæ jure deputetur, fide integra ac ſpectata, qui diligentiſſime cuncta conſervet, & adminiſtret, decenti clauſura adhibita, quod a capitulo quoque fieri debeat, ubi archivia ſunt diſtincta: cuſtodi ipſi cuncta per inventarium tradendo; quæ poſtmodum in ſui officii fine, ex eodem inventario reſtituantur.

CAP. IV.

Nullo modo liceat archivii cujuſque cuſtodi, alicui etiam ipſius epiſcopi, vel capituli procuratori ex archivio ipſo archetypa, ſive originales ſcripturas, tradere, etiam data fide, aut pignore depoſito: ſi quis autem contrafecerit, ab ordinariis graviter ex arbitrio mulctetur.

CAP. V.

Ne vero epiſcopali ſede vacante, publicum aliquod documentum, ad epiſcopalis menſæ juriſdictionem, vel proventus pertinens intercipiatur; præſertim ubi epiſcopi archivium a capitulari ſit diſtinctum; ſtatuimus, ut cum primum prælatus deceſſerit, ipſius archivii claves fide publica, a cuſtode, vel alio illius præfecto, oeconomo, & capituli vicario tradantur; & ſi illarum traditio differatur, etiam exigantur, & penes eoſdem fideliter conſerventur; quæ quidem poſtea, in eorum fidei, ac diligentiæ teſtimonium futuro Paſtori conſignentur.

CAP. I.

De Seminario.

EPiſcopi qui nondum pauperum collegia clericorum pro Seminario erexerunt, juxta ſacri concilii Tridentini præceptum infra annum a præſentis ſynodi fine computandum inchoata perficiant; & nondum coepta mature inſtituant, ex præſcripta ab eodem concilio formula. Ea autem taxandi, componendive pro ſeminariis inſtituendis, & conſervandis ratio ſervetur, quam ſanctiſſimus D. N. Pius Quintus decrevit.

CAP. II.

Epiſcopi Seminaria quæcunque in ſuis dioceſibus erecta perſæpe viſitent, & a deputatis viſitari curent: bene proſpicientes, an omnia recte ſe habeant: & quos virtuti, & religioni minime deditos, vel ad malos mores propenſos eſſe perſpexerint, poſt trinam admonitionem ex ejusdem concilii decreto e conturbenio ejiciant.

CAP. III.

In eo autem potiſſimum omnem curam, & exactiſſimam diligentiam impendendam eſſe decernimus, ut magiſtri pueris hujusmodi, numero, ætate, & moribus tot atq. ejuſmodi eligantur, ut præter bonarum artium, & eccleſiaſticarum rerum diſciplinam, quam percipere poſſint, bonis etiam moribus in primis imbuti, veræ pietatis alumni efficiantur.

CAP. IV.

In ſeminarium vero admiſſi pueri, in habitu & tonſura clericali ſemper incedant, feſtis diebus in cathedrali eccleſia ſolemnibus interſint: nec alio unquam, niſi virtutis, atque relaxandi animi cauſa, ocio fruantur, in eodem cubiculo, ſi commode fieri poteſt, omnes decumbant; libros autem ſacros, & bonos mores edocentes, & maxime cathechiſmum ſanctiſſimi D. N. Pii V. juſſu nuper editum, aſſidue præ manibus habeant, quos eis interpretandos epiſcopi curent; cibus abſque benedictione gratiarumque actione ab illis non ſumatur: nec inter refectionem ſpiritualis lectio unquam deſit.

CAP. V.

Collegii conſtitutiones ſingulo quoque menſe pueri perlegant: præſertim quæ ad religionem ac vitæ honeſtatem pertinent; easque ad unguem obſervent; atque omnem præceptoribus obedientiam ab eisdem præſtari epiſcopi curent: præcipue vero ei qui moribus præeſt; quo cum religioſiſſime, & conjunctiſſime vivant. CAP.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. VI.

Discedendi autem e collegio facultas nemini detur absque superioris licentia, in casibus vero ab episcopo statuendis exeuntes, non nisi bini, atque ea, qua decet religiosos adolescentes, modestia & gravitate progrediantur.

CAP. VII.

Duodecim annis minores in collegium non assumantur: ac diligenter attendant episcopi, ut & ingenio, & animo ad religionem propenso sint; atque his omnibus qualitatibus præditi, quæ in illis ex sacri Tridentini concilii decreto requiruntur.

CAP. VIII.

Pueri vero ditiores, qui in hujusmodi collegia, ex facultate sibi ab eodem concilio attributa, assumi voluerint; juxta eum numerum, qui rationabilis episcopo, pro loci qualitate, & collegii captu videatur; ejusdam ætatis, habitus, professionis, & animi esse debent; eisdemque legibus & clausuræ, & morum disciplinæ vivere, prout ordinarii ejusdem collegii pueri: tantumque proprii æris conferre debent; quantum & ad seipsos alendos, & ad alia onera proportionabiliter perferenda, ex ejusdem concilii decreto sufficiet.

CAP. I.

De vicariis foraneis.

FOraneos vicarios quam maxime necessarios fore prospicientes, statuimus; ut in singulis suarum dioecesum regionibus, ubi non adsunt, de cætero per episcopos constituantur, quicunque magis idonei videbuntur; & ut sua dignitas unicuique; in regione qualibet digniores eligantur, ut archipresbyteri, vel præpositi rurales, si sunt idonei: alioquin ex inferiorum numero magis probatos episcopi deligent.

CAP. II.

Hi vero vicarii diligenter invigilent, & scire contendant, an in parochiis sibi commissis omnia recte agantur, num curati omnes resideant, & eorum munus exequantur; absentes deferant, & episcopis indicent; quos vero in aliquo delinquere perspexerint, primum fraterne admoneant: deinde si opus fuerit, vel per literas, vel alio quovis modo, prout res ipsa postulaverit, superioribus denuncient, præcipue autem inquirant, an a parochis erga miserabiles suæ curæ personas debitum persolvatur officium: provideantque, ne quis ob vitæ incommoda decedete cogatur.

CAP. III.

Ut autem debitus vicariis ipsis honor, & obedientia tribuatur, decernimus, & mandamus, ut in his quæ ad eorum officium pertinent, subjecti eis clerici, atque presbyteri pareant: inobedientes vero episcoporum arbitrio puniendos deferant, quod si in aliquo ipsi quoque forte deliquerint; ab ordinariis ipsi puniri, vel etiam ab officio amoveri debebunt.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. IV.

Semel saltem in mense vicarii foranei quique, ubi commode fieri poterit, ex sui officii debito, suæ regionis clerum convocent: qui ubi conventus, ut vocant, alternatim haberi consueverit, eo expleto, atque omnibus quæ ad eam rem pertinent religiose peractis, querelas audiant, & componant, clericos admoneant, & si qua sint decernenda, vel consulenda, proponant, ac decernant: ubi vero conventus hujusmodi non sunt in usu, in unaquaque parochiali suæ regionis ecclesia, alternis vicibus clericos congregent, illius rectoris sumptibus, in cuius ecclesia congregatio quævis haberi contigerit. Curent autem episcopi, ne excessus aliquis in hujusmodi congregationibus accidat: & si qui abusus in eisdem irrepsisse videantur; eos episcopi ipsi tolli, & aboleri curent.

CAP. I.

De examine promovendorum ad parochiales ecclesias.

PArochiali ecclesia vacante, episcopi habita vacationis notitia, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua ipsius episcopi arbitrio, portionis fructuum assignatione constituant, qui ipsius ecclesiæ onera sustineat, donec ei de rectore provideatur, juxta sacri Tridentini concilii decretum. ac sanctissimi D. N. Pii V. bullam.

Tum per episcopum proponatur edictum ad valvas cathedralis, & ipsius vacantis ecclesiæ, atque aliis opportunis locis, episcopi ipsius arbitratu; quo celerius, & vocationis, & termini per edictum ad examinandum præfixi, notitia haberi possit; qui quidem terminus decem dierum ab eodem Tridentino concilio statutus ultra alios decem dies minime prorogetur, ex ejusdem bullæ prohibitione.

Edicti vero termino durante, episcopus, & qui juspatronatus in vacanti ecclesia obtinet, clericos aliquos ad regendam ecclesiam idoneos, examinatoribus juxta ejusdem decreti formam deputatis, nominet, & non nisi ab eisdem examinatoribus per aliorum qui examinati fuerint, concursum, tanquam magis idoneo ab episcopo judicato, & electo, de ecclesia provideatur, infra terminum, ac sub poenis in eadem bulla contentis.

CAP. II.

Interrogabuntur autem in primis quicunque examinandi fuerint, per synodalium examinatorum inquisitionem, de ætate, & ordine, in quibus sint constituti: qua de re faci-

ANNO CHRISTI 1568.

facile ex eorum promotionis teſtimonio, ac baptiſmi codice; vel etiam ex aſpectu, aut fide dignorum relatu, quod ad ætatem pertinet, conſtare poterit.

Tum de promovendi vita, & moribus percunctando juxta ea, quæ ſupra circa aſſumendorum ad cathedrales eccleſias examen proportione ſervata, ſtatuta ſunt; ita inquiratur, pro examinatorum prudentia; ut quales ſint illius mores, ac vitæ honeſtas, & integritas, facile dignoſci poſſit.

CAP. III.

Illud vero generatim ſuper inquirenda ſcientia promovendorum ad parochiales eccleſias proponendum cenſuimus; ut examinatores primum ſe ſe de promovendi captu, ac intelligentia diligenter informent: quod ex reſponſionibus, & interrogationibus eorum, quæ illis legenda propoſuerint, liquido patebit: tum ſtudeant etiam noſſe, qualis ſit examinandi in ſacramentorum adminiſtratione exercitatio: an eorum vim, & virtutem ita calleat; ut vitæ monita ab eo expectari poſſint; & ad populum ea docendum, quæ ſcire omnibus ad ſalutem neceſſarium eſt, idoneus comprobetur, atque, ſi ita videbitur expedire, difficultas aliqua proponetur, vel circa confeſſiones audiendi, vel quo ad cæterorum ſacramentorum peritiam; ex quo facilius illius habilitas colligi, & in regenda eccleſia idoneus deprehendi poſſit.

CAP. IV.

Peracto autem examine, ſtudeant epiſcopi, ut non ſolum dignis, ſed magis idoneis repertis, juxta ejusdem concilii decretum, parochiales eccleſiæ conferantur: ne ſi minus habilem, poſthabitis magis idoneis, elegerint; appellandi occaſio præbeatur ex ejusdem Bullæ diſpoſitione.

CAP. V.

Si vero duos aliquando, vel plures, quod ad literarum ſcientiam pertinet, æque idoneos concurrere contigerit; inſpiciendum erit, an ætas gravior, aut morum, & vitæ integritas in alio præponderet, quisve eorum ad eccleſiæ vacantis regimen, loci, ac perſonarum qualitate penſata, utilior videatur: cæteris autem paribus, & nullo concurrente quod prægravet; is qui ex eadem dioeceſi, & multo magis qui etiam e vacantis eccleſiæ regione fuerit, extraneo præferri poterit, alioquin epiſcopus quem exiſtimabit potiorem, deliget: delectu eodem in præſentatis vel nominatis ab his ad quos pertinet, ſi plures fuerint, habendo.

De Parochis, & eorum officio.

CAP. I.

CLerici omnes curam animarum habentes, gregem ſibi creditum, ex eorum officio, & ſacri Tridentini concilii præcepto, feſtis præſertim diebus ſalutaribus verbis paſcant, & erudiant; vel memoriter per ſeipſos, ſi ingenium ſuppetat; vel ex ſcripto, ſeu homiliario aliquo a ſuperioribus approbato: diebus itidem quadrageſimæ, vel ab epiſcopo præſcriptis, vel uſu comprobatis, per ſe, vel alios idoneos & approbatos viros verbum Dei enuncient.

CAP. II.

Parochi præterea ex ejuſdem concilii decreto, ſingulis dominicis, atque aliis feſtis diebus ſuæ parochiæ pueris fidei rudimenta tradant; & edoceant Deo primum, ac parentibus obedire; tum quæcunque chriſtianum hominem decent ex inſtitutione aliqua eis ab epiſcopis propoſita; poena negligentibus eorum arbitrio imponenda.

CAP. III.

Abuſus inſuper omnes circa divina parochi populo frequenter improbent, & conſtanti animo refellant: curentque, ut divinis nihil profanum miſceatur; ſed ut pie, devote, ac frequenter illis parochiani omnes interſint, moneant; atque ut eccleſiæ ſacramenta frequentent, quo uberiores fructus ex illis conſequantur, caſus in quibus excommunicationis poena infligitur, ad ſubditorum memoriam ſæpe revocent; ut ab his cavere poſſint: & alia quæcunque a chriſtiano homine vitanda, vel obſervanda ſint, optime non docere prætermittant.

CAP. IV.

Parochi unica tantum parochiali eccleſia ſint contenti; eamque omni jure, uti unicam ſponſam unice diligant: quicunque vero duas eodem tempore parochiales eccleſias obtinere præſumpſerit; utraque atque aliis quoque beneficiis ex ejuſdem concilii decreto omnino carebit; quod ſi ab aliquo duo hactenus, vel plura quoquo modo incompatibilia beneficia obtenta ſint; & adhuc obdurato animo obtineantur; ea omnia jampridem vacaſſe intelligantur: ac veluti vacantia, quamprimum ab his ad quos attinet, conferantur; fructus autem interea perceptos omnes reſtitui, ac partim vacantibus eccleſis, partim piis locis, ordinarii arbitrio, diſtribui mandamus; quod ſi incompatibilia ipſis in diverſis dioeceſibus ſint conſtituta; uterque epiſcopus, & hi ad quos pertinet, quamprimum ea de re certiores redditi, ſuo jure conferent.

CAP. V.

Pro piis locis civitatum, & dioeceſum quarumcunque eleemoſynas procurantes a parochis abſque ſpeciali prælatorum licentia non admittantur.

CAP. VI.

Indulgentiæ item nullæ abſque ordinarii licentia in ſcriptis obtinenda, ſervatis tamen conditionibus, quas ordinarius ipſe in ea concedenda præſcripſerit, publicentur, quan-

ANNO CHRISTI 1568.

quandocunque vero a parochis indulgentiæ aliquæ superioris decreto sunt promulgandæ, earum salutarem effectum fideliter explicent; quo majore populi devotione recipiantur: si qui vero abusus de cætero circa eas emerserint, episcopos commoneant, qui eos quamprimum tolli curabunt.

CAP. VII.

In sacramentis autem administrandis, animisque curandis, quod præcipuum est parochorum munus, quammaxime invigilent, atque summopere curent, ne eorum culpa absque sacramentis aliquem e vita migrare contingat: alioquin suspensione ab officio, & beneficio, atque alias pro modo culpæ, gravissime corripiantur.

CAP. I.

De residentia inferiorum.

PArochialium ecclesiarum rectores assidue in suis ecclesiis resideant: suoque gregi pro officio diligenter attendant; sub pœnis in utroque Tridentini concilii decreto contentis, & in apostolicis literis quæ dudum contra non residentes editæ sunt, expressis: meminerintque, sibi nullo pacto licere a propriis ecclesiis abesse absque rationabili causa ab episcopis scripto comprobanda; cum absentiæ tempore fructus suos nullo modo faciant, ac propterea ad eorum restitutionem omnino teneantur, præter mortale peccatum, quod non residendo contrahant.

CAP. II.

Residere autem in suis ecclesiis intelligantur, qui in domibus ecclesiæ cohærentibus habitant; vel saltem ubi ecclesia proprias ædes non habet, infra parochiæ limites, unde commode injuncto sibi oneri satisfacere possint; vel etiam prope parochiam in loco ad curæ exercitium accommodato, episcopi judicio, loci vicinitate, & gregis commoditate pensata: quod ordinarii ipsius conscientiæ dijudicandum relinquitur: alioquin pro absentibus habeantur.

CAP. III.

Ii quoque qui rejecta in vicarium cura, otio indulgent, & alieni laboris spectatores, magis quam ecclesiæ suæ rectores existunt, cum per seipsos animarum curam administrare possint; ab episcopis redarguantur: & per seipsos curam exercere cogantur, Missas celebrando, atque alia peragendo, quæ suo muneri conveniunt.

CAP. IV.

Si quis ex repentina causa absque licentia a propria ecclesia recesserit, is absentiæ suæ causam statim superiori per se, vel per alium insinuet: quæ si ab eo comprobetur, ac si ab initio approbata fuisset, habeatur: alias pro absente reputabitur, & pœnas non residentium perferet.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. V.

Quicunque ab ecclesia discedendi facultate etiam obtenta, aliquandiu abfuerit, infra mensem de suo ad ecclesiam reditu ordinarium commoneat: alioquin dies medii illegitimæ quoque absentiæ adscribantur.

CAP. VI.

Si qui vero, uti debent, in suis ecclesiis minime residunt, vel absentiæ nomine quoquo modo sunt suspecti per fructuum sequestrationem, & aliis pœnis a sacro Tridentino concilio statutis, merito plectantur.

CAP. VII.

Non residentium autem per dioeceses nomina, & cognomina, ubi vicarii foranei desunt, a plebanis; & illis absentibus, vel negligentibus, a proximioribus ecclesiæ derelictæ curatis, quamprimum ad episcopos deferantur, sub eorum arbitrii poena.

CAP. VIII.

Ubi parochiales ecclesiæ adeo tenues existunt, ut ædes pro parochi residentia, nec instaurari, nec de novo construi possint; si aliter provideri nequeat, vel ex parochianorum contributione aliqua, vel etiam ex portione de fructibus piorum locorum in parochia, vel prope eam existentium (de consensu tamen eorum, qui illis præsunt) deducenda, si quid supereſt injuncto onere persoluto, instaurentur, vel ædificentur: seu alia quapiam ratione, quæ magis ab episcopo probetur, modo rector resideat.

CAP. IX.

Si vero ecclesiæ aliquæ a communi hominum commercio adeo distent, & in secessu aliquo ita sint constitutæ, ut a crassantibus assidue vexentur, ac diripiantur, & propterea Parochi inibi residere pertimescant; Magistratus, atque alios locorum rectores contra hujusmodi facinorosos homines insurgere monemus, & obtestamur: quo pacatæ sint parochiæ, nec divinus cultus illis prætermittatur.

CAP. X.

Quicunque præterea ecclesiastica quælibet alia beneficia obtinent, de jure vel consuetudine personalem residentiam requirentia, nisi moniti paruerint; ab episcopis, poenis ex præfati concilii decretis, & apostolicis literis contra non residentes statutis usque ad privationem inclusive, contumacia crescente, servato juris ordine, puniantur.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. I.

De sacramentorum administratione.

IN sacramentis administrandis, parochos primum ex sacri Tridentini concilii decreto curare oportet; ut cujusque sacramenti vim atque efficaciam, vulgari idiomate populo clarissime demonstrent, quo majore animi devotione ac reverentia ad ea percipienda præparetur.

CAP. II.

Cum vero sancta Romana ecclesia aliarum mater & magistra, merito sit amplexanda, & in suis ritibus imitanda; statuimus, & ordinamus, ut in exorcismis & catechismis baptismalibus, atque in aliorum omnium sacramentorum administratione, ac cæteris quibuscunque ad divina pertinentibus, ipsius sanctæ Romanæ ecclesiæ ritus, cæremoniæ, & consuetudines observentur, quod propositis etiam ex arbitrio poenis episcopi curent.

CAP. III.

Sacramenta insuper quæcunque, ne ad alium usum quam ad eum cujus causa a domino sunt instituta, ab aliquo convertantur, vel alicui concedantur, episcopi parochos admoneant: quisquis autem vel eis abusus fuerit; vel alicui eadem abutenda tradiderit; ex arbitrio severissime puniatur.

CAP. IV.

Sacra olea, anno quolibet ab episcopis consecranda, statuto tempore plebani per dioeceses constituti, ab eorum matrice ecclesia recipiant; & ecclesiis sibi commissis primo quoque tempore distribuant, nisi aliud pro locorum distantia, vel ecclesiæ qualitate, episcopis ex causa videatur, quacunque consuetudine non obstante.

CAP. V.

Pro novis autem sacramentis accipiendis, vel deferendis, nonnisi clericos in sacris constitutos, nisi aliud rei necessitas suadeat, destinandos esse decernimus.

CAP. VI.

Caveant autem cathedralium ecclesiarum ministri, plebani, atque alii omnes, ad quos sacrorum oleorum distributio spectat; ne quid pro illorum perceptione vel sponte datum accipiant: quacunque consuetudine etiam immemorabili non obstante, sub suspensionis poena.

CAP. VII.

Locorum, ubi sacramenta reconduntur, claves, diligentissime, ac in tuto loco per parochos asserventur: neque sub alterius custodia, quam parochi, vel ejus, cui vices suas mandaverit, ex aliqua rationabili causa, teneantur: quæ sane claves ejusmodi sint, ne facile aliqua ex parte vitiari possint, si quis autem hac in re negligendo deliquerit, severiori poenæ ab ordinario subjiciatur.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. VIII.

Ejusdem dioeceseos parochiæ, quæ ob incertos fines confusæ sunt, vel in familias, non autem in loca distinctæ, ut altercandi tollatur occasio, eas episcopi quamprimum certis limitibus disterminent: & quas invicem implicatas compererint, explicent; atque ita distribuant, ut quilibet curatus, quod ad suum officium pertinet agnoscat, nec in sacramentis administrandis aliqua hæsitatio contingat.

CAP. I.

De baptismo.

SAcerdos Baptismi Sacramentum administraturus, ad tanti muneris functionem sancte, graviterq. accedat: animadvertendo primum, quidnam per eum fiat: idque compatres, & commatres, pie ac religiose doceat: eosq. clarissimis verbis admoneat, quænam cognatio per Baptismi sacramentum contrahatur: necnon teneri eos, quos e sacro fonte susceperint, si parentes præsertim id prætermiserint, catholica fide & Christianis moribus instituere.

CAP. II.

Curent autem episcopi sacri Baptismatis fontes in suis dioecesibus, interius, & exterius nitore, ac mundicia insigni ornatos, rebusque omnibus, quanto magis fieri potest, decenter instructos esse; sacra vero olea ad Baptismi usum ita parata habeantur, ut vasculum sit commune, ex decenti materia stamni, vel argenti conflatum: & nihilominus alterum ab altero sacro oleo perspicuis literis, & lamina interposita clarissime distinguatur.

CAP. III.

Omnino præterea prohibemus, ne, quo tempore sacrum Baptisma celebratur, Baptismalis aqua, vel sacrum aliquod oleum a laicis personis quoquo modo tangatur: neve linteola quibus abstersum fuerit infantis caput, alicui lavanda tradantur; aut aliqua hujusmodi fiant, ut inde spiritualis cognatio contrahatur: improbantes propterea abusum illum transmittendi chirothecas, sive etiam aquam benedictam compaternitatis contrahendæ gratia; quacunque consuetudine etiam immemorabili non obstante: declarantesque nulla alia ratione spiritualem cognationem contrahi, quam apud sacros canones habeatur; nec inter alias personas, quam sacri Tridentini concilii decreto comprehensas.

CAP.

CAP. IV.

Baptizandis vero, non gentilium, sed sanctorum nomina imponi episcopi curent: ne in ipso christianæ religionis limine, cum Ethnicis participare fideles quodammodo videantur: atque ut eorum virtutes imitari studeant, quorum se se patrocinio nominis similitudine committunt.

CAP. V.

Provideant quoque episcopi opportune; ne, dum Baptismi sacramentum administratur; risus, clamores, atque alia id genus in ecclesia, vel extra, ea de causa fiant; sed quod adstantes devote, & cum silentio, atque orantes intersint; abusus vero quicunque circa hujusmodi sacramentum forsan irrepserint, præsentis decreti auctoritate, quam primum tolli curent.

CAP. VI.

Infantes ad ecclesiam, legitimo impedimento cessante, ut primum per eorum valetudinem, ac temporum, & locorum conditionem liceat; ad minus autem infra octo dies, a nativitate numerandos, ad Baptismum suscipiendum deferantur.

CAP. VII.

Sacerdos vero qui extra ecclesiam necessitate aliqua non imminente, sed vel parentum nobilitatis intuitu, vel aliqua alia ratione sacrosanctum Baptisma celebraverit; tam diu suspensus maneat, quamdiu episcopo videatur, & ejus arbitratu satisfecerit.

CAP. I.

De Confirmatione.

Quod ad Confirmationis sacramentum attinet, episcopi per se, vel alium, antequam illud conferant, ipsius virtutem perspicue edoceant: ac distincte declarent, ex hoc ipso matrimonia prohiberi inter confirmatos, eorumque parentes, ac susceptores ipsos, juxta sacri Tridentini concilii decretum, non secus atque ex Baptismi sacramento: cognationemque hujusmodi non minoris esse faciendam; nec temere contrahendam, ob animarum periculum, quod evidenter imminet, si cognatio ista negligatur.

CAP. II.

Ne vero populus ad confirmationis ipsius sacramentum imparatus accedat; tempus, quo sacrum Chrisma ministrandum fuerit, episcopi pronunciari faciant; populosque moneri, ut adulti nonnisi confessi, vel saltem contriti ad confirmationem ipsam devotissime suscipiendam, se conferant.

CAP. III.

Infantes septennio minores non confirmentur: atque illi tantummodo adulti, vel parvuli inungantur, quos antea fuisse confirmatos ignoratur; ne sacramentum hujusmodi reiterari contingat: quod episcopi populos cavere omnino studeant.

CAP. IV.

Curent præterea episcopi, ut parochi parvulorum confirmatorum parentes admoneant; eos, postquam adoleverint ea de re certiores facere, ne parentibus postea defunctis, an Confirmationis sacramentum susceperint, dubitari contingat: & si fieri poterit, confirmatorum nomina annotentur, & in peculiari libro conscribantur.

CAP. V.

Confirmatorum frontes antequam ab episcopo recedant, ob sacramenti reverentiam recte, vel bombice, vel panno lineo abstergantur: curentque episcopi ipsi, ne sacramentum hujusmodi minus honorifice tractetur: ac propterea pueros a seipsis minus quam decet abstersos, nullo pacto dimittant: abususque si quos forsan in hujus quoque sacramenti administratione perspexerint, prorsus tollant.

CAP. I.

De Sanctissima Eucharistia.

Sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum in cathedralibus, collegiatis, & parochialibus ecclesiis quibuscunque, ubi commode fieri potest, decentissime collocetur: nihilque quod ad illius ornatum, & tutam conservationem pertineat, prætermittatur: quod quamprimum, & quanto honorificentius fieri poterit, in eorum ecclesiis, & parochiis episcopos curaturos esse confidimus.

CAP. II.

Episcopi præterea efficiant, ut in quibuscvis parochialibus ecclesiis, ubi non fuerit, societas corporis Domini N. Jesu Christi quamprimum instituatur; ubi vero societates hujusmodi hactenus vigent, eas visitent, reforment, amplificent, & in officio contineant, nihil penitus omittentes, quod ad tanti sacramenti celebritatem, & ipsarum societatum instituta retinenda, & moderanda facere videatur.

CAP. III.

Ad ægrotos sacram Eucharistiam, præsertim per urbes, & oppida sacerdotes allaturi, non nisi decenter ornati prodeant, nec sine umbella, ac honesto fidelium lumina deferentium comitatu; ut vero populus eo frequentior accedat, crebris per concionem admonitionibus, indulgentiarumque clar-

ANNO CHRISTI 1568.

elargitionibus eum excitari Episcopi vehementer studeant, cum ex hoc ipso populi devotio, ac religio maxime cognoscatur.

CAP. IV.

Sanctum Eucharistiæ sacramentum, ubi id ecclesiæ qualitas, & amplitudo patitur, masculis separatim a fœminis administretur; adolescentes vero ad hujusmodi sacramenti usum, non admittantur, absque diligenti parochorum inquisitione, num ea discretione sint præditi, quæ in tanti sacramenti perceptione requiritur.

CAP. V.

Ne vero sacrosanctam Eucharistiam sumentes, præsertim rudes & imbecilli, sub utraque specie fortasse communicare arbitrentur; statuimus, communicantes omnes in vase aliquo, quod non habeat calicis formam, se purificandos.

CAP. VI.

Non communicatorum in Paschate notulam quamprimum a parochis sibi proferri singulis annis episcopi jubeant: qui postquam vere contumaces, ter a die sancto Paschæ usque ad Pentecosten cujusque anni, generatim admoniti publice fuerint, eorum nomina primum in cathedralium ecclesiarum valvis affixa, tum in propriis parochiis denunciari episcopi ipsi curent: ac deinceps ab ecclesiæ ingressu, ut præsenti decreto mandamus, inobedientes hujusmodi omnino arceantur, sub pœnis episcoporum arbitrio contra eos statuendis: quos si interea decedere contigerit, juxta Lateranensis concilii decretum, in ecclesiis, vel earum cœmeteriis sepeliri prohibemus.

CAP. VII.

Qui vero diuturna animi obstinatione, Episcopi judicio discernenda, inimicitias deponere noluerint, ac propterea non communicent; ab ecclesiæ aditu, ac fidelium etiam cœtu, si videbitur, excommunicatione repellantur.

CAP. I.

De pœnitentia.

CONfessionibus audiendis diligenti inquisitione prævia, eos præficere episcopi quam maxime studeant; qui recte peccata distinguere, & curare, atque oleum & vinum vulneratis conscientiis superinfundere probe calleant: cum ex hoc ipso sacramento peccatorum conversio, & corruptæ cujusque vitæ reformatio potissimum pendeat.

CAP. II.

Confessiones publice, ac in aperto ecclesiæ loco, non autem in cubiculis, etiam ecclesiæ cohærentibus audiantur; quod ut commodius, ac decentius effici possit; mandamus in singulis cathedralibus, ac parochialibus ecclesiis confessionales sedes erigi, atque ita institui; ut tabulæ interpositione, crate ferrea vel lignea, aut perforata lamina adjecta, confessores a pœnitentibus separentur, ac distinguantur; extra quas quidem sedes, confessoribus quibuscunque inhibemus, ne confessiones ullas præsertim mulierum cujuscunque ætatis, vel qualitatis audiant: nisi rei necessitas aliud postulet, sub pœna episcopi arbitrio imponenda.

CAP. III.

Hæc autem a confessoribus vitentur: ne confitentes otiosis interrogationibus, aut inutilibus detineant: idque præcipue caveant, ne pueri, & puellæ cæterique rudes de eo quod ignorant imprudenter interrogati instruantur. Mulieres ante solis ortum, vel post occasum, nisi aliud rei necessitas suadeat, ad confessiones non recipiantur; concubinarii, aut contractus illicitos ineuntes, unde solvant habentes, sub spe futuræ satisfactionis, ultra primam vicem nisi satisfactione ipsa præcedente non absolvantur. In casibus apostolicæ edi, vel episcopo reservatis, quos præoculis semper habeant, confessores ipsi non se immisceant: pœnitentias pecuniarias non infligant, eas sibi ipsis vel eorum ecclesiis applicando; sed piis tantum operibus, vel locis: nec etiam hujusmodi distributiones sibi committi procurent; verbo, aut signo confessiones non prodant, vel revelent: pœnitentias graviores, & quas verisimile est non esse implendas, evitent: gravissimis tamen delictis non leves imponant. In prædictis autem, atque aliis similibus si confessores deliquerint, illos episcopi ex arbitrio, & conscientia severissime compescant.

CAP. IV.

Artis medicæ professores, ægrotos quos curant, primum omni charitate admoneant, ut divinam prius, quam humanam medicinam, ecclesiastica videlicet sacramenta percipiant: quod si facere infirmi ipsi prætermittant, ab eorum curatione Medici deficiant. Medicos autem ipsos, qui vel negligenter, vel remissius quam debet, in hoc se gesserint; canonicis poenis, atque in sanctiss. D.N. Pii Quinti bulla contentis affici mandamus, curentque episcopi, ut hujusmodi bulla ad medicorum memoriam ob eorum, & proximi animarum salutem, sæpius revocetur.

CAP. V.

In cathedralibus ecclesiis ubi episcoporum judicio fieri poterit, Tridentini concilii decretum, quoad poenitentiarii deputationem, & præbendæ assignationem observari mandamus, aut aliter provideri, ut in ecclesiis prædictis officium hujusmodi minime desit. Huic autem pœnitentiario episcopi ampliorem in casibus sibi reservatis absolvendi facultatem concedere poterunt: cu-

re-

ANNO CHRISTI 1568.

rabuntque, ut omnia juxta facultatem ſibi in eodem decreto conceſſam, ex ſui officii debito diligentiſſime exequatur.

CAP. VI.

Quia vero ſæpe contingit confeſſores ob bullæ, quæ ſingulis annis in die coenæ domini legi conſuevit, ignorationem a caſibus ſanctiſſ. D. N. reſervatis, fruſtra & inutiliter abſolvere curent; idcirco epiſcopi, juxta apoſtolici mandati formam, præfatam bullam ſemel ſaltem in ann. ad Chriſtifidelium notitiam deduci, ac ſolemniter publicari, dum major in eccleſia populi multitudo convenerit; atque ita diſtincte, & aperte declarari, ut caſus in ea expreſſi, omnibus innoteſcant, idemque per eorum dioeceſes fieri mandent: eadem bulla ad faciliorem, & populi & cleri intelligentiam, per capita comprehenſa, & in ſummarium redacta.

CAP. I.

De extrema unctione.

UT ſanctæ unctionis extremæ ſacramento debita reverentia præſtetur; ſtatuimus id ipſum in tuto, ac honeſto loco, & vaſculo ab aliis ſacris oleis diſtincto, honorifice ad inungendos infirmos aſſervari: ad quos quidem quoties deferri debebit, proſpiciant epiſcopi, ut ea qua decet veneratione & religione deferatur, in vaſculo ſcilicet argenteo, vel ſaltem ſtamneo, quo major munditia in eo conſervando adhibeatur.

CAP. II.

Parochi vero ſæpe dubitantes, quinam potiſſimum hoc ſacro oleo ſint inungendi, ab epiſcopis edoceantur, eos præcipue inungi oportere, qui cum in mortis articulo vere ſint conſtituti, adhuc tamen quid agant intelligant, & ſenſu, quantum fieri poteſt, integro exiſtant. Impoenitentibus vero, & his, qui cum notorii peccatores eſſent, vel ab eccleſia alieni, nullum poenitentiæ ſignum emiſerint, ſacram hanc unctionem ex ſacrorum canonum diſpoſitione negandam eſſe non ambigitur.

CAP. III.

Epiſcopi crebro curatos admoneant & obteſtentur, ut in extremis conſtitutos omni pietate, ac ſtudio tractent: cum nullo unquam tempore ſpirituali medico magis ſit opus; ut vere dici poſſit, totius curæ ſummam huc ſpectare, quod in extremo vitæ ſpiritu fidelium animæ Deo reconcilientur, & commendentur: in quo cum paſſim parochi tepidiores eſſe conſueverint, eos idcirco ſæpe ab epiſcopis excitari exoptamus, ut circa ægrotos, & morti proximos diligentiſſime ſuum munus exequantur, graviſſima poena negligentibus, eorum arbitrio proponenda.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. I.

De ordine.

IN ordinibus quibuſque conferendis ſacri Tridentini concilii decreta omnia, tam quoad temporum interſtitia, quam quo ad ordinandorum ætatem, & qualitatem, ab epiſcopis exacte obſerventur.

Cum vero ſacrorum ordinum receptio, ad animarum curam exercendam quaſi aditus ſit, & præparatio quædam, ſine qua eccleſiaſtica diſciplina conſtare non poteſt, quam periculoſa res ſit proſpicientes, epiſcopos omnes obſecramus & obteſtamur in domino, ut omnem in clericis ad ordines promovendis diligentiam impendant: nec quemquam aliqua ratione a legitimo examine excipiant, habita nihilominus locorum, ac perſonarum prudenti diſtinctione pro ipſorum ordinantium religione, & conſcientia.

CAP. II.

Inquirant autem epiſcopi ſuper ordinandorum vita, & qualitate, prudentibus viris adhibitis, juxta ejuſdem concilii decretum, ac prout circa aſſumendos ad parochiales eccleſias ſupra ſtatuimus: inferiorum & ſuperiorum ordinum competenti ratione habita, juxta ejuſdem concilii præcepta.

CAP. III.

Epiſcopi ſacros ordines collaturi, ſi legitime impediti fuerint teſte eorum conſcientia, id nominatim alicui probo, & erudito viro demandent: qui cum divinæ legis peritis, ad id per epiſcopos deputatis, ordinandorum examini diligenter incumbat, & ſuam, & mandantis conſcientiam exoneret; nullam autem quamvis gravem occupationem epiſcopi huic anteponant; cum de re tanti ponderis agatur, in qua & clericalis ordinis dignitas, & ipſorum epiſcoporum animarum periculum præcipue verſatur.

CAP. IV.

Clericos ad quoſcunque ordines promotos epiſcopi per ſuarum dioeceſium eccleſias, & pia loca diſtribuant, illiſque ne incertis vagentur ſedibus, adſcribant, ex ejuſdem concilii decreto: eaque de re in teſtimonialibus literis caveatur.

CAP. V.

Animadvertant etiam epiſcopi, ne ſacris ordinibus aliquem initient, qui vere eccleſiaſticum beneficium, penſionem, vel patrimonium ejus victui ſufficiens, juxta ejusdem concilii decretum, non obtineat. Patrimonium vero, ſi ad illius titulum aliquem ordinare epiſcopo expedire videatur, ſit proprium, non autem commentitium, vel ſimulatum, cum mediata, vel immediata retroceſſione: quod ab epiſcopis animarum ſuarum periculo, magnopere eſt præcavendum.

CAP.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. VI.

Monentur præterea episcopi, ne indistincte beneficiorum, ad quorum titulum aliqui sint ad sacros ordines promoti, resignationes admittant, nisi alias habeant unde se alere possint, ex ejusdem concilii decreto; ac sanctiss. D. N. Pii Quinti bulla.

CAP. VII.

Illud quoque circa patrimonii titulum statuimus; ut de eo non alienando episcopi sibi caveri curent, donec vel ex ecclesiæ reditibus, vel aliunde suppetat, ut episcopi judicio decenter vivat: cujus quidem rei apud acta per episcopalis curiæ scribam testatio fiat.

CAP. VIII.

Minoribus ordinibus initiati, in præcipuis Domini N. Jesu Christi, ac beatæ Mariæ virginis festivitatibus sacram eucharistiam suscipiant: diaconi vero & subdiaconi, etiam si canonici sint, & in dignitatibus constituti, semel saltem in mense id facere nullo pacto prætermittant.

CAP. I.

De matrimonio.

QUæcunque a sacra Tridentina synodo pro matrimonii reformatione statuta sunt; in suis dioecesibus observari episcopi diligenter curent, propositis etiam ex arbitrio poenis, ubi arbitrio locus est, necnon sæpius in anno ad populorum memoriam, præsertim quod ad ipsius sacramenti substantiam & formam pertinet, revocari faciant.

CAP. II.

Denunciationes quæ matrimonia antecedere debent, ex ejusdem concilii præcepto, tam in Parochia viri, quam mulieris fiant; eas in totum, vel pro parte remittendi facultate Parochis penitus interdicta: cum id totum episcoporum arbitrio ab eadem synodo prorsus committatur.

CAP. III.

Parochi, quicunque vel denunciationes facere, vel sponsos & sponsas benedicere neglexerint, vel calumniose distulerint, absq. tationabili causa, ab episcopis comprobanda, graviter eorum judicio mulctentur.

CAP. IV.

Parochus per seipsum, legitimo impedimento cessante, non per alium, & matrimonia celebret, & sponsos ac sponsas benedicat: quo impedito teneatur, qui parochi vices supplet, ipsi parocho mandanti fideliter referre verbo vel scripto, matrimonii per eum celebrati diem, locum, sponsorumque, ac testium nomina: ut in proprium sponsorum librum a parocho referri possit: quem quidem librum in parochialibus quibuscumque haberi, ac diligenter conscribi & custodiri episcopi curent, poena etiam ex arbitrio negligentibus proposita.

ANNO CHRISTI 156[illegible]

CAP. V.

Quo ad Matrimonia vero cum vagabundis contrahenda, ejusdem concilii dispositio accuratissime observetur: exigantque episcopi de personis hujusmodi authenticam fidem, tum quod solutæ sint, tum quod a catholica communione non alienæ; quod si aliqui non expectata ordinarii licentia contraxerint, vel hujusmodi matrimonia celebraverint, gravissime puniantur, quamvis solemnia intercesserint.

CAP. VI.

Hortamur insuper ac enixe hortari mandamus sponsos & sponsas, ne cohabitent, donec rite, ac recte matrimonium celebretur; ut scandala, quæ exinde oriri possent, evitentur, præter peccatum, quod committitur; monemusque eosdem juxta ejusdem concilii monita, prout etiam ab episcopis moneri exoptamus, ut antequam contrahant, vel triduo saltem ante matrimonii consummationem, peccata confiteantur, & ad Eucharistiæ sacramentum pie ac reverenter accedant; quo majore veneratione matrimonii sacramentum prosequantur.

CAP. VII.

Meminerint postremo episcopi ad eos spectare ex ejusdem concilii decreto, quæcunque hujus sacramenti sanctitati, ac honestati contraria videbuntur penitus tollere: cum res tam sancta, non nisi pie ac sancte tractari debeat.

CAP. I.

De sacrificio Missæ.

SAcrosanctum Missæ sacrificium debitis horis celebretur; neque post meridiem, neque ante auroram, excepta nocte Nativitatis Domini: nec etiam extra ecclesiam, vel oratoria rite ab episcopo designata & approbata, sub suspensionis poena, atque aliis ex arbitrio imponendis tam contra celebrantes, quam contra eos qui id affectaverint, vel curaverint, quacunque dignitate præfulgeant.

CAP. II.

Cæremoniis tantum ab ecclesia comprobatis in Missarum celebratione sacerdotes utantur, ne verbum quidem addendo, vel immutando ex his, quæ in cujusque diei Missa continentur, vel etiam in ipsius Missæ ordinario, juxta Lateranensis posterioris concilii decretum.

CAP.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. III.

Ad missæ, ut vocant, novæ celebrationem nullus admittatur, quem per diligentem episcopi, vel ejus vicarii inquisitionem non constet recte cæremonias didicisse, ut uniformis sit ubique celebrandi ratio, eo autem tempore ludos, choreas, aut alia hujusmodi profana repræsentari, sub suspensionis, & arbitrii poena, omnino prohibemus.

CAP. IV.

Studeant autem magnopere sacerdotes, ut inter celebrandum omnia recte & composite, nec nimis celeriter, quam decet, aut nimis tarde peragantur: ac propterea Missam prælegant; quo partes singulæ ita sint in promptu, ut neque hæsitatio aliqua contingat: quod sine populi offensione accidere non potest.

CAP. V.

Missam celebraturi prius peccata confiteantur: caveantque, ne cum se reos mortalis delicti ex conscientia agnoscant, quantumcunque se se contritos existiment, habita confessoris copia sacramentalem confessionem prætermittant: aliter enim sentiens, vel asserens, ex sacri Tridentini concilii decreto excommunicationi subjacet, quod si necessitate urgente sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum juxta ejusdem sanctæ synodi præceptum confiteatur.

CAP. VI.

In Monialium ecclesiis absque earum superiorum licentia nemo celebret, sub suspensionis poena, atque alia ordinarii arbitrio infligenda.

CAP. VII.

Illud autem maxime a populo in Missæ celebratione episcopi vitari curent; ne quis ita ad altare accedat, ut sacerdoti celebranti sit molestiæ vel impedimento, ne etiam erecti, aut aversi, sed omni cum devotione, atque animo ad Deum propenso, fideles quique Missæ sacrificio intersint: necnon detecto capite & genibus flexis capita reverenter inclinantes, quandocunque nomen D. N. Jesu Christi memorari contingat, sub poenis a sanctiss. D. N. Pio V. per ejus Bullam statutis.

CAP. VIII.

Peregrinum sacerdotem incognitum, ad celebrandum absque ordinarii licentia, ecclesiarum rectores ex Tridentini concilii decreto non admittant. Ordinarii vero ipsi diligenter invigilent, ac bene perspiciant, quænam dimissoriæ sint comprobandæ, vel rejiciendæ: cum exemplo constet innumerabiles fraudes hac in re committi consuevisse.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. IX.

In unaquaque ecclesia provideant episcopi, ut omnia ad Missæ sacrificium opportuna, ea munditia, ac puritate conserventur, quæ domum Dei maxime deceat, & ecclesiæ cujusque dignitati conveniat.

CAP. X.

Inter Missarum solemnia quæstus fieri, vel quoquo modo in ecclesiis mendicari, ex eadem sanctiss. D. N. Bulla, sub poenis quæ in ea continentur, tam clericis, quam laicis prohibeatur: quod & concionum tempore minime est permittendum, nisi aliud ex causa quandoque episcopo videatur.

CAP. I.

De dignitatibus, & canonicis.

Ubicunque sacri Tridentini concilii decretum, quo cavetur majorem saltem capituli cujusque partem in presbyteratu esse constitutam, hactenus non est in usu, debitæ executioni demandetur: ita tamen ut deinceps ordinis prærogativa inter eos perpetuo servetur, quacunque consuetudine non obstante: nempe ut presbyteri diaconis, subdiaconis vero diaconi, donec ad superiores ordines promoti fuerint, de cætero præferantur.

CAP. II.

Ad dignitates vero, vel canonicatus in quibusque ecclesiis ii assumantur, qui episcopos opera & officio juvare valeant: eaque morum integritate præditi sint; ut eorum capitulum cujusque ecclesiæ Senatus merito dici possit: atque aliis existant qualitatibus ornati, tam a jure, quam ab eodem Tridentino concilio requisitis: super quo episcoporum conscientias oneramus.

CAP. III.

Canonici atque alii dignitates vel personatus quoscumpue in cathedralibus ecclesiis, vel collegiatis obtinentes, prælatis suis omnem obedientiam, ac reverentiam præstent, quacumque exemptione non obstante, quod ad honorem eis exhibendum pertinet. Quare eos ad ecclesiam divinorum causa deducere, & domum reducere in habitu, loco, tempori, ac eorum dignitati congruenti, dignitates, & canonicatus obtinentes, capitulaque ipsa omnino teneantur, salvis, quo ad alia, cujusque capituli, ac dignitatum juribus, exemptionibus, ac privilegiis quibuscunque.

CAP. IV.

Expediret maxime, ut cathedralium ecclesiarum, ac insignium collegiatarum dignitates & canonici omnibus dominicis, festivis die-

ANNO CHRISTI 1568.

diebus, & aliis quam sæpissime Missas publice in eorum ecclesiis celebrarent: ad minus tamen in majoribus quibuscumque anni solemnitatibus, in quibus episcopi in Pontificalibus non celebraverint, necnon et singulis beatæ Mariæ virginis, & Sanctorum Apostolorum festivitatibus, ac dedicationis ecclesiæ, & Sanctorum protectorum civitatis cujusque, atque in quibusvis tam Quadragesimæ, quam Adventus Dominicis diebus Missarum solemnia in majori ecclesiarum ipsarum altari per seipsos omnino celebrare teneantur: eo ordine & lege qua inter seipsos intra mensem ab harum constitutionum publicatione convenerint: alioquin ipsimet episcopi pro suo arbitrio deputent, qua die singuli celebrare debeant: nec liceat eisdem ab illorum præscripto recedere, quacunque consuetudine etiam immemorabili non obstante, sub suspensionis, atque aliis ex arbitrio pœnis infligendis; salvis tamen earum ecclesiarum constitutionibus seu consuetudinibus, in quibus iidem publice & solemniter frequentius celebrare tenentur.

A

B

CAP. V.

Divinorum tempore a canonicis, vel aliis ecclesiæ ministris conventus, seu capitula, ut vocant, non habeantur, alioquin distributionibus illius diei careant; quas episcopi piis usibus ex arbitrio tribuant; & si major contumacia intervenerit; episcopi judicio aliter pro modo culpæ præterea puniantur.

C

CAP. VI.

Cappæ, vel Almutiæ tam a canonicis, quam ab aliis ecclesiæ ministris, juxta cujusque loci consuetudinem deferri solitæ, deferantur; alioquin eas deferre omittentes, uti non residentes puniantur; quæ nihilominus Almutiæ dum sacra mysteria celebrantur, in altari statim deponantur: non autem super sacris vestibus ullatenus habeantur, nisi tantum in incessu, sub eadem poena.

D

CAP. I.

De Mansionariis.

MAnsionarii in ecclesiis ubi adsunt, per seipsos munus suum obeuntes (sicut & cæteros ecclesiæ ministros cujuscunque gradus, qualitatis, & dignitatis existant, propria cujusque munia similiter per se ipsos obire mandamus) illud ipsum accuratissime implere satagant, ne deficientes annotentur; necnon pro rata portionum, vel præbendarum suarum, si distributionibus careant, punctationes in proprio libro annotandas persolvant: atque eadem in illis ratio servetur, quæ in canonicorum punctationibus, ac distributionibus infra proxime statuetur: nisi aliud ecclesiæ suæ magis expedire episcopo videatur.

E

CAP. II.

Illud autem Mansionarii semper observent, ut ea hora qua sibi injunctum ex Mansionaria munus incumbit, a cæteris curis in ecclesia, ne dum extra eam, prorsus sint expediti: alioquin ac si ea hora defecerint, a punctatore norentur: sciantque ob eorum officii necessitatem, quod & in canendo, & psallendo præcipue versatur, festis diebus punctaturas eisdem esse duplicandas, nisi majori pœna ex alicujus ecclesiæ instituto plectantur.

CAP. I.

De distributionibus quotidianis.

QUotidianæ distributiones, his tantummodo qui statis horis divinis interfuerint, ex sacrorum canonum dispositione, ac Tridentini concilii decreto, tribuantur; cujus quidem concilii auctoritate, prohibemus collusionem aliquam, vel remissionem de eis fieri, sub dupli pœna a camerario capituli, si capitulariter omnes deliquerint persolvenda; si vero aliquid de capitulo hac in re excesserint, ipsi delinquentes tantumdem ex suis distributionibus amittant: & episcopi arbitrio utraque poena piis usibus applicetur: his dumtaxat exceptis, quos vel corporis infirmitas, vel ecclesiæ utilitas excusat, ex eorumdem canonum dispositione.

CAP. II.

Provideant autem episcopi, ut ubi tenues, vel nullæ distributiones existunt, vel per tertiam fructuum, dignitatum, ac præbendarum partem, in distributiones convertendam, vel per simplicium beneficiorum unionem, adeo augeantur, ut servientium usui sufficere possint: idque quamprimum efficiant juxta eiusdem concilii præceptum.

CAP. III.

Non constitutos in sacris, de distributionibus participare, necnon vocem in capitulo habere, ex ejusdem concilii prohibitione penitus interdicimus, qui vero secus fecerint; distributionibus ipsis tamdiu careant, donec episcoporum arbitrio satisfecerint.

CAP. I.

De Punctatore.

PUnctationes, pro quotidianis distributionibus consequendis, quam diligentissime per eum, ad quem spectat, ac distincte annotentur, & sine aliqua personarum acceptione.

CAP.

ANNO CHRISTI 568.

CAP. II.

Punctatores vero singulo quoque anno per episcopos, vel alios ad quos juxta ecclesiarum consuetudinem ea res pertinet, modo ab eisdem comprobentur, constituantur: quibus quidem juramentum deferatur, de bene, ac legitime officium suum exercendo, sub dupli, quanti id fuerit, & perjurii poena.

CAP. III.

Singulis autem mensibus, nisi aliud episcopo videatur, ex sui officii debito, superiori suo punctationum librum punctatores ipsi præsentare teneantur, quæ si non recte se habere superior ipse cognoverit, eos negligentiæ suæ poenas, dupli scilicet & perjurii dare compellat, idem quoque punctator quisque facere debeat, antequam alicui ecclesiæ ministro, qui de distributionibus participet, ejus servitii portio assignetur: quo certior fiat episcopus, an aliqua collusio ea in re intercesserit.

CAP. I.

De Chori præfecto.

CHori præfecti officium juxta cujusque ecclesiæ consuetudinem a deputatis exerceatur: ubi vero aliqua consuetudo non viget; episcopus ex dignitatibus vel canonicis, seu aliis ecclesiæ ministris, eum, qui sibi aptior videbitur, huic muneri præficiat: quod & prompte suscipere, & diligenter exercere, quicunque idoneus fuerit habitus, sub poena, ipsius ordinarii arbitrio statuenda teneatur.

CAP. II.

In primis vero chori præfectum curare oportet, ut Missarum solemnia, atque alia divina officia congruis horis, & qua decet religione, ac studio persolvantur; atque ea omnia in ecclesia observentur, quæ ad rectam divinorum celebrationem pertinent: negligentiumque clericorum culpas annotare arguere, & si sit opus deferre, præfectus ipse satagat, ut ab episcopo redarguantur, vel pro modo culpæ ex arbitrio puniantur.

CAP. II.

Illud autem meminerint episcopi, nullum in ecclesia officium hoc ipso fere præstantius esse, aut magis necessarium: ac propterea ab ipsis quam sæpissime commonendos esse eos, qui illud in ecclesia pro tempore gerunt: cum ab eo potissimum pendeat recta ecclesiarum ordinatio, ac divini cultus propagatio; curentque præfecti ipsi a clericis omnibus, in his quæ ad eorum officium pertinent, obedientiam sibi præstari: inobedientes vero deferant, ac pro culpæ qualitate ab episcopis puniri curent.

CAP. I.

De cæremoniarum magistro.

CÆremoniarum magister, ubi ex ecclesiæ alicujus instituto non adest, in cathedralibus, & collegiatis præsertim insignibus, is ab episcopis eligatur, qui in divinorum celebratione optime sit versatus; atque huic muneri satisfacere possit. Is vero quæcunque ad cæremonias attinent curare debet, ut quam diligentissime, rite, & ex ordine in ecclesia peragantur: cui ut ab omnibus, quo ad cæremonias ipsas, pareatur, quicunque ille sit, episcopi efficiant: & quos contumaces invenerint, quamvis canonici sint, vel in alia ecclesiastica dignitate constituti, ex officio corripiant, ac debitis poenis afficiant: quemadmodum & ipse, si in his quæ sui muneris sunt, quovis modo deliquerit, episcopi arbitratu puniatur, vel emendetur.

CAP. I.

De Chori magistro.

IN unaquaque cathedrali vel collegiata ecclesia chori magister instituatur, ubi mansionarii non sint, vel alius quispiam ab episcopo, vel capitulo ad id deputatus; qui præcentoris officium exerceat, & in ecclesiastico cantu sit eruditus: congrua sibi mercede, juxta cujusque ecclesiæ institutum, vel episcopi præscriptum, constituta.

CAP. II.

Chori autem magistri officium id erit, quæ sunt in ecclesia canenda; vel legenda proponere, ac prævidere, ut promptius recitari vel cantari possint. Item aliis in cantu præire, ut dissonantiæ vitentur: necnon curare, ut tam antiphonæ, quam gradualia, & his similia concorditer, ac recte cantentur, quo minus audientium aures offendantur. Ad eundem quoque spectabit efficere, ut alte & intelligibili voce canonicæ horæ recitentur, voces depressas extollendo, vel nimis elatas remittendo, prout sibi magis conducere videbitur.

CAP. III.

Omnes vero clerici qualescunque sint, in his quæ ad ipsius chori magistrum pertinere videbuntur, eidem assentiri, & obedire teneantur. Quisquis autem illius officium perturbare, aut quoquo pacto eidem in suo munere molestus esse præsumpserit, ab episcopo graviter pro modo culpæ ex arbitrio corripiatur.

ANNO CHRISTI 1568.

ANNO CHRISTI 1568.

De muſicæ magiſtro.

CAP. I.

MUſicæ magiſter pro eccleſiæ facultatibus & inſtituto, congrua ei mercede propoſita, qua videbitur epiſcopo tutiori via, ubi conſuetudo aliqua non apparet, in unaquaque cathedrali eccleſia conſtituatur, is vero vel idem ſit, qui ſeminarii pueros eccleſiaſticos cantus edoceat, vel alius pro eccleſiæ cujuſque dignitate, & qualitate epiſcopi judicio adhibeatur.

CAP. II.

In eccleſiis autem ubi muſici redditus pro cantorum mercede ſunt inſtituti curent epiſcopi, ut vere muſicæ artis periti clericis ubi haberi poſſunt, tribuantur; alioquin laicis, qui tamen clericalibus veſtibus ſacrorum tempore, ſi commode fieri poterit, induantur, pro ſtipendio aſſignentur, qui ſi ſtatis diebus, quicunque ſint ſuo muneri defuerint; ex eorum mercede portio aliqua epiſcopi arbitrio detrahatur: eademque ratio in muſicæ magiſtro, atque aliis hujusmodi eccleſiæ miniſtris ſervetur; quo majore in ſuis officiis ſolicitudine utantur.

CAP. III.

Muſici cantus ejusmodi in eccleſia adhibeantur, qui populum ad devotionem provocent. Divinæ laudes muſicis rhythmis non involvantur aut implicentur, ſed explicite proferantur, atque ita, ut clare intelligi poſſint. Gradualia vero, introitus, atque alia hujuſmodi, plano cantu, ut vocant, annotata juxta canonicas ſanctiones a ſuo originali tono minime alterentur: liberum tamen ſit cantoribus conſonantias aliquas adjungere, non mutata cantus origine.

CAP. I.

De organo.

IN cathedralibus præſertim eccleſiis organa divinorum cauſa ex vetuſto eccleſiæ inſtituto non deſint: necnon qui ea pro eccleſiæ dignitate, atque ex arte pulſent adhibeantur: mercede eisdem juxta eccleſiarum conſuetudinem, & ea deficiente pro epiſcoporum xatione perſolvenda.

CAP. II.

In organis autem laſcivum quid, vel impurum ex ſacri concilii Tridentini præcepto minime canatur, nec pulſando miſceatur: quod qui neglexerint, ſeveriore poena ex arbitrio plectantur, ſitque organorum ſonus, & vocum in illis modulatio ejuſmodi, quæ ad pietatem & religionem audientes excitet, non ut aures vulgi tantummodo mulceat.

A

CAP. III.

Alia vero inſtrumentorum genera, præter organa, non adhibeantur; niſi aliud ex cauſa epiſcopo videatur: qui pro temporis & loci qualitate, quod religioni congruere judicaverit, pro ſua prudentia ſtatuet.

CAP. I.

De horis canonicis.

HOræ canonicæ pro dierum ac feſtorum qualitate legantur, vel cantentur; prout chori præfectus ex eccleſiæ inſtituto, vel
B Epiſcopi præſcripto expedire arbitrabitur.

CAP. II.

Ea autem pſallendi ratio comprobetur, ut concorditer pſallatur: & ſive verbo, ſive cantu agatur, voce non nimis depreſſa, nec nimis arguta, Dei laudes proferantur. Fiat autem in medio cujuſque pſalmi verſiculo ſuſpenſio conveniens, qua pars a parte diſtinguatur, quod valde ad bene pſallendum conferre exemplo conſtat: contineantque pſallentes ipſi eorum voces intra tonos & modulos, quicunque contigerint, nec vocibus evagentur, quo nihil eſt indecentius:
C necnon inter feſtivum, & feriatum officium congrua differentia fiat, pro ipſius chori præfecti arbitrio.

CAP. III.

Singulæ quæque horæ opportunis temporibus ex univerſalis eccleſiæ inſtituto recitentur. Matutinum vero curent epiſcopi, ut ſummo mane dicatur, atque ea circumſpectione habita, ut aliæ horæ commode perſolvi poſſint.

CAP. IV.

D Quod vero ad canonicas horas a clericis recitandas attinet; ſtatuimus ab omnibus & ſingulis in ſacris conſtitutis, vel eccleſiaſtica beneficia obtinentibus quotidie recitari debere: alioquin beneficiati divinum officium omittentes, juxta Lateranenſis poſterioris concilii decretum fructus ſuos non faciant, qui quidem in pios uſus converti debeant: poſt debitam monitionem beneficio quoque priventur, præter grave peccatum quod continue committunt. Item quicunque in ſacris conſtituti illud ſine cauſa prætermiſerint, præter peccati reatum quem contrahunt, etiam ſeveriſſime ex arbitrio puniantur.

E

CAP. V.

Si quis autem error inter pſallendum, aut orandum, vel omittendo, vel ſubvertendo contigerit; is non ab omnibus, ſed a chori præfecto tantummodo corrigatur: qui pro ſua prudentia vel ſuppleri, vel repeti, aut progredi mandabit, prout ſibi magis expedire videbitur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. VI.

Ad Matutinum officium quicunque responsoria vel lectiones pro suo munere est in ecclesia recitaturus, ea prælegat, ac prævideat, ut promptius legat, errores inter legendum vitet, divinorumque officiorum continuatio cunctando non impediatur.

CAP. I.

De Choro.

CLerici quique sub cathedralis, vel collegiatæ ecclesiæ stipendio militantes, ad consuetum campanæ signum ea qua decet gravitate ad ecclesiam accedentes, oratione peracta ante Sanctissimi D. N. Corpus, sacristiam ingressi, ut vestibus suo ordini ad psallendum congruentibus induantur: postquam omnes convenerint hora adveniente præcedentibus luminibus a sacristia bini a minoribus ad majores progredientes, saltem solemnibus diebus, ac in majoribus anni festivitatibus ad Missam majorem & Vesperas, ad chorum tacite ac modeste accedant.

CAP. II.

Chorum ingressi, ac in propriis sedibus considentes concorditer psallant, eodem tempore cum opus fuerit, singuli assurgant, sedeant, genuflectant, & capita detegant, nihil extraneum divinis immiscеant, privatim officium non recitent, nec colloquantur, obstrepant, aut literas legant, non evagentur, nec a propria sede recedant, nisi divinæ rei gratia, non incomposito modo sedibus cohæreant, aut dormitem, aut rideant, nec choro nisi petita a præfecto licentia, aut expletis omnibus recedant, sed toto corde in rem divinam incumbant. Si qui vero in his, atque aliis hujusmodi quoquo pacto deliquerint, ad præfecti arbitrium pro non residentibus habeantur, & alias pro modo culpæ ab episcopis quoque puniantur.

CAP. III.

Ne vero clerici, dum divinis incumbunt ab aliquo impediantur, curent episcopi, ut loca clericorum usui in ecclesiis destinata, a laicis non occupentur, sed seorsum a clericis omnino divinis interfint: nec chorum ad psallendum institutum præsertim, ubi commode fieri potest, occupent: poena in negligentes, vel impedientes quoscunque ab episcopis ex arbitrio proponenda.

CAP. IV.

Alia vero omnia quæ ad chori legem atque alios ecclesiæ ministros, de quibus in præsentibus nulla fit mentio pertinere videbuntur, pro ecclesiæ cujusque qualitate, adhibitis in consilium duobus de capitulo, ex sacri Tridentini concilii decreto episcopi suppleant.

CAP. I.

De vita, & honestate clericorum.

NOn solum in saeris constituti, aut ecclesiastica quæcunque beneficia obtinentes, verum etiam minoribus ordinibus initiati, qui clericalibus privilegiis potiri velint; clericalem habitum suo ordini, & qualitati congruentem, necnon tonsuram conspicuam continue gerant, sub poenis per episcopos jam statutis, vel in posterum statuendis. Sacerdotes vero barbam præterea e superiore labro ita detonsam, & in aliis sui partibus aptatam semper habeant; ut sumentibus Christi corpus & sanguinem nullatenus sit impedimento.

CAP. II.

Clerici vestes sericeas nullo modo deferant, superiorem vero semper usque ad talos protensam gerant. Inferiores autem vestes, sive subtanæ, ut vocant, per canonicos & alios in ecclesiastica dignitate constitutos pariter longæ usque ad talos deferantur: cæteri vero præsertim pauperes & rurales clerici protensas ad minus ultra genua, sub eadem tamen forma, gestare debeant. In itinere nihilominus clericis quibuscunque brevioribus vestibus uti liceat: ita tamen, ut a clericali honestate non abhorreant. Sit autem vestium color omnino niger; præterquam in constitutis in dignitate, qui & leonato, & violaceo colore uti poterunt.

CAP. III.

Clericorum caligæ non sint inflatæ, nec ullatenus incisæ: necnon calcei & crepidæ sint simplices, non autem incisæ, vel sericeæ. Camisiæ in nulla sui parte exteriori sint crispatæ, vel lactucatæ, nec arte aliqua ullo modo elaboratæ. Pilei quoque simplices existant, non acuti sive turbinati: nec eis utantur clerici, nisi necessitatis gratia, ac pro temporum & locorum qualitate: non autem intra ecclesiam, præsertim dum divinis interfunt. Subbireta pariter sint & ipsa simplicia, & honesta: quæ tamen dum Missæ sacrificium per eos celebratur, semper deponantur: annulosque nisi id dignitas postulet, clerici ipsi non deferant. In præmissis autem omnibus ad clericalem ornatum pertinentibus, præter rerum quibus deliquerint amissionem, episcoporum arbitrio aliter pro modo culpæ puniantur.

CAP. IV.

A taxillis, tesseris, pictarumque pagellarum lusu, & alio quocunque ludi genere sacris canonibus improbato, penitus abstineant: nec sint etiam prohibitorum ludorum spectatores. Choreas non ducant, aut spectent; nec larvati incedant, publice quoque, si scandalum ex eo oriri potest, ludis etiam permissis non utantur, sub arbitrii poena.

CAP.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. V.

Ab omni prorſus ſuſpectarum mulierum familiaritate, converſatione, & cohabitatione clerici abſtineant, ſub pœnis in ſacri Tridentini concilii decreto comprehenſis, atque aliis a ſacris canonibus inflictis, vel epiſcoporum arbitrio infligendis: ita ſane ut mulieres omnes pro ſuſpectis habeantur; illis tantum exceptis, quarum converſatio a jure permittitur: quas tamen abſque ſpeciali ordinarii licentia domi retinere non audeant.

CAP. VI.

Caveant inſuper clerici, ne vel in ædibus eorum patrimonialibus fœminæ quovis modo ſuſpectæ commorentur, aut detineantur, vel infamibus perſonis eas locent; quod multo magis in ſuarum eccleſiarum domibus prohibitum eſſe intelligant: ſub poenis in eoſdem ex arbitrio ſtatuendis.

CAP. VII.

Venationem quoque contra ſacrorum canonum formam, clerici minime exerceant: ab illicitiſque artibus & officiis quibuscunque caveant, tabernas non adeant, nec diverſoria frequentent: niſi itineris, ac neceſſitatis gratia. Qui vero in prædictis offenderint, graviſſime epiſcoporum arbitrio plectantur.

CAP. VIII.

Arma ſive ad offendendum, ſive ad defendendum parata, non obtenta ab ordinario licentia, ex urgenti tantummodo cauſa concedenda, clerici, præcipue in ſacris conſtituti, tàm per civitates & oppida, quam per villas non deferant, niſi per loca minus tuta iter faciant: Inobedientes autem prima vice pecuniaria poena epiſcopi arbitratu mulctentur: ſecunda vero, carceris maceratione, ac ſuſpenſione ad arbitrium afficiantur: poſtremo, ſi ſe enormibus præſertim immiſceant, nec reſipiſcant; fructuum eccleſiaſticorum privatione, ac etiam beneficii amiſſione, vel depoſitione pro modo culpæ, & perſonæ qualitate puniantur: ea ſemper circumſpectione adhibita, ut noctis cauſa poena duplicetur & aggravetur.

CAP. IX.

Clerici quoque noctu ſine cauſa, vel minus quam honeſta, ac rationabili evagantes, ab epiſcopis corripiantur, & abſtinere cogantur. Quod ſi vel canendo, vel inſtrumenta aliqua pulſando, per noctem deambulaverint, aut id agentibus comites ſeſe præbuerint; carcerentur, & poenis ab Ordinario congruentibus ſubiiciantur.

CAP. X.

In ſacris conſtituti clerici, in famulatu laicorum, etiam principum, niſi ad officium aliquod non indecens, & ſuo ordine non indignum, ac de epiſcoporum ſuorum licentia, non admittantur, ſub ſuſpenſionis, & arbitrii poena.

CAP. XI.

Generatim vero præterea, quæcunque alia clericis ex ſacris canonibus, generalibus conciliis, vel apoſtolicis ordinationibus, ad eorum vitam & honeſtatem pertinentia, ſtatuta ſunt, ab eis obſervari mandamus; ſub poenis in eiſdem contentis, quas ſacri Tridentini concilii auctoritate innovamus, atque aliis ordinariorum arbitrio pro delicti qualitate ſtatutis, vel ſtatuendis. Meminerintque clerici omnes, nihil eſſe; quod magis alios ad pietatem, ac Dei cultum inſtruat, quam eorum vita & exemplum, qui ſe divino miniſterio manciparunt: ac propterea ita vitam & mores ſuos componere debere, ut eorum actiones cunctis venerationem afferre poſſint.

CAP. I.

De ſacroſanctis eccleſiis.

ECcleſiæ quæcunque per dioeceſes conſtitutæ, ſacra oratoria, ſacellaque aut diruta, aut ruinoſa; inſtaurari, reædificari, atque ea reverentia teneri, ac cuſtodiri epiſcopi curent, quæ ex ſacrorum Canonum diſpoſitione requiritur. Quod ſi eccleſiæ, vel loci paupertas obſtet; juxta ſacri Tridentini concilii decreti formam, Ordinarii provideant, ut vel diruta reficiantur, vel transferantur.

CAP. II.

Nemo autem divinorum præſertim officiorum, aut prædicationum tempore per eccleſias deambulare, aut ibidem negotia tractare, clamores, riſus, diſſolutiones, confabulationes, atque alia hujuſmodi profana, neque etiam cum ſuſpectis mulieribus colloquia habere præſumat; ſub poenis, quæ in ſanctiſſimis D. N. Pii Quinti Bulla continentur.

CAP. III.

Prohibemus inſuper, ne in ſacroſanctis eccleſiis comeſtiones, ſive compotationes, quovis anni tempore fiant: aut in earum porticibus, vel coemeteriis, aliqua ad cibum, vel potum venalia habeantur, nec etiam prope eccleſiam, quantum fieri poteſt, ſub poena per Ordinarios ipſos ſtatuenda.

CAP.

ANNO CHRISTI 1568.

CAP. IV.

Ecclesiæ cujuscunque parietibus, nihil profanum, vel immundum adhæreat: ac præcipue tabernæ, & Judæorum familiæ procul absint; ne sacra profanis misceantur, sub poena episcopi arbitrio proponenda.

CAP. V.

Altaria in ecclesiis quibusque constituta, si dotata sint, per eorum rectores tam in temporalibus, quam in spiritualibus recte curari episcopi studeant: nec eadem a quoquam usurpari permittant; indotata vero, vel ab his, a quibus erecta fuerint, instaurari, ac exornari, vel amoveri curent.

CAP. VI.

Ecclesiarum fabricæ, bona, ac redditus omnes, in destinatos usus a deputatis converti, Ordinarii quique provideant: nec ullo modo patiantur ab aliqua vel sæculari, vel ecclesiastica persona usurpari, aut in alios usus converti, sub dupli poena, atque animarum suarum periculo.

CAP. VII.

Ecclesiarum præterea indemnitati prospicere cupientes, personis ecclesiasticis, quavis dignitate fulgentibus, atque aliis quibuscunque ecclesiastica beneficia, quocumque nomine censeantur, obtinentibus, ac hospitalium, aliarumque piorum locorum gubernatoribus, Rectoribus, seu administratoribus universis injungimus, ut infra annum a præsentis synodi fine connumerandum, inventarium bonorum omnium mobilium & immobilium, juriumque, & actionum, ac nominum de bitorum, ad ecclesias ipsas vel pia loca, quæ obtinent, aut regunt, quovis modo pertinentium, cum ipsorum bonorum qualitatibus, situationibus, vocabulis, & confinibus, coram honestis, ac fide dignis testibus, in forma probante conficiant: quorum quidem bonorum, duo publica fiant instrumenta: ex quibus unum, in propria ecclesia, hospitali, vel pio loco, alterum apud episcopum in Archivio perpetuo custodiant. Quicunque vero in hoc exequendo vel negligens, vel parum fidelis extiterit, graviter episcopi, ad quem hujus rei cura pertinet, arbitrio puniatur.

CAP. I.

De rebus ecclesiasticis non usurpan. ac male alienatis recuperandis.

MAndamus insuper sacri Tridentini concilii auctoritate, ut singuli episcopi, seu eorum vicarii, simul cum uno de capitulo, & altero de clero: ex his, qui aptiores, & probatiores eis videbuntur, ab ipsis de capitulo: & clero civitatis, respective deligendis, recognoscant, etiam ex officio, quascunque locationes rerum ecclesiasticarum, ad longum tempus, seu ad vigintinovem annos, aut bis vigintinovem, a triginta annis citra, ante publicationem Tridentini concilii factas, etiam auctoritate apostolica confirmatas: judicentque an in damnum ecclesiæ, & contra canonicas sanctiones factæ fuerint: absque tamen aliquo causarum de præsenti pendentium præjudicio.

Quod si res de qua agitur, ad episcopum, seu illius mensam pertineat, aut episcopus ipse, vel ejus vicarius locationis ejusdem commissarii, seu executores fuerint; tunc ad episcopum, qui magis vicinus sit, una cum deputatis ab ejusdem capitulo, & clero, hæc recognitio & judicatio pertineat. Si autem delectorum a capitulo, seu a clero legitima forsan aliquo casu esset recusatio, tunc ab eisdem de capitulo & clero, alii in ea causa substituantur.

CAP. II.

Quoniam vero usu compertum est, alienationes bonorum ecclesiasticorum fieri sæpe sub conditione, ut illarum confirmatio ab apostolica sede obtineatur, interim autem possideri, non obtenta aliter confirmatione ejusmodi, in grave ecclesiarum damnum, & animarum ipsorum contrahentium præjudicium; ideo ordinariis quibuscunque mandamus, ut diligenter super hujusmodi alienationibus quorumcunque bonorum ecclesiasticorum, etiam hospitalium, & ad fabricæ, sive ad luminarium, ut ajunt, usum deputatorum, & aliorum quocunque nomine censeantur, inquirant: & si quas sub jam dicta conditione nondum impleta a triginta annis, ut supra, factas repererint, irritas, & inanes declarent; in eosque qui in possessionem, vel detentionem ante obtentam confirmationem, ut supra se intrudere ausi fuerint, poenas a sacris canonibus & summorum pontificum constitutionibus, adversus eosdem inflictas exequi omnino studeant.

CAP. III.

Generaliter autem tam in his, quam in aliis quibuscumque ecclesiasticarum rerum alienationibus, quas in futurum auctoritate apostolica fieri contingat, animadvertant episcopi, & eorum vicarii, ut omnia rite, & recte, maturaque, ac diligenti investigatione adhibita peragantur, etiam in rem præsentem accedendo, indemnitati ecclesiarum prospiciant: admonentes etiam frequenter populum, eos excommunicationi fore subjectos aliisque poenis teneri, qui contra sacrorum canonum decreta, ecclesiastica bona alienare, aut indebite detinere præsumant. Monemusque propterea episcopos omnes, ac enixe in domino obsecramus, ut ad minus semel in anno sacri Tridentini concilii decretum sub sessione vigesima secunda, capitulo undecimo de reformatione, quod incipit, si quem clericorum, vulgari idiomate, per prædicatores in Dominica Lætare, frequenti populo publicari ac ad memo-

ANNO CHRISTI 1568.

moriam revocari curent: quo certiores fiant ecclesiasticarum rerum quarumcunque usurpatores, ipso jure excommunicatos esse, nec ab alio quam Rom. pontifice absolvi posse.

De Monialibus.

Quod ad Moniales ac Deo dicatas virgines attinet, id solum nobis commemorandum censuimus, ut episcopi potissimum curent eas modis omnibus ad regulæ, quam sunt professæ, præscriptum reducere, ac earum vitam, & mores ex illa componere, fideliterque ab eisdem præcipue servari studeant, quæcunque ipsarum peculiaria vota vel circa ea præcepta respiciunt. Illarum clausuram, ubi violata est, ex injuncto sibi proprio munere diligenter restitui, & inviolatam conservari provideant, necnon quæcunque ad eas pertinent diligentissime exequantur, & exequi faciant, juxta sacri Tridentini concilii saluberrima decreta, ac sanctissimi Domini nostro Pii V. Bullam: atque enitantur in primis, a monialium monasteriis quæcunque castitatis proposito adversari videbuntur, opportunis ordinationibus avertere, atque eas in viam Domini omni studio, ac vigilantia dirigere.

CAP. I.

De locorum piorum administratione.

Circa locorum piorum administrationem diligenter animadvertant episcopi, ut probatissimi viri, timoratæque conscientiæ ad hujusmodi regimen assumantur qui suæ familiæ bene præsint: quive in operibus charitatis se se exercere consueverint: necnon recte calculandi rationem teneant, nec locorum ipsorum debitores existant: riteque caveant, se fideliter Christi patrimonium administraturos. Hi vero non ultra triennium ex sacri Tridentini concilii decreto, nisi rei necessitas aliud suadeat, administrent: male ablata, vel alienata recuperent, fructus in destinatos usus convertant: his præcipue quibus ex loci instituto tenentur; præsto sint: singulis annis accepti, & expensi tabulas proferant, & a deputatis cum ordinarii interventu calculari studeant: ruinosa ædificia reparent; bonaque, ac redditus ipsorum locorum ita gubernari & dispensari satagant, ut vere boni administratores dici possint.

CAP. II.

In hospitalibus ad peregrinorum usum paratis, vere egeni, & pauperes recipiantur: circulatores, præstigiatores, simulato habitu incedentes, herbularii, atque alii id genus homines ab hospitio arceantur; qui vero puellas nubiles, ac juvenes secum ducunt, nec de eorum matrimonio constat; ultra unam dormitionem non accipiant; mares a foeminis prorsus distinguantur, nec viris ad mulieres, vel contra, quamvis jugales sint, honestatis gratia pateat aditus, neque aliqui in hospitio alantur, nisi necessitatis causa. Pueri quoque a viris, ubi commode fieri potest, secernantur. Immodesti, blasphemi, & inquieti eliminentur, nec validi mendicantes ultra unam noctem receptentur.

CAP. III.

Quod ad pauperes infirmos attinet, in locis ad eorum usum deputatis, ministri non desint, Christiana pietate præditi; qui necessaria omnia illis subministrent, ea qua decet charitate; ex his quæ medici decreverint, nihil penitus prætermittentes, quod ad infirmorum salutem procurandam pertineat; horas & momenta, rerum qualitates, & quantitates diligenter attendant, totque ministros adhibeant, quot infirmorum numero & usui sufficere possint. Illud vero maxime ad infirmorum regimen deputati curent, ut cum primum infirmi possint, peccata confiteantur, sacramque eucharistiam sumant.

CAP. IV.

Illud præterea hospitalium infirmorum rectores ac Præfecti ipsi animadvertant, ne valetudinarii & convalescentes, nisi posteaquam bene se habuerint, ab hospitio dimittantur, ne vel eos recidivare contingat, atque ita, sumptus augeantur, vel in itinere deficere cogantur; quod ipsi hospitii præfecti quam diligentissime curabunt. Ne vero dum corporibus fit medicina, animarum cura negligi videatur; Sacerdotes non desint, qui Missas festis saltem diebus in loco infirmis ipsis accommodato celebrent, sacramentaque rite & opportune languentibus administrent: atque infirmantibus ad mortem, ad animæ salutem necessaria commemorent, & charitatis officium usque ad vitæ exitum, in eos exerceant; illorumque nomina, genus, & patriam diligenter annotent; defunctos vero ecclesiasticæ sepulturæ sacris precibus adhibitis pie ac religiose mandent.

CAP. V.

Circa orphanorum domos invigilent episcopi, atque provideant, propositis excommunicationis, atque aliis ex arbitrio poenis, ne infantes ab illis parentibus exponantur, qui eos vel eas ex industria, vel aere proprio alere possunt: fiatque ea de re ab ipsius loci curatoribus diligentissima inquisitio: nec a confessoribus, nisi satisfecerint, absolvantur.

CAP. VI.

Omnia vero ad ipsorum infantium expositorum usum opportuna, parata & instructa habeantur: nutrices præsertim subsidiariæ, donec infantes ipsi baptizentur, & ad alendum tradantur: quod quamprimum a præfectis curetur: debitaque merces nutricibus nullo pacto desit, atque alia pueris necessaria; ne eorum defectu, aut culpa aliqua periclitentur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. VII.

Postquam autem ad eam ætatem pervenerint, ut disciplinæ sint capaces; tam mares quam fœminæ, ubi fieri potest, & facultates suppetunt, bonis moribus, atque artibus ætati, & sexui congruentibus instruantur, donec illis aliter Deo adjuvante fuerit provisum.

CAP. VIII.

Curent autem episcopi, ne mendicantes aliqui parochias circumeant, morbum aliquem simulantes, vel aliud quidpiam falso jactantes, ad decipiendum simplicium animas: sed quod sedate ac pie, sine longa verborum serie eleemosynas petant, sub eorum arbitrii poena.

CAP. IX.

Insuper episcopi omnes diligenter se informare studeant de vita & moribus mendicantium: providentes omnino, ut in Paschate communicent: alioquin eos ejici curent. Mandantes hospitalium præfectis, ne post Pascha aliquos in hospicio recipiant, quos non constet, aut verosimile sit eo anno fuisse confessos, & sacram eucharistiam sumpsisse, vel paratos ecclesiæ præcepto statim satisfacere.

CAP. X.

Montes quoque Pietatis ubi adsunt, episcopi visitent, & recte administrari curent: ubi vero desunt, eos erigi, atque institui faciant: nec ex mutuo aliquid ultra recipi ab eorum ministris patiantur, quam quod ex apostolica indulgentia pro eorum labore dari conceditur. Pignora recte, ac tuto in loco serventur, debitæ illis pecuniæ exigantur: necnon legata quæcunque in eam causam facta persolvantur, ac bona stabilia si qua habent, usurpari minime permittant.

CAP. XI.

Disciplinatorum præterea confraternitates, seu societates quocunque nomine nuncupentur, ex sacri Tridentini concilii præcepto, episcopi visitare non prætermittant, provideantque, ut ab eis charitatis opera, ad quæ tenentur, impleantur; atque ad suarum regularum, si probatæ sint formam, disciplinati ipsi redigantur, ac reformentur: nec ullo pacto differant, si quos in eisdem invenerint, abusus tollere: arctantes eosdem & ad processiones ordinarias etiam non vocatos; ad alias vero quandocunque fuerint evocati; frequenti numero convenire; ac binos graviter, & modeste, compositeque procedere: quæ si facere neglexerint, atque alia ad eorum officium spectantia implere, debitis poenis afficiant. Quod si incorrigibiles sint; ipsorum episcoporum arbitrio extinguantur, atque aliæ eorum loco substituantur, prout illis magis expedire videbitur.

CAP. XII.

Quicunque vero tam in præmissis, quam in aliis quibusque piis locis administrandis, quovis modo deliquerint; & præsertim si rationes cum ordinarii interventu reddere omiserint; dupli poena quanti ea res fuerit, atque aliter pro modo culpæ episcoporum arbitrio afficiantur.

CAP. XIII.

Notarii quicunque de testamentis, atque aliis dispositionibus, qualescunque sint, in quibus aliquid ecclesiis, hospitalibus, montibus pietatis, atque aliis piis locis, vel causis relictum fuerit, rogati; teneantur relicta, ac dispositiones hujusmodi, his ad quos pertinet, infra mensem, a die quo dispositio ipsa suum effectum sortiri ac irrevocabiliter ligare incipit, computandum, deferre, sub dupli poena, & excommunicationis in subsidium, moneantque eosdem persæpe episcopi, ut in legatis, ac dispositionibus hujusmodi opportune deferendis, ea qua decet solertia utantur: nec aliqua ratione in suarum animarum perniciem, & ipsorum locorum, ac piarum causarum præjudicium id facere prætermittant.

CAP I.

De Usuris.

DEtestabile usurariæ pravitatis crimen abolere cupientes, Ordinarios hortamur enixe, ut a suis ovibus pro eorum prudentia, venenum hoc avertere & extirpare contendant: curentque, ut usurarii ipsi, & quicunque contractus quoquo modo illicitos celebraverint, juxta canonicas sanctiones puniantur: necnon & proxenetæ seu mediatores omnes quicunque sint, ad illicitos contractus quoscunque, fideles ipsos trahentes, canonicis poenis afficiantur.

CAP. II.

Notariis vero de contractibus illicitis, rogatis, qui ex conscientia plane perspiciunt contractuum pravitatem, nihilominus se id scire dissimulantes, instrumenta conficiunt, quæ in eorum superficie suspicione carere videntur, cum tamen venenum latitet; sub pœna juxta sacrorum canonum formam imponenda mandamus, ac per episcopos mandari exoptamus, ne ullo pacto contractibus, quos ipsi ex animo & conscientia suspectos existimant, vel suspicantur, adstipulari præsumant, præter divinam ultionem quam incurrent.

CAP. I.

De meretricibus, & concubinis.

MUlieres quæstum suo corpore facientes, quæ abominabile sui ipsius præbent exemplum, ab honestarum mulierum viciniis segregari, ac in peculiares vicos

ANNO CHRISTI 1568.

quo citius fieri poterit, redigi; necnon ubi lignum deferre solent, quo ab honestis mulieribus distinguantur, ad illud ferendum cogi mandamus: hortamurque cujusque loci rectores, ac magistratus, ut in hoc tam pio opere exequendo episcopis præsto esse velint: & quas a fide dignis, diligenti inquisitione adhibita, pro meretricibus haberi compererint, secerni curent: nec aliquorum impietatis defensorum importunas voces audiant.

CAP. II.

Digna quoque animadversione concubinarios, & concubinas quascumque, sive soluti, sive conjugati sint, notandos esse præcipimus, juxta sacri Tridentini concilii decretum, poenis quoque sacrorum Canonum in eosdem infligendis. Quæ vero conjugatæ mulieres cum amatoribus vivere, nec a turpi vita discedere proposuerint; vel e civitatibus & dioecesibus arceantur, præsertim si notorie incontinenter vivant; etiam post trinam monitionem pro infamibus habeantur & tractentur.

De Judæis.

Episcopos monemus, & hortamur in Domino, ut mandatorum apostolicorum memores, Bullam a sanctissimo D. N. Pio Quinto contra Judæos editam, ex sui officii debito publicent, ac pro viribus observari curent.

De Cinganis.

Ginganos vagorum hominum genus, atque omni impietate refertum, nisi Christiane vixerint, & a superstitionibus, ac improbatis vitæ ritibus abstinuerint; ab eorum dioecesibus episcopi, quantum fieri potest, longe arceri curent.

De Bullis apostolicis publicandis.

Considerantes quam maxime expediat apostolicarum Bullarum quarumcunque notitiam ab omnibus haberi, tum ob præcepta, quæ in illis continentur, ut ab omnibus servari possint, tum ob pœnas quæ in illis infliguntur, ut a singulis evitentur; episcopos nobis quam maxime commonendos esse decernimus, prout eosdem ex animo commonemus, ut non solum Bullas de quibus in præsentis synodi decretis fit mentio, publicari, ac pro eorum viribus observari faciant; sed etiam quascunque alias pro tempore promulgari contigerit, easdem summatim etiam, ac per capita populis vernacula lingua insinuari, atque illis observandas proponi, sæpiusque eisdem in memoriam revocari studeant.

Decretum Generale.

Postremo non solum omnia & singula in his decretis comprehensa, sed & alia quæcunque tam a sacris canonibus, & apostolicis ordinationibus, quam a generalibus quibusque conciliis, præsertim a sacrosancta Tridentina synodo statuta, ac definita sunt, sive dogmata, sive reformationem, & morum correctionem respiciant, plene atque integre ab omnibus comprovincialibus episcopis, abbatibus, capitulis, & aliis ecclesiasticis personis, quæ etiam ex propria electione huic nostræ metropoli ex ejusdem concilii præcepto adhæserunt, & vel per se, vel per eorum idoneos procuratores interfuerunt, aut interesse debuerunt; ac etiam sæcularibus quibuscunque, quod ad eos attinet, servari debere decernimus, ac districte præcipiendo mandamus, sub juris, & arbitrii poenis: salvis tamen in omnibus constitutionibus & consuetudinibus ecclesiarum arctioribus, & laudabilioribus. Hortantes, & in Domino monentes quoscunque sæculi principes, ac potestates, ut ecclesiasticam immunitatem quo decet favore prosequentes, juxta ejusdem Tridentini concilii decretum, non solum episcopis munus suum exequi volentibus, præsto esse velint; sed nec a magistratibus & eorum officialibus quibuscunque ullatenus eosdem, vel eorum ministros impedire patiantur, debitis pœnis eos afficientes: præter excommunicationem, quam ipso facto incurrunt ex Bullæ in Coena Domini, sacrorumque canonum dispositione. Mandantes præterea, ut hæc ipsa decreta, postquam rite publicata fuerint, in eorum civitatibus, & diœcesibus, episcopi ipsi eadem publicari, ac observari curent: salvo semper, & reservato in omnibus sanctæ sedis apostolicæ, ac sanctissimi Domini nostri beneplacito: cujus judicio hæc ipsa emendanda, & corrigenda, qua debemus obedientia, & reverentia submittimus, ad Dei gloriam, & catholicæ fidei exaltationem.

DE-

ANNO CHRISTI 1569.

DECRETA PROVINCIALIS CONCILII, URBINI

AB AMPLISSIMO ARCHIEPISCOPO

FELICE TYRANNO

Habiti anno Domini 1569.

FELIX TYRANNUS URBINATIS

Eccleſiæ archiepiſcopus RR. coepiſcopis ſalutem in Domino.

PRovincialis ſynodi noſtræ decreta, quæ ex ſacri Tridentini concilii inſtituto fidelibus dioeceſium noſtrarum populis, Spiritu Sancto nos adhortante, proponendo ſtatuimus, ut primum ab apoſtolica ſede comprobata, & confirmata fuere, nihil majore ſtudio, quam ut mature, ac diligenter imprimerentur, agendum curavimus. Quare ea jam ſic impreſſa, & pervulgata, ut ab hominibus noſtris ad omnipotentis Dei gloriam, & ad ipſorum ſalutem ſumma cura ſerventur ad vos nunc mittimus Ita enim fiet, ut Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri gregi nobis commiſſo bene paſcendo præſimus, & ad beatam vitam in cæleſtibus paſcuis conſequendam eodem domino noſtro Jeſu Chriſto nos adjuvante, duces illi, ac magiſtros nos præbeamus. Bene valete.

In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus, Sancti.

Nos Felix Tyrannus Dei, & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Urbinas de RR. DD. coepiſcoporum noſtrorum conſilio, & aſſenſu in provinciali Urbinati ſynodo legitime congregata, hæc quæ ſequuntur ſtatuimus, & ordinamus.

De profeſſione Fidei.

Attendentes in primo catholicam fidem totius ſpiritualis ædificii, ac religionis præcipuum eſſe fundamentum, ſine qua neque eccleſia conſiſtere, neque quiſquam Deo placere poteſt, ejuſdem fidei confeſſionem ante omnia præmittendam eſſe ſtatuimus; ut quod corde credimus ad juſtitiam, id ore confiteamur ad ſalutem. Eandem in hunc qui ſequitur modum juxta formam in Bulla fel. recor. Pii IV. traditam unanimiter profitentes.

Credimus, & profitemur omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem &c.

Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones reliquasque ejuſdem eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admittimus, & amplectimur.

Item ſacram ſcripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. mater Romana eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admittimus, nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiemus, & interpretabimur.

Profitemurque quoque ſeptem eſſe vere, & proprie ſacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto D. noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipimus, & admittimus.

Omnia, & ſinguala, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita, & declarata fuerunt, amplectimur, & recipimus.

Profitemur pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in ſacratiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, eſſe vere, & realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem una cum anima, & Divinitate D. N. J. Chriſti, ſierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem catholica eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fatemur etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi; conſtanter tenemus Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter, & ſanctos una cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiter aſſerimus imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam; indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutare eſſe affirmamus.

Sanctam catholicam, & apoſtolicam Romanam eccleſiam omnium eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſcimus, Romanoque pontifici Beati Petri apoſtolorum principis

ANNO CHRISTI 1569.

ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario veram obedientiam ſpondemus, ac juramus: Cætera item omnia a ſacris canonibus, œcumenicis conciliis, & præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipimus, atque profitemur; ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, & rejectas, atque anathematizatas, nos pariter damnamus, reiicimus, & anathematizamus.

Hanc vero catholicam fidem, ſine qua nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profitemur, ac veraciter tenemus, eandem integram, & immaculatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a noſtris ſubditis, vel illis, quorum cura ad nos in noſtro munere ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in nobis erit, curaturos ſpondemus.

Statuimus itaque, & ordinamus, ut hanc ipſam fidei profeſſionem ex ejuſdem fel: rec: Pii IV. Bulla facere teneantur, quicunque dignitates, aut canonicatus, & præbendas, in cathedralibus, aut majoribus eccleſiis, aut alia beneficia eccleſiaſtica, curam animarum habentia, vel in præſenti obtinent, vel impoſterum obtinebunt, vel alias de jure, & conſuetudine ad diœceſanam ſynodum convenire tenentur, in proxima diœceſana ſynodo convenire ab eorum ordinario habenda, ubi hactenus id factum non fuerit: proviſi autem in poſterum, infra duos menſes a die adeptæ poſſeſſionis juxta formam decreti ſacroſancti Tridentini concilii. Qui vero id facere neglexerint, eccleſiaſticorum fructuum participatione, donec ſatisfecerint, omnino inhabiles reddantur. Illud idem decernentes de iis quoque, qui de dignitatibus, vel canonicatibus proviſi fuerint, nec non de promovendis ad doctorales, vel alios quoſcumque gradus; itemque de Medicis, ludi Magiſtris, Repetitoribus, Pedagogis, atque literarum alias quomodocumque profeſſoribus. Qui quidem omnes, & ſinguli, nullatenus ad ſuæ profeſſionis exercitium admittantur, niſi prius de eorum fide, moribus, ac ſacra doctrina conſtiterit, fideique ex præſcripta jam forma profeſſionem fecerint.

Illud autem præcipue in hujuſmodi fidei profeſſione obſervetur, ut coram Notario, & teſtibus omnino fiat; præmiſſaque ea verborum formula, quam ſupra explicavimus, qua de re per Notarium cujuſque epiſcopalis Curiæ in peculiari libro publica teſtatio, eaque gratis fiat.

CAP. I.

De Hæreticis.

In his, quæ fidei negotium tangunt, veluti omnium præſtantiſſimum diligentiſſime in primis ſe gerant epiſcopi, parochosque continue admoneant, ut ſuper gregem invigilent, ſedulo inquirentes omni cum pietate, ac fide, num aliquis a recta credendi norma, vel minimum quid declinet, ſtatimque, tam hæreticos, quam ſuſpectos, una cum nominibus, & cognominibus teſtium, a quibus rei veritas haberi poſſit, deferant; atque ab aliis deferri curent, ne venenum hujuſmodi latius diffundatur, & ut male de fide ſentientes canonice puniri queant. Volumus autem, ut ſingulis cujuſcumque diœceſis curatis de præmiſſis obſervandum juramentum deferatur.

CAP. II.

Obſervent præterea epiſcopi, ſimulque parochi omnes, quo ad ejus fieri poterit, quos ſemel hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos fuiſſe conſtiterit, nec non et advenas, & peregrinos quoſcumque ad eorum parochias confluentes, an eo potiſſimum anno ſacram Euchariſtiam ſumpſerint, quæve ſit eorum vita, & qui mores, Miſſamne feſtis diebus audiverint, & audiant, ſuſpectosque ordinariis judicent, qui eos, vel corrigendos curent, vel ſi ita expedire judicaverint e ſuis dioeceſibus expellant.

CAP. I.

De libris vetitis.

Regulas omnes librorum vetitorum in indice comprehenſas epiſcopi ab omnibus Chriſti fidelibus, eorum curæ commiſſis, & præcipue in Bibliopolis obſervari diligenter curent, illis inhibendo, ne libros ullos, quovis in loco impreſſos vendant, aut teneant, qui, a deputatis inſpecti, & approbati, aut alias pro approbatis recogniti non fuerint, nec ullo pacto prætermittent epiſcopi, non ſolum ſingulis annis, ſed quam ſæpiſſime Bibliothecas inviſere per ſe, vel alios ab eis deptatos, ac diligenter inquirere, num forte libri aliqui vetiti in eis inveniantur, vel retineantur. Mandantes eiſdem Bibliopolis, ne libros aliquos inferant, aut venales proponant, antequam eorum cathalogum propria ipſorum manu ſubſcriptum ordinariis tradiderint. Quos autem in cathalogo prætermiſſos ordinarius invenerit, pro ſuſpectis habeat, ac juxta indicis normam delinquentes debitis poenis afficiat.

CAP. II.

Obſervent præterea epiſcopi, ne bibliopolæ captas, ſeu librorum faſces (quas ballas vocant) abſque interventu epiſcopi vel ab eo deputandi ullatenus aperiant ſub arbitrii poena. Mandent quin etiam medicis, legum doctoribus, theologis, ac ludi magiſtris, aliiſque libros habentibus, ut librorum ſuorum notulam pariter ab eis ſubſcriptam ordinariis edant, ſub poena eorum arbitrio imponenda, ſi fideliter non tradiderint.

CAP. III.

Inſuper nullo modo patiantur epiſcopi commentarios, aut libros quoſcumque, vel tractatus de rebus etiam piis, ſine ſua, ſeu inquiſitoris licentia circumferri, vel communi-

municari proposita ex arbitrio poena, omninoque studeant, ne opera aliqua, ante diligentem emendationem, impressioni tradantur, quæ postquam excussa fuerint cum originalibus fideliter conferri, atque diligenter observari curent, ne aliqua ex parte corrumpi ullo unquam tempore possint, juxta indicis formam.

A

CAP. I.

De sacris Imaginibus.

Attendant diligenter ordinarii omnes, ut sacræ Imagines ita per earum artifices effingantur, ut ejus quem referunt majestatem, & vitæ sanctitatem imitari videantur, sintque ejusmodi, ut ex earum inspectione pietas excitetur, & ne ulla unquam turpis cogitationis inde oriatur occasio, nec aliquas insolitas imagines ab eisdem artificibus ordinarii ipsi effingi patiantur. Quæ vero aliter quam decet effictæ fuerint, non solum in ecclesiis, aut publicis locis, sed nec in privatis clericorum domibus, nec in religiosarum fœminarum monasteriis, quæ ordinariorum curæ subsunt, ullo pacto teneri permittantur: quod si quæ hujusmodi inventæ fuerint in regularium, vel monialium exemptarum domibus ad superiores, ut opportune provideant, quam primum deferantur.

B

CAP. II.

Sacrarum item imaginum forma ita repræsentetur, ut ab ecclesiastica Historia, & consuetudine diu in ecclesia approbata nullatenus distet: quas vero aliter se habere imagines vultu, habitu, vel gestu, ordinarii perspexerint, eas delere, aut adhibito peritorum consilio corrigi curent, provideantque ne de cetero imagines aliquæ in ecclesia, vel alio pio loco effingantur, vel ponantur absque ipsorum, vel saltem parochorum, seu rectorum licentia, ut id tantum quod decet in ecclesia retineatur.

C

De sacrorum actorum repræsentatione.

Salvatoris nostri passio, aut alia quæcumque ipsius, vel ejus sanctorum actio in monasteriis monialium omnino non representetur; alibi, aut nec in sacro, nec in profano loco publice, vel privatim, aut agantur, aut represententur, absque præcipua ordinariorum licentia. Qui quod pietati, ac religioni congruere judicabunt, hac in re pro eorum prudentia statuent.

CAP. I.

De blasphemiis.

In blasphemos modis omnibus pro modo culpæ insurgant episcopi, poenasque in jure, atque in apostolicis bullis contentas, debitæ executioni mandare non prætermittant, necnon in alios criminosos quoscumque in eisdem bullis comprehensos, uti debitorum qualitas exigit, severissime animadvertant.

CAP. II.

Admoneatur autem populus per parochos, ac concionatores, ut si quis blasphemantem quempiam audiverit eum quam primum ordinario ecclesiastico, vel sæculari denunciat; quod si quis exequi omiserit, arbitrio ordinarii pro modo culpæ puniatur.

CAP. I.

De sacris verbis vel rebus non abutendis.

Attendant diligenter episcopi, idque a parochis sæpe populum moneri curent, ne sacræ scripturæ verbis, vel sententiis ad scurrilia dicta, detractiones, adulationes, incantationes, superstitiones, libellos famosos, aut ad quosvis alios profanos usus vel ad alia illicita aliquid abutantur. Qui vero secus fuerint, uti verbi Dei temeratores, juris, & arbitrii poenis afficiantur.

CAP. II.

Præcipimus insuper ne ulla unquam sæcularis, vel ecclesiastica persona, licet claustralis sit, nostræ dictioni subjecta, habitu mutato vestes clericales, seu religiosas, vel religiosarum personarum, quarumcumque, seu alias ad altaris, vel ecclesiæ usum destinatas, vel ad eorum formam aptatas publice, vel in privatis ædibus induat, aut quomodolibet hujusmodi vestibus abutatur, alioquin eo ipso pecuniariis, atque aliis poenis, & censuris ecclesiasticis ad episcopi arbitrium omnino subjiciantur, quod & cautum etiam volumus adversus quoscumque, qui easdem ad illicita commoda verint.

De sortilegiis & superstitionibus.

Episcopi omnes quodcumque superstitionis, divinationis, sortilegii, vel alterius cujuspiam hujusmodi damnati criminis genus, de suis dioecesibus eliminare contendant. Animadvertentes præterea in maleficas lamias, sive strigas, atque alios quoscumque, qui cum dæmone tacite, vel expresse convenerint; quod si forte homicidium quoque eorum causa sequutum fuerit, vel aliquis sacramentorum abusus in maleficiis intervenerit, eosdem severe juxta canonicas sanctiones puniri curent.

D

CAP. I.

De festorum dierum observatione.

Dies festi, quos sancta mater ecclesia vel episcopi in suis dioecesibus observari mandarint, pie ac sancte ab omnibus observentur, propositis poenis juxta SS. D. N. Pii V. bullam, atque aliis ad arbitrium pro modo colpæ, ac festi qualitate pensandis. Festis diebus fideles quique frequenter ecclesias, & pia loca adire studeant, divinis officiis, & concionibus devote intersint, officinæ non aperiantur præterquam in casibus in bulla contentis; ab omni opere ser-

E

viili

ANNO CHRISTI 1569.

vili abstineatur, nisi aliud necessitas vel pietas suadeat, idque ordinarii judicio, atque arbitrio cognoscendum; mercatus ac nundinæ in antecedentem, vel subsequentem diem episcoporum arbitrio transferantur, nihilque venale festo die proponatur, præterquam quod ad illius diei victum sit necessarium, vel ad infirmorum salutem opportunum, vel alias de jure permissum sub jam dictis poenis.

CAP. II.

Provideant insuper episcopi, ne festis diebus divinorum præsertim tempore, quoad ejus fieri potest, nisi peregrinationis, aut necessitatis causa (idque non nisi audita prius missa) ad tabernas vinarias eatur, quo etiam tempore circulatores, parabulani, & herbularii fileant, a choreis, & saltationibus populus abstineat: prope ecclesiam vero in locis publicis nullo unquam tempore id agi permittatur, idque omnino servetur in ludis etiam licitis divinorum tempore; necnon a rebus vendendis, & emendis omnino caveatur, idque principes, & magistratus, quoscumque vero religiosos, quam maxime curare optamus et enixe in domino rogamus.

CAP. I.

De jejuniorum observatione.

Jejunia quoque a jure divino et ab ecclesia instituta, vel ab episcopis indicta, ut per eorum dioeceses observentur, episcopi provideant temporali quoque proposita poena, præter delicti reatum, quem quisque inobediens contrahit.

CAP. II.

Curent præterea locorum ordinarii ne in jejuniorum diebus præcipue quadragesimalibus pro ægrotantium, vel imbecillium usu passim carnes, vel alii cibi vetiti vendantur, seu venales habeantur, sed in locis ad id deputatis tantummodo, ne indistincte unicuique petenti tradantur, sed his dumtaxat qui licentiam in scriptis obtinuerint; quæ quidem licentia ab episcopis, vel eorum vicariis, ubi ipsi morantur de utriusque medici consilio concedatur; extra urbes vero, & oppida ubi medici desunt, accepta per ordinarios fide a parochis juxta formam ab ipsis præscribendam de ægritudine, vel imbecillitate saltem parochianorum, hujusmodi licentiæ concedi possint

CAP. III.

Animadvertant quoque episcopi, idque ex edicto pariter graviori poena proposita, ne christiani a judæis jejuniorum tempore carnes aut alios cibos vetitos emant, vel dono accipiant; nec audeant judæi ipsi temporibus hujusmodi carnes, vel ad eorum usum venales habere, nisi secreta aliqua in parte, ne fideles ex eo offendantur, idque sub arbitrii poena. Quæcumque vero jejuniorum tempore fidelis populus potissimum agere debeat, vel evitare, parochi frequenter inter missarum solemnia per se, vel per alios ad id idoneos edoceant.

ANNO CHRISTI 15[illegible]

CAP. I.

De prædicatione verbi Dei.

Cum proprium sit episcoporum, & parochorum munus Dei verbum populis prædicare, atque in viam Domini dirigere, episcopi per se, vel alios idoneos, si juxta sacrorum canonum formam legitime impediti fuerint, diebus a sacro concilio Tridentino statutis, salutaribus monitis populos eis commissos pascant, & erudiant; idemque parochialium ecclesiarum rectores in suis ecclesiis agant ex ejusdem concilii decreto pro sui ac populi capacitate, vel memoriter, vel e scripto, sive libro aliquo approbato. propterea vero ex Romano catechismo nuper edito de his, quæ ad fidei doctrinam, & morum correctionem pertinent, sæpe populum, clarissimis verbis instituant, & erudiant.

CAP. II.

Sacræ conciones quæcunque lucescente die non autem noctu habeantur nisi de ordinarii licentia, nec per concionatores aliquid ullo unquam tempore imprudenter, vel ad lachrimas etiam provocandas dicatur, aut fiat, quod a Christiana disciplina sit alienum.

CAP. III.

Caveant autem potissimum prædicatores verbi Dei, ne errores, aut scandala in populos dissemineut; inutiles autem quæstiones evitent, jocosa, fabulosa, aut ambigua ne recitent, neve miracula vel historias ex obscuris, vel rejectis auctoribus sumptas, neve quid ab ecclesia, & approbatis auctoribus alienum proferant; populos in commune, nullum autem in specie tacite, vel expresse corripiant, nisi in casibus a jure permissis. In populi abusus, ac superstitiones quascumque invehentur. Hæreticorum argumenta, & opiniones quanto minus fieri potest referant, sed assidue reprobent præsertim quando coram idiotis, vel imperitis hominibus concionantur. Prælatos, & seculares potestates quascumque, si admoneri oportere intelligant, non nisi pie, prudenter, ac reverenter id faciant, subdirosque ad eorum obedientiam ac reverentiam semper hortentur.

CAP. IV.

Loca virorum ac mulierum, ubi commode fieri potest in concionibus, & aliis divinis peragendis sint omnino distincta.

CAP.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. V.

Laudabiles insuper locorum consuetudines in prædicatore publice vel privatim alendo, ac etiam in eleemosynis ei elargiendis approbamus, & observari mandamus, quod si diversimode sit observatum ea consuetudo recipiatur, quæ vel antiquior sit, vel ecclesiæ magis pro futura ordinarii judicio videatur.

CAP. VI.

Prædicatorum autem electionem omnino ad episcopos, vel ecclesiarum rectores ex sacrorum canonum dispositione spectare decernimus, quod si aliquando ea de re inter ecclesiarum rectores, & populum dissentio forte oriatur, re ad ordinarium delata, id executioni mandetur, quod magis rationi consentaneum, & ecclesiæ indemnitati expediens ordinario videbitur quocunque privilegio vel consuetudine etiam immemorabili non obstante.

CAP. I.

De indulgentiis, & elemosinariis.

Quoties indulgentiæ populo ex apostolica auctoritate sunt enunciandæ, episcopi in suis ecclesiis per se ipsos vel per alios idoneos ab eis deputandos id agant. In aliis vero per parochos, & alios ecclesiarum rectores, quam accurate id fieri studeant, vim ac virtutem earum edocentes, ut eo facilius, ac majori cum devotione ad eas accipiendas fideles alliciantur.

CAP. II.

Quod si eleemosinæ aliquæ ea de causa sint elargiendæ, per deputatos ex sacri concilii decreto eas colligi curent; si qui vero abusus, vel in illis promulgandis, vel eleemosynis colligendis, aut alias quomodolibet earum occasione forsan emerserint, quam primum ab episcopis exstirpentur.

CAP. III.

Eleemosinas vero petentes nec per se, nec per alium prædicare aut indulgentias promulgare permittentur nisi juxta formam in decretis sacri Tridentini concilii, & in bullis apostolicis contentam, si qui vero facultatem super hac re ab apostolica sede vel ab ea potestatem habente obtinuerint, caveant omnino, in eoque vehementer intendant episcopi, ne formam literarum ullo pacto excedant sub arbitrii poena, nec eleemosynas, vel longa verborum serie, vel fictorum miraculorum recitatione prævia, aut alicujus rei elargitione, ab ullo exigi patiantur episcopi, sed pie, & modeste, peti jubeant, turpis cujuscunque lucri, vel exactionis indebitæ suspitione remota. Hortamur, autem episcopos, atque alios locorum ordinarios, ut pie petentibus eleemosynas benigne faveant.

CAP. I,

De seminario clericorum.

Quoniam vero ad religionem, & ad Dei cultum adolescentum clericorum animi instituantur, & a mundi illecebris avertantur a sac. Tridentina synodo episcopis injunctum fuit, ut pauperum clericorum seminaria in unaquaque dioecesi, ubi commode fieri possint instituantur. Ejusdem concilii monitis propterea obtemperare volentes, statuimus & ordinamus, ut episcopi omnes, & singuli, qui ea nondum erexerunt, quam primum fieri poterit juxta ejusdem concilii decretum instituant, & erigant, erectaque, & instituta pro viribus substinere, & augere nitantur clericis, queis in eisdem receptis cum primum scientia, & ætate idonei fuerint, beneficia conferant, juxta ejusdem concilii mentem: eam autem taxandi rationem adhibeant, quæ juxta illustrissimi domini nostri Pii V. declaratione rationabilis videatur. Quod si aliquis fortasse obstare videbitur, quo minus a quoquam id effici possit, statim ad eundem SS. D. nostrum referatur, ac remedium ab ejus singulari prudentia, ac bonitate expectetur. Sin autem aliquæ aliæ difficultates hac in re exequenda oriantur, proximam quoque futuram provincialem synodum consulant. Interea vero omnino provideant, ne pauperibus clericis, magistri, tam grammaticæ, quam musicæ desint. In primis que viri boni eligantur, qui eos bonis moribus, atque his omnibus, quæ ad religionem, ac Dei cultum pertinent, diligenter instituant, & erudiant.

CAP. II.

Duodecim annis minores in seminarium non asciscantur ex ejusdem concilii decreto. Ante omnia vero animum vertant episcopi, ut pueri in hujusmodi collegia assumendi iis omnino qualitatibus sint præditi, quæ ex decreti illius forma requiruntur, & eo potissimum inspecto, ut animo sint ad religionem propenso, & ingenio ad disciplinas capessendas accommodato.

CAP. III.

Qui vero in Seminarium pueri recepti fuerint, religioni ac cæteris virtutibus assidue vacent: Otio non indulgeant, honestis animi relaxationibus, opportune, ac moderate utantur, semel in mense peccata confiteantur, & sacram Eucharistiam sumant his saltem, quorum ætas id ferat; in eodem cubiculo omnes, si fieri potest, & seorsum singuli decumbant, libris præsertim sacris, & cathechismo potissimum nuper edito assidue dent operam, mensæ benedicant, atque a cibo, Deo gratias agant, nec inter epulas spiritualis lectio unquam ab illis prætermittatur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. IV.

Illud autem potiſſimum curent epiſcopi, pro recta Seminarii cujuſque inſtitutione, & adminiſtratione, ut Magiſtri, & tot numero, ætate, ac moribus idonei, præter eam, quæ requiritur in erudiendis ſcientiam admittantur, quot puetis ſufficere poſſint, ſintque alii humanarum litterarum profeſſores, alii muſices, & eccleſiaſtici cantus periti, alii vero qui moribus, & eorum regimini præſint, ubi plures pro Collegii facultatibus commode haberi poterunt.

CAP. V.

Epiſcopi vero quam ſæpiſſime per ſe ipſos, ac etiam ab eis deputatos hujuſmodi Collegia viſitent, atque omnia recte, & adamuſſim in iis diſponi curent, & quos religioni, aut virtuti minime deditas invenerint, aut malis moribus imbutos, ſi admoniti non reſipuerint, ex ejuſdem concilii decreto e Collegiis eliminent, atque alios in eorum loca ſubſtituant.

CAP. VI.

Divitum quoque filii ex eodem decreto in Seminariis recipi poſſint, dummodo ætate, animo, & ingenio ſint eo, quod in pauperibus requiritur. Præterea vero alimentis eorum tantum contribuent, quantum pro eorum rata portione ad perferenda Collegii onera, eoſdemque alendos ſufficere poſſit

De Theologo, ac pœnitentiario.

Quia ſacrarum litterarum cognitio, abſque interprete commode haberi non poteſt, ut ejuſdem Tridentini concilii quoque decreto ſuper Theologica lectione habenda obtemperemus, mandamus, & injungimus, ut in quibuscumque cathedralibus eccleſiis, & collegiatis inſignibus, quoad ejus fieri poterit, theologus per epiſcopos, atque alios locorum ordinarios deputetur, qui ſtatutis horis juxta epiſcopi cujuſque præſcriptum ſacræ theologiæ libros, vel tractatus aliquos apprime utiles interpretetur, conſtituta eidem quo commodius id fieri poterit, juxta præfati concilii diſpoſitionem, mercede. Cui quidem lectioni præter ſeminarii pueros, ſi ita expedire videbitur, ut clerus univerſus interſit, ordinarii ipſi curabunt.

Poenitentiarius quoque in unaquaque cathedrali eccleſia, vel collegiata inſigni, ubi fieri poteſt, hactenus quæ de eo non ſit proviſum, quam primum deputetur, qui juxta ejuſdem concilii præſcriptum ſuum munus diligenter obeat. Conſtituta pariter eidem competenti mercede, ejus decreti auctoritate, facultate unicuique conceſſa, ut idem theologus, ac Pœnitentiarius eſſe poſſit, ubi diverſi haberi nequeunt pro temporum vel eccleſiarum conditione.

CAP. I.

De ſacroſanctis eccleſiis.

Cum eccleſias ea potiſſimum ratione conſtitutas eſſe conſtet, ut in illis preces, orationes, & ſacrificia, cum gratiarum actione Deo ipſi porrigantur, curent epiſcopi, ne in illis, præcipue vero dum divina officia celebrantur, inambuletur, neve negocia ſecularia ulla ratione tractentur, nulla de profanis rebus, aut cum ſuſpectis mulieribus colloquia habeantur, ſed ita fideles in eis reverenter commorentur, ut ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum ſummo ſemper in honore habeatur, & eccleſia ipſa, quæ domus eſt Dei debita reverentia veneretur. Pauperes vero omnino extra eccleſiam, non autem intra eam eleemoſynas quærant, niſi aliud quandoque epiſcopo ex cauſa in ſcriptis approbanda videatur; atque in præmiſſis aliisque in bulla ſanctiſſimi D. N. Pii Quinti comprehenſis inobedientes juxta ipſius bullæ tenorem graviter puniantur.

CAP. II.

Eccleſiæ quæcunque, ac rurales præſertim extra divinorum tempora clauſæ teneantur; Urbanæ vero, præcipue cathedrales quoad fieri poterit, nunquam abſque hoſtiario vel alio clerico pateant, idque epiſcopi omnino prohibeat ſub arbitrii poena.

CAP. III.

Nemo præterea venaticos canes, accipitres, baliſtras, ſclopettos, arma haſtata, atque alia hujuſmodi in eccleſia inferat vel inferri curet ſub poenis in eadem bulla contentis, atque aliis ordinarii arbitratu infligendis. In eccleſiis quoque pernoctari, vel in eis nocturnas vigilias haberi omnino prohibemus abſque ordinarii licentia; prætereaque, ut nullus exul, vel criminoſus, præterquam in caſibus a jure permiſſis in eas, vel earum coemeteria, vel ædes eiſdem contiguas ſe recipiat vel admittatur, niſi conſulto prius ordinario, ſub poenis, quæ magis opportunæ videbuntur, cum invocatione etiam brachii ſecularis, ſi opus fuerit, quod a religioſis principibus, ac magiſtratibus quibuſcumque in nunc expoſcimus, & omnino ad futurum confidimus.

CAP. IV.

Qualiter autem fideles eccleſias ingredi, & in eis ſe potiſſimum gerere debeant, epiſcopi per parochos edoceri faciant juxta ejuſdem bullæ ſacrorumque canonum diſpoſitionem, nihil omnino eorum prætermittentes, quæ ad Dei laudem, & domus ejus decorem pertinent.

CAP.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. I.

De parochiis.

Animadvertant in primis episcopi, ne confusio discordiam pariat, ut si qua sit inter eas dioecesum, vel finium incertitudo quam primum tollatur, adhibita, si opus fuerit, unius, vel etiam alterius proximioris episcopi opera, & consilio, præsentis decreti auctoritate.

CAP. II.

Parochiales quoque ecclesiæ omnes, si certos fines non habeant, certis, & apertis limitibus per proprios episcopos distinguantur, diligenti inquisitione habita, ne aliquæ familiæ incertitudinis gratia nullius parochiæ se esse profiteantur; & quas duarum ecclesiarum subiectionis prætextu se se tueri noverint, ac propterea tergiversari, episcopo renuncient, qui statim easdem, cui magis videbitur ecclesiæ, commendabit, pro sacramentorum perceptione, juriumque parochialium recognitione, donec si qua fuerit finium causa, parochianorum dissentio sedetur.

CAP. III.

Mandamus insuper, animarum saluti consulentes, ut omnes, & singuli fideles in ecclesia illius parochiæ in qua pro tempore domicilium habuerint, donec ibi eos commorari contigerit, missas audire, quantum commode fieri poterit sacramenta recipere; eique decimas de jure debitas juxta formam concilii Tridentini persolvere omnino teneantur, & consequenter ejusdem ecclesiæ rectorem, veluti proprium observent, & agnoscant, salva nihilominus in reliquis propriæ cujusque parochiæ justitia.

CAP. IV.

Ubicumque vero alicujus urbanæ, vel oppidanæ, aut forensis parochiæ fines extra locorum moenia protenduntur, ac præsertim si se nimis late diffundunt; ordinarii quique quamprimum provideant, ne quæ foris sunt parochianorum animæ, vel nimis ab urbe, vel oppido distantes, in divinis detrimentum aliquod patiantur, & propterea populorum commoditati, pariter & saluti, qua commodiori via videbitur, consulendo, vel novas parochias erigant ex Sac. Trid. Concilii decreto, earumque rectoribus provideant, vel per decimarum, tam sacramentalium, sive personalium, quam prædialium solutionem, ad quas cives etiam ipsi teneantur ordinarii arbitrio, vel per taxationem, quam aliam a provinciali synodo faciendam, seu alias prout ordinarii ipsi judicaverint, vel juri, & rationi magis consentaneum fore videbitur, animarum indemnitati prospiciant. Implorato etiam si opus fuerit illustrissimorum, & excellentissimorum principum aliorumque magistratuum auxilio.

CAP. V.

Ubi autem populus ita sit numerosus, ut sacerdos unus minime sufficiat, ibi vel aliæ parochiæ episcoporum judicio constituantur ex ejusdem concilii decreto, vel tot sibi sacerdotes adjungere, si facultates suppetant, rector cogatur, quot sufficere possint: alioquin qua commodiore videbitur via episcopi pro eorum prudentia populorum saluti consulant, juxta præfati decreti dispositionem.

CAP. VI.

Curent etiam episcopi ne trans flumina pontem, aut certum, & tutum vadum non habentia, inundationum tempore per curatos sacramenta deferantur, sed vel ea in aliqua sacra æde, sive oratorio trans fluvium potissimum asserventur, vel parochiani hujusmodi viciniori alicui parochiæ adscribantur, vel ab eadem saltem necessitatis tempore sacramenta per eosdem sumantur; aut eis denique, & ecclesiis matricibus, dummodo sacramentorum, & ipsius curati periculum propter vim fluminis evitetur, utiliori aliquo, prout episcopo videbitur, modo provideatur.

CAP. VII.

Quoniam in hac nostra provincia, circa parochiales ecclesias abusus quidam animarum curæ valde pernicioſus irrepserat, ut beneficia nonnulla licet animarum curam habentia de media nihilominus cura appellarentur, idcirco animarum saluti consulentes, juxta sacrosancti concilii Tridentini decretum statuimus, & ordinamus, ut quæcumque beneficia, quæ hactenus quoquo modo animarum curam habuisse constiterit, in simplicia beneficia nullo modo converti possint, nec debitis servitiis aliquo pacto defraudari, aut amplius de media cura appellari, quam quidem de media cura nominationem, tamquam sacris canonibus insolitam, penitus abolemus.

CAP. I.

De baptismo.

Non solum in ecclesiis, quæ ex earum instituto sunt baptismales, sed etiam in aliis quibuscumque, prout episcopus expedire judicaverit ad fidelium commodum, & usum baptismalis fons habeatur, in quo sacra aqua solemni ritu benedicta digne, ac venerabiliter asservetur, adhibito decenti ornatu, & clausura, ne temeraria manus sanctum domini possit attingere.

CAP. II.

Sacerdotes vero baptismi sacramentum administraturi, sancte, graviterque ad id agendum se præparent, & accedant, populos pie, ac religiose docentes, præter cæte-

ANNO CHRISTI 1569.

ra juxta formam ab episcopo tradendam, qualis cognatio, & inter quas personas ex hujusmodi sacramento contrahatur. Omniaque habeant ad hujusmodi sacramenta necessaria, ac libros præcipue in quibus baptizatorum, & eorum parentum, ac etiam patrinorum, sive compatrum omnia nomina, & cognomina, necnon & baptismi diem, mensem, & annum diligenter conscribant, ex præscripta ab episcopo formula, ac singulis annis eorum exempla ordinariis tradant sub arbitrii poena, quæ quidem exempla ordinarii ipsi fideliter in archivio conservari curent; negligentesque in præmissis graviter ex eorum arbitrio puniantur.

CAP. III.

Infantes ad ecclesiam baptismi suscipiendi gratia statim, si fieri potest, alioquin saltem intra dies octo deferantur, nec ullo pacto in longinquius tempus, legitimo impedimento cessante, baptismus differatur.

CAP. IV.

Inquirant autem parochi diligentissime, an infans necessitatis casu forte imminente, baptizatus fuerit animadvertenter, ac baptizatos hujusmodi (si liquido constat adhibitam fuisse veram baptismi formam, ac materiam) iterum quoquomodo non baptizent, sed ea dumtaxat suppleant, quæ ad ritus, & cæremonias attinent, quæ per episcopos declarabuntur.

CAP. V.

Sacerdotes quicumque in baptismi celebratione, quemadmodum in aliorum sacramentorum administratione, cæremonias adhibeant, quibus S. R. ecclesia utitur, ab illisque, quanto minus fieri potest, recedant, salva nihilominus cujusque ecclesiæ laudabili, ac non improbata baptizandi consuetudine; sine talari vero veste, ac superpelliceo sacramentum hoc, & cætera quæcunque sacramenta in ecclesia præsertim, necessitatis casibus tantummodo exceptis, non administrent; incongrua quoque nomina, vel ab ecclesia minime usu jam recepta in baptismo non imponantur, de eoque alias frequenter, atque in ipsa baptismi etiam celebratione pie populum hortentur, ac moneant.

CAP. VI.

Caveant insuper parochi, ne vel nobilitatis intuitu, vel aliqua alia ratione, extra necessitatis casum, alibi quam in ecclesia baptizent, alioquin tandiu suspensi maneant quamdiu episcopis visum fuerit, & eorum arbitratu satisfecerint.

CAP. VII.

Curent præterea episcopi, ut abusus, si qui irrepserint circa sacramentum hujusmodi, quam primum tollant, nec ullo pacto patiantur alium morem introduci ad spiritualem cognationem contrahendam, quam apud sacros canones, et Tridentinum concilium habentur.

CAP. VIII.

Docendi autem potissimum sunt compatres per baptismum pueros Christo spiritualiter generari, ac propterea si in illis christiane instituendis carnalium parentum opera defuerit, id compatres in primis curare debere ex debito contractæ cognationis juxta sanctorum canonum dispositionem; alia item omnia in hujusmodi sacramenti administratione recolenda parochi pie, ac diligenter astantes edoceant.

CAP. I.

De Confirmatione.

In sancti chrismatis administratione illius sacramenti vim, ac virtutem præter cætera opportuna episcopi per se, vel alium populo diligenter, ac pie recenseant, quo majore devotione, ac reverentia ad illud unusquisque accedat. Infantes vero septemnio minores confirmari vel ad confirmandum deferri, ne patiantur, ut sacramentum hujusmodi suscepturi, vetitimiliter illud esse jam suscepisse recordari in posterum possint, ne reiterari contingat. Curentque episcopi, ut confirmatorum, eorumque parentum, & compatrum homina, qua eis videbitur commodiore via, adhibitis etiam, si opus fuerit pluribus scriptoribus in libro ad id potissimum instituto conscribantur, ne de cætero de alicujus confirmatione sit dubitandum.

CAP. II.

Episcopi præterea sæpe populos moneant, ac per parochos admoneri curent hanc compaternitatem nec minoris faciendam, quam eam quæ mediante baptismo contrahitur; cum & ex hac causa ipsa matrimonii impodimenta in suis casibus oriantur, et compatres ipsi, non minus ad instituendos eos quos ad confirmandum detulerint, vel tenuerint obligentur, quam ex ipsius baptismi sacramento. Alia præterea quæcunque circa hujusmodi sacramentum opportuna, populus ab episcopis per se, vel alium idoneum opportune admoneatur.

CAP. I.

De Eucharistia.

Ut sanctissimum eucharistiæ sacramentum in tabernaculo decenti diligentissime conservetur, ac in altari majori cujusque ecclesiæ, nisi aliud ex causa episcopo videatur, decentissime collocetur, episcopi studeant; simulque, ut omnia ad illius usum, & ornatum spectantia non desint omnino provideant.

CAP.

ANNO CHRISTI 569.

CAP. II.

Curentque præterea, ut in quibuscunque suarum dioecesum parochialibus ecclesiis si id fieri potest, et Ordinariis expedire visum fuerit, quanto citius sacramentum hujusmodi habeatur, perpetuoque conservetur, quacunque consuetudine non obstante. Curentque in primis, ut societas corporis Domini nostri Jesu Christi in eisdem instituatur, & sicubi instituta est amplificetur, ac si fuerit opus reformetur; nihil penitus prætermittendo, quod ad tanti sacramenti decorem, ac reverentiam pertineat.

CAP. III.

Ad ægrotos quoque præmisso campanæ signo, nec sine lumine, adhibita quoque (ubi commode fieri potest) umbella per sacerdotes decenter ornatos sacram Eucharistiam, deferri, ac reduci omnino curent.

CAP. IV.

Sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, ubi ecclesiæ magnitudo ferat, sejunctim mares a fœminis accipiant, nec ullo pacto in vase aliquo, quod habeat calicis formam communicati purificentur, ubi commode fieri poterit, et ordinario expedire videbitur, ne rudes sub utraque specie communicare sibi ipsis forte persuadeant.

CAP. V.

Fideles quicunque sæpius a parochis sunt admonendi, atque hortandi, ut non solum in pascha Eucharistiæ sacramentum, veluti ex consuetudine quadam, vel vi ecclesiastici præcepti sumant; sed frequenter huc sese admirabili cibo pascere non prætermittant, præsertim in majoribus anni solemnitatibus, quo majorem ex eo fructum spiritualem consequantur, divinaque gratia in eisdem augeatur.

CAP. VI.

Quicumque vero absque rationabili causa, vel diuturna animi obstinatione cum inimicis reconciliari recusantes singulo quoque anno juxta ecclesiæ præceptum non communicaverint a fidelium cætu repellantur, curentque quam maxime ordinarii omnes, ut non communicatorum in Pascha notulam singulo quoque anno illis curati porrigant, ut contumaces puniri queant, nec ullo pacto eos prætermittant, qui absque rationabili causa eorum judicio comprobanda ecclesiæ præcepto minime satisfecerint, nec intra annum quocunque alio tempore sacram Eucharistiam sumpserint, juxta Lateranensis concilii decretum ab ecclesia post octavam Paschatis arcere, & ecclesiastica sepultura prohibere.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. I.

De Missæ sacrificio.

Diligentissimi curare Sacerdotes oportet, ne in sacrosancto Missæ sacrificio, vel negligentia, vel etiam contemptu error aliquis committatur, quo populus offendi, vel devotio minui possit.

CAP. II.

Antequam Sacerdos ad tremendum hujusmodi sacrificium accedat, conscientiam per peccatorum suorum confessionem juxta sacri Tridentini concilii dispositionem diligenter expurget, si confessoris copia haberi possit, necnon Missam diligenter prælegat, ubi fieri potest, & ejus partes ita in promptu habeat, ut nec error, nec hæsitatio aliqua contingere possit. Caveat præterea sacerdos celebraturus ne Missam inchoet, nisi luminibus accensis, et in Altari recte aptatis, ac dispositis quibuscumque ad sacrificium opportunis; neve super Altari aliqua locentur præter ea, quæ ad celebrationem sunt necessaria; ea vero, quæ populum audire oportet clare proferat, quæ autem secreta vocantur sub silentio pronuntiet.

CAP. III.

Nihil in missæ parte aliqua substantiali, vel addendum, vel detrahendum esse sacerdotes intelligant, nec aliis cæremoniis utendum nisi juxta sacri Tridentini concilii decreta.

CAP. IV.

Ante auroram, vel post meridiem, nemo celebret prærerquam in casibus a jure permissis, nec in privatis locis, nec alibi quam in ecclesiis, & oratoriis rite Deo dicatis, & ab ordinariis approbatis ex Tridentini concilii decreto, sub suspensionis poena atque aliis ad arbitrium, quacumque consuetudine non obstante.

CAP. V.

Peregrinum, seu alienum sacerdotem incognitum absque ordinarii licentia ad celebrandum, ecclesiarum rectores non admittant. Ordinarios autem hortamur omnes in domino, & monemus, ut diligenter intendant ad dimissoriarum veritatem comprobandam, qua comperta, celebrandi licentiam pro eorum conscientia concedere poterunt; alioquin præfatos in dioecesibus celebrare prohibeant, nec a quoquam admitti patiantur, poena inobedientibus ex arbitrio infligenda.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. VI.

Superstitiones vero quascumque in Missæ celebratione irrepsisse ordinarii compererint pro eorum prudentia, & judicio aboleri studeant, uti certus candelarum numerus, & alia hujusmodi extraordinaria, prout sanctissime Tridentini concilii decreto fuit cautum.

CAP. VII.

Insuper a celebrante, nec antea, nec postea, nec inter ipsa Missarum solemnia quæstus aliqui fiant Missæ intuitu, ne venale quodammodo sacrificium hujusmodi videatur, absque ordinarii licentia, salvis nihilominus consuetis cujuscumque ecclesiæ oblationibus ex vetusto canonum instituto, & laudabili ecclesiæ consuetudine.

CAP. VIII.

Quæcumque vero ad Missæ sacrificium spectantia ea munditia, & puritate conserventur, qua Dei domum maxime decet, & ecclesiæ cujusque dignitati congruere videbitur.

CAP. IX.

Ad Missæ, ut vocant novæ, celebrationem nullus admittatur, quem recte ordinatum fuisse, ac cæremonias ex ordinario missæ probe didicisse non constiterit; in eisdem autem Missis, ludos, choreas, atque alia id genus profana ullatenus fieri prohibemus sub suspensionis, & arbitrii pœna, aliosque abusus quoscunque circa Missas easdem aboleri mandamus præfati sacri concilii Tridentini auctoritate.

CAP. X.

Ea autem in primis a populo in Missæ sacrificio vitari mandamus, ne ita ad altaria quisquam accedat, ut Sacerdoti celebranti sit molestus. Astantes non stent aversi, vel recto capite, aut erecti, nisi ubi de jure permittitur, sed genuflexi, præcipue vero quandiu sacramentum steterit in Altari. Collocutiones, dum Missa celebratur, non habeant, sed orationibus vacent; altaribus non inhæreant, & capita reverenter inclinent, dum nomen Domini Jesu Christi proferri contigerit sub poenis in apostolicis litteris contentis, atque aliis ad arbitrium. Quibus quidem de rebus, atque aliis hujusmodi, ad rectam in ecclesia permanendi rationem pertinentibus, parochi concionatoresque populos frequenter moneant, & præcipue ab ea non recedant, nisi peractis sacris, ac benedictione a Sacerdote recepta.

CAP. XI.

Episcopi autem, atque alii presbyteri omnes, legitimo impedimento cessante, saltem Dominicis diebus, atque aliis festivis solemnibus quibuscunque: parochi autem, & alii curam animarum habentes tam frequenter, ut injuncto sibi muneri satisfaciant, Missas devotissime celebrent; diaconi vero, vel subdiaconi saltem semel in mense, minores autem clerici in majoribus ad minus anni solemnitatibus communicent. Quos quidem diaconos, & subdiaconos vehementer hortamur, ut etiam in diebus, quibus in altaris ministerio versantur, sacram Eucharistiam sumant juxta salutaria Tridentini concilii monita.

ANNO CHRIST 156

CAP. I.

De Pœnitentia.

Confessiones audire nullus audeat secularis sacerdos, nisi id ei sit a Tridentino concilio concessum, vel alias sit ab ordinario examinatus, approbatus & admissus: idem servetur a regularibus, qui qui ab examine non sunt per privilegium exempti. Si vero sunt exempti, non ante se ingerant ad confessiones audiendas, quam sese ordinario præsentaverint, eorum privilegia ostensuri, atque alia omnia perfecerint, ad quæ tenentur. Quod si quispiam ex supradictis secus agere ausus fuerit, excommunicationis censura, atque aliis juris, & arbitrii poenis ab ordinariis coerceatur.

CAP. II.

Curent autem episcopi tempore quadragesimæ vel alias, prout magis illis videbitur expedire, ut confessorum approbatorum nomina annotentur, ac publice proponantur, ut ab omnibus dignoscantur quicunque ad confessiones audiendas admissi fuerint. Clerici vero sæculares, vel alii quicunque, qui ordinariis subsunt, mulieres ante solis ortum, vel post occasum, nisi aliud evidens rei necessitas postulet, ad confessiones non admittant, nec in privatis ædibus confessiones audiant, neque omnino extra ecclesiam excepta necessitatis causa; nec aliquem absolvere præsumant in casibus, sedi apostolicæ vel episcopo reservatis, quos præterea penes se adnotatos habeant, sub juris, & arbitrii poenis, quia quidem lege poenitentiarium ab episcopo deputatum juxta formam decreti sacri Tridentini concilii exceptum esse declaramus, quatenus ejus facultas se extendat ex ejusdem decreti dispositione. Mandamus autem curatis omnibus, ut in Quadragesimæ initio casus omnes quomodocunque reservatos ab ordinariis requirant sub poena ordinarii arbitrio imponenda.

CAP. III.

Confessores omnes præterea hortamur, ne aliquem absolvant in casibus, ubi realis satisfactio requiritur. Qui vero non satisfecerit, vel satisfacere promiserit, cum tamen satisfaciendi facultas non desit; cum vero qui pluries id promiserit, nec præstiterit cum potuerit, absolutione omnino interdicimus, excepto tamen mortis articulo,

ANNO CHRISTI 69.

io, quo nihilominus casu admonendi erunt.

CAP. IV.

Cum vero parochi tepidiores esse soleant circa eos qui in extremis sunt constituti, propterea ab episcopis sæpe moneantur, ut circa ægrotos, & morti proximos exactissime, pietatis munus exequantur, gravissima poena negligentibus eorum arbitrio proponenda.

CAP. I.

De Ordine.

Caveant in primis episcopi ne ullus prima tonsura initietur, qui confirmationis sacramentum non susceperit, & fidei rudimenta ignoraverit, quique legendi, ac scribendi fuerit imperitus, & de quo probabili conjectura id intelligi non possit, ipsum, ut tantum Deo fidelem cultum præstet, id genus vitæ ita elegisse, ex sacri Tridentini concilii decreto. In ordinibus autem quibuscunque conferendis, tam quoad intervalla cujusque ordinis, quam quoad ordinandorum qualitatem ejusdem decreta quam diligentissime observent.

CAP. II.

Episcopos autem omnes obtestamur, & obsecramus in Domino, ut in ordinandorum examine exactissime elaborent, nec ullo pacto approbent, nisi quos vere idoneos per diligentem inquisitionem, adhibito peritorum consilio repererint, cum ex hoc ipso pendeat animarum salus, & cleri reformatio; enitanturque per se ipsos examen peragere, vel illi saltem præesse, non omnem quamvis gravem occupationem huic anteponentes, in qua clericalis dignitas, & animarum periculum versatur. Quod si alteri examen ex causa demandetur, is sit ejusmodi, ut episcopi conscientia merito exonerari possit.

CAP. III.

In ordinibus autem conferendis caveant omnino episcopi ne pro collatione ipsa, vel per se, vel per interpositam personam aliquid etiam sponte oblatum accipiant, nec a suis familiaribus accipi permittatur, ut in omnibus avaritiæ ac simoniacæ labis suspicio vitetur.

CAP. IV.

Ad subdiaconatum non promoveantur, nisi qui grammaticen ita calleant, ut latinum sermonem in vernaculam linguam competenter convertere queant, ac præterea circa sacramenta aliquo pacto ad interrogata respondere; potissimumve sui officii rationem reddere sciant, quod & in diaconis examinandis ac sacerdotibus omnino observari mandamus.

CAP. V.

ANNO CHRISTI 1569.

Ad diaconatum vero ordinandi præter latinæ linguæ eruditionem, scire etiam debeant apte respondere, ac rationem reddere de his, quæ ad fidei rudimenta, & sacramenta pertinent, vel ex sæpe dicto catechismo nuper edito, vel aliunde responsiones accommodando, veluti bene intelligentes, & edocti quæcunque responderint. Quæ quidem cognitio, & capacitas multo major in promovendo ad sacerdotium requiritur pro officii dignitate, & excellentia, præsertim quod ad sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ac Missæ sacrificium pertinet, præter id quod in his requiritur etiam facultas edocendi populum quæcunque ad salutem animarum spectare videantur.

CAP. I.

Ad patrimonii titulum, si quos ordinari debere episcopi expedire judicaverint, animadvertant in primis, ne quod afferunt se habere patrimonium, sit nullum, vel commentitium, mediata vel immediata retrocessione, nec non quod sit ejusmodi, ut victui ipsius sufficere possit, adhibito quoque præterea jure jurando de eo non alienando, donec aliunde suppetat, unde episcopi arbitrio decenter vivere valeant. Similiter beneficium, & pensio si titulum facere debeant, sint ejusmodi, ut ad victum satis esse possint, quæ pariter ut de patrimonio dictum est, inalienabilia fiant donec aliter ordinato fuerit provisum. Qui vero in præmissis, vel eorum aliquo deliquerit, vel dolose egerit, severiori poena episcopi arbitrio plectatur.

CAP. I.

De Matrimonio.

Parochis autem, atque aliis curam animarum habentibus præcipimus, & mandamus, ut quæcunque a sacra Tridentina synodo circa matrimonii reformationem statuta sunt, ipsi diligenter observent, & ab aliis exacte observari curent, moneantque festis diebus intra missarum solemnia populum, ut si quis eorum aliquid adesse cognoverit, quo matrimonium impediri possit, id patefaciat, alioquin excommunicationis sententia innodetur. Quod si dubium aliquod emerserit, quo matrimonium impediri possit, intra octo dierum terminum ordinario denuntietur, ac illius judicium expectetur antequam parochi ad matrimonii celebrationem accedant. Denunciationes, quæ matrimonia antecedere debent, tam in viri, quam in mulieris parochia fieri debere decernimus, sublata eis in totum, vel pro parte parochis remittendi facultate, cum id totum ex episcopi arbitrio, ejusdem decreti auctoritate pendeat. Nuptialis benedictio in mulieris parochia fiat.

CAP.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. II.

Curati omnes, qui denuntiationes facere, vel ſponſos, & ſponſas benedicere neglexerint, vel ſine cauſa ab epiſcopis comprobanda diſtulerint, graviter eorum arbitrio puniantur.

CAP. III.

Hortamur inſuper; ac ſæpe populum hortamur, & hortari mandamus, ne ſponſi, ac ſponſæ cohabitent, donec rite, & juxta decreti formam matrimonium inter eos celebratum fuerit, ut ſcandala, quæ exinde oriri poſſunt evitentur, præter mortalis peccati periculum, cui cohabitando ſe exponunt.

CAP. IV.

Eoſdem præterea ſponſos & ſponſas hortamur, & ab epiſcopis exoptamus hortari, ut antequam matrimonium contrahatur, vel ad minus triduo ante ipſius conſummationem, juxta ejuſdem concilii monita peccata confiteantur, & ſacram euchariſtiam ſumant ad majorem ipſius ſacramenti veneration-em.

CAP. V.

Quod ad matrimonia cum vagabundis hominibus contrahenda pertinet exactiſſime ejuſdem concilii diſpoſitio ſervetur; animadvertantque epiſcopi de perſonis hujuſmodi authenticam fidem habere, tum quod ſolutæ ſint, tum quod a catholica religione non ſint alienæ, qua de re parochus ordinarium quam primum certiorem reddat. Si qui vero aliter contraxerint, vel matrimonia hujuſmodi celebraverint, & ſi nihil ex ſolennibus fuerit omiſſum, graviſſimis pœnis pro perſonarum, & culpæ qualitate afficiantur.

De cathedrali eccleſia vacante.

Cum primum cathedralis eccleſia paſtore vacaverit, peractis ſolemni more defuncti epiſcopi exequiis, ejuſque anima pie, ac religioſe omnipotenti Deo commendata, necnon Vicario, & œconomo intra tempus a Tridentino concilio præſcriptum rite conſtitutis, qui vacantem eccleſiam fideliter adminiſtrent, & regant, ſupplicationes publice, & privatim habeantur, atque a capitulo per dioeceſim indicantur, quibus clerus, & populus univerſus omni pietate, ac devotione optimum a Deo paſtorem impetrare contendant.

CAP. I.

De promovendis ad cathedrales eccleſias.

Epiſcopum, quemcumque mandatum apoſtolicum de aliquo ad cathedralem eccleſiam regendam examinando ſuſcepiſſe contigerit, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri hortamur, & obſecramus, ut meminerit ex hoc ipſo populi ſalutem, & orbatæ eccleſiæ dignitatem pendere: ac propterea omni ſollicitudine, ac ſtudio huic examini eſſe vacandum, ut nonniſi vere dignus paſtor aſſumatur, qui præeſſe ac prodeſſe ſciat, ne ulla unquam ipſi examinatori negligentia imputari poſſit.

CAP. II.

Quoniam vero unicuique provinciali ſynodo a ſacro Tridentino concilio injunctum fuit, ut aliqua examiandi ratio præſcribatur, hanc ipſam examinis formulam a ſanctiſſimo D. N., ſi libuerit comprobandam proponimus, ut accepto apoſtolico mandato ab epiſcopo cui examen committitur, quam diligentiſſime in primis exquiratur ſuper promovendi vita, religione, moribus, & ætate, per teſtes, quo fieri poterit, graviores, cui quidem examini ipſemet epiſcopus incumbere debeat, Teſteſque ipſos, eo modo, quo ſequitur interrogare non prætermittant.

Primo, an ex legitimo matrimonio ſit ortus, catholicis parentibus, ubi, qualiter, & a quibus fuerit educatus, qualis fuerit illius vita, & converſatio a pluribus annis citra, an de aliquo gravi crimine inquiſitus, vel ſuſpectus, an infamia unquam notatus, an apoſtata, an unquam poenituerit, an, & quam pridem ſit ſacris initiatus, an capitales inimicitias exerceat, an domui ſuæ bene præſit, an aliquo corporis vitio, & præſertim comitiali morbo laboret, an triginta annos expleverit, an in publico aliquo gymnaſio profeſſus fuerit, & an iis virtutibus ſit ornatus, quæ ſecundum apoſtolum in optimo paſtore requiruntur; præterea vero de aliis interrogetur, prout epiſcopi, examinatoris, religioni, prudentiæque videbitur.

CAP. III.

Cum autem in primis literarum ſcientia in promovendis ad cathedrales ſit neceſſaria, ea propter, quanvis aliquis, vel Theologus, ſive doctor, vel licentiatus in ſacra Theologia, vel jure canonico in aliqua ſtudiorum univerſitate promotus fuerit, ut nihilominus fraudibus obvietur, eundem examinis periculo ſubjiciendum eſſe decernimus, præterquam ſi liquido conſtiterit eum eſſe inſigni prudentia, ac literatura præditum, utpote quia per plures annos optime profeſſus fuerit, & ſuæ doctrinæ teſtimonium indubitabile dederit, quo ſane caſu pro ipſius examinatoris conſcientia, ac prudentia hujus examinis rigor remitti poterit,

ac

ANNO CHRISTI 1569.

ac ſolum ſuper notorio teſtes examinare ſufficiat ; alioquin adhibitis non pauciori- A bus, quam tribus ſeu theologiæ ſeu pontificii juris doctoribus, juxta promovendi facultatem, duo illi puncta vel articuli aſſignabuntur, quibus poſt integri unius diei, & noctis intervallum congrue reſpondeat, atque ad interrogationes ſuper illis ex tempore faciendas, apte eruditeque juxta ipſius epiſcopi conſcientiam, ac peritorum relationem medio juramento faciendam reſponſiones accommodet, quibus peractis profeſſionem faciat, atque omnia pro notarium examinis in authenticam formam redacta, & ab epiſcopo ſubſcripta, & ſubſignata ad ſanctiſſimum romanorum pontificem fideliter quam primum mittantur.

CAP. I.

De epiſcopi qualitate, & dignitate.

Cum prælatorum mores eos eſſe deceat, ut eorum exemplo reliquorum hominum vita, veluti ſale condiri debeat, hortamur, ac monemus in domino, ut eorum tam publice, quam actiones evangelicæ, atque apoſtolicæ diſciplinæ, ſacrorum conciliorum inſtitutis, Tridentinæque ſynodi in primis decretis reſpondeant, plurimum confidentes eos ſui nominis, & officii memores, modeſta ſupellectili ſic fore contentos, ut omnis domeſticus cultus ad moderatam decertis uſus, ac vitæ neceſſitatem, magis C quam ad voluptatem, exquiſitamque elegantiam comparatus eſſe videatur ; nec propterea ullo unquam tempore reprehendendos eſſe. Epiſcoporum animum a luxu, omnique inanis ſplendoris apparatu abhorrere, utpote, qui probe norint epiſcopales redditus in pauperum potius indigentiæ ſupplementum converti, quam in delicias profundi debere.

CAP. II.

Curent præterea epiſcopi, ut eorum menſis lectio ex ſacro aliquo auctore ſemper adhibeatur, quam interdum piam, aut certe D gravem & honeſtam colloquutionem ſubſequi exoptamus, ut non minus animi, quam corporis vires cibo reficiantur, quem quidem cibum, & benedictio præcedat, & debite ſemper gratiarum actio ſubſequatur.

CAP. III.

Meminerint inſuper epiſcopi ne domeſticorum miniſtrorum multitudine onerentur, ſed quot duxerint ad domeſtica miniſteria obeunda neceſſarios admittant, familiareſque ſuos bonis moribus inſtituendos curent, quo ſe ſe domui ſuæ bene præeſſe declarent ; eoſdemque non cultu, nec corporis E ornatu, ſed religione potiſſimum cæteris præſtare ſtudeant, ac propterea curent in primis, ut eccleſiæ ſacramenta frequentent, quo cæteris omnibus ſint exemplo. Itaque quoad ejus fieri poteſt, clericos, ac religioſos viros ſecum habeant.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. IV.

In eccleſiaſticis autem redditibus diſpenſandis pauperum, & miſerabilium perſonarum neceſſitates reſpiciant, ac veluti piiſſimi parentes illis ſubvenire non prætermittant.

CAP. V.

In puniendis autem delictis paterna conſuetudine ac benignitate epiſcopi utantur, ubi vero correctione ſit opus, ſeveritas cum lenitate ex divini Gregorii ſententia temperetur ; ne vanum ſit epiſcopi officium, ſæpe numero recolentes, non dominandi quidem cauſa, paſtores ſe conſtitutos eſſe, B ſed ut ſubditos ſuos, ut filios ament, quemadmodum, & ab illis amari, & reverenter tractari debent, omnimodam illis impartiendo obedientiam, ac reverentiam, paterniſque eorum admonitionibus, & præceptis ſemper optemperando, ut obedientiæ filios decet.

CAP. I.

De reſidentia epiſcoporum.

Epiſcopi omnes in ſuis eccleſiis vel dioceſibus pro eorum paſtorali munere exequendo reſideant juxta Tridentini concilii decreta. Gregique ſuo ſemper invigilent, ac paſtoralia munera per ſe ipſos, niſi legitime præpediti fuerint diligenter obeant, meminerintque ſe non ad propria commoda, ſed ad labores, & ſollicitudines varias, ac multiplices pro Dei gloria vocatos eſſe, ac propterea non ea quæ mundi ſunt, ſed quæ ad animarum ſalutem pertinent, cæleſtemque patriam ſibi ipſis, atque aliis reſidentes procurare debere intelligant.

CAP. II.

Dominicis, atque aliis feſtis diebus publice divinis interſint, ſæpe ſolemni ritu pontificalibuſque cærimoniis adhibitis ; ſæpiſſime vero privatim miſſas celebrent, diligenterque omnia in eorum eccleſiis peragi curent, quibus quidem rebus facile populus ad Dei cultum, ac religionem inſtruitur, & accenditur.

CAP. III.

Singulo quoque anno ſi commode fieri poteſt, alioquin infra biennium omnes & quascunque ſuæ jurisdictionis eccleſias juxta præfati Tridentini concilii decreta per ſe ipſos, vel eis impeditis, per viſitatores ab eis deputandos viſitare non prætermittant, modeſto tamen comitatu, atque equitatu contenti ; ſtudeantque, quanto citius fieri poteſt, debita tamen cum diligentia viſitationem abſolvere & pauperum clericorum ſumptibus parcant ; in quo quidem munere ſumma ope ac ſtudio enitantur ſanam orthodoxamque doctrinam inducere, bonos mores tueri, delinquentes corrigere. Populum

piis

ANNO CHRISTI 1569.

piis admonitionibus ad pacem, & religionem hortari, aliaque omnia prout res ipsa postulaverit ad animarum profectum ex pastorali debito perficere.

CAP. IV.

Dioecesanam synodum pariter præstituto ab eis tempore annuatim habere non prætermittant, in qua examinatores promovendorum ad parochiales ecclesias eligi, vel confirmari, & judices commissarios deputari, constitutionesque pro suarum dioecesum usu promulgari vel confirmari, nec non & provincialia decreta recipi, atque ad eorum obsecrantiam subditos hortari curabunt, præter ea, quæ de jure vel consuetudine, sive pro temporum, ac rerum opportunitate eo tempore fieri, ac tractari oportebit.

CAP. V.

Meminerint autem episcopi eo potissimum tempore suæ ditionis clericos monere, ut sacri Tridentini concilii decretum super reformatione matrimonii, sæpe ad populorum memoriam vulgari idiomate reducant, baptismi, ac sponsorum libros exerceant, & fideliter conscribant, notulam non communicatorum in Pascha, ut ab ordinario dignoscantur, præstituto tempore tradant, & apud acta curiæ annotari curent. Transumptum bullæ in Coena Domini, vel ejus compendium populis promulgandum accipiant, eosque demum ad personalem residentiam, atque animarum curam omnimoda cum sollicitudine sedulo hortentur ac moneant.

CAP. I.

De beneficiorum collatione.

In beneficiis per episcopos conferendis curam præsertim animarum habentibus sacrorum canonum instituta conciliariaque decreta quæcunque quam diligentissime observentur, humana quavis affectione postposita, iisque dumtaxat, quos ob eorum virtutes, ac merita dignjores, & vacanti ecclesiæ utiliores episcopi judicaverint, eadem conferant juxta sanctissimi Domini nostri Pii V. bullam. Quos autem non religione, atque animi devotione beneficia appetere prospexerint, sed ut ecclesiasticis bonis ditati, vel suos potissimum juvent, vel proprio commodo indulgeant, ne simplicibus quidem beneficiis dignos esse judicent.

CAP. II.

Curent autem in primis episcopi, ut illi quos scientia, & integritate vitæ præditos, ac cæteris præstantiores esse noverint, examinatores in unaquaque dioecesana synodo deligantur, eosque ad suum munus fideliter exercendum ex ejusdem concilii decreto jurejurando adstringant, quo nihil salubrius, ac in conferendis beneficiis præstantius excogitari potest.

CAP. III.

Præterea diligenter exquirant episcopi, an aliqui beneficia, vel pensiones, vel fructuum reservationes nudo nomine tantum absque apostolica dispensatione obtineant, vel ad alicujus nutum tacito, vel expresso pacto eadem cedere teneantur, vel quovis modo sint obstricti; necnon an laicus aliquis in beneficiorum (in quibus aliquod jus habeat) collationibus, vel alius quispiam, utpote authoritate, & gratia apud collatorem plurimum valens, familiaris, et hujusmodi, aliquid tacite, vel expresse promissum, vel sponte etiam oblatum collationis prætextu acceperint, vel eo nomine retinuerint: in eos veluti simoniacos tum ex sacris canonibus, tum ex summorum pontificum constitutionibus condignis poenis animadvertant.

CAP. IV.

Caveant insuper episcopi, atque alii locorum ordinarii, ne quid collationis beneficiorum nomine, non solum ab ipsismet, sed nec ab aliis collatoribus suæ dictioni subjectis, vel eorum familiaribus etiam sponte datum accipiatur, neve præterea a cujusque curiæ notariis pro sui laboris mercede plus æquo collationis nomine exigatur; qua de re maxime expedire arbitramur taxam præcipuam ab unoquoque ordinario fieri pro literarum certorumque actuum requisitorum in beneficiorum collationibus expeditione, prout ordinarios omnes, ut id efficiant enixe hortamur, ac monemus in domino.

CAP. V.

De beneficiis quibuscumque noviter provisi intra sex menses a die adeptæ possessionis numerandos, qui quidem terminus nisi magna ex causa prorogari non possit, Inventarium omnium bonorum mobilium, ac immobilium, juriumque, & actionum beneficiorum eorumdem ordinariis exhibere teneantur, ut habita cum præcedentibus inventariis collatione, si quid ex ipsis bonis juribus, vel actionibus usurpatum, vel invasum fuerit, sibi restitui curent, transgressores vero, vel usurpatores, aut invasores ejusmodi graviter ordinariorum arbitrio puniantur.

CAP. VI.

Episcopi in casibus tantum a sanctissimo domino nostro Pio V. in ejus moderatione super resignationibus admittendis comprehensis, beneficia ex resignatione vacantia conferant, ut censuras ab ejus beatitudine contra inobedientiam indictas evitent, attendentes etiam, ut resignationes ipsæ infra terminum, ac juxta modum in alia ejusdem SS. domini nostri bulla nuper traditum omnino publicentur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. VII.

Cum experientia doceamur, quod multos noſtræ provinciæ clericos plurimis jam elapſis annis ſine titulis, ſive cum legitimis, ſacriſque ordinibus carerent, beneficia eccleſiaſtica etiam curata occupaſſe, fructusque eorum in gravem animarum ſuarum perniciem uſurpaſſe, atque animarum curam ſine ulla penitus jurisdictione exercuiſſe, huic morbo quantum cum Deo poſſumus ſuccurrere cupientes, ſancimus, ut omnes & ſinguli noſtræ provinciæ clerici cujuscumque qualitatis gradus, & conditionis, beneficia obtinentes, poſt duorum menſium a publicatione harum conſtitutionum noſtrarum computandorum terminum, ſuorum omnium beneficiorum titulos, ſive patentes literas ac ordinum ſuſceptorum quoruncumque publicam atteſtationem ordinariorum ſuorum manibus exhibere, ubi id hactenus factum non fuerit, teneantur; prædictaque omnia ab ordinarii notario regiſtrari curent, alioquin ordinarii arbitratu puniantur.

CAP. I.

De judiciali foro epiſcopi.

In cauſis præſertim alimentorum, mercedum, piorum locorum, atque hujusmodi, quæ moram non patiantur, eccleſiaſtici judices rejectis his, quæ dumtaxat judiciariam figuram, ac ſolemnitatem reſpiciunt, atque iis tantum admiſſis, quæ ad juſtitiæ puritatem, judiciique ſubſtantiam pertinent, in cauſis, perſonis ad forum, & jurisdictionem eccleſiaſticam pertinentibus, ex meritis cauſæ animi ſui motum informent, omnibusque mature conſideratis, veritatem ipſam ſectantes, atque æquitati innitentes cauſas expediant, ac litigantium ſumptibus, quoad ejus fieri poteſt, in cauſis omnibus parcere ſtudeant, juxta canonicas ſanctiones, & ſacroſancti concilii Tridentini decretum.

CAP. II.

Miſerabilibus perſonis indefenſis, ac præſertim carceratis in foro præfato, ne ſuo jure fraudentur, vel adverſariorum potentia opprimantur, quotles ſit opus de advocatis, & procuratoribus, qui gratis eorum cauſam dicant, ordinarii provideant: ſi qui vero ſine rationabili cauſa ab ordinariis approbanda, munus hujusmodi ſuſcipere recuſaverint, ad cætera negocia in eccleſiaſtico foro tractanda, quamdiu ordinario fuerit bene viſum, inhabiles omnino reddantur.

CAP. III.

Meminerint autem epiſcopi atque alii ordinarii omnes ſæpe numero per ſe vel alium carceratos inviſere, debitumque caritatis obſequium, uti pios parentes decet, in eos exercere non prætermittant, nec aliqua illis neceſſaria deeſſe patiantur.

CAP. IV.

Notariis eccleſiaſticis, ſcientia, ac integritate, examine etiam, ſi videbitur, præmiſſo, idoneis minime repertis, aut in officio delinquentibus, ejusdem concilii auctoritate, eorum officii in negotiis, & cauſis eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus uſum epiſcopi interdicant, quod omnium inſtrumentorum, actorumque, & proceſſuum quorumcumque ad epiſcopalem curiam pertinentium exempla in authenticam formam per ipſos redacta in archivio perpetuo aſſervanda tradent.

CAP. V.

Edicimus inſuper, & mandamus cujuscumque epiſcopalis curiæ notariis, ut congrua mercede eis perſolvenda petentibus, vel actorum, vel proceſſuum, vel aliarum ſcripturarum quarumcumque copiam, decretum, intra competentem terminum ordinarii arbitrio omnino exhibeant, ſub poena etiam pecuniaria ordinarii arbitrio imponenda, & applicanda.

CAP. VI.

Ut rapinis vero, atque executorum exceſſibus, ac miniſtrorum quorumcunque extorſionibus occurratur, epiſcopi notariis, executoribus, carcerum cuſtodibus, atque aliis quibuscumque eccleſiaſtici fori miniſtris honeſtam cujuscunque operæ mercedibus taxam decernant, innovent, vel reforment, prout ſibi magis expedire videbitur, cujus quidem taxæ transgreſſores officii privatione carcere, atque aliis poenis præter indebite ablati reſtitutionem epiſcopi ex arbitrio gravioribus afficiant.

CAP. VII.

Ne judicia, & lites cum indebitis partium expenſis injuſte protrahantur, vel e ſuo foro educantur, ejuſdem concilii Tridentini decretis innixi, ſtatuimus, & ordinamus, ut appellationes dumtaxata diffinitivis, aut diffinitivæ vim habentibus, & cujus gravamen per diffinitivam reparari nequeat, a quocumque judice recipiantur, & admittantur, tuncque inhibitiones dentur; aliæ vero quæcunque penitus reiciantur, & inhibitiones omnino denegentur, ſub poena nullitatis appellationis, inhibitionis, & proceſſus inde ſecuti, damnorumque, ac expenſarum, tam per judicem, quam per partem inhibitam factarum, atque aliis ad proximioris ſuffraganei arbitrium, ſi ab archiepiſcopali curia inhibitio emanaverit, alioquin ipſiusmet Metropolitani judicio imponendis. Prædicta vero omnia ſub præſenti rubrica contenta in cauſis, & perſonis ad forum, & jurisdictionem eccleſiaſticam pertinentibus tantum locum habere intelligantur.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. I.

De archivio.

In cathedralibus ecclesiis, & collegiatis insignibus archivia per episcopos, & eorum capitula communiter, vel divisim constituantur, & ubi adsunt recte conserventur, in quibus scripturæ ac monumenta cujuscunque generis sub spectatæ fidei custode, bene, ac diligenter asserventur, ne deinceps ecclesiarum jura ob temporum, vel hominum injuriam depereant, vel supprimantur.

CAP. II.

Volumus autem, & decernimus in hujusmodi archiviis ab ordinario quovis instituendis, non solum matricum ecclesiarum jura, & instrumenta quæcunque originalia conservari, sed etiam capitulorum suorum, ac quarumcumque ecclesiarum sibi subjectarum, aliorumque locorum originalia, vel saltem exempla sive transumpta in authentica forma deponi, nec non bullarum beneficialium copias, aliosque libros quoscunque, tribus clavibus adhibitis, quarum altera penes ordinarium, altera penes aliquam capitularem personam ab ordinario deputandam, atque altera penes notarium curiæ, qui nihilominus ad ipsius ordinarii C nutum claves hujusmodi exhibere, fideliterque easdem custodire teneantur sub arbitrii cujusque ordinarii poena. Caveant autem custodes hujusmodi exhibere, fideliterque easdem custodire, ne ex eodem archivio de originalibus scripturis, vel transumptis cujuscunque generis, & qualitatis sint, propria præsertim auctoritate depromptis, alicui, vel ad modicum etiam tempus accommodent sub poenis episcopi arbitratu infligendis. Teneantur insuper de scripturis omnibus eorum custodiæ creditis, atque eis assignatis, confecto inventario eo tempore, quo archivii custodiam susceperint, ex eodem inventario peracto munere, D necnon de omni eorum diligentia exactissime reddere rationem.

CAP. I.

De vicariis foraneis.

Constituantur præterea per episcopos, aliosque ordinarios in singulis suarum dioecesum regionibus vicarii foranei; quod si archipresbyteros, vel plebanos ipsos idoneos fore censeant, eos huic muneri præficiant. Hi autem omni cum diligentia explorent, & exquirant, an in ecclesiis sibi commissis omnia recte gerantur; an singuli E sacerdotes a profanis, ac prohibitis quibuscunque abstineant; suique optimum exemplum præbeant; an curati omnes suæ regionis resideant, suumque munus obeant; ac præterea an ea qua decet pietate, & caritate erga ægrotos præcipue, ac miserabiles parochiæ suæ personas utantur; quosve a recta vivendi norma aberrare perspexerint, fraterne primum hortentur, ac A moneant, quod si non resipuerint, quam primum ordinario denuncient; simulque absentium non modo curatorum, sed etiam aliorum suæ regionis clericorum nomina eidem quoque tempore deferant primo; & cum parochis atque aliis suæ regionis clericis, semel saltem in mense, eo convenient, ubi clericorum conventus, ut vocant haberi solet; alioquin, ubi ordinarii quique expedire judicabunt, convenientes, quæ de bono ecclesiarum regimine, atque aliis ad animæ curam pertinentibus religiose tractabunt, & colloquentur.

ANNO CHRISTI 156.

CAP. II.

B Statuimus præterea ac decernimus, ut vicarii ipsi ordinariis suis beneficiorum sibi subjectorum nomina quamprimum tradant; ubi vero vicarii hujusmodi foranei non fuerint, ab archipresbyteris, & plebanis singulis notulam hujusmodi sub arbitrii poena afferendam mandamus.

CAP. III.

Ut vero debitus eisdem vicariis honor, & obedientia tribuatur, statuimus, ut in his, quæ ad eorum officium pertinent, eisdem suæ regionis clerici omnino pareant. Inobedientes vero pro modo culpæ ab ordi- C nario graviter puniantur; quemadmodum & ipsi etiam vicarii, si se negligenter in suo munere gesserint, vel quoquo pacto in in eo deliquerint, erunt puniendi.

CAP. I.

De examine promovendorum ad parochiales ecclesias.

Episcopi cum primum certiores redditi fuerint parochialem aliquam ecclesiam quomodocunque vacasse, juxta formam decreti sacri Tridentini concilii constitutionumque apostolicarum tenorem, idoneum in ea vi- D carium, si eis ita visum fuerit expedire, cum congrua ipsius beneficii assignatione fructuum constituent, qui vacanti ecclesiæ & bonis ejusdem, animarumque ei subjectarum saluti pie, ac diligenter consulet, donec canonice de rectore provideatur. Sit autem in ordinarii potestate, eundem vicarium quandocunque ex causa ab eo bene perspecta amovere, tametsi nemo se examini exposuerit.

CAP. II.

Cum primum autem episcopus parochialem aliquam ecclesiam vacasse cognoverit E edicto proposito (si ita sibi expedire videatur) juxta ejusdem concilii decretum ad valvas cathedralis ecclesiæ, aliisque in locis ejus arbitratu certum terminum præstituat, qui tamen a die scientiæ vacantis ecclesiæ vigesimum diem non excedat, juxta sanctissimi D.N. bullam super ea de re editam, intra quem quidem terminum quicunque examinari voluerint, præsentare se debeant, eorumque nomina ad episcopum de-

deferantur. Quo termino elapso, qui per diligentem examinatorum in dioecesana synodo electorum, vel confirmatorum inquisitionem moribus, scientia, & ætate magis idoneus ab episcopo judicatus fuerit, vacanti ecclesiæ præficietur juxta ejusdem sanctissimi D. N. Pii V. bullam.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. III.

Quod si nemo se se examini exposuerit, vel qui examinari potuerit se minime præsentaverit, ordinarii ipsi de examinatorum consilio, pro eorum conscientia, & religione de idoneo rectore provideant. Quicunque vero aliquem ab examine, vel minis, vel concussione aliqua per se, vel per alium deterrere præsumpserit, modo id plane constiterit, graviter ex arbitrio puniatur: si autem nulla fuerit ei poena ab ordinario inflicta, uti ecclesiasticæ disciplinæ contemptor excommunicationi tandiu subjaceat, donec ordinarii arbitratus fecerit.

CAP. IV.

Summopere autem invigilent ordinarii omnes, omni affectione postposita, ne latinæ linguæ ignari, rerumque tum divinarum, tum etiam humanarum omnino imperiti ad interrogationes, ante examen promulgatas, responsa quædam feriatim, ut ea didicerint, ac memoriæ mandarint, accommodantes, & nihil ultra scientes, veluti idonei, ad beneficia curata promoveantur; sed exactissime, prout supra de promovendis ad sacerdotium statuimus, examinentur, ne res tanta cum animarum periculo oscitanter transigatur.

CAP. I.

De curatis & eorum officio.

Curati omnes in suarum ecclesiarum ædibus assidue resideant; quod si ædes propriæ non extent, quam proxime ad parochialem ecclesiam ordinarii arbitrio, atque intra parochiæ fines, donec propriæ ædes constituantur, vel habeantur, inhabitent, ut si qua acciderint ex his, quæ ad curam animarum pertinent, celerrime præsto esse, ac suo muneri satisfacere possint. Curent autem in primis parochi necessitatibus infirmorum, si ab ecclesia habitatio longius absit, omni cum ipsorum incommodo consulere, ut animarum propriarum periculum evitent. Ab hujusmodi autem ædibus, quæcunque sint profana omnia, illicitaque ac sæcularia absint, nec in eisdem ullo pacto retineri, aut tractati res hujusmodi patiantur, sub suspensionis, & arbitrii poena.

CAP. II.

In propriis parochiis curati omnes de singulorum vita, & moribus diligenter inquirant, quosque repererint blasphemos, foeneratores, adulteros, vel alias quomodolibet, præsertim publice criminosos, ad episcopum deferant; qui vero id facere omiserint, graviter ab ordinariis puniantur. Quos vero peccare, ut non ita aperte, vel ut publice sciatur, curati norint, eos primum paterne moneant, tum si nihil profecerint ordinario denuncient, qui quod animarum saluti expedire videbitur quam primum decernet.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. III.

Quo vero facilius, ac plenius curati ipsi faciem sui pecoris agnoscant, decernimus, ut singulorum cuique subjectorum nomina per familias a parochis diligentissime in libello annotentur, ac visitationis tempore suorum parochianorum notulæ ordinario præsententur: quod si facere prætermiserint, ex arbitrio parochi omnes puniantur severe.

CAP. IV.

Meminerint omnes parochi præterea ex Sac. Conc. Tridentini decreto sibi injunctum esse, ut singulis dominicis, atque aliis festis diebus parochiæ suæ pueris fidei rudimenta tradant; propterea munus suum ea in re diligenter exequantur, vel per seipsos, vel per ludimagistros, aut alios idoneos; quod si id per alios fiet, pueros nihilominus ipsi, quæ didicerint recitantes festis diebus, in ecclesia, aut alio commodiori loco audiant, paterneque ad virtutes hortentur, eosque edoceant Deo primum, ac parentibus obedire, tum quæcumque christianum hominem decent, ex constitutione aliqua ab episcopis eisdem tradenda; moneant autem parochi parentes, ut filios ad christianam institutionem percipiendam statutis diebus ex episcopi præscripto ad ecclesias, vel alios ad id deputatos mittant, sub ea poena, quæ magis ordinario videbitur opportuna.

CAP. V.

Episcopi sæpe parochos admoneant, ut in dignoscendis conscientiæ casibus, necnon in percipienda sacramentorum ratione, ac latino idiomate perdiscendo summopere invigilent, eisque comminentur, quod si aliquem infra terminum ab ipsis præscribendum minus idoneum ad animarum curam, & regimen invenerint, juxta sacri Tridentini concilii decretum, non solum coadjutorem ei constituent, sed etiam aliis opportunis remediis populorum saluti consulent; deinde vero quod eis magis expedire visum fuerit pro eorum prudentia efficiant.

CAP. VI.

Ordinarii quicumque, vel edicto proposito, vel per parochos, obstetrices admoneri curent, ut veram baptizandi formam a parochis ipsis accipiant, & addiscant, nec priusquam eam perfecte didicerint, baptizare ullo pacto audeant, sub excommunicationis poena. Moneantque præterea obstetrices ipsas, ne post perceptam etiam formam, præterquam in casu necessitatis domi baptizent sub eadem poena.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. VII.

Parochi atque alii curati omnes populo sæpe commemorent casus apostolicæ sedi, vel episcopis reservatos, quos ab ordinariis accipiant; præcipue populo annunciabunt casus illos, quibus excommunicationis poena est adjecta, vel ex sacrorum canonum dispositione, vel ex apostolicis ordinationibus, vel etiam auctoritate ordinaria, ut ab illis cavere possint, frequenterque fideles eorum curæ commissos hortabuntur, ac monebunt, ut a malo abstineant, & bonum faciant, abususque omnes circa divina, quam sæpissime coram illis improbabunt, nec non quæcunque a christiano homine vitanda, vel observanda fuerint, præsertim intra Missarum solemnia, clarissimis verbis enunciabunt.

CAP. VIII.

In sacramentis administrandis, quod præcipuum est parochorum munus, diligentissime se gerant, omnino caventes, ne quis sacramentorum capax, eorum culpa sine sacramentis ab hac vita discedat, quod sane crimen, & suspensionem, & beneficii quoque privatione ab episcopo pro modo culpæ corripi mandamus.

CAP. IX.

Quicunque vero duas eodem tempore parochiales ecclesias obtinere de cætero præsumpserit, utraque, atque aliis beneficiis ex ejusdem concilii decreto apostolici sque ordinationibus, carebit; si vero aliquis obstinate nimium jam nunc duo, vel plura curata beneficia retinere audeat, jampridem eadem vacare compertum sit, ac veluti vacantia a collatoribus suis libere, ac licite conferri posse, fructusque interea perceptos restituendos esse; quos quidem fructus pro parte ipsis vacantibus ecclesiis, pro parte vero aliis piis locis, ordinarii arbitrio præsenti decreto applicamus, & applicatos esse declaramus. Addentes idem omnino judicandum, & si beneficia hujusmodi in diversis dioecesibus sint constituta, salva tamen cujuscunque episcopi conferendi, & fructus applicandi facultate.

CAP. X.

Curent maxime episcopi, atque alii locorum ordinarii, ut laudabiles locorum consuetudines circa oblationes quibuscunque ecclesiis, & locis piis fieri solitas juxta sacrorum canonum dispositionem, absque aliqua diminutione omnino serventur, aliqua consuetudine, vel potius desuetudine non obstante.

CAP. I.

De residentia infirmorum.

Parochialium ecclesiarum rectores in propriis ecclesiis assidue residendo commisso eorum curæ gregi pro suo ipsorum munere invigilent, sub poenis tam decretis in sacro Tridentino concilio, quam in apostolicis literis contra non residentes expressis, meminerintque eis nullo modo permitti a propriis ecclesiis contra prædictorum decretorum formam sine justa, ac rationabili causa ab episcopis approbanda, abesse; nec ullo modo, dum abfuerint, ecclesiasticis redditibus quibuscumque tuta conscientia potiri posse, ad eorumque restitutionem omnino teneri, præter mortalis peccati reatum, qui ex illicita absentia juxta eorundem formam contrahitur.

CAP. II.

Non residere autem in suis ecclesiis intelligantur non ii solum, qui longe ab illis absunt, & nunquam ad illas redeunt, sed etiam quicunque, vel messis tantum tempore residunt, vel ultra tempus in ordinarii licentia expressum procul ab ecclesiis degunt. Idcirco statuimus, & ordinamus, si qui *Absentiæ* nomine quovis modo suspecti ex consuetudine videantur, per fructuum sequestrationem, aliasve poenas in prædictis decretis, atque apostolicis literis contentas ad vere residendum omnino compellantur.

CAP. III.

Diligenter autem inquirant episcopi, aliique locorum ordinarii, an qui studiorum causa abesse volunt, cum tamen in suis ecclesiis alioquin residere teneantur, vere studiis saltem humanioribus vacare intendant, atque in loco, in quo resident, præceptoris copiam non habeant, aut in humanioribus literis sint adeo eruditi, ut verisimile sit eos ad alia studiorum genera animum applicasse: quod si sint ejusmodi, atque ætatis communiter ad studia accommodatæ, absentiæ facultas non tamen ultra congruum tempus arbitrio ipsorum ordinariorum ex causa eisdem concedi possit, dummodo intra annum sacris initientur, ac publico alicuo gymnasio, seu etiam alibi vel theologiæ, vel juri canonico, vere, & cum effectu operam dent; alioquin facultas hujusmodi sit, & censeatur ipso jure nulla, fructusque suos non faciant, atque aliis poenis contra non residentes statutis episcoporum judicio sint obnoxii.

CAP. I.

De clericis quibuscumque.

Studeant diligenter episcopi cujuscunque gradus, & qualitatis sint, rejectis omnibus, quæ mundi sunt, & divina in primis meditantes omni studio pietatem in Deum, charitatem in proximos, mansuetudinem, humilitatem, continentiam, atque alias animi virtutes amplectantur, sanctitatemque, & justitiam perpetuo colant, ac quæcunque ad eorum officium pertinent, scire contendant; seque in divinis rebus, & orationibus exerceant; sacrarum insuper literarum studia sectentur, & ament, chatechismumque sæpius memorarum Pii V. pont. max.

jussu

jussu editum, nec non aliquam ex probatis summis ut Antoninam, Silvestrinam, atque alias hujusmodi pro cujusque ingenii captu præmanibus habeant. Quotidieque ex sacris scripturis, vel aliquo ex approbatis auctoribus aliquid semper addiscant, vel se edocere studeant: delicta quantumvis levia, quæ in clericis ob populi offensionem exemplo gravia existimantur, studiose vitantes, ut vere clericos se esse sicuti profitentur, ostendant.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. II.

Ut autem evagandi omnis evitetur occasio, nemini clericorum, qui in minoribus sit constitutus, & seminario addictus, liceat absque ordinarii, vel magistri licentia; si vero sacris initiatus sit, & ecclesiæ servitio obligatus inconsulto episcopo, vel ejus vicario extra civitatem abesse. Cæteris vero non ultra biduum extra diœcesim moveri permissum sit: qui secus agere præsumpserint, pro modo culpæ ordinarii ipsius arbitrio plectantur.

CAP. III.

Præcipimus insuper omnibus, quamvis simplicibus sacerdotibus, atque aliis clericis quibuscunque, ut qui intra urbem sunt, singulis dominicis, ac aliis festis diebus de præcepto ad missam conventualem (quam majorem vocant) & vesperas solemniter celebrandas ad ordinarii nutum in cathedralem ecclesiam, vel aliam ab ordinario declarandam adveniant. Qui vero in aliis cujusque dioecesis locis degerint ad matrices hujusmodi locorum dioecesanas ecclesias frequenter pariter ad ordinarii nutum eadem ratione convenire teneantur sub poenis, odinariorum ipsorum arbitratu infligendis summopere hortantes, ac monentes eosdem ut decretum hujusmodi diligenter observari faciant, cum pessimi res sit exempli, clericos divinorum tempore, vel per urbes, & oppida evagari, vel inter laicos divinis interesse, ceteris in choro psallentibus, ac Deum collaudantibus, quod proprium est Dei ministrorum officium & munus.

CAP. I.

De vita & honestate clericorum.

Quæcunque a clericis honestatis, ac religionis gratia potissimum vitanda sunt perstringentes statuimus, & ordinamus, ut ecclesiastica quæcunque beneficia obtinentes, nec non in sacris constituti, ac etiam minoribus ordinibus initiati, si clericalibus privilegiis potiri voluerint, clericalem habitum suo ordini, & qualitati congruentem; nec non tonsuram clericalem perspicue gerant, sub poenis in decreto sacri concilii contentis, atque aliis episcoporum arbitratu statutis, vel de cetero statuendis, etiam extra urbem ejusdem decreti, ac sacrorum canonum auctoritate. Comam clerici studiose non enutriant, capillisque simplicem cultum adhibeant, barbam vero e superiori labi ita detondeant ut Sacrosancti corporis, & sanguinis Domini sumptioni non obstet, vestes superiores omnino sint usque ad talos protensæ. Inferiores vero, constituti in dignitate canonici, atque ecclesiarum quarumcumque rectores usque ad talos pariter protensas ferant. Cæteri vero pauperes vel rurales clerici, si inferiorem talarem habere non poterunt, superiorem saltem usque ab talos demissam gestent: quod si alicubi decretum hujusmodi executioni mandari non poterit, curent locorum ordinarii omnes, ut quanto minus fieri potest ab ejusdem decreti dispositione recedatur.

CAP. II.

Pallium quoque quod ferrajolum vocant sit ejusmodi, ut a superiori veste longitudine non distet, idque semper una cum talari tunica induatur, nec a collo supra plus duobus digitis, vel circa emineat, nisi pluviarum, vel itineris, aut alia necessitatis causa, tunc enim brevioribus, sicut etiam cæteris vestibus clerici quicunque uti poterunt, modo simplices sint, clericalique honestati congruentes. Caligis non turgidis, nec dissectis, sed simplicibus, ac pariter calceis crepidisve non incisis, sed integris, & minime sericeis utantur.

Camisias, nec ad collum, nec ad manus crispatas, aut nimia arte elaboratas deferant, earumque collare omnino simplex, ac honestæ latitudinis sit, quæ tres ad summum digitos, vel circa non excedat.

Pileos præterea per urbes, & oppida non gerant, nisi valetudinis, aut pluviarum, vel aeris inclementiæ causa, qui nihilominus pariter simplices sint nulloque pacto pyramidis formam habeant, aut turbinati, aut pyramidales, in superficie plani, ac sine redimiculis, semperque in ingressu ecclesiæ (quandocunque alias illos deferre liceat) deponantur, nec ullo etiam pacto eis præsertim divinorum tempore in ecclesia utantur, anulos non deferant nisi id dignitas postulet, cætera vero jocalia omnia clericis penitus sint interdicta.

Vestes fericas, aut serico, auro, vel argento contextas, vel ornatas, nec non pelles pretiosiores, domi, vel foris omnino prohibemus, quemadmodum, ut unguenta odorata, atque alia odorum genera.

Vestium color sit niger vel alius modo honestus, & decens, atque is quem dignitas exigit, & expostulat, omnemque in vestitu clericali novitatem, nec non tam elegantiæ, quam sordium suspicionem devitent.

Non personati, nec vestibus, nec habitu secularium induti aliquo unquam tempore incedant.

CAP. III.

Arma cujuscunque generis, etiam ad defensionem parata, non obtenta ab ordinario licentia, ex urgenti dumtaxat causa concedenda, clerici præsertim in sacris constituti non deferant, nisi itineris causa, ac

ANNO CHRISTI 1569.

tum parce id, ac modeſte fiat; alioquin primo pecuniaria pœna ex arbitrio mulctentur; ſecundo vero privatione a divinis, & carceris maceratione; poſtremo fructuum, ac beneficii amiſſione, ac etiam depoſitione pro culpæ gravitate, ac perſonæ qualitate puniantur. In aliis vero caſibus præter veſtium, ac rerum amiſſionem, pecuniaria quoque pœna, epiſcopi arbitrio afficiantur.

CAP. IV.

Comœdias præſertim obſcœnas, haſtiludia, choreas, atque alia hujuſmodi ſpectaculorum genera, nec agant, nec ſpectent, nec in ſuis ædibus agi patiantur; non pila in publico loco, neve teſſeris, pagellis pictis, aut alio prohibitorum ludorum genere ludent, aut ludentes ſpectent, nec in ſuis ædibus ludere permittant.

CAP. V.

Comeſſationibus, & ebrietatibus abſtineant, cauponas, tabernasve, niſi itineris cauſa non ingrediantur, ſeque in hoſpitia ut fieri poterit honeſtiora ex neceſſitate recipiant, & honeſte ibidem converſentur; nullum venationis, aut aucupii genus adverſus ſacros canones obeant, vel exerceant: qui vero ſecus in præmiſſorum aliquo fecerit, ab ordinario graviter ex arbitrio puniatur.

CAP. VI.

Suſpectarum mulierum non ſolum cohabitationem, ſed etiam familiaritatem, converſationem, & allocutionem, præter quam in caſibus a jure permiſſis omnino devitent, ſub pœnis a proprio decreto Tridentini concilii expreſſis, & aliis ex ſacrorum canonum diſpoſitione, & ordinarii arbitrio imponendis. Pro ſuſpectis autem mulieres omnes habeantur, præter eas, quæ de jure cum clericis cohabitare minime prohibentur. Caveant inſuper quammaxime clerici ne mulieres inhoneſte in eorum patrimonialibus, ædibus inhabitent; multo vero magis, ne in domibus ſuarum eccleſiarum ſub pœnis de quibus proxime ſupra.

CAP. VII.

Generatim vero quæcunque alia ad vitam, & honeſtatem clericorum pertinentia ſtatuta ſunt, vel a generalibus conciliis, vel conſtitutionibus apoſtolicis, vel ab eadem Tridentina ſynodo, ac in parte ſpecialiter innovata ab eiſdem clericis diſtrictius obſervari mandamus ſub poenis jam conſtitutis, atque etiam ordinarii arbitrio pro culpæ qualitate quomodolibet infligendis.

CAP. I.

De negotiis clericis interdictis.

Præterea quoniam, qui menſæ Domini ſervitio ſunt addicti, a ſecularibus negociis ex apoſtolica inſtitutione ſe abſtinere debent: idcirco præcipimus, & mandamus, ne quis ex clericis cujuſcunque gradus, vel dignitatis ſit, cujuſvis ſæcularis perſonæ negocia, ſub quocunque titulo gerat, vel adminiſtret, niſi quatenus a jure permittitur, ac de expreſſa ſui ordinarii licentia, prohibentes inſuper eiſdem, ne profanum aliquod negocium, vel artificium clericali ordini indecens exerceant, conducant, tractent, vel ullatenus illi ſe immiſceant. In eccleſiaſticarum perſonarum vero famulatu vilia ibidem officia, clericalique honeſtati minime congruentia, præſertim ſi in ſacris ſint conſtituti, nullo modo exerceant.

ANNO CHRIST. 150.

CAP. II.

Eiſdem præterea inhibemus, ne notariatus, vel tabellionatus officium ſine licentia ordinarii, niſi in caſibus a jure permiſſis, aut medendi artem præſertim chirurgiam, aut mercaturam exerceant, nec ſe mediatores in rebus contrahendis exhibeant.

CAP. III.

Prohibemus quoque clericos, uti procurationis, vel advocationis officio in ſeculari præſertim foro, neque aliena prædia lucri cauſa conducere, curationesque, vel tutelas ſuſcipere, exceptis caſibus a jure permiſſis.

CAP. IV.

Nobilioribus etiam fœminis, nec ſe comites præbeant, ne discumbentibus aliquo modo aſſiſtant, niſi id cum dignitate, vel eorum rationabili officio fiat. Qui vero in præmiſſorum aliquo deliquerint, pecuniariis poenis, fructuum ſequeſtratione, ſuſpenſione, atque etiam beneficii privatione, aliisque pro modo culpæ ordinarii arbitrio plectantur.

CAP. I.

De obtinentibus dignitatem, vel canonicatum.

De cathedralibus eccleſiis, & collegiatis inſignibus dignitates omnes, & ea pars canonicatuum, & præbendarum, in quo commode poterit, doctoribus, vel magiſtris, aut etiam licentiatis in theologia, vel jure canonico conferantur: ſint autem hi omnes præterea, & morum probitate, & fide integritate conſpicui, eoque ordine initiati, quem dignitas eorum, vel præbenda poſtulat; vel ſaltem in ea ætate conſtituti, ut intra tempus a jure, & ſacra Tridentina ſynodo ſtatutum initiari valeant.

CAP. II.

De dignitatibus, vel canonicatibus proviſi, collationis, vel ſaltem adipiſcendæ poſſeſſionis tempore fidei profeſſionem publice faciant: in capitulo autem, vel in ipſo receptionis actu, vel omnino intra duos menſes a die receptionis ejuſdem ex præfa-

fati concilii decreto emittant, ut fructus suos faciant, & adepta illis possessio suffragetur: ex canonicis autem, qui majore saltem ex parte presbyteri esse debent, ejusdem concilii auctoritate in ordine presbyterali constituti, licet promotione posteriores, diaconis canonicis, diaconi vero subdiaconis, præter ordinis prærogativam, quamvis antea promotis omnino præferantur, quacunque consuetudine etiam immemorabili atque aliis quibuscunque non obstantibus.

CAP. III.

Universi, & singuli de capitulo, etiamsi exemptio aliqua prætendatur prælatis suis debitam nihilominus obedientiam, & obsequium præstent, eosdemque ad ecclesiam domo deducant, ac reducant, præsertim cum pastoralis muneris exequendi gratia prodeunt, necnon & ipsis, vel celebrantibus solemniter, vel pontificalia quæcunque exercentibus inserviant, pariter, & assistant, inobedientesque opportunis juris remediis ex arbitrio ordinarii compescant, nec aliqua appellatio tam in hoc, quam in aliis clericorum suorum correctionem respicientibus executionem impediat, ex ejusmodi concilii decreto.

CAP. IV.

Capitulares conventus haberi dominicis, vel aliis festis quibuscunque, aut etiam feriatis diebus divinorum tempore, nisi aliqua necessitas urgeat, omnino prohibemus, alioquin distributionibus illius diei, eo ipso careant, crescenteque contumacia, aliis quoque poenis ex arbitrio subiiciantur.

CAP. V.

Quoniam vero venerabilium canonicorum, atque aliorum in dignitate constitutorum præsentia & opera, Dei templum quam maxime decoratur, ac divinus cultus augetur, propterea statuimus, & ordinamus, ut quicunque dignitates, vel canonicatus in cathedrali, vel collegiata ecclesia obtinentes in suis ecclesiis resideant, juxta earundem ecclesiarum laudabilem consuetudinem; nec non per se ipsos, & non per substitutos juxta Tridentini concilii decretum, canonicis horis, atque aliis divinis officiis intersint, sua munera personaliter obeundo, canonicas horas ipsimet recitantes. Non residentes vero, vel sua munia obire ex episcopi præscripto, & ecclesiæ instituto detrectantes, Ordinarii ipsi opportunis juris remediis, usque ad privationem inclusive compellere non prætermitant, ut suo illi muneri plene satisfaciant.

CAP. VI.

Præterea ne canonicorum, ac dignitates in ecclesia obtinentium, uno, & eodem tempore plurium forsan absentium defectu cathedrales, vel collegiatæ ecclesiæ in Dei cultu detrimentum aliquod interdum patiantur: id circo si quis residentium in dignitate constitutorum, vel canonicorum, duorum, vel trium dierum spatio ex causa abesse desideret, saltem ecclesiæ digniorem ea de re commoneat, ne interea ecclesia ipsa, ob ejus rei ignorantiam, aliquod in divinis incommodam perferat, ex quo sæpissime scandala in ecclesia oriri solent; alioquin præter distributiones illius diei, vel temporis, quibus eo ipso carebit, aliis quoque poenis ordinarii arbitrio subiiciatur.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. I.

De ædibus canonicalibus.

Ut canonici cæterique omnes in dignitate constituti in cathedralibus ecclesiis, & collegiatis insignibus divinæ rei commodius incumbere valeant, & ecclesiæ opportunitatibus inservire, districte præcipiendo mandamus, ut omnes ii, & singuli canonicales ædes, ubi adsunt, omnino inhabitent; utque inibi cibum, & somnum capiant, nisi aliud quandoque ordinariis ex causa videatur: qui vero secus fecerint, debitis monitionibus præmissis, & quotidianas distributiones percipiendi facultate, quas ordinarii ipsi in usus pios eorum arbitrio convertant, & a divinis suspensione, fructuum sequestratione, ac demum præbendarum canonicatuumque privatione, contumacia sic exigente, puniantur; quavis consuetudine, vel diffuetudine, etiam diuturna, quamvis immemorabilis existat, cæterisque contrariis non obstantibus.

CAP. II.

Ædium autem hujusmodi claves, si clausuræ submitti possunt, sacrista, vel alius quispiam, cui id episcopi, vel alii locorum ordinarii injunxerint, fideliter custodiant; claudendique, & aperiendi debitis horis ædes easdem curam præcipue gerat: eam vero in præfatis ædibus honeste vivendi rationem ab omnibus servari mandamus, quam ordinarii ipsi præscripserint, sub poenis illorum judicio statuendis, vel alias ex arbitrio jam statutis.

CAP. III.

Laicis vero quibuscunque etiam consanguineis sub excommunicationis poena, canonica monitione præmissa, interdicimus, ne in hujusmodi ædibus absque ordinarii licentia habitent, vel commorentur. Clericis autem præcipimus, ne a laicis easdem habitari ullo pacto permittant, sub ejusdem arbitrii poena, nisi aliud ex causa ordinarius ipse expedire judicaverit.

CAP. I.

De canonicis horis.

Horæ canonicæ ab iis, qui ad eas, de jure, vel ecclesiæ cujusque consuetudine, aut ordinarii decreto tenentur, congruis temporibus,

ANNO CHRISTI 1569.

ribus, & consuetis signis præcedentibus, ea, qua decet, animi devotione, ac pietate, quotidie persolvantur, habita dierum festorum, & ferialium convenienti ratione, ac differentia: quo vero tempore recitari, vel cantari debeant, episcopi, atque alii ordinarii omnes adhibitis duobus de capitulo, salva cujusque ecclesiæ laudabili consuetudine, quod magis expedire censuerint, suo judicio statuent.

CAP. II.

Quoniam vero, teste rei experientia, plurimum ad bene psallendum confert in medio cujusque versiculi aliquam intermissionem fieri, idcirco statuimus, ut in psallendo in cujuscunque versiculi medio ejusmodi suspensio fiat, qua pars a toto præcipue distinguatur. Illud præterea recta psallendi ratio requirit, ut in psallendo clerici concordes sint, e proposito tono nunquam aberrantes; idcirco animadvertant, ne voces nimium, vel canendo, vel divina officia aliter recitando, aut deprimantur, aut efferantur, sed media quædam via magistri chori arbitrio eligatur.

CAP. III.

Matutinæ horæ summo mane dicantur, atque ita ut vel ante vel saltem paulo post solis ortum compleantur, nisi aliud episcopis pro locorum qualitate videatur; reliquæ vero horæ congruis temporibus pro dierum, ac festorum qualitate juxta S. R ecclesiæ ritum, non raptim, vel cursim, aut properanter, sed ea qua decet maturitate, ac pietate ab omnibus quotidie persolvantur.

CAP. IV.

Meminerint autem clerici omnes, præsertim vero qui in sacris constituti sunt, ad divinum officium quotidie recitandum ex præcepto se teneri sub poenis in posteriori Lateranensi concilio contentis.

CAP. I.

De distributionibus quotidianis.

Quotidianæ distributiones, quacunque collusione, remissione, retentione, vel pacto cessante ex præfati concilii Tridentini decreto fideliter, ac realiter pro cujuscunque servitii ratione conferantur, illis dumtaxat, qui vere divinis interfuerint; iis tantummodo exceptis, quos vel corporis ægritudo, vel ecclesiæ utilitas, vel alia quæpiam causa excuset, ex sacrorum canonum dispositione, sub suspensionis, & arbitrii poena.

CAP. II.

Animadvertant nihilominus episcopi, eos tantummodo ægrotos, & non alios autem ad distributionum participationem admittendos esse, qui dum vere, & effective residebant in morbum aliquem inciderunt, quo, vel detinentur in lecto, vel eo impediti domo non egrediuntur, idque de medicorum peritorum consilio; quæ quidem exemptio eo usque durare intelligatur, donec infirmus ita convaluerit, ut ad libitum domo eorundem medicorum peritorum, etiam juratorum (si ordinario videbitur) judicio egredi, & cum aliis una esse possit. Non obstantibus constitutionibus capitularibus, & consuetudinibus quibuscunque, quas uti dispositioni juris contrarias quoad infirmos, & convalescentes attinet, præsentis decreti auctoritate irritamus, ac pro irritis haberi mandamus.

CAP. III.

Curent præterea episcopi, & alii locorum ordinarii, ut tertia pars fructuum præbendarum, dignitatum, & canonicatuum quorumcumque ex sacri concilii Tridentini decreto in distributiones convertatur, in ecclesiis ubi nullæ vel ita tenues existant, ut ecclesiæ servitium negligatur, si capitularis mensa, vel per simplicium beneficiorum unionem, vel aliam quampiam rationem augeri non possit. Qui quidem fructus, sic ut præfertur detracti ordinarii cujusque arbitrio distribuantur, & applicentur ejusdem decreti auctoritate.

CAP. IV.

Pariter animadvertant episcopi, ne dignitates, vel canonicatus quoscunque obtinentes, qui sacris initiati non sunt, ad distributiones, vel etiam ad vocem in capitulo, contra ejusdem concilii decretum, ullatenus admittantur, propositis ex arbitrio poenis, præter id quod præsentis decreti auctoritate inobedientes quoscunque percipiendarum distributionum facultate privamus, & episcopi arbitrio in pios usus eas erogandas relinquimus.

CAP. V.

Quicunque vero in quotidianis distributionibus conferendis, vel applicandis, prout cujusque servitii ratio postulat, perspexerint fraudem aliquam vel dolum in divini cultus committi, nec ordinario, aut ejus vicario, cum primum potuerint, indicaverint, tandiu suspensi maneant, donec ipsius ordinarii arbitratu satisfecerint.

CAP. VI.

Provideant autem episcopi, atque alii locorum ordinarii per diligentem capitularium reddituum inquisitionem, & excussionem, ut eadem sit lucri, & damni ratio, ne plus canonici, atque alii in ecclesia servientes residendo lucrentur, quam qui divinis non intersunt, amittant, habita si ita expediri videbitur, competenti distinctione inter ferialium, & festorum dierum servitium pro ecclesiæ cujusque dignitate, & qualitate.

CAP.

ANNO CHRISTI 569.

CAP. VII.

Si qua dignitas perſonatus, vel præbenda etiamſi juris patronatus exiſtat in cathedrali, vel collegiata eccleſia reperiatur, quæ nullum habeat in eccleſia ſerviendi onus, certumque munus, huic illud onus ab ordinario pro divini cultus augumento quam primum adjungatur, quod ei rationabile pro reddituum quantitate videatur. Tertia vero pars fructuum, & proventuum dictarum dignitatum, vel præbendarum, vel illius pretium juxta communem extimationem in diſtributiones aſſignentur, quibus dignitates hujusmodi, vel præbendas obtinentes, non reſidendo, juxta ordinarii ipſius præſcriptum careant, vel reſidendo potiantur. Abſentium vero portiones, vel eccleſiæ fabricæ, vel ſacriſtiæ, vel aliorum in eccleſia deſervientium commoditati, pro ordinarii cujusque prudentia attribuantur.

CAP. VIII.

Idem quoque decernimus de beneficiis ſimplicibus quibuscunque, quibus ex eorum inſtitutione, vel conſuetudine, vel nulla vel non proportionabilis obligatio eſt injuncta; hujusmodi namque beneficia, vel ſeminariis, vel parochialibus tenuioribus, vel alias quomodolibet ex ſacri Tridentini concilii decretis uniri, vel eis aliquod onus ordinariis bene viſum injungi præſentis decreti auctoritate mandamus, contrariis non obſtantibus quibuscunque.

CAP. IX.

Dignitatibus autem, & perſonatibus, quæ licet de diſtributionibus quotidianis in eccleſia participent, certum tamen officium in eccleſia habere non dignoſcuntur, nec ex inveterata conſuetudine, nec eccleſiæ conſtitutionibus, nec ex primæva earum inſtitutione; epiſcopus unusquisque adhibitis duobus de capitulo, quorum alter ab ipſo epiſcopo, alter vero a capitulo eligatur, vel priſtina eisdem (ſi innoteſcant), munia reſtituat, vel illis ea potiſſimum aſſignet, quæ juri, & rationi ad aliarum quoque proximiorum eccleſiarum, bene inſtitutarum exemplum congruere videbuntur, non obſtantibus contrariis quibuscumque, ne nudo nomine tantum in eccleſia dignitates inveniantur; ſalva ſemper anterioribus dignitatibus honoris, gradus, & officii prærogativa, quibus potiores partes omnino reſervari volumus, & mandamus, quocunque nomine cenſeantur.

CAP. I.

De punctatore.

Ut recta punctandi ratio in unaquaque cathedrali eccleſia, vel collegiata inſigni, perpetuo ſervetur, punctatores pro cujuſque eccleſiæ conſuetudine vel inſtituto ſingulo quoque anno eligantur, qui reſidentes, vel abſentes quoſcunque quotidie diligenter adnotent, nullo perſonæ diſcrimine habito. His autem curent epiſcopi, atque alii locorum ordinarii in officii initio juramentum deferri de bene, ac legaliter punctando. Quod ſi capitulum, vel in punctatore eligendo negligens, vel alias in hoc genere male ſe gerere videatur, Epiſcopus eligat quem magis ad hoc idoneum perſpexerit: quicunque is ſit, qui minus recte, quam deceat, in officio verſetur, ab epiſcopo ex arbitrio punietur; qui quidem maxime perſpicere debebit, ut munus hujusmodi diligentiſſime adminiſtretur, cum ex hoc ipſo pendeat recta, ac perfecta ſerviendi ratio, præſertim ubi quotidianæ diſtributiones ſunt uberiores.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. II.

Illud autem in primis obſervent, qui huic muneri pro tempore præerunt, ut non in fine cujuscunque diei, ſed in horas ſingulas, nec alibi, quam in choro, nec aliter, quam præſente ſaltem digniore in eccleſia publice, ac palam punctationes annotentur; ſtudeantque potiſſimum punctationum librum fideliter conſervari, ne ab aliquo violari poſſit; quem quidem librum in promptu ſemper habeant, ut unicuique pro eo, quod ſua intereſt, patere, atque exhiberi poſſit; cui quidem decreto ne fraus aliqua fiat, ordinarii ipſi pro ſuarum eccleſiarum ſervitio, ac reſidentium indemnitate pro viribus diligenter curabunt.

CAP. I.

De choro.

Clerici omnes, qui in cathedralibus, vel collegiatis eccleſiis reſidere quoquomodo tenentur, cujuscunque qualitatis, & gradus ſint, opportunis horis ad divina, e ſacrario egredientes, veſtibus ſuo ordini congruentibus poſt preces ad Deum in eccleſiæ ingreſſu ſuppliciter emiſſas, decenter induti, ac præſertim ſuperpelliceo, chorum ad pſallendum inſtitutum humiliter ingrediantur, ubi omni qua decet mentis devotione, & vocum concordia, Deo jugiter pſallant, eodem tempore quoad ejus fieri poteſt aſſideant, aſſurgant, capita deregant, vel cooperiant, aut genuflectant, ut rei occaſio dederit, ut uniformitas in omnibus ſervetur.

CAP. II.

Caveant autem in primis clerici, donec in choro divinorum cauſa commorantur, ne aliud, quam quod res ipſa poſtulat, agant, ſed in rem divinam omni animi ſtudio incumbant, a propriis cancellis non diſcedant, niſi id divinorum ratio requirat; evagationes tum mentis, tum corporis, collocutiones, riſus, clamores, atque alia hujuſmodi a divinis aliena devitent, in legendis literis nullo modo ſe occupent, in manibus flores, vel alia id genus nullatenus habeant, catulos ſecum ne ducant, modeſtiamque & gravitatem in omnibus præſeferant, invicem ſibi ipſis honorem deferentes, divinis laudibus animo ad Deum propenſo diligenter intendant: qui vero in

ANNO CHRISTI 1569.

præmissis offenderint, præter id quod ad præfecti arbitrium pro absentibus punctabuntur, alias quoque poenas ordinarii judicio perferent.

A

CAP. III.

Curent autem quantum fieri potest episcopi, atque alii ordinarii omnes, ne laici, cujuscumque generis, & qualitatis sint, dum divina celebrantur officia contra sacrorum canonum instituta in choro consideant, aut commorentur absque speciali ipsorum ordinariorum licentia sub pecuniariis poenis, ac censuris in subsidium eorummet arbitrio statuendis, & infligendis.

De chori præfecto.

Expedit autem quam maxime, ut omnia ad Dei cultum pertinentia in ecclesia opportune peragantur, ut aliquis chori regimini præsit; quod sicubi ex ecclesiæ instituto, vel consuetudine alius non adsit, eum qui major in ecclesia sit, vel ex canonicis antiquior, quive denique dignior pro tempore in ecclesia religet, ut unicuique sua dignitas, & prærogativa servetur, id munus exercere oportere decernimus; ad quem potissimum spectabit, ut quæcunque ad rem divinam perrinent suo ordine singuli quique ecclesiæ ministri diligenter efficiant, omniaque solemni ritu, horisque congruis pro temporum qualitate peragantur; is negligentes, atque inobedientes arguet, & annotabit, ac si fuerit opus superioribus indicabit, absentes notari, seu punctari faciet, discedentibus a choro, non nisi divinæ rei, vel necessitatis gratia veniam dabit, ac denique superiores partes in ecclesia supplebit, quo omnia recte, & ex ordine fiant. Huic autem in his, quæ ad ejus officium pertinent, quicunque obedire recusaverint, vel neglexerint, pro modo culpæ graviter ab ordinariis ipsis puniantur, quemadmodum & ipse, si in suo officio deliquerit, superioris arbitrio erit puniendus.

B C D

CAP. I.

De chori magistro.

Chori quoque magister, ubi ex ecclesiæ instituto, vel consuetudine non adsit, ab ordinariis in eorum cathedralibus, vel collegiatis ecclesiis deputetur, quo commodius id fieri posse videbitur. Is autem potissimum curabit, ut ea qua decet reverentia, ac devotione divinæ laudes in ecclesia recte persolvantur, atque ita officia pro dierum qualitate de more ordinentur, ut nec error, nec hæsitatio aliqua inter divina celebranda, aut scandalum oriatur, sub poena ordinarii cujusque arbitrio statuenda. Sit autem in ordinariorum potestate, pro ecclesiæ qualitate, vel magistri hujusmodi, choro præfigere, vel unum, atque eundem, & chori præfectum, & magistrum in utroque munere statuere, prout magis videbitur expedire.

E

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. II.

Si quis præterea inter orandum, & psallendum error acciderit, propterea quod aliquid fuerit, vel omissum, vel inversum, vel alio ordine, quam decet explicatum, is ab eodem chori præfecto, vel supplendo, vel repetendo corrigatur; ea tamen ratione semper adhibita, ut si error parvi sit momenti, divinorum progressus ex eo minime impediatur, ne populus de eo, quod forte ignorat instruatur, atque ita, quod absit, offendatur.

De cæremoniarum magistro.

Ut omnia solemnibus præsertim diebus in cathedralibus ecclesiis, collegiatisque insignibus, quo decet splendore peragantur, ubi ex ecclesiæ more cæremoniarum magister non adest, ab episcopo id decernatur, qui magis ad cæremonias aptus, & accommodatus, ac eisdem instructus esse videatur, cui quidem magistro in iis, quæ sui sunt muneris, quæ prope sunt innumerabilia ab omnibus quacunque prærogativa non obstante pareatur, nec audeat aliquis ab illius ordinationibus abscedere, aut onus cæremoniarum gratia ab eodem illi injunctum ullatenus recusare sub suspensionis, & arbitrii poena.

CAP. I.

De sacrista.

Sacrorum cultus, qui vulgo sacrista appellatur, in primis diligentissime curet, ne quid in ecclesia sit incultum, aut sordibus obsoleseat, sed omnia religioso quodam cultu, ac splendore niteant, præsertimque mappæ, corporalia, pallia, atque alia quæcunque ad altaris usum, vel ornatum, accommodata omni puritate, ac mundicia teneantur, caveatque ne indecorum aliquid, & loci sanctitate indignum in ecclesia appareat.

CAP. II.

Studeant præterea sacristæ, ne quid profani in sacristia, vel ei conjuncto loco a clericis, vel laicis agatur, quibus quidem laicis excepta necessitatis causa, illuc ingredi prohibeant, neque ullo pacto patiantur de inanibus rebus ibidem sermones haberi; absintque omnino ab eo loco altercationes, incompositi corporis motus, jurgia, risus, scurrilia verba, atque alia hujusmodi, quæ a christiana caritate, & clericali gravitate vehementer abhorrent.

CAP. III.

Non prætermittant insuper sacristæ ex vetusto sanctæ matris ecclesiæ instituto, angelicæ salutationis signo, campanæ sonitu, ter in die fidelium mentes ad beatam Mariam semper virginem salutandam excitare ante diem VI. in meridie ac vesperi, fideleseque ut id religiose faciant episcopi, atque

ANNO CHRISTI 1569.

que alii locorum ordinarii per parochos sæpe moneri ac hortari studeant.

CAP. I.

De magistro musicæ.

In unaquaque cathedrali ecclesia, vel collegiata insigni, musicæ magister habeatur; qui præter ecclesiasticum cantum, ubi illius curam, alius quispiam non gerat, & commode fieri poterit, clericos musicem edoceat, ac festis diebus jocunda modulatione, atque unanimi vocum concentu Deum collaudent, ac venerentur. Is autem animadvertat quammaxime, uti musicæ concentus sit ejusmodi, ut populus ad devotionem accendatur, non ad lasciviam provocetur; nec profanum quid vel sæculare carmen musicis concentibus, organis sive vocibus agatur, ullo modo misceatur.

CAP. II.

Curent præterea episcopi, ut divina verba ita clare & explicite musicis vocibus reddantur, ut ab omnibus intelligi possint, ne ea, quæ ex antiphonario, vel graduali recitantur, cantu nisi plano, quem vocant, representententur juxta canonicas, sanctiones; quod si consonantias aliquas cantores adjungere voluerint, dummodo ecclesiastici cantus naturam, & qualitatem non invertant, id illis facere concedatur.

CAP. III.

Cantores in ecclesia ubi fieri potest clerici dumtaxat habeantur, quod si laici ex necessitate ad hoc munus sint assumendi, clericali habitu, quoad ejus fieri potest, festis præsertim diebus utantur: curent autem episcopi, ne ad canendum in ecclesia Dei flagitiosi homines admittantur, sed ii tantum, quos noverint bonis moribus præditos, & a christiana religione non alienos.

CAP. I.

De processionibus.

Confraternitates, scholæ, atque aliæ societates hujusmodi, quovis nomine nuncupentur, etiam non vocatæ, ad ordinarias supplicationes, si ex consuetudine ad eas accedere consueverint, convenire teneantur. Ad alias vero quascunque, quoties ab ordinario fuerint confratres advocati: nec per interpositam personam, sed per seipsum legitimo impedimento cessante suum munus unusquisque exequatur: inobedientes autem per ordinarios poenis sibi bene visis afficiantur, opportunisque juris remediis obedire cogantur, quacunque consuetudine non obstante. Qui vero confratres ad processiones etiam ordinarias exire minime consueverint, ad eas quicunque sint accedere ita demum teneantur, si ab ordinariis vocati fuerint.

CAP. II.

Procedentes autem nonnisi bini, nec incompositi, aut elati, sed omni qua decet cordis humilitate, ac mentis devotione progrediantur, ut cunctos excitent, ad venerationem; hymnos, psalmos, litanias, atque alia hujusmodi prout res ipsæ postulant, pie ac devote enuncient, vel si ea ignorent, saltem taciti secum preces ad Deum effundant.

CAP. III.

Episcopi atque alii ordinarii per parochos, vel concionatores populos sæpe moneri faciant, quid hujusmodi processiones sibi velint, & qua de causa fuerint institutæ; & quod præterea non variarum rerum inspectione, nec confabulationibus, sed orationibus, & divinis meditationibus procedentes quicunque intendere debeant, ne inanis quodammodo actio repræsentari videatur.

CAP. IV.

Moneant præterea ordinarii ipsi sæpe, ac moneri faciant confratres hujusmodi, ut diebus festivis congregentur in eorum oratoriis, sive scholis, ubi preces Deo porrigant, vel aliquam spiritualem lectionem ordinariorum episcoporum judicio illis utilem audiant, qua ad bene, christianeque vivendum edoceantur; eaque potissimum ratione societates hujusmodi fuisse institutas intelligant, ut ad religionem ac Dei cultum quotidie magis accendantur, atque ut ea quæ ad animarum salutem pertinent, facilius exequantur.

CAP. V.

Moneantur præterea quicunque in societatibus, seu confraternitatibus hujusmodi sunt adscripti, ut anniversaria ex pia aliquorum dispositione eisdem injuncta, ea qua decet pietate, & caritate fieri curent, superflua autem omnino vitantes, ac pauperes in eorum necessitatibus sublevantes, uti boni dispensatores pro eorum munere facere debeant, & debent.

CAP. VI.

Provideant quoque episcopi ne quo tempore supplicationes fiunt per vicos, & plateas, actiones cujusvis generis absque eorum expressa licentia repræsententur, plurimumque animadvertant, ne fabulas, aut etiam sacras historias, larvas, atque alia hujusmodi agi patiantur, ex quibus fidelium mentes ad inania abstrahuntur, & sæpe etiam cum maximo fidelium scandalo risus excitantur; necnon imagines, & signa lasciviam præferentia efferri, & populo produci prohibeant, ob sacræ rei reverentiam, ac pudoris, & honestatis gratiam.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. VII.

Prohibeant insuper episcopi, ne disciplinatorum societates quocunque nomine censeantur, etiamsi hospitalium curam gerant, comessationibus, & compotationibus aliquo unquam tempore vacent, eisdem sæpe insinuantes regnum Dei non esse potum, & escam, pauperibusque quod ipsi inaniter absumunt esse erogandum, sublata omnino eisdem in eorum scholis, & oratoriis, ac etiam domibus eis cohærentibus edendi, & bibendi facultate, quacunque consuetudine etiam immemorabilium non obstante.

CAP. I.

De exequiis, & sepulturis.

Non liceat parochis, & aliis clericis quibuscunque jus sepulturæ habentibus ordinariæ jurisdictioni subjectis aliquid petere vel exigere, vel ex eo quod defunctus aliquis in communi ecclesiæ suæ sepulchro, vel noviter per hæredes defuncti constructo tumuletur; quod si sepulcrum ab ipsius ecclesiæ rectore constructum fuerit, forte ne ecclesiæ deformetur aspectus, quotidie eam effodiendo, idque defuncti hæredes ipsorum proprium esse velint, eo casu ratione impensarum in eo factarum aliquid in ecclesiæ fabricæ usu convertendum licite, præsertim sponte datum accipi poterit, alioquin juris, & arbitrii poenis inobedientes omnino subjaceant.

CAP. II.

Cerei, ac luminaria cum defuncto ad ecclesiam allata, si hæredum impensa comparata eo nomine fuerint, vel alterius exequias procurantis ecclesiæ integre emaneant, salva tamen parocho suæ quartæ justitia, nihilque hæredibus de cereis restituere cogatur, quacunque consuetudine non obstante. Hortamur autem parochos quoscunque, ut eisdem hæredibus alia quæcunque cum defuncto allata repetentibus restituant; ubi vero pars aliqua cereorum ejusmodi, vel luminarium alicui pio loco ex inveterata consuetudine tribui solet, non improbamus, dummodo in profanos usus minime convertatur.

De funeralibus.

Cum statuta circa funeralia, quæ funebrem pompam non respiciunt, sed ad animarum defunctorum levamen pertineant, contra libertatem ecclesiæ procul dubio esse censeantur, ut eorum conditores, quantum in nobis est, excommunicationem, qua ipso facto a jure illaqueantur, evitent; decernimus, in eoque maginratus, & universitates monemus, & obtestamur in Domino, ut a statutis ejusdem imposterum condendis, omnino abstineant, atque hæc omnia secundum regulas sacrorum canonum moderentur; statuta vero quæcunque ejusmodi hactenus edita, veluti ecclesiasticæ libertati adversantia omnino reforment, & retractent, neque vim habere, aut aliquem ligare intelligantur, alioquin excommunicationi ipsi tandiu subjacere se intelligant, donec satisfecerint.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. I.

De Hospitalibus, & aliis piis locis.

Curent ordinarii quicunque, ut loca pia omnia, vel summi pontificis auctoritate, vel ordinarii, aut alterius cujuscunque ad id auctoritatem habentis instituta approbata, & confirmata suis immunitatibus gaudeant, nec aliquo pacto violentari permittant.

CAP. II.

Illud vero diligenter prospiciant episcopi, ad hospitalium ac piorum locorum quorumcumque regimen eligantur piæ ac religiosæ vitæ & conversationis homines, quos sit verisimile pauperum Christi patrimonium recte administraturos, maxime attendentes, ut in destinatos usus, redditus, & proventus omnes sine fraude convertantur.

CAP. III.

Qui vero, vel ære alieno sunt oppressi, vel alicujus pii loci debitores, non assumantur ad hujusmodi regimen, absque speciali ordinarii licentia, neve aliqui ad piorum locorum administrationem quovis modo deputati, quicunque tandem hi sint, antea administrent, quam ab ipso ordinario approbati fuerint, sub ejus arbitrii poena.

CAP. IV.

Erit quoque episcoporum cura, ut a quibuscunque hospitalia, seu alia quævis pia loca in titulum, commendam, vel administrationem obtinentibus, tametsi alicui ecclesiæ, vel monasterio sint annexa, obligationes, & cætera omnia a fundatoribus, vel alias quomodocunque ex primæva eorum institutione eisdem imposita, vel etiam ex consuetudine introducta integre supportentur, ac restituantur. Hospitalitasque in primis ad quam tenentur, sine diminutione aliqua exerceatur juxta Tridentini concilii decretum. Quod si debita hospitalitas, aut obligatio illis annexa compleri nequeat, vel non constet, quænam obligatio cuique pio loco incunbat, in alium pium usum ex ejusdem concilii auctoritate, ordinarii arbitrio fructus, ac redditus quicunque locorum hujusmodi convertantur.

CAP. V.

In peregrinorum, atque etiam infirmorum domibus, mulieres a viris honestatis gratia separentur; si qui autem concubinas sub ementito uxoris, vel alio titulo circumducentes, rectoribus ignorantibus, in hujusmodi hospitia receperint, cum id vere constiterit, non solum separentur, sed justis poenis prius affecti, statim ejiciantur.

CAP.

CAP. VI.

Non minor quoque diligentia adhibeatur in pueris, ac puellis perquirendis, an vere peregrinorum liberi sint, vel potius dolo allecti eos concomitentur, eorumque impudicitiæ deserviant, quod si ita esse perspectum, & cognitum fuerit, pro modo culpæ ab ordinariis afficiantur, vel alias adolescentium honestati consulatur.

CAP. VII.

Præstigiatores, circulatores herbularii simulato habitu incedentes, divinatores, seu conjectores, omnis generis, blasphemi lusores morbum simulantes, & id genus, alii, sine ordinarii licentia non recipiantur, nec ultra noctem unam inibi pernoctent, idque ut necessitati, si qua venerit consulatur, ubi ab ordinario licentia commodo haberi non posset.

CAP. VIII.

Admoneantur hospitalarii, atque alii hujusmodi religiosarum domuum ministri, ne quid ab hospitibus mercedis nomine, seu alias, vel exigant, vel etiam sponte oblatum accipiant, ut eos in hospitio ultra id quod decet permanere patiantur: præterea, & nullo ludi generi prohibito peregrinos, vel alios confluentes uti permittant, quinimo ludentes expellant, aut ordinariis deferant, nec patiantur eosdem aliqua illicita ibidem committere, vel prohibita aliqua inferre sub privationis officii poena, atque aliis ab ordinario ex arbitrio imponendis.

CAP. IX.

Infirmis vero male se habentibus, quæcunque ad animæ, & corporis salutem pertinentia subministrentur; nec infirmi priusquam vires receperint, & bene convaluerint ab hospitio dimittantur. Qui vero peccata confiteri sacramque communionem recipere recusant, cum tamen id medici judicio facere possint, omnino expellantur.

CAP. X.

Orfani, & expositi omnes, postquam ad ætatem legitimam pervenerint bonis moribus christianaque præcipue doctrina instruantur, ac pro cujuscunque ingenio alicui artificio, cui aptiores videbuntur dent operam, idque ut agatur episcopis cordi sit, & curæ.

CAP. XI.

Illud autem magna cum diligentia attendent episcopi, atque etiam universi piorum locorum rectores, ut quoad ejus fieri potest, de vita & moribus ad religiosas domos confluentium inquiratur, præsertimque an in pascha communicaverint, & quos constiterit non christiane vivere, e suis dioecesibus eliminent, atque alias ex arbitrio puniant.

CAP. XII.

Montes pietatis, confraternitates, sive scholæ, atque alia pia loca quæcunque ab ordinariis ex sacri Trid. Conc. decreto, visitentur, provideantque, ut ab eorum administratoribus singulo quoque anno rationes reddantur juxta formam decreti, concilii ejusdem. Male autem administrantes, seu hujusmodi locorum bona usurpantes, vel dissipantes severe puniantur, laudabiles consuetudines, approbentur, abusus extirpentur, atque alia omnia id genus fiant juxta sacrorum canonum, ac præfati concilii decretorum formam, pauperesque, debiles pupilli, & viduæ, aliæque miserabiles personæ plurimum in Domino commendatæ habeantur.

CAP. I.

De ecclesiarum, atque aliorum piorum locorum reparatione.

Pia, ac religiosa loca omnia ex sacrosum canonum ac Trid. Conc. dispositione reparentur, instaurentur, sarta tectaque conserventur pro redditurum eorundem qualitate; quod si fabricæ nomine, vel nihil penitus possideatur, vel quod possidetur non sit satis, non solum laici ejus loci, & subditi jure parochiali, sed etiam propinqui, aliquid contribuere ab ordinariis, si fieri potest inducantur; quod si nullo pacto reparari, aut instaurari poterunt bona, & obventiones quæcumque illius loci, vel ecclesiæ de qua agetur, cui magis videbitur expedire ecclesiæ vel pio loco adiiciantur, juxta ejusdem concilii decretum, & onere adjecto, quod rationabile, & ipsi pio loco translato proportionabile videatur.

CAP. II.

In quibuscunque cappellis, vel altaribus, quæ in ecclesiis dotata reperiuntur, provideant episcopi, atque alii locorum ordinarii, ut onera ex fundatione, dotatione, vel primæva aliqua institutione eisdem injuncta, persolvantur, idque per fructuum sequestrationem, atque alia juris remedia opportuna. Cappellæ vero, sive altaria, quæ absque alia dote sunt erecta, ordinarii ipsi a fundatoribus dotari curent; quod si facere recusent, vel demoliantur, vel si ex eo ecclesiæ aspectus deformetur, exornari, & conservari curent, vel alteri assignent, qui eadem ornata, & instructa conservent, propositis ex arbitrio poenis.

CAP. III.

Studeant quoque episcopi, ut locorum piorum quorumcumque bona vel dotis nomine

ANNO CHRISTI 1569.

mine, vel legati causa quovis debita quam primum recuperentur; moneantque eos, ad quos pertinet, ut id scientes ea qua decet diligentia, & celeritate recuperare curent, ne & ipsi usurpationibus assentientes excommunicationis laqueo innodentur, quo usurpatores ipsi, ex ejusdem concilii decreto illaqueantur; quod quidem decretum (quod incipit. Si quem clericorum) sæpius in anno vulgari sermone ad populorum memoriam per parochos, & concionatores revocari curabunt.

CAP. IV.

Insuper statuimus, ac districte mandamus, ut omnes, & singuli quarumcumque ecclesiarum rectores, hospitaliumque, & aliorum quorumlibet locorum piorum administratores intra sex menses ab hujus synodi publicatione numerandos omnium, & singulorum bonorum mobilium, & immobilium, jurium, & actionum ad ecclesias vel pia loca, quæ regunt, vel obtinent, quovis modo pertinentium, cum suis qualitatibus, mensuris, fundorum vocabulis, & lateribus coram honestis, & fide dignis personis, authenticum inventarium conficiant, ac in duo publica instrumenta redigant, quorum alterum apud ipsam ecclesiam, vel pium locum, alterum vero in episcopali archivio ad perpetuam rei memoriam conservandum reponetur. Qui vero negligens, vel minus fidelis, in hoc exequendo se se præstiterit, graviter ab episcopo per fructuum privationem atque aliis ad ordinarii arbitrium poenis, ac censuris eo ipso plectatur.

CAP. V.

Nemo præterea ecclesiarum hospitalium, atque aliorum piorum locorum, quorumcunque, vel emptionis, vel permutationis, aut alterius cujusvis alienationis titulo bona, ac jura quæcunque in se transfere præsumat, nisi prius obtenta ab apostolica sede licentia, sententiaque, & recte cum diligenti causæ cognitione inde subsecuta, quod in evidentem ecclesiæ, vel pii loci utilitatem contractus hujusmodi cedat; alioquin instrumenta, & pacta quæcunque aliter celebrata, etiam reservato S. sedis apostolicæ beneplacito nullius sint roboris, vel momenti, liceatque ecclesiarum ipsarum rectoribus, & piorum locorum administratoribus hujusmodi conditione, ac reservatione, eo usque non purificatis, dummodo a die celebrati contractus tantum temporis elapsum fuerit, quod verisimiliter purificari potuerint, a pacto etiam jurato discedere, obtenta tamen prius ab ordinario absolutione, & declaratoria per eundem ordinarium quanto fieri poterit magis summarie, subsecuta, quam primum ei brevi manu constiterit huic decreto esse locum, quacunque appellatione non obstante, & ad bona nulliter alienata redire, nec non fructus (quos suos facere non potuerunt, nec possunt) interea perceptos jure medio ab occupatoribus recuperare in ipsius ecclesiæ vel loci pii usum convertendos. Notarii vero, qui de cætero contractus hujusmodi ante sententiam recipient excommunicationi tamdiu subjaceant, quamdiu ordinarii arbitrio satisfecerint, facultate nihilominus emptori pretium nondum consumptum recuperandi minime ablata, quinimo si ecclesia ex eo locupletior fuerit reddita, rector ex illius bonis, si fructus non sufficerent, illud restituere cogi possit, alioquin emptoris detrimento pretii consumptio cedat, & alias prout cavetur in sacris canonibus.

CAP. VI.

Notarii quicunque de testamentis, atque aliis piis dispositionibus quibuscunque rogati, in quibus aliquid quomodocunque ecclesiis, hospitalibus, atque aliis hujusmodi piis locis, vel causis hactenus relictum fuerit, vel de cætero relinqui contigerit, pro suæ ac aliorum conscientiæ exoneratione, relicta & dispositiones hujusmodi iis, ad quos pertinent deferre teneantur omnino, & relicta quidem jam facta infra mensem a die publicationis præsentium computandum, de cætero vero facienda infra mensem a die quo ipsa dispositio suum effectum sortiri, ac irrevocabiliter ligare incipiet connumerandum sub excommunicationis, ac dupli poena quanti id fierit: ea vero de re, notarios ac Tabelliones quoscunque episcopi sæpe moneant, ac moneri faciant.

CAP. I.

De jure patronatus.

Provideant episcopi, vel per edictum, vel alias quomodocunque, ut beneficia omnia, quæ de laicorum patronatus jure esse prætenduntur, fideliter recognoscantur, an juxta formam decreti concilii Tridentini, vere sint ejusmodi; nec ullo pacto permittant sub falso juris patronatus prætextu liberum beneficium ab aliquo subjici, & in servitutem redigi, sed quam primum, vel saltem vacationis eorum tempore omnem curam adhibeant, ut ea de re certiores fiant, nec ante præsentationes, & nominationes admittant, qua vere constet, juxta decreti formam beneficium juris patronatus esse; cum æque iniquum sit, vel a laicis beneficio servitutem imponi, vel eosdem suis juribus fraudari.

CAP. II.

Episcopi sæpe patronos moneri curent, ne se se ullatenus in beneficiorum juris patronatus administrationem, nisi in casibus a jure permissis audeant intromittere, aut sui patronatus jura contra canonicas sanctiones in alium transferre: quod si secus fecerint a suo jure cadant, & excommunicationis vinculo pro modo culpæ subjiciantur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. III.

Recognoſcant iidem ordinarii ex ejuſdem concilii decreto uniones de beneficiis quibuſcunque eccleſiis juris patronatus factas a quadraginta annis citra, quamvis effectum ſint ſortitæ, & quas ſubreptitie impetratas fuiſſe repererint, irritas declarent, atque aliis beneficia unita conferant; idemque de unionibus quibuscunque, vel quæ de cætero obtinebunt, vel nondum plene ſuum conſecutæ ſint effectum ex ejuſdem concilii decreto agant.

De immunitate, & poteſtate eccleſiaſtica.

Ut eccleſiaſtica immunitas, ac poteſtas magis, & magis illibata conſervetur, & liberius per eccleſiæ Dei miniſtros exerceatur, ad Dei gloriam, catholicæque eccleſiæ majeſtatem rogamus, & obſecramus in Domino illuſtriſſimos principes & ſæculares poteſtates omnes, ut in tuenda libertate, ac immunitate eccleſiaſtica, ſpiritualiſque juriſdictionis exercitio juxta Tridentini concilii decreta epiſcopis, ac eorum miniſtris, ordinariisque quibuſcunque, atque univerſo clero ſemper favere, ac præſto eſſe velint, nullo pacto ferentes magiſtratus, & officiales ſuos eiſdem ullatenus adverſari, & ab eis, vel aliis quibuſcunque moleſtiam aliquam eccleſiaſticis perſonis inferri, vel eorum jura, & immunitates perturbari contra ſacrorum canonum formam, Tridentinique concilii decretum, & illuſtriſſimi D. N. Bullam, quæ dicitur in coena Domini noviſſime editam; idque religioſorum principum exemplo, cæteros omnes inferioris ordinis magiſtratus & poteſtates facturos eſſe non ambigimus.

De ſcholis, & magiſtris.

Epiſcopi, & ordinarii omnes exactiſſimam curam adhibeant pro incorrupta morum, ac vitæ adoleſcentium diſciplina comparanda, ut ludi literarum magiſtri, atque bonarum artium profeſſores, & ab iis ad quos pertinet, non ſolum doctrina, ſed etiam bonis moribus, ac fide præſertim orthodoxa præditi eligantur. Caveant autem profitentes ejuſmodi in primis, ne libros aliquos non ſolum vetitos ex poſterioris indicis præſcripto, ſed vel obſcoena, vel turpia continentes diſcipulis legant, vel interpretentur, vel a pueris legi permittant; deinde vero ſtudeant potiſſimum, ut pueri eorum fidei commiſſi in flexibili ætate, & ad malum ſuapte natura propenſa honeſtis moribus imbuantur. Curent præterea, ut chriſtianam aliquam inſtitutionem illis ab ordinariis tradendam, vel indicandam pueri ipſi memoriæ mandent, eandemque feſtis diebus propriis parochis recitent. Meminerintque de eorum negligentia Deum ipſum ultorem habituros; ea vero ſit ordinariorum cura, ut antequam confiteri incipiant fidei profeſſionem juxta ſel. rec. Pii IV. Bullam pie, ac religioſe faciant.

ANNO CHRISTI 1569.

CAP. I.

De Monialibus.

Quod autem ad moniales attinet, & earum regimen, ſtudeant diligenter epiſcopi, juxta ſacri Tridentini concilii decreta apoſtolicaſque conſtitutiones eas reformare, & ad propriæ regulæ præſcriptum, votorumque obſervantiam, atque ea omnia, quæ ad illa pertinent, omnibus modis reducere, cum paternis admonitionibus, cum particularibus conſtitutionibus pro locorum, & perſonarum qualitate promulgandis. Vehementer autem præ ceteris intendant epiſcopi, atque alii locorum ordinarii, quæ præcipue eſt eorum cura, ad ea quæ clauſuræ integritatem reſpiciunt, eamque nullo modo violari, aut remitti permittant, non ſolum ab ipſis monialibus, ſed nec ab aliis quibuscunque quovis prætextu, vel cauſa, neceſſitatis caſibus tantummodo exceptis, quos nihilominus et ipſi diligentiſſime cognoverint, & approbabunt: ab ipſis præterea monialium monaſteriis quæcumque earum caſtitati, ac vitæ ſanctitati, religioniſque puritati adverſari videbuntur, intus, & extra penitus amovebunt. Accedentes quoque ad earum monaſteria, vel auditoria, pecuniariis poenis, ac eccleſiaſticis cenſuris coerceant, ſi id abſque ſuperiorum permiſſu, vel licentia in ſcriptis obtinenda præſumpſerint; atque alia quæcunque ſtatuent, innovabunt, vel reformabunt, quæ illis pro felici earum regimine magis opportuna videbuntur, ſtudentes modis omnibus eas ſaluberiter in viam domini dirigere.

CAP. II.

Illud quoque epiſcopi curare non prætermittant quo ad ejus fieri poterit, ne ædificia aliqua eisdem præſertim monaſteriis proxima, vel ita præemineant, ut facile videri intrinſecus poſſint, vel ita contigua ſint, ut colloquentes audiri valeant. Nec non una cum illuſtriſſimis, ac religioſiſſimis principibus, & locorum magiſtratibus quibuſcunque eorum libertati, & conſervationi omnimode proſpicient, quorum opem, & auxilium confidimus nullo pacto pro eorum religione defuturum.

CAP. III.

Curent præterea epiſcopi, excommunicationis latæ ſententiæ poena propoſita, ne quis vel capellanus, vel confeſſor monialium, ſive olitor, aut famulus, ſive quævis alia perſona, cujuſcunque gradus, ætatis, qualitatis exiſtat, intra monaſteria ipſa quocunque prætextu, vel cauſa pernoctet, quam quidem poenam pariter incurrat ex præfati Trid. concilii decreto quicunque contra ejuſdem concilii formam monialium ipſarum monaſteria ingredi auſus fuerit. Neminem præterea abſque eorum licentia de ſcriptis monialibus cum ipſis colloqui permittant. Sint autem in eadem licentia deſcriptæ moniales illæ, cum quibus colloqui permiſſum fuerit. Cætera vero omnia, quæ vel ad ea-

ANNO CHRISTI 1569.

earum ingreſſum, vel proprietatem, vel profeſſionis emiſſionem, officialiumque creationem pertinent, juxta ejuſdem concilii reformationem epiſcopi, ac ordinarii quicunque, quam diligentiſſime in eorum monaſteriis obſervari curabunt.

CAP. I.

De decimis.

Quoniam ſpiritualia ſeminantibus Paulo apoſtolo teſte temporalia debentur ſubſidia, ſunt propterea Dei miniſtris decimæ, a Deo attributæ, ut libentius altari ſervientes ejus majeſtati ſacrificia in altaribus offerre, laudes divinas perſolvere, ac precibus a populo divinam iram avvertere poſſint, iniquum ſane eſt illos propriis ſtipendiis defraudari. Cum vero compertum ſit plurimos propriæ ſaluris immemores uſque ad eo cupiditate, quæ radix eſt malorum omnium detineri, ut obſtinato animo decimas, ad quas divino, & humano jure tenentur ſpiritualibus parentibus ſuis præſtare recuſent, licet eæ plurimis in locis in minima quadam quantitate exigantur; huic lethali morbo opportune occurrere cupientes ſtatuimus, & ordinamus, ut parochus in quibus pars una parochianorum decimas ſolvit, alia vero, vel nihil penitus, vel minus cæteris aliis ſolvit, nemo in poſterum ſe tueri quocunque prætextu poſſit, licet in parochia continue non habitet, aut minus, decimam parochiali eccleſiæ vel altari cui tenetur, præſertim ex decreto Conc. Trid. eo modo, & forma, & in quantitate perſolvat, quam major pars parochianorum ſolventium ejuſdem parochiæ ſolvit, niſi infra terminum ordinarii arbitrio aſſignandum oſtenderit conventione aliqua cum eccleſia facta, eam juſte in alio compenſatam, vel privilegium, quo jure tueri ſe poſſit, idque intelligatur in parochiis jam factis.

CAP. II.

In exigendis vero, ſi ordinario viſum fuerit juxta Tridentini concilii decretum per decimarum ſolutionem rectoribus providere, cogere poſſit omnes, & quoſcunque, qui in ea parochia prædia poſſederint quamvis in eadem non habitent, vel ab ea eccleſia ſacramenta erunt percepturi, tametſi nullas decimas prius ſolvere conſueverunt ad eas præſtandas, eo modo, & forma, ac in ea quantitate, quæ ordinario, conſiderata vicinarum parochiarum ea in re conſuetudine, viſa fuerit, quibuſcunque non obſtantibus, Si quis autem poſt hujus decreti publicationem id recuſare auſus fuerit, præter excommunicationis poenam, aliis etiam poenis ordinarii arbitrio puniantur, invocato ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis.

CAP. I.

De uſuris.

ANNO CHRIST 154.

Fraudibus, in maximam animarum ſuarum perniciem, illiciti a pleriſque contractus vulgi tegi ſolent, quantum cum Deo poſſumus remedium adhibere cupientes, ordinarios omnes monemus, ac hortamur in Domino, ut quam diligentiſſime inquirant, ac recognoſcant in primis contractus initos, adjecto pacto de retrovendendo, aut clauſulæ inſolitæ adjectæ fuerint, atque alia concurrent, quorum cauſa hujuſmodi contractus, ſecundum canonicas ſanctiones pro uſurariis habeantur, contrahenteſque ſi ejuſmodi eſſe compererint, canonice puniri non prætermittant, animadvertantque contractus hujuſmodi, ut plurimum in fraudem uſurarum, ut rei experientia docet vulgo celebrari.

CAP. II.

Præterea ſtatuimus, & ordinamus, ut ſi qui fundum, vel alium quidpiam ſolo adhærens ſub perpetuæ venditionis prætextu vilius emerint quam communiter alteri vendi potuiſſet, ea conditione adjecta, ut emptor, venditori ſtatim rem emptam locaret, præſertim ſub iniquo cenſu annuo, contra eos uti de uſuraria pravitate vehementer ſuſpectos, ſecundum canonicas ſanctiones procedatur.

CAP. II.

Contractus inſuper cenſuarii quicunque, quos in forma juris debita, & juxta bullam SS.D.N. Pii V. deſuper editam celebratos eſſe non conſtiterit pro uſurariis, vel ſaltem pro valde ſuſpectis habeantur; ac præterea quodcunque ſuſpectorum contractuum genus, vel ex clauſularum inſolitarum adjectione, vel in tempus dilata ſolutione, vel alio quovis prætextu ab ordinaria emendi, vendendi, ſocietates officiorum (ut vocant) contrahendi, deponendi, locandi, vel permutandi via diſcrepans, quam diligentiſſime recognoſcant epiſcopi, atque notariis de eis rogatis, ſibi ipſis fidem fieri curent, quoſque invenerint ejusmodi, reſcindant; contrahenteſque ipſos, ac eorum mediatores debitis poenis afficiant, nec omnino prætermittant in uſurarios manifeſtos quoſcunque inquirere non ſolum, ſed etiam canonicis poenis animadvertere; curentque uſurariam pravitatem, quoad ejus fieri poteſt ex eorum urbibus, ac dioeceſibus eliminare (Judæis tantummodo exceptis) qui patentes tolerantiæ literas a ſede apoſtolica, vel ejus miniſtris ad id poteſtatem habentibus obtentas oſtenderint.

De Bullis apoſtolicis publicandis.

Quia ſæpe contigit ob apoſtolicarum bullarum ignorationem, vel contentorum in eisdem oblivionem quam plures chriſtifideles in eas committere, ac ob earum inobſervan-

ANNO CHRISTI 1569.

vantiam in poenas, ac censuras ecclesiasticas incidere summopere curent episcopi, ut bullæ illæ omnes, atque apostolicæ constitutiones, quas ad populi notitiam deducere oportere judicaverint, opportune publicentur, quo promptius obediant, ac poenas in eisdem contentas evitent.

De pœnis.

Animadvertant episcopi, atque alii locorum ordinarii, quod ubi poenæ præsentibus non sunt expressæ, pro modo culpæ, ac loci, temporis, & personarum qualitate inspecta, ordinariis ipsis imponendas, relinquimus, ac reservamus, easque debitæ executioni mandari decernimus, salvis poenis per summos pontifices in eorum bullis, necnon in sacris Tridentini concilii decretis, sacrisque canonibus inflictis, quas omnino per ordinarios executioni mandari præcipimus.

De publicatione, & observatione præsentium.

Postremo omnia, & singula, quæ pro morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina a summis Pontificibus œcumenicisque conciliis, ac præsertim Tridentina synodo, nec non, & in præsenti provinciali nostra, quæ post archiepiscopalem dignitatem nostræ huic ecclesiæ apostolico beneficio attributam omnium prima est, definita, & statuta sunt, salvis tamen in omnibus ecclesiarum constitutionibus ab omnibus hujus nostræ provinciæ episcopis, abbatibus, plebanis, eorumque capitulis, atque aliis ecclesiasticis personis, quæ de jure, vel generali consuetudine, aut etiam per electionem ejusdem Tridentinæ synodi decreto huic nostræ provinciali synodo per se, vel per eorum legitimos procuratores interfuerunt, aut quomodolibet interesse debuerunt, ac etiam a singulis sæcularibus, personis, magistratibus quibuscunque, quod ad eos attinet, recipi, ac inviolabiliter observari de eorundem reverendissimorum coepiscoporum nostrorum consilio, & assensu decernimus, districteque præcipiendo mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub juris, & arbitrii poenis, quod nulla quoad ipsa decreta, vel desuetudo aut inobservantia, vel contraria consuetudo, etiam immemorabilis obiici, vel allegari possit, quin in suo semper robore, ac firmitate permaneat. Declarantes nihilominus, quod per hæc nostra decreta nullo pacto præjudicare intendimus jurisdictioni illustrissimorum DD. principum. Quæ quidem decreta post a quam ab apostolica sede sanctissimoque D. N. Romano pontifice, cujus judicio, auctoritati, ac prudentiæ ea omnia, & singula corrigenda, emendanda, & confirmanda, qua decet humilitate, obedientia, ac reverentia subiicimus, correcta, emendata, ac confirmata, ac postmodum in hac nostra metropolitana ecclesia publicata fuerint, ab ipsis episcopis, atque ordinariis, quibus eadem synodus communis fuit, in suis civitatibus, oppidis, & dioecesibus, pariter publicari, & observari, ac per eos subditos, ut id efficiant mandari decernimus, statuimus, & ordinamus ad Dei gloriam christianæque religionis, & catholicæ fidei incrementum.

ANNO CHRIST 1569.

Literæ apostolicæ super confirmatione synodi Urbinatis.

Reverendissime domine. Decreta synodi provincialis tuæ, quæ jam huc miseras, ut sedis apostolicæ monitis, & jussis correctiora fierent, cum SS. D. N. ad cardinales Tridentini concilii interpretes referri jusserit, ab iisque accurate perlegi, & si qua in re opus esset, etiam judicium suum interponi, eorum occupationibus est effectum, ut tibi antea non sint reddita. Nunc ad te illa remittimus, in quibus animadversa, & notata ab ipsis cardinalibus quædam sunt, ac seorsum descripta, quæ pro tua prudentia, & æquitate operam dabis, ut plane ad eundem modum observentur; quid vero amplitudo tua, ac cæteri illius provinciæ coepiscopi in provinciali concilio convocando, atque habendo spectasse videamini, id quidem S. D. N. & perspectum est, & probatum; etenim christiano populo apud vos religiosius vivendi vias, vel patefeciſtis, vel certe illustrastis, ut ex vestra pietate ad alios utilitas, ad vos benemerendi lætitia, & laus pervenerit. Itaque tuæ præcipuæ erunt partes, ut quæ a vobis sancte & prudenter excogitata, & constituta sunt, eadem vestra opera, & vigilantia omnes observent, quorum salus vobis, tamquam pastoribus animarum, concredita est. Deus amplitudini tuæ salutem incolumitatemque perpetuam largiatur.

Romæ die 22. Decembris 1569.

Amplitudinis tuæ
Uti frater card. Alexandrinus. Extra.

Al molto reverendo Sig. come fratello monsig. l'arcivescovo d'Urbino.

✠ Loco signi.

Concordat cum originali, in cujus rei fidem, & testimonium, nos Julius Corvinus, & Lelius Fidelis de Urbino notarii publici, & actuarii dictæ curiæ archiepiscopalis subscripsimus.

ANNO CHRISTI 1569.

ACTA PROVINCIALIS CONCILII CAPUANI CELEBRATI A NICOLAO CAETANO

S. R. E. TIT. S. EUSTACHII PRESBYT.

CARDINALIS DE SERMONETA

Nuncupati, anno 1569.

Nicolaus Caetanus, Dei, & apostolicæ sedis gratia S. R. E. tit. S. Eustachii presbyt. cardinalis de Sermoneta nuncupatus, & archiepiscopus Capuanus &c. Omnibus provinciæ nostræ fidelibus, salutem in Domino.

Ex edito Romæ eodem anno.

Sanctissime, & prudentissime, ut alia omnia, statuerunt patres in concilio Tridentino, ut vetus illa crebro cogendarum synodorum provincialium consuetudo, quæ plerisque in locis jam pridem obsoleverat, & referretur, & renovaretur primo quoque tempore, & denuo ceps attente ac diligenter retineretur. Nam ut in corporibus, ita in moribus nostris multa quotidie vitiosa gignuntur, quæ nisi sæpe purgentur, ab exiguis profecta principiis temporis progressu incredibile dictu est, quantas inferant calamitates. Utile igitur est, ea, cum primum efferre se, ac succrescere incipiunt, coerceri, ac comprimi, neque expectari usque eo, dum vetustate robustiora fiant. Id facillime, ac commodissime ejusmodi synodis videtur fieri posse, in quibus, & communi diligentia, ac studio inquiritur in ea omnia, quæ in quaque provincia deflectunt ac degenerant a recta christianæ disciplinæ regula; & Deus ipse, ac Dominus noster Jesus Christus communibus votis vocatus lucem præfert animis nostris, ad reperienda, capiendaque salutaria consilia, & ad inendam rationem, qua quæ depravata sunt corrigantur. Nos quidem animo, atque hac spe freti, omnes Capuanæ nostræ provinciæ episcopos cæterosque, quibus in ejus generis conventibus sententiæ dictio est, haud ita pridem convocavimus, eosque quantum in nobis fuit, adhortati atque obtestati, ut Dei, & muneris sui memores in commune consulerent, omniaque præferrent, quæ Deo grata, & publice utilia fore censerent; de illorum consilio, ac consensu decrevimus, ac statuimus hæc, quæ nunc, ne quis ea sibi incognita esse causetur, atque in culpa hoc perfugium habeat, publicamus. Obsecramus autem vos per ea, quæ omnibus hominibus præcipua esse debent, Dei gloriam, & animarum vestrarum salutem, ut ea & suscipiatis libenter, & diligenter observare studeatis. Cogitate, quanto laboriosior vita sit eorum, qui vitiis, quam eorum qui legibus serviunt; simul illud considerate in iis violandis, non tam nostram authoritatem contemni, quam illius, a quo dictum est. Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. *Deus optimus maximus immittat inspiretque vobis omnibus eam mentem, ut vestræ potius inobtemperando modestiæ laus tribuenda sit, quam pœnæ a quocumque ob contumaciam exigendæ. Valete in Domino.*

ACTA PROVINCIALIS CONCILII CAPUANI.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

NOs Nicolaus Cajetanus Dei, & apostolicæ sedis gratia S. R. E. tituli S. Eustachii, presbyter cardinalis, & archiepiscopus Capuanus, de consilio, & assensu reverendissimorum DD. coepiscoporum nostrorum, qui nostro mandato, ad laudem, & gloriam Dei in hanc provincialem synodum convenerunt, hæc statuimus, & sancimus.

E

De munere episcoporum.

Primum, ut quod ipsi fecimus, idem etiam reverendissimi fratres, ac coepiscopi nostri faciant; idest ut in eis, quæ posthac cogentur, diocesanis synodis omnia, & singula, quæ a sacro Tridentino concilio definita, ac constituta sunt publice suscipiant, summo Romano pontifici veram, ac perpetuam obedientiam spondeant, omnes hæreses detestentur, & anathematizent, fidem catholicam

licam profiteantur, ita ut institutum est ab eodem Sac. Conc. Trid. & iis ipsis verbis, quibus concepta est formula a sanctæ memoriæ Pio V. Pont. Max. publice præscripta, eademque omnia exigant ab iis, qui cujuscunque generis dignitates aut beneficia ecclesiastica in provincia nostra obtinent aut obtinebunt. A

II. At quia Deus charitas est, eamque propriam quasi notam esse voluit Christus, qua sui a cæteris innotescerentur, si se mutuo amarent; omne studium, omnemque auctoritatem suam conferant, ad tollendas componendasque, si quæ sunt, tam inter ecclesiasticas, quam inter sæculares personas omnes controversias, ac dissensiones, & ad universum populum Dei sanctæ pacis, & charitatis vinculo devinciendum. B

III. Provideant, ut Sacramenta omnia pro dignitate honorifice, & cum veneratione administrentur.

IV. Ordines sacros dignis tantum personis conferant, neque quidquam ullo modo pro eorum collatione, aut exigant, aut accipiant. Ipsi se esse meminerint, quos Apostolus nulli omnino reprehensioni obnoxios esse oportere pronuntiat. Ideoque vitam, moresque suos ad sacros Apostolicos canones, imprimisque ad præcepta sac. conc. Trid. quanto maximo studio poterunt, omni ex parte conforment.

V. In eos severe animadvertant, qui sacrorum librorum verbis, aut sententiis nefarie, ac temerario ausu ad jocum, contumeliam, assentationem, superstitionem, impietatem, & uno verbo, ad quoscunque profanos usus abutuntur. C

VI. Divini verbi concionatores eos eligant, & habeant, qui in ecclesiis suis sacram scripturam, legem Dei, apostolicas & ecclesiasticas traditiones, omissis inutilibus ac supervacaneis quæstionibus, ac disputationibus, & frequenter aliis, & statutis temporibus quotidie exponant; sed & ipsi episcopi idem illud munus per se obeant, & verbo Dei commissum sibi populum pascant.

De Baptismo.

Ac quoniam Baptismus aliorum omnium sacramentorum janua est, per quem homines renascuntur, & ad Christi ecclesiam aggregantur; ideo ab ipso potissimum exordientes, mandamus, & inposterum nonnisi in ecclesiis, & sacrariis, quæ propefontes baptismalem honorifice in eum usum instruentur, præterquam in casu necessitatis aliove alio speciali casu, de quo ordinarii aut ejus vicarii notio erit, administretur, ac conferatur.

II. Prohibemus parochis ne salem benedictum, neque aquam baptismi sæcularibus aliisve concedant; si secus fecerint, vigintiquinque scutatorum poena mulctabuntur. E

III. Si quando attigerit, aut domi, aut ubicunque extra ecclesiam quempiam baptizari, vas illud, in quod effundetur aqua baptismi, nunquam postea profanis usibus servire fas esto.

IV. Infantes intra octavum, postquam nati erunt, diem, baptizari jubemus. Si parentum culpa secus factum erit, ab eis eadem illa vigintiquinque scutatorum pœna, in pios usus ordinarii arbitrio convertenda, exigetur.

V. Habeant parochi librum, in quo baptizati, parentum, compatrum nomina, & cognomina, diemque natalem infantis, & quo die baptizatus, & ex legitimo matrimonio natus sit, an secus, præscribant, & ex Tridentini concilii decreto unum tantum, vel unam, vel ad summum unum & unam ad tenendum infantem admittant.

VI. Habeant item album, & decorum linteum, pro veste candida, quam albam vocant, baptizatis tradenda. Idque semper ad hunc actum tantum, & usum conservent, & bombice, non albulis ad oleum sanctum, & chrisma tergendum, utantur.

VII. Caveant ne dum baptizant, oleum sanctum aut chrisma, aut in ore, aut in fronte infantium ponant, neve ullo modo iis abutantur; sed prius pectus, & humeros tantum oleo sancto; deinde chrismate solum verticem liniant, ad eam formam; quæ a sancta Romana ecclesia constituta est, quam singuli episcopi singulis parochis suis exhibeant, observarique mandent, rejectis omnibus superstitiosis observationibus loci, & temporis, atque omni alia superstitione eorum arbitrio corrigenda.

VIII. Vetamus, ne qui parochus aliusve sacerdos usquam alibi baptizet, quam in sua parochiali ecclesia, præterquam in casu necessitatis; non obstante quacunque, quamlibet antiqua, consuetudine in contrarium observata, sub poena vigintiquinque scutatorum auri, qui ordinarii arbitrio in pios usus, ut supra dictum est, convertantur.

Sicubi autem parochiarum domus confusæ sint, curent episcopi, ut apte, & commode distinguantur.

De Confirmatione.

D Confirmationis sacramentum minori septem annis ne conferatur, neve ullo prætextu iteretur. Si secus factum erit a parentibus puerorum, & ab eis qui ad eos tenendos adhibiti erunt, si modo id scientes fecerint, poena decem unciarum auri in eosdem usus, qui supra dicti sunt, convertendarum exigetur.

Sacro chrismate confirmati ne aqua abluantur, sed bombice aliove linteo albo commodiori in eum usum destinato, statim in ecclesia per aliquem sacerdotem, cui id arbitratu ordinarii mandatum sit, detergantur.

De sacramento Eucharistiæ.

Sacramentum Eucharistiæ super præcipuo altari, decentiorive alio loco ab omnibus adorandum collocetur. Condatur autem in tabernaculo, quod auro purissimo illitum sit, intra pixidem auream, argenteamve, aut certe intra capsulam argenteam pixide lignea aurata inclusam, substrato semper corporali, veloque serico superposito custodia-

ANNO CHRISTI 1569.

tur diligentissime; & saltem bis in mense renovetur. Ardeat ante ipsum diu noctuque lampas, saltem una; si cujus negligentia horum quid omissum erit, in eum ordinarii aut ejus vicarii arbitratu poena statuetur.

II. Cum ad ægrotos deferendum erit, convocetur populus campanæ sono, ad illud venerationis causa prosequendum.

III. Deferat autem illud sacerdos cotta, stola, vel etiam pluviali indutus, intra calicem cum patena, palla, & corporali præeuntibus luminibus, & tintinnabulo, quam poterit honorificentissime, eodemque ritu referat ad ecclesiam, provideatque, ut semper una saltem sacræ eucharistiæ particula in ecclesia maneat, itidemque una in calice, quam ipse secum refert, ut sit quod populus adoret.

IV. Neque præbeatur alibi, quam in ecclesia, præterquam exigente necessitate, præsertim die paschæ, nisi ob aliquam probabilem causam aliquo speciali casu aliter ordinario visum sit.

V. Missa in ecclesia tantum celebretur; nullo autem modo concedatur ejus celebratio in privatis ædibus, nisi in quibus decora sint oratoria, vel capellæ per ordinarium ipsum visitandæ, & approbandæ.

VI. In missis, quas novas vocant, ludos, choreas, obscoenaque, & sumptuosa convivia omnino prohibemus, & interdicimus.

VII. Inter missarum solemnia in ecclesiis ordinario subditis a secularibus, regularibus, clericis, laicis, confratribus cæterisque omnibus stipem colligi, aut eleemosynas per ecclesiam peti vetamus; ne tum quidem cum sacræ conciones habebuntur, nisi si quas forte ejusmodi personas specialiter populo concionator ipse commendat.

VIII. Dum sacra fiunt, aut officia celebrantur, laici in sedibus ad canonicorum, aut regularium usum destinatis ne sedeant.

IX. Canonici, cæterique omnes clerici toto eo tempore ne sedes absque necessitate commutent, neve a choro discedant, aut inter se colloquantur; sed toti sint in rem divinam, & animo, & corpore intenti. Qui secus fecerint, ordinarii, aut ejus vicarii arbitratu punientur.

X. Ut autem hæc omnia serventur, ordinarius, aut ejus vicarius, aut eo absente qui ex præsentibus in majori dignitate constitutus erit, aut cæteris antiquior canonicus curet.

XI. Nemo, neque clericus, neque laicus in ecclesia ullo tempore deambulare, aut turpes inanesve sermones conferre audeat. Domus enim Domini, non deambulationis aut confabulationis, sed orationis domus est. Qui adversus hoc edictum venerit, poenæ nomine decem scutatos piis usibus applicandos exigetur.

XII. In atriis postibusve ecclesiarum mensas ne ponant qui panes dulciarios, bellaria, aut alias quascunque merces venales habent, neve ibi mercatura ullius generis exerceatur. Nemo ibi pila, aut alio quovis modo ludat; nemo profanum quidquam, & inhonestum agat. Qui contra fecerit, in singula facta singulas auri uncias, in pios usus arbitratu ordinarii convertendas, dare damnatus esto.

ANN CHRI 156

De sacramento poenitentiæ.

Parochi, ceterique, quibus confessiones audiendi, jus est, in subselliis in ecclesia ad eum usum extructis cum opportuna assiduitate benigne, ac patienter confessiones audiant, nullam prorsus in eo mercedem aucupantes. Quod & de cæteris omnibus sacramentis præceptum volumus, ut ea videlicet omnino gratis administrentur. Qui secus fecerit, ei a sacrorum administratione ad tempus, ordinarii arbitrio, interdicetur.

II. Caveant, qui confessiones audiunt, ne poenas pecuniarias, ex quibus ipsi commodum capiant, confitentibus imponant. Non enim lucro suo, sed animarum saluti studere debent.

III. Una omnes atque eadem absolutionis formula utantur, quæ in sacerdotali præscripta est; nempe hac: *Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, &c. Misereatur &c. Dominus noster Jesus Christus, &c. Passio Domini nostri Jesu Christi.*

De sacramento extremæ Unctionis.

Curati oleum infirmorum, stola, & cotta induti, non in ampullis cum chrismate, & oleo sancto, sed in vasculo stamneo sejuncto, bombici infusum, & in decenti pyxide reconditum, cum uno saltem lumine, & cruce per clericum delatis, & velo aliquo decenti super ipsam pyxidem obtento, ad infirmos quanta maxima poterunt mentis puritate orantes deferant.

II. Claves omnes sacramentorum omnium sub custodia curati, & non alterius conserventur.

III. Caveant sacerdotes curati, aliique tum clerici tum laici, ne sub specie pietatis ullo modo abutantur iis, quæ dicta sunt, sacramentis; ac presbyteri ne laicis aliisve quibuscunque personis sacrilege sacramenta ipsa concedant. Si quid contra factum erit, laici quidem viginti quinque ducatis aureis in pios usus, arbitratu ordinarii, convertendis mulctabuntur. Clerici vero, & eandem illam poenam sufferent, & præterea quæcunque beneficia obtinebunt iis eruentur, ea lege, ut neque illa neque ulla alia imposterum obtinere possint.

De sacramento ordinis.

Ordinarii idoneos homines deligant, ex decreto concilii Tridentini, a quibus ii, qui ad sacros ordines promoveri volent, itemque presbyteri, quibus animarum cura committenda erit, prius diligenter examinentur.

II. Monemus insuper eosdem fratres, & coepiscopos nostros, ut iis demum ordines tum, minores, tum majores conferant, qui & ex legitimo matrimonio editi sint, & pietate, moribus, litterarum scientia idonei ex præscripto ejusdem sacri concilii Tridentini.

III.

ANNO CHRISTI 1569.

III. Clerici autem ipsi, cum ad sacros ordines promoti, aut aliquo beneficio ornati erunt, oras canonicas ne omittant.

IV. Hortentur etiam ordinarii eos, qui aut in sacris constituti, aut beneficio aliquo ornati erunt, ut saltem semel in mense peccata sua confiteantur proprio sacerdoti, sumantque sacrosanctam communionem.

V. Seminarium, ita uti constitutum est a sac. conc. Trid. sess. 23. cap. 18. singuli ordinarii pro modo facultatum omnino constituant, quod & nos ipsi dante Domino, facturi sumus. Quod si qui episcopatus ita tenues redditus habeant, ut Seminarium in eis erigi non queat, nos, adhibitis duobus antiquioribus coepiscopis nostris, in aliqua ecclesia commodiore unum aut plura Seminaria, prout expedire videbitur, ex fructibus duarum, vel plurium ecclesiarum, ex eis in quibus singulis seminarium commode institui non potest, erigendum curabimus, ubi pueri illarum ecclesiarum educentur.

VI. Clerici, qui minores ordines, aut etiam primam tantum tonsuram acceperint, nisi in habitu, & tonsura incesserint, & alicui ecclesiæ, de ordinarii mandato, vere inservierint, aut in seminario, aliave aliqua schola, ubi & bonis litteris, & moribus informentur, manserint, ecclesiasticis privilegiis ne gaudeant.

VII. Clerici in sac. ordinibus constituti, quive aliquod beneficium obtineant, in habitu, & tonsura congrua incedant: Ni fecerint, post primam admonitionem fructibus unius anni priventur, vel alia pecuniaria poena, piis usibus ordinarii arbitrio applicanda, puniantur. Quod si contumaces esse perrexerint, adversus eos quidem qui beneficia obtinent ad privationem beneficiorum, & privilegiorum, si in sacris non fuerint, procedi possit. Sin autem in sacris fuerint, aut beneficia non obtinuerint, poena carceris, vel pecuniaria, aliave, arbitratu ordinarii puniantur.

VIII. Omnes cujusvis ordinis, status, gradus, & conditionis, qui aut jure, aut consuetudine facultatem habeant conferendi beneficia non curata, saltem infra sex menses a die vacationis ejus, de personis idoneis providere teneantur. Quo tempore elapso, & nulla provisione canonice facta, ad ordinarium loci, juxta formam sacrorum canonum, pro vice illa collatio deferatur. Quod si qui defecerit, episcopus fuerit, collatio eodem modo ad metropolitanum devolvatur; & demum ad sedem Apostolicam. Quod vero attinet ad collationem, & devolutionem beneficiorum curatorum, seu parochialium, ea omnia observentur, quæ continentur in bulla sanctissimi domini nostri Pii V.

IX. Beneficia vero non curata, quæ nunc vacant, neque in hunc usque diem collata sunt, moneantur, qui potestatem conferendi habent, ut inter tres menses a die monitionis legitimæ illa conferre debeant; quibus elapsis, si eis canonice provisum non sit, ab ordinario loci libere conferantur. Qui si & ipse negligens fuerit, collatio ad metropolitanum, ac demum ad sedem Apostolicam, ita uti jam constitutum est, devolvatur.

X. Ad fraudes & simulatas collationes tollendas statuimus, cuicunque de beneficio aliquo provisum fuerit ab inferioribus ordinario, teneatur infra mensem, a die provisionis, bullam expeditam collationis, seu alterius provisionis factæ ordinario ostendere. Quod ni fecerit, provisio inanis, irrita habeatur; liceatque ordinario tunc conferre, & beneficio ipsi, tamquam iterum vacanti, iterum providere.

XI. Curent episcopi, ut qui beneficia sine cura obtinent, aliquando ibi missas celebrent, aut celebrari faciant pro ratione redditum, quos ex iis percipiunt, dum ne fundatio obstet.

XII. Beneficia diruta, quæ reparari non possunt, in ecclesias matrices, vel alias, ex præscripto sacri Tridentini concilii, transferantur.

XIII. Jubemus, ut quicumque ex bonis ecclesiasticis alienatis collectas quascumque pecuniarum summas detinent per ordinarium cogantur bona stabilia iisdem pecuniis emere pro eisdem ecclesiis.

XIV. Qui habent jus præsentandi ad beneficia, videant, ut ex præscripto sacri concilii Tridentini presentent.

XV. In collationibus beneficiorum nihil accipiatur, nisi pro scriptura; quantum accipi pro ea debet ordinarii notitio esto; ita tamen ut ne excedat summam decem carlenorum.

XVI. In visitatione observetur quæ decreta sunt a sacra synodo Tridentina.

XVII. Vasa sacra, vestes sacræ, & omnis sacra supellex a quocumque cujuscunque sumptibus facta sit, & ubicunque reperiatur, usui ecclesiæ, arbitratu ordinarii applicetur, non obstante quacunque consuetudine in contrarium observata. Hoc si quis impedire conabitur, hoc ipso statim in poenam excommunicationis incidisse intelligatur.

XVIII. Adhibeant episcopi curam ad recuperanda omnia bona ecclesiastica alienata, quoquomodo ab aliis occupentur, salva tamen deputatione judicum, quæ infra ponetur.

XIX. Fenestras omnes, per quas in ecclesiam prospectus est, quam primum tollendas curent, illarumque usum modis omnibus interdicant.

XX. Jubemus insuper, ut quilibet beneficiatus clericus, ordinario suo id postulante, bullam provisionis, seu collationis beneficii sui intra mensem a die postulationis personaliter factæ ostendere teneatur. Quod ni fecerit, ordinarius ipse ei beneficio tamquam vacanti providere possit; dum tamen jus conferendi ad ipsum pertineat.

XXII. Volumus etiam, ut quilibet beneficiatus, ordinario jubente inventarium omnium bonorum stabilium, & reddituum beneficii sui in manibus ordinarii, vel ejus vicarii tradere teneatur intra mensem inchoandum, ut supra dictum est; qui si contumax fuerit, decem ducatorum poena mulctetur, ordinarii arbitrio piis usibus applicandorum.

De

ANNO CHRISTI 1569.

De matrimonio.

Curent ordinarii, ut decretum ſacri concilii Tridentini de matrimoniis contrahendis, & publicandis diligenter a curatis obſervetur. Qui ut ab eodem concilio conſtitutum eſt, libellum penes ſe habeant, & diligenter ſervent, in quo præſcribantur nomina, & cognomina viri, uxoris, teſtium, ac dies, & locus.

De rectoribus curam animarum exercere debentibus inſtituendis.

Cum ſancta mater eccleſia ſingulis eccleſiis parochialibus, quoad ejus fieri potuit, ſemper ſingulos paſtores, & perpetuos præficere conſueverit; propterea certum capellanorum genus, qui ita quibusdam eccleſiis proponi ſolebant, ut ad nutum capituli, univerſitatis, abbatiæ, monaſterii, confraternitatis, vel alterius cujuscunque perſonæ amoveri poſſent, tollendum omninino eſſe decernimus, & jam nunc tollimus. Mandamus omnibus & ſingulis, ad quos hujusmodi inſtitutio pertinebat, ut intra tres menſes proximos ab ultimo hujus ſynodi die inſtituant idoneos rectores, non qui ad eorum nutum amoveri poſſint, ſed perpetuos ad vitam; quibus rectoribus, & eorum eccleſiis ea portio aſſignetur, quæ præſcripta eſt in bulla ſanctiſſimi domini Pii V. obſerventurque cætera, quæ in eadem bulla continentur.

II. Moneantur in præſenti per ſingulos epiſcopos rectores omnes parochialium eccleſiarum ſibi ſubditarum, ut intra tempus eis ab ordinario præfigendum debeat quilibet ipſorum coram ordinario ſuo comparere, ad reddendam comprobandamque cauſam, cur non teneantur facere ſe promoveri ad presbyteratum, ſeu ad ſacros ordines, inque ſuis eccleſiis reſidere, ac ibidem exercere animarum curam. Quo tempore elapſo, ſi nihil attulerint, præter conſuetudinem quamlibet vetuſtam, nihil amplius ea excuſatio ipſis proſit. Sed ordinarii illico declarent, ſicuti nos quoque præſenti decreto declaramus, eos tamquam veros parochos teneri ad ſuſcipiendos ſacros ordines, & ad reſidendum, curamque animarum perſonaliter in dictis eccleſiis exercendam, ac ſacris canonibus, ſtatutoque concilii Tridentini ſub decreto de reformatione cap. 1. ſeſs. 23. & omnibus aliis decretis, quæ de parochis loquuntur, ſubditos eſſe, eiſque teneri qualibet, quamlibet conſuetudine longa, ſeu potius coruptela non obſtante. Capellanos autem earumdem parochialium eccleſiarum, non curatos, ſed ipſius curati rectoris adjutores eſſe debere; ſi tamen prius ab ordinariis examinati, reperti fuerint habiles ad eum in exercenda animarum cura adjuvandum.

III. Curent præterea ordinarii, ut eccleſiæ dirutæ, vel quæ redditus nimium exiles habent, quibusve parvus animarum numerus ſubditus eſt, arbitratu & conſilio ipſorum, quam commodiſſime fieri poterit, uniantur, & ſi opus fuerit, domus parochiarum, ſi quæ ſint nimium a parochia ſua diſtantes, de conſenſu parochi ſui proprii, & parochianorum propinquiori parochiæ aſcribantur arbitrio ordinarii.

IV. Statuimus etiam, & declaramus eos eſſe cujuſque parochialis eccleſiæ veros, ac proprios parochianos, qui domos intra ejus terminos ſitos incolunt. Non autem ſi in aliam parochiam habitandi cauſa commigrarunt.

De vita, & honeſtate clericorum.

Omnes clerici beneficiati, aut in ſacri conſtituti abſtineant ab aleis, taxillis, aliiſque ludis prohibitis, Qui ſecus fecerit una auri uncia piis uſibus, arbitratu ordinarii, applicanda in ſingula facta mulctabitur.

II. Nulli clerico, etiam in minoribus conſtituto ordinibus, aut prima tantum tonſura inſignito, cujuſcunque ſit gradus ſtatus, ordinis & conditionis, ac dignitatis, licet in provincia noſtra arma ferre ullius generis, neque ad offenſionem, neque ad defenſionem; neque per civitatem, aut caſtra, & villas pro uſu ſuo per alium, ſeu famulum, ſeu comitem deferri facere; alioquin exigentur ab eo, pœnæ nomine ducata decem auri, ſi interdiu id fecerit; ſi noctu, viginti. At ſi ſclopettum deferre auſus ſit, mulctabitur quatuor unciis auri convertendis, ut ſuprá dictum eſt in pios uſus & poenam carceris per annum unum ſuſtinebit.

III. Clericus, qui armis alium percuſſerit, ſiquidem ſine ſanguinis effuſione, vigintiquinque ducatis aureis mulctabitur, ſi cum effuſione ſanguinis duplicabitur poena, convertenda in eosdem uſus pios; & præterea & propterea vulnerato quanti interierit præſtare cogetur.

IV. Clericus cujuscunque ſtatus, gradus, dignitatis, & conditionis ſit, ſi (quod abſit) aliquem interfecerit, vel occidi mandaverit, procuraverit, conſenſerit, auxilium, conſilium, vel favorem ante factum, vel in facto ipſo præſtiterit, ultra poenas canonum, poenam amiſſionis omnium beneficiorum, & inhabilitatis ad eadem, vel alia impetranda incurrat, omniumque penſionum, fructuum, & proventuum piis uſibus, ut ſupra dictum eſt, applicandorum. Graſſatores autem, ſi qui fuerint quod Deus avertat, ſeverius, ex præſcripto ſacrorum canonum, puniantur.

V. Noctu deambulantes clerici, aut in habitu ſæculari deprehenſi decem ducatos aureos, aut quo plus minuſque ordinario videbitur, perſolvere cogentur, piis locis attribuendos.

VI. Clerici mercaturam ne faciant; neve alia ſæcularia negotia, quæ quidem a jure clericis prohibita ſint, tractent. Qui ſi ſecus fecerint, quinquagenis ducatis mulctabuntur, in eoſdem illos uſus, pios convertendis.

VII. Nec licet clericis, qui quidem in ſacris conſtituti ſint, mulieres cujuſcunque tandem ordinis ſint, manibus apprehenſas, humeriſve innixas deducere. Qui fecerint, arbitratu ordinarii puniantur.

VIII. Et quoniam hominum improbitate

ſit,

ANNO CHRISTI 569.

fit, ut quibuſdam ex verbis, quibus pietas excitari ſolebat, hodie ſcandali ſumatur occaſio, prohibemus, ne paſſio Redemptoris noſtri, neve divorum res geſtæ uſquam in morem comædiarum, aut tragediarum agantur.

IX. Adhibeant ordinarii curam, ut dies feſti religioſe & a clericis, & a laicis obſerventur, nec negocia in eis prohibita exerceantur; qua in re qui deliquerint, ab iis poenas arbitratu ſuo exigant.

X. Conciones noctu haberi nullo modo permittant.

XI. Clerici neque domi, neque extra domum concubinas aliasve mulieres ſuſpecti pudoris detineant. Si fecerint, plectentur iis poenis, quæ Tridentino concilio conſtitutæ ſunt; quod ipſum ut & a laicis obſervetur ordinarii curent.

XII. Nullus impoſterum duos canonicatus, aut parochialem unam cum canonicatu, aut duas parochiales, aut duo alia cujuscunque generis beneficia obtinere, ac retinere poſſit; & collatio ipſa in contrarium ab ordinario facta ipſo jure nulla ſit, niſi quando tenuja eſſent beneficia, aut unum eorum ad vitam ejus, cui conferetur ſubſtentandam non ſufficeret; tunc enim licebit aliud ſimplex eidem conferre, dum ne utrumque perſonalem reſidentiam requirant.

XIII. At qui jam duas parochiales obtinent, neque earum alteram ex præſcripto concilii Tridentini intra ſpatium ſex menſium dimiſerunt, ſciant ſe in poenam amiſſionis earum, & aliorum omnium beneficiorum ſuorum ipſo jure incidiſſe; propterea-que talia omnia beneficia conferri poſſint tamquam vacantia ab iis, ad quos jure collatio pertinet.

XIV. Super diſſimilitudine recitandi horas canonicas, quæ in provincia noſtra eſt, ſummus pontifex conſulatur.

XV. Rectores beneficiorum parochialium, qui ad eccleſiarum reparationem omnes ſumptus facere tenentur, ſive hoc, ſive quocunque alio nomine vocentur, aut illis provideant, ita ut ſtatuet ordinarius, conſtituto eis ad id faciendum brevi aliquo temporis ſpatio; aut ordinarius ipſe ſequeſtratis fructibus provideat. Ita tamen ut interea ſuperſit ipſis rectoribus, aut quoquo alio nomine vocatis, unde ſe alere poſſint.

De judicibus deſignandis.

Deligat quilibet ordinarius dioeceſi ſuæ ſpectatæ probitatis & doctrinæ viros, quibus ex præſcripto conc. Tridentini mandetur notio cauſarum eccleſiaſticarum ſpiritualium ad forum eccleſiaſticum pertinentium in ea delegandarum.

II. Nos vero eidem concilio parentes, munus & curam examinandi denuo cauſas bonorum eccleſiaſticorum, quæ his proximis triginta annis alienata ſunt, deque iis cognoſcendi mandamus, & committimus rev. Capuano vicario, dicto Jo: Dominico Roſcello J. V. d. can. Capuano D. Lelio Seſſe V. J. D. can. & vicario Sveſſano, d. Marco Bolognino primicerio Calatino.

De monialibus admittendis, & earum profeſſione.

Sacri concilii Tridentini decreto obtemperantes, mandamus, ne puella ulla, quæ regularem habitum ſuſcipere voluerit, prius admittatur, quam duodecimum annum compleverit, liquidoque cognitum fuerit ab epiſcopo, aut ejus vicario voluntatem ipſius plane liberam, & ſponte ſuſceptam eſſe; neque vim, aut metum, neque dolum, aut fraudolentas blanditias interveniſſe: quæ utraque ſi adfuerint, neque ullum aliud canonicum impedimentum obſtiterit, ex decreto ejuſdem Tridentini concilii cap. 17. ſeſſ. 25. ordinarii, aut ejus vicarii cognitione, & arbitrio admitti poterit.

II. Ad profeſſionem autem emittendam nulla admittatur, quæ decimum ſextum annum non expleverit, quæque ſaltem annum unum poſt habitum ſuſceptum in probatione non fuerit.

III. Si quæ antea profeſſa erit, profeſſio ipſa nulla ſit, nullumque producat effectum; neque prius emittatur profeſſio, quam ordinarius, aut ejus vicarius diligenter exploraverit, num libera ſit puellæ voluntas; cui rei, ut diligenter operam dare poſſit, teneatur præfecta monaſterii certiorem eum facere menſe uno antea. Niſi fecerit, ſuſpendatur ad tempus ab officio, ipſius ordinarii, aut ejus vicarii arbitratu.

IV. Emiſſa autem profeſſione, nemini monialium liceat etiam ad breve tempus e monaſterio exire; niſi ex legitima cauſa ordinario, aut ejus vicario probata, & exeundi facultate ab eorum alterutro data ac ſcriptis comprehenſa. Si qua ſecus fecerit, aut poena carceris ad tempus, aut alia ordinarii arbitratu plectetur.

V. Poteſt ordinarius permittere, ut a conſanguineis, & affinibus alicujus monialis quippiam ei dono detur, dummodo id totum tradatur in manus abbatiſſæ, quæ ex eo primum providebit neceſſitatibus illius cui datum erit; reliquum, ſi quod erit, in uſus monaſterii convertatur.

VI. Idem etiam intelligatur de mercede ſi qua debebitur alicui moniali ob aliquid, quod manibus ſuis elaboraverit.

VII. Nulli prorſus neque laico, neque clerico cujuscunque gradus, etiamſi alicujus monaſterii monialium gubernator ſit, liceat in ipſius monaſterii ſepta ingredi, niſi ejus rei facultatem ſcripto comprehenſam, prius ab ordinario ejuſve vicario, obtinuerit. Si quid ſecus factum erit, excommunicatio, in quam ipſo facto incurrat, poena eſto:

VIII. In ipſa monaſteria a gubernatoribus inſcia præfecta nihil immitti liceat.

De blaſphemia.

Deteſtabile blaſphemiæ vitium, cui & divina, & imperiali lege capitis poena propoſita eſt, a provincia noſtra exterminare cupientes, hæc ſtatuimus, inhærentes ſacro concilio Lateranenſi, & conſtitutioni S. D. N. Pii papæ V. ſuper ea editæ, ut ſi clericus (quod abſit) ſanctum Dei, & Chriſti, ejusve matris nomen blaſphemaverit, pro prima vice mulctetur fructibus unius anni beneficiorum omnium ſuorum. Quod ſi denuo

ANNO CHRISTI 1569.

ANNO CHRISTI 1569.

denuo idem feciſſe convictus ſit, omnibus beneficiis exuatur. Si tertio, omnibus dignitatibus ſpoliatus deponatur, & in exilium mittatur. Quod ſi is ſit, qui nullum beneficium obtineat, pro prima quidem vice arbitratu ordinarii, aut pecuniaria, aut corporalis ab eo poena exigatur; pro ſecunda ejusdem arbitratu afficiatur poena carceris. Pro tertia ſolemniter degradetur, & ordinarii ut (ut dictum eſt) arbitratu ad triremes relegetur.

II. Ac laicus, ſi quidem nobilis fuerit, pro prima vice viginti quinque ducatis. Pro ſecunda quinquaginta. Pro tertia centum ducatis mulctetur; & præterea ordinarii arbitratu ad tempus exulet.

III. Pecuniæ, quæ hoc nomine exigantur, tertia pars ad executores officiales perveniet; reliquum piis locis ordinariorum arbitrio applicetur.

Quod ſi ignobilis fuerit, & non ſolvendo, ne inopia ſua poenam eludere ſe poſſe confidat, pro prima vice manibus poſt tergum revinctis ad oſtium eccleſiæ per diem integrum ſtare cogetur. Pro ſecunda fruſta per civitatem verberabitur. Pro tertia publice perforabitur ei lingua, & ad triremes arbitratu relegabitur.

V. Qui ſanctos ſanctasve Dei blasphemaverit pro qualitate blaſphemiæ, & perſonæ, ejusdem arbitratu punietur.

De incantatoribus, & ſortilegis.

Ut maleficiorum, incantatorum, & ſortilegorum impiis artibus, quæ ſepæ numero etiam hæreſim olent, obviam eatur; ſtatuimus, ut clerici quidem, ſi qui ſe forte quoquo modo eo crimine obſtrinxerint, ſolemniter degradati, atque omnibus beneficiis exuti, in carcerem præterea detrudantur, ibique arbitratu ordinarii poenas luant. Laici autem pro commiſſi atrocitate, & qualitate perſonarum, aut pecuniariis poenis in eos qui ſupra dicti ſunt, uſus convertendis, aut etiam corporalibus coerceantur. Quod ſi etiam abuſus rerum ſacrarum, aut dæmonum invocatio intervenit, tanto ſeverius in eos, qui id fecerint, animadvertatur.

De Uſuris.

Ut inexplebilis fœneratorum aviditas poena aliqua comprimatur, ſtatuimus, ut quicunque clericus, in quocunque contractu & negotio uſuram aliquam commiſerit, poena ſuſpenſionis, ac pecuniaria, vel carcerum, ordinarii arbitrio, pro modo delicti puniantur. Laici autem ejuſdem criminis convicti notentur infamia, mulctentur amiſſione ejus rei, aut quantitatis, piis uſibus applicandæ: imponantur eis etiam aliæ poenæ pecuniariæ, ut ordinario videbitur pro modo delicti, in eoſdem uſus convertendæ. Idque ultra reſtitutionem faciendam parti læſæ. Declaramus autem etiam notarios, qui uſuraria inſtrumenta conficiunt, iiſdem poenis teneri.

De Sacrilegis.

Si qui ſacrilegi comperti fuerint, poenis canonum ſubiiciantur.

II. Si qua alia epiſcopis corrigenda videbuntur, pro eorum prudentia corrigant, omneſque ſtudium ſuum conferant ad radices vitiorum, ita elidendas, ut denuo pullulare non poſſint.

De funeribus, & aliis quibuſdam ad mortuos pertinentibus.

Quod ad pompam funebrem attinet vetamus, ne prefinitum ullum pretium ſit pro viaticis, pro ſepultura, pro pulſatione majorum minorumve campanarum, pro diverſis Crucis inſignibus, pro cultricis mortuorum, pro panno quo feretrum cooperitur, ſimilibuſque rebus deferendis, aut agendis. Ita tamen; ut non tollamus honeſtam & probatam conſuetudinem, condito jam corpore, accipiendi aliquid pro exequiis, quod etiam coram ordinario ab iis ad quos pertinet peti poſſit.

II. Capſæ omnes muris eccleſiarum affixæ, ſeu alia mortuorum depoſita, aut cadaverum conditoria ſupra terram extantia, ornatumque, aut debitum uſum eccleſiæ vel cappellæ impedientia, & earum omnis generis apparatus, & ornatus profanus infra menſem a die publicationis præſentis ſynodi ſub excommunicationis poena tollantur; & oſſa mortuorum, ac cineres in ſacro loco ſubtus terram collocentur; itaut ſepulturæ lapides ſolo æquentur. Talia autem deinceps poni, & fieri omnino ordinarii non permittant.

III. Cum multis in locis Capuanæ provinciæ noſtræ extiterit, extetque hodie inveterata, & ſupra hominum memoriam conſuetudo, qua decedentibus ab inteſtato civibus, ſeu incolis, atque etiam peregrinis, quarundam eccleſiarum capitula, vel ipſarum canonici, ſeu alii, etiam in eccleſiaſtica dignitate conſtituti, an forſan epiſcopi eiſdem defunctis teſtamenta condebant, hæreditatiſque jacentis partem hæredibus ab inteſtato adſcribebant, nec non etiam partem aliquam eccleſiæ, vel pauperibus Chriſti, ſeu etiam ſibi ipſis relinquebant. Nullis vero eorundem ab inteſtato decedentium compertis hæredibus, de bonis ipſis omnibus arbitrio ſuo diſponebant. Nos cupientes hanc immemorabilem conſuetudinem, & de diſponendo de bonis hujuſmodi liberam facultatem, in melius quantum cum Deo poſſumus commutare; ſtatuimus, ne iis qui inteſtati decedunt, teſtamenta, aliæve exactiones adverſus hæredes, poſthac, a quoquam, prout hactenus factitatum eſt, fiant. Quod ſi peregrini fuerint, epiſcopus parentis vicem implens, eos mortuos ſeppellendos curet, eorumque bona omnia ex manibus cujuſcunque recuperare ſtudeat, & equos, aut alia animalia impenſam requirentia, ſi quæ reliquerint, vel bona alia, quæ ſervando, ſervari non poſſunt, facileque & brevi tempore conſumi poſſent, in pecuniam numeratam ſtatim per publicam venditio-

ANNO CHRISTI 569.

ditionem plus offerenti faciendam redigat, & apud fidas perſonas deponat, ſi & patriam ipſorum noverit, eorum hæredes perquirere ſtudeat, litteraſque ad epiſcopum ejus Civitatis, mortis & relictorum bonorum denuntiatorias mittat, ut ipſi peregrinantium hæredes de morte, & bonis relictis certiores faciat, nec niſi habita demum ipſius epiſcopi reſponſione, & non prius, de bonis eorum quicquam diſponat; & ſi hæredes reperti fuerint, bona fide eis reddi omnia jubeat; nullis vero compertis hæredibus, vel non habito reſponſo, aut ſi mortuus cujas fuerit ſciri nequiverit, factis prius publicis proclamationibus primo, ſecundo, & tertio, ut ſi quis hæres ſit, compareat, & ſe talem doceat, alioquin &c. Elapſo demum termino, & nemine comparente, expleto a die elapſi termini hujuſmodi, anno in peregrinis Italicis, & in transalpinis triennio, publico documento inventarii confecto, apud epiſcopalis curiæ Archivium conſervando, mortui bona in pios uſus per manus epiſcopi, & duorum ſeniorum ex capitulo diſtribuantur.

IV. Quod etiam in morte Civium nullis relictis hæredibus ab inteſtato decedentium, anno decurſo factis proclamationibus & aliis elapſis prædictis obſervari volumus, & mandamus.

V. In eos qui eccleſiæ ſtatuto ſalutari neglecto, & anno confeſſi non fuerint, & ſacram Euchariſtiam non ſumpſerint, ſi mori contigerit, procedatur ſervata forma conſtitutionis Innocentii tertii, quæ incipit: *Omnis utriuſque ſexus &c.* alia conſuetudine in contrarium non obſtante.

VI. Ninil exigat epiſcopus pro mortem alicujus canonici, vel presbyteri.

Et quoniam id ſolum ſupereſſe videtur in hac ſynodo Capuana, ut abſentes damnemus, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debebant, propterea admiſſa excuſatione per reverendiſſimum epiſcopum Iſſernienſem facta, habito etiam pro excuſato reverendiſſimo epiſcopo Aquinatenſe, reliquos omnes (ſi qui fuerint) contumaces declaramus, & uti tales, & pro talibus reputari mandamus & juxta formam canonum, ſervatis iis, quæ ſervanda ſunt, puniendos eſſe decernimus.

Poſtremo decernimus, & mandamus, ut epiſcopi omnes comprovinciales noſtri, teneantur infra tres menſes poſt publicationem præſentium conſtitutionum illas in ſuis dioeceſibus, publicare, obſervare, & obſervari facere, & mandare, omneſque alias conſtitutiones ſacrorum canonum, & ſacri concilii Tridentini totis viribus ſervent, atque inviolabiliter obſervari mandent, & faciant.

Hæc omnia ſupradicta decreta, ac nosmetipſos in omnibus, & per omnia, arbitrio, judicio, & correctioni SS. D. N. Pii papæ V. ſubjicimus.

ANNO CHRISTI 1573.

SYNODUS FLORENTINA PROVINCIALIS

PRÆSIDENTE

ANTONIO ALTOVITA

ARCHIEPISCOPO

Anno 1573. habita.

ANTONIUS ALTOVITA

Archiepiscopus Florentinus

Venerab. fratrib. & capitulo metropolitanæ ecclesiæ Florentinæ.

Ex edito Florentiæ an. 1574.

MAgnopere semper concupivimus, metropolitanam hanc Florentinam ecclesiam, ex que quamquam indigni ad eam & regendam & gubernandam summa Dei Opt. Max. ut existimamus, voluntate asciti sumus, quasi vitem fœcundissimam, ramos jucundissimis fructibus onustos in agrum domini late profundere, eamque perinde ut cupressum in cælum tolli. Quare nos quidem ipsius excolendæ, & juvandæ desiderio flagrantes, postquam multos labores atque incommoda perpessi sumus, magnosque sumptus fecimus, ut muneri nostro satis aliqua ex parte factum esset, aliquando tandem sanctam synodum provincialem coegimus, quemadmodum & a sacrosancto generali concilio Tridentino rite nobis imperatum. idque egimus, ut quod constabilitum & in reliquis sacris conciliis tum generalibus tum provincialibus, quæ majores nostri partim domi, partim foris celebrarunt, & in hanc regiam urbem Dei Opt. Max. gratia, & catholicam & piam coacta viderunt, in hac quoque synodo firmius corroboretur sic, ut altissimis defixum radicibus labefactari præterea non possit. Ut si forte populus atque adeo clerus vel suapte malitia, vel sathanæ impulsu, se se a vero cultu sacrorumque canonum disciplina longe abduxerit, in viam redeat, qua qui ingrediuntur, ad perfectam atque absolutam beatitudinem perveniunt. Atque hoc ipsum quod dicimus actum est, & assidentibus, & re & consilio juvantibus fratribus nostris comprovincialibus reverendissimis episcopis; nec non vobis & præsentibus, & opem & auxilium ad rem totam conficiendam afferentibus. Itaque vos quantum quidem possumus, & oramus & obtestamur, ut operam detis, ut quicquid Deo Opt. Max. adjuvante a nobis constitutum est, id vos omni studio & sollicitudine tum a vobis ipsis, tum ab ipso grege, qui fidei nostræ commissus & mandatus est, agendum curetis. Et quoniam incredibilem vestrum omnium prudentiam perspectam habemus, incredibili nostra cum lætitia atque animi voluptate in eo observando constantes, ut speramus & assiduos spectabimus. Quod ut eveniat, omnium bonorum auctor & princeps Deus ad vestrum ceterorumque omnium salutem nobis permittat. Valete.

Datum Florentiæ, idibus decembris MDLXXIII.

DECRETUM

De inchoanda synodo.

REverendissimi patres, placet ne vobis, ut hodie ad laudem, & gloriam sanctæ, & individuæ Trinitatis, patris, & Filii, & Spiritus sancti, ad juvandam & augendam christianæ religionis disciplinam, pro abusibus tollendis, reformandis moribus, corrigendis excessibus, aliisque ex sacris canonibus permissis statuendis, provinciale Florentinum concilium incipiat, & incoeptum fit?

Responderunt. Placet.

De non præjudicando.

Cum maxime deceat omnia ordine, & ratione fieri, aliorum sacrorum conciliorum, & præsertim Tridentini vestigiis inhærendo, hæc sacra synodus in primis statuit, & decrevit, ut qui prior ad episcopalem dignitatem vocatus existit, priori loco sedere, & aliis præcedere debeat. Expresse declarans, quod nulli ob id fiat præjudicium, nullique novum jus acquiratur.

ANNO CHRISTI 1573.

RUB. I.

De professione Fidei.

CAP. I.

Ponitur formula professionis fidei.

PRincipio ponit professionem fidei, tamquam fundamentum, contra quod portæ inferi non prævalebunt, juxta præscriptam formam Pii Quarti, videlicet.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem Cæli & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum; Et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificantem; qui ex patre Filioque procedit. Qui cum patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam, & apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum; & vitam venturi sæculi. Amen.

CAP. II.

Sacram scripturam juxta interpretationem sanctæ matris ecclesiæ esse intelligendam, & apostolicas traditiones acceptandas.

Apostolicas & ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime admittimus, & amplectimur. Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum, admittimus; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum patrum accipiemus, & interpretabimur.

CAP. III.

Septem esse sacramenta novæ legis, & ea gratiam conferre, quorum tria irreiterabilia; quatuor vero minime.

Profitemur quoque septem esse vere, & proprie sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria: sanctum baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, & extremam unctionem, ordinem, & matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his baptismum, confirmationem, & ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. IV.

Comprobantur ritus ecclesiæ in sacramentorum administratione, et admittuntur quæ de originali, et justificatione a sacrosancta Tridentina synodo definita fuere.

Receptos quoque, & approbatos ecclesiæ catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipimus & admittimus omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita, & declarata fuerunt, amplectimur, & recipimus.

CAP. V.

De conversione, & transubstantiatione panis, & vini, in corpus & sanguinem Christi, quod pro vivis mortuisque offertur.

Profitemur pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, et defunctis: atque in sanctissimo eucharistiæ sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima, et divinitate D. N. Jesu Christi; fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica ecclesia transubstantiationem appellat.

CAP. VI.

Sub altera tantum specie verum sacramentum sumi. Purgatorium esse, animasque ibidem detentas fidelium precibus adjuvari; honorandos, orandos et venerandos esse sanctos.

Fatemur etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter fatemur purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari: similiter et sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

CAP. VII.

Christi, beatæ Mariæ, cæterorumque imagines esse venerandas.

Firmiter asserimus imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem, et venerationem adhibendam.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. VIII.

Ex se patet.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia, relictam fuisse, iliarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmamus.

CAP. IX.

Romanam ecclesiam omnium aliarum matrem, summumque pontificem esse Petri successorem.

Sanctam catholicam, & apostolicam Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum, matrem, & magistram agnoscimus; Romanoque pontifici beati Petri apostolorum principis: successori, ac Jesu Christi vicario veram obedientiam spondemus, ac juramus.

CAP. X.

Comprobantur decreta Tridentini Concilii, & reprobantur contraria.

Cætera item omnia a sacris canonibus, & oecumenicis conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipimus, atque profitemur; simulque contraria omnia atque hæreses quascunque ab ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas; nos pariter damnamus, rejicimus, & anathematizamus.

CAP. XI.

Catholicam fidem semper tenendam, docendamque.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profitemur, & veraciter tenemus; eandem integram & immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a nostris subditis, vel illis quorum cura ad nos in nostro munere spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in nos erit curaturos; & ita spondemus, vovemus, ac juramus. Sic nos Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia.

CAP. XII.

Beneficia & dignitates obtinentes teneantur dictam fidem profiteri.

Eandem fidei professionem facere teneantur adsciti ad dignitates & canonicatus, nec non provisi etiam de beneficiis quibuscunque animarum curam habentibus, ad minus intra duos menses a die adeptæ possessionis in manibus episc. vel eo impedito coram ejus generali vicario, seu officiali; ita tamen ut dignitates, & canonici etiam in capitulo fidem profiteantur; alioquin omnes supradicti fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. Et nihilominus etiam poenis ab episcopis ad id omnino præstandum compelli possint; si vero culpa capituli id differri contigerit, capitulum pro modo culpæ legitime puniatur.

ANNO CHRISTI 157.

CAP. XIII.

Idem servare debent doctorandi, ac doctores legentes, magistrique puerorum.

Idem quoque servent, qui in posterum ad doctorales & magistrales gradus promovebuntur in ipso promotionis actu; promoti vero infra tempus ab episcopo statuendum; puerorum etiam pedagogi, & omnes illi, qui quocunque modo publice vel privatim in propriis aut alienis ædibus, & domiciliis pueros, seu quascunque ætate præditos litteras, aut quascunque alias liberales artes, seu illarum rudimenta docent, & profitentur.

CAP. XIV.

Norma professionis faciendæ.

Professio vero fidei juxta præscriptam formam semper fieri debet, adhibitis duobus, vel tribus testibus coram notario, qui eam in publicum instrumentum redigat, & in librum ad eum tantum usum comparatum, una cum professionis subscriptione referat; liber autem in archivio episcopali erit diligenter ad perpetuam memoriam adservandus.

RUB. II.

De libris prohibitis.

CAP. I.

Quod librorum prohibitorum index servetur.

QUantum utilitatis puræ, & catholicæ doctrinæ attulerit index librorum prohibitorum, facile omnibus perspectum esse potest; videndum igitur erit episcopis, ut regulæ in indice traditæ exquisite ab omnibus serventur.

CAP. II.

Sine episcopi licentia, vel inquisitoris non possunt imprimi libri, sub pœnis in decreto expressis; et impressi cum originalibus collati, et ab auctore subscripti in primis episcopo præsententur.

In quibus locis ars impressoria viget, nemo imprimere per se, vel per alium quidquam præsumat, quod episcopi, aut inquisitores accuratam discussionem, & probationem, quæ gratis dentur, non habuerit. Alioquin juxta novissimi Lateranensis, & Tridentini concilii decretum, libris amissis, et publice combustis anathemati subie-

jectus sit, et centum aureorum poena, pro dimidia fisco, & pro altera egenis monialibus applicata, puniantur; verum impressa non prius ex officina prodeant, aut exponantur venalia, quam cum propriis exemplaribus collata fuerint. Deinde auctor ipse offerat episcopo librum impressum, ut supra collatum, et manu propria subscriptum, qui perpetuo episcopali archivo custodiri debet.

CAP. III.

Qui libros prohibitos habuerint, quique sacris abutuntur verbis, puniuntur.

Qui libros quavis ratione prohibitos habuerint, sciant in poenas Bullæ in die Coenæ Domini incurrere: quique sacræ scripturæ verbis ad jocum, assentationem, contumeliam, superstitionem, aut alias profanas indignitates abutantur, iis & impjetatis, & temeritatis poenas debitas episcopo dabunt.

RUB. III.

De reliquiis Sanctorum.

CAPA I.

Sanctorum reliquiæ honestis locis, decentibusque serventur vasis, nec quæstus gratia ostendantur.

POpuli juxta catholicæ, & apostolicæ ecclesiæ usum de reliquiarum honore diligenter instruantur, atque illud episcopis curæ sit, ut honestissimis in locis, ac decentissimis vasculis serventur, populoque sola pietatis, non quæstus gratia, cum ea qua decet veneratione, & reverentia ostendantur; nec ita passim sine episcopi licentia e vasculis extrahantur: nam tantum ob devotionem, aut inspiciendæ, vel tangendæ proponi debent. Qui temere aliter fecerint, ab episcopis ipsis pro modo culpæ poena afficiantur.

RUB. IV.

De sacris Imaginibus.

CAP. I.

Quales debeant esse Imagines, in Ecclesiis pingendæ & retinendæ.

MAximam his calamitosis temporibus episcopi debent diligentiam adhibere in imaginibus habendis & retinendis; itaque prohibeant omnino, ne insolita aliqua, aut insolito modo pingatur, sculpatur, aut apponatur, præsertim in ecclesiis, aut aliis religiosis; piis, ac etiam publicis locis, nihilque in eis indecorum, obscoenum, profanumque habitu, vultu, ac tota effigie conspiciatur; quo fidelium mentes, aut oculi offendi possint: sed tales illæ sint, quibus spectandis pietas excitetur, quieque ab exemplari suo ex probata ab ecclesia consuetudine minime aberrent.

CAP. II.

Pictores, & sculptores sine expressa sui episcopi licentia imagines in ecclesiis, & aliis locis piis & publicis non ponunt; et episcoporum auctoritas circa factas.

Caveant etiam pictores, sculptores, ac quicunque artifices, & qui imagines sacras effingendas curabunt, ut sine expressa episcoporum licentia, in ecclesiis, aliisque piis locis ac etiam publicis eas nullo modo ponant; & si quæ hactenus positæ sunt, eas episcopi deleri, emendari, amoveri, vel mutari etiam ex officio quam primum jubeant, eorum sumptibus quorum interest, ac poenis contra contumaces imponendis.

CAP. III.

Sanctorum imagines, in locis immundis deleantur, & de eorum veneratione.

Atque ut verus cultus, honorque sacris imaginibus exhibeatur, prohibuit, ne imagines tam salutiferæ crucis, quam beatissimæ Virginis, & omnium Sanctorum, aut immundis, & contemptibilibus locis, sive in pavimentis post hac collocentur, & collocatæ deleantur; inobedientes autem poenas luant statuendas ab episcopis; qui etiam dabunt operam, ut serius doceatur populus nullam in illis divinitatem, aut virtutem inesse, unde colantur; nihil ab eis petendum, aut sperandum tamquam simulacris; sed venerationem ad quam per ipsa excitamur, & fiduciam ad veram imaginum referant prototypa. Ut dum eas osculamur, dum reverenter procumbimus, Christum dominum adoremus, ac sanctos ejus veneremur, quos effigies illæ repræsentant.

RUB. II.

De representationibus tollendis.

CAP. IV.

NUlli clerico sæculari, aut regulari, nec laico, aut quibusvis personis liceat in posterum Passionem D. N. Jesu Christi, sacras historias aut gesta sanctorum, ullo modo repræsentare, nisi de licentia episcopi in scriptis gratis obtempta; qui prout expedire judicaverit, efficiet, ut multa quæ in istis actionibus contra sanctorum patrum, & antiquam ecclesiæ consuetudinem introducta sunt, omnino tollantur.

RUB.

ANNO CHRISTI 1573.

RUB. VI.

De miraculis.

CAP. VI.

Quid in novorum miraculorum comprobatione faciendum.

EPiscopi in novis miraculis theologos, & alios pios ac peritos viros consulant; populorum concursus & acclamationes prohibeant, donec rei veritas legitime comprobetur; ne temere falsa pro veris, & incerta pro certis aliqua episcopi negligentia recipiantur; ita tamen ut populi devotioni quantum catholicæ fidei ratio patitur, provideatur; falsorum autem miraculorum auctoribus gravissimæ ab episcopis pœnæ irrogandæ erunt.

RUB. VII.

De magicis artibus, divinationibus, incantationibusque tollendis.

CAP. I.

Clericorum, nobilium sæcularium, mulierum magicam artem sectantium pœna.

MAgi, arioli, venefici, fortilegi, atque alii hujus generis satellites, ac ministri Sathanæ eo miserorum hominum mentes deduxerunt, ut relicto Deo suo Creatore, pro recuperanda valetudine, rebus deperditis, tempestatibus arcendis, atque aliis negotiis ad opem, & subsidium Dæmonum confugiant; qui cumque igitur sive verbis, sive notis, cantionibus, characteribus, ligaturis, aut alio quocumque modo, maleficam, fortilegam, veneficam artem profiteri, & colere repertus fuerit, si clericus etiam quacumque dignitate præditus, omnibus beneficiis privatus, quinquennio in vinculis conjiciatur. Relapsus autem tamquam incorrigibilis, & apostata, curiæ sæculari tradatur, legitimis suppliciis afficiendus. Si vero laicus, & nobilis fuerit, ducentorum aureorum pœna, pro dimidia Fisco, & altera egenis monialibus applicata, mulctetur; ignobilis autem turpitudine dehonestatus, vel ad triremes, aut ad carceres, aut in exilium relegetur. Mulieres illæ maleficæ, veneficæ, aut fortilegæ, quæ aliqui, aut membri debilitationem, aut insanabilem ægritudinem attulerint, pueroscque fascinaverint, aut aliquo modo diabolicæ illius artis suspectæ, vel diffamatæ fuerint, & turpitudinis, & carceris, & exilii pœna ab episcopis mulctentur.

CAP. II.

Pœna confugientium ad auxilium, et consilium ipsorum.

Confugientes vero pro quacumque occasione ad homines fortilegos, & maleficos, nec non qui confugiendi, aut eos consulendi auctores fuerint; ac præterea vanis, ac superstitiosis observationibus, & divinationibus deditos gravissime ab episcopo puniendos esse decrevit. Et omnes tam clerici quam laici alias etiam pœnas incurrant, tam a jure communi, quam a novissimo Lateranensi concilio sancitas.

CAP. III.

Pœna clericorum sine licentia ordinarii energumen. exorcis. adhibentium.

Nulli clerico sæculari, aut regulari liceat in imposterum energumenis exorcismum adhibere, nisi de licentia ordinarii in scriptis habita; & tunc cum summa reverentia, & devotione, & in ecclesiis, seu saltem coram pluribus honestis personis, hujusmodi religiosum opus perficiatur; transgressores autem carcere atque aliis ab episcopis animadversionibus puniantur.

RBU. VIII.

De Judæis.

CAP. I.

Judæi festivis diebus a negotiis abstineant, et ante resurrectionis Paschæ per triduum in eorum domibus relegentur.

INgentes Deo & sereniss. principibus nostris gratias habendas esse agnoscit hæc sacra synodus; quod eorum pietate ac religionis studio effectum sit, ut Judaica pravitas in commerciis, negotiis, ac omnibus aliis actionibus intra terminos ab ecclesia permissos coerceatur. Tamen pro suo munere, admonendos omnes fideles esse censuit de iis, quæ a sacris canonibus circa hujusmodi obstinatos Crucis Christi inimicos sunt præcipue interdicta. Judæis igitur non liceat diebus festivis ab ecclesia receptis mercari, aut quocunque modo negotiari, aut aliquid quidquam agere a sanctorum temporum veneratione alienum, extra septa loci eis ad habendum specialiter assignati; & præsertim triduo ante Pascha, adeo ut eo tempore neque ex propriis domibus exire possint, & inobedientes pecuniarias fisco applicandas, & carceris pœnas severissime ab episcopis plectantur.

CAP. II.

Christiani aliquod ministerium non impendant Judæis et eorum familiaritates effugiant.

Sed ne libera serviat ancillæ, ac in Judæorum abominationem expresse sancitum est, ut christiani nullo servitutis genere Judæis se addicant, non obstetricandi, lactandi, educandi, aut alicujus alterius ministerii eis opera præstent, sed & eorum medicis, & cibis uti, & esculenta, & poculenta ab eis emere, & tandem societa-

tates, conjunctiones, nimias familiaritates, cum eis habere omnino caveant; & qui non paruerint, in excommunicationem incidant præter poenas a sacris canonibus statutas.

ANNO CHRISTI 1573.

RUB. IX.

De hæreticis.

CAP. I.

Prohibentur tam publicæ, quam privatæ disputationes articulos fidei tangentes.

EPiscopi singulare, ac maximum studium in eo potissimum impendere debent, ne ipsis dormientibus inimicus homo prava hæresum semina, doctrinæque, ac morum corruptionem disseminare, aut interserere valeat. Idcirco rudium maxime ac præsertim suspectorum conventus, imperitorumque, atque idiotarum, de his quæ ad fidem spectant, tam publicas, quam privatas disceptationes, ac sermones, cæterasque hujusmodi periculosas occasiones prohibeant, ac penitus tollant.

CAP. II.

Inquiratur contra suspectos hæretic. pravit.

Sedulo præterea dent operam inquirendis hæreticis, aut eo nomine suspectis, ut inventos de suo ovili constanter exterminent; parati etiam, si opus fuerit, hac de caussa sanguinem animamque profundere. Quo Deo gratius, & ovibus suis salubrius in universo suo munere efficere nihil possunt.

RUB. X.

De blasphemia.

CAP. I.

Pœna contra blasphemantes, et executio constitutionis Pii V.

BLasphemiæ scelus adeo detestabile est, ut sacræ literæ abhorrentes nomen maledictionis, quo blasphemia exprimi solet, in benedictionis nomen aliquando convertant; ad obstruenda igitur blasphemantium ora poenarum, & suppliciorum terror adhibitus, & auctus est a fel. rec. Pii V. novissima constitutione. Quæ poenæ, & supplicia episcopi studio debent a parochis persæpe ad populi memoriam revocari. Idcoque omnibus notum sit, quod delinquentes, juxta tenorem dictæ constitutionis, pro modo culpæ, & personarum qualitate, sine aliqua remissione sunt omnino ab episcopis puniendi. Qui si in executione negligentes fuerint, sciant se in proximo provinciali concilio hujus negligentiæ rationem reddituros.

CAP. II.

Sæculares judices adhortantur contra hujusmodi severissime procedere, eorumque conversatio fugienda, et incorrigibilium nomina episcopo deferantur.

Magistratus quoque sæculares vehementer hortatur, ut contra blasphemos severissime procedant, ad hoc ut indulgentiam proximi Lateranensis concilii consequi possint; itemque omnes Christi fideles in Deum obsecrantur, ut non solum a blasphemorum familiaritate abstineant, sed etiam ut quos incorrigibiles repererint, eorum nomina ad episcopos deferant.

CAP. III.

Episcopi societatem nominis Dei instituant.

Atque ut nihil prorsus omittatur, quod ad exterminationem tam atrocis peccati conducere possit, episcopi in suis civitatibus, & dioecesibus societates nominis Dei (ubi non sunt) quam primum instituant, ea norma, regula, & indulgentiis propositis, quæ in bulla fel. rec. Pii Quarti continentur.

RUB. XI.

De festorum dierum cultu, & observatione.

CAP. I.

Festivi dies observentur, et tempore eorum celebrationis fileant comediæ, joculationes, et id generis alia.

FEstorum dierum cultus facile homines adducere potest ad reliqua legis præcepta servanda. Idcirco Episcopi magnam diligentiam adhibeant, ut sacri dies ecclesiæ præcepto, vel loci consuetudine observandi nullo modo in suis civitatibus, vel dioecesibus violentur; quinimmo ita populi instituantur, ut ecclesias frequentent, missæ celebrationi, ac divinis officiis reverenter intersint, totosque ad colendum Deum & verbis, & opere se transferant. Atque dum divina celebrantur circulatores, præstigiatores, comediæ, & alia hujus generis prohibentur, aut voce, aut instrumentis in publicis, vel quasi publicis locis canere, seu saltationes, ludos, choteas, & alia nugarum irritamenta exercere, sub poenis episcoporum arbitrio imponendis, quæ in pauperum usus erogentur.

CAP. II.

Rustici, et omnes a negociis, et mercibus, ac consiliis ineundis, abstineant.

Omnes vero a quibuscunque illicitis, & ser-

ANNO CHRISTI 1573.

servilibus operibus, judiciorum agitationibus, emptoriis, nundinis, aliisque mercatoriis conventibus exercendis quocunque nomine nuncupentur, abstineant; & maxime rustici, qui in hoc sæpe delinquunt, nisi belli, aut imminentis alicujus periculi causa: convocationes etiam, quæ consilia vocant, si necessitas urget, post vesperas tantum, dummodo non in ecclesiis, fieri permittantur, sed & esculenta, & poculenta venundari possunt, si tamen in ecclesiarum atriis id non fiat.

SESSIO SECUNDA.

Celebrata die VIII. Aprilis MDLXXIII.

RUB. XII.

De sacrosanctis ecclesiis.

CAP. I.

Prohibentur deambulationes, nugæ, et negotiationes in ecclesia.

QUando ecclesias, quæ sunt orationi tantum destinatæ, cultu, & honore fideles non reverentur; consequens est, ut veniens Salvator noster iratus, & flagellis, & funiculis, e domo Patris sui ejiciat; & propterea nemini liceat, dum sacra fiunt, ac divina celebrantur, sive prædicatur verbum Dei, in ecclesiis deambulare, vociferari, nugari, negotiari, aut aliquid irreverenter agere, neque eo tempore capitula cathedralium, aut collegiatarum ecclesiarum congregare.

CAP. II.

Ne judiciales actus, colloquia cum suspectis mulieribus, nec commessationes fiant, nec hastata arma, & id generis alia deferantur in ecclesia.

Caveant etiam omnes ne ita stent in ecclesiis, aut adversi sedeant, ut reverentiæ, quæ sacrosanctæ eucharistiæ sacramento debetur, aliqua injuria fiat. Non judicia exerceantur, non cum mulieribus suspectis colloquia habeantur, non commessationes, aut comportationes fiant, nihil in porticibus, atriis, vel vestibulis aliquid venale, etiam ad usum sacrificii, vel ecclesiæ exponatur; balistæ, sclopeta, aut hastata arma in ecclesiis non deferantur.

CAP. III.

Mendici in ecclesiis non possint petere eleemosynas, dum divina celebrantur, præter monialium agentes, et hoc post communionem Sacerdotis.

Illud quoque prohibetur expresse, ne in ecclesiis quibuscunque etiam regularium, pauperes, aut mendici, ad petendas eleemosynas per ecclesiam vagentur, inter Missarum solemnia, aut dum divina celebrantur, exceptis illis inopum monialium, & aliorum piorum locorum ministris, qui capsulas circunferunt; eisque non aliter permissum sit, nisi de licentia episcopi, & post. quam sacerdos in missa communicaverit, eleemosinas petere; & qui omnibus in ecclesiarum honorem supra statutis non paruerint, cujuscunque qualitatis, & dignitatis, etiam regulares præter poenas in bulla fel. rec. Pii Quinti sancitas, pro modo culpæ, ab episcopis gravissime puniantur.

RUB. XIII.

De immunitatibus ecclesiarum.

CAP. I.

Confidit per serenissimos principes tuendam esse libertatem ecclesiæ.

TRidentini concilii hortationes, quibus universis christianis omnibus populorum dominis ecclesiarum defensionem, ac immunitates enixe commendat, quam alte in serenissimorum principum Etruriæ mente fixæ sint, quotidiana catholicæ fidei propugnatio, ac erga ecclesiasticos viros, ac loca pia, & religiosa veneratio, ac beneficentia locupletissime testantur. Quare dubitandum nullo pacto videtur; quin sibi ipsi constantissime [ut semper fecerunt] curaturi sint, ut debitus Deo cultus, ac ministris, & mysteriorum ejus dispensatoribus, legitimus honor exhibeatur; nec permissuri, ut officiales, magistratus, aliive eorum administrationi constituti ecclesiasticam jurisdictionem, & libertatem divinis, & humanis legibus sancitam ulla ex parte violent impune, utpote qui obsequentissimi ecclesiæ filii, summorumque pontificum, ac omnium pontificum, ac omnium pontificiarum constitutionum, ac decretorum conciliarium observantissimi semper fuerunt.

CAP. II.

Prohibet ne in locis vicinis monasteriis, & ecclesiis habitent mulieres inhonestæ, & ne tabernæ, & balnea aperiantur.

Atque, ut jam Florentinis municipalibus legibus laudabiliter statutum est, ut religiosarum domorum ratio maxime habeatur, præsertim in quibus Deo dicatæ virgines perpetuo habitant: eodem modo interdicitur, ne feminæ publicæ inhoneste viventes, nec ducentis cubitis prope monasteria monialium, nec centum prope ostia, aut ingressus ecclesiarum domicilium habeant. Quod si intra ea spatia ipsæ habitaverint, aureis quindecim fisco mulctentur; eamdemque poenam subeant, quicumque sine episcopi licentia cauponarias, tabernas, aut thermas, sive balnea in eodem ambitu habuerint, quique ad eos usus domos, aut habitacula posuerint.

CAP.

CAP. III.

Declarantur quæ loca extra ecclesiam sint immunia.

Et si jure unicuique ecclesiæ id immunitatis concessum videatur, ut confugientibus ad eas per triginta passuum circuitum securitatem præstet; quia tamen propter locorum angustiam, aut ecclesiarum frequentiam Florentiæ totam fere immunitas civitatem occuparet, unde & justitiæ vinculum nimis dissolveretur; declarandum visum est, ea tantum loca circa ecclesias immunia esse, quæ notabili aliquo signo, a publicis viis cæterisque profanis locis in prædicta civitate Florentiæ distinguuntur; in reliquis autem locis extra civitatem juris communis privilegia remaneant.

CAP. IV.

Cessantes sint securi in locis religiosis a captura, sed non clerici.

Fugitivi vero, qui Florentiæ, jure municipali, cessantes nominantur, in ecclesiis, aut religiosis procul dubio protegi debent a captura, qua quidem immunitate minime frui possint ii in domibus, in quibus debitores ipsi, vel alii non servientes ecclesiæ, sive mercede, seu gratis inhabitant; sciant tamen clerici quod intra domum ecclesiæ, & locos ei adjacentes nullo modo se prædicta libertate, & immunitate tueri possunt; quominus in omnibus episcopi judicio, & executioni contra eos commissæ subjaceant.

RUB. XIV.

De ecclesiis reparandis, aut uniendis.

CAP. I.

Uniones ex necessitate etiam invitis dominis fieri de parochialibus, nisi patroni, vel alii ecclesiarum indemnitati provideant.

PArochiales ecclesiæ, quæ ita tenuis redditus sunt, ut necessario pro ædificiis tuendis, alendo rectore, ac aliis cultui divino opportunis sumptus non sufficiat, nec aliter tali incommodo provideri potest, episcopi habita vicinitatis, ac frequentiæ parochianorum ratione, servataque concilii Tridentini decretis præscripta forma, aliis uniant parochialibus. Quod si jus patronatus, aut præsentandi in eis habentes contradixerint; & ad episcopi mandatum supradictis necessitatibus congrue consulere voluerint, audiantur; sin autem aut recusaverint, aut contempserint, episcopi ipsis patronis etiam invitis dictas uniones facere nullo pacto differant. Nisi alii sint, qui religione aut pietate ducti propriis bonis velint, & ecclesiæ ruinas sarcire, & redditus ita augere, ut rectoris substentationi, ac aliis necessariis sumptibus satis sit, servatis solemnitatibus, ac vocatis vocandis.

Et hi juris patronatus, aut præsentandi partem pro rata in perpetuum acquirant, facta justa omnium ecclesiæ bonorum æstimatione eorum, quæ ipsi in dotem, & instaurationem contulerint; reliqua parte in quolibet prædictorum casuum reservata pristinis patronis, qui ter ab episcopo moniti instaurare, ac dotem supplere ipsi neglexerint.

CAP. II.

Dirutis ecclesiis provideatur, & quomodo.

Ecclesias non curatas ferme collapsas episcopi instaurandas curent, aut oratoria ibidem erigendo, vel si id non videbitur expedire, in alias transferant ecclesias, ubi sub titulis sanctorum, seu sanctarum, quibus antea ecclesiæ dicatæ erant, altaria construantur, & pro reddituum quantitate divinus ibi cultus instituatur, ita tamen, ut in area dirutæ ecclesiæ signum crucis erectum semper appareat.

CAP. III.

Unionum literas ab annis quadraginta, episcopi videant, & judicent.

Qui beneficia tenent, non ante annos XL. unita, infra tempus ab episcopo præscribendum, unionum literas ordinariis exhibeant, qui re cognita decernent, quæ per surreptionem, vel obreptionem impetratæ, & obtentæ irritæ sint habendæ, ut dicti Tridentini concilii decretis statuitur: quorum etiam poenæ innovantur.

RUB. XV.

De ecclesia cathedrali vacante.

CAP. I.

Ecclesia cathedrali vacante, quid sit exequendum.

CUm primum aliquam cathedralem ecclesiam Deo disponente vacare contigerit, pastoris defuncti exequiæ ea qua decet pietate per totam dioecesim celebrantur, & assidue publicæ, & privatæ supplicationes fiant, in quibus universus clerus humiliter, ac religiosissime a Deo petat orbato gregi pastorem, qui ad tanti ministerii munus idoneus & aptus esse possit.

CAP. I.

Mortuo episcopo a capitulo constituantur vicarius, & œconomi.

Post obitum vero episcopi capitulum infra octo dies vicarium constituat, vel existentem confirmet, qui sit doctor, vel licentiatus in jure canonico, vel alias quantum fieri poterit idoneus; atque item ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, capitulum unum, vel plures œconomos decernat, qui rerum temporalium curam gerant, & episcopo futuro rationem reddant; quod item facere teneatur vicarius, officialis, & alius quilibet administrator;

ANNO CHRISTI 1573.

tor. qui sede vacante, a capitulo, vel ab aliis constituti fuerint; quod si capitulum in præmissis negligens fuerit, ad metropolitanum, si comprovincialis ecclesia fuerit; & si ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc ad antiquiorem episcopum ex suffraganeis in metropolitana, & propinquiorem episcopum in exempta hujusmodi deputatio devolvatur.

RUB. XVI.

CAP. I.

Forma præscribenda inquisitionis de episcopo promovendo.

Qualitates episcopi promovendi, & forma servanda in examine, & aliis requisitis.

QUi aliis præest, ea vitæ, morum, & scientiæ excellentia fulgere debet, ut merito a sancta Tridentina synodo præcipiatur, & exactissimam de qualitatibus præficiendorum cathedralibus ecclesiis inquisitionem esse faciendam, & ejus inquisitionis formam in concilio provinciali esse præscribendam; iccirco hæc sacra synodus infrascriptam examinis formulam a sanctissimo D. N. comprobandam proponit, videlicet.

An legitimis natalibus, & ex catholicis parentibus ortus.

Quibus in locis, & quomodo fuerit educatus.

An triginta annis major sit.

Quæ conversatio vitæ, & fama ejus a pluribus annis fuerit.

An sit criminosus, bigamus, vel apostata.

An publicam pœnitentiam egerit.

An sanæ mentis, & domui suæ bene præpositus.

Item quam modestiam, prudentiam, sobrietatem, continentiam, & alias virtutes in actionibus suis ostenderit.

Deinde a quo tempore sacris ordinibus sit initiatus, & an in eis per sex menses saltem antea sit constitutus.

An sit in universitate studiorum magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel jure canonico merito promotus, aut publico Academiæ testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur; eique declarandus, vel locus unus ex novo vel veteri Testamento, aut ex sententiis Theologicis, ex decretalibus, aut decreto proponatur, ita ut propositiones etiam disputando tam in theologia, quam in jure canonico tueatur; absoluto vero hoc examine ab eo, cui a sanctissimo D.N. hoc onus demandatum fuerit, & probatis omnibus suprascriptis, per quinque saltem testes omni exceptione majores, publicum fiat instrumentum, quod una cum ipsius promovendi fidei professione ad summum pontificem obsignatum quam primum fideliter transmittatur.

RUB. XVII.

CAP. I.

De dignitatibus, & canonicis.

Quales esse debeant canonici assumendi.

EPiscopi summopere studeant, ut ad quarumcumque ecclesiarum dignitates, & canonicatus ii adsumantur, qui & ipsis operæ, & officiis præsto sint, & morum integritate, doctrina, & vitæ exemplo efficiant, ut merito eorum cœtus ecclesiarum senatus dici possit.

CAP. II.

Quæ sint partes, & officia canonicorum.

In dignitatibus aut canonicatibus constiti, cæterique ecclesiarum servituti addicti, statis horis attente divinis adsint officiis; non tunc vagentur per ecclesiam, neve a choro discedant, nisi precibus absolutis, aut aliqua compulsi necessitate; in choro propriis quique sellis consideant, concordi voce, & corde psallant; simul omnes debitis opportunitatibus adsurgant, sedeant, genua flectant, capita detegant, & nihil alienum divinis misceant, privatum officium non recitent; literas non legant, non obstrepant, non colloquantur: si vero aliqui in his offenderint, quas percepturi essent, distributionibus careant; aliterque pro culpæ gravitate corripiantur.

CAP. III.

Ut habentes etiam solam præbendam, eisdem curis, & officiis sint obstricti, & ultra tres menses non absint sub pœna.

Omnes dignitates, & canonici tam cathedralium quam collegiatarum, teneantur omnino secundum ecclesiæ consuetudinem in suis ecclesiis deservire. Quod decretum etiam illos comprehendat, qui præbendam tantum habent, adeo ut putent se ad hoc servitium minime obligatos esse: hoc expresse declarans, quod non liceat vigore cujuscumque privilegii, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse; alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; crescente vero contumacia, episcopi contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedant.

CAP. IV.

Eorum habitus sit conformis.

In choro autem omnes dignitates, & canonici tam cathedralium, quam collegiatarum conforment se in habitu, in processioni-

sionibus, funeralibus, omnibusque aliis ecclesiasticis functionibus, nisi aliquis proprium habitum prætendat, quod intra tres menses episcopo probare debeat. Contrafacientes vero distributionibus careant illius diei, ac etiam arbitrio episcopi puniantur.

CAP. V.

Ad episcopum una cum duobus e capitulo spectant ordinationes, & reparationes chori, & aliorum id generis.

Reliqua hic non memorata, quæ ad divini cultus institutionem, aut reparationem, ad chori legem, & ordinem, aliorumque ministrorum conformationem pertinent, episcopi duobus e capitulo in consilium vocatis, ut præcipit eadem Tridentina synodus, pro ecclesiarum conditione adimplere studeant.

RUB. XVIII.

De celebratione Missarum.

IN sacrosancto Missæ sacrificio juxta sacri concilii Tridentini præscriptum diligenter episcopi infrascripta servanda, & cavenda curabunt.

CAP. I.

Quæ sint servanda in sacrificio Missæ, & quod quicumque sacris initiati, seu simplex beneficium obtinentes juxta modum Roma. Brev. divinum officium recitent.

Omnes hujus provinciæ sacerdotes, etiam regulares, qui Romano missali utuntur, in omnibus in dicti missalis formula præscriptis ceremoniis, ac ritibus omnino, & ad unguem conveniant, officium etiam divinum juxta modum breviarii Romani recitetur, & quicumque sacris initiati, aut beneficium etiam simplex obtinentes horarias preces prætermiserint, his poenis puniantur, quæ in Lateranensi concilio, & in bulla fel. rec. Pii, Papæ V. sancitæ sunt.

CAP. II.

Peregrinos clericos, & diversæ dioecesis, non posse sacrificium missæ celebrare, nisi sint testimonialibus litteris muniti.

Presbyteris alienæ dioecesis nullo modo missæ celebrandæ in suis ecclesiis licentiam episcopus concedat, nisi proprii ordinarii testimoniales litteras habeant, adeo recentes, quibus pro locorum, unde advenerint, distantia fides adhiberi possit. Quod si vetustate suspicionem parerent, illique asserant, aliis se in locis commoratos; non antea ad celebrandum admittant, quam illorum locorum quo diverterunt testimonio, eorum mores, ac vita probata fuerint.

CAP. III.

Quid agendum sit sacerdoti ante celebrationem.

Sacerdotes antequam accedant ad altare, missam accurate prævideant, hujus sacræ synodi auctoritate XL. dierum indulgentiam, quam illa modo concedit, consecuturi: monentur præterea in Domino, ut studeant quæ lecturi sunt, præsertim omnem canonis rationem plene intelligere, quæ ignorare eorum est officio maxime indignum.

CAP. IV.

Celebraturi, & induti aliquem non adloquantur, nec birretum in altari teneant.

Sacris porro vestibus induti neminem ipsi adloquantur, aut audiant adloquentem; mentemque & oculos, quam fieri poterit, avertant ab his, quæ ad aliena distrahere possint: nullum capitis, aut alterius membri tegumentum, aliudve id generis in altari locent, neque ab offertorio, usque quo oblationem sumpserint, etiam sub irreto tegantur, atque de altari nihil amoveatur nisi tota missa completa; quod ut diligentissime fiat, episcopi operam dabunt.

CAP. V.

Consueto, & congruo tempore missa celebranda, nullius privati habito respectu.

Omnibus etiam sacerdotibus præcipitur, ut nullius privati caussa horam missæ popularibus suis accommodam, aut anticipent, aut differant. Neque in ea, aut conciones, aut alia quæ diei officium aut festi celebritas exposcat, prætermittant: nec missam inchoatam adveniente aliquo repetant, nec ad altare expectent, aut alia ratione contra rei sacræ decorum, aut populi utilitatem alicui obsequium præstent. Quod si quis ante ter monitus ad aliquid prædictorum minis aut metu adegerit, siquidem clericus, beneficium obtinens, eo ipso illo privatus existat; non habens, ad obtinendum inhabilis reddatur; si vero laicus fuerit excommunicetur, atque ecclesiastici feudi, ac emphiteusis incapax sit; sacerdos autem sponte hujus decreti violator pro culpæ gravitate ab episcopo puniatur.

CAP. VI.

In societatibus sæcularium non celebretur missa diebus festivis, antequam parochus suam absolverit sub poena.

Prohibetur quoque ut dominicis, & festivis diebus in confraternitatibus, & societatibus laicorum quocumque nomine nuncupatis missæ celebrentur, antequam parochus in sua ecclesia, in cujus parochia illa

ANNO CHRISTI 1573.

illa ſocietas ſita eſt, miſſam abſolverit; alioquin gubernatores, ſyndici, & alii dictorum locorum miniſtri, ſi correcti non paruerint; & poenis, & cenſuris ad obediendum omnino cogantur. Et ſacerdotes etiam, tam ſæculares, quam regulares per duos menſes a divinis ſuſpenſionem incurrant, quoties eo tempore in dictis locis celebraverint.

CAP. VII.

Nec ante auroram, nec poſt meridiem, nec bis in die celebretur ſub poena.

Miſſa ante auroram, nec poſt meridiem, niſi ex legitima cauſſa, jure expreſſa, prohibetur. Et ſacerdos qui contrafecerit, & qui bis in die celebraverit, a miniſterio altaris per biennium ſuſpenſus eſſe intelligatur, & gravi etiam ab epiſcopo animadverſione afficiatur.

CAP. VIII.

Anniverſaria in ruſticanis eccleſiis quibuſdam anni temporibus ne fiant.

Anniverſaria defunctorum officia in ruſticanis eccleſiis nullo modo fiant, a die dominicæ paſſionis, uſque ad completam octavam reſurrectionis: nec parochi propterea ovium ſuarum eo tempore neceſſariam curam deſerant, tranſgreſſoreſque, ordinarii judicio poenas luant. Conventualis autem miſſa, quæ populi dicitur, & officio conformis, in cathedralibus, & collegiatis eccleſiis nullo umquam tempore prætermittatur.

CAP. IX.

Parochi diebus feſtivis proprias oves ne deſerant, nec ann. vel voti. miſſas dicant.

Epiſcopi vetent, ne parochi dominicis, aut aliis feſtivis diebus ad alienas eccleſias quocunque prætextu convolantes, miſſis populares ſuos defraudent; quin etiam his diebus anniverſarias, aut votivas miſſas celebrare caveant. Quare ita hæc diſponant, ut parochianorum & eccleſiarum ſimul ratio habeatur, poenis quæ ſibi videbuntur impoſitis.

CAP. X.

Altaria indotata dotentur, & curentur, & ponitur forma altaris portatilis.

Altaria, quibus eſt dos conſtituta, cogantur eorum rectores recte curare, & quæ dote carent, ante a conſtructoribus, ſeu eorum ſucceſſoribus, pro dignitate inſtaurentur, exornentur, aut amoveantur. Portatile vero altare ea latitudine, & longitudine habeatur, ut calicem, & hoſtiam ſuperpoſitam, commode, ac ſine periculo capere poſſit, ac triplici, ut debet, velamine contegatur, ejuſque forma ab epiſcopis pro vaſis in eo locandi, magnitudine præſcribatur, & non parentes, eorum arbitratu mulctentur.

CAP. XI.

Prohibentur mercedes & munera in miſſis novis, ac præcipitur examinatio ab epiſcopo de futuro ſacerdote.

Tridentinæ ſynodi auctoritate prohibeant epiſcopi quoſcunque etiam exemptos a quibuſcumque mercedum conditionibus, pactis, acceptationibus munerum in novis miſſis, & earum, quæ publicæ oblationes dicuntur, nec non ab omnibus importunis & illiberalibus exactionibus potius quam poſtulationibus, aliiſque ejuſmodi, quæ a ſymoniæ labe, vel certe turpi quæſtu non longe abſunt. Nullus etiam ad novæ miſſæ celebrationem admittatur, niſi prius fuerit ab iis, quos epiſcopus deſignaverit, examinatus; qui autem in iis deliquerint, per ſex menſes ipſo jure ab altaris miniſterio ſint ſuſpenſi, & epiſcopi arbitrio puniantur.

CAP. XII.

Puniantur qui in privatis locis celebrant.

Quam poenam etiam incurrat ſacerdos, qui in privatis ædibus, aut alio in loco, præterquam in eccleſiis, aut oratoriis divino cultu dedicatis, ac ab epiſcopo deſignatis ſeu viſitatis, miſſam audeat celebrare.

RUB. XIX.

De prædicatione verbi Dei.

CAP. I.

Admonet epiſcopos ad prædicationis munus vel ad eligendos idoneos viros ipſis impeditis, & parochi ſingulis feſtivitatibus, & in quadrag. & advent. prædicent; aliàs eorum impenſis alius ſatisfaciat.

QUoniam prædicandi munus ab apoſtolo omnibus paſtoralibus muniis longe præfertur, ſynodus epiſcopos etiam per viſcera D. N. hortatur, ut in hanc curam toto animo incumbant, atque ipſi oves ſuas verbi divini prædicatione paſcere non prætermittant; quod ſi legitime impediti fuerint, idoneos viros eligant, qui hoc munus diligentiſſime præſtent: idem etiam fieri curent a parochis omnibus dominicis & ſolemnibus diebus; tempore autem jejuniorum, quadrageſimæ, & adventus Domini quotidie, vel ſaltem iis diebus, quibus epiſcopi ipſi expedire judicaverint; parochis vero impeditis, per alios impenſis eorum, qui eas præſtare tenentur, vel ſolent, deputandos in civitate, aut quacumque parte dioeceſis, prædicandi munus expleri epiſcopi curent. Illud tamen ſemper parochi ſibi propoſitum habeant, quod oves ſibi ad paſcendum commiſſæ magis paſtoris ſimplicitate, & caritate, quam aliorum altiori, & exquiſitiori doctrina inſtrui, & erudiri poterunt. CAP.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. II.

Idem ſtatuitur contra, exemptos, parochiales obtinentes.

In parochialibus quoque ab epiſcopi juriſdictione quavis ratione exemptis, aut alicui monaſterio, congregationi aut hoſpitali etiam extra dioeceſim exiſtenti, annexis, vel unitis, modo re ipſa in dioeceſi ſint, per cenſuras eccleſiaſticas, & alias eorum arbitrio poenas, ac etiam omnia remedia a ſacroſancto concilio Tridentino ſtatuta epiſcopi provideant, ut ſupradictis temporibus fidelis populus pabulo cæleſtis doctrinæ, & verbo vitæ nutriatur per prædicatores ab epiſcopis ipſis eorum impenſis, qui dictarum eccleſiarum fructus percipiunt, deputandos.

CAP. III.

Quod regulares abſque epiſcopi benedictione non prædicent etiam in propria eccleſia, & interdicitur prædicatio regularibus extra clauſtrum morantibus.

Meminerint regulares, quod, niſi ad petendam benedictionem coram epiſcopis ſe prius perſonaliter præſentaverint, nullo modo in eccleſiis propriis ſuorum ordinum, & præſertim contradicente epiſcopo prædicare poſſint; in aliis autem eccleſiis epiſcopi licentiam in ſcriptis, quæ gratis detur, habere debeant, & qui contra fecerit, per ſex menſes ſit ipſo facto ſuſpenſus, & creſcente contumacia, etiam excommunicatione feriatur: regularibus autem extra clauſtra, & obedientiam religionum ſuarum viventibus, prædicatio interdicatur, etiam quorumlibet privilegiorum prætextu; donec ſuper ea re ſancta ſedes apoſtolica conſulatur.

CAP. IV.

Quale ſit officium prædicatoris, & a quibus ſe abſtinere debeat.

Quicumque autem hoc prædicandi officio funguntur, ab omni interpretatione, quæ puro, & vero ſenſui ſacræ ſcripturæ ab eccleſia catholica recepto non conveniat, aut a ſanctis patribus, & doctoribus probatis diſcrepet, prorſus abſtineant; ſed omnem ſcripturam ad geminam Dei, & proximi exigant caritatem; cum ſumma finis, ac plenitudo legis, ac ſcripturæ ſit dilectio. Exempla, & hiſtorias ex apocryphis ſcripturis ineptas, ac ridiculas fabulas, profana inſuper, & vaniloquia, futilem, & inanem loquacitatem, quæ ratiocinationibus humanis falſam ſcientiæ opinionem quærunt, maxime fugiant: unicus autem prædicationis ſcopus ſit, ut Chriſtum prædicent, & hunc crucifixum; qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum: ad quæ omnia maximam vim habere, ipſis perſuaſum ſit, ſi vitia, & virtutes; præmia & poenæ populis proponantur.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. V.

Prohibetur omnis prædicatio nocturna.

Et tandem, ut hoc miniſterium ad ſalutem animarum inſtitutum, ab omni irreverentia alienum ſit, ſtatuit ut verbum Dei quocumque anni tempore diurnis tantum horis, & paſſio D. N. Jeſu Chriſti luceſcente die, non autem noctu per prædicatores prædicetur; atque eo tempore id maxime ſervetur, ut nihil fiat, aut dicatur, etiam ad provocandas lacrymas, quod a Chriſtiana diſciplina aliquo modo abhorreat.

RUB. XX.

De præbenda theologali.

CAP. I.

Quod ſacra theologia publice profiteatur, & legatur, & aſſignetur merces.

NIhil minus negligere oportet epiſcopos, quam executionem decreti ſacri concilii Tridentini de lectore ſacræ theologiæ. Quidquid eſt in unaquaque eccleſia cathedrali, vel oppidi inſigni collegiata, quam primum conſtituatur, cum aſſignatione liberæ præbendæ primo vacaturæ, aut, ubi nulla fuerit, aliqua mercede, aut alia ratione; quæ epiſcopi judicio magis eccleſiæ ſtatui convenire poterit: & ut pium hoc, & tam fructuoſum opus, nullo modo inane relinquatur; ſi ſæculares clerici non reperiantur ad hoc munus idonei; regulares adhibeantur: lectio autem habeatur tempore ab epiſcopo ſtatuendo, & in iis tractandis potiſſimum verſetur, quæ magis pro loci, & perſonarum qualitate opportuna eſſe idem epiſcopus judicaverit: & clerici cujuſcumque gradus non ſolum in audiendo aſſidui ſint, ſed etiam ad eam ſcientiam, quæ maxime in eis requiritur, multum ſe profeciſſe in dies probare valeant.

RUB. XXI.

De initiis fidei a parocho tradendis.

CAP. Unic.

Initia fidei pueros docenda.

SIngulis dominicis, & feſtivis diebus ſtatuta hora, & proprio campanæ ſono, parochi pueros omnes ad eccleſiam convocent, ubi initia fidei eos doceant, & ad obedientiam primum Deo, deinde parentibus præſtandam, atque etiam ad ea omnia, quæ ad chriſtianam religionem pertinent, accurate inſtituant. Hortatur autem parentes, ut idem ipſi domi faciant; atque.

ANNO CHRISTI 1573.

atque etiam curent, ut filii hanc tam salutarem disciplinam negligere non possint.

RUB. XXII.

De seminario.

CAP. I.

Quod erectio seminarii juxta concilii decreta exequatur, & quod infra sex menses instituatur ex fructibus mensæ episcopalis, ac aliorum locorum etiam exemptorum, & quod constituantur taxæ.

ERectio seminarii clericorum tam accurate, & multis verbis est a sancto Tridentino concilio pertractata, ut facile omnes intelligant, quanta in hac re, & cura, & opera episcoporum requiratur. Iccirco eos in Domino hæc synodus hortatur, & monet, ut hoc tam pium, & necessarium opus executioni demandare nullo pacto differant: & ubi jam institutum non est, infra sex menses a fine hujus provincialis synodi omnino instituant; adeo ut ex fructibus cujusque mensæ episcopalis, & capituli, aliarumque collegiatarum ecclesiarum, & quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, abbatiarum, prioratuum, & quocumque alio nomine nuncupentur, etiam exemptorum, etiam si nullius dioecesis fuerint, hospitalium quæ dantur in titulum & administrationem; & ex fabricis ecclesiarum, seu corporum, vel confraternitatum, exceptis iis, quæ in decreto concilii Tridentini excluduntur, et ex quibuscumque aliis ecclesiasticis redditibus, quocumque nomine vel causa percipiantur, etiam pensionibus, quamtumlibet exemptæ fuerint, taxa constituatur, quæ singulis annis ad rationem dimidiæ decimæ ad antiquam taxam relatæ reducantur, quæ summa ab episcopis minui posse decernit. communicato consilio duorum de capitulo, & duorum de clero, qui juxta formam concilii Tridentini electi fuerint: coram quibus etiam rationes reddituum episcopi singulis annis repetere debent. Ejus autem taxæ exactio post dictum tempus sex mensium exigi debeat; & ita deinceps unoquoque anno, donec seminario aliqua beneficia simplicia ex auctoritate ejusdem concilii unita fuerint, & ea tamen ratione, ut juxta redditus beneficiorum, quæ seminario attributa fuerint, taxa proportionabiliter, aut in totum, aut in partem remittatur.

CAP. II.

Qualitas, & officium adsumendorum in collegium seminarii.

Eorum vero, qui ad hoc collegium adsumuntur, ætas, scientia, mores ejusmodi sint, ut nihil a præscriptione concilii Tridentini discrepare videantur; atque ea religione, modestia, & obedientia vivant, ut vere ad pietatem, & ad divinum cultum instituti, & educati, omnibus notum esse possit; eaque ut perpetuo serventur, episcopi sæpissime ipsa seminaria visitabunt, aut a deputatis visitari curabunt.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. III.

Eorum electio ad episcopum pertineat.

Electio eorum, qui in iisdem collegiis erunt recipiendi, ad episcopos tantum synodus pertinere decernit. Qui non modo pueros eligere possint, sed etiam adultos, de quibus sperandum sit, ut brevi ad sacros etiam presbyteratus ordines promoveri mereantur, atque etiam pauperes presbyteros beneficio carentes admittere possint. Quos omnes puniant, expellant, & eiiciant, quando discolos, incorrigibiles, ac malorum morum seminatores repererint.

RUB. XXIII.

CAP. I.

De beneficiorum collatione.

Beneficiandi in concursu eligi debent, & circa resignationes observetur constitutio Pii V.

DUm parochiales ecclesiæ conferuntur, animarum saluti consulere, non hominum cupiditati obsequi, pro ea quam Jesu Christo debent pietate, Episcoporum partes sunt; illos igitur eligant in concursu, qui officii sui onus digne sustinere possint, ac prompto animo subire velint; indignos autem, ac præsertim eos, qui sua, & suorum quærunt, non quæ Jesu Christi, omnino reiiciant; in admittendis autem resignationibus ea omnia, quæ a fel. rec. Pii V. constitutionibus sancita fuerunt, episcopi exacte servent.

CAP. II.

Patroni laici etiam ultro quid oblatum non accipiant, & prohibentur confidentiæ cum pœna.

Hi, quibus in beneficiis præsentandi, eligendi, aut nominandi jus est, nihil omnino ejus causa accipiant ab illis, quos præsentaverint, elegerint, aut nominaverint, etiam si ultro oblatum fuerit: neque per conductionem bonorum ecclesiæ eadem ex causa, aut suo, aut alieno nomine factam illos ex eis fructus percipiant. Caveant autem episcopi, ne fiduciaria beneficia fiant, neve tacite, aut expresse conventum sit, ut ad alterius voluntatem alter titulo renunciare teneatur: quod ad symoniacam labem accedere, tum sacris canonibus, tum quarti, ac quinti Piorum constitutionibus declaratum est. Qui autem talia commiserint, ipsi tantum jure supradicto præsentandi, eligendi, ac nominandi amisso, indictas sacris legibus contra symoniacos poenas etiam pendant. Quique præsentati, electi, aut nominati ab illis fuerint, locationis, aut alio quovis titulo electoribus,

præ-

ANNO CHRISTI 1573.

præsentatoribus, aut nominatoribus, beneficiorum ipsorum fructus capiendi, administrandi potestatem faciant, excommunicationis vinculo innodentur.

CAP. III.

Beneficiati infra mensem debent facere inventarium.

Quicumque beneficia consequentur, infra mensem ab adepta possessione, omnium bonorum, tam mobilium, quam stabilium inventarium ordinario offerre teneantur, & qui omiserint, ejusdem arbitrio gravem subeant poenam.

CAP. V.

Quod statuatur certa merces notario pro labore collationis.

Statuant episcopi justam mercedis summam, quæ notariorum scriptori, aliorumque ministrorum labori, operæ ac sumptui collationis litteris debeatur; ita ut transcendi pro illorum cupiditate, aut mutari non possit; eaque taxatio in affixa tabella præscripta in episcopali curia habeatur, aliique, si ulli irrepserint, abusus omnino tollantur.

CAP. V.

Quales esse debeant examinatores eligendi.

Examinatores eorum, qui promovendi sunt ad beneficia, in dioecesanis synodis ii eligantur, & comprobentur, qui religione, vitæ integritate, aliisque, quæ Tridentinum jubet concilium, virtutibus, & ornamentis cæteros antecellant; in quo non solum cathedralis capituli, sed aliorum etiam clericorum, ac regularium ratio habeatur. Munera autem examinationis occasione, aut aliud quidquam illi non accipiant; quod etiam episcoporum vicariis, aut aliis, qui examini intererunt, similiter interdictum declaratur; alioquin in poenas a concilio Tridentino statutas incidisse se sciant.

RUB. XVI.

De edicto proponendo pro parochialibus vacantibus.

CAP. Un.

Vacante ecclesia in primis instituatur oeconomus, & patroni infra x. dies præsentent, & fiat concursus electorum.

UT in ecclesiis parochialibus conferendis animarum regimini & saluti consulatur, episcopis magnopere curandum est; ut nonnisi illi dictis ecclesiis præficiantur, qui officio suo valeant satisfacere. Quapropter habita notitia vacationis, idoneum in ea vicarium, cum congrua eorum arbitrio fructuum portione constituant: & episcopi, aut qui jus præsentandi, eligendi, aut nominandi habent, intra decem dies, seu aliud tempus ab episcopis præscribendum, aliquos clericos ad regendam ecclesiam idoneos nominent. Et alii etiam, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre possint; aut episcopi ipsi edicto proposito ad certam diem convocent; & ita vocati, nominati, præsentati, & electi, examini se subjiciant, quæ fieri debet ab examinatoribus in dioecesana synodo deputatis, ea ratione, ut per concursum magis idoneo juxta decretum concilii Tridentini beneficium conferatur: ita tamen, ut ætas gravior, mores & vitæ integritas in æquali litterarum scientia præponderent, atque illi qui ex eadem Dioecesi, & multo magis qui ejusdem loci fuerint, in quo ecclesia vacans constituta est, extraneo, ceteris, paribus præferantur.

ANNO CHRISTI 1573.

RUB. XXII.

De pluralitate parochialium.

CAP. Un.

Retinens plures parochiales, omnibus privetur, & fructus restituat.

SIqui sunt, qui contra quam statuit Tridentina synodus, plures retinent parochiales, episcopi omnibus eos privatos esse declarent, fructusque quos indebite perceperunt, ab ipsis exactos in fabrica ecclesiæ convertant, atque sine ulla remissione impendere faciant.

RUB. XXVI.

De residentia.

CAP. I.

Decretum de residentia summa cura servandum, nisi ex causa.

CUm pastorum residentia tam valde commendetur, & districte præcipiatur, tum a summo pontifice, tum a sacrorum conciliorum constitutionibus, tamquam illud unum fundamentum, in quo spes omnis sit collocata retinendæ ecclesiasticæ disciplinæ; nulla potest in hac re adhiberi, aut opera, aut diligentia, quæ satis sit. Iccirco hæc sacra synodus omnes episcopos monet; & in Domino, atque etiam per viscera D. N. hortatur, & alios omnes inferiores, qui curam animarum habent, etiam eis præcipiendo requirit, ut divinorum præceptorum memores gregi suo invigilent, atque assistant eo studio ac pietate, ut nihil quod ad salutem ovium sibi creditarum pertinet, ullo umquam tempore ab illis desiderari possit. Cum vero aut pro christiana caritate urgenti necessitate, debita obedientia, ac evidenti ecclesiæ, & reipublicæ utilitate, attenta temporis, personæ, ecclesiarum, ac locorum qualitate, providendum erit; episcopi prius cautam optime, & cogni-

ANNO CHRISTI 1573.

gnitam, & probatam habeant, atque licentiam in scriptis, & gratis concedant; modo ultra bimestre tempus absentiæ, non nisi ex gravi caussa extendatur.

CAP. II.

Vicarii Foranei, & plebani significent episcopis non residentes.

Ad *incuria.*

Sed ne ullo umquam tempore non residentium, * aut incognita, aut impunita remaneat, committitur vicariis foraneis, una cum testibus synodalibus, & plebanis, tam conjunctim, quam divisim, ut nomina eorum, qui in propriis ecclesiis non residentes, quam primum deferant, sub poena excommunicationis, & aliis poenis ab episcopis imponendis.

CAP. III.

Episcopi non residentis poen

Quod vero ad episcopos attinet, & si non dubitat hæc sacra synodus eos proprii muneris perpetuo memores fore, tamen pro suo officio non potest non commemorare; quod præter poenas, quæ contra non residentes a concilio Tridentino constitutæ sunt; quotannis respective, vel metropolitano, vel antiquiori suffraganeo, vel episcopo viciniori caussas absentiæ probare debent: alias tam fabricæ ecclesiæ, quam pauperibus loci jus fructuum, & reddituum, quos non residendo amiserunt, sciant omnino quæsitum esse. Et propterea tam gubernatoribus fabricæ, quam aliorum piorum locorum, hæc synodus districte, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandat, ut fructus & redditus, ut supra, sibi ratione non residentiæ acquisitos sine aliqua dilatione aut temporum interpositione integre, & realiter exigant; & tandem, ut sacro concilio Tridentino satisfaciat, decreta super residentia, quæ tam sub Paulo tertio, quam sub Pio IV. statuta fuerunt, inferenda & publicanda hoc loco decrevit, videlicet.

„ Si quis a patriarchali, primatiali, metropolitana, seu cathedrali ecclesia sibi quocunque titulo, caussa, nomine, seu jure commissa, quacumq ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, seu justis, & rationabilibus caussis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ ecclesiæ, & pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum, poenam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censuræ subiiciatur, metropolitanus suffraganeos episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus autiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras, seu nuntium Romano pontifici denunciare teneatur; qui in ipsos absentes, prout cujusque majot, aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ sedis auctoritate animadvertere, & ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.„

Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab his præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant, & regant. Ne vero ea, quæ de residentia sancte, & utiliter jam ante sub fel. recor. Paulo III. sancita fuerunt, in sensus a sacrosanctæ synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat: illis inhærendo, declarat sacrosancta synodus, omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis ac cathedralibus ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine, & titulo præfectos, etiamsi S. R. E. cardinales sint, obligari ad personalem in sua ecclesia, vel dioeceſi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur: neque abesse posse, nisi ex caussis & modis infrascriptis. Nam cum christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas aliquos nonnumquam abesse postulent, & exigant; decernit eadem sacrosancta synodus, has legitimæ absentiæ caussas a beatissimo Romano pontifice, aut a metropolitano, vel eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente, qui idem metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas; nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & reipub. officium, episcopatibus adjunctum: cujus quoniam caussæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas, quidem significari metropolitano necesse erit; ad eundem tamen cum concilio provinciali spectabit judicare de licentiis a se, vel a suffraganeo datis, & videre, ne quis eo jure abutatur: & ut poenis canonicis errantes puniantur; Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: sacrosancta synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis sive continuum, sive interruptum extra prædictas caussas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere; & haberi rationem, ut id æqua ex caussa fiat, & absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam, & timoratam fore, cum Deo corda pateant: cujus opus non fraudu-

ANNO CHRISTI 1573.

duienter agere, ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim admonet, et in domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, dominici adventus, quadrageſimæ, nativitatis, reſurrectionis domini, pentecoſtes item, et corporis Chriſti diebus, quibus refici maxime, et in domino gaudere paſtoris præſentia oves debeant, ipſi ab eccleſia ſua cathedrali ullo pacto abſint, niſi epiſcopalia munia in ſua dioeceſi eos alio vocent.

Si quis autem, quod utinam numquam eveniat, contra hujus decreti diſpoſitionem abfuerit: ſtatuit ſacroſancta ſynodus, præter alias poenas adverſus non reſidentes, ſub Paulo III. impoſitas, et innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe; ſed teneri, aut ipſo ceſſante, per ſuperiorem eccleſiaſticum illos fabricæ eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacumque conventione, vel compoſitione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur; ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte, ei remittantur: non obſtantibus quibuſcunque privilegiis cuicumque collegio, aut fabricæ conceſſis. Eadem omnino, etiam quo ad culpam et amiſſionem fructuum, et poenas de curatis inferioribus, et aliis quibuſcumque, qui beneficium aliquod eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent, ſacroſancta ſynodus declarat, et decernit: ita tamen, ut quandocumque eos cauſſa, prius per epiſcopum cognita, et probata, abeſſe contigerit: vicarium idoneum ab ipſo ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſſa, non obtineant. Quod ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult ordinariis, per cenſuras eccleſiaſticas, et ſequeſtrationem, et ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem, compellere, nec executionem hanc, quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuſcumque beneficii, pactione, ſtatuto, etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela cenſenda eſt, ſive appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianæ conſtitutionis ſuſpendi poſſe. Poſtremo, tam decretum illud ſub Paulo Tertio, quam hoc ipſum in conciliis provincialibus, et epiſcopalibus publicari, ſancta ſynodus præcipit. Cupit enim, quæ adeo ex paſtorum munere, animarumque ſalute ſunt, frequenter omnium auribus, mentibuſque infigi, ut in poſterum, Deo juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut deſuetudine aboleantur.

RUB. XXVII.

ANNO CHRISTI 1573.

De viſitationibus.

CAP. I.

Viſitatio unoquoque biennio omnino fiat ab epiſcopo.

VIſitatio ab epiſcopis quot annis aut ſaltem uno quoque biennio omnino fieri debet, ea ratione, ut eccleſiarum ſtatum, & ſubjectorum vitam diligenter explorent, ac omnia quæ locus, & tempus, & occaſio ferant ad augmentum divini cultus, eccleſiæ utilitatem, & bonorum morum perfectionem, pro ſua providentia procurent, ordinent, moderentur, & exequantur, ſicut dioeceſibus ſuis neceſſaria, & opportuna judicabunt, ſublatis maxime Tridentinæ ſynodi auctoritate impedimentis, quæ difficultatem aliquo modo afferre poterant.

CAP. II.

Impediti alios eorum loco ſufficiant, & prohibentur ſumptis immoderati.

Impediri vero quominus eo ipſi munero fungi poſſint, alios mittant ad viſitandum; caveantque ne viſitatos graviori ſumptu onerent, ſed frugali victu ipſi contenti corripiant etiam ſubditos, ſi immoderatos fecerint apparatus; ubique demum ea moderatione utantur, ut nec reprehenſionis, nec querelæ ullam præbeant occaſionem.

CAP. III.

Corrigi poſſunt etiam capitula cathedralia ab epiſcopo, nulla exemptione obſiſtente.

Cathedralium capitula etiam vinlent epiſcopi, corrigant, & emendent, ſi opus fuerit, ex ſtatuto Tridentini concilii; idque impediri non poſſit prætextu quarumlibet exemptionum, conſuetudinum, & concordiarum, quæ ſuos tantum auctores, non ſucceſſores obligent.

CAP. IV.

Viſitentur etiam eccleſiæ nullius dioeceſis per viciniorem epiſcopum.

Eadem epiſcopi diligentia utantur in his etiam eccleſiis viſitandis, quæ nulli dioeceſi ſubjectæ dicuntur. Quod tamen jus illi competit, cujus cathedralis eccleſiæ propinquior eſſe conſtet, alioquin quem eccleſiæ viſitandæ præfectus in provinciali ſynodo elegerit, qui tamquam apoſtolicus delegatus viſitet, quibuſcumque privilegiis non obſtantibus.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. V.

Visitans se informet, & examinet magistros puerorum, eisdemque prohibetur lectio librorum obscœnorum.

Præcipuam etiam in visitatione curam habeant episcopi de scholis, litterariis ludis, & bonarum artium magistris: nempe, ut pueri, & adolescentes doctrina instituantur, & moribus, quæ idoneos reddat ad cultum, & debitum officium Deo, patriæ, & parentibus tribuendum: de magistris vero diligenter inquiratur, num vitæ probitatem, integritatem, & scientiæ puritatem servent: atque illud etiam erit animadvertendum, ut omnino ab auctorum interpretatione, & lectione abstineant, qui in obscoenis, & turpibus versantes, facile illam teneram ætatem, & ad malum flexibilem corrumpere possunt; quibus rebus omnibus commodius consuli poterit, si ii, ad quos ipsorum magistrorum electio pertinet, numquam sine maturo ipsorum episcoporum consilio, & probatione eos eligent, ac constituent.

CAP. VI.

Visitari etiam debent hospitalia, confraternitates & omnia pia loca.

Et quoniam episcopis expresse est a sacrosancta synodo Tridentina injunctum onus visitandi hospitalia, collegia, ac laicorum confraternitates, & pia loca omnia, quæ in decreto concilii Tridentini continentur; eam in hoc negotio diligentiam adhibeant, ut omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, aut pauperum substentationem instituta sunt, ipsi pro officio suo, juxta sacrorum canonum statuta cognoscant, & exequantur; contumaces, & contradictores, huic tam pio, ac necessario officio aut verbis, aut factis graviter ordinarii arbitrio puniantur, & nihilominus huic decreto parere omnibus opportunis remediis, invocato etiam si oporteat sæcularis brachii auxilio, ab episcopis cogantur.

CAP. VII.

Retineatur liber specialis visitationis in archivo, & quid in eo scribendum.

Habeant episcopi librum, in quem totius visitationis summa, & ordo referatur, ac præsertim parochialium ecclesiarum dioecesis, ac rectorum earum nomina, tituli, ac conditiones; quo scilicet jure possideantur. An juripatronatus obnoxia, & quali statu sint, tam temporali, quam spirituali: quibus omnibus a notario in scriptis redactis, episcopi visitatoris subscriptio accedat in eodem libro; qui in episcopali archivo custodiatur.

CAP. VIII.

Interessentes cum episcopo visitante non fraudentur distributionibus, & aliis emolumentis.

Liceat episcopis, dum visitant, duos ex capitulo, & totidem ex clero in comitatu habere; coram quibus omnia, quæ ad visitationem spectant, fiant, & conscribantur. Qui perinde, ac si in ecclesiis præsentes eo tempore, ac inservientes essent, quotidianas distributiones, strenas, & quæcumque alia emolumenta, ac obventiones integre percipiant. Metropolitanus autem tres, aut quatuor ex capituli numero, & capellanorum, quot a sacris canonibus est permissum, secum visitans adducere possit, qui supradicto privilegio absentiæ potiantur.

RUB. XVIII.

De sacramentis & eorum administratione.

CAP. I.

Curati lingua vernacula instruant populum, de effectu, & efficacia sacramentorum.

PArochi ad cælestem, & ampliſſimum sacramentorum thesaurum dispensandum destinati eorum, vim ac naturam populis suis vernacula lingua non desistant sæpissime explicare, ut instruantur, quæ sanctitas, atque majestas etiam illis sit; quare in exteriori illa materia, & usu visibili, interioris virtutis & invisibilis gratiæ forma contineatur; quo illi majori puritate, & devotione ad ea suscipienda, præparationem adhibere valeant.

CAP. II.

Puniantur parochi sacramenta non ministrantes populo, maxime infirmis.

Attendant quoque magnopere, ne quisque suorum popularium alicujus sacramenti munere fraudetur, atque potissimum caveant, ne aliquis excedat e vita sine his sacramentis, quæ sunt ad salutem necessaria; alioquin ab episcopo Parochi, & culpa, et negligentia severissime plectantur.

CAP. III.

Omnes autem in sacramentis administrandis ritus, ceremoniæ, ac consuetudines serventur, quæ sanctæ Romanæ ecclesiæ aliarum matris, & magistræ conformes sint. Idque episcopi indictis arbitrio suo poenis omnino procurent.

CAP.

CAP. IV.

Plebani recipiani annuatim ab episcopo olea sancta, & ea rectoribus distribuant: nec nulli, qui non sit in sacris, deferenda tribuantur.

Quotannis plebium rectores olea ab episcopo consecrata ab ecclesia cathedrali, & ab illis aliæ intra plebatuum limites constitutæ ecclesiæ petant, & accipiant; oleaque prædicta nulli, qui sacris initiatus non sit, deferenda tribuantur, quacumque consuetudine non obstante, nisi alias ex urgente necessitate episcopo visum fuerit.

CAP. V.

Solus parochus retineat clavem sacramentorum.

Porro sacramenta, & olea tanta reverentia, & diligentia custodiantur, ut claves, quibus observari necesse est, parochus tantum retineat, neque alteri nisi ex urgente necessitate committat, ne ad ea abutenda facilis occasio relinquatur. Quod si umquam evenerit; & qui ea converterit; & qui consenserit ad alium usum, ad quem non sunt instituta, gravissimis poenis ab episcopo infligendis corripiantur.

RUB. XXIX.

De baptismo.

CAP. I.

In ecclesia solemniter a sacerdote baptizentur pueri, nisi ex imminenti periculo, & tunc etiam feminæ absentibus viris, & viri absentibus clericis, ecclesiæ forma, & materia servata possunt baptizare.

BAptismus nonnisi in ecclesia, ac a sacerdote solemni ritu ministretur, nisi immineat urgens necessitas, ac vitæ periculum; tunc enim a quocumque non solum mare, sed etiam femina dari potest; modo clericis præsentibus laici cedant, viris mulieres, & ecclesiæ forma, ac debita materia naturalis aquæ utantur. Quæ omnia sæpe materna lingua, & parochi, & confessarii exacte populares doceant, tum ne res tanti momenti aliqua inscitia, aut errore inanis efficiatur; tum etiam, ut omnes intelligant, quo in honore tam necessarium sacramentum habendum sit.

CAP. II.

Si domi puer sit baptizatus, sacerdos solum dicat, quia tu es baptizatus, ego te benedico; sed si dubitetur, eum sub conditione baptizet.

Ne hujus sacramenti exercenda iteratio contingere possit, aut necessitas omittatur, præcipitur omnibus, qui baptizandi munere funguntur, ut cum delatus fuerit infans ad ecclesiam baptizatus, deferentes interrogentur, fuerit ne ille domi baptizatus. Et si pro certo confirment, non fuisse baptizatum, adhibita forma ecclesiæ, simpliciter, ac sine ulla verborum conditione dicant: ego te baptizo, &c. sin autem testetur, ac certo sciatur puerum baptismum privatim in ædibus suscepisse, sacerdos præmissis cæremoniis, & aliis ritus circunstantiis, baptismi formam non dicat, sed proferat hæc verba. Quia tu es baptizatus, ego te benedico in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, Amen. Quod si ita res dubia sit, ut vere nesciatur, an sit baptizatus, tunc minister præmissis ritibus, ac cæremoniis conditionaliter proferat hæc verba tantum, si tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine patris, & filii, & spiritus sancti.

CAP. III.

Quod retineatur liber, in quo manu baptizantis scribantur ex quibus parentibus, & qua die nati sint, & baptizati.

In ecclesiis baptismalibus liber habeatur, ac sedulo custodiatur, in quo baptizatorum nomina, & cognomina, tum parentum, atque compatrum, baptizantis manu describantur; ac an ex legitimo matrimonio infans natus sit; quove die natus, & baptizatus fuerit; alioquin ecclesiæ rector episcopi judicio mulctetur.

CAP. IV.

Levantes non confessi, nec communicati in anno, & regulares prohibentur.

Quærant sacerdotes baptizaturi, an levaturi de sacro fonte infantem excommunicati sint, atque in sancto illius anni paschate confessionem, ac communionem omiserint. Quod si tales deprehenderint, omnino levare prohibeant: quod item prohibetur regularibus, ad vitandam familiaritatis occasionem.

CAP. V.

Sed etiam foemina, & ad plus solus vir, & sola femina levare possint.

Unus sive vir, sive femina, aut ad summum vir unicus, & unica femina, simul infantem levare possint in baptismo, ac confirmatione. Quod plebani curent, ne ullo modo violetur; ac simul doceant, quæ spiritualis cognatio inter levantes, ac levatum levatique patrem, & matrem contracta fuerit.

ANNO CHRISTI 1573.

RUB. XXX.

De Confirmatione.

CAP. Unicum.

Eadem ſpiritualis cognatio naſcitur in confirmatione, quæ in baptiſmo, & eædem prohibitiones militant.

Epiſcopi antequam confirmationis ſacramentum adminiſtrent, per ſe, aut per alium ejus vim, myſteria dilucide explicent, ac denuncient, ex eo inter confirmatos, levatique patrem, & matrem, atque illorum oblatores, ſeu patrinos, eandem ſpiritualem cognationem naſci, nec minoris æſtimandam, quam quæ ex baptiſmo gignitur; ac propterea inter eos carnale matrimonium contrahi non poſſe, & cetera, quæ Tridentinæ ſynodi decreto traduntur. Excommunicatis item, ac eo anno in paſchate non confeſſis, quive communionem non acceperint, patrinos confirmandorum eſſe non liceat.

RUB. XXXI.

De ſanctiſſima Euchariſtia.

CAP. I.

Hoc Sacramentum in qualibet curata loco honoratiori, ac primo altari, ſi poteſt, lampadibus ſemper accenſis retineatur.

SAnctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum in omnibus cathedralibus collegiatis, ac aliis curatis eccleſiis epiſcoporum ſtudio, quam honoratiſſimo, ac illuſtriſſimo loco lampadibus continue accenſis cuſtodiatur: & ſi quidem abſque eccleſiæ, aut populi communicaturi incommodo fieri poſſit, ſupremo altari collocetur, quo venerabilius extet. Alioquin in proximo inferiori ſimili ornatu ponatur, unde maxime eccleſiæ ingredientium conſpectui offeratur.

CAP. II.

In curatis, ſeu ſaltem in plebaniis inſtituantur ſocietates Corporis Chriſti, & inſtitutæ amplificentur.

Curent epiſcopi, ut in parochialibus eccleſiis, aut ſaltem Plebaniis ſocietates ſub titulo Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti inſtituantur; inſtitutas autem viſitent, reforment, & amplificent; omniaque faciant, unde omnes earum functiones exerceantur, ac inſtituta ſerventur.

CAP. III.

Feminæ a maribus ſegregentur in hujus ſacramenti communicatione.

Dum ad ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communicationem populares accedunt, (niſi anguſtia loci prohibeat) foeminæ a maribus parochi opera ſejungantur, ut omnes Dæmonum inſidiæ, & carnis peccati illecebræ facilius caveantur.

CAP. VI.

Curati antiquam conſuetudinem quotidie communicandi prædicent.

Parochi ſæpe inter miſſarum celebrationem populum admoneant, de antiqua eccleſiæ conſuetudine quotidie communicandi, ut ad frequentationem hujus ſanctiſſimi Sacramenti inflammentur; & ſaltem ſingulis annis in diebus Reſurrectionis, Pentecoſtes, Natalis Domini, ac beatiſſimæ Virginis Matris Aſſumptione, confeſſione peccatorum facta, ſanctiſſimam Euchariſtiam accipere aſſueſcant: tum vero Lateranenſis concilii caput illud, quod incipit, *omnis utriuſque ſexus* recitent in Quadrageſima; & vulgaribus verbis exponant; ut poenam, quam inferi, cognoſcentes, ſemel in Paſchate communicare non omittant.

CAP. V.

Parochi epiſcopo ſignificent, qui ſemel in anno ſe confiteri, ac Sacramento refici recuſaverint, & contumaces tamquam de hæreſi ſuſpecti habeantur.

Eorum autem, qui prædicto tempore confiteri & a Corpore Chriſti refici recuſaverint, nomina ad epiſcopos deferant parochi ſtatim poſt octavam Paſchæ; & ſi negligentes in deferendis nominibus fuerint, graviter epiſcopi arbitrio mulctentur; delati vero, ut ſupra, & contumaces excommunicentur; deinde ſi ſpretis cenſuris non reſipuerint, acerrimis poenis afficiantur: quod ſi per annum in cenſuris perſeveraverint, contra eos tamquam de hæreſi ſuſpectos ab epiſcopis procedatur.

CAP. VI.

Eiſdem ſubiiciantur poenis, qui a proprio parocho ſine cauſſa communionem non ſuſceperint in paſchate; & etiam regulares ſint ſuſpenſi, qui tunc eos communicaverint.

Quicumque non a proprio parocho ſine legitima cauſſa ab eo, ſeu epiſcopo approbanda Paſchali tempore communionem ſuſceperit, legitimis ſubiiciatur poenis; illi vero etiam regulares, qui Euchariſtiæ ſacramentum eo tempore adminiſtrare præſumpſerint contra quod dictum eſt, ſint ipſo facto per ſex menſes ſuſpenſi, & alias etiam poenas dent, quæ ipſis epiſcopis debitæ videbuntur, ſalvis tamen in omnibus indultis & privilegiis apoſtolicis.

CAP. VII.

Qui ſint rejiciendi ab hoc Sacramento.

Ex ſanctorum patrum inſtitutione, qui fictum

ANNO CHRISTI 1573.

cum ad sanctam Eucharistiam accessum valde detestati sunt; præcipitur parochis, ne cum publice infamibus, & facinorosis, manifestisque criminibus, ac flagitiis illaqueatis sacrosanctum Christi corpus communicent, nisi sufficienti temporis probatione ex animo, ac sincere vitam commutasse compererint: perraro admittant ad communionem, ac diligentius excussas, an recta accedant conscientia, illius generis mulierculas, quæ ut famam impudicitiæ deponant, aut velent, aut hominibus placeant, aut eleemosinas, vel alia commoda aucupantes immundo corde non verentur sanctam Eucharistiam frequenter sumere, propriam augenres damnationem; has parochi, aut supradicta, aut alia utiliori ratione quærant a tantis periculis tamquam impudenti temeritate revocare.

CAP. VIII.

Quæ cura, & devotio sit adhibenda in Sacramento deferendo.

Dum sacrosanctæ Eucharistiæ viaticum per urbes, & oppida maxime ad infirmos defertur, superposita umbella tegatur, quam plurimis possit, luminaribus associatum, ita compositis, ut saltem aliquo ventorum impetu non extinguantur; episcopi vero, & monitis & indulgentiarum promulgationibus fideles vehementer excitent, & inflamment, quam frequentissime, ac devotissime illud comitentur, ac omni alia ratione venerentur.

RUB. XXXII.

De pœnitentia.

CAP. I.

Probibentur etiam regulares, & sæculares clerici non curati sine episcopi licentia confessiones audire, ac de casibus reservatis, absolvere.

NE imperitorum culpa confessariorum contingat, ut qui innocentiæ navim fregerunt, secunda poenitentiæ tabula apprehensa ad salutis portum pervenire nequeant, interdicitur omnibus sæcularibus presbyteris, qui parochialibus non præsunt ecclesiis, & quorumcumque ordinum, etiam mendicantium, regularibus tacita quoque ordinariorum hactenus fortasse permissione toleratis, ne posthac sæcularium confessiones audire quoquo modo audeant, vel præsumant; nisi prius approbentur expresse ab ordinariis, prævia parochorum examinatione, & scriptam acceperint licentiam: quibus tamen omnibus non liceat a casibus episcopis reservatis, etiamsi excommunicationem annexam non habeant, absolvere, juxta constitutiones Pii V. de privilegiorum mendicantium revocatione, ac sanctiss. Gregorii XIII. de litterarum Pii V. ad jus commune, ac concilii Tridentini decreta reductione.

CAP. II.

Nomina confessorum approbatorum in tabula, in ecclesia retinenda scribantur.

Nomina autem confessorum, qui fuerint ab episcopis adprobati, describantur in tabella, quæ in eo loco in ecclesia affigatur, ut facile ab omnibus conspiciatur, & nemo possit ullam unquam excusationem afferre, si cæcus a cæco ductus in foveam cadere contingat, cum illis, qui a non approbato confessore absolutionem acceperint, iterum confiteri necesse sit. Confessores vero erunt gravissimis poenis ab episcopis coercendi, qui contra hoc decretum facere præsumpserint, itaque etiam superiores, qui negligentes in affigenda tabella fuerunt.

CAP. III.

Fœminæ ante, & post ortum solis, nisi in casu necessitatis non confiteantur, & qualis esse debeat locus, & sedes sacerdotis.

In confessionibus audiendis, & temporis, & loci ratio habeatur, ita ut post occasum, & ante ortum solis mulieres ad confessiones non admittantur, præterquam in casibus necessariis; atque ille tantum locus ad confessiones eligatur, qui magis in ecclesia patens, & apertus sit, ubi sedes adesse debet, cum tabula interposita, qua poenitentes a confessoribus separati, omnis irreverentia, & peccati periculum evitetur; extra quas sedes, qui confessiones, præsertim mulierum audiverint, incidant in poenas, quas episcopi dignas existimaverint.

CAP. IV.

Confessorum peritiam admonet.

Confessarii canones poenitentiarios non ignorent, ut confitentes ex eis peccatorum gravitatem conjicere, & cognoscere possint, atque inde facilius ad antiquorum satisfactionum severitatem, quoad fieri potest, opere, aut saltem animo se transferant.

CAP. V.

Casus papæ, & episcopo reservatos habeant, & bullam in Coena Domini publicent.

Habeant etiam omnes casus reservatos episcopo, & summo pontifici, & præsertim bullam, quæ quotannis in Coena Domini legi consuevit, quam ipsi episcopi semel saltem singulis annis, ut illa præcipit, publicandam suis populis curent in civitatibus, ac dioecesibus, ne casus in ea contenti temere, ac sine fructu absolvantur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. VI.

Pœna revelantium confessionem.

Confessarii caveant omnino, ne (quod absit) verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodant peccatorem, sub poenis a jure communi sancitis, & aliis episcopi arbitrio infligendis.

CAP. VII.

Pœnitentia nunquam confessori applicanda.

Caveant confessarii non modo symoniam, sed etiam omnem cupiditatis suspicionem. Quare nihil aliquid petant ab aliis qui sibi confitentur; pecuniarias satisfactiones, quas poenitentias vocant, non nisi ex gravissima, aut necessaria caussa imponant; easque sibi numquam attribuant; cæteraque omnia vitent, quæ confitentibus, aut populo scandalo esse possint; alioquin ordinariorum judicio pro commissi qualitate plectantur.

RUB. XXXIII.

De extrema unctione.

CAP. I.

Hoc sacramentum loco & vase honesto retinendum, & velo sericeo imposito deferendum.

SAnctæ unctionis extremæ sacramentum debita reverentia præstandum est, & in tuto, & honesto loco, & in vasculo argenteo, vel saltem stanneo juxta facultatem ecclesiarum asservandum. Et in Pyxide eleganti forma confecta velo sericeo super imposito ad infirmos deferendum.

CAP. II.

Deferri debet ad existentes in mortis articulo, & quibus denegetur.

Parochi ad eos inungendos accedere oportet, qui cum in mortis articulo vere sint constituti, adhuc tamen quid agant intelligant, & sensu quantum fieri potest integro, existant: impoenitentibus vero, & his qui cum notorii peccatores essent, vel ab ecclesia alieni nullum poenitentiæ signum emiserint, sacram hanc unctionem ex sacrorum canonum dispositione negandam esse non ambigitur.

A

RUB. XXXIV

De ordine.

CAP. I.

Episcopi per se ipsos ordines conferant, & sine episcopi proprii licentia aliquis non ordinetur.

CUm mala, quæ tot jam annos ecclesiam Dei miserabiliter vexaverunt, magna ex parte, ex ministrorum improbitate, & imperitia evenerint, episcopi exquisite servent ea omnia, quæ a sacro con-
B cilio Tridentino, de ordinum collatione salubriter sancita fuerunt; atque illud maxime ipsis cordi sit, ut nulla fere occupatione, a conferendis per se ipsos ordinibus revocentur: quod si aliqua ægritudine id efficere non possint, suos jam per examen probatos, ad episcopum in sua ecclesia residentem, vel pro eo pontificalia exercentem, dimittant. Nam alii episcopi cujusvis privilegii prætextu in alterius; vel nullius dioecesis loco, etiam exempto, aut cujusvis ordinis monasterio, sine expressa ordinarii licentia nullo modo possunt, & in exemptos pontificalia exercere, quin poenas incurrant, a sacris canonibus, & a
C concilio Tridentino contra facientibus constitutas. In minoribus ordinibus conferendis quoad ejus fieri poterit, episcopi temporum interstitia non omittant: ita enim facilius, sicut concilium Tridentinum præcipit, eorum ordinum functiones in cathedralibus, & collegiatis ecclesiis, si eorum proventus ferent, restitui poterunt; & in earum functionum exercitatione probabuntur illi, qui eo animo hoc vitæ genus elegerunt, ut fidelem Deo cultum præstantes ad altiores gradus ascendere mereantur.

CAP. II.

D *Promovendi ad majores ordines per mensem ante id episcopo denuncient, & qualiter de eis, debeat fieri examen.*

QUicunque vero ad singulos majores ordines voluerint promoveri, omnino per mensem ante ordinationis tempora voluntatem suam episcopo declarent, ut publice nominibus ordinandorum propositis diligentissima fiat inquisitio.

Num videlicet legitimis natalibus orti, & ætatem habeant ad eos ordines necessariam.

Num publice aliquid grave, & enorme peccatum admiserint, aut in eo persistant.
E Num percussores, homicidæ, usurarii, seditiosi, bigami, symoniaci, abstemii, aut alicui curiæ quacumque ex caussa obligati.

Num de hæresi suspecti, aut publicam poenitentiam egerint.

Num denique vitæ conversatione honeste, pie, & religiose se gesserint, & vere, ac re ipsa beneficium, pensionem, aut patrimonium, ejusmodi possideant, ut ad vitam & victum satis esse pos-

ANN CHRIS 1573

ANNO CHRISTI 1573.

possit. Cujus inquisitionis testimonium parochus, aut alter ad hoc deputatus per literas ad episcopum quam primum dabunt. Deinde qui pro utilitate, aut necessitate ecclesiæ servatis etiam temporum interstitiis, quantum fieri poterit, episcopo videbuntur esse ordinandi, feria quarta ante ipsam ordinationem coram episcopo se præsentent, ut ab eo una cum iis, quos doctrina, pietate, ac prudentia præditos accerset, sedulo, atque accuratissime examinentur de genere, persona, ætate, institutione, moribus, & fide; magnam præterea cautionem adhibendo, ut nulli beneficio, pensioni, ac patrimonio fictioni, aut fraudi locus esse possit. Ordinationes postea præsentibus canonicis, in ecclesia cathedrali, si in civitate; & si in dioecesi in digniori ecclesia fiant, ita ut ordinati, aut alicui ecclesiæ, aut pio loco, ne incertis vagentur sedibus, omnino adscribantur.

A

CAP. IV.

Parochialem obtinentes etiam in commendam, vel non curato unitam ordinentur, & quid agendum sit in regularium ordinatione.

Illi autem, qui parochialem obtinent, vel in posterum obtinebunt, etiam in commendam, aut non curato unitam, & annexam, ad sacrum presbyteratus ordinem suscipiendum, ab episcopo, & poenis, & censuris, si opus fuerit, omnino cogantur: videndum etiam est episcopis, ut in ordinatione regularium habeatur ratio temporum interstitii, prout ecclesiæ utilitas, & necessitas exegerit; neque illis sacri ordines conferantur, antequam professionem emiserint; & nisi de ætate legitima constiterit, & ab episcopo fuerint examinati, sicut a sacro concilio Tridentino statutum fuit.

C

CAP. V.

Abbates exempti, & capitula cathedralia literas dimissorias non faciant, nisi arctatis, qui beneficium vere possideant, aut recipere statim, debeant.

D

Abbates, & alii quantumvis exempti intra fines alicujus dioecesis consistentes literas dimissorias clericis sæcularibus nullo modo concedant, nec capitulis cathedralium sede vacante id permissum est vigore cujusvis privilegii aut consuetudinis, nisi clericis arctatis, qui beneficium ecclesiasticum vere possideant, aut illud recipere, & retinere statim debeant; qui vero huic decreto non paruerint, sciant se a sacro concilio Tridentino, ab officio, & beneficio per annum ipso jure suspensos esse: capitulum vero ecclesiastico subjaceat interdicto.

E

CAP. VI.

Notarii solum decimam partem auri recipiant pro literis dimissoriis.

Notarii in his tantum locis, quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem acipere possint, si nullum habent salarium constitutum; & qui contrafecerint, ab officii sui executione suspendantur.

ANNO CHRISTI 1573.

RUB. XXXV.

De Sacramento matrimonii.

CAP. I.

Curati bis, vel ter in anno publicent populo decret. conc. Trid. super hoc Sacram.

IN celebratione matrimonii in primis instruatur populus, ut hoc magnum ecclesiæ catholicæ sacramentum summa pietate, ac maxima devotione revereatur, & colatur; deinde episcopi diligenter observari faciant ea omnia quæ a sacrosancta synodo Tridentina pro reformatione matrimonii statuta fuerint; & præsertim, quod a parochis materna lingua bis vel ter singulis annis, in ecclesia inter missarum solemnia, decretum de matrimoniis clandestinis divulgetur, ac publicetur: qui autem contra hæc omnia fecerint, tam sæculares, quam regulares per tres menses suspensi sint, quæ poenæ contra singulares etiam episcopi arbitrio augeri possunt.

CAP. I.

Denunciationes, & in parochia viri, & mulieris fiant in diebus festivis in medio missæ.

Denunciationes, quæ matrimonia antecedere debent, ex ejusdem concilii præcepto, tam in parochia viri quam mulieris fiant; easque in totum, vel pro parte remittendi facultate parochis penitus interdicta, cum id totum episcoporum arbitrio prorsus committatur; fiantque festis illis diebus, quæ ecclesiæ præcepto servantur, in ejus medio missæ, ad quam populus frequenter convenire solet, quo denunciationes ipsæ notiores omnibus esse possint.

CAP. III.

Retineatur liber, in quo nomina, cognomina denunciatorum, dies, mensis, annus, & quibus præsentibus celebratum sit matrimonium, scribatur.

Parochi librum conficiant, illudque diligenter asservent, in quo omnium matrimonio conjunctorum in suis parochiis nomina, & cognomina, quove die, mense, & anno, quo loco, & quibus præsentibus contracta ma-

ANNO CHRISTI 1573.

matrimonia fuerunt, describantur; & singulis annis ad plebanos deferre teneantur, qui plebani in libro ad hoc destinato, & describant, & diligenter conservent.

CAP. IV.

Parochus per se ipsum id munus exequatur, impedimento cessante; & quod facere debeat ad id substitutus.

Parochus per seipsum, legitimo impedimento cessante, non per alium & matrimonia conjungat, & sponsos, & sponsas benedicat; quo legitime impedito, qui parochi vices supplet, diligenter exequatur, ac ipsi parocho mandanti verbo, vel scripto quidquid egerit fideliter referat; & qui denunciationes facere, aut conjungere sponsos, & benedicere neglexerit, vel calumniose distulerit, absque rationabili causa, ab episcopis comprobanda, graviter eorum judicio mulctetur.

CAP. V.

Peregrinorum, & advenarum conjugiis non interfit, nisi servata forma constitutionis.

Parochis præcipitur ne vagantium hominum, & alienigenarum interfint matrimoniis, ut ejusdem concilii dispositio monet, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, num aliis in locis forsan aliam, vel alias uxores duxerint; & re ad episcopos delata, ab eis facultatem id faciendi obtinuerint: at si aliqui non expectata ordinarii licentia contraxerint, quamvis solemnia interceserint, graviſſime puniantur; prout etiam parochos puniri voluit qui contrafecerint.

CAP. VI.

Prohibetur sponsorum cohabitatio ante celebrationem matrimonii, & ante benedictionem moneantur, ad confitendum, & communicandum

Ut scandala evitentur, quæ in cohabitatione sponsorum exoriri verosimiliter possunt, prohibetur, ne sponsi, & sponsæ cohabitent, donec rite, ac recte matrimonium in facie ecclesiæ celebretur; moneantque eosdem, juxta Tridentini concilii formam, ut antequam contrahant, vel triduo saltem ante matrimonii consummationem, sua peccata confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pie, ac reverenter accedant; res enim sancta nonnisi pie, ac sancte tractari debet.

CAP. VII.

Impedimentum publicæ honestatis, ubi sponsalia nulliter sunt celebrata, est sublatum; & quando valida fuerunt, non excedunt primum gradum; sed impedimentum propter affinitatem ex fornicatione contractum, ad primum, & secundum gradum duntaxat consanguineorum infertur.

Scire debent parochi a Tridentina synodo impedimentum publicæ honestatis, ubi sponsalia valida non fuerint, prorsus esse sublatum, & quando valida fuerint, primum gradum non excedere; atque etiam ad eos tantum, qui primo, & secundo gradu conjunguntur, restrictum esse impedimentum illud, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, quod quidem impedimentum inter consanguineos copulatorum duntaxat oriri debet.

CAP. VIII.

Separentur conjugati in gradu prohibito, & ad papam remittantur.

Episcopi, si quos in gradibus a jure prohibitis matrimonia contraxisse repererint, eos statim a cohabitatione separent; & de personarum ita conjunctarum qualitatibus si scienter, vel ignoranter, si ante, vel post confirmationem concilii Tridentini, quave causa contracta matrimonia fuerint, processus conficiant: illosque ad sanctissimum D. N. transmittat, ut a Summo pontifice statui possit, quid agendum sit, si cum his dispensandum esse judicatum fuerit, an potius aliquam pro modo culpæ poenam subire debeant.

CAP. IX.

Matrimonia debere esse libera sub pœna excommunicationis, & nullantur super hoc quæcumque statuta jæcularia.

Ad conservandam libertatem matrimonii, juxta sacrorum canonum constitutiones, præcipitur omnibus cujuscumque conditionis existant, ne quovis modo directe, vel indirecte aliquos cogant, quo minus libere ad libitum matrimonium contrahatur, sub anathematis poena ipso facto incurrenda, irritando, & annullando quorumcumque statuta laicorum contra libertatem sacramenti matrimonii quomodolibet disponentia, ac quamlibet poenam contra canonicas sanctiones appositam in promissione sponsaliorum, seu matrimoniis contrahendis pro non apposita haberi, nullamque & invalidam omnino esse decrevit.

CAP.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. X.

Sponsalia non rumpantur per matrimonium, nisi eis per sententiam solutis.

Sponsalia per verba de futuro contracta mutuo consensu partium, posthac non dissolvantur, cum altera contrahendo, nisi prius decreto judicis prima sponsalia soluta fuerint; qui contrafecerit, poenam ab episcopis imponendam incurrat.

CAP. XI.

Quibus temporibus nuptiæ sint prohibitæ.

Declarent parochi nuptias, vel nuptiarum solemnes benedictiones posthac ab Advenru Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive solum esse prohibitas; in aliis vero temporibus posse solemniter celebrari.

SESSIO TERTIA.

Celebrata die XII. Aprilis MDLXXIII.

RUB. XXXVI.

De episcopis.

CAP. I.

Quales esse debeant episcopi, eorum mores, & vita per tria cap.

CUm totius familiæ Domini status, & ordo nutet, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite; iccirco hæc sacra Synodus hortatur episcopos, ut quanto cæteris dignitate præcellunt, tanto aliis inferioribus, singulari vitæ sanctitate, ac morum probitate præfulgere studeant, præbeantque se ipsos exemplum bonorum operum, seque totos ad illam vitæ rationem (Domino adjuvante) perstringant, quam illis Apostolus perscripsit.

CAP. II.

Eorum sermo, vestitus, gestus, supellex, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant, ita ut irreprehensibiles, sobrii, domui suæ bene præpositi, ab omnibus cognosci facile possint; & quoniam domesticorum præcipuam, ac singularem curam habere debent, ita familiares suos episcopi instruant, & informent; ut a rixis, impudicitiis, maledicentiis, ac vitiis demum omnibus abstineant, sicut decet ministros minstrorum Dei; nam cum sint illi episcoporum tantum potestati, & jurisdictioni in utroque foro subjecti, de moribus, & eorum vita episcopi non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus rationem sunt reddituri.

CAP. III.

Episcoporum mensa habeat frugalitatem, & ciborum moderationem, & in ipsa mensa divinarum scripturarum lectio admisceatur; sed & miserabilium personarum ea cura ad episcopos spectat, ut proprie pauperum patres dici possint; quare in animo, & cogitatione illis perpetuo infixum sit, quod de mala bonorum ecclesiæ administratione gravissimum sit in die Domini judicium faciendum.

RUB. XXXVII.

De vita & honestate clericorum.

CAP. I.

Quales esse debeant Clerici, & a quibus se abstinere.

Clerici omni ingenio, ac opera studeant, ita vitam moresque componere, ut aliis exemplo esse possint, eaque etiam, quæ leviora videntur crimina, gravissima sibi pro sua conditione esse meminerint: quæ igitur novissime post multas sanctissimorum pontificum, ac sacrorum conciliorum sanctiones, Tridentina synodus præcepta innovavit de vita, honestate, cultu, & doctrina ab eis comparanda & retinenda, quæque de luxu, comessationibus, choreis, alea, lusibus, & aliis hujus generis, ac præsertim profanis negotiis evitandis, ut maxime necessaria, & eorum ordini consentanea omnino servent; alioquin statutis ab ea poenis, aliisque severioribus, si ita episcopis videbitur, coerceantur, quarum executionem nulla appellatio, aut provocatio suspendit.

CAP. II.

Etiam in minoribus incedant habitu, & tonsura, & quales eorum vestes, & indumenta.

Atque ut aliqua singillatim exprimantur; cuncti clerici sacris initiati, aut ecclesiasticis beneficiis, vel simplicibus præditi, clericali tonsura, quæ spiritualis militiæ nota est, numquam careant. Interiorem tunicam, & exteriorem vestem simplicem, & talari longitudine per urbes, & oppida semper gestent; pallium, quod vulgo ferrariolum dicitur, non nisi talare, collariolumque non altius tribus digitis habens, nec nisi cum talari itidem tunica: iter vero facientes, contractioribus uti poterunt, modo religiosam retineant honestatem; pauperiores tamen, & rusticani breviores ferre possint, modo eadem forma sint, & infra genua extendantur: in ecclesiis pileis non tegantur; extra vero valetudinis, aut alia justa causa uti possint, sed simplicibus, ac honestæ amplitudinis, & formæ, neque aculeatis, aut turbinatis; camisias non ferant, quæ ad collum, aut ad manus crispas, rugosas, fabrefactas, ullave texturæ arte componta, & efficta ornamenta habeant:

ANNO CHRISTI 1573.

a cæteris demum ejuſmodi levitatibus ſe abſtineant, quæ ab eccleſiaſtica ſunt diſciplina aliena; ad quæ omnia epiſcopi illos ſuſpenſione a miniſteriis, fructuum amiſſione, ac beneficiorum privatione, prout expedire judicaverint, cogere omnino poſſint.

CAP. III.

Prohibentur a converſatione mulierum ſuſpectarum.

Concubinas, aut feminas eo nomine ſuſpectas in proprio, aut alio domicilio habere, ſi clerici non vereantur, aut aliqua cum eis familiaritate, ac conſuetudine conjungi, poenis a ſacro eodem Tridentino concilio, aut ſanctis canonibus irrogatis, aliiſque epiſcopi judicio afficiantur.

CAP. IV.

Etiam mulieres conſanguineæ ſuſpectæ prohibentur in domibus, & locis eccleſiæ retineri.

In ædibus itidem canonicorum, parochorum, & aliorum miniſtrorum Eccleſiæ domicilio addictis ſuſpectæ feminæ, etiam conſanguinitate illis conjunctæ, commorari prohibeantur; utque cum eis ubicumque cohabitare mulieres, niſi probante epiſcopo; qui contra hæc facientes poſſit arbitratu ſuo punire.

CAP. V.

Domus canonicæ eccleſiarum non poſſint locari laicis; & ſi canonici, & rectores in eis non habitent, poteſt epiſcopus aliis conſignare, exceptis domibus artis lanæ.

Domus vero eccleſiarum, aut earum partes, in quibus habitant clerici, aut quæ eorum habitationi præſtitutæ ſunt, laicis nullo modo locentur, aut concedantur in domicilium: quæ autem locari ſolent; & ſi eccleſiæ ſunt, nec eccleſiaſtica habitacula, non prohibentur. Propterea canonicæ ædes, atque canonicorum uſui deſtinatæ, ſi ipſi incolere nolint, ab epiſcopis aliis canonicis, aut eccleſiæ miniſtris conſignari poterunt ſine ulla mercede incolendæ, præter eas, quæ conſulum artis lanariæ Florentinæ dictionis ſunt.

CAP. VI.

Puniuntur clerici ludentes, cauponantes, & ſe choreis immiſcentes.

Qui clerici aleas, aut alios improbatos ſacris legibus luſus exercuerint, aut publice eorum reſpective ludentibus domum ſuam commodaverint; quive choreis interfuerint, aut larvati in publicis, aut privatis coetibus fuerint, vel ad cauponarias tabernas acceſſerint, aut diverſoria, niſi itineris, aut neceſſitatis cauſa, frequentaverint, graviſſimis (ut epiſcopus cenſebit) poenis afficiantur.

CAP. VII.

Corripiuntur noctu vagantes; ſed canentes, & ſonantes eo tempore carcerentur.

Clerici noctu ſine legitima, & honeſta cauſſa vagantes arguantur ab epiſcopis, ita ut deſiſtant; ſi vero etiam voce, aut inſtrumentis cantitantes incedant, aut comites eorum, qui talia agunt, carcere includantur, aut aliter plectantur epiſcopi arbitratu.

CAP. VIII.

Non ſe ſæcularibus artibus, & negotiis immiſceant.

Item ſi medicinam exercuerint, aut mercaturam, ſi in mercimoniis, intermedii, conciliatores, aut proxenetæ fuerint, ſi laicorum in negotiis procuratores, non impetrata per ſcripturam ab epiſcopo permiſſione, ſi in ſervitio ſæcularium, niſi munus ſit ſacerdote non indignum, & epiſcopi ſcripta licentia ſuſceptum, ſi præceſſores, aut pediſſequi, vel aſſeclæ, ſeu in menſis adminiſtri foeminarum, primo carcere, aut aliis pecuniariis poenis, in pios uſus convertendis, judicio epiſcopi coerceantur; deinde niſi propterea a prædictis ceſſaverint, beneficiis priventur, aut aliter graviſſime plectantur; a negotiatione vero ſupradicta, ſi tertio moniti non deſtiterint, ut Honorii Tertii conſtitutione ſtatutum eſt; in his quæ proprii patrimonii, & bonorum ſunt clericale privilegium amittant.

CAP. IX.

In ordinarii arbitrio relinquantur alia crimina plectenda.

Cætera vero, quæ hoc loco non ſunt enumerata, hæc ſacra ſynodus ita reliquit epiſcoporum arbitrio, ut confidat atrociora crimina, & præſertim incontinentiæ; quæ ne in cogitatione quidem cadere debent, ab ipſis ultra poenas a ſacris canonibus ſtatutas ſeveriſſime eſſe animadvertenda.

CAP. X.

Generaliter ab omnibus a jure prohibitis ſe abſtineant.

Omnia demum generatim, quæ ad vitam, & honeſtatem clericorum pertinentia, a ſacris canonicis, oecumenicis conciliis, & apoſtolicis ſanctionibus præcepta, ac prohibita ſunt, clerici omnes diligenter perficere aut cavere jubentur, ſubituri, ni pareant, eas omnes animadverſiones, quæ illis a ſacris canonibus impoſitæ ſunt, & ſacræ ſynodi Tridentinæ auctoritate innovatæ, aliaſque præterea, quas pro delictorum qualitate epiſcopi hactenus ſtatuerunt, aut in poſterum conſtituent.

RUB.

ANNO CHRISTI 1573.

RUB XXXVIII.

De adulteriis.

CAP. I.

Quæ poenæ sint luendæ ab adulteris obstinatis, tam masculis, quam foeminis, & solutis.

QUantus matrimonii sacramenti contemptus sit, eos, qui hoc vinculo sunt conjuncti, invicem sibi fidem non servare, & concubinas quandoque domi, & cum uxore alere, & retinere, gravissimæ poenæ a canonicis sanctionibus contra adulteros constitutæ testantur. Quicumque igitur de adulterii crimine convicti fuerint, in poenas a sacris canonibus inflictas incurrant; quod si in hoc adulterii, vel concubinatus statu vivere obstinato animo voluerint, ter admoniti excommunicatione feriantur, retenta absolutione, donec re ipsa a concubinarum consuetudine separentur; sin autem perstiterint in peccato, ac censuras neglexerint, severe contra eos agatur ad poenas, quas culpa ipsa exposcere videbitur. Mulieres etiam conjugatæ, quæ post legitimas monitiones in concubinatu, seu adulterio publice vivent, ex officio ab episcopis puniri debent, & ad ejiciendum eas extra dioecesim, si ita eis videbitur, etiam auxilium brachii sæcularis implorent; quæ omnia non de uxoratis tantum, sed de solutis quoque dicta, & statuta esse declaravit, ut contra adulteros, & concubinarios aliæ poenæ a canonibus inflictæ augeantur.

CAP. II.

Pœna stuprantis virginem.

Quicumque virginem stupraverit, ab episcopo cogatur, vel in uxorem accipere, vel eam saltem dote convenienti, & ampliori, quam si vitiata non esset, dotare; quia difficilius, cum virginitatem amiserint, possunt in matrimonio collocari, & etiam aliis poenis ipsius episcopi arbitrio puniantur, quibus etiam, & gravioribus poenis afficiendi erunt illi, qui virgini vim intulerint.

CAP. III.

Pœna parentum prostituentium proprias filias.

Si quis autem parentum nefarium illud scelus commiserit, ut proprias filias lucri gratia prostituere non vereatur, & in hujusmodi turpitudine perseveraverit, & carceri mancipetur, & ad triremes mittatur; prout episcopis visum fuerit, quando judex laicus negligens esset.

RUB. XXXIX.

De Usuris.

CAP. I.

Quam detestandum sit usuræ peccatum: & usurarii libros proprios exhibere debent.

CUm omni jure divino, & humano usuraria pravitas damnata, & detestata sit; studeant episcopi hanc pestem animarum, ac pauperum perniciem extirpare; ac propterea in usurarios, omnesque qui illicitos ineunt contractus, ex canonicarum sanctionum præscripto vehementer debent animadvertere; atque ut tanti sceleris gravitas prorsus innotescat, infrascripta expresse declarare maxime his temporibus necessarium visum fuit. Primum igitur notorie, & manifeste usurarios contractus inire solitus, ei, qui cum ipso de usuris agat, libros suos edere teneatur: quod si obstinate exhibere in judicio recusaverit, pro convicto habeatur, nisi edendi, & exhibendi eum excuset impotentia, quam non solo juramento, sed legitimis probationibus docere debeat.

CAP. II.

Libros celans, & lacerans cedulas puniatur, & contra ipsum juretur.

Quod si usurarius ille notorius, & manifestus malitiose fecerit, ut edere non possit, utpote quia conscribebat in cedulis, quas postea lacerabat, vel libros ipsos evertit, idque probatum fuerit, juramento usuras repetentis credatur usurarum solutionem factam.

CAP. III.

Judici summarie prius constet de usuris ante librorum editionem.

Ne vero per calumniam usurariam, quis cogatur libros suos edere, nemo compellatur ad codicem edendum, nisi prius judici saltem summarie constiterit, qui usurarum accersitur, notorie esse usurarium, vel aliqua vehementi ejus criminis præsumptione teneatur.

CAP. IV.

Libris usurariorum pro se non credatur.

Libris eorum, qui de usuris convicti sunt, in causa usuraria nulla in ipsorum favorem fides habeatur, licet mercatores illi sint, & eorum libri mercatorum more constructi, conscripti, atque in formam, ordinemque redacti fuerint; nihil enim credendum est iis, qui propria conscientia seducta, creditam sibi animam prodere non verentur.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. V.

Quomodo probetur quem esse solitum foenerari.

Porro ad ad probandum quem fenerari, aut usurarios contractus inire consueviſſe, recipi possint testes singulares, atque illos etiam, quibus cum usurario contraxiſſe, aquibusve fenora accepiſſe liqueat, dummo ei, quod sibi provenire posset, commodo renuncient, tum vero proxenetas quoque, ac mulieres & quicumque aprobatione symoniacæ labis non arcentur.

CAP. VI.

Unicus testis cum juramento partis probat usuras.

Ad hæc testis unici testimonium juramento partis conjunctum satis probet, quem ex mutuo fenus accepiſſe, si tamen ante legitime doctum fuerit, eum solitum foeneratione mutuare.

CAP. VII.

Prohibentur fieri depoſita penes loca pia, ut aliquid ex eis solvatur.

Depoſita quæ fiunt apud eccleſiastica loca, & religioſa, unde deponentes annuas summas, ultra sortem qualeſcumque accipiunt, illicita omnino sunt. Præcipitur igitur quibuscumque dictorum locorum superioribus, seu administratoribus, ne hujuſmodi contractus celebrare ullo modo audeant; depoſitaque cum eis pactis, conditionibus, aut intentione suſcipiant; deponenteſque ejuſmodi, si quid ultra sortem ea intentione acceperint; usurarios teneri in utroque foro.

CAP. VIII.

Prohibetur res carius vendi propter tempus secundum commune pretium rigoroſum.

Quoniam in venditione mercium ad tempus, quæ mercatoribus sæpius fieri solet, injuſtitia, atque usuræ iniquitas latere poteſt; caveant omnino mercatores, ne pro temporis dilatione majori pretio res suas diſtrahant, quam valeant: animadvertant autem, ut si ad tempus vendant, non cariores vendant; quam secundum communem fori usum rei pretium currat. Qui sane usus inter probos, & integros mercatores conſtitui solet. Possunt autem carius aliquid amplius vendere, quam in præsenti reciperent; dummodo juſti pretii latitudinem non excedant; quod quidem pretium a catholicis graviſſimiſque theologis diſtingui solet in infimum, seu pium; medium, sive moderatum; supremum, vel rigoroſum; idque ex communi mercatorum usu dignoſci poteſt: ultra hæc tua pretia rem carius diſtrahere omnino illicitum eſt; quapropter nefarium, atque usurarium decernet hæc sacra synodus, cum pro majori temporis prorogatione rei pretium proportionabiliter augetur.

RUB. XL.

De censibus.

CAP. Unic.

Contractus censuales juxta decretum Pii V. permittuntur.

EX pluribus summorum pontificum Martini Quinti, Caliſti tertii, & aliorum pontificum conſtitutionibus facile conſtat, censuum, sive annuorum reddituum contractus non solum licitos esse, sed etiam ad tollendam usurariam pravitatem, & ad commodum reipublicæ chriſtianæ magnopere accommodatos eo maxime quod ex proxima fel. rec. Pii Quinti conſtitutione jam regula, & forma habeatur, quo legitime, & sine salutis periculo hujuſmodi contractus celebrari posſunt. Idcirco nihil aliud sancta synodus monendum esse censuit, quam ut omnes Chriſtifideles eandem Pii Quinti conſtitutionem ad unguem exactiſſime servent, cujus quidem ne aliquo ullo umquam tempore possit ignorantia excusare inferendam esse decrevit, cujus tenor talis eſt, videlicet.

PIUS EPISCOPUS.

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CUm onus apoſtolicæ servitutis obeuntes cognoverimus innumeros celebratos fuiſſe, & in dies celebrari censuum contractus, qui nedum non continentur intra limites a noſtris anteceſſoribus eiſdem contractibus statutos; verum etiam, quod deterius eſt, contrariis omnino pactionibus propter ardentem avaritiæ stimulum, legum etiam divinarum manifeſtum contemptum præseferunt, non potuimus animarum, prout tenemur saluti conſulentes, ac piarum mentionum petitionibus etiam satisfacientes, tam gravi morbo, letiferoque veneno salutari antidoto non mederi. Hac igitur noſtra conſtitutione statuimus, censum seu annuum redditum creari, conſtitutive nullo modo posſe, niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus deſignata sit. Rursum niſi vere in pecunia numerata, præsentibus testibus, ac notario, & in actu celebrationis inſtrumenti, non autem prius recepto integro, juſtoque pretio, solutiones quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus. Conventiones directe, aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus, non teneatur, nullo modo valere volumus. Quemadmodum nec pactum auferens, aut reſtringens facultatem alienandi rem censui suppoſitam, quia volumus rem ipsam semper, & libere, ac sine solutione laudemii, seu quinquagesi-

ANNO CHRISTI 1573.

gesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari. Ubi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus præferri, eique denunciari conditiones quibus vendenda sit, & per mensem expectari. Pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas; aut certa salaria, aut ad salaria, seu expensas medio juramento creditoris liquidandas, aut rem censui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam poenam cadere, ex toto irrita sint, & nulla. Immo, & censum augeri, & novum creari super eadem, vel alia re in favorem ejusdem, aut personæ per eum suppositæ pro censibus temporis vel præteriti, vel futuri omnino prohibemus. Sicut etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de jure, & ex natura contractus non spectarent. Postremo census omnes in futurum creandos non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui: non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, immo centum, & plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe, aut indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis, aut clausulis concepta sint. Cum vero traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari ei, cui pretium dandum erit, & post denuntiam intra annum tamen, etiam ab invito pretium repeti posse, & ubi pretium, nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur; volumus nihilominus quandocunque redditum extingui posse, prævia tamen semper denuntia, de qua supra, & non obstantibus his de quibus supra: idque observari mandamus etiam quod pluries ac pluries denunciatum fuisset, nec umquam effectus secutus fuisset. Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum, ab invito, aut ob poenam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus. Contractusque sub alia forma posthac celebrandos foeneratitios judicamus. Et ita illis propterea non obstantibus, quidquid vel expresse, vel tacite contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, a fisco volumus posse vendicari. Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in censu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modo post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuo, & in omnibus servari volumus. Declarantes pretium semel censui constitutum, numquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quo ad ultimo contrahentes minui, vel augeri. Et licet legem ipsam ad contractus jam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in domino, ut singulos contractus censuræ bonorum religiosorum subiiciant, & animarum saluti consulant. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, statutis, & consuetudinibus, necnon privilegiis, & litteris etiam per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, nec non irritantibus decretis, ex quavis causa, etiam per modum legis universalis, aut alias quomodolibet editis, sive in favorem universitatum, communitatum, collegiorum, congregationum, Civitatum, & locorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, quatenus directe, vel indirecte præsenti nostræ constitutioni in toto, vel in parte contrarientur, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentes in cancellaria, & acie campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis ac sigillo alicujus prælati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, annullationis, statuti, mandati, judicii, hortationis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemtare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis, Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, quarto decimo Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno Quarto.

ANNO CHRISTI 1573.

RUB. XXXXI.

De symonia.

CAP. I.

Ad sacros ordines per Symoniam promotus, per decennium indispensabiliter suspenditur, & per annum carceratur.

QUicumque per symoniam ad ordines ecclesiasticos pervenerit, ipso facto, ab eorum ordinum exercitatione decennio suspensus erit, omni dispensationis spe sublata, annuoque carcere damnatus.

CAP.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. II.

Quicumque beneficia, & officia ecclesiastica obtinuerit symoniace, est eis privatus, & inhabilis effectus, & fructus restituere debet.

Qui dignitates ecclesiasticas, aut beneficium, vel officium quodcumque symoniaca largitione, aut pactione interposita adeptus fuerit, illis ipso jure privetur, & ad alia omnia adipiscenda inhabilis, & incapax omnino censeatur, fructusque, quos ex illis perceperit, restituere teneatur: & si iterum symoniacæ labis convictus fuerit, corpore etiam poenas det, & ab ecclesiasticis ordinibus depositus a fidelium consortio abigatur.

CAP. III.

Alienans jus patronatus contra juris decreta, eo vivente, ipso privatur, & excommunicatur.

Juspatronatus, venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sactiones nullo modo patroni transferre præsumant, nec aliquis ejusmodi illicitarum alienationum particeps aut mediator existat; qui secus fecerint excommunicationis vinculo innodentur, & dicto jure patronatus ipse patronus, quoad vixerit, privetur.

CAP. IV.

Damnantur, & puniantur omnes illicitæ pactiones.

Et tandem eas omnes pactiones, promissiones, & receptiones, tam pecuniæ, quam aliarum rerum temporalium pro administratione quorumcumque sacramentorum, aut cæteris rebus spiritualibus nefarie symoniacas episcopi severissime puniant, & acerrime persequantur, ac coerceant; ut Tridentina synodus, & Pius Quintus latissime præceperunt.

RUB. XXXII.

De Jejunio.

CAP. I.

Non servantes jejunia ecclesiæ puniantur.

SAcra jejunia omnia, quæ ecclesia indixit, quisquis sine legitima causa violaverit, præter eam in quam incidit interdictis utendo cibis, Dei offensionem, severe ab eo judicandam, ordinarii etiam arbitratu puniantur, habita contemptus, aut iterationis ratione.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. II.

In jejunio quadragesimæ non vendantur carnes, nisi in loco deputato, & ab his emantur, qui licentiam utrtusque medici, & ordinarii habuerint, & extra urbem suppleat parochus.

Jejuniorum tempore, & præcipue quadragesimæ carnes in urbibus, & oppidis, statutis tantum in locis, & publice venales habeantur, eaque aliaque interdicta obsonia nonnisi in eorum usu emantur, quibus confessarii, & medici testimonio pro imbecillitate, aut valetudine, aliaque legitima ratione opus fuerit, ac licentiam ordinarii scriptam, gratisque tribuendam concesserint; extra vero civitates & municipia, ubi medici consilium haberi non potest, ex conspicua, & urgenti causa imbecillibus, senibus, ac valetudinariis Parochi indulgere id poterunt, illis tamen conditionibus servatis, quas episcopi juxta eorum conscientiam necessario apponendas judicaverint.

CAP. III.

Eo tempore prohibentur cibaria prohibita in tabernis & domibus publicis, nisi justa causa.

Prohibeant omnino episcopi ne quadragesima, aut aliis jejuniis in cauponibus, aut diversoriis carnes, aut cæteri illiciti, & vetiti cibi coquantur, vendantur, aut habeantur, nisi in necessarium alicujus usum, ut præcedenti capite dictum est; ea forma servata, poenasque inobedientibus imponant quas arbitrabuntur.

CAP. IV.

Hortantur omnes servare jejunia, & maxime advocatorum.

Monentur omnes Christifideles, ut jejunia omnia servent, & maxime vigilias ab ecclesia indictas, ac eas, quæ in civitatum, ac aliorum locorum patronorum honorem constitutæ sunt; ingrati enim animi est, non omnia in eorum venerationem impendere, quorum patrociniis, ac precibus infinita a Deo beneficia accipiuntur.

RUB. XLIII.

De decimis.

CAP. I.

Decimæ integræ sunt persolvendæ secundum loci consuetudinem, sub poena excommunicationis, & plebanis quartesimum solvatur.

CUm præceptum divinum de solvendis decimis, aut contemnitur, aut negligitur; ad eam inopiam, & egestatem ecclesiæ rediguntur, ut facile debitis obsequiis,

ANNO CHRISTI 1573.

quiis, & cultu deſtituantur; idcirco juxta Tridentinæ Synodi decretum, præcipitur omnibus cujuſcumque gradus, & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, ut eis, ad quas de jure tenentur, eccleſiis, aut perſonis, quibus legitime debentur, integre perſolvant ſecundum locorum conſuetudines; alioquin tam ſubtrahentes eas quam impedientes ab ordinariis excommunicentur, nec niſi plena reſtitutione ſecuta abſolvantur, plebaniſque pars, quæ quadrageſima, ſeu quarteſima dicitur, reddatur, juxta dictum morem; ſi qua vero prædia a decimarum ſolutione injuſta occaſione, aut prætextu ceſſaverint, epiſcopi ipſorum locorum in quo ſita erunt, uſu, ut ſupradictum eſt, præſtare eas compellant.

CAP. II.

Rectores ſemel in anno publicent decretum de decimis ſolvendis.

Atque ut populis innoteſcat, quam periculoſo ſe facinore obſtringant, qui decimas abnegant, parochis itidem ipſis præcipitur, ut ſemel ſaltem quotannis, quo tempore epiſcopi expedire cenſebunt, aut ipſis commodius fuerit, decretum ſupradicti concilii Tridentini de decimis inter miſſarum ſolemnia frequenti populo legant, publice ac materno ſermone interpretentur.

RUB. XLIV.

De rebus eccleſiæ recuperandis.

CAP. I.

Epiſcopi & rectores eccleſiarum bona male alienata ad eccleſiæ proprietatem reducere curent.

SAcri Tridentini concilii auctoritate præcipitur ſingulis epiſcopis, ut ipſi, vel eorum vicarii adjunctis duobus, altero quidem ex capitulo, altero ex civitatis clero, qui juris periti ſint, quique illi aptiores videbuntur, quorum alter a capitulo, alter a clero eligantur, tum eccleſiarum rectoribus petentibus, tum etiam ex officio recognoſcant quaſcumque locationes bonorum eccleſiaſticorum ad longum tempus, ſeu ad vigintinovem annos, ſeu ad duplicatum vigeſimum nonum annum, quæ ante publicatam Tridentinam ſynodum intra annos triginta confectæ fuerint, judicent, ac decernant, an cum eccleſiarum detrimento, an contra canonicas ſanctiones, an omiſſo juris ordine contractæ; ex quo tamen cauſis pendentibus nil præjudicii afferatur; quod ſi ad epiſcopum, vel ejus menſam bona locata pertineant, aut ipſe, vel ipſius vicarius, commiſſarii, ſeu executores fuerint, ad viciniorem epiſcopum cum ſupradictis a capitulo & clero electis recognitio, ac judicium ejuſmodi transferatur; ſi vero etiam ipſi legitime recuſari poterunt, duo alii eodem pacto a capitulo, & clero adjungantur, qui eam tantum cauſam cum illo epiſcopo recognoſcant, & judicent.

CAP. II.

Ordinarii etiam alienationes hoſpitalium ab annis xxx. perquirant.

Ordinariis itidem præcipitur, ut diligenter inquirant, an bona quæcunque eccleſiaſtica etiam hoſpitalium, ea conditione alienata ſint, ſi apoſtolica accederet confirmatio; quod ſi in aliqua ejuſmodi alienatione, & præcipue, quæ ſupradictos triginta annos non excedunt, compererint conditionem non expletam, revocent ut irritam, & inanem.

CAP. III.

Probibetur locatio cum anticipata ſolutione.

Nulla eccleſiarum bona anticipatis penſionibus locentur, nec, ſi id fiat, ſucceſſoribus officere nullo modo poterit.

CAP. IV.

Judices ſuper confirmatione ſi in evidentem *&c. indemnitati eccleſiarum maxime provideant.*

Epiſcopi, aut eorum vicarii eccleſiaſticorum bonorum alienationes, auctoritate apoſtolica confirmaturi, ſedulo curent, ut diligenti inveſtigatione adhibita, & in rem præſentem euntes, rite, recte, ac mature omnia faciant, adeo ut omnino eccleſiæ indemnitati conſulatur.

CAP. V.

Ordinarii ſemel in anno publicari faciant populo decretum concil. Trid. contra occupatores rerum eccleſiæ.

Rogantur in Domino omnes epiſcopi, & obſecrantur, ut ſaltem ſemel quotannis caput xii. ſeſſionis xxii. de reformatione, quod incipit, *ſi quem clericorum*, in die dominica Lætare, per publicum concionatorem frequenti populo publicetur, ac vulgaribus verbis exponatur, ut omnes tam clerici, quam laici ſciant, & meminerint, eccleſiaſticarum rerum occupatores ipſo jure excommunicatos eſſe, neque ab alio, quam ab ipſo pontifice Maximo, abſolvi poſſe.

RUB. XLV.

De indulgentiis.

CAP. I.

Rectores doceant populum effectum indulgentiarum.

CUm indulgentiæ a ſummo pontifice conceſſæ publicandæ erunt, doceant parochi, & apud eccleſiam eſſe earum concedenda-

ANNO CHRISTI 1573.

darum potestatem a Christo illi collatam, & illarum usum plurimi faciendum, cum Christifidelibus magno emolumento fructosissimæque sint animarum saluti.

A

CAP. II.

Quid sit faciendum per episcopum super abusibus indulgentiarum.

Diligentissime scrutentur episcopi, siquæ indignitates, aut absurditates in usum indulgentiarum se insinuaverint, easque singillatim adnotatas ad provinciale concilium, quod sequitur referant, ut communi consilio ad sanctissimum Rom. pontif. deferantur, quo auctore quidquid expedierit constituatur.

B

CAP. III.

Indulgentiæ omnes perpetuæ cum onere aliquid præstandi sunt abrogatæ.

Pius V. fel. rec. Pontifex Max. quascumque indulgentias, etiam perpetuas, quas qui consequi voluissent, manus conferre debeant adiutrices, quasi ad quæstum ductas, penitus abrogavit, quod neminem ignorare pium valde ac necessarium est.

RUB. XLVI.

De processionibus.

CAP. I.

Etiam exempti, & laicorum confraternitates secundum loci consuetudinem debeant processionibus interesse, ac redire in eum locum, unde primo discesserunt sub poena.

PRocessiones suo tempore fiant eo ordine, ac religione, qua decet, ad quas accedere omnino teneantur non solum regulares, & exempti, sed etiam confraternitates laicorum secundum consuetudinem loci, aut secundum quod fuerint ab episcopis convocatæ, hoc semper servato, ut capitulum cathedralis ecclesiæ, ad locum unde discessit, ab omnibus reducatur, sub poenis episcoporum arbitrio imponendis.

CAP. II.

Præcedentiarum lites extrajudicialiter ab episcopo appellatione remota terminentur.

Præcedentiæ vero, quæ maximo populi scandalo disputari, & disceptari aliquando solent, ab episcopis etiam extrajudicialiter omnino componantur, ac tollantur; atque illud quod in ea compositione statutum fuerit, brachii sæcularis invocatione ab omnibus, appellatione remota, decretum inviolabiliter servetur.

C

CAP. III.

In processione Corporis Christi locus processionis ornetur & apparetur.

In quibus omnibus processionibus, & præsertim in festo sanctissimi Corporis Christi in locis, per quæ incedere solent, is ornatus, apparatus, & decor appareat, qui præsentiæ, & aspectui Salvatoris Domini nostri convenire videantur; fideles vero in associatione reverentiam, pietatem, & religionem eam servent, ut fructum tam pii operis, & laboris a Domino consequi possint.

D

RUB. XLVII.

De funeralibus.

CAP. I.

Pro funeralibus non potest aliquid peti, nec exigi.

SOla charitatis ratio clericos, tam sæculares, quam regulares adducere debet, ut Christifidelium funeribus intersint, piis precibus defunctorum animabus suffragaturi; quare ab omni eos decet avaritiæ corruptela, & ostentatione alienos esse: prohibentur igitur ne exequiarum, sepulturæ, aut anniversariorum causa quidquam omnino paciscantur, petant, aut exigant, aliudve committant, unde symoniaca labes, aut cupiditatis suspicio contrahi possit.

E

CAP. II.

De ordine procedendi in processionibus funeralium defunctorum inter regulares, & sæculares.

Ne controversiis, ac contentionibus, quæ inter parochos sæculares, quoscumque nasci solent, locus relinquatur, decernitur, aut cum ex parochia regulari ad regularem etiam ecclesiam funus deducendum est, regularis, qui parochiam exercet aut eum repræsentat, superpelliceo & stola, seu pluviali ornatus digniorem locum teneat, etiam inter ludi magistrum & choristam, seu hebdomadarium supremæ ecclesiæ; cæteri vero correguläres eo ordine contineantur, quo in processionibus uti consueverint: regulares porro, in quorum ecclesia funus consistit, inter regulares primum teneant locum, nisi monachi adsint, quibus mendicantes omnino cedant: quod si e parochia sæculari funus egrediatur, ad ecclesiam regularem, in qua cura sit animarum, producendum, vel e converso, digniori serie regulares incedant, aut stent; inter sæculares autem parochus ille præcedat stola, ut supra, aut pluviali indutus, ad cujus ecclesiam cadaver defertur, sed eodem habitu par ille sit ex cujus parochia effertur. Qui autem secus fecerint, sæculares arbitrio episcopi, & regulares per tres menses suspensi sint, aliis etiam poenis, pro modo culpæ sæcularibus ab episcopo infligendis.

CAP.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. III.

Parochi retinere debent librum mortuorum.

Jubeantur parochi librum habere, in quo parochianorum suorum, qui decesserint, nomina omnia diligenter, & dies obitus annotentur; alioquin, ut episcopo videbitur, puniantur.

CAP. IV.

De clericorum habitu in exequiis.

Clerici autem universi sæculares, dum exequiæ fiunt, superpelliceis, seu alio quo uti in ecclesia possunt habitu induti in funere sint, & ipsi quacumque dignitate, ac prærogativa præditi, ac etiam regulares omnes, non ante discedant ab exequiis, quam officium absolutum fuerit; & tunc si capitulum ecclesiæ cathedralis aderit, prout dictum est de processionibus, omnino deducatur; alioquin portione ex funere adepta, aut ejus compensatione priventur, quæ pauperibus pro suffragio defuncti tribuantur, aliis poenis etiam contra contumaces ab episcopis statuendis.

CAP. V.

Quod cera destinata in funere spectet ad ecclesiam, & vestes restituantur.

Atque ut omnis, & turbæ, & scandali occasio evitetur, declarat hæc synodus omnem ceram, quæ quocumque modo est ad associandum funus destinata, ipso jure ad ecclesiam illam pertinere, in qua defunctus sepelitur, sine tamen præjudicio quartæ parochialis; insuper statuendo, quod etiam vestes, ornamenta, & alia ejus generis ab ecclesia cum licentia parochi extrahi debeant, ita ut sine tumultu restituantur.

RUB. XLVIII.

De sepulcris.

CAP. I.

Cadaverorum deposita ne super terram tollantur, nisi ea ænea vel marmorea sint, & hæc etiam nisi altari sint proxima, vel non multum eminentia, & ecclesiam impedientia, & prohibentur in eis apponi insignia bellica.

ILlam quorundam ambitionem detestandam esse, & abolendam prorsus decrevit, qui cum nihil aliud, quam pulvis & cinis sint; eminenti tamen, & excelso loco cadavera collocari volunt; quapropter capsæ omnes, depositæ, seu aliæ, ubi corpora mortuorum condi solent, si supra terram existant, & quæ parietibus adjuncta ex altera parte eminent, nisi marmoreæ, aut ænea, ab ecclesiis tollantur, juxta fel. recor. Pii V. constitutionem: Ænea autem, & marmorea sepulcra retineri posse declarat, si altari non adhæreant, vel extra murum non multum emineant, aut alias ecclesiam ipsam non impediant; neque in illis vexilla, aut arma bellica, aut alia hujus generis ornamenta affigi, aut apponi ullo modo posse decrevit.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. II.

Cæmeteria clausa custodiantur.

Et quia cæmeteria ad sepeliendum destinata maxima cum irreverentia in aliquibus locis, & magno populi scandalo negliguntur, ante omnia usum in ipsis sepeliendi, ubi commode fieri potuit, synodus ad pristinum ecclesiæ morem revocandum esse statuit, districte præcipiendo, ut ea loca ad cæmeterium destinata, parochi clausa eo modo teneant, ut neque bestiis pervia, neque immunditiis exposita esse possint. Idque episcopi efficiant, ut etiam poenis eorum arbitrio impositis a parochis diligentissime servetur.

RUB. XLIX.

De suffocationibus.

CAP. Unicum.

Parochi semel in mense admoneant lactantes mulieres, & præcipiant eis in lecto retinere capsulas, & de poenis suffocationis.

UT autem suffocationibus in posterum provideatur, quæ passim ferme impune prætermittuntur, hortatur hæc synodus omnes episcopos, ut efficiant, quod a rectoribus saltem singulo quoque mense populus doceatur, eique declaretur gravitas hujusmodi culpæ, mulieribusque lactem propriis, vel aliis infantibus præbentibus præcipiatur, ut nullo modo ipsos in lecto absque capsula retineant; contrafacientes vero, tam poenis pecuniariis quam censuris ecclesiasticis in subsidium, & etiam exilii a diœcesi, vel metropoli puniri possint, quæ poenæ extendantur etiam ad earum maritos (quia cum sit caput mulieris vir) hujus transgressionis culpam habere maxima ex parte putantur: contra suffocantes vero supradictæ poenæ pro modo culpæ ab episcopis gravissime augeri possint, addita etiam condigna, ac salutari poenitentia, ab ipsis tantum injungenda; atque interea teneantur omnes revelare parochis mulieres, quæ pueros in lecto absque capsula contra hujus decreti dispositionem retinuerint, & eos, qui non revelaverint, etiam si opus fuerit excommunicandos esse decrevit.

ANNO CHRISTI 1573.

SESSIO QUARTA.

Et ultima celebrata die XIV. Aprilis MDLXXIII.

RUB. L.

De piorum locorum administratione.

CAP. I.

Quales esse debeant administratores piorum locorum.

Piorum ecclesiasticorum locorum administrationi ut ii præsint episcopi curent, qui pietatis studiosi, vitaque probati dignoscantur, quique ea integritate, ac prudentia præditi sint, ut tamquam pauperum parentes eorum patrimonium cum summa fide & abstinentia procurent.

CAP. II.

Ad quid teneantur Hospitalarii locorum,

In hospitalibus episcoporum studium maxime versetur, ut omnes quocumque titulo, ac nomine hospitalia tenentes, & gubernatores re ipsa, & cum effectu officio suo satisfaciant, & in hospitalitate tiam peregrinorum servanda pauperes, & indigentes benigne recipiantur, & caritative tractentur, ita ut qui hospitalitatem, aut nullo modo, aut negligenter servant ab episcopis omnibus juris remediis, ac etiam censuris, si opus fuerit, ad id omnino præstandum compellantur.

CAP. III.

Ad idem tendit.

Curatores etiam hospitalium, quæ sunt ad pauperum infirmorum necessitates destinata, accurate dent operam, ut omnia quæ sunt, tam ad corporum sanitatem, quam ad animarum salutem necessaria, infirmis ministrentur, adeo ut peccatorum confessio quam primum fiat; communio vero, extrema unctio, & commendatio animæ suo tempore non desint. Medici quoque medicamenta, & ministri omni munditia, & diligentia præsto sint, ita ut morte intervenient curatorum negligentia nulla ex parte culpari possit, decedentium nomina genus, ac patria in proprium librum deferantur, & pia sepulturæ, ac exequiarum justa, qua decet, caritate persolvantur.

CAP. III.

Prohibentur parentes exponere proprios filios.

Commonendi sunt parentes, ne in orphanotrophiis filios suos infantes exponant, quos ipsi alere etiam industria valent, ut sciant se ad restitutionem alimentorum prorsus teneri.

CAP. V.

Expositi, effecti adulti, artibus, & moribus imbuantur, ac erudiantur.

Infantibus ipsis in orphanotrophiis expositis, & nutrices quæ lactent, donec baptizentur, & alendi locantur; & omnia alia pro illorum cura ita comparentur, ut periclitandorum puerorum nulla occasio esse possit: cum vero ipsi ad eam ætatem pervenerint, quæ ad disciplinam est idonea, tam masculi, quam feminæ pro facultatibus, & opportunitate locorum, & instruantur moribus, & artibus erudiantur, quæcumque sexui convenire videbuntur.

CAP. VI.

Rectores piorum locorum episcopo reddant rationem, vel magistratibus, quibus ex consuetudine convenit.

Et tandem administratores quicumque hospitalium, fabricarum, confraternitatum, ac aliorum piorum locorum quorumcumque juxta concilii Tridentini decretum, teneantur rationem reddere ordinario: & si ex consuetudine aliqua, aut constitutione magistratibus, aut aliis personis reddenda esset, tunc & ipsis reddatur. Episcopi vero exequi sedulo curent, ut in ipsa administratione, & culpa & negligentia, prout juris fuerit, emendetur, & puniatur; & præsertim provideant, quod redditus & fructus fabricæ ecclesiarum, ante omnia in sacras vestes, & alia ornamenta ecclesiæ impendantur, prout necessarium & opportunum visum fuerit, non obstante quacumque consuetudine.

RUB. LI.

De confraternitatibus laicorum.

CAP. I

Confraternitates ab ordinario approbatæ visitentur.

Quoniam a sacro concilio Tridentino fuit expressis verbis episcopis graviter injunctum munus visitandi etiam confraternitates laicorum; in illud episcopi incumbant, ut ipsæ constitutiones integre, & inviolabiliter observentur; quæ tamen ab ipsis episcopis & approbatione, & subscriptione munitæ, & roboratæ fuerint; adeo ut divinus cultus, atque probata ipsorum vita merito apud dominum commendetur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. II.

Laici prohibentur concionari, ac habere sermones de rebus fidei, & religionis, exceptis professoribus, & qui licentiam ab episcopo habuerint, qui secundum morales sermones faciant.

Præcipitur præterea omnibus & singulis gubernatoribus, custodibus, confratribus, & aliis quibuscumque laicis, qui in hujusmodi confraternitatibus conveniunt, ne posthac concionari, aut verba facere in dictis societatibus præsumant de rebus ad christianam fidem, & catholicam religionem pertinentibus, nisi prius fidei professionem emiserint, & ab episcopis licentiam in scriptis obtinuerint, exceptis illis qui post maturam deliberationem ab rectoribus, & gubernatoribus idonei reperti, & electi fuerint ad faciendos juxta consuetudinem loci morales sermones, in quibus confratres tantum ad virtutes cohortari & a vitiis deterreri solent.

Siqui vero in prædictis deliquerint, ab episcopis correcti etiam ipsorum arbitrio puniantur.

CAP. III.

Ex se patet.

Comessationes, & compotationes, aut alia ejusmodi in oratoriis confraternitatum nullo unquam tempore fiant, excepto tamen die Cœnæ Domini, quo tempore provideant episcopi, ut nihil fiat, quod contra pietatem, & reverentiam tantæ solemnitatis esse videatur: extra oratoria in dictis confraternitatum locis refectiones non aliter fiant, quam de licentia episcopi, & tunc de propriis non de confraternitatum bonis.

RUB. LII.

De monialibus.

CAP. I.

Episcopi clausuram etiam in exemptis monasteriis servari curent.

QUod ad monialium reformationem, tutelam, & curam pertinet, abunde Tridentinæ synodi statutis, & præsertim Fel. rec. Pii Quinti constitutionibus procuratum videtur.

Quare episcopi ad effugiendam obtestationem divini judicii, & interminationem maledictionis æternæ, qua maxima possunt diligentia, clausuram in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero auctoritate apostolica inviolabiliter conservari procurent; & propterea, ut in hoc tam necessario & salutari munere officio satisfaciant, vehementer eos hortatur hæc sacra synodus, & ut visitationibus, & aliis quibuscumque rationibus necessariis, & opportunis, & omni studio & vigilantia utantur, quæ eos apud Deum, & homines, tam in foro exteriori, quam interiori excusare possit.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. II.

Prohibetur confessoribus, & gubernatoribus habitatio juxta monasteria, & quibus casibus permittuntur crates & rotæ in dictis locis.

Ne nimia familiaritate aliquis contemptus oriatur, statuit, ut, ubicumque commode fieri poterit, confessores, & gubernatores in domibus, ipsis monasteriis conjunctis non habitent: & si quando ex necessitate aliqua loci sit arbitrio episcopi habitatio relinquenda, tunc crates, rotæ, & omnia alia hujus generis, quæ ad clausuram maxime pertinent, nullo modo in dictis habitationibus permittantur; quin immo muro, quam primum obstruantur, & etiam in dictis domibus non habitent.

CAP. III.

Quales esse debeant rotæ, & crates; & quod moniales cum mare non loquantur, nisi velo nigro mediante, exceptis consanguineis, usque ad tertium gradum.

Efficiant præterea episcopi, ut rotæ etiam per quas mittuntur, aut recipiuntur a monialibus opportuna, parvæ sint, & ferris interiectis munitæ; singulis vero fenestris, & ad loquendum destinatis, sint duplices illæ crates infixæ, non minus palmo inter se distantes, ex quibus non liceat monialibus cum mare aliquo colloqui, nisi nigro velo obducto, præterquam cum patre, avo, aut alio consanguineo, usque ad tertium gradum exclusive, etiam si licentiam adeundi ab episcopo habeant; & inobedientes, prout contumacia, aut negligentia exegerit, poenas subeant.

CAP. IV.

Intra claustra loci prohibentur dari cibaria colonis, & aliis quibuscumque sub pœna.

Præfectis autem quibuscumque monialium præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, & sub privationis, aut suspensionis poena arbitrio ordinarii imponenda, ne permittant intra claustra monasterii colonis, aut quibuscumque aliis quacumque de causa cibum dari; sed statim rebus adportatis, jumentisque exoneratis, extra claustra exire cogantur.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. V.

In abbatißarum electione quid ſit faciendum, & quod ultra triennium non eligantur.

In electione abbatiſſæ, prioriſſæ, aut quocumque nomine præfectæ, accuratiſſime ſerventur ea omnia, quæ a ſacro conc. Tridentino præcepta ſunt, tam quo ad modum electionis, quam quo ad ætatem, & alias conditiones in eo explicatas, quæ electio in monaſteriis epiſcopis ſubjectis poſthac ultra triennium non extendatur; neque confirmetur, niſi legitimo monialium voto: quod ſi iterum electæ fuerint, tunc toties confirmari poſſint, quoties epiſcopis expedire viſum fuerit, ubi tamen fuerint triennales.

CAP. VI.

In monaſteriis cibus, potus, & veſtitus ſint communes, & quod proprium non poſſideant.

Curent epiſcopi, ut eadem ſynodus jubet, ut in omnibus monaſteriis cibus, potus, veſtitus communis ſit, quo ad fieri poſſit, obſervetur, ac præſertim ne bona tam mobilia, quam immobilia contra dictæ ſynodi præſcriptum moniales proprie poſſideant, ſed quidquid eis relictum, datum, aut quoquomodo acquiſitum fuerit, abbatiſſæ tantum & cameratiæ tradatur, ac conſignetur, unde prius illius, cujus cauſa collatum, opera comparatum eſt, neceſſitati conſulatur; quod reliquum fuerit in monaſterii uſum transferatur.

CAP. VII.

Confeſſores pro ſpiritualibus non ingrediantur intra ſepta monaſterii niſi pelliceo, & ſtola veſtiti; pro temporalibus autem cum uno ex operariis, vel epiſcopi ſpeciali licentia ingrediantur.

Monialium confeſſores, gubernatores, aut quocumque nomine ſacerdotes earum ſpeciali monaſterio addicti pro adminiſtratione ſacramentorum, niſi ſuperpelliceo, ſtolaque induti monaſterii ſepta ingredi caveant: ſi autem pro aliqua temporali neceſſitate ſit omnino ingrediendum, tunc aut duo ex ipſis, aut alter eorum cum uno ſaltem ex operariis ingrediatur, aut alias de epiſcopi licentia ſpecialiter obtempta, quam in caſibus neceſſariis epiſcopus tantum dare debet.

CAP. VIII.

Quales eſſe debeant earum confeſſores.

Confeſſores, cappellanique monialium viri probi, provecta ætate, ac probatæ vitæ, & quam maxime poterunt, doctrina præditi, eligantur: confeſſores itidem extraordinarii, ut jubet ſancta ſynodus ab epiſcopis in monaſteriis ſibi ſubjectis offerantur, & concedantur ſaltem ante feſtum aſſumptionis beatiſſimæ Virginis, & poſt impoſitionem Cinerum, ſeu aliis temporibus, quod magis epiſcopus probaverit.

CAP. IX.

De examine faciendo ingreſſuris monaſterium extra ſepta monialium.

Memores quoque ſint abbatiſſæ juxta formam concilii Tridentini certiorem facere epiſcopum de tempore profeſſionis monialium ſub poenis ſuſpenſionis ab officio, & aliis arbitrio epiſcopi infligendis. In examine autem ab epiſcopo, vel a vicario, aut ab alio deputando, tam ante ſuſceptionem habitus, quam ante profeſſionis tempus faciendo, ea diligentia, & prudentia adhibeatur, ut libertas virginum Deo dicandarum ſemper integra, & inviolata remaneat, & appareat, doceaturque ſpecialiter puella de gravitate votorum regulæ, & clauſuræ, atque irrevocabili profeſſione emiſſa, libertatis amiſſione, atque ut facilius effici poſſint, & extra monaſterii ſepta, & in ejus eccleſia examinetur.

CAP. X.

Sine epiſcopi licentia, aliqua non admittatur in monaſterium, & quod earum numerus ſit juxta facultates, & conſuetas eleemoſinas.

Cum jubeat ſancta Tridentina ſynodus, ne plures recipiantur in monaſteriis, quam pro redditus annui, vel conſuetarum eleemoſinarum quantitate ſubſtentari commode poſſint, epiſcopi, etiam in monaſteriis ab eorum cura & regimine quomodocumque exemptis, cum illarum ſuperiorum interventu, juxta formam literarum. S. D. N. Gregorii XIII. ſtatuant monaſteriorum redditibus, aut piis auxiliis computatis, quis numerus cuique conveniat, ita, ut excedi non poſſit, neque tamen quomodocumque inconſulto, & non permittente epiſcopo ulla admittatur, alioquin præfectæ puniantur, prout epiſcopo videbitur.

CAP. XI.

Miniſtri omnes tam ſpirituales quam corporales, ab epiſcopo approbentur, & cum ejus licentia ingrediantur.

Quicumque monialium miniſterio, & ſervitio futuri ſunt gubernatores, confeſſarii, cappellani, medici, piſtores, famuli, atque alii artifices antequam recipiantur, in monaſteriis ſibi ſubjectis, ab epiſcopo approbentur. Nec illi prius monaſteria ingrediantur, quam ab epiſcopis, ſeu eorum vicariis ſcriptam licentiam acceperint.

CAP.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. XII.

Ex se patet.

Puellæ educationis, aut custodiæ causa in monasteriis non recipiantur sine episcopi, monialibus, & præfecta consentientibus, licentia, quæ minoribus viii. annis non concedatur, nisi aliud episcopo videatur.

CAP. XIII.

Velata virgine ostia monasterii claudantur, & omnes dimittantur, nisi in locis extra civitates & oppida.

Cum virgines velandæ erunt, absoluta consecratione, statim monasterii ostia claudantur, omnesque dimittantur, qui convenerant, nisi aliud episcopus expedire judicaverit; prandiumque ibi nullum fiat, nisi extra civitates, aut oppida monasterium situm est.

CAP. XIV.

Abbatissæ, & cameriæ rationem quotannis reddant episcopo, vel deputatis ab eo.

Præcipitur omnibus episcopis, ut quotannis duos ex cathedralium ecclesiarum canonicis constituant, adjuncto etiam si opus fuerit calculatore, qui una cum aliis secundum consuetudinem loci ad id deputatis diligentem administrationis rationem a monialium negotiorum gestoribus exigant; si vero ipsæ moniales sua administrent, episcopis ipsis, aut ab eis eligendis rationem reddant, quacumque consuetudine non obstante, neque vero propterea impediatur quo minus ex instituto monasterii etiam abbatissæ rationem reddant: quod si quis monasterium defraudasse deprehensus fuerit, quadruplum illi rependere compellatur, atque administratione pro delicto in perpetuum privetur.

CAP. XV.

Literæ missivæ etiam consanguineis ab abbatissis videantur; & quæ ad eas missæ fuerint.

Illud quoque distincte prohibetur, ne moniales aliquibus, etiam si parentes sint literas scribant, aut mittant, nisi prius lectæ & cognitæ fuerint a monasterii præfecta; quod esse diligentissime servandum in quibuscumque literis, quæ ad moniales scriptæ, aut missæ fuerint, synodus ipsa declaravit, & statuit.

CAP. XVI.

In monasteriis deputetur locus carceris.

Ut quas Dei timor a malo fortasse non revocat, temporariæ coercitionis formido exterreat, in omnibus monialium monasteriis locum carceri destinatum abbatissa, & gubernator constituant.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. XVII.

Quod per supra sancita, comprehendantur etiam monasteria exempta.

Postremo ut debitæ executioni mandentur omnia, & singula de monialibus, ut supra decreta, quæ ad restituendam, & retinendam clausuram valde necessaria esse existimavit, synodus expresse declarat omnia, & singula in superioribus capitibus de monialibus contenta, quæ ad clausuram tantum spectare videntur, locum habere debere non solum in monasteriis episcopis subjectis, sed in aliis quoque omnibus exemptis, etiam si regularium curæ, & regimini sint quocumque modo commissa, & propterea episcopos monendos esse censuit; prout præsenti decreto monet, & hortatur, ut statim prædicta omnia & singula tam ordinaria, quam apostolica auctoritate exequantur, sub poenis, & censuris, etiam contra clausuræ violatores, ac perturbatores in sacro concilio Tridentino contentis, aliisque episcoporum arbitrio imponendis; alioquin eorum negligentiam in provinciali synodo esse supplendam & coercendam, omnibus testatum esse voluit.

CAP. XVIII.

Oriundæ ex clarissimis consiliariis reipublicæ Florentinæ declarantur etiam loco olim descendentium ex vexilliferis Justitiæ.

In erectione, seu fundatione quorundam monasteriorum dioecesis Florentinæ certum reperitur onus injunctum, ut ibi nullæ moniales recipiantur, nisi ex nobili prosapia ortæ, & quorum majores supremum in civitate magistratum, qui tunc vexillifer Justitiæ dicebatur, obtinuerint: sed cum ea potestas (ut est temporis varietas) sit deinde abrogata, nec possit illa voluntas sine magno monialium incommodo, si invi verborum sistant, adimpleri; declarat hæc synodus recte ab eis satisfieri posse, si ex his familiis etiam accipiant moniales, quæ Locumtenentis, & qui a conciliis summi Magistratus splendore sint illustratæ.

RUB. LIII.

De medicis.

CAP. I.

Medici non visitent infirmum, non confessum post tertiam visitationem.

AB una fel. rec. Innocentii, & ab altera Pii V. Pontif. Max. constitutione longe salubberrima prænoniti, multorum saluti consulere episcopi poterunt, si medicis ad infirmos in lecto jacentes evocatis

præ-

ANNO CHRISTI 1573.

præciperetur, qui post secundam vel ad summum tertiam visitationem illos moneant, ut juxta sanctæ Romanæ ecclesiæ ritum omnia peccata sua sacerdoti confiterentur; nisi ob aliquam rationabilem causam prætermittentes, infirmos ipsos visitare non audeant: quod si qui medicorum prædicta non observaverint, mulctentur juxta pontificum constitutiones.

RUB. LIV.

De testamentis.

CAP. I.

Notarii tenentur episcopis denuntiare legata ad pias causas, & canonica portio solvatur.

QUoniam piis defunctorum voluntatibus jura maxime favent, & tamen vel hæredum, executorumve, aut avaritia, vel notariorum negligentia, aut impietate persæpe ad pias causas relicta occulta manent, & quasi cum defuncti cadavere tumulata; monet synodus omnes notarios requisitos ab episcopo teneri ad denunciandum legata facta ad pias causas, uti sumi de eis nota possit, quando tamen juxta leges loci & consuetudinem id facere possint. Atque ut ecclesiis jura sua restituantur, statuit, ut posthac canonica portio integre, & realiter persolvatur non obstante quacunque consuetudine, aut privilegio.

CAP. II.

In curia episcopi retineatur liber legatorum piorum.

Ut autem horum legatorum memoria facilius custodiatur & observetur, statuit, & ordinavit in qualibet curia episcopali retineri debere librum, in quo specialiter ista describantur, per notarium ad id deputatum; qui notarius describens pro scriptura, & labore, in redigendo memoriam cujuslibet legati in codicem designatum, aliquam mercedem arbitrio episcopi consequi debet ab eo: cui legatum hujusmodi relictum fuerit, scribent enim notarii nomen testatoris, legatarios, diem, annum, & testes.

RUB. LV.

De foro competenti.

CAP. I.

Causæ etiam regularium, & hospitalium, & locorum piorum in prima instantia coram judice ecclesiastico agendo, vel excipiendo agitentur, vel cum licentia episcopi ex causa concedenda, alias omnia acta sint nulla.

QUoniam causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes juxta sacros canones, coram ecclesiasticis dumtaxat judicibus debent cognosci & terminari: ideo episcopi suo arbitrio poenis, & censuris (si opus fuerit) afficiant omnes, & singulos clericos, etiam regulares, administratores hospitalium, & aliorum piorum locorum quorumcumque, qui in causis ut supra vel agendo, vel excipiendo, vel aliter in judicio, & foro sæculari comparere, vel eis se subiicere præsumpserint, nisi de licentia episcopi, quæ raro, & ex causa tantum concedatur: declarando præterea nullius esse roboris, vel momenti processus & actus quoscumque, qui tam in præmissis, quam in omnibus aliis causis ad forum ecclesiasticum ex decreto concilii Tridentini pertinentibus coram judice & foro sæculari quacumque occasione, aut prætextu actitati, aut ventilati fuerint: atque ut hoc decretum inviolabiliter servetur, episcopi diligenter operam dabunt.

CAP. II.

Causæ omnes appellationum tractari debent in civitate Florentiæ, & committi judicibus in rotulo descriptis.

In secunda autem, & tertia instantia causæ omnes appellationum tractari, & cognosci debeant in civitate Florentiæ, vel coram archiepiscopo, vel ejus vicario, quando erit appellatum a sententiis suffraganeorum; vel coram judicibus a sede apostolica delegatis in causis, ubi necessaria est apostolicæ sedis commissio: quos quidem judices commissarios deputandos esse debere voluit unum vel plures ex numero eorum dumtaxat, qui erunt descripti in rotulo; & si partes alios judices extra descriptos, & designatos in rotulo impetraverint, puniri voluit.

CAP. III.

Procuratores, & notarii contrafacientes præcedentibus capitulis priventur curia, sine spe restitutionis, nisi intra octo dies causam reduxerint ad ordinarium.

Eos igitur notarios, & procuratores, qui contra præmissa causas in prima instantia per alium, quam per loci ordinarium, & in secunda, & tertia instantia committi, aut delegari alicui judici in rotulo non descripto, vel qualiter quidquam fecerint, aut procuraverint, eo ipso ingressu curiæ ordinariorum suorum, a quibus causam amoverunt, privatos esse voluit, nisi celeriter, idest, nisi intra viii. dies causam, ubi erat cognoscenda, restitui vere curaverint, de notariorum, & procuratorum rotulo sine restitutionis spe omnino tollendos.

CAP. IV.

Quid agendum quando delegatus allegatur suspectus.

Sed ne tamen cogatur quis litigare coram

ANNO CHRISTI 1573.

ram judice suspecto, statuit, ut si quis recusaret causam suam coram aliquo judice delegato agitari, compareat, & causam suspicionis alleget, tuncque, ut juris est, eligantur tres arbitri sorte ex numero eorum, qui erunt descripti in rotulo judicum delegatorum, qui suspicionis causam infra quindecim dies cognoscant, & terminent, quibus elapsis, si causa suspicionis definita non fuerit, delegatus procedat in causa, rejectis omnibus appellationibus, & recusationibus. At si contingeret per eosdem arbitros electos delegatum esse jure merito suspectum, voluit forte extrahi quatuor ex judicibus etiam rotulo descriptis, & delegatus teneri alteri eorum, vel duobus conjunctim, si ei videbitur causam committere, & delegare, a quibus judicibus si postea contingat appellari, voluit servari omnia quæ servanda sunt, quando ab ipso delegato provocatur, & appellatur.

CAP. V.

Notarius prohibetur causas agere, & procurare, nisi ab episcopo approbetur; & qui in patrociniis deliquerint vel erraverint, priventur curia ad libitum episcopi.

Nullum notariorum tractare causas, acta rogare, vel procuratoris officium exercere posse statuit quomodocumque coram aliquo judice ecclesiastico sive ordinario, sive delegato, nisi sit de notariis, aut procuratoribus deputatis ab episcopo, cujus foro, vel curia se exercere voluerit; qui quidem notarii ab episcopo non aliter eligantur, & approbentur, nisi sint experientia, probitate, scientia, & ætate præditi, ut in illis delinquendi suspicio haberi non facile possit: quod si erraſſe, aut deliquisse reperti fuerint in litibus, & causis ecclesiasticis, ac spiritu alibus, exercendi usum perpetuo, vel ad tempus eis prohibere episcopi debent, nullaque appellatio interdictionem ordinarii ullo modo suspendat, prout idem Tridentinum concilium decrevit.

CAP. VI.

Actorum notarii in foro ecclesiastico Florentino non excedant numerum xii. in foro Fæsulano duorum, in aliis locis relinquitur arbitrio episcopi, & acta per se, vel per substitutum approbatum solum scribantur sub poena.

Numerum autem notariorum deputandorum ad acta conscribenda non excedere numerum quatuordecim statuit, & ordinavit, quorum duodecim deputari voluit in curia archiepiscopali, & duo in curia episcopali Fæsulana; in aliis vero foribus, & curiis episcoporum, liceat locorum ordinariis tot eligere, ac deputare, ac constituere quot tribunalis negotiis, causisque sufficere videbitur; qui quidem notarii universa judicii acta per se, vel substitutum ad probandum, non per alium scribere debeant, alias qui contrafecerint, eo ipso per mensem ab actibus conscribendis sint suspensi; subnotarios autem, sive substitutos possunt pro actibus exemplandis, & copiis exhibendis de licentia ordinariorum suorum habere quot voluerint.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. VII.

Procuratoris officium quis non potest exercere, nisi examinetur, & prohibetur acta scribere.

Ne ex procuratorum imperitia vilescat ministerium episcopalis curiæ, statuit nullum posse procuratoris officium exercere in causis vertentibus coram ecclesiasticis judicibus, tam ordinariis quam delegatis, nisi fuerint diligenter examinati, & approbati per locorum ordinarios, iis tamen conscribere acta sit omnino prohibitum.

CAP. VIII.

In curia deputentur procuratores pauperum, e bursa extrahendi, qui gratis causas agant; idem servetur quando litigans non invenit procuratorem.

Ne pauperes procuratorum defectu propter eorum inopiam indefensi remaneant; statuit, quod ordinarii in suis curiis procuratores pauperum instituere non omittant, ut si contigerit miserabilem personam litigare, judex, coram quo judicium vertitur, teneatur mandare extractionem ex bursa procuratorum ad id deputatorum unius ex illis, qui in apodissis in dicta bursa nominatis continebuntur; & qui fuisset ita extractus, debeat gratis officium suum impendere sub poena privationis ab usu & exercitio procuratoris in foro ecclesiastico: eumdem quoque modum servari voluit, quando aliqua pars litigans non invenit ex dictis procuratoribus, qui patrocinium suæ causæ suscipere velit, sub eisdem poenis.

CAP. IX.

Notarii in causis ordinariis extrahantur e bursa, exceptis causis executivis, feudalis & beneficialibus.

Ad tollendas suspiciones in judiciis, quæ non minus oriri solent contra notarios, quam contra judices, statuit, & decrevit in omnibus causis non executivis excedentibus summam librarum ducentarum, sive agatur coram ordinariis, sive coram delegatis, & aliis judicibus ecclesiasticis, quocumque nomine censeantur, notarios, e communi burci in curia Florentina extrahendos esse, & in quacumque etiam alia curia alterjus loci cum illa reservatione ad libitum episcopi causarum criminalium, feudalium, & beneficiorum, quas inter notarios ejus arbitrio sibi reservavit; in aliis vero curiis episcoporum is ordo modusque servetur, quos episcopi magis expedire judicaverint, dummodo suspiciones hujusmodi magis quam fieri potest, tollere curent.

CAP.

ANNO CHRISTI 1573.

CAP. X.

Notarii extra curiam, in civitate Florentiæ non possunt rogare contractus rerum ecclesiæ, ac materiarum spiritualium, alias fidem non faciant.

Statuit nullum notarium rogare posse in civitate Florentiæ contractus rerum ecclesiasticarum ad forum ecclesiasticum pertinentium, ut decretorum interpositiones, beneficiorum renuntiationes, vel ad renuntiandum procurationes, sponsaliorum dissolutiones, & similia, nisi sint descripti in numero notariorum curiæ archiepiscopalis Florentinæ, aut episcopalis Fæsulanæ: scripturas vero hujusmodi ab aliis notariis confectas, scriptas, & rogatas nullam in ecclesiasticis judiciis fidem facere statuit, & decrevit, nisi essent confectæ, & rogatæ extra civitatem Florentiæ; quia tunc eisdem fidem adhibendam, & attendi debere voluit, proinde ac si a notariis deputatis confectæ, ac rogatæ fuissent.

CAP. XI.

Clerici vassalli laicorum a laicis possint judicari, sed contra eos non potest fieri executio in personam, vel rebus ecclesiæ.

De clericis tamen, & laicorum vassallis, ratione feudi, quod a laicis tenent, judicari posse declaravit, ut scilicet feudo privari possint, & in feudalibus bonis contra eos fieri executio; in persona autem, aut ecclesiasticis bonis, nullatenus distringi, aut judicari.

CAP. XII.

In causis mixti fori locus sit præventioni, & eas declarat quæ sint.

In causis autem extra præmissa pietatem concernentibus, ut reprimere divites, ne carius debito victualia vendant, ne aromatarii res adulteratas, ut factores, lanii, pistores, & hujusmodi habeant mensuras, pondera justa, causæ miserabilium personarum, coactio laicorum ad satisfaciendum legatis piis, punire perjuros, adulteros, stupratores virginum, sodomitas, sacrilegos, incestuosos, concubinarios, violatores pacis, effractores ecclesiarum, blasfematores Dei, & sanctorum, vendentes, aut laborantes diebus festivis, seu festa quomodolibet inhonorantes, piratas, seu corsarios cum suis fautoribus, spoliantes Christianos, qui naufragium patiuntur, publicos latrones, & alia crimina, quod misti fori judicari videntur, voluit locum esse præventioni.

CAP. XIII.

Mantellatæ, corrigiatæ, & fratres de tertio ordine sine collegio habitantes in propriis domibus subjiciantur sæcularibus, & eorum parochianis in spiritualibus.

Sequendo decreta Lateranensis concilii in XI. sessione statuit mantellatas, corrigiatas, & fratres de tertio ordine, & similes personas, conveniri posse coram laicis judicibus, & ab iisdem judicari, quando in propriis domibus sine collegio habitant; secus autem, quando una in congregatione viverent: nec non ejusdem concilii vestigiis inhærendo; declaravit eorumdem fratrum de tertio ordine, mantellatarum, corrigiatarum, & id genus in propriis domibus habitantium personas, quo ad sacramenta recipienda, & jura parochialia omnia, ut seculares judicari, & pro sæcularibus haberi debere, sicque teneri a parochis, Extremam unctionem, Eucharistiam in Paschate, ceteraque ecclesiastica Sacramenta recipere, ipsosque ecclesiarum rectores ab ecclesiis, apud quas sepulturam elegerint, consuetam funeralium partem exigere, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, hactenus in contrarium observatis.

CAP. XII.

Contra illos, qui judicium sæculare fugientes, ordines assumunt, vel professionem emittunt.

Quo ad illos autem, qui judicii sæcularis declinandi gratia ordines assumunt, aut professionem emittunt, siquidem id jam lite mota faciunt, nullatenus prodesse declaravit, quo minus ab eo judice, coram quo judicium incoeptum est, civiliter judicentur: si vero ante motam litem ad clericales fuerint ordines promoti, sæcularem effugere statuit potestatem; quinimmo & criminaliter judicari posse declaravit, quando accepti ordinis, vel emissæ professionis tempore pro aliquo crimine perpetrato carceri adjectus erat.

CAP. XV.

Eædem probationes sufficiant contra eos in foro ecclesiastico, quæ validæ erant in curia sæculari.

Quod utique generaliter obtinere voluit, quandocumque in foro ecclesiastico est contentio de iis, quæ gesta sunt a personis, quæ tempore natæ obligationis suberant alicui foro, in quo leviores erant probationes, ut scilicet eædem probationes in foro ecclesiastico parem vim eamdemque habeant efficaciam.

RUB.

ANNO CHRISTI 1573.

RUB. LVI.

De judicibus delegatis.

CAP. I.

Forma eligendi, & qualitates assumendorum in delegatos.

CUrent episcopi, ut in prima (quæ cogatur) dioecesana synodo ex decreto Tridentini concilii præscriptus eligatur numerus insignium virorum, qui canonici cathedralium sint, aut in dignitate ecclesiastica constituti, canonum scientia, ac probitate vitæ ornati, qui judices delegati ab apostolica sede, aut ejus legatis, & nuntiis in causis, quæ fori ecclesiastici sunt, soli constitui possunt, atque descripti ad sanctissim. D. N. mittantur; ceteraque omnia persolvantur, quæ in dicti concilii decretis tradita sunt.

CAP. II.

Quod delegati intra X. dies latæ sententiæ teneantur dare motiva actuariis sub poena, & in locum præmortui, vel absentis episcopus alium substituat ejus loco, & non possunt reddere jura in ecclesiis, sed in locis per eos eligendis.

Hi autem infra decem dies a die latæ per eos sententiæ causas, & rationes, ac auctoritates, quibus adducti ad homodo pronunciandum fuere, scriptas, aut subscriptas propria manu notarii, qui acta causæ conscripsit, consignare teneantur actis adscribendas; alioquin vigintiquinque mulctam aureorum pro dimidia parti succumbenti, & altera dimidia egentibus monialibus ab episcopo declarandis ipso facto applicatam. Siquis autem ex supradictis decedere, aut juste abesse contigerit, alius per episcopum subrogetur, qui eodem modo adnotatus ad superiores superius nominatos deferatur. Caveant autem ejusmodi judices, ne in ecclesiis ullo modo jus dicant, sed eligant archiepiscopalem curiam Florentinam, vel episcopalem Fæsulanam, vel alios locos, qui sibi commodiores videbuntur.

CAP. III.

Ambæ partes sportulas pro dimidia deponant actuario ante actorum exhibitionem.

Qui omnes delegati sportulas, quæ in dioecesanis synodis, vel ab episcopis constituentur, post latas sententias accipiant, quæ sportulæ per ambas partes pro dimidia ante exhibitionem actorum in manus actuarii deponi debent.

CAP. IV.

Prohibentur judices etiam quid obsequii accipere.

Omnes judices ecclesiastici, tam ordinarii, quam Delegati, nihil muneris omnino a litigatoribus, aut eorum causa accipiant, non modo pecuniam, sed nec obsequia quidem, aut aliud, quod pecunia extimari possit, sub poenis episcopi arbitrio inferendis.

RUB. LVII.

De causarum avocationibus, & de judiciis.

CAP. I.

Forma judiciorum, quæ fuit in synodo tractata, relinquitur in futura synodo, & interim ordinarii provideant.

QUod vero attinet ad formulam judiciorum, quæ in alia provinciali synodo hoc loco latissime tractata fuit, cum nequeat hoc tempore ea ratione præscribi, ut omnibus locis accommoda æqualiter esse possit, hæc sacra synodus eam in dispositione, stilo, & consuetudine, quo ad prædicta tantum usque ad futuras synodos dioecesanas relinquendam esse decrevit, ita tamen, ut interim etiam hujus synodi auctoritate litium diuturnitati, & anfractibus, ac litigatorum artibus, & cavillationibus, prout ecclesiarum status requiret, omni diligentia, & studio ab ordinariis provideatur.

RUB. LVIII.

De excommunicatione.

CAP. Un.

Abstinendum est a censurarum fulminatione, & executione.

REcte fuit a sacra Tridentina synodo statutum, ut excommunicationes, atque etiam quæ monitionibus præmissis fieri solent ad finem revelationis, non nisi sobrie & magna circunspectione concedantur, cum gladius iste nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ: quare episcopos hujus etiam synodi hortatu meminisse oportet, ut tam in monitionibus, quam etiam in executionibus civilibus & criminalibus a decernendis hujusmodi censuris omnino abstineant, nisi forma exacte servetur, quam Tridentinum concilium accuratissime præscripsit. Illudque etiam animadvertant, quod si eorum culpa hæc arma spiritualia contemni contigerit, nullo modo se excusare poterunt, quominus Deo rationem reddere debeant de pernicie, quæ loco salutis animarum hac de causa secuta fuerit.

ANNO CHRISTI 1573.

RUB. LIX.

De pœnis.

CAP. Un.

Pœnæ conſtitutionum, arbitrio ordinariorum, inſpectis circumſtantiis moderentur.

QUoniam ob varietatem locorum non poteſt in legum executione omnis æqualitas, et idem módus ſervari multæque ſtatutæ ſunt poenæ, quæ moderatione in aliis dioeceſibus indigeant; præterea poſſint epiſcopi quaſcumque poenas in his conſtitutionibus expreſſas, pro qualitate locorum ad ſtatum ſuarum eccleſiarum, ut res expoſcere videbitur redigere et coaptare, quos non dubitandum eſt omnia ad pietatem, et animarum ſalutem relaturos. In poenis item infligendis capitulis et canonicis cathedralium eccleſiarum, eorum privilegia ſalva maneant juxta concilii Tridentini conſtitutiones.

RUB. LX.

De conſtitutionibus.

CAP. I.

Verba conſtitutionum ad litteram intelligantur.

ATque ut cavillationibus locus nullus, et occaſio præbeatur, conſtitutiones ad verborum proprietatem, et (ut dicitur) ad literam intelligantur, nulla admota, aut intenſiva interpretatione, ultra quam verba ipſa ſignificent.

CAP. II.

Infra duos menſes poſt impreſſionem conſtitutionum poenæ habeant locum.

Hæ conſtitutiones, quatenus novi aliquid ſtatuant, aut novas imponant poenas, ex quo impreſſæ fuerint, infra duos menſes vim ſuam obtinere, & quoſcumque tenere decretum eſt.

RUB. LXI.

De interpretatione conſtitutionum.

CAP. Un.

Dubitationes ſuper conſtitutionibus declarentur ab archiepiſcopo, cujus declarationi ſtare debeant provinciales, abrogatis omnibus aliis conſtitutionibus priſtinis, ſalva pontificis, & ſuprema auctoritate.

SI in his conſtitutionibus dubitationis, aut ambiguitatis aliquid quomodocumque exortum fuerit, reverendiſſimus metropolitanus in ſua provincia interpretabitur, cujus ſententiam omnes ſequi omnino teneantur, quouſque alia ſynodus provincialis habeatur, abrogatis penitus omnino, præterquam ut ſupra decrerum eſt de cauſarum avocationibus, et judiciis, priſtinis omnibus conſtitutionibus; in civitatibus vero, et dioeceſibus exemptis epiſcopi ipſi eo interpretandi et declarandi munere fungantur uſque ad prædictum tempus, ſalva tamen ſanctiſſimi D. N. et ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſuprema auctoritate, cui omnia in hac ſynodo decreta, et acta interpretanda, mutanda, et emendanda, qua debet obedientiæ propenſione, ac reverentiæ humilitate ſubjiciuntur.

RUB. LXII.

De bulli apoſtolicis publicandis.

CAP. Un.

Curent epiſcopi bullæ omnes pontificum vulgari ſermone publicari.

EPiſcopis valde curæ ſit, ut ſummorum pontificum bullæ non ſolum in his decretis memoratæ, & hactenus emanatæ, ſed quæcumque aliæ pro tempore emanabunt, frequentibus populis, ut in more eſt, materno ſermone exponantur, ac ſæpius in memoriam revocentur, ne ignoratione, aut negligentius obſervent, aut ſi omiſerint, vel contra convenerint, in cenſurarum, quos illæ contineant, laqueos inciderent.

RUB. LXIII.

De fine ſynodo imponendo.

CAP. Un.

Finis ſynodi.

CONfectis jam, Deo favente, abſolutiſque iis, quæ hoc potiſſimum tempore pro reſtitutione, et conſervatione eccleſiaſticæ diſciplinæ in provincia Florentina ſtatuenda, & decernenda fore videbantur, ipſam ſynodum merito dimittendam eſſe exiſtimamus.

Quare reverendiſſimi patres, placet ne vobis, ut ad laudem omnipotentis Dei huic ſynodo finis imponatur, & confirmatio omnium decretorum nomine hujus ſacræ ſynodi per reverendiſſimum D. archiepiſcopum ſanctiſſimo D. N. petatur?

Reſponderunt. Placet.

Acclamationes patrum in fine ſynodi.

1 BEatiſſimo Gregorio domino noſtro ſanctæ et univerſalis eccleſiæ pontifici, cujus auctoritate hoc ſacrum provinciale concilium inchoatum et perfectum eſt, multi anni et æterna memoria.

Reſp. Domine Deus ſanctiſſimum patrem diutiſſime eccleſiæ tuæ conſerva multos annos.

2 Sereniſſimo Coſmo Etruriæ magno du

ci

ANNO CHRISTI 1573.

ci noſtro orthodoxo & chriſtianæ religionis defenſori bona valetudo & multi anni.

Reſ. Catholicum & chriſtianæ religionis defenſorem, imperator cæleſtis, conſerva, multos annos.

3 Illuſtriſſimo et reverendiſſimo Ferdinando S. R. E. cardinali perpetua felicitas & verum gaudium.

Reſ. Perpetuam felicitatem & verum gaudium tribuat Deus.

4 Sereniſſimo Franciſco principi noſtro, qui hanc ſacram ſynodum protexit multæ gratiæ & multi anni.

Reſp. Magnas gratias & multos annos.

5. Reverendiſſimo domino archiepiſcopo hujus ſanctæ ſynodi præſuli, & reverendiſſimis epiſcopis, vita & felix ad eccleſias reditus.

Reſp. Præconibus veritatis perpetua memoria, orthodoxo ſenatui multos annos.

6 Sacroſanctæ provincialis ſynodi decreta.

Reſp. Semper confiteamur, ſemper ſervemus.

7 Omnes ita credimus, omnes id ipſum confitemur, omnes idem ſentimus.

Reſp. Ita credimus, ita confitemur, ita ſentimus.

8 His decretis inhærentes digni reddamur miſericordia et gratia præfati magni ſupremi ſacerdotis Jeſu Chriſti Dei, intercedente ſimul inviolata Domina noſtra Deipara et omnibus ſanctis.

Reſp. Fiat, fiat. Amen, amen.

Ego Antonius Altovita eccleſiæ metropolitanæ Florentinæ archiepiſcopus ſupradictis omnibus decretis conſenſum præſto, & manu propria ſubſcripſi, &c.

Ego Bernardettus Minervettus epiſcopus Aretinus ſedi apoſtolicæ immediate ſubjectus eligens &c. ſupradictis omnibus decretis conſenſum præſto, & cum jam factis proteſtationibus, quas & hic repeto, ſubſcribo, &c.

Ego Nicolaus Tornabonius epiſcopus ſancti ſepulcri, ſupradictis omnibus decretis conſenſum præſto, & ut ſupra ſubſcripſi, &c.

Ego Spinellus primus epiſcopus Polſtianus ſedi apoſtolicæ immediate ſubjectus eligens &c. ſupradictis omnibus decretis conſenſum præſto, & cum jam factis proteſtationibus, quas & hic repeto, ſubſcribo; &c.

Ego Ludovicus Antinorius epiſcopus Volaterranenſis ſedi apoſtolicæ immediate ſubjectus &c. eligens ſupradictis omnibus decretis conſenſum præſto, & cum jam factis proteſtationibus, quas & hic repeto, ſubſcribo.

Ego Franciſcus Diaccetius epiſcopus Fæſulanus ſupradictis omnibus decretis conſenſum præſto, & ſubſcribo, &c.

ANNO CHRISTI 1573.

Ego Carolus Vexellineus præpoſitus Piſtorienſis vicarius & procurator, & eo nomine R. D. epiſcopi Piſt. Alexandri Medices, ſupraſcriptis omnibus decretis conſenſum præſtiti, & ſubſcripſi ad laudem Dei &c.

Ego Philippus Modeſtus Can. & vicarius R. D. Honofrii Camajani procurator, & eo nomine præpoſiti Pratenſis ſedi apoſtolicæ immediate ſubjectus ſupradictis omnibus decretis conſenſum præſto, & ſalva proteſtatione ſubſcribo, &c.

Ego Guido Serguidius præpoſitus & vicarius Floren. ſynodi hujus a ſecretis &c.

Ego Sebaſtianus Medices prothonotarius Apoſtolicus hujus provincialis concilii promotor & commiſſarius &c.

Et ego Benedictus quon. Franciſci Albizi publica apoſtolica, & imperiali auctoritatibus notarius, & civis Floren. atque archiepiſcopalis curiæ Florentinæ, & hujus provincialis ſynodi Florentinæ, una cum domino Philippo Franchino coram prælibatis reverendiſſimis metropolitano, & epiſcopis, atque aliis reverend. patribus ſcriba, quia præmiſſis dum ſic decernerentur & ſancirentur interfui, & ea ſic fieri decerni, & ſanciri vidi, & audivi, & ſanctiones, & decreta, & alia facta &c. ideo in fidem præmiſſorum manu propria ſubſcripſi cum mei ſoliti ſigni appoſitione, prout ſubſcribet &c. Idem Philippus Franchinus & ejus ſignum apponet, rogatus, & requiſitus.

Et ego Philippus quondam ſer Petripauli ſer Lucæ de Franchinis de ſancto Miniate ſacris apoſtolica & imperiali auctoritatibus judex ordinarius notariuſque publicus, & civis Florentinus, necnon archiepiſcopalis curiæ Florentinæ, & hujus provincialis concilii Florentini, una cum ſupraſcripto domino Benedicto coram prælibatis reverendiſſimis metropolitano, & epiſcopis, atque aliis reverendis patribus ſcriba, quia præmiſſis dum ſic fierent & decernerentur interfui, & ea ſic fieri vidi & audivi, & ſanctiones & decreta atque alia ſupraſcripta &c. ideo in fidem omnium præmiſſorum propria manu ſubſcripſi, ſignumque meum appoſui conſuetum, prout ambo rogati, & requiſiti fuimus.

Quia ſupraſcripta decreta, & conſtitutiones concordant cum originali, ideo imprimendi licentiam impartimur; nos Ludovicus Martellius Can. & generalis vicarius Florentinus, die XXV. menſis Dec. MDLXXXIII.

ANNO CHRISTI 1576.

CONSTITUTIONES & DECRETA

PROVINCIALIS SYNODI NEAPOLITANÆ

Sub illustrissimo, & Reverendissimo Domino,

D. MARIO CARAFFA

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

Anno Domini MDLXXVI.

A. S. D. N. GREGORIO XIII. CONFIRMATA.

Annibal a Capua, Dei, & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Neapolitanus universæ provinciæ suæ Clero, cæterisque fidelibus, salutem in Domino sempiternam.

Ex edito Neap. 1580.

CUm primum suscepi onus hoc laboris, atque officii mei, cogitavi sane qua ratione possem, & muneri meo, & vestræ omnium utilitati satisfacere, ut quod mihi semel impositum erat oneris (quod sentio quam sit gravissimum) pari cum dignitate sustinerem. Plura mihi veniebant in mentem, quæ in Neapolitana hac ecclesia mea rei Christianæ necessaria esse viderentur, quæque mirifice religionem conservare atque amplificare possent. Occurrit Neapolitana synodus, felicis olim recordationis Marii Caraffæ cæterorumque coepiscoporum maturo judicio, summa prudentia, pietate singulari paucis abhinc mensibus elaborata, quæque tot sapientissimorum theologorum, juriscque pontificii peritissimorum hominum ingenia diu multumque exercuit. Nam cum hi in re varia, ac perdifficili, & operis & laboris plurimum posuissent, ad extremum incredibili consensione animorum, ac voluntatum ea decrevere, quæ summa cum honestate, & maxima utilitate essent conjuncta. Ea dum optimus Antistes edere parat, brevi immatura morte vobis eripitur: neque illi licuit tantarum vigiliarum suarum fructum aliquem capere. Ego, quoniam is mihi quoque laboris partem reliquit, pro munere, ac officio meo me facturum existimavi, si quam primum in eam rem incumberem, ut illa in manus hominum veniret, eumque omnibus utilitatem afferret, quam in primis officii mei ratio postulabat, & ego, pro mea erga omnes singulari caritate, & amore, maxime volebam. En igitur vobis novam synodum Neapolitanæ provinciæ, Romani Pontificis judicio cognitam, auctoritate comprobatam, quam etiam publicis literis ratam firmamque esse voluit; earum litterarum exemplum infra scribendum esse putavi. Porro tametsi Romanæ sedis auctoritas, & imperium, cum apud vos, tum apud Christianos omnes debent esse gravissima, quæ peculiari quodam Spiritus Sancti ductu, ac præsidio rem Christianam administrat; illud tamen vehementer hortari vos deberet, quod tot tantorumque virorum prudentia, pietate, industria excogitata conscriptaque sit, quod Pastoris vestri paterna benevolentia, & studio suscepta, quod vestra causa ad exitum usque perducta vobis hodie servanda proponatur. Atque ego de vestra omnium probitate, & egregia illa in majores vestros observantia tantum mihi polliceor, ut in certissima spe sim, vos Dei optim. max. Christi Jesu gratia adjutos, tanta cum diligentia in intimis animi sensibus hæc salutaria decreta concepturos, ac conservaturos fore, quanta nos sedulitate, ac cura publicis monumentis consignari mandavimus. Valete in Christo, fratres filiique mihi semper carissimi. Datum Neapoli in archiepiscopali nostro palatio Kalendas Septembris MDLXXX.

PERILLUSTRI

Ac reverendissimo, D. uti fratri D. archiepiscopo Neapolitano.

Per illustris, ac reverendissime domine; superioribus diebus cum SS. D. N. provincialis synodi Neapolitanæ decreta accepisset, tradi ea jussit illustrissimis cardinalibus Tridentini concilii interpretibus de more legenda, & consideranda. Quo officio, postquam cardinales studiose, diligenterque functi sunt, ac de tota re retulerunt, placuit sanctitati suæ ea nunc decreta in eum, quem, videbit modum correcta, aptataque amplitudini tuæ mitti, ut pro spectata ipsius fide, ac religione illa quam primum publicari, & observari curet. Quemadmodum facturam eam persuasum habemus; cui bonam valetudinem, ac perpetuum divinæ gratiæ præsidium exoptamus. Romæ die XXIII. Julii 1579.

Amplitudinis tuæ uti frater, Philippus cardinalis Vastavillanus.

Nos Marius Caraffa Dei, & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Neapolitanus de consilio, & assensu reverendissimorum dominorum coepiscoporum nostrorum in provinciali synododo Neapolitana hæc statuimus, & sancimus.

CON-

ANNO CHRISTI 1576.

CONSTITUTIONES EDITÆ

ANNO CHRISTI 1576.

In synodo provinciali Neapolitana, præsidente in ea illustrissimo, & reverendissimo domino D. Mario Caraffa, Dei, & apostolicæ sedis gratia archiepiscopo Neapolitano.

CAPUT I.

De fidei professione emittenda.

Esai. c. 12. sess. 25. c. 1. de reform.

CUm primum, ac præcipuum pastoris officium, cui oves manu Domini creditæ sunt, id esse oporteat, ut orthodoxa catholicaque fides sinceritate integra, & illibata permaneat, omni cogitatione, cura & opere incumbere, quo possint illæ, provinciales hæc synodus firmissimum cupiens facere fundamentum reliquarum constitutionum, contra quod ne ipsæ quidem inferi portæ prævaleant, fidei professione præmissa juxta sacrosanctæ Tridentinæ synodi decretum, & fel. re. Pii IV. bullam, omnes doctores atque magistros, sive hanc profiteantur facultatem, sive illam, itemque discipulos, ad aliquem artium disciplinarumque gradum ascensuros eandem fieri professionem præcipit emittere, idque intra duos menses ab eo die, quo hæc synodus fuerit publicata, sub poena excommunicationis latæ sententiæ juxta bullam fel. rec. Pii papæ IV. Quicumque etiam beneficium curam animarum habens assecutus fuerit, intra bimestre tempus, ex quo in ejus possessionem venerit, in manibus episcopi vel generalis ejus vicarii, alteriusque ejus officialis id ipsum non effecerit in poenam a sac. concilio Tridentino sancitam incurrat, idemque jus in omnibus constituitur, ad quos ratione ecclesiastici beneficii, quo gaudent, dioecesanæ synodo interesse spectabit: Qui vero ad dignitatem, sive canonicatum in cathedralibus ecclesiis fuerint provecti, ii jam dictam professionem non modo in manibus episcopi, vel ejus officialis; verum etiam coram capitulo emittent. Emittendæ autem professionis formula, ne quempiam lateat, hæc erit.

Sess. 24. c. 12. de reform. ibid. & extra de summa Trinit. & fid. cat. per totam.

„ Ego N. & firma fide credo, & profi-
„ teor omnia, & singula, quæ continentur
„ in symbolo fidei, quo sancta Rom. eccle-
„ sia utitur in missa, vid. Credo &c. juxta
„ formam a fel. rec. Pio papa IV. traditam.

CAP. II.

De editione atque usu librorum.

Quoniam vero docuit nos experientia rerum magistra, suspectorum pernicioso rumque librorum lectionem catholicæ fidei plurimum afferre detrimenti; sermo quippe hæreticorum (teste Apostolo) ut cancer serpit: dent operam episcopi diligentissime, ut librorum a sede Apostolica prohibitorum index, una cum poenis, ac censuris ibi contentis admodum observetur.

Decretum: libri non prius imprimantur, quam juxta Lateran. conc. sub Leone X. & lecti, & examinati fuerint; insuper, & approbati; habita quoque facultate ab illius Civitatis, in qua imprimendi erant, episcopo, appositio denique tam auctoris, tam impressoris nomine.

Nemo unquam sac. Scriptur. verba ad profana, idest ad scandala, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, divinationes, sortes, famososque libellos, vel ad id genus alia torqueat, & usurpet. Qui vero verba Dei hujusmodi violaverit, ad poenas juris, & arbitrium episcopi mulctetur.

Bibliothecæ quoque venalium librorum ab his, quos huic negocio episcopus destinarit, crebrius visitentur: deturque opera, ut nullus in eis prohibitus liber quoquomodo habeatur: qui autem contrafeciss fuerit deprehensus, præter librorum amissionem, poenis sub regula X. indicis contentis subjiciatur. Qui demum libros, vel in civitatem importare, vel inde asportare voluerit, is rem totam eisdem personis fideliter exponere teneatur.

CAP. III.

De lectione sac. scripturæ.

Ne sac. scripturæ lectio in cathedralibus ecclesiis unquam desit, dent operam episcopi ut sacr. conc. Trident. decreto satisfiat. Ubi vero ob proventuum tenuitatem ipsa sacræ scripturæ lectio juxta ipsius Tridentini concilii sanctionem haberi nequit, curent episcopi, ut saltem adsint ludimagistri, qui clericos, aliosque scholares pauperes latinis literis informent, idque gratis. At vero in monasteriis monachorum, ubi commode id fieri poterit, ipsa sacræ scripturæ lectio nunquam omittatur, qua in re si superiores negligentius se gesserint, ab episcopo loci, ut ille magis expedire noverit, compellantur, ut in sacro concilio Tridentino sancitum est.

Sess. 5. c. 1. ibid. & conc. Constantin. 6. c. 5. conc. Lat. sub Alex. 3. c. 18. & sub Innoc. 3. c. 11. & Trid. sess. 25. c. 18. de refor. ibid. & Clem. ne in agro.

CAP. IV.

De lud imagistris.

Qui erudiunt infantes, quorum tener animus, ac quocumque ducas, flexibilis est, ii non minus fide sint & vita, quam doctrina, scientiaque commendati. Nec eos tantum libros pueris non interpretentur, vel ab illis legi patiantur, qui in indice prohibentur; sed neque alios, qui rebus obscœnis, & turpibus respersi sunt, sive latino illi sermone, sive italico conscripti sint. Si enim juxta apostolorum mentem, corrumpunt bonos mores colloquia mala;

mul-

ANNO CHRISTI 1576.

multo magis christianæ vitæ puritati perniciosum est, si ex hujusmodi cœnosis lacunis tenera adhuc ætas bibere assuescat. Quod si secus fecerint, pœnæ secundum indicem librorum prohibitorum, & ordinarii loci arbitrium, subjaceant. In primis autem, præcipimus, atque per viscera Jesu Christi domini obnixius obsecramus, quæ ad christianæ vitæ integritatem plurimum habent momenti, ut eis bonis moribus, ac salutaribus monitis, præceptisque imbuant, necnon in doctrina, & religione christiana exerceant, cæteraque in eos officia præstent quæ Leo X. in Lateran. Conc. sanxit.

Prima fidei christianæ rudimenta singulis dominicis, festisque diebus pueros, aliosque rudes & infantes ludi magistri, vel parochi, vel alii ad id idonei deputati ab ordinario doceant, qui a prandio aliove commodiori tempore pueros ad ecclesiam campanæ sono convocandos curent. Ea propter ubi commode fieri possit, doctrinæ christianæ, societas & instituenda est, & conservanda.

CAP. V.

De prædicatione verbi Dei.

Quoniam vero prædicationis munus, vel maxima pars est ad christianæ vitæ puritatem collabentem, (jam ut plangimus) instaurandam, verbi Dei præcones per Jesu Christi sanguinem obtestamur, ut meminerint se de gravissimis, ac divinissimis agere, intelligant se de Deo, de re omnium maxima, de salute ipsa, de vita, ac morte animæ, de æternitate verba facere; quamobrem, ut pro verbi Dei dignitate concionandi munus tractetur, sacrosancte oecumenicæ, & generalis Tridentinæ synodi innixi vestigiis, illud serio statuimus ac præcipimus, ne videlicet illis post hac liceat, vel religioso, vel quomodolibet exempto in propriis, vel aliorum ecclesiis verbum Dei, contradicente episcopo, prædicare: ipsam autem licentiam episcopus gratis concedat. Qui de vita, moribus, & scientia examinati, approbati, & ad verbum Dei seminandum missi fuerint, ad hanc se se regulam conformare diligentissime studeant: Primum, ut quæ in sacris scripturis abstrusa, vel intellectu difficilia repererint, explanare nitantur, ne latum quidem (ut ajunt) unguem ab eo sensu discedant, quem vel ecclesiæ authoritas, vel probatorum doctorum consensus recepit, profanas vocum novitates devitantes: tum ne lubrici sint in dicendo caveant, neve huc, atque illuc omni doctrinæ vento circumferantur; sed ecclesiæ, quæ columna est, & firmamentum veritatis, inhærentes, sanum, & irreprehensibile verbum annuncient. Neque nimio studio diligentiaque inanium verborum strepitum effingant, ne sint adulterantes verbum Dei, & ad suam aliorumque perniciem se ipsos prædicent, & non juxta apostolicam formam, Jesum Christum, & hunc Crucifixum, ut prædicatio non in doctis humanæ sapientiæ verbis sit, aut sublimitate sermonis, sed in ostensione spiritus, & virtutis; in id unum toto pectore incumbentes, ut vitia ex animis hominum radicitus evellantur, & virtutes inserantur, vel jam insitæ conserventur; quod si secus factum fuerit, merito, ac jure Dominus conqueri poterit, petiisse nimirum parvulos panem, nec fuisse qui frangeret eis. Deinde neminem populo paupertatis nomine commendent, nisi ab ordinario loci testimonium ille suæ paupertatis attulerit; neque indulgentias ullo pacto publicent, nisi de episcopi licentia. Postremo, noctarno tempore nunquam ad populum habeatur concio. Cæterum, quoniam æquitas poscit, rationique consentaneum est, ut gregem pastores pascant, idcirco studeant parochi, ut in sacro Tridentino synodo decretum est, in Dominicis saltem, ac festis diebus tempore quadragesimæ, & adventus Domini plebes sibi commissas pro ejus captu salutaribus verbis pascere, ea docendo, quæ scire omnibus necessarium est, ad beate vivendum: Vitia præterea, quæ homines declinare, & virtutes, quas sectari oportet; scimus enim, qui dixit. *Væ pastoribus, qui pascebant.* Quod si in parochialibus ecclesiis, ab ordinarii jurisdictione quovis modo exemptis, illorum rectores in prædictis negligentes fuerint, ab episcopo, in quorum dioecesibus illæ sitæ sint, ad hujus decreti executionem compellantur, juxta decretum sacrosancti concilii Tridentini. Si qui vero regulares extra monasterii claustra, & suarum religionum obedientiam degunt, de licentia tamen sedis Apostolicæ ii, nisi episcopo probe noti sint, atque moribus probati, prædicare nequaquam permittantur: idem de sæcularibus ecclesiasticis volumus intelligi. Exactores denique eleemosynarum, qui etiam quæstuarii vulgo vocantur, a divini verbi prædicatione opportunis ad id remediis arceantur; quodlibet etiam quæstuariorum genus omnino prohibeatur juxta formam sacrosancti concilii Tridentini.

Sess. 5. c. 2 conc Lat ult. sess. 11 de modo prædic.

CAP. VI.

De sanctorum invocatione, & veneratione, deque reliquiis, & imaginibus sacris.

Ut universi Christifideles sanctos una cum Christo in cælo regnantes debito, (ut par est) prosequantur honore, episcopi in sua quisque dioecesi sedulo dent operam, ut omnes, qui in sanctorum venerationem cultumque quomodolibet irrepere possunt abusus, prorsus abolcantur, ac ne festi illorum sanctorum dies, qui corporis castigatione jejuniisque multis Deo placuere, comessationibus, & ebrietatibus celebrentur; salutaris Christi passio, sanctorum martyria, actionesque, nec in sacro, nec in profano loco agantur, seu repræsententur, nisi devote, & de licentia episcopi; ne, quæ fideles ad pietatem excitare debent, pro nostra corruptione, ut in his solet, ad cachinnos, & contemptum commoveant. Moneri quoque faciant in concionibus populum, ut sacris sanctorum reliquiis, quas merito S. Nicæna synodus salutares fontes appellavit

ANNO CHRISTI 1576

vit a Christo Domino relictos, & sacris imaginibus reverentiam, & venerationem habeant. Provideant insuper, at sacræ imagines sic effigientur, ut illarum aspectus nec turpitudinis cogitationem aspicientibus injiciat: moneanturque pictores, ne dum artis potius ostentandæ, quam devotionis excitandæ ratio habeatur, contrarium omnino finem ecclesiæ fini consequantur.

Insolitæ imagines, novæque reliquiæ, & miracula populo minime proponantur, nisi ab ordinario loci re prius diligenter inspecta, accurateque discussa, fuerint approbata juxta formam sacri concilii Tridentini sess. 25. Quantum autem ad pingendarum maginum rationem modumque pictoribus, atque sculptoribus expresse mandetur, ut ordinario loci faciendæ figuræ, seu statuæ exemplum exhibeatur, ut cum ejusdem facultate illas sive sacras, sive profanas conficiant; insuper ecclesiæ, seu capellæ & oratoria licet privata ad Divinum cultum tantum dicata, sine ordinarii licentia non erigantur, nec dirutæ, in profanos, vel sordidos usus convertantur.

CAP. VII.

De maleficiis, & veneficiis.

Tomo 1. Canon. 36.

Malefici, qui se quibusdam ligaminibus, nodis, characteribus, verbisque obscœnis, sacra profanis immiscendo, mentes hominum quo volunt movere, ac perturbare pollicentur, ac omnes quovis malficcii genere tacite, vel expresse pacta cum dæmonibus ineuntes, acriter ab episcopo puniantur, tamque ipsis, quam ipsorum opera utentibus excommunicationis poena aliaque a sacris canonibus statuta adhibeantur. Mulierculæ etiam, si hujusmodi artificium exercere fuerint convictæ, necnon homines, qui verbis etiam sacris, vel cantionibus, quibusdam pagellis, quæ sunt juxta concilium Laodicenum magna obligamenta animarum, vulnerata corpora curant, vel morbos pellere profitentur, sub excommunicationis poena aliisque secundum sacros canones, & arbitrium ordinarii omnino prohibeantur.

CAP. VIII.

De pravis, & superstitiosis consuetudinibus.

Si quæ pravæ parumve cum nostræ religionis integritate consentientes consuetudines in populum Christianum hominum vitio irrepserint, eas vigilans pastorum cura extirpet. In primis autem caveatur, ne post hac ante, vel circa templorum, aut sacrarum ædium fores choreæ ducantur, neve dum processiones (quas vocant) sibi invicem occurrunt ad Christi in Cruce pendentis imaginem exosculandam, reliquæ imagines ad se mutuo applicentur. Prohibeatur vulgatus illorum usus, qui ad suum arbitratum compatres vocantur, aut commatres; sed ii tantum hoc sibi nomen fortiantur, qui in baptismo, vel in confirmatione patrini fuerint. Cum scripturæ dicat, *annunciate, quæ ventura sunt, in futurum; & sciemus, quia Dii estis vos*; nemo est sanæ fidei, qui dubitare possit, ea quæ a libera hominum pendent voluntate, & divina ordinatione, a nullo nisi ex divina revelatione scire posse; proinde ridiculas divinationes, juxta sanctorum patrum decreta, condemnantes, districte præcipimus, ut interdicatur ægyptiis mulieribus, quas vulgo cingaras appellant, aliisque meris chiromantiæ nugis deditis, ut futura, ex quibusdam manuum lineamentis ne divinent, ac prædicant; similiter omnes aliæ divinationes, tam ex astrologia, quam ex geomantia, & idromantia, & aliis, quæ diabolicis inventis fiunt, explodantur. Operæ pretium sane erit Christifideles abhortari, ut ab illa consuetudine vel potius malæ consuetudinis corruptela abhorreant, & recedant, qua post alicujus suorum obitum templum Dei per annum, vel aliquot menses non adeunt; prohibente apostolo, ut non contristemur, sicut & cæteri, qui spem non habent; quin potius dent operam, ut quisque intelligat, & Deo opt. max. gratius, & defunctorum animabus utilius fore, si templa frequentarint, sacrisque officiis interfuerint, preces ad Deum pro eis fundendo, ut poenis pro peccatis debitis expiatæ ad cælum evolent. Admoneant præterea parochi plebes sibi a Deo commissas, ut omnem superstitiosum cultum magnopere declinent; cujusmodi esse solent, quæ non sine dolore accepimus, & quo diligentius caveantur, breviter attingenda putavimus, venas die Ascensionis, vel die sancti Joannis Baptistæ incidere, pedes abluere, in mari natare, carduos herbarumque semina nocte, quæ diem Divo Joanni sacrum præcedit, colligere, panem scriptum alteri dare, ovum Annunciationis, vel Ascensionis, vel sextæ feriæ majoris hebdomadæ reservare, reputare omnino verum infantium, nimirum primos calceos, necessario ex lupina pelle esse conficiendos.

Cum aberravit bestia, nemo astra adjuret, sibique persuadeat eo in loco illam esse, versus quem moveatur astrum; sponsorum umbellam a pueris tantum, qui parentes superstites habeant sustineri oportere; jubere sponsam, cum sponsi domum primo ingrediatur, ovum pede frangere, vel in eam frumentum projicere; alia ecclesiæ janua egredi oportere, quam qua ingressi fuerint, maxima est superstitio. Parentes etiam sponsis super pannum, vel tappetum, in templo, ut fieri solet, benedicentes in benedictionibus piis verbis utantur, sublato quovis abusu, & superstitione. Obstetrices dum sub puerperæ lectum superstitiosa quædam verba proferunt, sunt etiam superstitiosæ habendæ; ceram e sigillis sepulchri, quod in ecclesiis ad memoriam sepultoræ Christi Redemptoris singulis annis erigitur, & paratur, in superstitiosum quendam cultum conservare superstitio quoque est haud parva: quæ omnia vulgari sermone conscripta parochis tradantur populo frequentius in ecclesiis explicanda.

ANNO CHRISTI 1576

Esai. c. 43.

CAP.

ANNO CHRISTI 1576.

CAP. IX.

De blaſphemia.

Deteſtabile blaſphemiæ malum diabulo præceptore introductum, ut hic incipiat ſocios habere, quos in æternum poſſideat criminis conſortes, cupientes omnino extirpari, ut Dei omnipotentis honor, quo ad ejus fieri poteſt, in dies augeatur, ſicut noſtri muneris ratio exigit, contra impudentes divinæ majeſtatis, ac ſanctorum ejus blaſphemos provocamur, ut a tali tantaque Dei injuria, vel ſic abſtineant; ſcriptum quippe eſt: *Qui blaſphemat nomen Domini, morte moriatur*. Statuimus ergo & decernimus, ut qui palam maledicta, convicia, aut obſcœna verba in Deum ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, vel in ejus beatiſſimam Genitricem, vel in aliquem ſanctorum plena veneno mortifera lingua protulerit, is ſi clericus fuerit ad ordinarii arbitrium ad fructuum eccleſiaſticorum privationem, & beneficii depoſitionem uſque plectatur, juxta conſtit. conc. Lateran. ſub Leone X. Quod autem ad laicos attinet, ſciant ſe non impune abituros, ſed poenis ſacris canonibus, & apoſtolicis conſtitutionibus ſtatutis mulctatum iri. Admonemus autem confeſſarios, ut ne oſcitanter, & leniter cum iſtiusmodi blaſphemis ſeſe gerant, ſed acerba, ac ſevera impoſita poenitentia in eos animadvertant, ut ſacrum Lateranenſe concilium decrevit. Hortamur inſuper eos, qui hujusmodi blaſphemantes audiverint, ut ordinem fraternæ correptionis a Domino præſcriptum velint ſervare.

Levit. c. 24. Tom. 3. & ſeſſ. 9.

Ibidem.

Math. c. 16.

CAP. X.

De Dominicis feſtiſque diebus.

Ne quis Dominicos aliosve feſtos dies, vel univerſalis eccleſiæ auctoritate conſtitutos, vel antiqua in noſtra hac provincia ejuſque dioeceſibus conſuetudine receptos, & admiſſos transgredi, & violare audeat, poena ſecundum ordinarii arbitrium ad pios applicata uſus adhibeatur. Primum ergo ſinguli curent ſacroſancto Miſſæ ſacrificio intereſſe, (& quo ad ejus fieri poteſt) a peccatis omnibus, quæ vel maxime ſervorum opera ſunt, abſtineant. Moneantur parochi, ut in publicis concionibus hortentur populum, ut patres familias, atque matres curam adhibeant, ut puellæ nubiles ad eccleſias ſeſe conferant, & miſſæ ſacrificio feſtis diebus interſint; ſevere prohibemus ne his diebus opera ſervilia ullo modo exerceantur, neve ulla officina ad vendendum aperta ſit, pane, & vino, ac pro ægrotis neceſſariis pharmacis exceptis, quæ vendi poterunt; carnes vero, fructus, & herbam, elapſa Miſſarum hora intra officinas vendere permitantur.

Nundinæ, ſive mercatus, ut multi vocant, quæ ſemel aut bis in hebdomada fieri ſolent, nulla ratione in feſto fiant, ſed in proximum futurum diem, vel in alium non feſtum, ut loci commoditas feret, transferantur. In eccleſiis publice promulgetur populo, ut infra duos menſes ad hujuſce provincialis ſynodi publicationem conveniat, & paret ſe ad executionem, veteri abuſu rejecto. Si feria ſecunda, vel ſexta dies feſtus erit, in tertiam, vel quintam feriam mercatus transferatur. Qui vero contravenerint, ſecundum ſacros canones, & epiſcopi arbitrio, æſtimata rerum, & perſonarum qualitate mulctentur, invocato ad hoc auxilio, brachii ſæcularis. Inſtituant epiſcopi, & parochi populum, ut feſtis diebus a ludis, equeſtribus certaminibus, choreis, & ſalutationibus in urbe, vel alibi ſe cohibeant; quin potius divinorum officiorum, & concionum ſit quiſque auditor aſſiduus, ne quod maxime dolendum eſt, in populo gravi, ſive hæreditate Chriſti jure illud ſpiritaliter impleatur, quod olim in ſpiritu defleverat Hieremias: *viderunt eam boſtes, & deriſerunt ſabbata ejus*. Derident enim dæmones haud dubium chriſtianas plebes, cum vident inde per prævaricationem legis Deum inhonorari, unde eccleſia ad laudes, & gratias tantæ majeſtati filios ſuos excitare conatur. Oeconomi ſæculares de bonis eccleſiaſticis ludos non edant, nec certamina, bravia, ſeu curſus equorum, aut alia id genus ſpectacula exhibeant. Ceſſent in cauſis civilibus executiones, præſertim cum miſſarum celebrationi vacatur. Ea de re provincialis ſynodus principes, & magiſtratus rogat in Domino, vehementerq. hortatur, ut ſuper his provideant. In ſacris locis ne pernoctetur, & ſanctiſſima illa Natalis Domini nocte ludi, comeſſationes cæteraque ejusmodi, quod indigniſſimum eſt, omni diligentia evitentur. Prohibeant etiam epiſcopi in eccleſiis, vel in baſilicarum, monaſteriorum ſeptis, porticibus, aut atriis bellariorum, & (ut vocant) taralliorum venditiones fieri; ex quibus item locis edulia, comeſſationes, choreas tripudiaque exterminent, ut domum Dei qua decet ſanctitate omnes venerentur.

CAP. XI.

De jejunio.

Ut quiſque ſpiritales primitias, atque dierum decimas ſuo creatori offerat, & juxta apoſtolicas traditiones memoria hæc converſationis Domini rite celebretur, parochi commonere faciant Chriſtifideles, ſingulis quadrageſimæ diebus, (præter Dominicos) quatuor anni temporibus, ac vigiliis jejunare ex præcepto teneri, niſi qui ætatis, vel valetudinis, vel alterius impedimenti juſtam excuſationem habuerit, obtenta tamen licentia utriuſque medici; nec ſatis eſſe ad præceptum implendum ab eſu carnium, & lactipiniorum abſtinere. Caveant itaque medici, ne in ſuarum animarum perniciem tam faciles ſe præbeant in faciendo fidem de jejunii excuſatione, vel concedendo, ut carnes comedant, quos vel nulla, vel ſaltem rationabilis cauſa ab obligatione jejunii non excipit & liberat; quod ſi ſecus fecerint; arbitrio epiſcopi puniantur. Nec ferendi ſunt qui bullis, ut ajunt, cruciatæ freti carnes,

aut

ANNO CHRISTI 576.

aut ova, aut lacticina quocumque tempore comedere sibi licere falso existimant, cum in Italia talis facultas vires non habeat.

CAP. XII.

De sacramentis.

Cum gratis communicanda noverimus, quæ gratis accepimus, & apostolus cupiat magis mori, quam ut gloriam hanc quis evacuet, omni vigilantia providendum, ut omnis avaritiæ, vel simoniacæ labis suspitio de medio tollatur prohibeaturque, ne quid in sacramentorum administratione directe, vel indirecte exigatur de poenis de jure statutis aliisque arbitrio ordinarii infligendis. Ante collationem nihil sacerdos exigat; post vero laudabilis consuetudo servetur, ita tamen, ut non exigatur per spiritualium subtractionem; sed ad evitandum populi scandalum mitius agatur, ne pereant infirmi fratres, pro quibus Christus mortuus est. In sacramentorum administratione observentur Romanæ ecclesiæ ritus, & ad cathedralem in ritibus se se conforment infetiores ecclesiæ. Non alibi sacramenta, quam in propria parochia ministrentur, nisi cum licentia ordinarii habeatur, vel necessitas utgeat.

CAP. XIII.

De baptismo.

Intra domesticos parietes baptizare non liceat, excepta necessitate. Adulti temere non baptizentur, sed ante baptismum per aliquot dies in fide Christi diligenti catechesi congrue instruantur. Baptismus quam fieri poterit infanti non differatur, tum quia indignum profecto est, ut adoptione filiorum Dei ob humana aliqua diutius fraudetur: ut nihil in ecclesia, idest domo Christi Domini, qui verus est Salomon, inordinatum, nihilque præposterum appareat, admoneantur obstetrices, ne jam jam natos infantes passim audeant baptizare, nisi imminente periculo mortis, & ubi sacerdotis, vel clerici; vel laici copia opportune nequeat haberi. Quamobrem examinentur ab ordinario, vel parocho, an veram baptismi formam probe noverint; doceantur etiam, ne quid veræ formæ, vel materiæ addant, vel detrahant, neque sal aquæ necessario admiscendum arbitrentur. Si domi baptizatus infans adhuc vixerit, infra octo dies (ut dictum est) in templo sistatur, quo in casu illud advertant parochi nimirum diligenter inquirere, num cum vera forma, debitaque materia domi fuerit baptizatus. Quod si ita factum esse constiterit, quamvis a fœmina, tunc cæremonias tantum baptismi opus erit addere; proinde caveant ne ullo pacto formam baptismi repetere, sive simpliciter sive conditione appositа, audeant; secus autem ubi res est dubia, tunc enim repetent sub conditione. Illud etiam parochi diligenter observent, ut videlicet librum habeant, in quo baptizati, parentum, & compatrum nomina, & cognomina conscribantur, cujus exemplum episcopo quotannis dent; quemque, si a parochiali ecclesia alio se contulerint, successori suo consignent. Hortentur etiam populum, ut sanctorum, non gentilium, seu ethnicorum nomina, neque multa infantibus imponant. Caveant omnino, ne plures admittant compatres, quam a sac. Conc. Trident. statutum est, sed unus tantum sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismo suscipiant, quique orationem dominicam, primaque fidei rudimenta, si fieri poterit, non ignorent. Populum erudiant, præsertim in festis solemnibus, spiritalem cognationem cum uxore tenentis baptizatum, vel confirmatum, aut cum filiis non contrahi, sed inter eas tantum personas, quæ in decreto conc. Tridentini expressæ sunt.

Ff. 24. c.

S. 24. c.

ANNO CHRISTI 1576.

Mulieres, si post partum ad ecclesiam se recipiant Deo omnipotenti gratias acturæ, benedictionem a parocho suscipiant, nec quavis de causa ingressu ecclesiæ interdici queant, si talem solemnitatem missam facere voluerint.

CAP. XIV.

De confirmatione.

Curent episcopi, ut saltem tertio quoque anno suis chrisma sacrum ministretur, quo sacramento, ut sanctorum patrum verbis utamur, confirmamur ad pugnam, armamur ad agonem, & cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur; nec ulli, qui nondum quinque sit natus annos confirmationis sacramentum, conferatur, nisi aliud ordinario videretur. Commoneantur ii qui in baptismi, & confirmationis sacramento susceptores appellantur, ut nihil de more dono dent, aut iis quos susceperint, aut illorum parentibus, sed intelligant se Christi filios spiritualiter generare, tenerique ex vi susceptionis eos in catholica fide, & probis moribus instruere, si modo parentes hoc facere neglexerint, juxta sacros canones. Hortentur autem adultos, ut facta prius peccatorum confessione, & accepto sanctissimæ eucharistiæ Sacramento ad confirmationis sacramentum accedant; spiritus enim sanctus, qui per manus impositionem datur, non habitabit in corpore subdito peccatis. Extirpentur denique abusus illi per auricularum infantis contactum, vel linteorum ablutionem, seu fasciæ solutionem, seu per aliam superstitionem, vanumque ritum contrahendæ compaternitatis; doceatur populus per susceptionem baptizati in baptismo, & confirmati in confirmatione tantum contrahi cognationem, atque eandem ex utroque sacramento, idemque matrimonii nasci impedimentum.

Sup. c. 1.

ANNO CHRISTI 1576.

CAP. XV.

De eucharistico Sacramento.

Redemptor noster Jesus Christus, qui novit figmentum nostrum, ut nos ad sui similitudinis formam repararet, divisasque vitas nostras in unum illud, ardentissima charitate colligeret unionis Sacramentum, quod propterea synaxeos patres appellarunt, instituit, ut tanti thesauri participes, & in Deum ipsum transformaremur concorporales effecti, ut pignus futuræ gloriæ, ideſt perfectissimæ cum illo unionis sub signis visibilibus teneremus. Quare cum in hoc præcipue Sacramento ipse totius sanctitatis auctor, & fons realiter contineatur, dolendum maxime est, cum in tanta affluentia fame morimur. Roganus igitur, & toto pectore monemus parochos, & concionatores, ut populum ad frequentem Eucharistiæ susceptionem ardentius hortentur, ut sacr. Tridentina synodus optat. Quod etiam episcopi pro sua pascendi cura diligentissime curabunt. Cæterum tempore Paschæ, ideſt a Dominica Palmarum, usque ad octavam resurrectionis Dominicæ, omnes utriusque sexus Eucharistiam sumant, nisi justam ob causam, & ex consilio proprii sacerdotis id in aliud tempus differre oportuerit. Distribuatur communicantibus, ubicumque tunc communicent, aliquod impressum symbolum, seu tessera, qua communicantes a cæteris internosci queant, faciantque parocho fidem. Quisque in propria parochia, vel in cathedrali ecclesia semel in anno comunicet, idque tempore Paschæ, nisi quis a parocho, vel ordinario alibi facultatem communicandi habeat, & episcopo certiore facto se communicasse. In Eucharistiæ administratione nihil sordidum sit, vel indecens, ut tantum decet sacramentum; sed sint omnia munda: nec calice consecrato, vel alio vase ad sacri calicis facto formam vinum, vel aqua fundatur, sed vitreo, quod superpelliceo induto sacerdoti portigatur. Caveat & diligenter advertat sacerdos, ne qua particula inter ministrandum excidat, id quod patena communicantium mento suppositа, vel alia commodiori ratione præstabit. Curent episcopi quam diligentissime, ut sacrosancta eucharistia in ecclesia conservetur, colloceturque in summo altari in Tabernaculo ornato, ac bene septo in pixide munda, ac decora, in vasculo demum argenteo cum corporali; luceat diu noctuque lampas accensa, vel plures, si ecclesiæ facultates id patiantur ante Tabernaculum, quod clavi bene obseretur, ipsa autem clavis penes parochum semper servetur: curet parochus, octavo quoque die particulas in pyxide residuas assumere, aliasque consecrare, ut sanctissima Eucharistia ad ægrotos summa cum veneratione, & canticis, & umbella deferatur. Parochorum sit populum sæpissime hortari, ut frequens assiduusque illam comitetur. Ea de re societates corporis Christi in parochiis instituantur, ut audito campanæ sono accurrant. Si enim erga umbram tam celebrem cultum pius, ac sanctus ille rex David legitur exhibuisse; quid faciendum erga purissimam illam arcam, ubi omnis inhabitat plenitudo divinitatis, corporaliter? Parochi plures sacræ Eucharistiæ particulas secum afferant, ne, dum ab ægroto ad ecclesiam revertuntur, populus inane vasculum adoret. Ut mortis supplicio perituris Eucharistiæ sacramentum non est subtrahendum si ostenderint evidentia poenitentiæ signa; ita nec conferendum non jejunis. Significetur itaque sæcularibus judicibus, ut parochum admoneant, ut ante diem, quo mortis supplicium subiturus est reus, Eucharistiæ sacramentum ei conferre possit, vel saltem mane ejusdem diei, quo ad mortem trahendus est; nullique dubium sit ad id de jure teneri, juxta sacrorum canonum constitutiones: neque decet enim eos tanto viatico privari, quo fortiores in conflictu tanto inveniri possint. Neque vero quod propter scelera patiantur, idcirco illis negandum est ad salutem, cum poenitentibus possint apud occultum judicem tormenta pro martyrio quodammodo reputari.

Abusus ille quo laici, vel clerici sepulchrum Domini nostri, quod quinta feria in cœna Domini erigitur, sigillis obsignant, ad tollendam omnem occasionem superstitionis funditus evellatur, ceræque asservandæ superstitio, cujus supra meminimus abolеatur.

CAP. XVI.

De sacramento poenitentiæ.

Servetur constitutio fel. rec. Innoc. III. ut saltem semel in anno proprio sacerdoti, vel alteri ab ordinario approbato singuli peccata sua confiteantur, sub poenis ibi contentis, atque aliis arbitrio ordinarii pendendis. Ipsa autem constitutio in ecclesiis cathedralibus, & parochialibus quotannis publicetur. Revocetur ad usum alia quædam ejusdem Innocentii constitutio, qua medicis præceptum est, ut ad ægrotos adducti, antequam illorum curam suscipiant, eos moneant, ut idoneo confessario sua peccata confiteantur; alioquin ultra triduum ad eos visitandos non accedant juxta constitutionem felic. record. Pii papæ V. quia valde præposterum est neglecta nobilioris, ac semper duraturæ animæ cura, curando momentaneo pulveri tantopere invigilare.

Cum autem animarum curandarum ratio corporali medicina, & subjecto & facultate scientiæ, & sit longe præstantior, longeque sit difficilior; si tam diligenti examine approbantur, quos curandis corporibus præficimus, videant diligentissime episcopi, ne temere sacerdotes ad confessiones audiendas admittantur, sed curam adhibeant non mediocrem ut tam sæculares, quam regulares clerici exactissime de vita, moribus, & doctrina examinentur, & probentur, ne vel cæco cæcum ducente ambo in foveam cadant, si scientia desit; vel mundana lepra crescat potius, si is qui purgaturus advenerat vitia corrumpat. Præsertim vero, qui con-

ANNO CHRISTI 157[illegible]

ANNO CHRISTI 1576.

confessionibus mulierum, sive laicarum, sive monialium excipiendis exponendi sunt, hi ætate maturiores sint, & qui crebro mutentur; qui autem se ultro intulerit, ac intruserit non approbatus, poenas juxta sacros canones & facti concilii Tridentini, ac arbitrio ordinarii pendet. Omnes tam canonici, quam reliqui ab examinatoribus ad audiendas peccatorum confessiones admissi, dum in alienis parochiis hoc sacramentum ministrare usuvenerit, a parocho, vel ab ordinario licentiam ministrandi impetrent. Sacerdotes absque causa necessaria ab ordinario approbanda in privatis cujusvis ædibus, nec maris, nec feminæ confessionem audiant; nec mulieres ante solis ortum, nec post occasum in ecclesiis maneant, faciendæ confessionis ergo, ne qua occasio detur adversario maledicti, excepta causa necessaria, & dum secus ordinario justa de causa visum fuerit. Sint confessionalia ad hoc munus satis accommodata, atque in patenti & aperto loco sita, & quo ad ejus fieri potest, non alibi quam in illis fiant exomologeses. Poenitens dum confitetur genuflectat; sacerdos sedeat; idque non in confessionibus laicorum modo, etiam in sacerdotum reconciliationibus. Ut autem sancta sancte administrentur, mandat provincialis synodus, ut nullus e confessariis a nobis audiendis confessionibus expositis vel approbatis petat aut exigat a poenitentibus pecuniam, aliudve temporale lucrum, sive ob poenitentiam pro peccatis perferendam, sive quod res sit restitutioni obligata, sive pro votorum commutatione, sive pro celebratione missarum, nec omnino quicquam quovis quæsito colore, ne quis juxta apostolum, nos vituperet in hac plenitudine gratiæ, quæ ministratur a nobis. Qui vero id sceleris committere præsumpserit, sit ipso facto ab audiendis confessionibus perpetuo suspensus, ac aliis poenis subjaceat a sacr. can. statutis. Et ne quis cito manus imponens, alienis peccatis communicare convincatur, caveant sacerdotes, ne ante debitam, vel famæ, vel pecuniæ satisfactionem, ubi restituendi facultas fuerit, aliquem absolvant, præcipue ubi poenitens datum in superiori confessione de satisfactione præceptum neglexerit. Confessarii tam seculares, quam regulares casus summo pontifici, & episcopo reservatos scriptos apud se habeant.

Omnibus, & singulis nostræ provinciæ vel in ea pro tempore existentibus aut commorantibus presbyteris sæcularibus, vel regularibus interdicimus, juxta decretum sacrosancti concilii Tridentini, ne sæcularium etiam sacerdotum confessiones audiant, nisi parochiale beneficium obtineant, vel ab ordinario loci fuerint per examen ad id idonei judicati, aut alias approbati, & ad confessiones audiendas admissi; ipsa autem approbatio gratis detur. Volumus etiam, ut hoc decretum quotannis, & sæcularibus, & regularibus publicetur. Ab excommunicatione majori a jure, vel ab homine lata, vel ob manus clerico violenter injectas in casu etiam episcopo reservato, ne dum papæ, simplex sacerdos absolvere non possit, neque a suspensione, & interdicto, sed neque a sequentibus casibus.

ANNO CHRISTI 1576.

CAP. XV.

Casus reservati.

Qui ordinario loci vel ejus vicario pro tempore existenti sua peccata confessus, non fuerit absolutus.

Qui dolose, vel ex proposito ignem inferens fecerit incendium.

Qui vites alienas, seu arbores fructiferas invito domino inciderit.

Voluntarius homicida, quique ejusdem criminis mandando, vel faciendo, vel consulendo, vel auxiliando particeps fuerit.

Qui membrum absciderit, aut debilitarit, simul & qui fieri mandavit, faverit, consuluerit, vel auxilium dederit.

Restitutio incertorum, non existentibus quibus restitutio fiat, excedentium summam decem aureorum.

Qui infantulos in lecto oppresserit studio, vel casu.

Qui sterilitatem procurarit, vel abortum cum effectu post jam animatum fœtum.

Qui clam matrimonium contraxerit, contraque sacrosanctæ Tridentini synodus decretum, vel contra ecclesiæ interdictum, vel in gradibus a jure prohibitis.

Sortilegus, & divinator, qui expressa, vel tacita dæmonum invocatione usus fuerit.

Testis qui falsum in judicio malitiose deposuerit, quique literas, tabellas, bullas, schedulas, processus causarum, & alias quascumque scripturas corruperit, sive (ut ajunt) falsificarit; nec non pejurus in alterius detrimentum, falsarius tam ecclesiasticæ, quam sæcularis curiæ scriba, notariusque sive actuarius, qui dolose, vel diminutam (ut dicunt) capiunt informationem, neque omnia testium dicta scribunt.

Publicus usurarius, quique in contractibus usurariis conficiendis scienter interveniunt.

Qui manifesti usurarii cadaver sepulturæ mandarit, idque scienter.

Qui testamenta, ac legata ad pias causas impedierit, occultarit, vel, cum possit, & debeat, executus non fuerit.

Notarius qui legata pia infra mensem non revelaverit.

Qui pannos, aut vestes, & habitus ecclesiarum, vel religiosorum, vel clericorum, aliave divino cultui destinata ad personatorum usum, vel sæcularium ludorum tempore, vindemiarum, aut baccanalium, seu (ut vocant) carnis privii commodaverit, vel quovis modo hujusmodi abusus erit vestibus, seu abutentes.

Qui sacro chrismate, oleo sancto, Eucharistia, vel alia quavis re sacra abusus fuerit.

Qui virgines vi oppugnarit, aut violarit, aut quascumque mulieres vi rapuerit.

Qui monetas, vel mensuras adulteravit.

Qui incestum commiserit cum patre, matre, fratre, sorore, vel cum alio consanguineorum, aut affinium usque ad secundum gradum inclusive, quique cum com-

ANNO CHRISTI 1576.

matribus, aut spiritualibus filiabus se commiscuerit.

Qui absque nostra vel vicarii licentia quosvis libros impresserit, aut ediderit.

Confessarius sacerdos, qui nomine restitutionis aut satisfactionis aut pro celebrandis missis in poenitentiam injunctis aliquid exegerit, vel (quod Deus avertat) ad turpia filias spirituales stimulàrit.

Ab infrascriptis potestas absolvendi casibus, cuipiam idoneo presbytero facile committi posse. t. ut.

Qui publice maledicta in Deum, vel in beatam Virginem, vel in Sanctos dixerit.

Qui patrem, matrem, aut parentes verberibus affecerit.

Qui contra naturam cojerint cum bestiis. B

Sacrilegus sive rem sacram de loco sacro, sive non sacram de sacro, sive rem sacram de non sacro surripuerit.

Qui in ecclesiis piisque locis fuerit actu fornicatus.

At vero sacerdos, qui ad confessiones audiendas admissus, vel deputatus a casibus reservatis absolvere præsumpserit, a nemine, nisi ab ordinario loci, vel ejus vicario absolvi possit.

Impuberibus vero & pueris, qui nondum decimum quartum agunt annum, nullus ex præmissis casibus intelligatur reservatus. Integrum autem erit locorum ordinariis hos casus, habita temporum, rerum, & personarum ratione, addendo vel diminuendo C mutare.

CAP. XVIII.

De extrema unctione.

Curet parochus, ut extremæ unctionis sacramentum ægroto, dum integris est sensibus conferat, nec in quendam articulum temporis differatur, in quo infirmus sensu omni caret, spequè recuperandæ sanitatis; sed dum mentis compos est, & sensus adhuc vigent, jungatur: sic enim fiet, ut sacramentum majori in Deum affectione, & D uberiori fructu recipiat; sublevatur enim, & morbi incommoda, ac labores levius feret, & tentationibus dæmonis calcaneo ejus insidiantis facilius resistet, & sanitatem corporis interdum, ubi animæ expedierit, consequetur. Ut autem sacramentum hoc, neque sanis corporis ministrandum est, nec jam jam ingressuris mare ventorum vi turbatum, nec paulo post prælia commissuris, nec capite damnatis, neque denique infantibus nondum usu rationis præditis; ita neque iis negandum est, quibus, mortifero vulnere accepto, mortis imminet periculum, sive superveniente febre correpti, sive ex vulnere tantum e vita decedant, etsi nec E peccata in confessione expiare, nec eucharistiam sumere potuerunt, modo tamen ostenderint signa confessionis; & contrarius abusus extirpetur: nec enim infirmos quisquam esse negaverit, quos aliena malitia, vel casus repente percusserit. Cur igitur luctaturos non ungamus, qui extremo jam prælio adversus spirituales nequitias in cælestibus colluctantur.

Exhortetur etiam assistentes parochus, dum A hoc sacramentum ministratur, pias ad Deum fundant preces. Curet etiam, ut dum sanctum oleum ad ægrotos defertur, crux, lumenque præferatur. Cum vero ad ægrotum venerit eum diligenter consoletur, horteturque, ut bono animo esse velit, atque animum a terrenis ad cælestia studeat abducere transiturus in domum æternitatis.

In mortis agone tam sacerdos, quam ægroti consanguinei illum salutaribus monitis, ac verbis consolatione plenis adjuvare laborent; quare adsit assidue ægrotanti sacerdos, præsertim vero in hospitalibus domibus id æconomi curent diligentissime.

CAP. XIX.

De sacramento ordinis.

Episcopi consecratio intra tres menses facienda, vel in curia Romana, vel in propria ecclesia, vel in propria provincia celebretur, nam cum diu differtur episcopi ordinatio non minima creatur officiorum divinorum offensio. Episcopus per se ipsum ordines conferat; justa tamen de causa impeditus suos jam bene examinatos ac probatos ad alium transmittat. Literæ dimissoriæ non ab aliis, quam ab episcopo concedantur etiam exemptis, ut statuit sacrosanctum concilium Trident. Quare Hierosolymitani milites possunt dimissorias suis subditis sæcularibus literas concedere, nec aliis quodvis obtinentes privilegium. Qui autem non suos subditos sine dimissoriis proprii ordinarii literis ad ordines promoverint, meminerint per annum se a collatione ordinum suspensos. In aliena vero dioecesi cum literis dimissoriis ordinarii, & licentia episcopi loci ordines conferre licebit, ut declaratum est in cap. ult. sextæ sessionis.

Cum ad sæcularem militiam temere non admittantur, quos carnalia arma tractare non constat; indignum sane fuerit spiritualia militiæ arma, & potentia Deo ad inimicorum destructionem accepturos passim ac sine delectu clericali militiæ adscribi; quare juxta decretum sacrosancti conc. Tridentini, prima tonsura non initientur, qui nondum septem nati sunt annos, vel confirmationis sacramentum non susceperunt, vel fidei rudimenta ignorant, vel legere, & scribere nesciant; vel demum, de quibus probabilis conjectura non est, eos, non sæcularis judicii fugiendi fraude hoc vitæ genus sibi elegisse, juxta decretum sacrosancti concilii Tridentini. Nullus in minoribus ordinibus constitutus fori privilegio gaudeat, nisi habitum, & tonsuram deferat clericalem, & alicui ecclesiæ, vel in seminario ex mandato episcopi inserviat, ut inibi decretum est. Prima tonsura initiatus beneficium ecclesiasticum, sive in propria, sive in aliena dioecesi habens, clericalem habitum, & tonsuram deferre teneatur. Curent episcopi in conferendis tum minoribus, tum sacris ordinibus, diligenter servare canones, non antiquos modo, verum etiam in sacrosan. Trid. synodo conditos, ut non omnes sine

ulio

ullo delectu ad ordines provehant; sed quos exacto præcedente examine approbaverint, tantum admittent. Pro denuntiationibus ordinandorum, proque illorum fide nihil exigatur. Nemo ad sacros ordines admittatur, nisi sub ecclesiastici beneficii, vel veri patrimonii titulo juxta sacrosan. concil. Trid. decretum. Aliter vero ordinatus noverit se ab ordinum executione esse suspensum, juxta ejusdem sacrosancti concilii decretum. Caveant ordinantes, vel ordinandorum examinatores, ut quidquam ab illis accipiant, ut sic ab omni symoniacæ labis suspitione, vel turpis quæstus ecclesia Dei, ut bonos dispensatores decet multiformis gratiæ Dei, sit aliena. Initiati sacris ordinibus ante legitimam ætatem, a concilio Tridentino definitam, vel extra tempora statuta, vel absque dimissoriis ordinarii episcopi literis, vel cum illis quidem, sed depravatis, aut fictis, aut abrasis, sint ipso jure suspensi; & si susceptum ordinem exercuerint, irregularitatem contrahant juxta Pii II. constitutionem usu receptam. Quilibet clericus in ea, cui semel adscriptus est, ecclesia resideat, atque inibi sua obeat munera, nec sine dimissoriis proprii ordinarii literis alio vagetur, suique ordinis actum exerceat. In minoribus constituti suffragium in capitulo nequeant dare; initiati vero sacris possint. Seminarium clericorum (ubi fieri poterit) in provincia, vel dioecesi constituatur juxta sacrosancti concilii Tridentini formam, quam episcopi diligentissime servare debent. Quod si tanta paupertate laborent ecclesiæ, ut collegium, sive seminarium conflari, ac sustineri non possit, curent episcopi, ut ad celebriorem provinciæ locum, ubi seminarium sit, suos transmittant cum necessariis expensis; neque enim ignorare possumus, quanta Dei ecclesiæ mala ex hac peste proveniant, ubi ministrorum deest, aut doctrinæ soliditas, aut vitæ sanctitas.

CAP. XX.

De vita episcoporum.

Postulat episcoporum dignitas, cum sint lumina mundi, ut præ ceteris religione, & vitæ sanctitate fulgeant; propterea perfectam illam episcopi imaginem ab apostolo descriptam præ oculis semper habeant, cum ait: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem; non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed domui suæ bene præpositum; tantum enim debet* (ut merito D. Gregorius ait) *actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris.* Episcopus dominicis, festisque diebus, nisi legitime impediatur, missam celebret, tum ut mediatoris fungatur officio offerens sacrificia pro peccatis, tum ut fiat in illo duplex spiritus domini, quem lucere populis necesse est per exemplum, & ardere sibi per charitatem.

Quoniam vero episcopo auctoritatem fide, & vitæ meritis quærendam, non profano ornatu, aut seculari apparatu, & sanctorum patrum exempla monstrarunt, & sac. Concilia docuerunt: Ideo caveat, nimium apparatum, neque pretiosis, neque inauratis utatur vestibus. Vestimenta quibus intra domesticos parietes induetur ea sint, quæ dignam episcopo gravitatem, atque modestiam redoleant.

In mensa frugalitas, in victu eluceat temperantia; denique appareat in omnibus sanctitatis quidam potius, & honestatis, quam suppellectilis fulgor, ne contra ecclesiasticos, vel ab ipsis adversariis contorqueri possit ipsis etiam sæcularibus fugiendum, quod scilicet propheta Domini conqueritur contra eos, qui ingredientes pompatice domum Israel optimo delibuti unguento, & delitiis omnibus affluentes, nihil patiebantur super contritione Joseph: valde enim, & Dei, & sanctorum oculos offendere potest, si despectis pauperibus, qui necessariis indigent, ipsi superflua multiplicare videantur. Initio mensæ benedictio, in fine gratiarum actio episcopi mensam exornent; in medio vero, ut Eusebius inquit papa, non ludrica spectacula, non factorum stultiloquia, non scurrilia admittantur præstigia, sed sacra lectio, ut non tantum corporali cibo, immo verbi spiritualis alimento convivantes se refectos gratulentur.

Adhibeant episcopi curam, ut eorum familia in officio contineatur: habeat proinde, ubi id commode fieri potest, ecclesiasticum virum, moribus, & doctrina probatum, qui toti familiæ præficiatur, cuique curæ sit spiritualis omnium salus. Caveant enim, ne in famulatus stipendium ecclesiastica beneficia famulis conferant, ne fidelium oblationes temporalium esse mercedes incipiant, tanto utique fœdius, ac detestabilius, quanto, & ab indignoribus ad hujusmodi gradus aspiratur. Episcopi synodum dioecesanum quotannis cogant sub poenis a sac. concilio Tridentino sancitis.

CAP. XXI.

De judiciali episcopi foro.

Curet episcopus, ut idoneos in foro judiciali ministros habeat, sintque proinde artis periti, non infamis vitæ, sed probatæ, & ab avaritiæ labe prorsus aversi; quomodo enim judicia non pervertat, quæ malorum omnium radix ab apostolo comprobatur? Statuat præterea commune certumque notariis scribisque pro operæ, & officii mercede stipendium, pro loci reique conditione, quod qui excesserit privatione officii, vel alia ad arbitrium poena puniatur, & multetur. Animo etiam diligenter excubet, ne quid falsi, vel in civili, sive in criminali causa notarii fabricentur, & confingant, de quibus queritur D. *judices ejus lupi, vespere non relinquebant in mane.* In literis dimissoriis, seu testimonialibus, a decreto concilii Tridentini non recedatur: nimirum, ut ultra decimam auri partem non exigatur; qui secus fecerit amissione officii, vel aliis arbitrio episcopi poenis plectetur. Curent episcopi, ut carceres non ita sint in-

Anno Christi 1576.

Sess. 23. c. 1.

Sess. 27. c. 1.

Sess. 23. c. 12., & c. in singulis, cum multis seq. c. 77. & c. subdiac. cum seq. 17. div. c. generalem de ætate, & qua. in clemos.

Sess. 25. c. 13

1. Timo. 3.

D. Greg.

Trid. Sess. 25. c. 3 & conc. Cant. 4. c. 15. Tol. 3. c. 7. c. episcop. 41. dist. c. per reverentia 44. dist. conc. Antioch. c. 33 Trid. sess. 2. de modo vivendi.

Anno Christi 1576.

Amos. c. 4.

Sess. 24. c. 2. de reform. conc. Tarac. c. 8. & conc. Agath. c. 71. & c. sicut olim de accus. ea. annis cum se. quen. 1. distint. concil. Aurelianf. c. 18. concil. Constant. 6. c. 8.

1. ad Th. no. c. 6.

opho. c. 3.

Sess. 21. c. 1.

ANNO CHRISTI 1576.

incommodi, vel subterranei, ut ibi obtrusi in vitæ periculum discrimenque vocentur. Sit qui miserabilium personarum causas agat, & defendat, idque gratis: cum oporteat episcopum patrem esse Orphanorum, & judicem viduarum.

Sess. 22. c. 6.

Ibid. c. 8.

Carceres episcopus per suum vicarium, vel per alias personas frequenter visitet.

Ecclesiastici cap. 7.

In irrogandis mulctis, vel poenis commutandis abhorreant episcopi ab omni avaritiæ suspicione, quæ populo scandalum parere, sibi vero magnam infamiæ notam inurere posset. Impetratas a sede Apostolica dispensationes ac ultimarum voluntatum commutationes episcopus perpendere, ac examinare debet, ut in sacrosancto concilio Tridentino sancitum est. Gratiam ordinarius circa publica delicta obtentam cognoscat juxta concilii Tridentini. Studeat quilibet ecclesiasticus judex, nedum episcopus, ut quanta brevitate causa poterit, expediatur, & litibus præcisis calumniantium dilationibus finis imponatur; neque muneribus, aut favore, vel quavis gratia retardetur, cum scriptum sit: *Noli quærere fieri judex nisi valeas irrumpere iniquitates virtute.*

Sess. 14. c. 4.

Sess. 13. c. 1. & sess. 24. c. 20. &c. licet de offic. ordin. sess. 24. c. 6. de reform.

Sess. 14. c. 7.

Sciant episcopi sibi licere ecclesiasticos in suis ecclesiis residentes, quamvis exemptos atque etiam extra visitationem corrigere, & punire, non obstantibus regiorum cappellanorum, vel militum, & privilegiis similium, ex vi decreti sacrosancti concilii Tridentini. In suspensionibus, & irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & nondum in forum contentiosum deductis, dispensare, ea excepta, quæ ex homicidio oritur voluntario, in qua neque ad ordines, neque ad beneficia, dispensare possit episcopus, nisi tale homicidium ad sui defensionem fuerit causatum, & causa sibi ab Apostolica sede commissa, & accurate cognita, juxta sacrosancti concilii Tridentini decretum.

CAP. XXII.

De vita, & honestate clericorum.

Cum formam esse fidelium oporteat eos, qui a rebus seculi in altiorem sublati locum hæreditas domini facti sunt, ad quorum exemplum se se populi Christi sanguine redempti componere studeant, dicente apostolo:

2. Sess. c. 3.

ut nosmetipsos formam daremus vobis ad initiandum vos; cavendum vigilantissime, ne contra per vitæ exemplum, laqueus potius simus fidelium animabus, juxta quod

Osea c. 5.

S. Oseas conqueritur. *Vobis*, inquiens, *judicium est, sacerdotes, quoniam laqueus factus estis speculationi, & rete expensum supra Thabor.* Laqueus quippe sumus in ecclesia, & rete in monte sancto Domini, si positi supra candelabrum, ut elinceamus, inde offendiculo sumus aliis, unde in eis Christum formare debemus. Quæ igitur de honesta clericorum vita, deque cultu corporis summi Pontifices, sacraque concilia decreverunt, ea episcopi studeant, quisque in sua dioecesi, in suo robore permanere, integreque servari jubeant. Omnes ecclesiasticæ personæ, tam in sacris, quam in minoribus ordinibus constitutæ quacumque sint dignitate, personatu, officioque præditi, beneficioque gaudeant, habitum ordini graduique suo competentem, nec non clericalem tonsuram gestent; qui vero non paruerit, monitus etiam per edictum publicum, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, & redditibus, ac proventibus ipsorum beneficiorum; nec non, si semel correptus, denuo in hoc deliquerit, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum hujusmodi coerceri possit, & debeat juxta sacrosancti concilii Tridentini decretum. Presbyteri superioris labii pilos tonsos ita gerant, ut nullum sanctissimæ eucharistiæ sumptioni impedimentum afferant; nec eos clerici, nedum sacerdotes, usque eo excrescere sinant, ut retorti, & hirsuti turcarum, ut ajunt, instar sint. Pileum nigri sit coloris; vestis itidem superior ac interior, atque utraque talaris: non annulos in digitis gestent, nisi aliud dignitatis, vel honoris ratio postulet. Pallio, quod vulgo ferrajolum vocant, ut clericali convenit honestati ad frigorum tantum pluviæque injurias repellendus utantur, vestemque interiorem nunquam deponant: clericus si cum dimissoriis ordinarii literis peregrinari contigerit cum pallio jam dicto, & veste interiori peregrinetur ita longa, ut saltem infra genua pendeat, seque post quatuor dies ordinario loci sistat, & si seculare tribunal adire pro justis causis, cumque ordinarii facultate usuvenerit, nulla ei exhibeatur molestia: dum pedibus iter facit, vestibus poterit uti contractioribus, ex quibus tamen clericus facile cognoscatur; galero, cum opus fuerit, non turbinato, ut ajunt, sed simplici utantur, quique a militaris galeri forma valde discrepet: nec turgida, nec incisa femoralia, nec corrugatas ad collum, vel manus, aut acu pictas interulas, nec calceos deferant incisos. Pretiosiores pelles, unguenta, suaves odores, sericas, aut serico ornatas vestes; a fræno, ephippioque mulæ aurum, argentum, ac sericum amoveant; sclopetas, sive longas, sive breves ne deferant, atque adeo nullum armorum genus præterquam in itinere suspectis in locis, eaque honesta sint, ac defensiva. Personati ne ambulent. Si quis autem in horum aliquid peccaverit, præter vestium aliarumve rerum amissionem, aliis gravioribus poenis, æstimata delicti & qualitate personæ, ad episcopi arbitrium mulctetur. Si quis autem breviores sclopetas, vel pugiones, vel alia, quæ ad trium palmarum mensuram non perveniunt, arma gestaverit, is præter supradictas poenas, triremis supplicio per tres annos damnatur, vel alia illi secundum episcopi arbitrium poena irrogetur. In ædibus ad usum ecclesiæ ministrorum constructis feminæ ne commorentur; quamcumque cum eis necessitudinem cognationemque habeant; in aliis vero, quæ clericali usui non sunt assignatæ, nonnisi ex causa rationabili, ordinarii judicio approbanda, possint clerici cum mulieribus cohabitare. Contubernio insuper, familiaritate, consuetudine publica, vel secreta, quarumcumque suspectarum mulierum sibi interdictum esse intelligant,

hinc

ANNO CHRISTI 1576.

hinc enim (ut Cabilon. concilium ait) non minimum vita, & opinio polluitur, nec facile anigabit quis ignem in sinu suo, & vestimenta ejus non comburantur. Caveant præterea, ne in reipublicæ, vel privatorum hominum, jacturam sint latronum, vel exulum, seu bannitorum (ut ajunt) receptatores aut fautores sub gravissimis poenis arbitrio ordnarii irrogandis: comædias, fabulas, choreas, equestres, seu hasticos, ludos, profana colloquia, atque spectacula, nec edant ipsi, nec spectent. Talis, tesseris, pictis, pagellis, globo missili vel pila parva palmari palam, aliove ludigenere prohibito, nec ludant, nec ludentibus spectatores adsint: publice vero, nec etiam honesto sub poenis gravissimis. Nullum venationis genus a sacris canonibus clericis vetitum exerceant. Comessationibus, compotationibus, aliisve minus honestis conviviis non interfint, cauponas, seu tabernas nisi iter facientes, non ingrediantur: at neque in constrinis, vel aromatariis, vel aliis artificum, vel vendentium officinis tempus otiose conterant, ne labia divinis laudibus consecrata scurrilia potius, & quæ ad rem non pertinent sonare audiantur. Mercaturam non exerceant, neque in negotiis agendis, aut vendendis, vel emendis rebus, ut medii, vel interpretes interveniant: nemo quippe militans Deo implicat se negociis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Aliena prædia, nisi cum ordinarii facultate non conducant; pro alio ne spondeant, nisi de rebus patrimonii eorum. Inter cætera sane, quibus a splendore illo suo facies ecclesiæ immutata cernitur, illud maxime dolendum, quod sacerdotalis ordo nimium apparet viluisse: cum tamen ii sint, de quibus dicitur: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*; quos sibi Dominus familiares in tantum esse voluit, ut etiam aliorum hostias per eos acceptaret, neque eorum peccata donaret, sibique reconciliaret: ipsi quoque corpus Domini conficiunt populisque tradunt. Quare clerici omnes, atque in primis episcopi suam ubique retineant dignitatem, nec secularibus principibus demisse inserviant, sed in omnibus, ut dignitas exposcit, se se gerant juxta decretum Tridentini concilii. Propterea dum laicis, & oeconomis sacerdos assurgit, vel assistit capite aperto, vel aliter inservit; haud dubie abusus est, atque ideo delendus. Ab jocis scurrilibus, & parum decentibus ludis se cohibeant, & parasitos e suis tectis exterminent. Nullius laici, ne dum magnatum negocia procurent, neque illis famulentur, nisi de episcopi licentia, dum causa a sacerdotali dignitate non aliena id postularit. Dum autem in ecclesiasticarum personarum famulatu sunt, vilia munera, quæ dignitati clericali maculam inurerent, ne obeant; nullas mulieres, neque nobiles comitentur, neque illis, officii ergo, ad mensam assistant, nec monialibus, velut internuncii inserviant ad deferenda earum munera, vel exterorum salutationes deferendas.

Interdicimus quoque presbyteris omnibus & clericis advocatione, procuratione, patrocinio, & omni causarum apud seculares judices actione, iis casibus dumtaxat exceptis, qui a jure permittuntur, in quibus etiam episcopi facultatem in scriptis gratis dandam volumus intervenire. Quicunque vero ex supradictis aliquid violaverit, carcere, vel exilio, vel privatione beneficii, vel gravioribus etiam poenis, pro personæ, ac peccati qualitate episcopi arbitrio afficiatur.

Omnes ecclesiasticæ personæ cibum sumpturæ mensam benedicant, sumpto vero gratias Deo pro acceptis beneficiis agant. Omnes clerici etiam in minoribus constituti, habitum, & tonsuram Clericalem semper gerant: si secus fecerint, certo sciant se fori privilegio juxta formam conc. Triden. esse privatos.

ANNO CHRISTI 1576.

CAP. XXIII.

Qui libri sint a clericis legendi.

Habeant clerici, qui commode præstare id possunt, utrumque testamentum, Romanum Cathechismum; sacr. concil. Tridentinum, & provinciæ hoc nostrum, Tractatum de Sacramentis; aliquot etiam spirituales libellos, ut de contemptu Mundi, & alia prout sua cujusque facultas feret; hoc enim fiet, ut & potentiores reddantur in sana doctrina exhortatores, & se ipsos immaculatos custodiant, juxta B. Hieron. consilium dicentis *Ama studia Scripturarum, & carnis vitia non amabis* imprimisque sacerdotes, qui curam animarum susceperè, vel qui ad confessiones audiendas expositi sunt, aliquam de casibus conscientiæ summam habeant, in quorum studiis nunc audiendo, nunc legendo diligenter versentur, ne duces cæci jure possint a Domino appellari atque ut animarum homicidæ merito puniantur. Mat. c. 15.

CAP. XXIV.

De Missarum celebratione.

Si Mundi olim esse jubebantur, qui Domini vasa ferebant, quanta putamus eos puritate fulgere oportere, qui modo mundissimam Christi carnem, & Deo Optimo Maximo offerunt, & ipsi sumunt, & aliis sumendam porrigunt? Quod si sanctus ille Job, qui Domini testimonio rectus appellatur, propriæ infirmitatis conscius exclamat profundius: *Si abluero me quasi aquis nivis, & fulserint mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me:* Videant sacerdotes, antequam tremenda mysteria aggrediantur (quod non alibi fiat, quam in ecclesiis, & oratoriis ab episcopo designatis) ut suam quisque conscientiam primo diligenter examinent: deinde si conscii sibi fuerint aliquid mortale peccatum a se commissum esse, vel saltem de eo dubitaverint, juxta Apostoli præceptum, & sacros canones rite se ipsi probantes, illud confessione expient, & postremo missam celebrent. Job. c. 9. 2. Cor. c. 11.

Celebraturi vero ubi facta prius brevi saltem oratione sacris vestibus se se induerint, cum

Sess. 24. c. 2.
Sess. 22. c. 1. de refor.
Sess. 24. c. 12. de reform.
1. Tim. c. 1.
Zach. c. 8.
Sess. 25. c. 17. de reform. c. Valentinianus 63. dist. c. episcop. in ecclesiis 65. distin. c. quis dubitet cap. duo sunt, cum seq. 96. dist.

ANNO CHRISTI 1576.

cum aliis ne colloquantur, missamque prælegant. Vt vasa, calices, corporalia, pallæ, mappæ, sacræ vestes, aliaque ad missam necessaria, munda, nitidaque sint, curam adhibeant. Turpem quæstum, & immoderatas eleemosinarum exactiones effugiant, peregrinos, atque advenas sacerdotes absque dimissoriis literis celebrare non sinant. Et quamquam altari deserviens, de altari vivere debet; caveant tamen omnes, ne plures pro celebranda missa eleemosinas accipiant; & proinde nemo plures capellanias habeat, neque singulis diebus in hebdomada se obliget: ad quod, ut melius faciliusque servetur, statuimus, ut pro celebranda missa minus decima auri parte in eleemosynam, & ad sustentandam clerici vitam non detur: nihil tamen ante a sacerdote exigatur. Nec qui sacrum semel in hebdomada per totum annum pro se fieri voluerit, sex aureis minus tribuat in singulos annos; id quod loci ordinarius pro locorum, & personarum conditione moderari, & temperare possit.

Si vero alicubi pro magno Missarum numero ita tenues assignatæ sint eleemosinæ, ut nullus fere sacerdos idoneus suscipere velit; curet episcopus, ut vel augeantur eleemosynæ, vel numerus Missarum diminuatur, vel alio modo juxta decretum concilii Tridentini provideat.

In celebrando autem cæremonias missalis reformati studeant integre servare, dumque ad altare celebraturi eunt, vel inde facto sacro revertuntur, nemini caput aperiant. In fine missæ Evangelium divi Joannis, quod incipit: *In principio erat Verbum*, legant; nisi aliud ratione Dominicæ, vel feriæ, vel alterius temporis esset legendum. Verba neque celerius, neque tardius, quam par est, proferant.

Sess. 22. decret. de obser. in missa

Canonem memoriter non pronuncient, sed quo ad ejus fieri poterit attente legant. Candelæ non nisi absoluto ultimo Evangelio exstinguantur.

Celebraturus corona clericali sit insignitus, sine qua celebrare non permittatur. Aperto capite celebretur; nec pileum, nec aliud quidquam in altari reponatur. Missæ minister clericus sit, superpelliceoque indutus devote celebranti sacerdoti inserviat, ubi tamen commode id fieri poterit. Sacerdotio iniatiatus non ante sacrum faciat, quam ab ordinario, vel alio ab eo designato, an cæremonias probe teneat, examinetur.

Missæ sacrificium nec ante auroram, nec post meridiem celebretur. Sacerdos sacris jam indutus vestibus neminem expectet; nec missam semel inchoatam, iterum inchoet; sed prosequatur. Laici propius ad altare non accedant, & præsertim mulieres, sed aliquo intermedio scabello ab eo sejungantur.

Aedituus, dum in majori missa sacrosancta Eucharistia populo adoranda elevatur, campana magna signum dabit. Sabbato sancto, tam sæcularium, quam regularium ecclesiarum campanæ ante majoris vel cathedralis ecclesiæ signum non pulsentur, nisi aliud censuerit episcopus.

Evangeliorum librum alicui non episcopo ad osculandum deferre, licet ille magna sit præditus dignitate seculari, & absit episcopus, abusus est, & quod consequens est ab ecclesiis, ubi erit, removeatur. Dum sacrosanctum evangelium legitur, qui sacro intersunt, stantes audiant. In novæ missæ celebratione sumptuosa convivia, ludi aliique abusus omnino tollantur. Sacerdos perfecto sacro in sacristiam reversus Deo optimo maximo gratias agat, ac proinde ubi oratorium defuerit, construatur.

Canonici celebranti episcopo, aliave pontificalia exercenti diligenter assistant, & inserviant, alioquin poenam episcopi arbitrio persolvant.

Non permittantur laicorum domus fenestras ecclesiis ita vicinas, vel contiguas habere, ut inde in ea intropisci possit; si quæ vero ejusmodi fuerint, obstruantur, juxta edictum felic. recordationis Pii V.

Curet episcopus, ut designata, ne dum designanda oratoria divino cultui dicata, ab omni sint profano usu remota: nec super illis habitandi licentia permittatur

CAP. XXV.

De divinis officiis.

Præscribat episcopus horas, quibus clerici in celebrandis divinis officiis occupentur; præcipiat etiam ne vesperi matutinæ preces sed diluculo recitentur. Clerici statit horis ecclesiam adeuntes superpelliceo, vel aliis pro conditione, ac officii dignitate indumentis induantur.

Ad tertium campanæ signum e sacristia, aut capitulo simul omnes egrediantur, ordine tamen & decoro servato, coramque altare flexis genibus paulisper orent; deinde ad chorum accedentes, suum quisque locum teneat, ubi clericalibus vestibns, non pileo, vel galero utantur, nec locum mutent.

Dum divina officia celebrantur, nullus cum alio colloquatur, nullus item psallentibus aliis in choro privatim legat aliquid, vel seorsum ab aliis recitet; alioquin certo sciat, se in pœnas a jure statutas incursurum.

Unusquisque recitet officium ad modum Romani Breviarii noviter reformati; inferioresque ecclesiæ ad cathedralem, ubi fieri potest, se se omnino conforment. In choro nemo rideat, aut dormiat, aut aliud quidpiam indecorum faciat; sed in sua quisque sede Deum, ac Dominum nostrum pro viribus laudare, sensusque suos ab omni vanitate nitatur avertere. Cum in fine psalmi, aut hymni, *Gloria patri*, vel quid simile pronunciatur; cumque sanctissima Jesu, Mariæque nomina proferuntur, omnes religiose assurgant, apertoque capite magna cum reverentia super pectus inclinent. Choro statis temporibus adsint, & quæcumque ad ipsum pertinuerint ecclesiastica ministeria alacriter obeant. Si quis ad matutinas horas ante finem primi nocturni, hoc est ante finem tertii psalmi, vel ad alias ante finem primi psalmi illius horæ non venerit, distributione careat, proque absente reputetur; idemque

ANNO CHRISTI 1576.

ANNO CHRISTI 576.

que de illo dicitur, qui ad missam ante finem epistolæ non accesserit. Si quis officium ante inchoare præsumpserit, quam in choro prædicto ordine conveniant, illius horæ distributionem amittat, gravioreque ab episcopo mulctetur; easdemque poenas perferet, qui supradicta servare neglexerit. Intra ecclesiam mature incedant, ibique nunquam deambulent, de inanibus rebus sermonem non ineant. Ex choro nisi perfecto officio egrediantur; quod si quem necessitas exire compellat, is a chori præfecto potestatem exeundi petat. Recitatis horis canonicis, flexis genibus aliquantisper orent, & ubi signum chori præfectus dederit, surgant omnes, seq. invicem salutent, atque exhibita altari debita reverentia ad sacristiam, vel capitulum modeste, quieteque se conferentes inibi superpelliceum deponant. Caveant denique omnes, qui vel sacro ordini initiati sunt, vel beneficio ecclesiastico gaudent, ut divinum officium (licet chori legibus obstricti non sint) nunquam prætermittant. Qui vero pensiones obtinet ecclesiasticas, ut clericus, officium B. Virginis Mariæ recitare teneatur; alioquin in poenas a concilio Lateranen. sub Leone X. statutas, & per fel. recor. Pium V. innovatas, & declaratas incidet; nimirum ut præter mortalis culpæ reatum, perceptos ex beneficio fructus ipso jure in beneficii fabricam, aut pauperum eleemosinas restituere pro rata teneatur, nisi legitime fuerit impeditus; certoque sciat se neque literarum studiis, neque aliis temporalibus occupationibus excusatum. Ad divina officia celebranda, vel audienda progredientem episcopum in propriam ecclesiam canonici, atque hebdomadarii deducant, & reducant

CAP. XXVI.

De officio præfecti chori.

Episcopi erit aliquem choro præficere, qui proinde chori præfectus vocetur, ac pervigilet, ne quid eorum prætereatur quod D divinis officiis celebrandis præscripta sunt, atque ne quid indecore fiat: si quis autem suo haud bene fungatur officio corrigat; si vero res gravis sit, ad episcopum deferat.

CAP. XXVII.

De officio magistri cæremoniarum.

Cæremoniarum magister sequentis diei officium denunciet, doceatque, quando pedibus stare, quando sedere, quando demum genu flectere opus sit, præscribat omnibus, idque in sacristia, quod quisque munus sit per hebdomadam obiturus, cui epistola, vel E evangelium palam decantandum erit, is a cæremoniarum magistro prius audiatur, & si opus fuerit, ad bene legendum instruatur.

CAP. XXVIII.

ANNO CHRISTI 1576.

De officio sacristæ.

Curam æd*i*tuus adhibeat non mediocrem, ut quæ de sacrosanctæ Eucharistiæ administratione, deque missarum celebratione dicta sunt, diligenter quisque exequatur. Item ut aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur. Altaria præsertim festis diebus, decore ornentur, & chorus verratur. Item ut pro mortuis Missæ, aliaque id genus celebrentur. Sacerdotem clericalem tonsuram, vel superioris labii pilos abrasos non habentem, celebrare non permittat. Curet denique ne mendici eleemosynæ causa huc, atque illuc per ecclesiam vagentur.

CAP. XXIX.

De officio punctatoris.

Punctator studiose inquirat, an omnes clerici canonicis horis interfuerint, & divina officia obierint; ac eos qui in his deliquerint, in libro, quem vocant punctationum, notet.

Libros punctationum fideliter diligenterque custodiat exhibeatque episcopo, vel capitulo singulis mensibus, & quoties ille vel illud eos petierit. Sint duo punctatores, quorum unus ab episcopo deligatur, alter a capitulo, vel ut unus tantum a capitulo cum episcopi consensu electus, qui, confirmatus ab episcopo, vel invitus, cogi possit ut officio fungatur.

Initio sui officii ordinario jusjurandum det se diligenter fideliterque omnia præstiturum. Servet denique punctator ea, quæ de celebratione divinorum officiorum præscripta, & imperata sunt.

CAP. XXX.

De officio Thesaurarii.

Pervigilet thesaurarius, vel alius, ad quem spectabit, ut sanctorum reliquiæ ecclesiæ ornamenta, cæteraque bona quibus custos præfectus est integra inviolataque serventur.

ANNO CHRISTI 1576.

CAP. XXXI.

De officio Cellararii.

Is, cui curæ est quotidianas distributiones partiri, æstimata pro rata laboris officiique dignitate, atque ex ordine librorum punctatoris in singulos distribuat. Qui sine justa causa choro absunt, vel adsunt quidem, sed privatim officium recitantes non cantant, iis nihil distribuat, ut in constitutione de divinis officiis scriptum est, & dictum.

CAP. XXXII.

De officio magistri scholarum.

Scholarum magistri, vel alii, quibus incumbet, ad præstandum officium, missamque statutis diebus chorum adeant, curentque poni, & reponi libros choro deputatos, ac cætera, quæ sui muneris sunt propria munera exequantur.

CAP. XXXIII.

De officio parochi.

Ut plenius oves sibi creditas cognoscere, earumque rationem habere, ac reddere cum opus fuerit, accuratius possit, habeat parochus librum, qui omnia suæ curæ commissorum nomina, conditiones, ætates, ac sexus contineat: in quo etiam, qui ad habitandum in sua parochia recenter veniunt, quique ab ea discedunt, item qui nascuntur, quique e vita migrarunt, scribantur.

Habeat insuper catalogum omnium pauperum suæ parochiæ, præsertim nobilium, puellarum, orphanorum, viduarum, atque aliarum miserabilium personarum, quæ mendicare erubescunt, ut ejus inductria his provideri possit, dicente scriptura de Domino, cujus ministri sumus; *pupillum, & viduam suscipiet*; meminerit se patrem esse eorum, præcipue, quos commendatos ecclesiæ novimus. Curet, etiam non accersitus, infirmos visitare, maxime in principio infirmitatis, eosque ad peccatorum confessionem exhortetur, cælestisque medici misericordiam, auxiliumque implorare doceat. Oleum sanctum, seu chrisma non laicis, sed presbyteris, nec externis, nisi prius de hac re consulatur episcopus, sed domesticis, & notis committat, nec aliquo prætextu ova, vel aliud ejus gratia exigatur. Det præterea operam, ut qui sacramentorum, & præsertim confirmationis, & sacrosanctæ Eucharistiæ capaces fuerint, illa suo tempore suscipiant, ne per incuriam (quod sæpe evenit) omittat, aut in longius, quam par sit tempus differat, quia indignum valde est in loco Pascuæ & aquæ refectionis a domino collocatos, pastorum incuria fame, sitique macerari. De quibus omnibus episcopum certiorem faciat, idque sæpius, prout temporis ratio postulabit. In hebdomada sancta parochi aut sacristæ per se ipsos, aut alii sacerdotes de eorum licentia, aut saltem sacris initiati decenti habitu, superpelliceo, & orario ornati, fidelium domos aqua benedicta aspergant, quique, & cætera benedicant; ne tam laudabilis consuetudo vilescere incipiat, si fuerit minus decenter a clericis ministratum, quod pia est religione introductum.

Pſal. 145.

CAP. XXXIV.

De beneficiis ecclesiasticis.

In ecclesiastici beneficii collatione, vel nominatione, seu præsentatione, tam juris patronatus, quam aliorum beneficiorum omnino caveatur, ut nihil prorsus gratiæ detur illius, vel accipiatur; hac enim maxima in re, juxta id quod Esaias loquitur, excutiendæ manus sunt ab omni munere, ne, quod meritis vitæ, aut ecclesiæ debetur utilitati, famulorum industriæ, aut conferentium gratiæ tribuatur; sed ut omnis avaritiæ, vel simoniacæ labis suspicio evitetur, absit omnis pactio, omnisque temporalium pro spiritualibus promissio, etiam sub prætextu redimendæ vexationis, vel litis super beneficio motæ, ac cæterorum casuum, qui de jure permitti possent sine episcopi licentia. Proinde moneant sæpe parochi, idque festis solemnibus, & in publicis ad populum concionibus, tam dantes, quam recipientes aliquid ob beneficii collationem, patronos quoque pretio præsentantes, vel vocem præsentationis vendentes, vel jus præsentandi ementes, talium etiam internuncios, ac mediatores poenæ excommunicationis in simoniacos latæ atque aliis juxta sacros canones subjacere.

Eſai.

2. Norint etiam dantes, ac recipientes beneficium ad alterius nutum, seu ad confidentiam, ut vocant, in excommunicationem, aliasque poenas, tam in constitutione felic. record. Pii IV., quam Pii V. sanctas, incurrere.

3. Extirpetur abusus ille, sicubi fuerit, retinendi nimirum omnes vacantium beneficiorum fructus, vel earum medietatem, vel aliam quotam, qui aut episcopo, aut capituli mensæ deberentur, veluti in constitutione fel. rec. Pii V. continetur. Advertant patroni, tam clerici, quam sæculares, non licere sibi in perceptione fructuum, aut proventuum distributione ex beneficiis jurispatronatus sese ingerere, multoque minus jurispatronatus venditionis titulo, aliove quovis modo transferre contra canonicas sanctiones; alioquin dicto jurepatronatus ipso jure privati sint, juxta concil. Trident. decretum.

4. Juspatronatus neque impetrari potest, neque de novo institui, nisi prævia sufficienti dote. Curent episcopi, ut quotannis eligantur examinatores, quibus vacante ecclesiastico beneficio, clericos ad beneficia idoneos examinari incumbat, episcopoque referre; nihil autem ratione hujus exa-

examinis recipiant sub statutis a concilio Trid. pœnis.

5. Beneficia curam animarum habentia, non nisi dignis conferantur, quique per se ipsi suo munere fungantur, & resideant. In beneficiis conferendis cives peregrino, incola præferatur externo; ubi fuerint æque idonei, juxta decreta sacrorum canonum.

6. Unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui conferatur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens (dummodo utrumque personalem residentiam non requirat) eidem conferre, juxta decretum sac. conc. Trid. alioquin post tempus a jure statutum sciant se ipso jure privatos beneficiis, & fructus ab eo tempore perceptos restituere obligatos esse. Curet episcopus, ut parochiale beneficium, quod plus oneris, quam fructuum habet, ex beneficiis augeatur (non regularium tamen, nec jurispatronatus) vel ex parochianorum collectis, vel alia commodiore via, ut sac. conc. Trid. statuit, atque decrevit, cogatque rectores ecclesiæ, vel alios, ad quos pertinet, ut sibi tot sacerdotes adiungant, quot ad ministranda sacramenta, & divina officia celebranda, juxta beneficiorum facultatem satis sint. Ubi autem populus ita frequens, ac copiosus esset, contraque parochiales ecclesiæ ita paucæ, ut sine magno incommodo parochiani eo accedere ad percipienda sacramenta non possint, novas ibi parochias, velint nolint rectores, constitui conveniet, atque decebit secundum sacri conc. Trid. facultatem. Quoniam vero sacerdotalis ordo confunditur, & populorum salus maxime læditur, si ad beneficia ecclesiastica assumantur, qui suo muneri minime respondere possint, Sacr. conc. Trid. decretum exactissime servetur, ut nullus ad dignitatem curam animarum habentem assumatur, nisi quintum & vigesimum attigerit annum, fueritque idoneus. Ad alias vero dignitates, aut personatus a cura animarum immunes, ac liberos ascendere non prohibentur, si tamen haud minores viginti duobus annis, & digni fuerint. Ad dignitatem, canonicatum, vel personatum nemo assumatur, nisi qui eo sit sacro ordine initiatus, quem dignitas, vel præbenda postulat, vel ad eam pervenerit ætatem, ut infra legitimum tempus valeat initiari, quemadmodum in sac. concil. Trident. præcipitur. Numerarii quoque, atque hebdomadarii, non minores duobus, & viginti annis assumantur, quibus tamen onus celebrandi missam adjunctum non sit: cætera denique beneficia nulli conferantur, qui decimum quartum nondum agat annum.

CAP. XXXV.

De residentia.

Quoniam, ut S. Damasus catholicæ ecclesiæ pastor vigilantissimus monuit, omnis negligenter pascens toties sibi commendatum gregem, convincitur summum non amare pastorem, & qui infantes suos, idest populos sibi commissos aliis educandos tradunt, ut pro suo libitu secularibus curis inhient, multorum sunt causa malorum, inde enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, hæreses, & schismata prodeunt, ecclesiæ destruuntur, sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proveniunt, meminerint pastores sibi pervigilandum, quasi rationem reddituri pro animabus gregis; meminerint beatum Jacob per viginti annis ita Laban pascendis gregibus servasse, ut diceret: *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*; si ergo sic laborat, & vigilat, qui pascit oves Laban, quanto labore, quantisque vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei, pro quibus etiam ipse animam posuisse cognoscitur? vigilent itaque per se, & excubias agant, & juxta sac. canonum, atque conciliorum decreta resideant.

Heb. c. 13. Gen. c. 31.

Trid. sess. 6. c. 1. de ref. & c. pervenit cum seq. 7. q. 1. & de cler. non resid. Per totum &c. cum excom. de ele. in 6.

Quod si ab ecclesia abfuerit episcopus, aut metropolitanus contra decreta sacrosancti concilii Trid. quæcunque hoc casu adversus non residentes in eodem concilio statuta, & declarata, & quæ de legitimæ absentiæ causis approbandis, licentiis datis judicandis, & crescente contumacia Rom. Pont. denuncianda disposita sunt, inviolabiliter observentur. Porro fructus, quibus is qui non resedit, juxta ejusdem concilii constitutiones editas, tam sub Paulo III. quam sub Pio IV. mulctandus erit, ad Xenodochium suæ civitatis, quod majori laborat inopia, applicentur, ad pauperum miseriam sublevandam: id quod, ut melius servetur, cathedralium ecclesiarum capitulis præcipimus, ut metropolitanum, vel in eius absentia, antiquiorem provinciæ episcopum de eorum pastoris residentia, vel absentia bis in anno faciant certiorem. Si vero alii curæ animarum præfecti a propriis beneficiis abfuerint, ad ea redire teneantur; qui contravenerint, modis, & poenis per sacrosanctum concilium constitutis coerceantur. Sciant præterea parochi omnes sui muneris esse, episcopum de beneficiatis intra eorum parochiæ terminos, curam animarum habentibus admonere; in quo, qui negligens fuerit, præter poenas a sacris canonibus statuta aliis arbitrio episcopi subjicietur. Canonici cathedralium, aut collegiatarum ecclesiarum hebdomadarii, vel numerarii, vel alii in prædictis ecclesiis portiones habentes, per se ipsi, non per substitutos divina officia compellantur obire; nec eis ultra tres menses quotannis abesse licebit; alioquin privatione fructuum, aliisque pœnis, ut sacra Trid. synodus statuit, puniantur.

Ibidem.

Ibidem

Eadem sess. c. 12 23. c. 1. de refor.

Sess. 24. c. 12. de ref.

ANNO CHRISTI 1576.

CAP. XXXVI.

De visitatione.

Sess. 25. c. 1. & sess. 25. c. 15. & sess. 21. c. 8. de refor.

Nihil ita proprium pastoris est, ac ea, quæ quotidie hominum vitio in deteriora labuntur, paterna vigilantia emendare, & juxta Exechielis vocem, quod perierat requirere, quod abiectum erat reducere, quod confractum alligare, quod infirmum consolidare; & quod pingue, & forte custodire: hoc enim est visitare, ut ibi dominus ait. Itaque episcopi, pastores animarum, in salutem gregis animum intendentes dioecesim quisque suam per se, vel per alios quotannis visitent; nec non omnes in B earum dioecesi consistentes ecclesias, quantumvis exemptas, beneficia quoque curata, atque ea regularium monasteria, qualitercumque commendata, ubi regularis observantia non viget; ubi vero viget, intra præfixos a sacra Trident. synodo terminos, tamquam a sede apostolica delegati in superiorum defectum negligentiamque visitent.

Sess. 24. c. 3. de ref. & conc. Trid. vers. statuimus etiam ne episcopi, & c. cavendum, & c. inter cetera 10. q. 3. 2. Cor. c. 12.

In fraterna correctione illum sibi visitatores finem proponant, eamque teneant formam, quæ a sacrosancto concilio Tridentino præscripta est; legemque quoque de victu, procuratione, deque aliis hujusmodi ab eodem concilio diffinitam servent. C

Abusus ille, exigendi videlicet ab ecclesiis certam procurationis pecuniam, cum non visitantur, auferatur. Pulcre enim Alex. III. monuit cum, dicat apostolus, non debent parentibus filii thesaurizare, sed parentes filiis, multum longe a paterna pietate videri, si præpositi suis subditis graves existant, quos in cunctis necessitatibus pastoris more fovere debent. Caritativum, ut vocant, subsidium, nonnisi in casibus a jure permissis exigetur. Si simplicium beneficiorum ecclesiæ penitus dirutæ ob eorum inopiam innovari, & instaurari nequeunt, curent episcopi, ut erecta ibi cruce, in profanos, non tamen sordidos con- D vertantur usus; privatorum quoque hominum oratoria divino cultui dicata visitent, ac diligenter advertant, ne quis eis ad profana abutatur.

Quoniam evenire solet, idque non raro, ut divino cultui Deique ministris substentandis, & alienis dicata bona, vel ut pauperibus subveniatur erogata, ministrorum negligentia vitiove temporum pereant, vel dilapidentur; propterea mandat provincialis synodus, ut tam episcopi ecclesiarumque capitula, quam hospitalium rectores, ac quorumcumque piorum locorum administratores, aliique ecclesiastica beneficia sive curata, sive simplicia habentes, ab hujusce E synodi confirmatione deinceps, a die, quo in possessionem venerint, intra semestre tempus omnium bonorum, mobilium, & immobilium, jurium, actionum, censuum, & quorumcumque reddituum, repertorium, quod vulgo inventarium dicitur, per publicum notarium conficiant, confectumque in armario, seu archivio, quod episcopo sit cum capitulo, vel cum inferioribus eccle-

siis commune, asservetur; tempore autem A visitationis accurate, diligenterque perspiciatur, numquid desit eorum, quæ in repertorio scripta in archivio reposita sunt.

Curent præterea episcopi sacr. conc. Trid. decreto inhærentes, ut cum uno de capitulo altero de clero ab eis eligendo, quascumque bonorum ecclesiasticorum locationes recognoscant, sint, nec ne ad longum tempus, vel contra sacros canones contractæ. Ad hæc, moneant episcopi, & parochi Christifideles per se ipsi, vel per concionatores hortentur summopere, ut decimas de jure debitas, aliasve oblationes, prout conc. Trid. decrevit ecclesiis ejusdemque ministris pendant, ac usus distribuendi candelas per singulas parochianorum domos B omnibus domesticis tollatur; at vero die purificationis B. M. Virginis candelarum distributio in ecclesiis populo præsenti ita fiat, ut qua decet animi affectione suscipiatur ad eumque finem serventur, ad quem hoc festum ecclesia catholica direxit; quare caveant, ne hisce candelis ad superstitiosum, vanumque cultum abutantur.

Moneant itaque parochi laicos, ne quid avare, & superstitiose, seu indecore clericis faciant, neve illis oblationes de jure debitas denegent, quod benedictas candelas eorum familiæ non distribuerint. Advertant ergo ne propterea debitas oblationes, aut C decimas illas subtrahant.

CAP. XXXVII.

De hospitalibus, confratriis, seu sodalitatibus, atque aliis piis locis.

Qui hospitalia aliave pia loca in commendam, vel administrationem obtinent, quæcumque de hac re in Viennensi, ac conc. Trident. præscripta sunt, præstare diligenter curent. Administrationis ordinem, vel ordinariis locorum, vel deputatis, seu deputandis ab eis quotannis reddant sub poenis secundum ordinarii arbitrium infligendis, D cujus erit visitare hospitalia omnia, etiam exempta (non tamen, quæ sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia) ac confraternitates laicorum, montis pietatis, aliaque pia loca quomodocunque nuncupentur, ut in sacrosancto concilio Tridentino cautum est. Destinet proinde episcopus aliquos piorum locorum visitatores, eosque fideles, qui hujusmodi loca ter singulis annis visitent, & ordinario referant.

Quapropter, qui piorum locorum administrationi præficiendi sunt, episcopo loci se fideliter, accurateque hoc munus exercitaturos jurent: quod si deinde male administrasse deprehensi fuerint, eos episcopus poE nis afficiet scelere dignas, & nonnullas res, quas haud bene dispensarint, restituere compellat. Discant laici ecclesiarum, vel piorum locorum oeconómi eam reverentiam exhibere clericis, quam dignitas exposcit clericalis; cum extra modum absurdum sit clericis in minoribus, nec dum in sacris constitutis pro famulis, vel pro mancipiis abuti. Quamobrem caveant, ut clericos ecclesiæ piisve locis inservientes inhoneſto

Anno Christi 1576.

nesto indecorove aliquo titulo non dimittant, nec in eorum codicem dimissionis causas referant; quin potius relatas omnino deleant: ac ne ferus, & immanis humani generis hostis inter bonorum triticum zizania de more suo disseminet, magna cum diligentia advertant episcopi, ut laicorum confraternitates, seu soliditates ad magnum animarum fructum institutæ, ab illicitis colloquiis, vel parum catholicis dogmatibus, tum propter rerum sacrarum imperitiam, tum propter temeritatem, seu falsam religionem penitus abstineant; ideo optime huic malo consultum, ac provisum iri censemus, si aliquem regularem, vel sæcularem doctrina, ac moribus probatum sacerdotem illis præfecerit episcopus, qui eorum sermonibus semper interfit, quemque in rebus dubiis consulant omnes: nullus audeat animalia oneraria per ecclesiam agere, imo nec ingredi cum illis, neque in capellis, vel ecclesiis aliquid reponere, cum scriptum sit de Domino. *Non sinebat, ut quisquam transferret vas per templum.* Tollantur publicæ comessationes, quæ a confraternitatibus in ecclesia, vel circa eam specie pietatis fieri solent, neque de sodalitatis, aut ecclesiæ bonis fiant administratores, seu rectores, & confraternitatum, seu piorum locorum oeconomi non eligantur, nisi per plura confratrum suffragia secreto lata, præter quam ubi ad alios de jure spectaret electio; nec possint ullo pacto iterum eligi, vel confirmari, donec integram suæ administrationis rationem reddiderint. Quisquis in laicorum confraternitatis numerum adscribetur, omnia capitula a sede Apostolica, vel ordinario confirmata servare teneatur; si secus fecerit, ea confraternitate eiiciatur. Ne piæ defunctorum voluntates propter hominum cupiditates fine suo defraudentur, diligenter attendant omnes piorum legatorum executores vel distributores, vel oeconomi, vel exactores, vel alii quocumque nomine nuncupentur, ne fructus, redditus, proventus, vel alia tam mobilia; quam immobilia bona ad pauperes substentandos, vel ad puellas in matrimonium collocandas, vel ad alios certos pios que usus, vel in consanguineorum commoda, vel alicujus favore in aliam causam, a testatoribus, aut fundatoribus relicta, a testatoris voluntate alienam convertant; alioquin intelligant se obligatione restituendi obstrictos teneri: quodque magis formidandum est; exactam horum rationem, non tantum ordinario loci tempore visitationis, vel cum opportunius visum fuerit, sed & Domino nostro usque ad quadrantem reddent, & juxta quod scriptum est: *Divitias, quas devoravit, evomitet; & de ventre illius extrahet illas Deus*; neque enim qui finxit oculum, hæc non considerat, in cujus profecto manus incidere horrendum est.

Marc. c. 6.

CAP. XXXVIII.

De processionibus.

Anno Christi 1576.

Generales processiones a cathedrali, vel cujusvis loci majori ecclesia proficiscantur, eodemque revertantur, nisi aliud ordinario videatur; particulares vero satis est a majori proficisci. Exempti, seu regulares illi sint, seu sæculares ex decreto sac. conc. Tridentini ad publicas processiones venire tenentur, ut pura cum Prælatus ipse aderit. Clerici, cujusvis dignitatis sint, qui ad processiones ire de jure vel consuetudine tenentur, eas cum superpelliceis, & aliis sacris vestibus obeant. Si qua controversia inter regulares, vel sæculares confraternitates de priore loco exorta fuerit, eam episcopus auctoritate conc. Trid. componat, & tollat.

Sess. 25. c. 14.

Sess. 25. c. 13.

Procedant autem graviter modesteque omnes, non huc atque illuc oculos coniicientes, vel ad fenestras attollentes, colloquiisque exclusis, & omissis curiositatibus, psalmis, hymnis, & reliquis sacris precibus sedulo dent operam; memores se coram oculis cuncta cernentis majestatis, junctosque angelicis agminibus ita procedere: nemo etiam in via inaniter, curioseque spectandi causa subsistat. Solemnis illa processio, quæ ad venerationem sanctissimæ Eucharistiæ instituta est, vel ipso illo die festo, vel infra octavam celebretur, idque mane tantum ante prandium: spectacula quæ vulgo ingenia dicuntur non edantur, quippe quæ periculosa sint; & tantam solemnitatem minus deceant. Nec actiones pro sortibus ædium, aut in via repræsententur, ne ab intentione tantorum mirabilium avocetur potius animus, ac distrahatur.

CAP. XXXIX.

De censuris.

Quoniam ecclesia catholica ecclesiasticas censuras non ad animarum interitum, sed ad medicinam adinvenit, & exercet; ideo advertant diligenter episcopi, ut episcopali gladio, præterquam in gravissimis delictis, cautisque non utantur, neque pro minima quaque re sint ad excommunicationis, vel suspensionis poenas infligendas faciles, atque proclives; sed ut sac. Trid. synodus optime docuit, sobrie, & magna circumspectione, atque ad animarum salutem anathematis mucronem exerceant, nec spe lucri temporalis, aut favore magnatum adducantur, ut pro levi quaque re terribilem excommunicationis sententiam ferant. Sed in judicialibus cautis, ubi alia via, aliisque juridicis remediis subveniri poterit, a censuris ecclesiasticis, quo ad ejus fieri poterit abstineant; cum vero ad manifestandum furto subtractas, vel quovis alio modo perditas res excommunicationis remedium erit adhibendum, tunc non aliter eo uti licebit, quam æstimata prius rei magnitudine, & causa diligenter matureque per epi-

ANNO CHRISTI 1576.

Episcopum examinata, ac demum monitionibus præmissis. Promulgare excommunicationis sententiam per loca civitatis publica, ac per plateas, ridicula quædam extra ecclesias, & minus decentia maledicta proferendo, abusus est, & quod consequens est auferendus. Proferatur autem excommunicationis sententia in ecclesia inter Missarum solemnia a sacerdote superpelliceo, stolaque induto; deinde plura edantur illius exemplaria, etiam in ipsis parochialis, vel matricis ecclesiæ foribus, atque aliis in locis affigatur, ut omnibus patere possit.

CAP. XL.

De matrimonii sacramento.

Parochi magnum studium, multamque operam eo conferant, ut quæ de matrimonii reformatione a conc. Trid. constituta sunt, serventur adamussim. Singulis saltem in mensibus, atque ubi populus in ecclesia frequens adierit, quæcumque de matrimonio contrahendo ab eodem conc. decreta sunt, materno sermone expromant, instruantque mulieres, ne se illudi decipique sinant, clandestina matrimonia contrahentes. Commonefaciant itaque ante omnia fideles, non aliter matrimonium contrahi posse, quam mulieris in matrimonium collocandæ interveniente parocho, vel alio sacerdote de illius, vel episcopi licentia una cum tribus testibus. Qui contra quam dictum est matrimonium contrahere præsumpserit; licet illud postea promissione, fide, ac jurejurando, quin etiam osculo, & copula carnali consecuta confirmarint, certo sciant irritum, & nullum esse, seque graviter, arbitrio ordinarii mulctatum iri. In prohibitis consanguinitatis, & affinitatis gradibus scienter contrahere nemo præsumat. Et quamvis necessariæ denunciationes matrimonium antecesserint, intervenerint etiam capitula matrimonialia, caveant tamen ne copulentur, sub poenis excommunicationis aliisque arbitrio ordinarii sustinendis; neque vir mulieris domum, nisi cum matrimonium præsente parocho una cum testibus contrahendum est, adire audeat. Ad hoc hortentur parochi suos, ne ante benedictionem cohabitent.

Sess. 25. c. 13.

Sess. 25. c. 13.

Impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, primum & secundum gradum non excedat. Justitiæ vero publicæ honestatis non ultra primum gradum extendatur juxta sacrosancti conc. Triden. definitionem, & Pii V. felic. rec. constitutionem, quæ incipit: *Sanctissimus in Christo pater*. Quibus in gradibus contrahendi matrimonii impedimentum ex baptismo, & confirmatione oriatur, ubi de his sacramentis egimus, declaratum est. Cætera enim de jure antiquo impedimenta, ita sunt ablata, ut jam matrimonium libere contrahi posse, non tantum inter ipsum baptizatum, & confirmatum, & tenentis filiam, sed etiam inter tenentis uxorem, viduam, & baptizati, vel confirmati fratrem, & ipsum baptizatum, vel confirmatum, nec obstat, quod cognatio ante conc. Trid. fuerit contracta. Cum nuptiæ interdici dicuntur, id quod fit ab adventu Domini, usque in diem Epiphaniæ, rursus a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive, doceant parochi populum, duo tantum eo tempore ab ecclesia prohiberi, quorum alterum est solemnis benedictio conjugum; alterum vero, ne domum viri cum choreis musicis aliisque solemnitatibus nova uxor traducatur, Erunt autem monendi, ut his temporibus ab ecclesia prohibitis, quo ad ejus fieri potest, matrimonium sine ordinarii licentia non consument, quæ licentia propter humana pericula facile, & gratis poterit concedi. Hortandus est etiam, populus, ut conjuges triduo ante matrimonii consummationem se poenitentiæ Eucharistiæque sacramentis communiant. Quæ autem parochus in matrimonio contrahendo efficere præstareque debet, hæc fere sunt. Ter proprius contrahentium parochus, idque continuis diebus festis, in utriusque parochia, nec in matrice tantum parochia, sed etiam in qualibet alia, ubi populus aderit frequentior, intra missarum solemnia, denunciet, inter quos sit matrimonium contrahendum; quas tamen denunciationes, quandoque convenit omittere. Id quod ordinarii prudentiæ arbitrioque relinquitur: post ultimum vero denunciationum diem, de duorum nominibus, cognominibus, patria, & contrahere volentium parochia, deque impedimentis, si quæ fuerint, fidem in scriptis faciat. Exteros vero, vel non suos, juxta conc. Trid.. decretum matrimonio conjungere caveat, nisi prius ordinario deferat; qui re diligenter investigata licentiam neget, vel concedat. Si vero post denunciationem intra bimestre tempus nec ipse, ut fidem faciat fuerit rogatus, nec matrimonium celebratum, denunciationes quidem denuo fiant; matrimonium vero non nisi cum episcopi facultate celebretur. Habeat proinde parochus librum, in quo conjugum, & testium nomina, cognomina etiam, patriamque, diem, & locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. Conjuges in parochiali tantum ecclesia, vel alibi de licentia ordinarii solemniter benedicat. In monialium vero monasteriis nuptias benedici omnino prohibetur. Missa pro sponso, & sponsa juxta Missale Romanum noviissime reformatum, proprius contrahentium parochus, aut alius, de illius, vel ordinarii licentia, sacerdos apertis januis celebret: Missæ (quam vocant siccam) abusu evulso. Caveant denique parochi, ne quidquam ratione futuri funeris exigant, dum extra parochiam ad virum ducitur uxor. Atque ut quæcunque magno huic Sacramento injuriam faciunt, ab ecclesia prorsus extrahantur, parochus omni diligentia, & vigilantia inquirat, sint ne in sua parochia an non concubinarii, & si, quod absit, esse compererit, eos perinde, ac pater eos admoneat, ut concubinas eiiciant; & si quidem matrimonio conjuncti fuerint, in eo sancte, ut par est, vivant; sin minus, qui continere nolunt) nubant. Ut si perfectiora non attingunt, saltem secundum

Sess. 24. 8. conc. Tolet. 1. 17. & c. 1 qui 34. dist.

ANNO CHRISTI 1576.

dum indulgentiam conceſſo matrimonio utantur. Qui non paruerint, eos ſub poena ſuſpenſionis ab officio, & beneficio epiſcopo, vel ejus generali vicario denunciare teneatur, ut quemadmodum generalis Tridentina ſynodus præſcripſit, in hos concubinarios mucrone anathematis, aliiſque canonicis poenis ſevere, ut par eſt, animadvertatur. Nuptiæ multæ ſub una umbella unoque ſacro, ne benedicantur; ſed ſingulæ ſeparatim, vel ad ſummum binæ, niſi ſecus ordinario videatur. Caveat ſacerdos, ne ſecundas nuptias benedicat; Virgo tamen; vel nondum benedicta, benedicatur. Moneant denique parochi temporales dominos, ne ſuos ſubditos directe, vel indirecte cogant, quo minus matrimonia libere contrahant; alioquin excommunicationi latæ ſententiæ, prout in conc. Trid. conſtitutum eſt, ſe ſubjacere noverint.

ſeſſ. 24. c. 1.

CAP. XLI.

De meretricibus, lenonibus, circulatoribus, zingaris, turcis, & mauris mendicis, & aleatoribus.

Sæculi principes non ſine cauſa gladium portantes, ut ſummi regis, qui aufert ſpiritum principum miniſtri, recogitent neceſſe eſt, ſi cives velint bonos, quod gubernanti cuique ſcopus eſſe debet, chriſtianæ vitæ puritatem eſſe retinendam; quin etiam, neque ſibi ſatis eſſe præſidii in reliquis conſtitutum ad eos continendos, niſi erga Regem regum populo ſint fideles. Quapropter per eum, per quem reges regnant, principes imperant, potentes decernunt juſtitiam, rogat Neapolitanæ provinciæ ſynodus, & in domino hortatur principes, & ſæculares, ut Urbes a vitiorum contagionibus expurgare non negligant, ac proinde meretricum infame genus, quantum res patientur, ab honeſtarum mulierum cohabitatione, ac multo magis a locis prope monialium cœnobia ſatis arceant; neque in meritoriis tabernis, vel publicis cauponis hoſpitari, ſive, diu commorari permittant. Curent præterea, ut diverſo habitu indutæ ſint, quo a matronis honeſtiſque mulieribus diſcernantur. Currru vehi, ſelliſque, matronarum inſtar, uti omnino prohibeantur. Lenones cujuſvis ſexus, præterquam quod graviſſimas in foro ſæculari pœnas ſuſtinebunt, anathematis gladio ſe noverint feriendos, ut qui animas Chriſti ſanguine redemptas diabolo aucupentur. Circulatores, qui præſtigiis quibusdam; & fallaciis, & loquacitate, vulgus ſuſpenſum detinent procul eiiciantur.

Zingari, ut vocant, vagum genus hominum, qui partim furtis, partim præſtigiis, & fallaciis quibuſdam hominibus damnum inferunt, & quidem magnum, vel ex chriſtianorum finibus exterminentur, vel certis in locis habitantes, vitam honeſtis artibus ducant.

Turcæ, mauri cæterique infideles ſigno aliquo a Chriſtianis diſtinguantur, quique ex illis libertate donati a fidelium commercio, quoad ejus fieri poteſt, arceantur.

Quemadmodum ſperamus fore, ut pii chriſtiani populi principes mendicos illos, qui oſtiatim ſtipem cogunt, unum in locum congregent; ita non dubitamus, quin epiſcopi animarum paſtores eorum ſaluti ſint conſulturi, ut ſaltem ſemel in anno ſua peccata confeſſione expient, & in paſchate ſacroſanctam ſumant Euchariſtiam; hoc enim ad miſeriæ cumulum pertinens paterna pietas omnino caveat, oportet, ut qui corpore afflictati fame pereunt, ii etiam animis tabeſcant: neque enim oviculas hujuſmodi minus proprio ſanguine redemit, qui contemtibilia mundi, ad confundenda fortia elegiſſe cognoſcitur. Qui tamen, ne divina diſturbent officia, curandum, ne mendicando vagentur per eccleſiam, ſed extra portam eleemoſinam petant: moneatur idcirco populus, ut quos per eccleſiam mendicare viderit, iis eleemoſynas minime largiatur, quibus nihilominus ad portas mendicantibus deeſſe non debet.

ANNO CHRISTI 1576.

1. Cor. c. 3.

Quoniam experientia compertum eſt tabernas, ſeu domos expoſitas ad infames ludos, omnis nequitiæ ſentinas eſſe, atque ex aleæ ludo, ſæpe furta, rapinas, fraudes, blasphemias, aliaque id generis flagitia oriri; propterea ſæculares principes in hujuſmodi homines graviter animadvertere debent, & quicumque tabernam, vel domum ad recipiendum aleatores ludentes expoſitam habent, excommunicationi ab ordinariis locorum ſubiiciantur; *magna eſt enim in ipſa ſeveritate pietas* (ut Turonen. conc. verbis utamur) *per quam tollatur peccandi facultas*; nam *ubi inſana libertas generat vulnera, ſacerdotalis diſtrictio dat medelam.*

Turon. 2. in proemio tom. 2.

Latini qui Rom. eccleſiæ ſubditi ſunt, quique ad illius ritus, legeſque ſeſe conformant, a græcorum ritibus omnino abſtineant, nec prætextu legis orientalis eccleſiæ jejunia eccleſiaſtica violent, vel carnes diebus prohibitis edant; alioquin poenis debitis puniantur. Græci ab epiſcopis locorum diligentiſſime viſitentur.

In primis credant Spiritum ſanctum a Patre, Filioque procedere, atque ita ipſorum clerici recitent, tum in miſſis, horiſque canonicis, tum etiam extra divinum officium.

Credant Purgatorium animarum eſſe poſt mortem, eaſque ſuffragiis fidelium ſublevari, & adjuvari. Credant Romano pontifici, ejuſque juriſdictioni, excommunicationibus, & indulgentiis.

Credant feſtos dies, videlicet beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, Apoſtolorum, & Sanctorum omnium, quos Romana eccleſia omnium caput, mater, & magiſtra eccleſiarum inſtituit.

Euchariſtiæ ſanctiſſimum Sacramentum nuper natis infantibus non exhibeant; ſed tanquam pro infirmorum viatico procurent. Mortuorum cadavera a ſepulchris non eruant, neque comburant. Concilium oecumenicum Tridentinum inter cætera agnoſcant, ejuſque decretis humiliter obediant; remanentibus tamen iis tantum ritibus, quos diuturno uſu receptos, & a fide catholica non alienos ſummi pontifices, & ſacroſanctum conc. Florent. approbarunt.

Tom. 3.

CAP.

ANNO CHRISTI 1576.

CAP. XLII.

De vindemiatorum obscœnis verbis abolendis.

Quoniam usu compertum est, quam vera sit apostoli sententia: *corrumpunt*, inquit ille, *bonos mores colloquia mala*: idcirco episcopi, & parochi, quantam possunt, curam adhibeant, ut antiqua illa loquendi corruptela tollatur, quæ præcipue in agris, & vinetis viget, quaque freti illius regionis rustici, aliique vindemiatores, impune sibi licere existimant, tempore vindemiarum obscœnissima quæque verba, aut dictu, audituque turpissima in transeuntes, cujusvis sexus illi sint, & quod execrabilius, ac minus ferendum est, in religiosas, ecclesiasticasque personas, sine sexuum, ac statuum discrimine passim eructare, sicque tenellas innoxiasque animas pervertere. Hortatur itaque principes, & magistratus sancta synodus, ut tantam, ac talem pestem e campania exterminare velint, quia horrendum nimis est, quibus apostolus præcipit a scurrilibus, & turpiloquiis, ut caveant, eos per omne turpitudinis genus laxatis linguæ habenis tam præcipites pervagari.

CAP. XLIII.

De usuris.

Quoniam usura, velut cancer in pauperum bona, & quod execrabilius est, in usurariorum animas serpit; ideo omnes oportet intendere nervos, ut in populo christiano tantum malum resecetur. Caveant ergo omnes, ne ullum usuræ genus vel monopolium exerceant, neve alium quemvis, sive aperte iniquum; sive, ut ajunt, palliatum faciant contractum. Ex mutuo, vel deposito, tam apud nummularios, quam apud alios, nihil præter sortem exigi possit, licet pecunia mutuo data, vel depositata pupillorum sit, vel viduarum, vel quorumcumque aliorum: non enim, quia necessitate premuntur inviti, ideo voluntate licenter peccant; quin imo, ut tales decet, jactent cogitatum suum in Domino, & ipse enutriet illos, qui fenum agri sapientissime vestit. Cambia sicca, nempe cum litteræ ad destinatum locum vere non mittuntur, sed in eodem, quo datur, loco pecunia solvitur, cessent; quippe iniqua sunt. Caveant, ne quid lucri ob dilatam vel anticipatam solutionem accipiant, vel ne carius quidquam propter expectatam pecuniam, quam præsentem vendant. Tollatur omnino abusus ille, nimirum conducendi operarios ad messem, vel vindemiam, vel alia quævis opera certo quidem pretio, minori tamen, quam locorum consuetudo, & laboris ratio exposcit, idque ob anticipatam solutionem, ne juxta quod scriptum est: *Pascua divitum sint pauperes*; nam potentiores hujusmodi terribiliter increpat scriptura. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

Abstineant a distractionibus rerum usu consumptarum, sive gemmarum, sive aliarum rerum, ultra justi pretii limites cum modica pecuniæ summa, quas distractiones partitorum contractus vocant. Caveant denique a quovis suspecto contractuum, vel negotiationum genere. Propterea tutius erit, si hisce de rebus homines consuluerint, qui sint artis periti, & divino timore repleti, ne in animas suas dicant videntibus: *Loquimini nobis placentia; videte nobis errores*: fit enim sæpe, ut eos consulant, a quibus prava audiant, quæ volunt; non ut recta velint, quæ audierint. Qui vero in horum aliquid deliquerit, certo sciant se præterquam quod mortale peccatum committunt, restitutioni obligatos esse, aliaque poena puniendos, id quod ordinarii relinquitur arbitrio. Hortamur autem principes, & magistratus, ut ipsi etiam huic malo, quibus melius poterunt remediis occurrant; quid enim mali non timendum sit, ubi ipsa malorum omnium radix tantopere excrescit.

CAP. XLIV.

De falsis testibus famosos libellos edentibus.

Quoniam experientia nos satis superque docuit, quantum detrimenti reipublicæ afferant falsa testimonia, divina atque humana lege damnata, cum falsus testis Augustini sententia tribus obligatus sit. Primum Deo, cujus præsentiam nihil facit; deinde judici, quem mendacio fallit; postremo innocenti, quem falso testimonio offendit, quippe in ejus est potestate innocentes bona fama, nedum facultatibus orbandi; idcirco ne tantum crimen inultum impunitumque dimittamus, contra quam debemus, quia scriptum est. *Abominatio est Domino labia mendacia, & falsus testis non erit impunitus*; statuimus, ut qui falsum testimonium in judicio dixerit contra innocentem, sive in causa civili, sive in causa capitis, vel ut dicatur scienter effecerit, præter poenas a sæcularibus judicibus irrogandas, excommunicationis vinculo sit ipso jure irretitus, satanæque potestati traditus, a quo vinculo enodari nunquam possit, nisi famæ, ac facultatum jacturam meliori quo poterit modo resarserit. Prov. c. 12 Prov. c. 19

Eandemque poenam luent, qui ad inurendam famæ aliorum maculam famosos libellos componunt, ac pro palam collocant, ut omnibus noti fiant, præter poenas in constitutione Pii V. statutas. Qui ad duellum verbo, vel scripto provocant, quique ad id favorem, consilium, vel auxilium præstant, præter excommunicationis sententiam aliis se poenis, ut in concilio Tridentino sancitum est, subjacere sciant.

Eodem excommunicationis vinculo innodamus actuarios, subactuarios, scribas, notarios, advocatos, causidicos, procuratores, ac cæteros quocumque nomine nuncupentur, qui contra conscientiam, & justitiam cum alterius partis offensione, vel cum reipublicæ detrimento, cujus permagni interest, ne delicta impunita sint, in judicio testes

testes favore, vel pecunia corruperint, aut seduxerint, aut testium dicta non integre, nec fideliter scripserint, vel scribi fecerint, vel ad id faciendum opem ferre, ac favorem scienter præstare præsumpserint.

CAP. XLV.

De testamentis ac ultimis voluntatibus.

Ne pia fidelium dispositio aliena avaritia pereat, voluntasque fraudetur, cum ad episcopos ultimarum voluntatum in casibus a jure concessis, executores esse spectet ex conc. Trid. decreto: mandat sacra synodus quibuscumque notariis, & tabellionibus, idque sub excommunicationis poena, ut infra bimestre a die publicationis, & confirmationis horum decretorum, omnia legata ad pias causas, vel propter bona male parta, & deinceps infra mensem ab obitu testatoris, omnia item legata, testamenta, ultimas voluntates, codicillos, donationesque ad pias causas per quascumque personas factas, tam in testamentis in scriptis, quam in nuncupativis locorum ordinariis patefacere, & si opus fuerit in scriptis soluta pro meritis mercede exhibere teneantur, atque ut melius effici possit, parochi hæc populo singulis annis semel, atque iterum divulgent.

Ut autem jus suum unicuique tribuatur, statuimus, ut hujusmodi legatorum quartam, seu canonicam portionem exigere possint episcopi, dummodo huic nostræ constitutioni consuetudo per subditos legitime præscripta contraria non sit, exceptis tamen his legatis, quæ pro ornamentis; Missis, cereis, fabrica, luminaribus, anniversariis tertio, septimo, decimo tertio, vigesimo, & quadragesimo, monumentis, habitu religiosorum, fossis, calicibus, cruce, thuribulis, libris, pace, atque aliis similibus relicta fuerint in perpetuum Dei cultum ecclesiis, seu piis locis, modo tamen in fraudem id non fiat.

Quarta funeralium portio, ubi consuetum est, ex decreto concilii Tridentini exigatur, ab iis, qui eam in hunc usque diem exegerunt: prout juris ac moris est.

Quoniam, ut sancte monuit concilium Cabilonense, animarum salutem inquirere sacerdos, non lucra terrena debet: fideles quippe ad res suas dandas non sunt cogendi, nec circumveniendi; oblatio namque spontanea esse debet: idcirco maxime cavendum, ne per avaritiæ speciem supplantemus, quos confirmandos a Domino accepimus. Censet igitur sacra synodus consuetudinem, ut conficiant episcopi testamenta eorum, qui intestati moriuntur, omnino de medio tollendam esse, etiam immemorabilem. Verum ubi isthæc viget consuetudo, episcopus, qua decet, pietate, temporis locorum, ac personarum conditione perpensa cum expresso legitimi hæredis consensu, ac voluntate aliquam pecuniæ quantitatem, moderatam tamen, in missas, atque alia pia opera in suffragium animarum eorundem defunctorum dispensare possit, quæ integre & sine ulla diminutione, & perceptione quartæ ad pios usus tantum erit applicanda.

Si vero peregrinum, & advenam a longissimis remotis urbis partibus, cujus proinde legitimi hæredes non sint, vel certe ignorentur, intestatum e vita migrasse contigerit; tunc jus commune servetur juxta sacros canones.

CAP. XLVI.

De funere episcopi.

Ut pietas erga animarum patres religioque servetur, episcopo jam in extremis laborante tres de capitulo vicinum episcopum vel alium, qui commodius poterit haberi, invitent, ac convocent, qui illum animam efflantem salutaribus verbis consoletur, ac mortuum una cum sæculari, ac regulari clero solemni more ad sepulcrum prosequatur. Curet capitulum, ut circa illius corpus clerici sint, qui pro ejus anima ad Deum preces fundant; eidem capitulo curæ sit, ut primo quoque tempore provinciales episcopos omnes de episcopi obitu certiores faciant, qui in cathedralibus ecclesiis solemne sacrum pro ejus anima faciant. Anniversaria vero quotannis celebrentur in cathedrali ecclesia viventis episcopi, & capituli sumptibus, quanto tempore proximus eius successor in episcopatu vixerit.

CAP. XLVII.

De sepulturis, & funeribus.

Ut fidelium corpora, quæ cum animarentur templa fuere Spiritus sancti, ad sepulturam quo par est ritu afferantur, atque humentur, quisque hoc decreto contenta exacte servare curet. Clerici ad celebrandas fidelium exequias accersiti, superpelliceis, ac talari veste induti ordine, & bini procedant, cruce præeunte, psalmos canentes, ac orantes funus concomitentur. Feretrum, neque sacerdotes, neque clerici externe, multoque minus laici ferant; sed parochialis cujusvis ecclesiæ ministri, qui vulgo laconi dicuntur, vel confratres, ubi commode id fieri poterit. Horum vero ministrorum in singulis parochialibus ecclesiis certus sit numerus, quibus etiam ex officio incumbat sacerdotes ad exequias convocare: Non laicis, sed clericis tantum liceat exequias faciendas curare, ac sacerdotes invitare. Nec defuncti cadaver extra domum quisquam efferat parocho, non accersito. Ante solis ortum, & post occasum cadaver efferri, ac sepulturæ mandari prohibemus sine episcopi licentia. In efferendis cadaveribus longi viarum circuitus evitentur, vel certe clerici præmoneantur, qua sibi, quantaque via sit proficiscendum, ne quando, non minimo populorum scandalo, aliquid possit contentionis oriri. Distributio funeris his tantum, qui funeri interfunt, atque ita fiat, ut absentium portio præsentibus accrescat. Infirmus aut alia justa causa impeditus, portione, quæ illi obveniret, non defraudent. Si vero plures tribus ad fu-

ANNO CHRISTI 1576.

nus clerici deeſſent cellarii, ſeu procuratoris, vel alterius, cui ex officio incumbet, erit externos in eorum officium, & locum ſufficere, qui, & exequias proſequantur, & eleemoſina donentur Cellarii, ſeu procuratores: ab eccleſia cathedrali cum Cruce ne diſcedant, antequam cæteri clerici ad funus conveniant. Ultra vero ſtatutum tempus integrum adhuc expectent horam, qua elapſa, ſi non abfuerint, tunc illis cum cruce abire licitum erit; ſi cum cruce ab eccleſia egreſſi non fuerint, exequiarum careant diſtributione.

Nemo duplicatam mercedem exigat, neque duorum fungatur munere; quo circa neque duobus in locis cellarius quis eſſe, neque clericus duplici portione gaudere poſſit; qui autem duabus adſcriptus confraternitatibus, vel pluribus collegiis fuerit beneficiatus, aut eis inſervierit, ſi omnes ad funus convocentur, in una dumtaxat, vel uno, quod maluerit, erit particeps.

Tratantiæ, ut vocant, diaconatus, & jus deferendi, vel humandi defunctos, neque locentur, neque conducantur; ſi contraventum fuerit, contractum irritum, inanem, & nullum eſſe decernimus. Provideant inſuper rectores, ut nullus ex hebdomadariis portionem diaconatus obtineat, neque is qui inſervit acta.

Singulis annis, ſub poena excommunicationis, novi cellararii, eccleſiarumque, & capitulorum procuratores ex ipſa clericorum, ſeu canonicorum congregatione fideliter, ac ſine dolo conſtituantur, qui eleemoſinas, & candelas pro parochis, ſacriſtis, & diaconis exigant, ac cetera hujuſmodi diſtribuant; quibus abſentibus parochi, vel ſacriſtæ eorum vicem ſuppleant. In cellarii electione ultra præfixum tempus integra hora expectetur, donec omnes conveniant; deinde electio per ſuffragia ſecreta fiat, nec canonice cenſeatur electus, qui plura medietate ſuffragia non habuerit. Cum novus eligitur, qui ſe officio abdicabit, ſuæ adminiſtrationis rationem infra menſem ſub eadem poena reddere teneatur; *cum in eccleſiæ corpore* (inquit Alex. III.) *omnia debeant, ex caritate tractari, nec ſatis utiliter avaritia in populo redarguatur, ſi iis, qui in clero conſtituti videntur, modis omnibus non caveatur.*

Rectores eccleſiarum de pauperis obitu certiores facti, ſi platearum capitanei, vel electi una cum parocho de mortui paupertate fidem fecerint, illum propriis ſumptibus humandum curent, ſi in ſua parochia e vita deceſſerit. Capellani cum hujusmodi pauperis mortem reſcierint, rectores admoneant. Parochorum quoque erit mortuos in carceribus, mortiſque ſupplicio affectos, & ad triremes damnatos, dum a confratribus in eorum eccleſias afferuntur, gratis ſepeliendos recipere.

Clerici vita functi ſacerdotalibus veſtibus induti afferantur, ut quos viventes omnium Dominus tanto munere decoravit, eos etiam mortuos a ceteris diſtinguamus. Cumque inhumaniſſimum eſſe nemo non videat, hominum cadavera ſepulturæ carere ob debitum nondum ſolutum, propterea ſtatuimus, ut defuncti corpus, neque propter decimarum quartæve exactionem, neque propter nondum exhibitum teſtamentum, neque propter jus ſepulturæ non adhuc ſolutum, & (ut breviter dicamus) nullo modo inſepultum detineatur, vel ſepultura denegetur. Verum ut laici laudabilem conſuetudinem, ut decet, obſervent, dent parocho pignora, vel idoneam adhibeant cautionem, ſe quod juſtum fuerit, ſoluturos, ut abſque lite, & ſcandalo parochus debitam ſibi mercedem recuperare poſſit.

Amoveatur, atque omnino tollatur abſurda illa conſuetudo, impietatem potius, & barbariem, quam religionem ſapiens, qua imperitorum vulgus ſentit, morientes extra urbis mænia, ſive naturali, ſive violenta morte afficiantur, intra urbem non eſſe inferendos, neque in eorum eccleſiis, quin immo neque in ſuis, vel ſuorum majorum ſepulcris, ſed in monaſteriis, vel eccleſiis extra urbem ſepelliendos eſſe. Ut igitur irrationabilis hujusmodi conſuetudo extirpetur, omnibus cujuſcumque conditionis illi ſint, quocumque mortis genere intereant, & ubicunque locorum vita excedant, liberum ſit ſibi ſepulturam eligere, ſitque ſatis ſuo confeſſario, vel teſtibus aperuiſſe, vel ita teſtamento diſpoſuiſſe; ac proinde inteſtati in propriis capellis, vel ſepulturis, ſi quas habuerint; ſin minus, in eccleſia matrice humentur, ſalvis tamen juribus capitulorum, ſive parvo tempore, ſive diu extra mænia urbis incoluerint.

Cumque *ſancta ac ſalubris ſit cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*, ſicut ſacra ſcriptura teſtatur, cumque mortuorum animæ, ſacerdotum oblationibus, ſanctorumque precibus ab igne purgatorio liberentur, & eruantur, quam impium eſſet, pia defunctis ſuffragia denegari, præſertim ab iis, qui vel ex eccleſiæ inſtitutione, vel ex fructuum perceptione tenentur. Propterea mandat provincialis ſynodus omnibus cujuſcumque eccleſiæ etiam exemptæ clericis, capitulis, & congregationibus, ut debita defunctis anniverſaria, miſſas, aliaque pia ſuffragia perſolvant exactiſſime, & pro ea ſtatis diebus ſatisfaciant; alioquin præter poenam, quam ab eis ordinarius ſumet, diſtrictam ſe Deo omnipotenti rationem noverint reddituros.

Et ne cunctis abſque diſcrimine liceat profana quædam aliave minus decentia ſepulchris ſuperſcribere, epiſcoporum erit in viſitatione providere, ut in eccleſiis, aut ſepulchris, aut aliis ſacris locis epitaphia, vel alia hujusmodi, notulis litteris inſculpta, ſeu depicta compererint, ea deleantur; quæ vero impoſterum inſculpenda, vel inſcribenda fuerint, ordinario loci præmonſtrentur. Qui contra fecerit, poena ad ordinarii arbitrium mulctabitur. Vivificæ præterea Salvatoris noſtri Crucis ſignum in terra incidere, vel in pavimento dipingere nullo pacto liceat; quæ autem ante hac inciſæ, vel depictæ fuerunt, tolli omnino jubemus, ne incedentium conculcatione victoriæ nobilis tropheum injuria afficiatur, prout in ſacris legibus, canoniciſque ſanctionibus, & præſertim in ſexta Conſtantinop.

ſyno-

synodo cautum est. Religiosi, cujuscumque ordinis illi sint, fidelium cadavera sine parochi licentia ad sepeliendum ne efferant, ne eorum quidem, qui secum religionis habitu humari mandarint. Quisquis in iis peccaverit, quæ his decretis præscripta sunt, ab ordinario loci poena afficiatur.

Ut piæ mortuorum voluntates perpetuo, quoad ejus fieri potest, conserventur, ac ne e posterorum animis discedat umquam piorum fundatorum memoria, prohibet provincialis synodus, ne ecclesiæ, capellæ, sepulchra, monumenta majorum intra ecclesias vel monasteria, vel alia tam regularium, quam sæcularium loca ulla ratione, ullove quæsito colore diruantur, aut evertantur, aut alienentur, antequam de hoc locorum ordinarii consulantur; etiam si nulla sit fundatorum, aut hæredum memoria superstes, sub poenis a jure statutis, aliisque ad arbitrium præferendis. Caveant tamen ordinarii, ne licentiam priscorum insignia amovendi præstent.

Utque omnis importuna atque illiberalis eleemosinarum exactio a clericis evitetur, auferaturque omnis laicorum tumultus, & susurratio, cessetque omne scandalum, operæ pretium nobis visum est certam quandam mercedis summam præfigere, præscribereque omnibus ecclesiis, quam transilire nulli unquam liceat, sub poena ordinarii arbitrio danda.

Hortamur insuper in Domino laicos, ut os trituranti bovi alligari nolint, sed animo hilari, & christiana caritate, sine ullo oris, vel cordis murmure præfixam præscriptamque piæ mercedis summam inviolate servare velint; Deique ministros duplici, ut par est, honore prosequantur.

Pro dimittendo a cubiculo, efferendoque cadavere in quamcumque ecclesiam singulis diaconis carolenos duos statuimus; dummodo civitatis portas, ut modo sitæ sunt, non egrediantur; quod si opus fuerit, tertius carolenus addatur, singulis, quocumque proficiscantur, sive prope, sive longe.

Pro efferendis corpusculis in quemcumque civitatis locum carolenos tres; extra vero civitatis mænia quatuor. Pro campana, atque sepultura, vel fovea in pueris parochiæ, carolenos duos cum dimidio. Pro precibus, quæ in ecclesiis decantari solent, candelarum libras tres; carolenos vero quinque. Sacerdotibus qui cadaver cubiculo in cohortem deponunt, carolenos sex. Pro singulis funalibus faciis, seu, ut vocant, duos asses, sive grana, ut nostri dicunt; cum feretro vero, unum tantum. Pro exequiis infantium infra secundum, & septimum annum e vita decedentium, qui in scutulo, seu scutillo portantur, dimidiam exequiarum portionem: & si sacerdotes voluerint integram.

Pro exequiis sine ullo discrimine, intra mænia quidem, ut jam sita sunt, carolenos decem, & octo, cum denariis viginti, ut Neapolitano more vocantur. Extra vero Neapolim juxta præsentem situm, carolenos quidem unum, & viginti, denarios vero viginti.

Pro dupsicibus cum quavis religione, & numero, carolenos quidem sex supra viginti, denarios vero viginti. Cum vero extra novas civitatis portas in quemvis locum, exigendum est absque differentia carolenos quidem triginta, denarios vero viginti. Clericis autem, qui extra parochialem ecclesiam accersuntur ad exequias, octo saltem asses, sive grana singulis.

Per hæc autem sacra synodus nihil immutare intendit circa portionem abbatibus, seu rectoribus, aliisque dari solitam, quæ ex prædicta taxa erit ad antiquæ proportionem deducenda.

CAP. XLVIII.

De monialibus.

Nihil æque delectare cælestis sponsi oculos credendum est, ac si viderit virgines sibi desponsatas, iis ornatas monilibus, quæ tantas reginas deceant, quæ dicere cum sponsa possint: *dilectus meus mihi, & ego illi.* Quamobrem necesse est, ut cœnobiis monialium, quæ religionem ingressæ divino sese cultui emancipârunt, vetus disciplina integra perduret, & si forte (quod absit) collapsa fuerit sublevetur, eamque ipsæ servare omni conatu studentes in rerum divinarum contemplationem majori cum libertate incumbant; idcirco nos hasce religiose recteque vivendi regulas, partim ex Tridentinæ synodi decretis erutas, partim pro ratione præsentium temporum ad nostri proventus emolumentum conditas ab universis hujus provinciæ monialibus servari inviolate præcipimus, & mandamus.

CAP. XLIX.

De numero monialium.

In monialium monasteriis tantum constituatur numerus, & in posterum conserve tur, prout sacrosanctum concilium Tridentinum decrevit, qui vel ex propriis monasteriorum redditibus, vel ex consuetis eleemosynis pro modo, & facultate loci commode sustentari possit, ut in constitutione S. D. N. Gregorii XIII. videre est. Neque illum numerum licet augere, nisi sufficiens annuorum redituum monasterio fieret accessio.

sess. 25. c. 3. de regul. & monialib. & conc. Arela en. c. 8. & conc. Mongutaic. 4. c. 19. tom. 2. & cap. auctoritate de inst.

CAP. L.

De puellis ad religionem, & professionem admittendis.

Nulla puella minor XII. ab abbatissa monialium numero adscribi, neque in monasterio sine ordinarii consensu locum habere queat; neque ullam secularem virginem intra monasterii claustra admittant abbatissæ; quæ vero jam admissæ sunt, ut in parentum domum redeant, procurent. Nullam post hac mulierem prætextu religionis recipiant, nisi prius ejus exploratam habeant voluntatem, & cum ordinarii facultate.

Si quæ vero professionem emissura est ma-

ANNO CHRISTI 1576.

jor sit sexdecim annis, neque illam prius emittat, quam illius voluntas ab ordinario exploretur, secundum sacri concilii decretum.

Octavo autem die, antequam ejus exploret voluntatem, curet ordinarius, ut ejusdem concilii decretum cum excommunicatione latæ sententiæ in monasterio paterniſque domibus publicetur. Expleto novitiatus tempore omnes habiles, aptæque ad professionem, profiteri teneantur, aut pellantur e monasterio: abbatissa, vel alia monasterio præfecta, cum puella profiteri animum induxerit, episcopum certiorem faciat, idque ante mensem sub poena suspensionis ab officio, ordinarii arbitrio imponenda.

CAP. LI.

De abbatissæ electione.

Sess. 25. c. 7. & conc. Carthag. 3. conc. Agath. c. 19. c. sanctæ moniales 20. q. 1.

Quæ vasa sancta in ministerium Domini præparata (ut est in concilio Cabilonensi) idest Virgines Deo dicatas gubernandas suscipiunt, quanto difficilius, atque sanctius aggrediuntur opus, tanto eas oportet, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso cæteris prælucere sororibus, & super custodiam stantes omni sollicitudine vigilare. Abbatissa itaque, ex Trident. conc. decreto, non minor annis 40., & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, deligatur; cæteris dotibus polleat, quas sacros canones districtius exegisse cognoscimus. Quod si in monasterio ejusmodi non reperiatur, ex alio ejusdem ordinis possit eligi. Quod si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni præest, videatur, ex his, quæ in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem recte vixerint, episcopo, vel alio superiore consentiente eligatur. Tollatur abusus, sicubi fuerit, eligendi eam, quæ cæteris monialibus fuerit ætate provectior; quin potius fideliter, ac sine avaritia, vel ambitione in ea deligenda, procedatur, nec ætatis modo, vel antiquitatis professionis emissæ, verum etiam multo magis morum, probitatis vitæque integritatis ratio habeatur. Corporis etiam incolumitatis, & virium, quibus huic oneri ferendo par esse possit.

Ubi duæ pluresve sorores germanæ, vel mater, & filia fuerint; si una illarum monasterio præfuerit, altera in vicariam, vel discretam, vel lanitricem, vel cellerari, demum in aliud officium non eligatur, electa vero privetur.

CAP. LII.

De communi vitæ usu, deque proprietate tollenda.

Ordinarii locorum, absoluta synodo, quam primum id commode præstare poterunt, monialium monasteria visitent, curentque in primis, ut sanctæ paupertatis votum, religionis murus & antemurale inviolabiliter servetur; ac proinde propria cujusque monialis bona, census, legata, ceteraque jura, sint monasterio omnino communia, & ad communem illius utilitatem convertantur, soluto prius ære alieno omni, quod moniales legitime ante conflaverant. Eleemosynæ vero, aut suis cujusque parta laboribus, aut redditus a parentibus, vel consanguineis promissi, aut dari consueti, non in proprios cujuscumque convertantur usus, sed in communi quadam reponantur arca, ex qua moniales nihil sine abbatissæ licentia possint accipere. Hujus arcæ duæ sint claves, quarum altera penes abbatissam perpetuo asservetur, altera penes cellerariam, vel quocumque illa nomine dicatur. Habeat abbatissa librum, in quo omnes pecuniæ, quæ in arca positæ sunt, scribantur, fideliterque notetur quid quid acceptum fuerit, & expensum. Alium huic similem cellararia habere teneatur, ut cum opus fuerit, ordinario loci pecuniarum ratio fideliter, absque ullius damno, injuriave reddatur. Abbatissa de bonis in communem usum conversis, ac repositis, monialibus in necessitate subvenire, atque opitulari teneatur; præcipuam tamen quandam curam adhibeat, ut iis subveniatur, ad quas reposita pecunia magis pertineret, nisi votum obstaret paupertatis; in quo tamen caveat, ne inter ipsas, & reliquas discrimen notabile advertatur. Nulla monialis ab aromatariis, vel pharmacopolis quidquam accipiant; sed abbatissa singulis in necessitate provideat; quæ accepti, expensique ratione inita hujusmodi debita solvere teneatur. Extra tamen veræ necessitatis casum, si quæ monialis in vana, seu curiosa, vel parum utilia pecuniam expendere cuperet, id abbatissa nullo modo ferat, nisi prius loci ordinarium consuluerit: quod si contra factum fuerit, utraque excommunicationis pœnæ subjaceat. Abbatissa insuper ab officio suspendatur. Utique omnis proprietas religionis venenum e monasteriis exterminetur; nulla monialium quidquam proprii clam, vel palam habeat, nulli dona regalare, emere, vel vendere in posterum liceat; nec alia quavis ratione etiam prætextu eleemosinæ faciendæ sine Abbatissæ facultate alienare quidquam, ne id quidem, quod ad proprios usus jam applicatum esset, & conversum, nec alio quovis modo nomine proprio contrahere. Verum abbatissa communi totius monasterii nomine contrahat, idque in temporalibus, consultoque prius ordinario; cui decreto si contraventum fuerit, meminerint omnes, qui monialibus quidquam dederint, hujusmodi contractus irritos esse, & nullos; ut re vera præsenti decreto irritos reddimus, & nullos. neque pecuniæ recuperandæ spes ulla relinquatur. Si quid autem monialibus ipsis, nulla excepta, ex contractu, vel censu, vel locato, vel alia quavis obligatione deberetur, illud debitores abbatissæ, aut monasterii præfectæ omnino solvant; quod si moniali, cui debebatur solverint, certo sciant se eadem adhuc obligatione obstrictos esse, neque satis pro debito feciſſe, & quod huic consequens est: Abbatissam jus habere eos in jus vocandi, actionemque repetendi, facta

ANNO CHRISTI 76.

ta tamen præsentis decreti publicatione. Ad hæc lites, causæque judiciales in moniales in contentionis foro jam illatæ, vel inferendæ non ab ipsis, sed a præfecta, & monasterii nomine agantur: ac propterea omnis inposterum auferatur occasio tractandi nimirum cum advocatis, causidicis, notariis, procuratoribus, & quibuscumque causarum actoribus, ut omni judiciali strepitu longe remoto divinæ omnes vacare possint contemplationi; qui contra ac dictum fecerit, per duas hebdomodas pedem e cella non efferat, vel certe ad cancellos rotamve non accedat, quandiu loci ordinario, perpensa delicti, & personæ conditione videatur. Bellaria moniales, panesque dulciarios, aliaque id genus, neque donandi, neque vendendi causa conficiant per quindecim ante Pascha dies, totidemque ante Natalem Domini diem, atque in aliis sanctorum festis, qui in suis ipsorum ecclesiis solemniter celebrantur, cum hisce temporibus Sacros. Communioni, orationi, ceterisque ad divinum cultum necessariis impensius, ac sollicitius sit incumbendum. Reliquis vero temporibus absque Abbatissæ licentia, neque conficere, neque confecta vendere, donove dare possint, quia indignum profecto est hujusmodi occupationibus eas destinari, quæ ut se Deo penitus darent, seculo renunciasse debuerunt. Tantumdem volumus intelligi de operibus aut pictis, manuque factis, ut videlicet, neque conficienda suscipi, neque confecta vendi, vel donari queant.

CAP. LIII.

De monialium honestate.

Ut monialium modestia perspicua, notaque sit omnibus, nulla eorum pretiosis utatur vestibus; neque illæ, quibus utitur diversi coloris a communi religionis habitu sint, sed prorsus ejusdem, pretiique velis, qualis paupèrem decent.

Itemque ab omni fuco abstineant: corporis insuper ornatus, capillorum, capitisque concinnitas, pretiosa flabella, chirotecæ, manicæ ex serico, vel ex pretiosis pellibus confectæ, odores, unguentaque ab eis procul absint, neque catellos apud se retineant; speculum non habeant in cella; neque decet enim similem ulla ratione esse ornatui secularium fæminarum ornatum sponsæ Christi, de qua dicitur: Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus in fimbrisi aureis circumamicta varietatibus.

Cellæ sint semper apertæ, & paupertati quam professæ sint, convenientes: non eas impura aliqua, vel profana hominis effigie, aut vanis picturis, aut impudicis fabulis deforment; neque aulæis parietes, aliisve minus decentibus vanitatibus parent, sed sanctitati loci convenientibus Christi Domini nostri, & sanctorum imaginibus exornent, quarum tamen exempla, antequam effingantur ordinariis, locorum exhibeant.

Inanem etiam, seu supervacaneam pretiosamque supellectilem evitent. In exornandis, quæ in hebdomada sancta solent (vulgo sepulchra vocant) inque festis celebrandis viginti aureorum summam non excedant, ne argentum scoria mixtum, ideſt cultum humanis ambitionibus, fastuque superbo commaculatum (ut iis contingere interdum solet) regum regi convincantur offerre. Depositum ad custodiendum ne recipiant: ante hac recepta infra mensem restituant. Omnes in cænaculo, seu refectorio, communique comedant, iis exceptis, quæ ob infirmitatem valetudinis in valetudinario, vel alibi ad arbitrium abbatissæ comedent.

Expensæ in monialis consecratione, vel in professionis emissione faciendæ, arbitrio ordinarii præfiniendæ sunt, ac moderandæ: moderatas esse enim oportet, & quæ religionem, non inanem gloriam præseferant. Munera, neque a consanguineis recipiant, neque ad eos mittant, nisi cum facultate abbatissæ: si qua tamen mittenda, ea sint moderata, utpote, quæ unius aurei pretium non excedant. Si qua monialis in horum aliquid peccasse deprehensa fuerit, vel convicta, ea biennio activa, & passiva voce privata sit, quemadmodum Tridentina synodus statuit, ac decrevit; vel ad cancellos tamdiu interdicatur accessu, quandiu loci ordinario videatur, aliave poena pro modo culpæ ejusdem arbitrio afficiatur.

Si abbatissa in corrigendo, vel denunciando superior, negligenter se gesserit, ab officio suspendatur, quoad ordinario videbitur.

CAP. LIV.

De clausura.

Moniales expressam trium votorum ad completam religionis rationem pertinentem professionem emittant, & perpetuam servent clausuram juxta Sacrosancti concilii Tridentini decretum, & S. D. N. Gregorii XIII. constitutionem. Ad omne cujuscumque monasterii fenestellas duo ferri cancelli cum perforatis construantur laminis, qui saltem palmo distent alter ab altero, ubi cum maribus loquendum est: ubi vero cum fæminis absque laminis esse possunt; eo tamen accedere mares ullo modo queant. Intra vero monasterii ecclesiam, neque cum maribus, neque cum fæminis locus detur colloquendi.

Præfecta rotæ, aliave audiendis sermonibus præposita, & janitrix fidelis eligatur, quæ cum aliqua monialium a suis vel externis fuerit accersita, eam non ante vocet, quam abbatissa illi facultatem dederit ejus vocandæ; cujus erit judicare, num expediat monialem illam cum suis colloqui, vel externis: Si vero senserit haud convenire, janitrix, aut rotæ præfecta dictæ sorori ea de re dicat, ne forte turbationis ei præbeatur occasio.

Cum vero una monialium cum externis colloquitur, adsit altera, quæ utriusque dicta auribus percipiat; cancelli duabus semper obserentur clavibus, quarum altera penes abbatissam custodiatur, altera pe-

Ad portam nulla cum externis colloquatur, nisi

ANNO CHRISTI 1576.

ANNO CHRISTI 1576.

nisi adsint Janitrix, & cui rotæ cura remissa est, ut ea dare, ac recipere possit, quæ universo monasterio necessaria sunt.

Porta cum aperienda est, sic aperiatur, ut quæ aperiunt sorores, ab iis, qui foris sunt, nequaquam videantur, neque aliæ juxta portam præter janitricem sint, neque ibi colloquantur. Ad rotæ portequæ custodiam tres semper assistant prudentes, provectæque ætatis sorores, quæ nunquam recedant inde, nullaque alia hoc fungatur munere. Porta sine justa causa ne aperiatur. Intra monasterii sepia nullus ingrediatur, cujuscumque ille sexus, ætatis, conditionisque sit, poena excommunicationis latæ sententiæ contravenienti proposita a concilio Tridentino illata; eos tamen excipimus, quibus ordinarius ingrediendi fecerit facultatem, quales sunt medicus, confessarius, atque his similes ex vi constitutionis S. D. N. Gregorii XIII. quos tamen ipsos, cum ingrediuntur, duæ semper ex provectioribus comitentur. Nullus secularium, vel regularium cujuscumque ordinis, sive laicus, sive clericus ille ut, monasteria adeat monialium, ut cum illis colloquantur, nisi colloquendi prius facultate, & in scriptis impetrata, alioquin excommunicationis poena puniatur, exceptis fratribus, & parentibus, quibus sorores, aut filias, non alias alloqui permittetur.

Sæculares mulieres cujuscunque conditionis, & nobilitatis in monasterio ad breve tempus non in perpetuum ne recipiantur, neque securitatis, neque custodiæ, neque ut ajunt sequestri causa, secundum formam brevis Gregorii summi pontificis hujus nominis XIII.

Monialium professæ nulla ratione e monasterii septis egredi liceat secundum constitutionem Bonifacii octavi, quæ incipit: *Periculoso* a Tridentina synodo innovatam, nisi ex legitima causa, quæ ab episcopo sit approbanda.

Hujuscemodi autem exeundi licentiam concedere episcopi nullo modo valeant, nisi id summa necessitas postularit, prout in constitutione Pii V. sancitum est, contra quam si monialis quædam præsumpserit, ut honestatis laxatis habenis, & monachali modestia, sexusque verecundia impudenter abjectis extra sui monasterii septa exeat, ipso facto excommunicationis sententiam incurrat. Abbatissa vero, si ejus permissione illa exiverit, vel præfecta januæ, si ejus incuria id evenerit, præter jam dictam excommunicationis sententiam, ab officio amoveatur, ad quod etiam reddatur inhabilis. Nulli moniali literas scribere, vel recipere fas sit, nisi eas abbatissa prælegerit: quæ contrafecerit in cellam includatur, vel certe ad cancellos prohibeatur accedere, quoad ordinario videatur: literæ ab externis ad moniales missæ, inscia moniali, consignentur abbatissæ, quæ una cum prioriss, vel novitiarum magistra, si ad novitiam mittantur, eas leget, judicabitque, conveniat, nec ne pro Divino servitio, bonoque illius sororis spirituali, missas illi reddere literas. Idemque de literis e monasterio ad externos dandis servetur; qua in re si rotæ præfecta, aut janitrix fideles haud fuerint, officio priventur, & ad cancellos, vel rotam, vel januam ordinarii arbitratu inhibeantur accedere.

Angiportus, quos vocant fundicos, e monasteriis monialium sint disjuncti, & monasteria, ubi commode id fieri potest, reducantur ad insulam; qua propter ordinarii cum summo Pontifice, cumque Regibus, sub quorum tutela, & protectione illæ erunt, pro viribus agant, ut duplicia monasteria idest, virorum, & mulierum separentur & sejungantur, ut olim a majoribus in Agathensi concilio legimus constitutum.

Sit certus quidam, & præfinitus conversarum numerus pro monasterii qualitate ad superioris arbitrium: hæ autem conversæ universitati, & communitati inserviant. Sin autem conversas habere nequiverint, quæ sub ordinariis regulis vitam degant, ad lavandos pannos, ad panem coquendum, ad purgandum frumentum, & denique ad cetera hujusmodi munera obeunda, honestas, alioquin bonæ famæ habeant mulieres, iisque ad dicta munera intra monasterii claustra utantur; quas si semel e monasterii portis, seu januis egredi contigerit, in idem iterum, vel in aliud sine ordinarii licentia recipi nequeant. Ne moniales unquam suæ professionis officii oblivione capiantur, sed sanctas suæ religionis leges institutaque diligenter, ut Deo promisere, observent, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut in singulis cœnobiis regulæ crebro legantur, itaut initio cujusque mensis integre in refectorio legantur: deinde nulla prætereat hebdomada, in quo bis aliquod constitutionum, seu regularum capitulum legatur; & demum illa per se ipsæ lectitare teneantur: comedias, aliasve pias actiones non representent, personatæ, ne animi quidem relaxandi causa incedant, ne ullo modo, ac tempore, secularem, sive virilem, sive muliebrem induant habitum.

Universæ moniales, ubi commode fieri possit, uno in loco dormiant, vel saltem singulæ in singulis cellis, vel certe lectis cubent.

CAP. LV.

De divinis officiis.

Primum omnium statuimus, ut omnes ad matutinas horas conveniant, quas semper ante lucano tempore recitabunt, nisi legitima causa, quæ sit ab Abbatissa approbanda, impeditæ fuerint, aliis quoque canonicis horis interesse teneantur; omnes expletis matutinis, vel post primam, vel alio commodiori tempore, abbatissæ arbitrio, dimidiam saltem horam mentali orationi expendent, in qua beatæ Virginis rosarium, vel alia vitæ passionisve Christi mysteria, vel si placet, quatuor novissima poterunt meditari. Nocte antequam cubitum eant, conscientiam quæque suam diligenter examinet, cum deceat, maxime eas quas cælesti sponso, semper præsto esse convenit, quod scriptum est. *Exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Omnes silentium, universarum

pene

ANNO CHRISTI 1576.

pene virtutum custodem & indicium, suo loco, & tempore servent; & si opus fuerit cum externis colloqui, id sine abbatissæ licentia minime faciant; neque enim inanes fabulas, quas sæculares fere narrare solent, cælestibus collocutionibus possent non graviter obesse: cantum, quem figuratum vocant, & musica instrumenta, pulsandi artem, & grammaticam, nulla unquam addiscat, si hæc inter ipsas disci non possint, neque doceat; illaque ipsa, nisi arbitrio episcopi ne exerceant; quæ secus fecerit per hebdomadam ad cancellos, vel ad alium colloquendi locum descendere prohibeatur. In quovis cænobio novitiarum constituatur præfecta, ex prudentioribus & antiquioribus electa, cujus officium sit, illudque maxima prosequatur cura, commendatas sibi novitias in capite, humilitate, sui ipsius submissione, patientia, oratione præsertim mentali, paupertate, & omnium rerum contemptu instruere, ut in veris solidisque virtutibus, & suarum regularum constitutionibus sint optime instructæ.

CAP. LVI.

De confessariis, cappellanis, & procuratoribus.

Sess. 25. c. 10. ibid. Confessarii monialium non nisi ab ordinario, aliove superiore approbati admittantur: qui licentiam præterea in scriptis impetratam, & sexto quoque mense renovatam habeant. Illi tantum audiendis monialium confessionibus præficantur, qui ætate provecti, & Deum timentes, vitæque probatæ fuerint, quique animis tantum mederi studeant, nec extra confessionem, vel quæ ad confessionem minime pertineant, quidquam dicant, vel faciant. Curent episcopi, & superiores monasteriorum, ex decreto sac. concilii Tridentini, ut præter ordinarium confessorem, alius extraordinarius bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Socii confessorum, sive sæcularium, sive regularium clericorum cum monialibus ne colloquantur: nec nisi ab ordinariis approbati admittantur: capellani, & omnes sacerdotes, qui in monialium ecclesiis rem divnam sunt facturi ab ordinario approbentur cum licentia in scriptis, gratisque habita.

Sess. 25. c. 5. ibidem. Nullus audeat etiam ex causa celebrandi intra septa monasterii ingredi, sed in publicis monialium ecclesiis tantum sacrum faciant, constituta in delinquentes excommunicationis latæ sententiæ poena, in ingredientes intra septa monasterii, tam a concilio Tridentino, quam a SS. D. N. Gregorio XIII. illata. Eandem licentiam privatarum monialium capellani habere teneantur, factoque sacro, inde recedant: nec cum ulla moniali colloquantur, nec illis internuncii, seu famuli instar inserviant.

Actores, procuratores, oeconomi, redituum exactores, vel alii hujusmodi, quocumque nomine appellentur, nisi fuerint ab ordinariis approbati, a monialibus ne admittantur; quique singulis annis exactam totius administrationis rationem reddere teneantur, non tantum coram monasterii abbatissa, verum etiam coram alio ab ordinario deputando cum libris rationum accepti, & expensi; secus, elapso anno amoveantur ab officio.

ANNO CHRISTI 1576.

Quæ his regulis non obtemperaverint, eis abbatissa mulctam dignam culpa irroget, ut in omnibus, & de divino honore zelus, & in servandis regulis solicitudo, & in religione conservanda desiderium eluceat; si quæ vero fuerit valde pertinax, & in superiores contumax prælato denuncietur. Post mensem a die confirmationis, & publicationis huius nostræ synodi monasteriorum abbatissæ prælato denunciare teneantur, quo modo hæ nostræ constitutiones serventur, ut opportunis remediis valeat provideri, alioquin ab officio suspendantur.

CAP. LVII.

De poenis aliisque ad has constitutiones pertinentibus.

Statuit provincialis synodus multas aliasve poenas ordinarii arbitrio relictas ob delicta, vel a clericis, vel a laicis commissa nulla ratione ad episcopi emolumentum, sed ad pios usus esse convertendas. Ad hæc facultates, quæ aliquibus ex causis in hac synodo expressis ab episcopo petentur, gratis semper concedantur. Postremo decernit eadem synodus has constitutiones ad duos menses post earum confirmationem, & publicationem ab omnibus inviolabiliter servari deberet, ac neminem ignorantiæ excusationem afferre posse. Veruntamen omnia, & singula, quæ in hac sacra synodo decreta, actaque sunt, auctoritate, judicioque S. R. E. omnium ecclesiarum haud dubie matris, ac magistræ semper emendanda, ac corrigenda, qua debemus obedientia, ac reverentia subicimus.

Deo beatissimæque Matri Laus.

Subscriptio episcoporum.

Marius Caraffa, Dei, & Apostolicæ sedis gratia episcopus Neapolitanus.

Bal. episcopus Aversanus, exemptus.

Johannes Matthæus episcopus Puteolanus.

Fabrius episcopus Iscanus.

Filippus episcopus Nolanus.

Scipio episcopus Acerrarum.

Concordat cum originali correcto in sacra congregatione concilii.

ANNO CHRISTI 1576.

Consultores, theologi, officiales & notarii sacræ synodi provincialis Neapolitanæ celebratæ anno 1576.

R. D. Carolus Balduinus V. J. D.) canonici
R. D. Paulus Taffus V. J. D.)
R. D. Franciscus Lombardus sac. Theologiæ Doctor.) Neapolit.
R. D. Lelius Sessa V. J. D.
R. D. Hieronymus Vignes V. J. D.
R. D. Gabriel Sances V. J. D.
R. D. Antonellus de Fulgure V. J. D. Vicarius Aversan.
R. D. Vincentius Quatrimanus V. J. D. consultor reverendissimi episcopi Nolani.
R. M. Baldassar Crispus ordinis S. Francisci, Conventualium. A
R. M. Jo. Antonius Saviliano ord. Præd. congregationis Lombardiæ.
R. D. Jo. Baptista Arcutius, clericus Neapolitanus Theologus.
R. D. Julius Cæsar Marcorda,) can. secretarius.) Neapolit.
R. D. Andreas Sarnus, Promotor.)
Franciscus Joelis Neapolitanus pub. apostolica, & regia auctoritate notarius.) Actor. magistri cur. archiep. Neap. & huic sacræ syn.
Deodatus de Felice Neapolitanus pub. apost. auctorit. notarius.)

ANNO CHRISTI 157[illegible]

CON-

CONSTITUTIONES

ET DECRETA PROVINCIALIS SYNODI

SIPONTINÆ

PRÆSIDENTE ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. PTOLOMÆO GALLIO

S. R. E. TIT. S. PANCRATII PRESBYTERO

CARDINALI COMENSI

Ac Dei & Apostolicæ sedis gratia archiepiscopo Sipontino.

PTOLEMÆUS GALLIUS

Miseratione Divina sanctæ R. E. tituli sancti Pancratii presbyter cardinalis Comensis archiepiscopus Sipontinus

Provinciæ nostræ fidelibus salutem in Domino.

CUm nihil secundum naturam sit, quam ut, quibus principiis quodque productum est, iisdem, & optimum suum statum acquirat, & tueatur; & si quando in deterius vergere contingat, restauretur: rationi sane consonum esse videtur, ut pro sanctissimæ religionis nostræ, quæ a Christi, & apostolorum vitæ sanctitate, & morum integritate, & ortum traxit, & incrementum (Christus enim prius facere coepit, & postea docere) recuperanda salute pene jam deplorata, non ad alia convolemus remedia, quam ad vitæ & morum correctionem omnium fidelium, & maxime sacerdotum, qui in Christi, & apostolorum locum sunt; quod quidem nec melius, nec efficacius præstari potest, quam crebra provincialium conciliorum celebratione, a patribus olim nostris ob hoc ipsum institutа; & cum jam ab hominum memoria recessisset, nunc demum a sacro concilio Tridentino in usum revocatd. Quare, cum pro mihi injuncto munere, proque summis a Deo in me collatis beneficiis, totis viribus, vel usque ad mortem, curæ gregis fidei meæ commissi mihi incumbendum esse cognoscerem; nihil magis in optatis habui, quam, ut primo quoque tempore per occupationes liceret, quibus diu detentus apud fel. rec. Pium IV. pont. max. fui, me ad Sipontinam sedem conferrem: ubi, pro virium nostrarum tenuitate, summa diligentia, summoque labore, totum me, quodcumque sum, ad hoc opus moliendum tradidi: tandemque, Deo favente, cum episcoporum, & aliorum provincialium consilio, ad finem perduxi: in quo maxime elaboratum est, ut ea potissimum decernerentur, quæ ad bonos mores restituendos, vacillantes confirmandos, ac sanctos, & optimos promovendos, conducerent; non omissa tamen doctrinæ, cæremoniarumque cura, cujusque provinciæ nostræ loci indigentiæ ratione habita. Quæ, ut facilius ad vestrum omnium manus, & notitiam pervenire, ac per vos executioni mandari queant, typis cusa, qualiacumque sunt edere curavimus. Non enim tanti facimus audaciæ notam illam, quam apud omnes eruditos incurrere possemus, quod scilicet hæc decreta nulla verborum elegantia, nulloque prorsus ornamento descripta, in lucem edere ausi simus, quanti commodum illud ingens, atque uberrimum illum fructum, quem unusquisque vestrum proculdubio percepturus est, si ad ea diligenter, tamquam ad scopum, animum advertetis, & inde normam sumetis, ac regulam, qua totius vitæ vestræ actiones dirigantur. Ita enim factum iri non ambigimus, ut non solum in Dei conspectum christiano nomine vosmet dignos exhibere, sed in aliis etiam sanctos virtutum suarum æmulationis stimulos excitare possitis: unde debitus omnipotenti Deo honor, ac animarum nostrarum salus mira felicitate provenit: quæ quidem duo nostrorum omnium laborum finem, & intentionem esse, nobis semper propositum fuit. Reliquum est, ut qua majori possumus charitate, vos omnes, tam sæculares, quam ecclesiasticos, hortemur, ac moneamus, ut summa diligentia summoque studio, ac totis denique viribus, quæcumque in hac provinciali synodo sancita sunt, pro eo, quod cujusque intererit, inviolabiliter observetis, ac debitæ executioni mandetis: pro certo habentes, quod si sic feceritis, a Deo pietatis, innocentiæ, obedientiæque vestræ maxima præmia consequemini; sin minus, præter Deum, quem justissimum scelerum ultorem habebitis, nos quoque, ne de alienis peccatis (cum satis nimis nos opprimant propria) Deo rationem reddere cogamur, poenis, quæ delinquentibus propositæ sunt, errantes, & discolos coercere, atque mulctare, quamquam maximo nostro cum moerore, cum vos singulos filiali amore prosequamur, minime tamen cessare poterimus.

Valete in Domino.

CONSTITUTIONES

Et decreta Provincialis ſynodi Sipontinæ,

Celebratæ de menſe Januarii 1567. Manfredoniæ.

Nos Ptolemæus Gallius,, S. R. E. tit. S. Pancratii presbyter cardinalis Comenſis, ac Dei, & apoſtolicæ ſedis gratiæ archiepiſcopus Sipontinus de conſilio, & aſſenſu reverediſſimorum dominorum epiſcoporum, abbatum, & aliorum noſtræ provinciæ ordinariorum in Provinciali ſynodo Sipontina hæc ſtatuimus, & ſancimus.

IN Nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Sancta hæc ſynodus provincialis Sipontina, in Spiritu ſancto legitime congregata attendens, Fidem totius eſſe ſpiritualis ædificii, atque religionis fundamentum, cum qua omne datum optimum, & omne donum perfectum a Patre luminum deſcendens aſſequimur, & ſine qua neque eccleſia ſubſiſtere, neque quiſquam Deo placere poteſt: in primis more majorum ſtatuit, ejus fidei confeſſionem ante omnia eſſe præmittendam; ut, quod corde creditur ad juſtitiam, id omnes ore confiteantur ad ſalutem. Quæ quidem fides cum una ſit, quemadmodum, teſte Apoſtolo, unus Deus, & unum Baptiſma; eam ipſam, quam a majoribus acceptam, ductamque a Chriſti, & Apoſtolorum doctrina, eccleſia ſancta Catholica, & Apoſtolica integram conſervavit, eadem ſancta ſynodus ſuſcipit, & amplectitur, in hunc, qui ſequitur, modum profitendo.

Credimus, & confitemur omnes utriuſque Teſtamenti canonicas ſcripturas a Spiritu ſancto eſſe divinitus inſpiratas. Itidem credimus, & confitemur ea omnia, quæ in ſymbolis ab eccleſia receptis comprehenduntur. Ea quoque omnia, quæ de fide, & doctrina a ſacris conciliis oecumenicis, & noviſſime a ſancta generali ſynodo Tridentina, ſunt definita, nulla hæſitatione amplectimur, & tenemus. Sacrorum vero librorum eum tantummodo ſenſum pro vero, atque indubitato, agnoſcimus, & tenemus, quem eadem ſancta Tridentina ſynodus declaravit, & confirmavit, & communis catholicæ eccleſiæ uſus docuit, & tradidit. Traditiones oretenus ab Apoſtolis emanatas, & continua ſucceſſione in eccleſia Catholica receptas, & conſervatas, tamquam ab ipſius Chriſti ore, vel a Spiritu ſancto dictatas, ſuſcipimus, & veneramur.

Septem quoque eccleſiæ Sacramenta, quæque de ipſis eadem ſancta ſynodus Tridentina mandavit, ac tradidit, firmiſſime tenemus, ac cætera dogmata adverſus omnes ſæculi hujus hæreſes cum eadem ſancta ſynodo ſentimus, & credimus, damnantes, & anathematizantes quaſcumque hæreſes, quas eadem ſancta ſynodus damnavit, & anathematizavit.

Sanctæ demum Apoſtolicæ eccleſiæ Romanæ, tamquam omnium eccleſiarum matri, ac beatiſſimo Domino noſtro Pio quinto pontifici, Maximo debitam ſubjectionem, atque obedientiam exhibemus, & juramus.

Statuimus inſuper, atque ordinamus, ut omnes, qui beneficia eccleſiaſtica obtinent, vel impoſterum obtinebunt, & qui ſynodo Dioeceſanæ intereſſe debent, in prima quaque ſynodo, quæ celebrabitur, omnia, & ſingula ab eodem ſancto concilio Tridentino definita, & ſtatuta, palam recipiant: veram obedientiam ſummo Romano pontifici ſpondeant; ſimulque hæreſes omnes publice deteſtentur, & anathematizent, fidem profitentes ejuſdem verbis, quibus nos ipſi fuimus profeſſi. Qui vero id facere negaverint, publice excommunicentur, & omnibus eccleſiaſticis fructibus priventur, fabricæ eccleſiarum applicandis. Idem de iis, qui de beneficiis curatis, & canonicatibus proviſi ſint, & de promovendis ad doctorales, vel alios gradus, ac de Notariis, nec non de ſcholarum magiſtris intelligatur; qui quidem omnes nullatenus ad exercendum officium ſuum admittantur, niſi prius de eorum fide, & moribus, ac ſana doctrina conſtiterit, & profeſſionem ſupradictam emiſerint.

Regulas indicis librorum vetitorum epiſcopi ab omnibus Chriſtifidelibus eorum curæ commiſſis, & præcipue a bibliopolis obſervari diligenter curent: illis inhibendo, ne libros ubicumque impreſſos vendant, aut teneant, quos ipſe epiſcopus, ſive ab eo deputatus, non inſpexerit, & approbaverit.

Quæcumque præterea, ſuggerente Diabolo, clam in vulgus inferuntur, quibus magicarum præſtigiarum pro infirmis ſanandis, aut conjugibus ligandis, vel ſolvendis, & divinationum pro rebus deperditis, aliarumque hujuſmodi rerum deteſtandus uſus retineatur, prohibeant, execrentur, damnent, & exterminent epiſcopi: & præcipue diligenter curent, ut mulierculæ, quas ſtrigas vocant, & quibus hæc noſtra Provincia abundare dignoſcitur, omnino deleantur.

De Divino cultu, & celebratione Miſſarum.

Cum ſanctiſſimum, Angeliſque etiam ipſis venerabile altaris ſacrificium Sacramentorum omnium, & finem, & perfectionem eſſe Sanctorum Patrum auctoritates pie, ſane teſtentur; celebraturos ſacerdotes quam diligentiſſime elaborare decet, ne tanto in Sacramento conficiendo ignorantia, negligentia, vel etiam contemptu, erroris aliquid ab eis admittatur, quo, & erga tale

Sa-

Sacramentum populi devotio minuatur; & imparatæ ipsorum conficientium conscientiæ erroris onere graventur. Heli namque filios, Dominum nescientes, & ad populum sacerdotum officia ignorantes, & sibi ipsis perditionem peperisse, & in maxima discrimina, & cædes populum adduxisse sanctæ scripturæ proclamant. His igitur ex causis sancta hæc synodus decernit, ut, quod ad hoc spectat, sacri in primis concilii Tridentini decretum omni studio servetur.

Nemo vero sacerdos ad tremendum hujusmodi sacrificium se conferat, qui pridie convivio solutiori operam dederit, aut aliter nimio se potu, vel cibo repleverit, seu aliquem insolentiæ actum fecerit, aut aliquid turpe admiserit.

Singulis saltem hebdomadis peccata sua confiteri non omittat, etiamsi mortalis peccati sibi conscius non sit: si vero in mortali existat, omnino confiteatur, priusquam celebret, si confessoris copiam habet: qua denegata, cum primum ei se obtulerit id statim efficiat.

In sacristia Missam diligenter prælegat, & ejus singulas partes sic promptas habeat, ut celebrando nullum errandi, sive hærendi periculum subeat.

Ad altare non accedat, nisi prius in Deum mentem dirigat, se indignum accusans, ut sacris altaribus Deo ministraturus assistat: seque supra se levet, diligenter perpendens, si a quocumque reatu liberam sentiat esse conscientiam.

Missam non incipiat, nisi prius accensis candelis; urceolis, & aliis, quæ requiruntur, paratis.

Aperto capite celebret: nec Biretum, Subbiretum, aut aliud id genus, in altare ponat.

Non ante auroram, neque celebret a meridie, nisi ex causa jure permissa.

Addendum nihil, nihil etiam detrahendum sciat. Ea, quæ ita sunt dicenda, ut populus audire debeat, sono non infracto, sed voce clara, & debite elevata proferre studeat.

Quæ vero secreta vocantur, sub silentio pronunciet.

Non ocius, neque debito remissius, preces aut cærimonias agat.

In missali omnia legere non pigeat, nec memoria tantum, quæ plerumque labilis est quidquam dicere præsumat.

Non nisi semel singulis diebus celebrare licere sciat, Christi Natalis terna celebratione excepta.

Sacrificio confecto, Divinæ Majestati, quæ tanti ministerii dignum, tantique beneficii consortem illum efficere dignata est, gratias agat.

Corporalia, neque linteolum colligat, sed neque luminaria in altari extinguantur, Evangelio non perfecto, quod post benedictionem populo datam legi consuevit.

Peregrinum Sacerdotem incognitum ad Missæ celebrationem, ordinarii licentia non perspecta, ecclesiarum rectores non admittant; ordinarius etiam non mediocre studium adhibeat ad veritatem, vel falsitatem comprobandam litterarum, quæ Dimissoriæ dicuntur.

Nullus omnino, neque sæcularis, neque regularis sacerdos in domibus privatis, neque etiam in Oratoriis ab ordinario non approbatis, ad celebrare.

Populus frequenter a parocho moneatur, ut eorum filii, et famuli, qui in agris colendis, & bestiis pascendis occupantur, saltem diebus festis missam audiant. In quo parochus patrum, & dominorum conscientiam oneratam esse significet.

Viduas, quibus ob maritorum mortem domo exire per aliquot dies indecorum ducitur, episcopi per mensem integrum tolerent celebrationi Missæ non interesse. Mense vero exacto, nulla eis cujusvis consuetudinis executio valeat, sed omnino ad Missæ auditionem, etiam (si opus fuerit) per censuras ecclesiasticas cogantur.

In solemnibus, dominicalibus, vel ferialibus Missis cantatis, inter canendum studeant omnes, tam qui in choro, quam qui ad altare deserviunt, ut non tantum modulatione voluptatibus aures afficiant, quantum christianorum mentibus utilitatem porrigant, & devotionem. Ideo tam ea, quæ ad doctrinam, ut epistola, evangelium, symbolum, quam ea, quæ ad preces pertinent, sic distincte decantentur, ut commode, & devote populorum auribus possint exhauriri.

In missis, cæterisque divinis officiis organorum usus sacri Tridentini concilii decretum non excedant; ut si quidem modulationes lascivas non imitentur.

Cæremonias vero omnes a romana ecclesia institutas, & servari solitas, ut sancte, & pie sunt adinventæ, sic religiose teneri, & ad unguem servari jubemus. Omne autem aliud cæremoniarum genus non solum non admittendum; sed penitus ducimus explodendum. Superstitiones autem ordinariorum judicio, & diligentia aboleantur, si quæ forte cæremoniarum nomine in ecclesias invectæ sunt, ut est præfixus quidam candelarum numerus, & alia iis similia, veluti sacro Tridentino concilio sanctissime cautum est.

De ritu servando in celebratione divinorum officiorum.

Ut in ecclesiis, quas Dei templa dici, esseque fideliter pieque attestamur, quasque, & prophetarum sanctissima præloquia, & castissima, ac ignita Dominica verba *Orationis domus* esse tradiderunt, nihil perperam positum, frustrave umquam demandatum occurrat, subscriptas has sanctiones sancta synodus inviolabiliter proponit observandas.

Diurnum, sive etiam nocturnum divinum officium debita campanarum signa antecedant tanto temporis spatio, ut clerici omnes domo mature discedentes, ecclesiæ opportune se possint offerre. Cum autem ecclesiam fuerint ingressi, signo crucis se muniant, atque benedicta aspersi flexis genibus ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, vel ante majus altare (si qua in ecclesia sacramentum non servatur) Domino preces fundant. Quibus

jam porrectis superpelliceis induti, omni cum modestia, & reverentia, cætera omnia parent, quæ eorum officia sibi expoſcunt, & postquam suum unusquisque locum in choro adierit, pulsetur parva campana, & ab hebdomadario, vel ab alio, cujus id muneris intererit, alta voce Dominica oratione indicta, & ab omnibus simul secreto completa, omni devotione officium inchoetur. Qui vero a tali ritu decesserit, illius horæ distributione privetur, nisi ejus excusatio, ab ordinario, vel a chori rectore perpendenda, aliter faciendum suaserit.

Qui, aliis jam in choro congregatis, supervenerit, easdem cæremonias servet.

Primo psalmo jam finito; &, si in matutinis beatissimæ virginis officium celebretur, primo capitulo jam completo; &, in cantatis Missis ultimo Kyrie eleison dicto, qui ad chorum se contulerit, illi horæ interfuisse non putetur.

Si quis ad præfixum usque terminum de industria immoretur, cum citius venire potuerit, tamquam absens habeatur.

E choro, nisi urgens necessitas astrinxerit, & sine chori præfecti licentia, nemini liceat abire. Si vero, dum divina celebrantur officia, alicui, vel sacerdotum, vel clericorum, cæremoniarum, suorumque officiorum gratia per chorum, aut ecclesiam, eundum erit, ea honestate, & maturitate gradiatur, quæ ei debet esse conjunctissima.

Eorum sedibus hæreant singuli, in quibus modo sedeant, modo stent, modo genuflectant, caput aperiaut, operiant, ac submittant, prout officii ratio exegerit.

Non galeris, sed religiosis biretis, utantur.

A librorum, litterarum, & cujusvis scripturæ lectione, dum officium dicitur, abstineant, neve privatim officium dicant.

Risum arceant, colloquia devitent, jocos, & rixas caveant, somnum non ducant.

Nemo in sua sede sit otiosus, sed omnes, tam dignitates, quam canonici præsentes, & capellani & alii quicumque distincte, aperte, diligenter psallant, recitent, aliaque ad rem divinam facientia exequantur.

Officio jam perfecto, apponet se in genua quisque, & dominica saltem, vel quavis oratione alia sub silentio dicta, singuli singulas mutuis salutationibus impartiantur. Tum superpelliceis depositis, togisque assumptis, vel sacrosanctæ Eucharistiæ, vel majori altari de more honore præstito, in sua cuique liceat remeare.

Dignitates, canonici, & alii quicumque harum constitutionum transgressores, si a chori rectore reprehensi, perseveraverint, ad illius horæ distributionis participationem non admittantur, & insuper ab episcopo, vel ejus vicario, pro delicti mensura, aliis poenis afficiantur.

Media nocte Deo matutinum persolvant, vel alio tempore pro ecclesiarum consuetudine, vel episcoporum ordinatione: modo tamen ea sit hora, ut matutini nomen jure sibi sortiatur, idemque de aliis horis canonicis, & Missis fiat, ut scilicet congruo tempore celebrentur.

Matutinum in choro dicatur, nisi justum interceſſerit impedimentum, per episcopum, vel ejus vicarium approbandum: tuncque in sacristia, vel alio honestiori ecclesiæ loco, celebrari possit.

Omnes ecclesiarum ministri, sive canonici, sive in qualibet ecclesiastica dignitate constituti, suum ipsimet, non per alios, munus obeant. Ubi vero non bene constat, quod cuique dignitati munus sit attributum; episcopus, cum duobus de capitulo, altero ab episcopo, altero a capitulo deligendis, suum unicuique munus assignet, a quo nemo recedere præsumat.

In omnibus cathedralibus, & collegiatis ecclesiis singuli canonici per vices altaris ministerium subire, & in choro hebdomadarum officium quod vocant, præstare teneantur.

Capellani autem, diaconi, subdiaconi & cæteri ecclesiarum ministri, eo modo, & forma, eoque ordine altari, & choro inserviant, quem episcopus, vel ejus vicarius decreverit, vel ordinaverit.

Pueri, prima tonsura initiati, qui jacones vocantur, privilegiis clericalibus non gaudeant, nisi diebus saltem festivis ecclesiæ inserviant; ferialibus vero duo quotidie per vices idem faciant, cæteris ludo litterario incumbentibus.

De ecclesiis.

Valde indignum esse sancta synodus duxit, cum in hac provincia plures ecclesias, omnipotenti Deo consecratas, aut in beatissimorum sanctorum suorum memoriam extructas, ita prostratas, & in eam sordem, ac deformitatem redactas esse conspiciat, ut ecclesiarum imagine jam deperdita, ad speluncarum latronum similitudinem prope accessisse videantur.

Episcopis ea propter præcipit, & mandat, ut tam curatas, quam non curatas ecclesias, sacella, oratoria sacrata, quæ ruinosa fuerint, reædificanda, cooperienda, claudenda, eaque reverentia, atque custodia tenenda curent, quæ a sacris locis aliena esse non debet. Quod si ecclesiarum paupertas id minime patiatur, ea de re Tridentini concilii decreto parere meminerint, ut scilicet altaria in cathedrales ecclesias, sive collegiatas, vel alias quascumque eorum judicio transferri demandent; lapides, lignaque, cæteraque materias, quibus ipsarum ecclesiarum ædificia constructa fuerunt (nisi honestiores causæ secus exigere videantur) profanis usibus accommodari non sinant: quod enim Deo semel sacratum est, profanum fieri omnis religio, & pietas devetat.

Si quis vestimenta, vasa, aut alia quævis ecclesiastica ornamenta, sæcularibus usibus inservitura, commodabit, ordinarii arbitrio gravem poenam luat.

Et, quoniam ecclesias ideo novimus esse ordinatas, ut in illis petitiones nostræ Deo porrigantur: nemo ibi, præsertim divinorum officiorum, aut Prædicationis tempore, deambulare, cœtus celebrare, negotia tractare audeat.

Nulla profanarum rerum, neque cum suspectis mulieribus colloquia insint.

Ita

Ita ſedeant, ne ſanctiſſimam Euchariſtiam a tergo habeant.

Dum dominicum Corpus ſacerdos adorandum elevat, nemo non genuflectat.

Ita demum attente ſe quiſque habeat, ut nullius, ſive negligentia, ſive procacitate, Divinum officium turbari ſentiatur.

Non in eccleſiis, ſed in earum januis, eleemoſynas ſibi pauperes quærant.

Utque penitus irreverentia omnis decedat, nemo venaticos canes, accipitres, baliſtas, ſclopetos, tela, cæteraque hujuſmodi, in eccleſias inducat, aut inferat.

Eccleſiarum quoque rectores, ſive procuratores, & quicumque alii, quorum illud intereſſe videbitur, capitulum non congregent, qua hora canonici in choro eſſe debeant, neque id in choro, (quamvis officium ſit expletum) aut omnino in eccleſia, ſed in ſacriſtia; aut alio extra eccleſiam loco fiat, niſi aliter urgens neceſſitas poſtulaverit.

Eccleſiarum rectoribus Sancta ſynodus mandat, ut eos, vel per ſe, vel per alium, admonendos curent, qui in horum aliquo deliquerint: &, ſi (quod abſit) admonitiones neglexerint, eos ab eccleſia propellere non vereantur; quod ſi qua ex cauſa illud ſuis viribus exiſtimaverint impar, epiſcopo denuncient, qui præſentiori eo remedio utetur, quo morbi putredinem reſecandam magis indigere cenſuerit.

De Aqua benedicta.

Archipresbyteris, & aliis omnibus eccleſiarum curam gerentibus, Sancta ſynodus mandat, ut aquam benedictam, cujus aſperſione ſe fideles ſanctificant, venialia purgant, ab incurſu, & hoſtis inſidiis ſe protegunt, nocturna phantaſmata profligant, Dominicis ſingulis quibuſque diebus innovandam curent; & ideo quolibet die ſabbati fontes in eccleſiarum aditu poſitos, expurgari, ac ſordibus omnibus mundari, & munda aqua impleri faciant. Quæ vero extracta fuerit, non per eccleſiam projiciatur, ne pedibus benedicta comprimatur; ſed in ſacrarium ingeratur; & in craſtinum de mane nova benedicatur, ſervata benedictionis forma, & ritu, in Baptiſterio traditis.

De Sacramentis.

Cum in pluribus hujus provinciæ locis archidiaconi, archipresbyteri, & aliæ eccleſiarum collegiatarum dignitates dicantur, & ſint vere parochi, quibus animarum cura, Sacramentorumque adminiſtratio, competit: uſus vero, longaque conſuetudo recipit, & adhuc retinet, quod canonici omnes, cæterique eccleſiarum presbyteri, illorum coadjutores, ſimulque ſanctiſſimorum Sacramentorum coadminiſtratores ſint: Sancta ſynodus uſum talem juſtis de cauſis retinendum duxit; ita tamen, ut, poſtquam de eorum ſingulis per epiſcopum facta fuerit diligens inquiſitio, ab ea ſacramentorum adminiſtratione arceantur, ſi qui, vel propter ætatem, vel propter inexperientiam, aut ignorantiam, vel alia quavis cauſa, minus idonei reperti fuerint. Ac etiam, ut ſacratiſſimæ Euchariſtiæ, fontium baptiſmalium, oleorum, ac aliarum ſacrarum rerum conſervatio, atque cuſtodia, non in communi, ſed certæ ſemper perſonæ, ab epiſcopo eligendæ, incumbat, penes quem claves ſemper maneant. Ubi vero animarum cura uni parocho tantum commiſſa eſt, illius loci conſuetudo ſervetur.

Qui vero ſacramenta hujusmodi miniſtraverint, caveant, ne quidquam pro illorum adminiſtratione petant. Sunt enim abſque ulla ſimoniæ labe, aut avaritiæ ſuſpicione, conferenda.

Qui etiam miniſtrantes per vices teneantur infirmos, qui in xenodochiis degunt, & alios quoſcumque, & maxime pauperes, viſitare, etiam non vocati, illoſque verbis Deo plenis ſolari, ac ad ſacramentorum perceptionem inducere.

Nemini liceat, abſque ſuperpelliceo, & ſtola, ſacramenta adminiſtrare.

Quod in Miſſarum celebratione ſancta hæc synodus decrevit, ut ſcilicet cærimoniæ omnes, per ſanctam romanam eccleſiam ſervari ſolitæ, ad unguem ſerventur, & novæ omnes excludantur: idem etiam in ſacramentorum adminiſtratione, in fontium exorciſmis, & ſponſorum benedictionibus, epiſcopi omnes, ut in ſua cathedrali eccleſia ſervari faciant, ſtatuit, & decrevit. Quod etiam in omnibus inferioribus eccleſiis parochialibus exacte obſervetur, regula ab eadem cathedrali eccleſia penitus ſumpta.

Ubi ſacramenta epiſcopi adminiſtrabunt, auditorum capacitate intelligentiaque rite perpenſa, omni ſedulitate, & ſtudio eorum ſacramentorum uſum, atque efficaciam, populis explicare nitantur. Quod idem, & parochi facere non omittant. Et quoties populum adhortantur, ferventiſſimis exhortationibus ſuis eo ſingulorum animos flectere curent, ut (ſi non frequentius) ſaltem in Nativitatis Domini, ac Pentecoſtes, & aliis ſolemnibus feſtis, & confiteri, & communicare aſſueſcere diſcant.

De Baptiſmo.

Quoniam baptiſmi ſacramentum ſacramentorum omnium janua eſt, quo originalis, & actualis culpa diluitur, fomes mitigatur, gratia confertur, fides datur, & nutritur, necnon filii Dei renaſcimur: ea propter omni diligentia curandum ſancta ſynodus decrevit, ut fontes, quibus hæc ſalutaris unda ſervatur decenti operimento, claviumque munimine, cuſtoditi ab omni ſordium, aut alterius cujuſcumque rei periculo tuti eſſe poſſint.

Ne parentum negligentia infantium aliquis ſine batiſmatis aſperſione decedat, ſub excommunicationis poena præcipitur illis, quos hæc cura tangere debet, ut intra novem dies parvulos in eccleſia baptiſmum ſuſcipere curent: ſi vero interea periculum infantibus imminere videatur, domi etiam baptiſma tribuendum ſancta mater eccleſia approbavit, & ſancta ſynodus obſervandum

man-

mandat, miniſtrante tamen (ſi adſit) ſacerdote; vel (ſi non adſit) altero e clero; vel (eo etiam deficiente) laico primum mari, ac demum fœmina, modo rectam baptiſmi formam noverint. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.*

Elementarem autem aquam, non alteratam, neque ſtillatam, aut aromaticam, talem uſum ſibi requirere ſciant. At, ſi infans, hoc modo domi baptizatus, e vita non ceſſerit; eum nihilominus (cum primum convaluerit) in eccleſiam deferre parentes teneantur; ubi, ſi ſacerdos Baptiſmi formam rite prius ſervatam eſſe noverit, Baptiſmi tantum cæremonias adjungat. Quod ſi de forma rite ſervata non conſtiterit, tali forma baptizet: *Si es baptizatus, ego non te baptizo; ſi non es baptizatus, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Parochis etiam præcipitur, ut ritum, in his caſibus tenendum populis ſæpius inculcent.

Ad baptiſmum non niſi unum Compatrem, vel ad ſummum cum una Commatre, quos etiam, & laudabilis vitæ, & honeſtæ famæ, & chriſtianæ pietatis cultores eſſe conſtiterit, vocandum permittimus.

Omnes abuſus tollantur, quibus vel ratione albæ, vel alio quocumque modo compaternitatem contrahi vulgus inepte credit.

Caveant baptizantes ſacerdotes, ne ſacrum Chriſma in baptiſmo ab aliquo laicorum attingatur.

Sacerdotes compatres admonere non omittant, quam magni momenti actionem ſuſcipiant, cum filii per Baptiſmum ſpiritualiter Deo generentur: ſuique muneris eſſe, eos (ſi parentum opera id minime præſtare poſſit) Chriſtiana fide, pietate, optimis, decentiſſimiſque moribus formari curare.

Parochus etiam librum habeat, in quo pueri, parentum, & commatris, & compatris nomina, & cognomina, ſcribat; in eoque diem, quo baptiſmatis unda perfuſus eſt puer, ac ſi ex juſtis nuptiis fuerit ſuſceptus enotet. Singulis etiam annis eorum omnium exempla, quæ eo in libro fuerint ſcripta, epiſcopo, tempore ab eodem præſcripto, parochus præbere teneatur. Effoetas autem mulieres parochus erudiat, ut, cum primum a partu domo ceſſerint, templum adire ſtudeant, ubi Domino gratias agant, & a ſacerdote benedictionem conſequantur.

De Confirmatione.

Cum in confirmationis Sacramento Spiritum ſanctum, quem in baptiſmo ad purificationem, & emundationem accepimus, ad robur quoque, ac ut pleni chriſtiani inveniamur, capiamus, ut adverſus Mundi, carnis, & hoſtis inſultus confirmemur: idcirco Sancta ſynodus epiſcopis omnibus mandat, ut, tamquam vigilantiſſimi paſtores, omnem ſolicitudinem complectantur, ut ſui gregis oves hoc tantum Sacramentum ſuſcipere non negligant: ipſique præfixis temporibus pro locorum neceſſitate id conferre non omittant.

Tempus autem, in quo tale Sacramentum erunt collaturi, prius parochis ſignificent, a quibus populo denuncietur.

Neminem tali Sacramento præmuniant, quem ſeptimum annum agere non cognoverint.

Piis etiam verbis, & pro ſuſceptorum intelligentia, ejus virtutem, & efficaciam, narrent.

Parochis præcipiant, ut confirmatorum, quorum ſingulorum ſingulos compatres volumus eſſe, juxta Sacri Concilii Tridentini decretum, & eorum compatrum nomina, & cognomina, in libro ſcribantur.

De Sacramento Euchariſtiæ.

Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in ultima Coena a Domino inſtitutum in jugem ſuæ Paſſionis memoriam; in noſtræ virtutis augumentum, inque quotidianæ noſtræ infirmitatis remedium, quanta cordis contritione, & carnis tremore, quanta lacrymarum largitate, & mentis humilitate, ſuſcipiendum ſit, Sanctorum Patrum auctoritates nobis aperte tradiderunt. Parochi ergo diligentiſſime populos moneant, ut ad tale Sacramentum quiſque acceſſurus, innocentiam ad Altare portet, & mundam conſcientiam; ne, ſi indignam portaverit, in eum ſatanas, tamquam in alterum Judam, ingrediatur.

Juvenes, qui prima vice ad hoc ſanctiſſimum Sacramentum erunt acceſſuri, per aliquos dies ante parochum adeant, a quo de ejuſdem Sacramenti vi, & virtute inſtruantur, & an, ad ſuſcipiendum habiles ſint, judicentur.

Ubi eccleſiarum capacitas id patietur, ſeorſum a mulieribus viri communicent.

In Paſchatis diebus, Chriſti fideles omnes, juxta ſanctæ Romanæ eccleſiæ uſum, & præceptum, Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiant, eorum autem, qui non ſuſceperint, nomina, ſex diebus a Paſchatis octava decurſis, parochus epiſcopo deferre teneatur, qui quidem illos cenſuris, & aliis poenis acriter puniat: eos tamen excipimus, quibus legitima ex cauſa in aliud tempus Communionem conſuluerit differri ipſe parochus.

In ſua quiſque parochia communicet. Et, ſi quis, juſta de cauſa per ordinarium approbanda, ab alio, quam a proprio parocho, Communionem acceperit, niſi veritatis fidem in ſcriptis ab eodem, a quo ſumpſerit, proprio ſacerdoti detulerit, perinde ac ſi non communicaſſet, in illum animadvertatur.

Poſt Euchariſtiæ ſumptionem, vinum populo non porrigatur in Calice conſecrato, nec omnino in vaſe ad ejus ſimilitudinem formato.

Qui Euchariſtiam ſumpſerint, aqua benedicta aſperſi, pro tanto Sacramento Deo gratias agant.

Solemni Corporis Chriſti die epiſcopum id oneris ſubire ne pigeat, ut in ſupplicatione dominicum Corpus ipſemet per Civitatem ferat. Cujus abſentis in ea re vices ejus vicarius (ſi ſacerdos fuerit) ſubeat. Si vero ſacerdos non fuerit, vel ſi aliqua re-

præ-

præpeditum se esse perspexerit, id muneris ei injungatur, qui pro loci consuetudine primam obtinet dignitatem; nisi vel consuetudines, vel privilegia ad certam aliquam personam id deferant.

De custodia, & loco Eucharistiæ, & de modo illam deferendi ad Infirmos.

Neminem effugere arbitramur, quam Omnipotenti Deo gravis inferatur injuria, cum pro virium nostrarum facultate, sanctissimis ejus Sacramentis, & præcipue Eucharistiæ, Sacramentorum omnium maximo, debitam reverentiam non exhibemus. Quocirca, ut, quod ad ejus custodiam attinet, omnis irreverentia vitetur, episcopis Sancta synodus præcipit, ut quibus in ecclesiis sanctissimum hoc Sacramentum servari consuevit, eo ampliori sumptu, quem facultates pati posse videbuntur, tabernaculum ligneum, auro obductum, & aliquo operoso ornatu distinctum, parari faciant, quod quidem clavi munitum, ita bene, & firmiter majori in altari (nisi aliter episcopo visum fuerit) collocetur, ut inde impiorum manibus non facile possit avelli. In eo autem parvulum aliud tabernaculum, argento, vel (si quando locorum copiæ ad eum sumptum videbuntur exiguæ) aurichalco saltem cusum, deauratum tamen reponatur: in quo cum corporali, ac serico operimento dominicum corpus Infirmis deferendum custodiatur.

Teneaturque parochus, seu ille, cui ab episcopo eucharistiæ custodia commissa fuerit, eucharistiam servatam ad minus bis in mense sumere, novamque parare; qui quidem parochus, vel custodiam gerens, teneatur etiam providere, ne lumen ante illam umquam deficiat, & circa luminis impensam cujusque loci consuetudo servetur.

Parochus, vel alius sacerdos, infirmis eucharistiæ venerabile sacramentum laturus, duas saltem sacratas hostias secum deferat, ne, dum ecclesiam repetit, in idololatriæ peccatum adoratores incurrant. Stola, superpelliceo, pluvialique indutus, sanctissimam eucharistiam, serico amictu coopertam, sub pallio (ubi haberi possit) reverenter, atque honorifice, ante pectus ferat, & referat.

Quælibet autem parochialis ecclesia lanternam saltem unam habeat, vel auro, vel honestiori quocumque ornamento exornatam, quam, hastæ impositam, sacramento præferendam jubemus, ut, si vento, aqua, vel quavis alia tempestate, cætera lumina fuerint extincta, lumen in ea servatum ab omni aeris injuria defendi possit: atque, ut populorum devotio magis excitetur, tintinnabulum aliquod parvulum præferatur, & pulsetur.

Nemo vero sacerdos sacramentum hoc alicui infirmo afferre præsumat, nisi prius in infirmi domo mundum locum paratum esse cognoverit, in quo debita cum reverentia, & custodia, sacramentum sistere possit, & per campanæ signum populum admonuerit, ut ad associandum Christi corpus conveniant.

Et, ut supradicta omnia decentius fieri possint, domini nostri Jesu Christi societatis confratres episcopi adhortentur, ut, cum campanæ signum audierint, omnes saltem illius parochiæ, vel illius regionis confratres, in qua infirmus degit, ad illud associandum accedant. Omne autem hoc ministerium fiat cum pronunciatione indulgentiarum, prout habetur in baptisterio.

De poenitentia.

Quoniam vero poenitentia languores sanat, mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam confert, sancta synodus confessores monet, ut sacros canones bene calleant, & in confessionibus diligenti quodam temperamento adhibito, nec peccatores nimia acerbitate deterreant, & desperent, neque nimia facilitate ad denuo peccandum alliciant, & impellant. Præcipit etiam, ut, postquam poenitentiam, pro modo culpæ, & ecclesiæ consuetudine, confessis injunxerint, eos quoque de eorumdem canonum rigore, in gravioribus peccatis singillatim admoneant; ut, cum sanctæ matris ecclesiæ benignitatem in mitigandis poenis cognoverint, ad evitanda peccata deinceps erubescant non esse cautiores.

Ne vero ad confessiones audiendas aliquis accedat, qui inter lepram, & lepram discrimen ponere nesciat: juxta Tridentini concilii decretum præcipitur, ut nullus, neque sæcularis, neque regularis sacerdos (nisi parochiali alicui beneficio præpositus fuerit) sub excommunicationis poena, sine episcopi licentia in scriptis, confessiones audire præsumat. Et ideo in templorum, etiam regularium, januis tabella affigatur, in qua eorum nomina sint annotata, qui ad hoc confessionum audiendarum munus ab episcopis electi, & approbati fuerint.

Confessores penes se annotatos habeant casus apostolicæ sedi, & episcopis, reservatos, ne negligentia, aut ignorantia, eam facultatem sibi adscribant, quam sibi noverint esse denegatam.

Et, quoniam sacro concilio Tridentino cautum est publicis peccatis publicam infligi poenam, ea propter publicam in privatam convertere non audeant, ut quod episcopis tantum, aut eorum permissu, licere volumus.

Parochis præcipitur, ut populum moneant, saltem singulis annis quemque, cum ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata proprio sacerdoti confiteri oportere; quod fidelis quisque observare teneatur.

Moneat etiam illos, qui confiteri tenentur, ut ad tantum poenitentiæ sacramentum, quo nobis Paradisi janua aperitur, non nisi debita præparatione accedant, & in cordis contritione, & humilitate, nulla sacerdotis interrogatione prævia, ipsemet confitens Sacerdoti peccata sua aperiat, & denudet; quam diligentiam, si quando aliqua in re sacerdos deficere perspexerit, ab eodem præcipimus adiuvari.

Neminem etiam absolvant, quem digne sa-

satisfeciſſe non perſpexerint, & eos præſertim, quibus facultas affuit, & ablata reſtituendi, & legatis ad pias cauſas factis ſatisfaciendi, nec id tamen (quamvis in præcedenti confeſſione per eos promiſſum) præſtiterunt. Eos tamen excipimus, qui in mortis articulo fuerint conſtituti: qui tamen erunt admonendi, ut, ſi convaluerint, quamprimum poterint, ſatisfaciant: ſi vero obierint, id onus diſtricte hæredibus injungant.

In eccleſiis cathedralibus, ubi id quidem licere poſſe videbitur, Tridentini concilii decretum obſervari jubemus; ut intra tres menſes Poenitentiarium conſtituant, cui præbenda primum vacatura uniatur. Si autem qui id neglexerint, ſynodo, quæ prima celebrabitur, ſuæ negligentiæ rationem reddant.

Confeſſores in privatis ædibus, neque in cellis, ſacriſtia, aut omnino extra eccleſiam, confeſſiones non audiant, niſi ex cauſa neceſſaria.

In ipſis autem eccleſiis, non in angulis, & locis abditis, ſed in aperto, neve ante ſolis ortum, vel poſt ejus occaſum, confitentes mulieres audiant; niſi ex cauſa neceſſaria.

Medici poſt primam, ſecundamve viſitationem, ſub excommunicationis poena, ad ægrotorum curationem non accedant; niſi certo cognoverint, ipſos, poſtquam in eum morbum inciderunt, de eorum peccatis idoneo confeſſori confeſſos eſſe.

De jejuniis.

Cum ſanctum Tridentinum concilium paſtores omnes hortatum ſit, & illis præceperit, ut pio quocumque affectu ſacros quadrageſimales, cæteroſque alios dies jejunio conſecratos, in eorum dioeceſibus pia, ſummaque diligentia, juxta ſanctæ matris eccleſiæ conſuetudinem, & ritum obſervari curent: nos ergo, ejuſdem concilii, & ſacrorum canonum auctoritate, declaramus, ut per totam quadrageſimam a carnium, ovorum, caſei, lactis, butyri, adipiſſu quiſque abſtineat. Nec ignorent, totius quadrageſimæ diebus (exceptis dominicis) quatuor ſacris temporibus, nativitatis dominicæ, glorioſæ virginis aſſumptionis, beatorum apoſtolorum omnium, (beati Joannis evangeliſtæ, & ſanctorum Philippi, & Jacobi exceptis) omnium etiam ſanctorum, ſancti Joannis Baptiſtæ nativitatis, & ſancti Laurentii vigiliis, omnes Chriſtifideles vere jejunio teneri. Aliis enim diebus jejunare, aut præmium, aut remedium. In quadrageſima vero, & ſupradictis temporibus, & vigiliis non jejunare, peccatum eſſe, ſanctorum patrum monumenta teſtantur.

Jejunio tamen aſtrictos non eos eſſe intelligimus, quos jura eximunt, infirmitatis ſcilicet, neceſſitatis, imbecillæ ætatis, aut alterius juſti impedimeti cauſa, epiſcopi, aut ejus vicarii judicio in ſcriptis approbanda, de medici tamen conſilio quoad infirmos.

De extrema Unctione.

Cum Extremæ unctionis ſacramentum ſacramentorum omnium noviſſimum ſit, quo, ad peccatorum remiſſionem, & corporalis infirmitatis alleviationem miſera in hac vita fideles muniuntur; cujus etiam ope velut Athletæ fideles præparantur ad luctam contra humani generis ſæviſſimum hoſtem, homini in ſupremo vitæ termino maxime inſidiantem: ea igitur de cauſa parochum curare decernimus, ut non expectata infirmorum proſtratione extrema, ſed dum adhuc ſenſus optime vigent, hoc ſacramentum conferatur. Ut autem ungens ſacerdos ſuo munere plene ſatisfaciat, piis verbis infirmum conſoletur, præſenti animo ut ſit adhortetur, ad cœleſtem beatitudinem anhelet, ad eam omnem mentem erigat; & ea, quæ mundi ſunt, negligat, mortem non paveſcat, e ſæculo ad vitam a Deo benedicto vocari ſe gratias agat. Eos autem omnes, qui interfuerint, pro infirmo ſacerdos orare ſuadeat.

Advertat quoque ſacerdos, ne erret, quando ungit infirmum, ne unus proferat verba, & alius ungat: ſed ille idem, qui ungit, debet verba proferre; alias non conficit ſacramentum. Ea propter, ubi eſt copia ſacerdotum, accedere debent ad minus duo, vel tres cum hebdomadariis, qui poſſint dicere officium, & litanias, & omnia facere, quæ in libro, ad tale opus adhibito, continentur, dummodo ille ſolus ungat, & proferat verba illa, *Per iſtam ſanctam Unctionem &c.* ungendo cum prolatione illorum verborum.

Provideant quoque epiſcopi, & ordinent, ac mandent ſuis eccleſiarum rectoribus, ut Olea ſancta, ſcilicet Chriſma, Oleum Cathecumenorum, & infirmorum, ſtent in loco tuto, & clauſo cum clavi, & renoventur ſingulis annis in die Jovis ſancto, & vetera olea ponantur in lampadibus, & crementur: nova autem ſumantur a matrice eccleſia cum ſolita ſolemnitate, ſcilicet quod ferantur per presbyterum, vel conſtitutum in ordinibus ſacris, & ampullis de ſtamno, vel argento, mundis, & cum lanterna accenſa; & tollatur abuſus aliquorum locorum, ubi neſcio quid ſolvitur pro dictis oleis habendis: cum talis exactio ſit contra ſacros canones, non obſtante quacumque conſuetudine, quæ potius corruptela dicenda eſt. Si vero contigerit, anno nondum completo dicta olea deficere; antequam in totum deficiant, ponatur in ampullis oleum non benedictum paulatim ſupra olea benedicta, ſeu conſecrata, & ſic omnia erunt benedicta, & conſecrata. Caveant autem eccleſiarum parochialium rectores, ne ultra annum prædictis oleis utantur, ſcilicet die Jovis ſancto, uſque ad alium diem Jovis ſanctum, alias inciderent in graves poenas. Si vero oleum infirmorum, tranſacto die Jovis ſancto, haberi minime poſſit, quia forſan in aliqua matrice eccleſia non fuerit conſecratum, vel inde non apportatum, & aliquis infirmus extremam unctionem accipere voluerit, hac neceſſitate ſtante, con-

confidendo in Dei misericordia, quæ hoc opus ad salutem illius acceptare dignabitur, concurrente etiam bona ministri intentione, non erit inconveniens extremam unctionem de veteri oleo præbere. Sed non sic est de baptismo. Quia si novum chrisma, & oleum cathecumenorum haberi non possunt, baptizandus est, non tamen veteribus oleis ungendus, sed expectanda sunt nova olea prædicta, scilicet chrismatis, & cathecumenorum; cum non sit tanta necessitas in baptismo, sicut est in infirmo. Advertant parochi, quod, cum necessitas occurrerit ungendi infantes baptizandos, seu infirmos, non ponant pollicem in ore dictarum ampullarum pro unctione facienda, quia inde oritur periculum cadendi oleum in terram, vel dictas ampullas frangendi: sed habeant vasa alia de stamno, præter dictas ampullas cum ore amplo, in quo poni possit pollex, & eo sic intincto ungant. Prædicta autem vasa, quæ numero erunt tria, secundum numerum trium oleorum, ponantur in capsula parva de stamno, pro usu prædicto.

De sacramento ordinis.

Ne ad ordinis sacramentum, cujus, & sanctorum patrum dictis, & capitis nostri Jesu Christi exemplo, septem sunt gradus, propter septiformem spiritus sancti gratiam, indignus aliquis assumatur; neve in eo conferendo indecens quid admittatur: sancta hæc synodus, Tridentini concilii decretis inhærendo, illud in primis episcopis omnibus mandat, ut in ordinibus conferendis diligentissime caveant, ne pro talium graduum collatione, nec per se ipsos, nec per interpositas personas, nihil ipsi, etiam sponte oblatum, accipiant, nec a suis familiaribus, aut ministris accipi sinant.

Illi vero, in quos, vel minores, vel sacri ordines erunt conferendi, pridie, vel aliquot dies ante ordinum collationem, si ita magis episcopo expedire videbitur, vel ab episcopo, vel ab alia quavis persona, ab eo ad illud assumpta, christianam doctrinam audiant, & ea præsertim capita cathechismi, jussu sanctissimi D. N. P. Pii V. novissime impressi, quæ ad sacerdotii ministerium spectant.

Deinde accuratissime per examen ab illis requiratur, an ea omnia calleant, quæ ad ordinem eis conferendum spectant, & ad officium, quod exercebunt.

Subdiaconi non admittantur, nisi ita grammaticam possideant, ut, quidquid legant, eos intelligere comprehendantur.

Diaconi non promoveantur, nisi, interrogati ecclesiasticæ doctrinæ, quæ in cathechismo continetur, rationem omnem in promptu habeant, symboli scilicet apostolici, orationis dominicæ, decalogi præceptorum, ecclesiæ sacramentorum, & eorum omnium, quæ ad diaconatus ordinem, & officium, requiruntur. Ad sacerdotium etiam promovendi ad hoc idem teneantur.

Præter autem examen prædictum, ordinandi omnes suæ probitatis, & vitæ, & quod ex legitimo matrimonio nati sint, testimonium in scriptis exhibere teneantur: quod testimonium per vicarium episcopi, sive archidiaconum, aut etiam archipresbyterum, vel parochum locorum, in quibus resident, dari possit; qui nisi in ea re pro veritate dixerint, acerrime puniantur.

Ad ordines promovendorum nomina, & cognomina ecclesiarum rectores per aliquot dies ante ordinum susceptionem populo denuncient: ut cuique liceat ordinandos accusare, si quod eorum crimen deprehenderit. Nec episcopus eos ordinet, nisi de hujusmodi proclamatione facta sibi certo constiterit.

Omni diligentia episcopi utantur, ut sciant titulos ordinandorum, si sint patrimoniales, an eis sint satis, an per fraudes, & deceptiones sint parati. Neque admittantur, nisi aut vicarii, archidiaconi, archipresbyteri, vel parochi litterarum testimonio approbentur. Si vero beneficiales sint, beneficii fructus itidem idonei, ac sufficientes sint. Ipsi vero etiam ordinandi juramento astringantur, se nec patrimoniales titulos alienaturos, aut permutaturos, nec beneficiales resignaturos. Donec eorum victui fuerit aliunde provisum.

Qui vero ad pensionum titulos ordinabuntur, nisi aliunde sibi comparaverint, quo vitam sustentent, illas extinguere posse devitamus.

Quas prædictas alienationes, permutationes, resignationes, extinctiones nullatenus absque consensu episcopi facere possint. Qui in horum aliquo deliquerit, arbitrio episcopi severe puniatur.

De seminario clericorum.

Cum ad avertendos a mundi voluptatibus adolescentes, eosdemque ad pietatem & religionem informandos, mandatum sit a sacro concilio Tridentino provincialibus synodis, ut clericorum seminarium in omnibus dioecesibus, ubi commode fieri possit, instituatur: sancta hæc synodus, non ignorans, ultra prædicta, quot, & quanti ex hujusmodi seminario expectari fructus possunt: & insuper ejusdem concilii decretis, uti par est, parere cupiens, & omnino volens, statuit, & ordinavit, ut omnes episcopi, & alii locorum ordinarii, intra menses tres aliquam omnino rationem ineant, qua saluberrimum hoc opus institui, atque adimpleri possit. Quod si aliquod impedimentum interceserit, quominus id effici queat, de eo teneantur intra dictum tempus metropolitanum docere, atque consulere; qui quidem, si per se ipse id minime explicare, atque amovere poterit, ad sanctissimum dominum nostrum referet, & a suæ sanctitatis bonitate, atque prudentia remedium petet.

De vita, & honestate clericorum.

Cum ad subditorum reformationem, necessaria in primis esse videatur episcoporum, & aliorum, qui animarum curam gerunt, morum splendor, & vitæ emendatio, quorum incuria & negligentia abu-

sus certe in hac provincia irrepserunt innumeri: statuit sancta synodus, ut ad se ipsos primum reformandos omne studium, & animum convertant, ne scilicet dicatur illis, quod imponunt onera gravia, quæ ipsi digito tangere nolunt. Ea propter episcopos hortatur, ut (nisi justo impedimento præpediantur) dominicis, & aliis festis diebus missam celebrent, & pro populorum delictis sacrificium offerant. Sacerdotibus vero omnibus præcipit, ut talibus diebus idem sibi censeant faciendum. Qui vero animarum curam gerunt, singulis hebdomadis ter saltem celebrare teneantur, & eo etiam amplius, pro loci consuetudine, & necessitate.

Diaconi, subdiaconi, bis; in minoribus vero constituti, simplices, aut quicumque alii clerici, semel saltem singulis mensibus communicare teneantur. Qui vero necessaria ratione cessante, id neglexerit, ac prædictis ordinationibus parere noluerit, & castigatus se non emendaverit, poenam ordinarii arbitrio impositam luat.

Nihil episcopi ab eorum dignitate, quæ valde excelsa est alienum, in sæcularium, quantumvis principum consuetudine, committant, aut patiantur.

Circa vero ornatum, apparatum, & suppellectilia, mensæ frugalitatem, ac familiæ modestiam, ea omnia servent, quæ illis sacra Tridentina synodus ea de re gravissimo decreto præcipit.

Clerici gestu, vultu, habitu, & vestitu, statum, & ordinem suum profiteantur; sint corona, & tonsura clericali, uniuscujusque ordini convenienti, insigniti.

Vestis exterior talaris omnino sit. Interiores vero, pro locorum, atque hominum conditione, qua majori poterit decentia, ordinariorum arbitrio.

Comam, atque barbam, studiose non nutriant.

Barba a superiore labro ita recidatur, ut pili in sacrificio missæ Christi domini corpus, & sanguinem sumentem non impediant.

Cum mulieribus, de quibus suspicio oriri possit, consuetudinem, etiam extra domum, non habeant. In domo vero nulli omnino mulieri cohabitent, nisi arctissimo consanguinitatis, aut affinitatis gradu conjunctæ, non remotiori quidem, quam secundo. Arbitrio tamen ordinarii relinquitur, id etiam prohibere, si aliqua probabilis suspicio existat de mala vita earum mulierum. Omnino autem in eodem cubiculo non dormiant, etiam si sit mater, & filius, aut frater, & soror.

Nulli clerico liceat mulieres, cujuscumque gradus, aut conditionis sint, associare, nec ad brachium ducere, aut eis aliquo modo famulari.

Qui in aliquo horum deliquerit, & monitus non se correxerit, graviter ordinarii arbitrio puniatur.

A *De residentia episcoporum, & curatorum.*

Gravissimo sacri concilii Tridentini decreto cautum est, ut in suis dioecesibus episcopi omnes resideant. Nam cum greges suos doctrina, & vitæ exemplo dirigere, vigilantia tutari debeant, id nequaquam, absentes præstare posse, perspicuum est. Itaque sancta synodus, huic inhærendo, statuit, & ordinavit, nulli episcopo licere extra dioecesim suam morari, nisi causis, & pro tempore ab eodem Tridentino concilio præscriptis, & sub poenis in eo contentis.

Dent autem operam episcopi, si abesse B paulisper ab ecclesiis aliquando contigerit, id ne fiat Adventus, & Quadragesimæ tempore, ne diebus festis solemnibus, quibus maxime convenit episcopos ministerium obire suum.

Monentur autem omnes locorum ordinarii, ut non modo præsentia, sed officio, ac ministerio, resideant in suis ecclesiis; ac per se, quantum liceat, doceant, sacrificium offerant, Sacramenta ministrent.

Ecclesiarum quoque rectores, ac canonici omnes, curam animarum habentes, decretum de residentia servent, sub poenis in eo contentis.

C *De edicto proponendo in examine eorum, quibus animarum cura committenda est.*

Cum magna diligentia adhibenda sit in examine eorum, quibus animarum cura est committenda, statuimus, ut cum primum episcopus parrochialem ecclesiam, sive canonicatum, aut dignitatem in ecclesiis, ubi toti capitulo animarum cura incumbit, vacare cognoverit, intra triduum illius ecclesiæ valvis edictum per decem continuos dies, vel aliud longius tempus sibi bene visum, poni mandet, in quo ad examen invitentur, quicumque de beneficio sic vaD cante provideri cupient, ut transacto edicti tempore, examen fieri queat; ac deinde, servatis, quantum fieri poterit, pro temporum, locorum, & personarum qualitate, iis omnibus, quæ a Tridentina synodo sancita sunt, alius idoneus in locum demortui sufficiatur.

De examine præficiendorum cathedralibus ecclesiis.

Vacante ecclesia cathedrali, publicæ supplicationes, ac preces, per Civitatem, & E diœcesim omnino fiant, quibus a Deo religiose postuletur, ut idoneo pastore orbato gregi provideat. Et si forte sanctissimus D. N. pro ecclesiæ sic vacantis, aut pro qualicumque alterius ecclesiæ cathedralis provisione, in aliquem oculos iniiciat, de cujus qualitatibus in partibus hujus nostræ provinciæ examen sit faciendum, eo quod ibi sive natus, vel educatus, aut aliter bene cognitus sit; statuimus, ut, postquam examen una cum fidei professione juxta formam per sanctitatem suam transmitti soli-

tam

tam tactum fuerit, per edictum etiam ad valvas majoris ecclesiæ denuncietur, omnibus aditum patere, qui impedimentum, aut vitium aliquod in promovendo noverint; & si quod hujusmodi delatum fuerit, una cum processu, per examen prius facto, sanctitati suæ fideliter transmittatur; ut re integre cognita, & perspecta pro gregis Dominici commodo provideat.

Quæ per clericos debeant vitari.

Qui clericali militiæ sunt adscripti, non alio armorum genere decertare debent, quam orationibus, & lacrymis, quæ quidem si una coelum adeunt, certum est, quod absque victoria inde redire non possunt. Ea propter omnem armorum usum, vel ad proprium tutamen, vel ad nocumentum aliis inferendum, Sancta synodus clericis omnibus interdicit; exceptis cultellis pro domestico vitæ usu. Si quo vero eis iter sit faciendum, & per loca suspecta transeundum, de ordinarii licentia in scriptis eis arma ferre liceat. Balistas tamen, sclopetos, tela, cæteraque hujus generis nullo modo secum habere possint.

Et cum, Apostoli testimonio, nemo Deo serviens, sæcularibus negotiis se se debeat immiscere, cumque clericos irreprehensibiles esse deceat, tum ne illis inferant scandalum, quibus bonorum omnium operum se se debent exempla præbere; tum vero ne mandatorum Domini, vel oblivioni, vel contemptores facti esse videantur, qui de medio populi offendicula jussit auferri: idcirco clerici, temporalium omnium rerum curas a se abdicantes, omnemque eorum solicitudinem in eum proiicientes, cui cura est de omnibus, nec per se, nec per interpositas personas mercaturæ, aut aliis sæcularibus negotiis, per sacros Canones prohibitis, operam dent, aut quomodolibet se se illis immiscere audeant.

Larvati non incedant. Choreis, fabulis, comœdiis, aliisve profanis spectaculis, aut venationibus, per eosdem Canones prohibitis, non intersint.

De Sacramento Matrimonii.

Conjugium bonum esse, nullus inficias ire audebit, nisi a Domini præceptis, atque a catholica veritate recedens, ad impiorum Tatianorum deliria se conferat. Hujus autem Sacramenti quanta sit excellentia, non modo facile ex eo coniici potest, quod ante peccatum ad officium tantum a Domino fuit institutum; verum etiam, quod Dominus Jesus Christus nuptiis interesse dignatus, eas sanctissimas præsentia sua commendavit. Sancta igitur synodus omnes Christifideles hortatur, ut Tobiæ Deo gratissimi, exemplum secuti, multa cum reverentia, & timore conjungantur. Districte etiam mandando, præcipit parochis, & quibuscunque aliis animarum curam gerentibus, ut omni diligentia, & observent ipsi, & ab aliis observanda curent, quæcumque sacrum oecumenicum Tridentinum concilium non omittenda esse decrevit; atque ut festis diebus inter missarum solemnia admoneant populum, ut si quis eorum aliquid noverit imminere, quo celebrandum Matrimonium possit impediri, neque illud revelaverit, excommunicationis vinculum statim se sciat incursurum. Si quod vero dubium emerserit, quo minus matrimonium confici posse videatur, ordinarium consulat ipse parochus. Doceat præterea populum illud Augustini, nuptiale scilicet bonum esse tripartitum, eoque inesse Fidem, Prolem, Sacramentum. In Fide, ut id attendant, post conjugale vinculum illorum neutri cum alio, aliave coire licere. In prole, ut generetur proles, quæ Dei gratia æternæ beatitudinis futura sit hæres, quæque suscepta amanter excipiatur: & exceptam honeste, ac religiose parentes curent educandam. In Sacramento, ut conjugium non separetur, juxta illud, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Si vero, justa, legitimaque causa, quoad torum, eos separari contigerit, non propterea dimissus, aut dimissa, quacumque occasione alteri jungatur. Et quoniam scriptum, *Oculus, qui despicit patrem, eruant eum corvi*. Parochi moneant contrahentes, ut, non nisi eorum parentibus consultis, & (quoad fieri potest) annuentibus, contrahere studeant: quibus, dum vivunt, & reverentiæ, & subventionis obsequia noverint se debituros.

Benedicat quoque parochus, seu presbyter, primas nuptias in ecclesia in mane, cum missæ celebratione, & solemnitatibus quæ requiruntur. Abstineat tamen a benedictione secundarum nuptiarum; nam, cum semel benedictæ fuerint, non debet amplius illa benedictio reiterari: sed celebretur tantum missa in prædictis secundis nuptis, absque illa solemni benedictione, ut ordinatur in libro ad hoc deputato.

De Meretricibus.

Quoniam mala omnia, vel omnino evitanda, vel quoad fieri potest, a nobis sunt removenda, Sacra synodus omnibus episcopis solicitam curam gerere mandat, ut in civitate, vel vicus, stel locus aliquis, meretricibus (ubi sunt) destinetur, quo ab honestis mulieribus secernantur: ipsosque Civitatum rectores hortatur, ut hoc opus auctoritate sua adjuvent.

De Blasphemia.

Quo magis sanctissima illa verba, in Dei laudem dicta, mente volutamus, *omnis* scilicet, *terra adoret te, & psallat tibi, Deus*; eo magis in illos jure animadvertendum censemus, qui Dei nomen, cui omne genu curvatur, vel sanctissimæ Virginis, quam in matrem sibi elegit, vel Sanctorum, qui cum Christo regnant, blasphemare sacrilego ore non verentur. Sancta ergo synodus decernit, ac mandat, ut, juxta sacrorum Canonum statuta, episcopi, vel alii locorum ordinarii, eos omnes punire studeant, quos huic sceleri deprehenderint esse obnoxios. Quod si clericus, vel Dei, vel Jesu Christi, aut Virginis Mariæ, aut sanctorum nomini diris verbis pubblice detraxerit, fructi-

bus, redditibusque omnibus ecclesiasticis unius anni pro prima vice privetur. Si vero iterum in eodem deliquerit, eo beneficio, quod possidet, privetur, quod ad ejus poenam, & emendationem ordinario magis videbitur expedire. At si tertio in eamdem culpam fuerit prolapsus, tunc demum, tamquam præteritæ veniæ ingratus, & filius, qui patris doctrinam, & increpationes ad ejus salutem abiiciat, omni beneficio, gradu, dignitate, perpetuo privatus, ac ad quemcumque ecclesiasticum honorem deinceps consequendum prorsus inhabilis esse declaretur. Si vero sæcularis erit, prima, secundaque vice pecunia mulctetur, juxta sanctionem sacri concilii Lateranensis sub Leone X. At tertia vice, juxta sacrorum Canonum statuta publice poeniteat. In eos autem, qui non publice blasphemaverint, ordinarius mitius agat. Servi autem, sive operarii, qui in dominorum domibus in blasphemiam incurrent, primo acrius ab eis arguantur: deinde ab eorum domibus contumelioſe expellantur. Sciantque qui blasphemiis interfuerint, nisi blasphemantes redarguant (modo id sine periculo fieri possit) eorum peccato non parum communicare. Omnino autem intra triduum blasphemantium nomina ad judicem ecclesiasticum deferre teneantur: & si plures audierint, idem faciant, nisi unus pro omnibus id sibi faciendum susceperit. Confessores ei, qui blasphemaverit, gravem pro qualitate blasphemiæ poenitentiam imponant.

De festorum dierum cultu.

Dies festos, vel contemnentes, vel negligenter observantes graviter se delinquere noscant. Cum enim Dominus per prophetam dixerit, *sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me, & eos, & scirent, quia ego Dominus sanctificans eos*; liquido constat festorum dierum reverentiam dominico ore nobis esse propositam. Cum igitur nedum dominicum diem, verum & alia Christi, & sanctorum, festa, quæ sancta mater ecclesia nostræ saluti piissime studens, celebranda nobis proposuit, hac in provincia non eo, quo decet, cultu observari videantur: sancta synodus omnibus locorum ordinariis mandat, ut eorum cultum, atque observantiam restituendam omnino curent; poenis suo arbitrio propositis. Parochis autem districte præcipit, ut populos erudiant, summam festis diebus reverentiam, venerationem, sanctificationem, celebrationem esse præstandam. Eos etiam doceant, iisdem diebus ab omni inquinamento, & sæcularibus oblectamentis abstinere, ecclesias frequentare, pura mente Deum venerari, missarum solemniis & vesperis interesse, orationibus instare, divinis lectionibus, & prædicationibus attente vacare, ea omnia præterea charitatis opera in alterutrum exercere, quæ fideles, & imitatores Christi decere videntur.

De sacrorum actionum repræsentationibus.

Cum usum dominicæ passionis repræsentandæ, & sanctorum martyria referendi, tametsi piissime introductum, ob hominum nequitiam, aliis risum, aliis scandalum potius, quam devotionem, & pietatem afferre sancta synodus animadvertat: decernit, tam in ecclesiis, quam in quibuslibet privatis aliis locis ab hujusmodi repræsentationibus abstinendum esse. Concionatores autem, ignito Domini eloquio fideliſſime exposito, Signoque Crucifixi Domini nostri, aliisque exterioribus piissimis actibus, per ordinarium probatis, populos ad poenitentiam, ac pietatem, ad fletum, & planctum adhortentur: ac tam domini, quam sanctorum actiones ita pie, & graviter narrent, ut auditores eorum sibi exempla omnibus in operibus proponant, & ad eorum patrocinium in necessitatibus confugere discant.

De sanctis.

Nemini dubium esse debet, sanctorum intercessione, & precibus apud Deum miseros mortales plurimum juvari, eisque venerationem, & cultum debite exhiberi. Ne tamen quid perperam in ecclesia Dei per ignorantiam agatur, concionatores, & parochi illud populos doceant, alium esse cultum, quo Deum patrem, ejusque unigenitum filium Jesum Christum, ac Spiritum Sanctum; alium, quo sanctos veneramur, ac colere debemus. Latriæ enim cultum soli Deo debemus; sanctos vero, ut nostros apud Deum intercessores veneramur. Dominica autem oratio, quam ante sanctorum imagines Christifideles frequentant, ipsi Deo dirigitur; cui quidem eam, cæteraque nostra bona opera omnia, sanctorum meritis, atque intercessionibus gratiora fore non ambigimus.

De imaginibus.

Sanctorum imagines in ecclesiis, & aliis honestis locis haberi, eisque omnem reverentiam, per genuflexionem & per alios honestissimos corporis motus, exhiberi, sancta mater ecclesia docuit semper, & tradidit. At vero, ut indecens omne, quod in ea re possit oriri, evitetur, sancta synodus, Tridentini concilii decreto super hoc inhærens, statuit, ut, sicubi hac nostra in provincia aliquæ fuerint imagines prototypo non congruentes, minusve, quam deceat, honestæ, vel ex eo, quod propter aliquem corporis actum, vel habitum, ad risum, aut turpes cogitationes potius, quam ad devotionem protrahant intuentes, episcopi, vel mutandas eas, vel curent auferendas. Post hæc vero nullæ in ecclesiis imagines ponantur, quas episcopus non diligenter inspexerit, & approbaverit. Qui contra fecerint, tam artifices, quam ii, quorum jussu id fuerit effectum, episcopi arbitrio puniantur.

De

De miraculis.

Huma i generis hoſtis tantæ ſunt inſidiæ, ut ſæpe numero falſis miraculis, ac illuſionibus, Chriſtifideles ſimplices, atque pios, in errorem inducere poſſit.

Quocirca ſancta ſynodus decernit, ut nulla poſt hac nova miracula admittantur, niſi (Tridentini concilii de miraculis prius ſervato decreto) ab epiſcopis illa fuerint approbata.

De reliquiis.

Sanctorum reliquias, quæ olim ſpiritus ſancti templum, ac Chriſti viva membra, fuerunt, omni reverentia venerandas, ex ſacri Tridentini concilii decreto, ſancta hæc ſynodus decernit. Et ideo in vaſculis ſuis bene, & decenter ſub clavi cuſtodiantur, nec in altaribus ad longum tempus exponantur, ſed, quotieſcumque populo erunt oſtendendæ, aut in proceſſionibus circumferendæ, id luminibus accenſis, ac debita cum ſolemnitate fiat, & denuo ſub clavi recondantur. Novæ autem reliquiæ non admittantur, niſi quæ per epiſcopos omni diligentia receptæ, & approbatæ fuerint.

De indulgentiis, & quæſtoribus eleemoſynarum.

Nemo indulgentias publicet, ſeu populo commendet, niſi prius ab ordinario viſitatæ fuerint, & probatæ. Eleemoſynarum vero quæſtores ad hujuſmodi indulgentiarum officium exercendum nullatenus admittantur: ſed indulgentiæ, juxta Tridentini concilii decretum, populo publicentur, & commendentur.

De piis locis.

Fidelium eleemoſynis pia quæque loca, & poſita, & dotata eſſe, ſancta ſynodus non ignorans, ac illorum voluntati pie (ut decet) ſatisfacere volens, omnibus locorum ordinariis mandat, ac præcipit, ut nullo in ea re detrectato labore, quidquid pro talium locorum viſitatione, & adminiſtratione, ſacro Tridentino concilio demandatum eſt, & obſervent, & inviolabiliter obſervandum curent.

Redditibus, cenſibus, & aliis horum locorum bonis quibuscumque, vel male alienatis, vel ab aliis occupatis, omni diligentia inſudent recuperandis.

Domus, & ædificia, etiam ſi monaſteriis, aut aliis quibuſcumque eccleſiis, aggregata ſunt, vel ſi commendæ, aut juris patronatus, aut alio quocumque titulo poſſideantur, ad peregrinorum, infirmorum, pauperumve commodum deſtinata, ut reſarciantur, ſi ruinoſa ſint; vel etiam (ſi opus fuerit) ut demum reædificentur, toto pectore incumbant.

Ut plurimis peregrinis, pauperibuſque infirmis in hoſpitiis, quibus pauciores ſunt redditus, alimenta, cæteræque ſubventiones, commodius ſubminiſtrari poſſint, epiſcopis ſancta ſynodus mandat, ut in qua civitate duo, plurave fuerint hoſpitalia, quibus ſingulis pauci ſunt proventus, plura illa in unum redigenda curent, idque eo præſertim, ne tot miniſtrorum diſpenſationibus, id quod cenſuum minimum eſt, redigatur ad nihilum.

Antiſtites etiam invigilare admonemus, ut quos eccleſiis, hoſpitalibus, ſocietatibus, aut piis aliis locis, quidquam debere deprehenderint; nec adminiſtrationem, nec procurationem exercere, nec curam aliquam ad prædicta pertinentem, eos ſubire patiantur.

Eorum autem nullus, quibus talium locorum adminiſtratio fuerit permiſſa, nec mobile, nec immobile quidquam pretioſum vendere, permutare, in emphiteuſim tradere, aut alio quocumque alienationis genere in alios transferre præſumat, epiſcopo inconſulto. Quibus omnibus in rebus ita epiſcopus conſulat, ut a ſacrorum canonum ordinationibus ſibi recedendum non exiſtimet.

Qui poſt hoc ad piorum locorum adminiſtrationem eligentur, ſive laici fuerint, ſive clerici, antequam munus ſuum obeant, omnia fideliter ſe geſturos in ordinarii manibus juramento ſpondeant. Qui vero ante hac fuerint electi, trium menſium ſpatio ipſum hoc jurare cogantur.

Sub excommunicationis latæ ſententiæ poena notariis, & quibuſcumque aliis actuariis præcipit ſancta ſynodus, ut trium menſium ſpatio ordinario revelent, atque producant teſtamenta, codicillos, cæteraque actorum, & legatorum genera, ad pias cauſas factorum, tam de rebus male partis, quam furtim acquiſitis, quæ, vel ipſi rogati ſcripſerunt, vel penes ſe detinent, ab aliis ſcripta. Sub eadem quoque poena præcipitur iiſdem, ut intra menſem deinceps (legitimo tamen impedimento ceſſante) legata omnia, quæ eis ſcribenda contingent, ordinario denunciare non omittant.

Epiſcopi, locorumque ordinarii, poena arbitratu ſuo propoſita, diſtricte prohibeant, ne confratres cujuſcumque ſocietatis publicas illas comeſſationes exerceant, quæ certis feſtis diebus fieri conſueverunt: ex illis ſi quidem ſcandalum bonis; ac jurgia inter ipſoſmet confratres ſæpe numero oriri, perſpicuum eſt.

De monaſteriis.

Si regulares, tam viri, quam mulieres, in monaſteriis vitam agentes coelibem, prophetæ illud in mentem ſibi ſæpius revocarent, *præſtare ſi quidem non vovere, quam poſt votum vota non reddere*; nec juſſionibus, nec noſtris profecto admonitionibus indigerent. Cum ergo noſtra in hac provincia regulares obſervantias maxima detrimenta accepiſſe manifeſte inſpiciamus: ea propter ſancta ſynodus decernit, & præcipit, ut in ſanctimonialium, ac fratrum, & monachorum monaſteriis quibuſcumque ſuas conſtitutiones ſuis regulis ſibi demandatas, fi-

de-

deliter adimpleve unuſquiſque contendat.

Eccleſias orationis domos eſſe non oblivi-
ſcantur; & ideo in illis, & oratoriis, non
autem in aliis locis orationes, horæque
canonicæ recitentur, & ab omnibus, & ma-
xime ab ipſis monaſteriorum præpoſitis fre-
quententur.

Cum autem refectio communis charitatis
vinculum ſit, eodem omnino in loco, ea-
demque in meriſa (ubi ea omnibus ſufficit)
legitima tamen cauſa aliud non ſuadente,
cibum ſumere, eadem ſancta ſynodus di-
ſtricte mandat. Ibique ſervato ſilentio, di-
vinæ lectiones non deſint, corpus eſca,
anima vero ſpirituali cibo nutriatur.

Jejunia quoque, quibus diaboli in nos
perpetuæ ſuperantur inſidiæ, ſi forte negli-
gentia in deſuetudinem abierint, pro regu-
larum ritu, & bene reformatorum loco-
rum conſuetudine, & renovanda, & invio-
labiliter obſervanda, ſancta ſynodus præ-
cipit.

Regularium autem nemini (niſi ardua,
honeſtaque cauſa, per ſuperiorem in ſcri-
ptis approbanda) extra monaſterii clau-
ſtra pernoctare liceat.

Ut autem tam viris, quam regularibus
fœminis malorum occaſio omnis auferatur,
ſuperioribus omnibus, abbatibus, miniſtris,
prioribus, guardianis, abbatiſſis, præpo-
ſitis, ſancta ſynodus præcipit, ut omni ſtu-
dio incumbant, ne eorum ſubditi, ſubdi
tæve commercia aliqua ineant, vel admit-
tant, quorum familiaritate caſtitatis vo-
tum in aliquo periculo conſtituatur.

Atque, ut Deo paupertatis, & obedien-
tiæ votum perpetuum eſſe poſſit, præcipi-
tur, ac mandatur, ne quis pecuniam, aut
aliud quidquam privati commodi cauſa poſ-
ſideat, aut ea utatur, niſi ſuorum ſuperio-
rum benedictione illud ei fuerit conceſſum:
nec propriam in aliqua re voluntatem fa-
ciat.

Superiores autem ſtudioſe curent, ut no-
vitii, novitiæque ad plenum doceantur,
quæcumque in regulis, ſtatutis, ordinatio-
nibus ab eis obſervandis continentur; ut
quacumque in re eorum debita ſciant, &
ad votum imprudentes non accedant.

Iidem ſuperiores illud etiam ſæpius exe-
quantur, ut ea ſacri concilii Tridentini de-
creta legenda proponant, quæ ad regula-
res, & eorum monaſteria ſpectant, & ipſi
obſervent, & per eorum ſubditos inviolabi-
liter obſervari jubeant.

Epiſcoporum etiam fore præcipimus, ut
in eorum Doeceſanis conciliis monialium ad
monaſteria recipiendarum numerum præ-
ſcribere, præfectarum ad earum regimen
creandarum, puellarum etiam ad religionem
admittendarum, novitiarum ad profeſſionem
recipiendarum, ſervandæ clauſuræ, conver-
ſarum, ac ſæcularium puellarum, quæ in
monaſteriis educantur, concionatorum, Ca-
pellanorum, viſitantium, propriarum regu-
larum, inſtitutionumque aſſidue legendarum,
aliarumque rerum, quæ ad moniales ſpecta-
re videbuntur, diligentiſſime curent.

De eccleſiaſtica Poteſtate

Eccleſiaſticam poteſtatem a Jeſu Chriſto
traditam, aduplicem eſſe, non eſt dubitan-
dum: id quod duarum clavium numero a-
perte demonſtratur. Prima ſiquidem eſt poe-
nitentiæ Sacramentum, quæ internam, &
ſecretam conſcientiam reſpicit peccatoris,
qui ſponte peccata confitendo ſolvitur: Al-
tera vero juriſdictionem, & exterius regi-
men exercet, qua non per propriam con-
ſcientiam tantum, ſed per teſtes, peccato-
res convincuntur, & puniuntur, quo teſti-
monio, & publica delicta corriguntur, ne
eorum gratia e Regno Cœlorum peccatores
excludantur.

Cum eam ob cauſam a Deo traditus ſit
excommunicationis gladius, velut eccleſia-
ſticæ diſciplinæ flagellum, quo contumaces,
& rebelles, ab eccleſiaſticis Sacramentis, &
a fidelium participatione ſejunguntur: cla-
re conſtat, non tantum ſacrorum Canonum
Sanctionibus, ſed etiam divino juri, repu-
gnare, cum ſæculares judices, quibus eccle-
ſiaſticarum rerum diſpoſitio nullo jure per-
mittitur, eccleſiaſticos judices ſæpe devetare
ſtudent, ne aliquem, jure exommunicatum,
tale eſſe denuncient, vel ut excommunica-
tionem aliquam fulminatam revocent.

Proinde ſancta ſynodus obſecrat, & obte-
ſtatur in Domino ſereniſſimum regem Ca-
tholicum, ejuſque illuſtriſſimum, & excel-
lentiſſimum proregem, ac ſuos alias in hoc
regno minores Magiſtratus, & utiles domi-
nos, hortatur, & monet, ut ab hujuſmodi
prohibitionibus, & mandatis, abſtineant.

At, ſi quando (quod Deus non permit-
tat) eccleſiaſticus aliquis judex ſua poteſta-
te abuteretur, ejus ſuperioribus illud ſignifi-
cent, nec obliviſcantur poenarum, quæ
ſacrorum Canonum conſtitutionibus ſuper
his ſunt dictæ.

E contra, ſingulos omnes eccleſiaſticos
judices ſancta ſynodus devitat, ne exommu-
nicationes ipſas levi de cauſa fulminent; ſed
(ubi commode id poſſe perſpicient) cæte-
ris aliis juſtitiæ remediis utantur, tam in
procedendo, & definiendo, quam exequen-
do: veluti ſacro concilio Tridentino tradi-
tum eſt.

Epiſcopi, cum primum ad ſua reverſi fue-
rint, in ſynodo Diœceſana perſonas idoneas
pro cauſis eccleſiaſticis in partibus delegan-
dis conſtituant; ac eorum nomina metropo-
litano mittant, ut, juxta decretum decimum
ſeſſionis XXV. concilii Tridentini, ſanctiſſi-
mo D. N. tranſmitti poſſint.

De Uſuris.

Cum, inter cæteras hujus noſtræ provin-
ciæ calamitates, hoc præcipue uſuræ genus
latius manare dignoſcamus, quod in plurl-
mis rerum venditionibus, propter emptoris
pauperiem, temporis etiam fiat venditio,
adeo, ut aliquando pro unius anni dilatione
duplex fere ſolvatur pretium: ſtatuimus,
& ordinamus, ut poſthac de hujuſmodi ven-
ditoribus diligens fiat inquiſitio: & qui in-
venti fuerint, poenis, per ſacros Canones

con-

conſtitutis acerrime puniantur, ac inſuper in confeſſionibus nullatenus abſolvantur, niſi debita (ſi poſſint) ſatisfactione ſecuta, præterquam in mortis articulo, tuncque moneantur, ut vel per ſe ipſos, ſi vixerint, vel per ſuos hæredes, quam primum poſſint, ſatisfacere ſtudeant. Omnes autem locorum ordinarii decretum hoc ſæpius populo publicandum curabunt.

Omnem porro curam, & operam ſuam conferant ad erigenda, & inſtituenda, ex auctoritate ſummi pontificis loca pia, quæ Montis pietatis appellantur, unde mutuas pecunias pauperes poſſint accipere. Qua in re principes, & Magiſtratus obſecramus, ut epiſcoporum diligentiam adjuvent. Nec in eis quidquam, præter ſortem, niſi pro miniſtris, & aliis neceſſariis ſumptibus, idque ex eadem ſummi pontificis auctoritate, accipiatur.

De ſepulturis, & exequiis mortuorum.

Sicuti piiſſimum eſt ut fidelium corpora in cæmeterii, vel eccleſiæ ſinum recondantur; ita impietati proximum videtur, ut putida cadavera in loco excelſo, & ornato, collocentur. Curent ergo epiſcopi, ne ulla deinceps eo modo ſepeliantur, & quæ nunc ſunt una cum ſepulcris (niſi tamen marmorea, aut aerea ſint) amoveantur, & humi dentur, ita ut locus, in quo condentur, a reliquo eccleſiæ pavimento minime promineat. Nec eccleſiarum rectores permittant, oſſa fidelium, quæ huc illuc per angulos eccleſiarum ſparſa reperiuntur, inſepulta manere, ſed ſimiliter ſepeliantur.

Caveant parochi, ne pro exequiis, pro ſepultura, & anniverſariis defunctorum, quidquam paciſcantur, exigant, aut petant; vel quid aliud committant, quod ſimoniam, aut avaritiam ſapere poſſit. Ne tamen *os trituranti bovi penitus alligetur*, epiſcopi curam ſuſcipiant, ut laudabiles, piæque in his ſerventur conſuetudines. Legata etiam, quæ pie per defunctos facta fuerint, exigenda curent. Nec, quæ eleemoſinæ cauſa ultro fuerint oblata, accipi prohibeant.

Si vero defunctorum hæredes ita a ſe pietatem, & charitatem amoverint, ut debiles ſuorum exequiis impenſas non exhibuerint, epiſcopi ad ea comparanda eos compellant, quæ ad honeſtum ejus rei uſum ſibi convenire videbuntur. Miſerabiles tamen perſonæ impenſa eccleſiarum, ordinarii judicio, erunt ſepeliendæ.

Morem, multis locis intermiſſum mortuos in cæmeteriis ſepeliendi, quoad fieri poterit, epiſcopi reſtituendum curabunt.

Conſuetudinem vero, quæ potius amentia, & delirium, dici poteſt, qua mulieres cognatos ſuos mortuos multis clamoribus, & capillorum laniamentis, extra domum in publicas uſque vias proſequuntur, & qua, poſt exactum menſem ad ſepulturæ locum convenientes, clamores eoſdem, & laniatus, iterant, & renovant, prohibeant epiſcopi, & omnino tollendam curent.

De purgatorio.

Cum pie, & catholice, ſancta Tridentina ſynodus demandaverit, ut fideles credant, & teneant, nec non etiam, ut doceantur, eiſque prædicetur ſancta illa ac ſana purgatorii doctrina, quam ſancti patres tenuerunt, crediderunt, & litteris tradiderunt, ſacraque concilia ſanxerunt: ſancta hæc ſynodus ordinat, & præcipit, ut epiſcopi, & ordinarii omnes evigilent, ne iniquitatis ſpiritus ſuperſtitioſum quid, & ſcandalum offerens ſuperſeminet. Prædicatores autem, & parochi, quotieſcumque ſe occaſio obtulerit, doceant deſtinatum locum dari pro purgatione animarum fidelium, quæ cum divina bonitate ſint ad perpetuam gloriam aſſumendæ, poenitentia incompleta e vita ceſſerunt: quas orationibus, eleemoſynis, altaris ſacramento, & eccleſiaſticis indulgentiis ſolvi, minime eſt dubitandum.

De magiſtris puerorum.

Quoniam in hac provincia quamplurimis, propter inopiam, proficiendi opportunitas ſubtrahitur, ſancta ſynodus præcipit epiſcopis, ut omni ſtudio dominos magiſtratus, & univerſitates omnes, hortentur, ut ſumptui non parcentes, honeſtæ vitæ, & ſanæ doctrinæ magiſtros conducant.

Magiſtris autem ipſis eadem ſancta ſynodus præcipit, & mandat, ne libros vetitos, aut de obſcœnis, & turpibus tractantes, pueris legant, neve per ſe ipſos legi patiantur: ſed eos ſana doctrina, boniſque moribus, erudire, & formare, ſtudeant; ac præterea totum id præſtent, quod Lateranenſi concilio ſub Leone X. ſtatutum eſt.

De prædicatione.

Neminem epiſcoporum latere ſancta ſynodus arbitretur, eorum muneris eſſe, & conciones, & ſermones habere ad populum, inque eorum præſertim cathedralibus eccleſiis docere, erudire, & ſicut diligentes, ſolertiſſimique paſtores, omnia gregis errata ſalutaribus verbis corrigere, deperditarum ovium rationem diſtricte domino reddituri. Eo propter eos omnes hortatur, ut pro viribus ſe exerceant ad id per ſe ipſos præſtandum; & ſi quando juſtum impedimentum ab eorum officio eos revocaret, juxta Tridentini concilii decretum, perſonas idoneas ad munus illud eligant.

Parochi quoque, archipresbyteri, & alii quicumque, animarum curam gerentes, dominicis ſaltem diebus, & feſtis ſolemnibus, adventus vero, & quadrageſimæ tempore quotidie, vel ad minus ter in hebdomada, in eorum eccleſiis per ſe ipſos idem omnino faciant; excepto tamen, ubi per quadrageſimam prædicatores regulares, vel alii, conduci conſueverunt; quo tempore parochus quieſcere poterit. Quod ſi forte eorum aliquis ad hoc munus obeundum inhabilem ſe ſe cognoverit, peritum aliquem adi-

adire non erubeſcat, cujus ſtudio, & opera ex latino in maternam linguam homilias, & ſermones ſcriptorum catholicorum verti curet, & illis memoriæ demandatis, vel ſaltem de ſcripto lectis, debito ſatisfaciat, cui ſacrorum canonum, & Tridentini concilii decretis tenetur.

Neminem ad prædicationem in ſuas diœceſes epiſcopi admittant, quem monitionibus catholicis non præmonuerint, quid ſcilicet acrius, & crebrius, quid autem remiſſius, & tarius, pro locorum, & peccatorum communium qualitate, populis ſit inculcandum

Prædicatores vero argumenta, & rationes hæreticorum non recenſeant, ne in imperitorum fidelium mentibus confuſionem pariant. At, ſi quando, ut eorum falſa dogmata facilius reiiciantur, ipſorum argumenta afferre ſit neceſſe, tunc (quoad fieri poterit) diſputationibus reſecatis, graviſſimiſque reprehenſionibus, poterunt id exequi.

Fabulas, eaque, quæ populis riſum movent, recenſere non audeant.

Apochriphas hiſtorias non tractent, nec miracula a catholicis, ac fidelibus auctoribus non præſcripta.

Meminerint etiam cum dominus dixerit, *noſtrum non eſſe, noſſe tempora, vel momenta*, Antichriſti adventum, & ultimam judicii diem, certo, ac definito tempore non tractare.

Diligenter ſe habeant in vitiis, & peccatis reprehendendis. Caveant tamen, ne ad particularia deſcendant, nec verbis, odium, & contumeliam potius, quam emendationem parientibus, corrigant.

Spirituales, aut temporales dominos, ſive eorum officiales, aut magiſtratus, modeſte, ac pie admoneant, non acerbius objurgent: ſubditoſque illud Petri doceant, *Fratres obedite præpoſitis veſtris, &c.*

Totus autem concionatorum, omniſque ſcopus ſit, ex ſacrarum ſcripturarum interpretatione, vitiorum reprehendendorum occaſiones invenire: in qua quidem interpretatione ab eo ſenſu non recedant, quem catholica eccleſia, & ſacrorum doctorum, ab ea acceptatorum, auctoritas approbavit: ex quibus tantum doctoribus allegorias excerpere poterunt, ſi quando illis uti voluerint. Sed præcipue in id incumbant, ut audientes ſæpius moneantur, articulos fidei firmiter credere, & confiteri; decem præcepta ſervare; peccata deflere, pœnitentiam agere, dies feſtos, & jejunia ſervare, orationibus inſiſtere, eleemoſynas, & alia pietatis opera facere, quæ Chriſtifideles decent.

De viſitatione.

Epiſcoporum ea cura propria, & præcipua eſſe debet, eccleſias ſuas, ac dioeceſes, veluti ſacro concilio Tridentino ſancitum eſt, viſitare. Meminerint autem, non ſuperfluo, ſed neceſſario tantum comitatu ad illas viſendas ſe conferre, ac ſe, quam citiſſime poſſunt, expedire, ne ſuperfluis impenſis ſubditi graventur: nec tamen eorum quidquam prætereant, quæ viſitationis ad actum neceſſario ſpectant. Sanctum ſiquidem euchariſtiæ ſacramentum primum viſitent: ſpeculentur quo pacto, quave diligentia mutetur, & an ea reverentia, qua decet, cuſtodiatur.

Sacriſtiam poſtmodum adeant. In ea calices, patenas, corporalia, linteola, aliaque ad Chriſti corpus pertinentia, an munda ſint, & decentia: ſacras præterea reliquias, ac ſacrarum veſtium omne genus, libros, & cætera omnia, an diligenter aſſerventur, inſpiciant. Eccleſiam poſthac diligentiſſime perſcrutentur: & ſi alicubi ruinam minentur parietes, aut aliquo modo præſeferant indecentiam, reſtaurari, atque expoliri, demandent.

Diligenter etiam inquirant, ſi in eccleſiis divina officia debitis horis perſolvantur, ſi dignitates, canonici, & clerici quicumque canonice ſint ordinati, & ſi juſto titulo beneficia poſſideant, ſique eorum in eccleſiis reſideant, an inter eos ſint diſſenſiones.

Si baptiſmi, chriſmatis, & unctionis, ſacramenta debita reverentia Rectores ſervent; ſique debitis temporibus ea innovanda curent; ac ſi in matrimonii ſacramento Tridentini concilii formam obſervent.

Cum primum cathedrales, collegiatas, parochiales eccleſias viſitaverint, ad hoſpitalium, aliorumque piorum, locorum viſitationem ſe conferant: ſcrutentur, an eorum bona ſine fraude adminiſtrentur: computum, & rationes diligenter inſpiciant; ut ſciant, an debite redditus diſpenſentur.

De ludimagiſtris inquirant, ſi vitæ, atque doctrinæ ſint honeſtæ: ſive quidquam prohibitum diſcipulis interpretentur.

Ut vero facilius rebus omnibus epiſcopi mature providere poſſint, ab honeſtioribus illorum locorum hominibus diligenter exquirant, quæ reformatione indigere videantur: ſi eo in loco hæretici ſunt, foenerantes, concubinarii, luſores, blaſphematores, factioſi, & inimicitias gerentes; qui non integre eccleſiæ catholicæ præceptis pareant, & ritum non ſervent. Sed præſertim circa victum, procurationes, munera, & ſimilia, epiſcopi ſervare meminerint, quicquid ſacro Tridentino concilio præſcriptum eſt.

De ſpoliis clericorum.

Quia in hac provincia ſæpiſſime contingit, quod ſpoliorum commiſſarii bona clericorum ex hac vita decedentium, invadunt, & auferunt, tametſi patrimonialia, aut alias hæreditaria, nulla habita ratione, quod idem clericus vel nullum, vel adeo tenue eccleſiaſticum beneficium poſſederit, ut vix ſibi ejus fructus ad duorum, vel trium anni cujuſlibet menſium ſuſtentationem ſuffecerint, ne dum ut ex illis bona ſtabilia, aut alia quæcumque, comparare potuerint: ſtatuit ſancta ſynodus, ſupplicandum eſſe ſanctiſſimo domino noſtro; ut pro ſua erga omnes Chriſtifideles bonitate, ac juſtitia huic rei provideat, & modum aliquem imponat, prout magis expediens viſum fuerit; ac (ſi ſanctitati ſuæ vi-

de-

debitur) eorum clericorum bona pro ſpoliis non auferantur; qui ſaltem non habuerint ducatos quinquaginta in redditibus eccleſiaſticis.

De Poenis.

Quæ in his noſtris Conſtitutionibus, & decretis, poenæ decernuntur, quæve per epiſcopos, vel alios locorum ordinarios, auctoritate ſibi per hanc ſanctam ſynodum conceſſa, quibuſcumque delinquentibus, tam laicis, quam clericis, infligentur, ultra eas intelligantur, quæ per ſacrum Tridentinum ac quæcumque alia Oecumenica concilia, nec non alios juris communis canones, decretæ jam ſunt, & inflictæ, quibus nullatenus derogare ſancta hæc ſynodos intendit.

Quæ vero pecuniæ ex dictis poenis provenient, epiſcopi, aut alii locorum ordinarii, eas nullatenus in uſum proprium convertere poſſint, ſed alicui pio loco applicent: data, ſi expedierit, accuſatoribus portione ſua, quæ tamen tertiam partem non excedat.

Cæterum, cum ſacrum Tridentinum concilium alia multa decrevit, quorum nulla hujus provincialis ſynodi decretis mentio fit, quia ſatis expreſſa, ac explicata ſunt: ea omnia, ſive ad doctrinam, ſive ad eccleſiaſticam reformationem, & morum correctionem pertinent, cum his omnibus, quæ in hac provinciali ſynodo ſtatuta, definitaque ſunt, ſancta ſynodus plene, atque integre, ab omnibus hujus noſtræ provinciæ epiſcopis, abbatibus, capitulis, & aliis quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis, & ſæcularibus, ſervari debere declarat, atque omnibus modis jubet.

Vult inſuper, ac mandat, ut in Diœceſanis conventibus epiſcopi eadem Provincialis ſynodi ſtatuta legi, & publicari; ac illa, una cum decretis concilii Tridentini in ſingulis cathedralibus, collegiatis, & parochialibus eccleſiis hujus provinciæ certo aliquo loco collocata, perpetuo aſſervari curent.

Hujus autem ſacræ ſynodi decreta ſuum robur habere declaramus ad unum menſem, poſtquam Eccleſiæ metropolitanæ valvis affixa fuerint.

Omnia, & ſingula, quæ in hac ſacra ſynodo decreta, actaque ſunt, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, omnium eccleſiarum matris, & magiſtræ, ſemper emendanda, & corrigenda, qua debemus obedientia, ac reverentia auctoritati ſubiicimus.

ANNO CHRISTI 1577.

GREGORIUS PAPA XIII.

ANNO CHRISTI 1577.

Sedit ab anno 1572. usque ad annum 1585.

DECRETA EDITA

IN SYNODO PROVINCIALI CAPUANO

CÆSARE COSTA ARCHIEPISCOPO

An. sal. 1577. 4. nonis Novemb.

DECRETUM I.

De vita & honestate clericorum.

Ex MSS. eccleſiæ Capuanæ.

CLerici in ſortem Domini electi honeſto habitu incedant, talaribus ſcilicet veſtibus nigro colore ſeu in caligis alboutantur, nulla tamen aliquorum colorum varietate diſtinctæ ſint.

Decretum II.

Et quia quidam ſunt, qui vulgo ſilveſtres clerici appellantur, quorum finis & conſilium eſt ſæculare forum evitare, idcirco ſtatuimus, ut nullus clericorum cujuscumque dignitatis & conditionis, in minoribus ordinibus conſtitutus, gaudeat privilegio fori eccleſiæ, niſi tonſura clericali inſignitus fuerit, & decenti habitu incedens alicui eccleſiæ, cui aſcriptus ſit, non ficte aut fucate & raro, ſed vere & plerumque inſerviat; & ſi beneficiatus ſit, & per tres menſes monitus, trino edicto generali propoſito cum intervallo decem dierum pro quolibet, in ſupradicto habitu non incedat, beneficio & privilegio clericali ipſo jure abſque alia ſententia privatus intelligatur.

Decretum III.

Clerici perſonati non incedant, comedjic aliiſque ſpectaculis non interſint, ne aures & oculi ſacris officiis addicti impuris actionibus, ſermonibusque diſtracti polluantur; eisdemque omni genere ſaltationis & ludi, præſertim alearum & talorum interdicimus; nec ſolum ludere, ſed eorum ludorum ſpectatores eſſe nolumus in publico, nec in privato, in propria vel aliena domo, & ſicuti reperti fuerint pro convictis habeantur ex arbitrio ordinarii priventur (f. punientur.)

Decretum IV.

De monialibus.

Ut virginitatis theſaurus in Deo dicatis monialibus conſervetur, omnis diligentia ab epiſcopis adhibeatur; nec cuique licentia concedenda eſt, niſi neceſſariis miniſtris ingrediendi monialium ſepta: quod ſi abbatiſſa temerario auſu ſine licentia in ſcriptis obtempta aliquem intromiſerit, præter poenas a jure impoſitas, iterum eligi aut confirmari non poſſit

Decretum V.

Porta clauſuræ ſit duplici clave munita, quarum una penes abbatiſſam ſit, altera alicui commendetur, cujus fides epiſcopo explorata ſit.

Decretum VI.

Rationes ſingulis annis reddantur; & ſi qua abbatiſſa de fraude, aut furto convicta fuerit, præter reſtitutionem, utraque voce activa, & paſſiva privetur.

Decretum VII.

Laudabilis mos in plerisque Italiæ monaſteriis in eligendis abbatiſſis ſervetur, ut triennio monaſterio *præſint*; nec poſſint confirmari, aut iterum eligi, niſi alio medio triennio interlapſo. Idemque in monialibus quæ ſunt germanæ ſtatuimus, ne præfectura inter ipſas continuetur, electioque ſit nulla; & ſi moniales admonitæ in eadem electione perſeveraverint, pro illa vice jus eligendi amittant.

Decretum VIII.

De hoſpitalibus & eorum magiſtris & oeconomis.

Quia hoſpitalia quædam & eccleſiæ per ſæculares oeconomos aut magiſtros expoliantur, pecuniæque piis operibus deſtinatæ avertuntur, propriiſque uſibus applicantur; idcirco ſtatuimus ut epiſcopi quamprimum diligenter rationes & computa videant, & minori expenſa, qua poſſunt illas eccleſias & hoſpitalia viſitent, nec ſe dilationibus fruſtrari aut decipi patiantur; & quatenus opus ſit auxilium brachii ſæcularis invocent: reliquatores ſeu defraudatores, procuratores & magiſtros in poſterum eſſe non patiantur, niſi reſtituta pecunia aliud epiſcopo videatur.

De-

ANNO CHRISTI 1577.

Decretum IX.

De ſodalitatibus, & confraternitatibus.

Magiſtri ſodalitatum ſive priores, ſive quocumque alio nomine nuncupentur, tam a confratribus, quam alio quocumque laudabili modo electi intra menſem ab ordinario approbentur, coram quo jurent ſe fideliter officium adminiſtraturos. Ordinarius vero compellat eos (& ſi opus fuerit) per cenſuras eccleſiaſticas ad obſervantiam capitulorum, & ad reddendam rationem ipſi ordinario in fine officii, debitoreſque ſodalitatis non poſſint eligi ni facta prius ſolutione.

Decretum X.

Exigant ordinarii computa & rationes confraternitatum, ſeu ſodalitatum quarumcumque a decem annis circa; atque compellant omni meliori modo detinentes illarum bona ad reſtituendum, & ad ſolvendum. Quæ bona in ipſarum confraternitatum eccleſiarumque utilitatem convertantur.

Decretum XI.

Adminiſtratoribus ipſis, ni ſervatis de jure ſervandis; ex habito epiſcopi conſenſu nullo pacto liceat eorum locorum bona quæcumque fuerint vendere, permutare, in emphiteuſim dare, ad longum tempus locare, aut aliter alienare. Si ſecus factum fuerit, epiſcopi arbitratu puniantur, & facta pro infectis habeantur.

Decretum XII.

At ſi quæſtio inter ſodalitates & confraternitates de præcedentia oriatur, antiquior præcedat.

Decretum XIII.

Si contingat bona eccleſiarum cum aſſenſu apoſtolico in evidentem eccleſiarum utilitatem alienari aut permutari, non prius bona tradantur, quam cauſa per breve apoſtolicum commiſſa, & ſententia ſequuta ſit; quod ſi ſecus factum fuerit, declaramus hujusmodi alienationes eſſe nullas, & bona ipſa tradentes arbitratu ordinarii puniendos.

Decretum XIV.

Ut vero bona eccleſiarum conſerventur, curent epiſcopi ut pretium quod ex alienatione bonorum eccleſiaſticorum, aſſenſu tamen apoſtolico interveniente, pervenit, & quod ad præſens penes aliquos loco depoſiti reperitur, jux. ſex menſes, in emptionem aliorum bonorum ſtabilium pro ſecuritate eccleſiarum converti debeatur.

Revideantur alienationes rerum eccleſiaſticarum illegitime factæ, pro quarum reviſione fuerunt electi.

In dioeceſi Capuana fuit confirmatus R. D. Joannes Duminicus Roſellus V. J. D. canonicus Capuanus, una cum R. D. vicario pro tempore exiſtente.

In dioeceſi Caſerlana fuit deputatus R. D. Julius Janillus V. J. D. una cum R. vicario pro tempore exiſtente.

In dioeceſi Yſernienſi fuit deputatus R. D. Joannes Dominus Franciofellus V. J. D. ſacerdos, una cum R. vicario pro tempore exiſtente.

In dioeceſi Sueſſana fuit confirmatus R. D. Lelius Seſſa V. J. D. prothonotarius apoſtolicus canonicus & decanus Sueſſanus una cum R. vicario pro tempore exiſtente.

In dioeceſi Calatina fuit deputatus R. D. Jon. Baptiſta Viſconte canonicus Calatinus una cum R. vicario pro tempore exiſtente.

In dioeceſi Venafrana fuit deputatus R. D. Horatius Dattilus V. J. D. una cum R. vicario pro tempore exiſtente.

In dioeceſi Theanenſi fuit deputatus R. D. Joan. Thomas Mandarinus cantor, una cum R. vicario pro tempore exiſtente,

In dioeceſi Calvenſi deputetur Judex arbitrio R. D. epiſcopi Calvenſis.

In dioeceſi Calinenſi deputetur ſimiliter judex arbitrio R. D. epiſcopi Calinen.

Decretum XV.

Præter quæſtorum avaritiam, quorum improbitas a S. conc. Tridentino repreſſa eſt, malus quidam inolevit uſus, ut privatæ perſonæ, non ab epiſcopo juſſæ, ſed proprio auſu pro aliis eleemoſinas per civitates & villas colligant, contingitque eleemoſinas dari illis qui vere pauperes non ſunt. Idcirco nemini liceat ſub poena excommunicationis ipſo facto incurrenda pro aliis eleemoſinas quærere, & lancem per civitatem circumferre, niſi clericis & laicis ad hoc miniſterium deputatis. Neque conciouatores etiam regulares poſſint de ſuggeſtu aliquem commendare, niſi de ipſius ordinarii licentia.

Decretum XVI.

De notariis, & tabellionibus.

Tabelliones & notarii, ſi intra menſem a die obitus epiſcopo non ſignificaverint, quæ teſtamenta, vel codiciſlos, in quibus legata ad pias cauſas, nec non relicta pro male ablatis & acquiſitis, ſive furto ſubtractis contineantur, rogati confecerint, ſeu ab aliis confecta penes ſe habeant, ipſo facto excommunicationis poenam incurrant; quod quidem decretum ſingulis annis a parochis bis populo notum fiat.

Decretum XVII.

De feſtorum dierum obſervatione.

Feſtorum dierum obſervationem, a ſac. conc. & nuper a beatiſs. papa juſtiſſimis de cauſis ac ſub diverſis pœnis commendatam epiſcopus quilibet obnixe reſtituendam inviolabiliter curet, quo Deo optimo max. a quo cuncta ſuſcepimus, & ſanctis ejus qui

ANNO CHRISTI 1577.

pro nobis intercedunt, ab omni opere servili abstinendo debitus honos & cultus impendatur.

Decretum XVIII.

De sacramento matrimonii.

Quanta cura adhibenda sit ad matrimonia in faciem ecclesiæ contrahenda ex eo colligere possumus; quod sac. conc. Trident. quoad potuit clandestina matrimonia prohibuit, & irritavit. Ea propter eiusdem sac. concilii Tridentini decretis inhærendo, mandat hæc provincialis synodus omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus sub excommunicationis poena, ne antequam matrimonium, saltem per verba de præsenti, contrahatur ad domum sponsi vel sponsæ eorum aliquis accedat, vel invicem osculum, ac rem habeat.

Decretum XIX.

De parochiis.

Parochiales ecclesiæ, quæ in plerisque dioecesibus & locis tantum distant a parochianorum habitatione, ut non sine maximo incommodo ad ea pateat accessus, nec sine periculo *sacramentorum adservent*, intra habitationum loca reducantur, & aliqua ibi extruatur cappella, in qua sacramentum custodiri, & missa audiri commode possit, cujus rei arbiter sit ordinarius.

Decretum XX.

De decimis.

Ait apostolus: *non alligabis os bovi trituranti*. Cum igitur qui altari deserviunt, de decimis, quæ propterea jure divino debentur, vivere debeant, statuit hæc provincialis synodus ab ordinariis remedium aliquod adhibendum esse, quo abusus pessimi in eis persolvendis nuper Parochianorum malitia invecti, penitus extirpentur.

Decretum XI.

De medicis.

Medici non accedant ad infirmum post tertiam diem, dummodo morbi gravitas non indigeat majori celeritate, nisi facta ab ipso infirmo peccatorum confessione, & si secus fecerint sint ipso jure excommunicati.

Omnia & singula, quæ in hac sacra synodo decreta actaque sunt, qua debemus obedientia ac reverentia auctoritati & judicio sanctæ romanæ ecclesiæ omnium ecclesiarum matris & magistræ semper emendanda atque corrigenda subiicimus.

Quæ decreta supradicta in præsenti secunda sessione post Missarum solemnia fuerunt alta & intelligibili voce lecta & publicata in dicta ecclesia per R. D. episcopum Caletinum. Quibus dictis & publicatis fuit dictum dictis illustrissimis & reverendissimis dominis archiepiscopis & coepiscopis ibidem præsentibus. Placet ne vobis Rev. Patres supra scripta approbare & confirmare & sessionem hanc secundam & ultimam finire & concludere, huicque synodo ad laudem, gloriam, & honorem Dei finem imponere, & illa subscribere? Resp. Placet. Tunc illustrissimus & reverend. D. archiepiscopus, quia omnibus placuit, dixit gratias agamus. Deo omnipotenti. Et facta solemni benedictione recesserunt in pace, factis prius subscriptis acclamationibus.

Ego Cæsar archiepiscopus Capuæ de consilio fratrum sic statuo.

Ego Aga episcopus Casertanus consulens, & consentiens subscripsi.

Ego Joannes Baptista Episc. Æserniæ consulens & consentiens subscripsi.

Ego Octavius episc. Caivensis consulens & consentiens subscripsi.

Ego Horatius episc. Venefranus consentiens & consulens subscripsi.

Ego Joannes Paulus episcopus Theanensis consulens & consentiens subscripsi.

Ego Lelius Sessa procurator reverendissimi episcopi Suessan. eo nomine decretis prædictis consensum præstiti, & me subscripsi.

Ego Joannes Dominicus Gloffellus procurator R. episcopi Calvensis eo nomine decretis prædictis consensum præstiti, & me subscripsi.

ANNO CHRISTI 1579.

CONSTITUTIONES ET DECRETA CONDITA *IN PROVINCIALI SYNODO* CONSENTINA

SUB REVERENDISSIMO DOMINO

FANTINO PETRIGNANO,

Dei, apostolicæ sedis gratia archiepiscopo Consentiæ, anno Domini 1579.

SESSIO PRIMA

Celebrata die decima mensis Maii.

NOs Fantinus Petrignanus, Dei, & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Consentiæ, de reverendissimorum coepiscoporum consilio, & assensu in provinciali synodo nostra Consentiæ legitime congregata, hæc, quæ sequuntur, decernimus, & ordinamus.

De fidei orthodoxe professione.

Inter omnes pastoralis officii sollicitudines, præcipua, quæ ad Catholicæ fidei integritatem pertinet, versari debet, ut quæ totius spiritualis ædificii fundamentum est, inviolata permaneat, & omnes in ejus duritate immobiles persistant. Quare ab ejusdem fidei negotio, veluti omnium præstantissimo exordiendum duximus, eamdem fidem juxta formulam a fel. record. Pio papa quarto traditam unanimiter profitentes, quam hic inferius subiiciendam esse visum fuit.

Formula orthodoxa fidei professionis.

Ego N. firma fide credo, & confiteor, omnia & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem Cæli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium; & in unum Dominum Jesum Christum filium Dei Unigenitum. Et ex patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurexit tertia dies secundum scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris; & iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortnos: cujus regni non erit finis; & in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam, & apostolicam. Confiteor unum baptisma, in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item Sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum scripturarum admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, & proprie sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, & ad salutem humani generis (licet non omnia singulis necessaria) videlicet, baptismum confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium: illaque gratiam conferre; & ex his baptismum, confirmationem, & ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos ecclesiæ catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula de peccato originali, & justificatio neque in sacrosancta Tridentina synodo definita, & declarata fuerunt amplector, & recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, una cum anima, et divinitate D. N. Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; similiterque, & sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime asse-

ANNO CHRISTI 1579.

assero imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse, ac eis debitum honorem, & venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam apostolicam catholicam, Romanamque ecclesiam omnium ecclesiarum matrem, & magistram agnosco, Romanoque pontifici beati Petri apostolorum principis successori ac Jesu Christi vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia a sacris canonibus, & œcumenicis conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, ac hæreses quascumque ab ecclesia damnatas, rejectas, anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram, catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, ac meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum; & ita spondeo, voveo, ac juro, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Eandem fidei professionem facere teneantur etiam omnes provisi de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus intra duos menses a die adeptæ possessionis in manibus ipsius episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus vicario seu officiali, seque in Romanæ ecclesiæ permansuros obedientia spondeant ac jurent. Provisi autem de canonicatibus, & dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur. Alioquin dicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.

Idem quoque servent, qui imposterum ad doctorales, vel magistrales gradus promovebuntur in ipso promotionis actu; qui vero hactenus promoti sunt, & fidei professionem facere, prout tenebantur ex Bulla Pii IV. omiserunt, pœnas in eadem bulla contentas incurrisse declarentur. Quæ bulla observetur etiam in omnibus publice, vel privatim, theologiam, canonicam, vel civilem facultatem, medicinam, philosophiam, grammaticam, vel alias liberales artes profitentibus, & professuris sub poenis ibidem contentis.

Professio vero fidei juxta præscriptam formam semper fieri debeat; & in ea facienda præcipue observetur, ut publice, & palam ab omnibus, adhibitis testibus, fiat, & coram notario, qui eam in publicum instrumentum redigat, & in peculiarem librum ad eum tantum usum comparatum una cum professionis subscriptione referat: liber autem in archivio episcopali erit diligenter ad perpetuam rei memoriam asservandus.

A

De libris exhibendis.

Cum hæreticorum libros ad fidelium mentes inficiendas plurimum nocere compertum sit, propterea episcopi regulas Indicis de libris veritis ex auctoritate fel. recor. Pii Papæ Quarti editas, ab omnibus servari studeant, mandentque theologis legum doctoribus, medicis, ludi magistris, aliisque libros habentibus, ut librorum suorum notulam pariter ab eis subscriptam infra tempus statuendum, fideliter edant; præcipiantque etiam omnibus, qui in eorum oppidis, & locis libros tam impressos, quam manuscriptos introducunt, ut illos, nisi prius B recogniti, & approbati fuerint, nec retinere, aliove legendos tradere, aut modo aliquo alienare, aut commodare audeant sub poenis juxta Indicis præscriptum per ipsos incurrendis. Hæredes quoque, vel executores ultimarum voluntatum, indicem librorum a defunctis relictorum intra mensem post obitum ordinariis suis exhibere teneantur, & debent, nec ipsis uti, aut illos, nisi eorum indicem attulerint, vendere, vel alienare valeant; alioquin nullam excusationem prætendere poterunt, quominus in censuras, & poenas apostolicis constitutionibus decretas incurrisse censeantur.

C

De sacrificio Missæ.

Quoniam in divino hoc sacrificio quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit; ideo ut singulari religione ac pietate, & a sacerdotibus celebretur, & a populo colatur juxta sac. conc. Tridentini præscriptum, diligenter episcopi infrascripta servanda, & cavenda curabunt, & in primis.

Omnes sacerdotes etiam regulares, qui romano missale utuntur, in omnibus cæreD monii, ac ritibus in formula missalis præscripta adunguem conveniant, nihil addendo, aut mutando ex his, quæ in cujusque diei missa continetur, vel etiam in ipsius missæ ordinario.

Debitisque horis celebretur, nec ante auroram, nec post meridiem nisi ex legitima causa a jure permissa; neque bis in die, nec extra ecclesiam, vel oratoria, nec privatis in ædibus, aut alio in loco, præterquam in ecclesiis, aut oratoriis divino cultui tantum dedicatis, ac ab episcopo designatis, & visitatis; & qui contrafecerit, missas Vespertino tempore celebrando contra bullam Pii V. pœnis in eadem bulE la contentis puniatur; in cæteris vero a ministerio altaris per biennium suspensum esse intelligatur, & gravi etiam ab episcopo animadversione afficiatur.

Nullus præterea publice, & notorie criminosus, ac presbyter alienæ dioecesis sine commendatariis litteris sui episcopi ab ullo episcopo ad divina celebranda, & sacramenta administranda admittatur.

Ordinariique invigilent, ac bene prospiciant,

ciant, quænam dimissoriæ sint approbandæ, vel reiiciendæ, cum exemplo constet innumerabiles fraudes hac in re committi consueviſſe. A

Sacerdotes celebraturi missam, prius private perlegant & percurrant, suisque adnotent signis, priusquam ad altare accedant; ad quod postquam accesserint, ea qua decet reverentia a principio usque ad finem sacra mysteria peragant, clare & distincte legant lectiones, epistolas, & evangelia, & specialiter secreta, ad hoc ut omnia inter celebrandum recte, & composite, nec minus celeriter, quam decet, nec minus tarde peragantur.

Ad quæ omnia, ut facilius invitentur, omnibus missam, antequam ad altare accedant, ut præmittitur legentibus, & cum præmissa reverentia celebrantibus, hæc synodus quadraginta dierum indulgentiam concedit. B

Et ut puriores ad rem divinam accedant, omnes missam celebraturi prius se colligant, & orantes in tanti mysterii cogitatione mentem defigant; & dum sacras vestes induunt, psalmos, & collectas recitent; hortamurque, ut singula saltem hebdomada peccata sua devote confiteantur, quod & sæpius unusquisque facere debet, cum septies in die cadat justus; & quotiescumque se in peccato mortali constitutum senserit, non celebret non habita copia confessoris, C nisi forte causa urgens, vel necessitas immineat, quæ nisi gravi cum scandalo nequeat præteriri; & tunc adsit contritio, & propositum confitendi juxta sacri concilii præceptum.

Et quia per externi candoris speciem, interior sacerdotum munditia denotatur; ideo ut sacerdotes omnes superpelliceis, amictibus albis, cingulis, manipulis, stolis, planetis, dalmaticis seu tonicellis, pluvialibus, & paramentis candidis, & mundis, & integris, non autem laceratis utantur, episcopi curent.

Nemo, uti id fieri poterit commode, celebret cum vino rubro, propter corporalia, & purificatoria, quæ ex nonnullorum sacerdotum negligentia, & incuria aliquando adeo sordida inveniuntur, ut aliquibus horrori sint. D

Nemo igitur corporalibus, aut purificatoriis immundis, aut sine debito tobalearum, ac duarum candelarum numero temere celebret, aut cum calice fracto, vel rubigine consumpto, ac sordido.

Calices insuper sacerdotes semel in hebdomada lavent, & aqua in piscinam ponant.

Missæ vero eodem tempore in altaribus ita inter se disjunctis, & separatis celebrentur, ut alter sacerdos ab altero non E pertubetur.

Omnibus etiam sacerdotibus præcipitur, ut nullius privati causa horam missæ popularibus suis commodam, aut anticipent, aut differant, nec missam inchoatam adveniente aliquo repetant, nec ad altare expectent, aut alia ratione contra rei sacræ decorum, aut populi utilitatem alicui obsequium præstent; & contrafaciens arbitrio episcopi puniatur.

Tollant episcopi authoritate Tridentinæ synodi sumptuosa convivia, ludos, choreas, ac quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, acceptationes munerum, & quicquid in novis missis, & earum, quæ publicæ oblationes dicuntur, ita quod penitus præmissorum omnium tollatur abusus.

Nullus etiam ad novæ missæ celebrationem admittatur, nisi prius fuerit ab iis, quos episcopus designaverit, examinatus, utrum sit extructus in cæremoniis necessariis, noveritque alia, quæ in missarum celebratione requiruntur. Qui autem in his deliquerit, per sex menses ipso jure ab altaris ministerio sit suspensus, & arbitrio episcopi puniatur.

Prohibeantque episcopi, ne pauperes mendicantes, seu eleemosynas petentes per ecclesiam tempore missarum, prædicationum, aliorumque divinorum officiorum eant, sed ad valvas ecclesiarum stare faciant sub poenis, quæ in sanctissimi domini nostri Pii V. bulla continentur.

Religiosi quoque cujuscumque ordinis, status, & conditionis existant sub excommunicationis poena non audeant & præsumant celebrare in aliquo loco extra eorum ecclesias, & monasteria rectore contradicente.

Et quia contigit sæpe in quibusdam ecclesiis, vel tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctoriis relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a testatoribus præscriptis nequeant satisfieri, vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur, qui velit huic se muneri subiicere, unde depereunt piæ testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur; ideo ad hoc ut relicta ad pios usus plenius, & utilius impleri possint, statuit provinciale concilium, quod pro qualibet missa celebranda in hebdomada saltem pro eleemosyna presbyter capellanus, vel celebrans annuos ducatos quatuor habeat, & imposterum capellæ ædificandæ nonnisi cum dote secundum taxam prædictam eriganter; erectæ vero ad eandem taxam reducantur. Ubi vero ob magnum missarum numerum defunctorum voluntati satisfieri non poterit, episcopi eorum arbitrio, & cum maturitate missas ipsas ad congruentem numerum reducant: ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerunt.

Neve Christifideles a propriarum parochialium cultu, & a divinis audiendis a proprio parocho, a quo christianæ fidei erudimenta, salutaria monita, festorum dierum, & circa contrahendas nuptias denunciationes exaudiant, in posterum avertantur; statuimus, ut nullus presbyter, beneficiatus vel capellanus cujuscumque capellæ dominicis aliisque festivis diebus in oratoriis sodalitatum secularium, quas confraternitates appellant, aliisve ecclesiis, cappellis aut oratoriis sæcularibus, quæ

paro-

ANNO CHRISTI 1579.

parochialis ecclesiæ finibus continentur, missas, & alia divina officia hora nimis præpropera celebrare, atque ad ea audienda populum convocare audeat, idemque a ruralibus presbyteris, & capellanis aliquarum ecclesiarum parochialium, & capellarum observandum esse decernimus.

De reliquiis, & veneratione sanctorum.

Reliquiæ sanctorum in honestissimis locis, ac in decentissimis vasculis in ecclesiis asserventur, & sola pietatis non quæstus gratia luminaribus accensis populo ostendantur, nec ita passim sine episcopi licentia a vasculis extrahantur; ad infirmos nullo pacto deferantur. Qui temere aliter fecerint, ab episcopis ipsis pro modo culpæ poena afficiantur.

De festorum divinorum observatione.

Cum dierum festorum observatio ad Dei cultum maxime pertineat, & in lege divina præcipiatur; ideo episcopi diligenter curent, ut dies Dominici, & alii ab ecclesia recepti, vel loci consuetudine, præcipue vero in honorem Dei, beatæ Virginis, & sanctorum feriati cum omni veneratione observentur per civitates, & dioeceses juxta D. N. Pii V. bullam, & sacros canones.

Et omnes Christifideles in præfatis diebus ecclesias frequentent, divinis officiis devote intendant; a quibuscumque operibus illicitis, judiciorum agitationibus, emporiis, nundinis, aliis mercatoriis conventibus exercendis, quocumque nomine nuncupentur, abstineant, & maxime rustici, qui in hoc sæpe delinquunt.

Conventiones etiam, quas consilia seu parlamenta vocant, si necessitas urgeat post vesperas tantum, dummodo non in ecclesiis, & cæmeteriis, fieri permittant.

Esculenta, & poculenta venundari possint, dummodo id fiat post missarum solemnia.

Qui vero festis diebus illicitum opus aliquod facientes deprehensi fuerint, præter divinam ultionem, alias poenas ex ejusdem bullæ dispositione inflictas, graviter quoque arbitrio episcopi pro modo culpæ puniantur.

Et ut festivi dies firmiter in hac provincia observentur infrascriptum calendarium describi visum fuit. Januarius 1. Circumcisio D nostri Jesu Christi; 6. Epihania Domini. Februarius 2. Purificatio B. Virginis; 24. Matthiæ Apostoli; Martius 7. Thomæ de Aquino. 25. Annunciatio B. Mariæ Virginis; Aprilis 2. Francisci de Paula; 25. Marci evangelistæ; Majus 1. Philippi, & Jacobi apostolorum 3. inventio S. Crucis; Junius 24. nativitatis S. Jo. Baptistæ; 29. Petri & Pauli apostolorum; Julius 25. Jacobi majoris; Augustus 10. Laurentii martyris; 15. Assumptio B. Mariæ virginis; 25. Bartholomæi apostoli; September nativitas B. Mariæ Virginis; 21. Matthæi apostoli, & evangelistæ; 29. dedicatio basilicæ S. Michaelis Archangeli; October 28. Simonis, & Judæ apostolorum; November 1. Omnium sanctorum; 11. Martini episcopi, & confessoris; 30. Andreæ apostoli. December 8. Conceptio B. Mariæ Virginis; 21. Thomæ apostoli; 25. Nativitatis D. nostri Jesu Christi; 26. Stephani protomartyris; Joannis apostoli, & evangelistæ.

Festa Mobilia.

Omnes Dominicæ totius anni Feria in Cœna Domini per horas missarum. In pascha Resurrectionis D. Nostri Jesu Christi cum duobus diebus sequentibus. Ascensio D. N. Jesu Christi. Pentecostes cum duobus diebus sequentibus. Festum Sanctissimi Corporis Christi.

Præterea dies festos patronorum, ecclesiarum cathedralium, & alios, qui peculiari quadam devotione, & laudabili consuetudine nonnullis in locis hujus provinciæ observari consueverunt, sanctificandos, ac fideliter observandos episcopi curent.

De sacris imaginibus.

Quod autem ad sacrorum imaginum cultum, & venerationem attinet, eam reverentiam, & honorem illis episcopi impendi curent, quam sacrosancta Tridentina synodus statuit, idque sæpius populum edoceri studeant. Atque ut debitus cultus, honorque dictis imaginibus exhibeatur, prohibuit, ne signum tam salutiferæ crucis, quam Beatissimæ Virginis, & omnium sanctorum, aut in immundis, & contemptibilibus locis, sive pavimentis posthac collocetur, & collocatum (si quid forte inhoneste depictum reperiretur) deleatur. Inobedientes vero poenas ab episcopis statuendas luant.

De Indulgentiis.

Cum Indulgentiæ a summo Pontifice concessæ publicandæ erunt, doceant parochi, & apud ecclesiam esse earum concedendarum potestatem a Christo illi collatam, & illarum usum plurimi faciendum, cum Christifidelibus fructuosissimæ sint ad animarum salutem. Episcopi diligenter scrutentur si quæ absurditates, aut indignitates ob ignorantiam, aut superstitionem, aut aliunde quomodocumque provenerunt, & eas singillatim adnotatas, in proxima synodo diœcesana; si vero fuerint abusus graviores, in provinciali referant, ut communi consilio ad Romanum summum Pontificem deferantur, quo auctore quidquid expedierit constituatur.

Pius Quintus fel. recor. Pont. Max. quascumque indulgentias etiam perpetuas, quas qui consequi voluissent manus conferre deberent adjutrices, quasi a quæstu ductas penitus abrogavit, quod neminem ignorare opium valde ac necessarium est; nec ab inferiori publicari possint absque episcopi licentia.

De prædicatione Verbi Dei.

Inter cetera quæ ad salutem populi Christiani spectant, pabulum verbi Dei permaxime

me

ANNO CHRISTI 579.

me sibi noscitur esse necessarium, quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur, eo quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei; unde episcopi ex Sacrosancti concilii Tridentini decreto, & per viscera Jesu Christi hortantur, cum hoc præcipuum munus sit eorum; ut in hanc curam toto animo incumbant, atque ipsi oves suas verbi divini prædicatione pascere non prætermittant; & si legitime impediti fuerint, viros idoneos potentes in opere, & sermone assumant ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum.

Idem etiam fieri curent in aliis ecclesiis per parochos omnibus dominicis, & solemnibus diebus festis; tempore autem jejuniorum Quadragesimæ, & Adventus Domini quotidie, vel saltem iis diebus, quibus episcopi ipsi expedire judicaverint.

Parochis impeditis, per alios impensis eorum qui eas præstare vel tenentur, vel solent deputandos, in civitate, aut quacumque parte dioecesis prædicandi munus expleri episcopi curent.

Sollicite etiam provideant episcopi in parochialibus, etiamsi quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monasterio etiam extra diœcesim forsan annexæ, vel unitæ, modo reipsa in dioecesi sint, ut diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus populus coelestis doctrinæ pabulo pascatur; quod si parochi, etiamsi ab episcopi jurisdictione se exemptos esse prætenderent, ab episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alia ad ipsius arbitrium episcopi cogantur; ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat.

Si quis prædicta adimplere contempserit, sciat se districte subjacere ultioni.

Et quoniam, invidens zizaniorum sator, semper humanæ saluti Diabolus, quod in agrum dominicum per se directe non potest, ad nonnumquam per suos, quos possidet, cupiditatis igne succensos exquisitis modis efficere conatur, idcirco episcopi summopere advertant, cujus vitæ sint hi, per quos verbum Dei seminatur in populo, ne plantare fingentes, destruant.

Moneantque episcopi quoscumque, qui hoc officio prædicandi funguntur, & per viscera Jesu Christi rogent, ut ipsius Evangelium sincere populo prædicent ac annuncient; imitentur etiam vestigia viris apostolicis præcipientis. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*: & iterum: *Docete omnes gentes servare quæcumque mandavi vobis.*

Utantur interpretationibus sanctorum ecclesiæ antiquiorum doctorum, prout etiam in concilio Lateranensi constitutum est.

Cessent in sanctis concionibus profanarum legum minime necessariarum citationes, poetarum auctoritates supervacuæ, subtilium quæstiones, & plerunque futilium allegationes, ac hæreticorum opiniones, & argumenta, nisi id urgens necessitas postulet, & id quanto minus fieri potest nominatim recenseant, sed omnino refellant, memores semper oportere eos, qui docent, & instruunt animas rudes esse tales, ut pro ingenio discentium semetipsos possint aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere.

ANNO CHRISTI 579.

Instruant populum ad observationem præceptorum Dei, ut fidem inconcusse teneant, atque omnibus mandatis Dei, & ecclesiæ pareant.

Decreta concilii Tridentini, præsertim quæ ad mores, & christianam disciplinam restituendam pertinent, & has constitutiones populo studiosius inculcent.

Parentes adhortentur ad bene educandos liberos suos adhuc in tenera ætate constitutos, cum ea ætas cæterarum ætatum fundamentum sit, & principium.

In aliquem tacite, vel expresse non invehantur, sed generatim vitia redarguant; prælatos, & magistratus pie, & reverenter admoneant, subditos ad eorum obedientiam excitent.

Non erubescant Christum Crucifixum christianis prædicare, cujus amorem studeant saxeis hominum cordibus infigere.

Sint in verbo discreti, & casti, quia eloquia Domini, eloquia casta.

Præmoneantur prædicatores prædicti ab episcopis, & curatis omnibus quid magis, vel minus pro loci, & popularium peccatorum qualitate sit audientibus enunciandum.

Studeantque ea, qua decet charitate abusus civitatis, & diœcesis tollere, & in his sistant, ut sic circa eos opportune, & importune insistentes quotidie populum ad amorem Dei trahant, vitia detestentur, ad virtutum amplexus auditores allicientes.

Habeant præ oculis honorem Dei, & animarum salutem, nihil ad gloriam, & ostentationem facientes.

Non quæstui intenti, nec quæ sua, sed quæ Jesu Christi sunt quærentes, ut sic juxta veritatem dent cibum in tempore, & frangant esurienti panem.

Supradicta omnia, quæ concionatores observare tenentur, episcopi non solum concionatoribus ipsis notificent; sed in licentiis eisdem de prædicando in eorum diœcesi concedendis inserant.

Regulares cujuscumque ordinis meminerint se, nisi a suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in ecclesiis suorum ordinum prædicare non posse, cum qua licentia personaliter se coram episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant, quibus contradicentibus etiam in prædictis suorum ordinum ecclesiis prædicare non præsumant.

Regularibus vero extra claustra, & obedientiam religionum suarum viventibus prædicatio interdicatur, etiam quorumliber privilegiorum prætextu.

Et quia sæpe oriri solet contentio in eligendo prædicatore; ideo ad tollenda scandala, hæc synodus inhibet ne seculi potestates, magistratus, aut universitas aliqua ullo pacto se se ingerant in prædicatore deligendo,

ANNO CHRISTI 1579.

do, cum totum hoc munus ad episcopos, & ecclesiarum rectores ex sacrorum canonum dispositione pertineat, qua in re si difficultas aliqua suborta fuerit, ad ordinarium deferatur, qui modis omnibus ecclesiarum immunitati consulat, sicut magis conducere judicaverint.

Statuit etiam hæc synodus, ut transacto quadragesimali tempore, & aliis temporibus, prædicatores omnes, qui in civitate, & diœcesi vice episcoporum, aut curatorum laboraverint, quasi villicationis suæ rationem reddituri, se conspectui episcopi aut vicarii præsentent, relaturi quomodo tam sæcularium, quam regularium vita & mores se habeant, si quid sit, cui pro Dei honore, & subditarum animarum salute consulendum sit. Quod si quis in se præsentando (justa cessante causa) contumax fuerit, episcopi de cætero ad prædicandum non admittant eundem.

Ab historiis apochriphis, & miraculorum non approbatorum recitatione penitus abstineant.

De Conceptione beatæ, & gloriosæ semper Virginis in popularibus concionibus propriam sententiam asserendo, & contrarium refellendo, aut impugnando disputare non audeant, sed Bullam piæ record. Pii papæ Quinti super hoc editam inviolabiliter observent.

Passionem Domini nostri Jesu Christi lucescente die, nisi locorum ordinariis aliter expedire videbitur, docte, pie, & graviter exponant, nihilque in ea, quod a Christiana disciplina, & a tanti mysterii dignitate alienum sit, etiam ad lacrymas commovendas, dicetur deinceps, aut modo aliquo fiat.

Studebunt episcopi, ut cum ipsi prædicare non poterunt, prædicationibus semper assistant, utque clerici omnes cujuscumque dignitatis fuerint in eis intersint, provideant, & seculares Dominos, magistratus, & Officiales omnes si in concionibus adsint, sæpe commoneant, ut eorum exemplo populus ad audiendum verbum Dei reddatur alacrior.

De præbenda Theologali, & lectione sacræ Scripturæ in monasteriis.

Sacrarum scripturarum lectioni incumbendum esse, in eaque assidue versandum tum Apostoli ad Timotheum, tum sanctorum Patrum, & conciliorum admonitione docemur, noviſſime etiam generalis Tridentini concilii decreto jubemur; quare si in cathedralibus, aut aliis in collegiatis ecclesiis insignibus præbenda, seu stipendium sacræ Theologiæ doctori, & interpreti adhuc assignatum, aut deputatum non extitit, ne tam utile, tamque necessarium munus omittatur, statuimus, ut ab episcopis primo quoque tempore juxta prædicti generalis concilii præceptum statuatur, vel ex præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, proxime vacatura, cui aliud onus incompatibile non sit adnexum, & quatenus in ipsis ecclesiis nulla, vel non sufficiens præbenda foret; metropolitanus, vel episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suæ civitatis, & dioecesis, vel alias prout commodius fieri poterit, de capituli consilio, ita provideat, ut ipsa sacræ Scripturæ lectio habeatur.

Admonentur insuper omnium monachorum superiores, ut in conventibus ipsorum, ubi sacræ scripturæ lectio commode haberi poterit, illam a capitulis generalibus, vel provincialibus dignioribus magistris secundum prædicti decreti ordinationem assignandam curent. Quod si facere neglexerint, episcopi omnes, ut Apostolicæ sedis delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.

Is vero, qui lectioni hujusmodi deputatus fuerit, tam publice, quam privatim, non admittatur, nisi prius de vita, moribus, & scientia fuerit examinatus, & per fidei professionem admissus, juxta sepe memoratas litteras fel. rec. Pii Papæ Quarti.

Is etiam, qui deputatus & admissus fuerit, statutis diebus, & horis in loco per episcopum designato sacræ scripturæ libros, atque alios pro casuum poenitentialium cognitione a curatis, & sacerdotibus habenda interpretabitur.

Curent episcopi, ut in hac lectione clerici omnes ad eam lectionem idonei cujuscumque gradus intersint, atque proficiant, singulos hortentur, & sæpius admoneant, ac demum cogant.

De sacris verbis non abutendis.

Prohibeant episcopi, ut ab idiotis præcipue, & litterarum ignavis de his, quæ ad fidem pertinent, nec publice, nec privatim disputetur; & non solum in eos, si pertinaces fuerint, sed etiam in omnes sacræ scripturæ verbis, vel sententiis ad scurrilia dicta, detractiones, superstitiones, incantationes, libellos famosos, aliosque profanos, & illicitos usus abutentes severissime animadvertant; quod etiam fieri volumus in omnes, qui vestibus clericorum, tam sæcularium, quam regularium, vel eorum similibus in profanis repræsentationibus usi fuerint, easdemque personas ecclesiasticas habitu, aut verbis deriserint.

De sacris actionibus non repræsentandis.

Pia fidelium consuetudo repræsentandi venerandam domini nostri passionem, & gloriosa martyrum certamina, eo hominum malitia deducta est, ut ex hujusmodi repræsentationibus oblectari, ad risum sæpius, & scandalum excitari potius, quam ad pietatem, & lacrymas accendi, & commoveri soleant astantes; propterea prohibemus, ne deinceps in sacro nec in profano loco, publice, vel privatim agantur, ac repræsententur, absque præcipua ordinariorum licentia, qui, quod pietati, aut religioni congruere judicabunt, hac in re pro eorum prudentia statuent.

ANNO CHRISTI 1579.

De processionibus.

Processiones eo tempore fiant, eo ordine, ac religione qua deceat, ad quas accedere omnino teneantur, non solum regulares, & exempti, sed etiam confraternitates laicorum secundum consuetudinem loci, aut secundum quod fuerint ab episcopo convocati.

In quibus omnibus processionibus, & præsertim in festo SS. Corporis Christi in locis per quæ incedere solent, is ornatus, apparatus, & decor appareant, qui præsentiæ, & aspectui Salvatoris Domini nostri convenire videantur. Fideles vero in associatione, reverentiam, pietatem, & religionem eam servent, ut fructum tam pii operis & laboris a Domino consequi possint.

Laici a clericis, fœminæ a viris separatim prosequantur.

Inter viam non inaniter spectandi gratia subsistatur. Actiones pro foribus ædium, aut in via non rappræsententur, & ne quæ minus deceant spectacula adhibeantur. Edendi, et bibendi consuetudinem in sacris supplicationibus, episcopi, & parochi omnino tollant.

Processiones, quæ in aliquibus locis in die resurrectionis a prandio fiunt, deferendo sanctum chrisma, tamquam ab ecclesia non institutæ tollantur.

SESSIO SECUNDA,

celebrata die xii. mensis maii 1579.

De sacramentis, & eorum administratione.

PArochi ad cælestem, & amplissimum sacramentorum thesaurum dispensandum destinati, ut populus ad ea suscipienda majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, eorum vim, ac naturam populis suis vernacula lingua non desistant sæpissime explicare.

Studeant episcopi, ut in sacramentis administrandis omnes ritus, ac consuetudines serventur, quæ sanctæ Romanæ ecclesiæ aliarum matris, & magistræ conformes sint, indictis etiam, si opus erit, arbitrio poenis.

Ministri ad quos oleorum distributio spectat, caveant ne quid accipiant pro illorum receptione, etiam sponte datum, sub poena suspensionis, quacumque consuetudine etiam immemorabili non obstante.

Oleis sanctis sanctoque chrismate veteribus non utantur sub poenis a sacris canonibus statutis.

Et ne propter irreverentiam sacramentorum ira De sæviat in ministros, & ne ab eis, quæ ad salutem proposita sunt, temeraria manus extendi valeat ad aliqua horribilia, & nefaria exercenda, ideo olea sancta, sanctumque chrisma, tanta reverentia, & diligentia custodiantur, ut claves eorum parochus tantum, sicut dictum est, retineat, & apud se observet, neque alteri, nisi ex urgenti necessitate, committat, ne illis abutendi facilis occasio relinquatur, quod si unquam evenerit (quod absit), & qui converterit, & qui consenserit ad alium usum, quam ad quem sunt instituta gravissimis, & legitimis poenis ab episcopo infligendis corripiantur.

In administrandis sacramentis sacerdotes semper superpelliceum, & stolam adhibeant, nec aliquid pro eis exigant a quoquam, sed illa gratis omnibus conferant. Curent autem ut mundi a mortali peccato illa administrent.

De Baptismo.

Baptismus nonnisi in ecclesia ac a sacerdote solemni ritu ministretur, nisi immineat urgens necessitas, ac vitæ periculum; tunc vero hoc munus omnibus promiscue permissum est, modo mulier si mares adsint, laici præsentibus clericis cedant, ac clerici sacerdotibus, & ecclesiæ forma, ac debita materia naturalis aquæ utantur; quamquam obstetrices, quæ baptizare consueverunt, non sunt improbandæ, si interdum præsente aliquo viro, qui hujus sacramenti conficiendi minime peritus sit, id exequantur.

Quæ omnia sæpe materna lingua, & parochi, & confessarii exacte populares doceant, tum ne res tanti momenti aliqua inscitia, aut errore inanis efficiatur, tum etiam ut omnes intelligant, quo in honore tam necessarium sacramentum habendum sit.

Quia ex characteris vi, & natura ab ecclesia definitum est baptismi Sacramentum nulla ratione reiterandum esse; ideo ne reiteratio contingere possit, aut necessarium omittatur, præcipitur omnibus, qui baptizandi munere funguntur, ut cum delatus, fuerit infans ad ecclesiam baptizandus, deferentes interrogent, fuerit ne ille domi baptizatus; & si pro certo confirment non fuisse baptizatum, adhibita forma ecclesiæ simpliciter sine ulla verborum conditione dicant. *Ego te baptizo* &c. Sin autem testentur, aut certo sciatur, puerum baptismum privatim in ædibus suscepisse, sacerdos adhibeat tantum ritus, ac cærimonias baptismi, nec proferat ullo modo formam, nec infantem abluat *Quia tu es baptizatus, ego te benedico in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Sed si res ita dubia sit, ut vere nesciatur an sit baptizatus, tunc minister (præmissis ritibus, ac cæremoniis) conditionaliter hæc verba tantum proferat. *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.*

Parentes, & hii quorum cura est, quam primum infantem ad suscipiendum baptismum in ecclesia, vel cathechesim, seu exorcismum deferendum curent, quod si neglexerint excommunicationis poenam subeant.

Nec parochi ad tenendum infantem admittant in baptismo qui fidei rudimenta ignorant, & qui excommunicati sint, atque in sancto illius anni Paschate confessionem, & communionem omiserint, & ad evitandum familiaritatis occasionem, regulares levare non patiantur. Si vero parochi culpa, vel negligentia secus in prædictis factum

fuerit, arbitrio ordinarii puniantur.

ANNO CHRISTI 1579. Curent episcopi, ut sacri baptismi fons sit non petra lateritia, sed de marmore; & si petra reperiretur, quæ tuta non sit, & aqua effluat, vas in eo æneum stamneatum ponatur, quod ejusdem magnitudinis sit, ac petra ipsa, eamque strictum undique, & apte tangat, eique conjunctim adhæreat, atque id donec petra aliqua alia tuta comparetur, quod erit curandum, ut quam primum fiat, & fons ipse in cathedralibus cancellis obseratus, & in loco ecclesiarum omnibus conspicuo sit, si quid non impedierit.

Operimentum, quod ciborium appellatur, habeat, & ita aptum, ut sancta olea, atque alia ad baptizandum necessaria commode ibi asservari possint, & conopeo tegatur.

Habeantque vas vitreum cum mansula pro effundenda aqua super capite baptizatorum.

Vasa sacramentorum usualia sint saltem stamnea, munda, & nitida.

Sacrarium in pariete excavatum sit, vel in columnella juxta illum fontem erectum, quod omnino juxta fontem illum ipsum adsit, & eodem septo plane, ac fons ipse, sacrarium concludatur.

Septumque, si ferreum, vel lapideum esse non poterit, ligneum construatur.

Habeatque picturam in pariete (ubi commode fieri poterit) sancti Joannis Christum Dominum baptizantis, & omnia eo ornatiora, atque decentiora sint interius, & exterius, quo ecclesia ipsa insignior erit, & quanto magis fieri potest, decenter instructum sit.

Curent omnino sacerdotes, ne cum hoc baptismatis Sacramentum administratur, dissolutiones, risus, aut clamores fiant; sed sacerdotes, & qui assistunt, valde devoti permaneant, cum mysteria singularia in hoc Sacramento contineantur; quinimmo ea cum reverentia Sacramentum istud, sicut & cætera ministrent, alias Deum novo peccato mortaliter offendent.

Si apud Gentiles potissima cura erat, ut parentes honestis filios suos nominibus appellarent, asserentes etiam, quod si publica nomina venderentur, deberent emi; quanto magis Christiani homines delectari, atque gloriari deberent illis licere liberis suis ea sanctorum nomina imponere, quorum vero tali cognomine gaudentium suffragiis liberos suos fulcitos custodiri continue, & præservari pium sit credere? Unde cum nonnulli valde huic synodo errare videantur, dum levitate quadam, aut ipsi novorum nominum auctores haberi volunt, aut si qua a suis majoribus acceperunt, tamquam gentile patrimonium ad posteros certa fide transmittunt. Omnes igitur utriusque sexus hortatur, ne infantulos suos baptizandos nominibus Paganorum, aut Gentilium, sed nominibus sanctorum, aut sanctarum juxta ritum Christianorum nominare velint.

Liber habeatur, ac sedulo custodiatur, in quo baptizatorum nomina, & cognomina tum parentum, atque compatrum baptizantis manu conscribantur, ac an ex legitimo matrimonio infans natus sit, quoque die natus, & baptizatus fuerit; alioquin in ecclesia rector episcopi arbitrio mulctetur, & copia libri singulis annis episcopo deferatur, in episcopali archivio conservanda.

ANNO CHRISTI 1579.

Infantes quando deferuntur ad ecclesiam, facibus accensis non allocientur, sub poena arbitrio episcopi imponenda.

Parochi puerperas moneant, ut cum primum post partum domo exierint, statim ad ecclesiam Deo acturæ gratias accedant, ubi benedictionem a parocho suscipiant.

Cum baptismalis aqua in fontibus renovatur, veterem in sacrarium infundant, illamque petentibus, ad superstitionum vitanda fomenta omnino denegent.

Prægnantes denique mulieres, ut cum nonum mensem attigerint, confiteantur, & sanctissimam Eucharistiam sumant, sedulo hortentur, & frequenter commoneant.

De confirmatione.

Si in Sacramento confirmationis explicando pastorum diligentia perquirenda unquam fuit, nunc certe opus est illud quam maxime illustrare; cum in sancta Dei ecclesia hoc Sacramentum a multis prætermittatur; pauciissimi vero sint, qui divinæ gratiæ fructum, quem deberent, ex eo capere studeant. Ideo episcopi antequam confirmationis Sacramentum administrent, per octo dies antea præmoneri curent omnes confirmandos, ut ad sacramentum percipiendum digne se præparent, aut per *se*, aut per alium ejus vim, dignitatem, & mysteria dilucide explicent; ac denuncient ex eo inter confirmantem, & confirmatum, illius patrem, & matrem, & tenentem, eandem cognationem spiritualem nasci; nec minoris æstimandam, quam quæ ex baptismo gignitur; ac propterea inter eos carnale matrimonium contrahi non posse, & cætera, quæ Tridentinæ synodi traduntur decreto.

Adultos, qui in ea ætate confirmandi sunt, si hujus Sacramenti gratiam, & dona consequi posse cupiant, non solum fidem, & pietatem afferre, sed graviora etiam peccata, quæ admiserunt ex animo dolere oportet; ideo admoneantur, ut confessi, vel saltem contriti, & jejuni ad confirmationem ipsam suscipiendam se conferant.

Excommunicatis, ac eo anno in Paschate non confessis, quive communionem non acceperint, confirmandorum patrinos esse non liceat.

Parochi describant confirmatos, & compatres, servatis cæteris omnibus, quæ de libro baptizatorum describendorum superius sancitum est, & fuit.

De Eucharistia.

In altari majori, ubi commode id fieri poterit, alias in decentiori loco omnium cathedralium, collegiatarum, & aliarum curatarum ecclesiarum, nisi necessaria, vel gravi de causa episcopo aliter videbitur, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reponatur in Tabernaculo saltem ligneo, picto, & deau-

ANNO CHRISTI 1579.

& deaurato, veloque ſerico contecto, & intus ornato bene, ac tute clauſo, cujus clavis a nemine, præterquam a parocho teneatur, ita aperto, ut ex eo poſſit ipſa Sanctiſſima euchariſtia commode extrahi, neque ſuper altare propterea aſcendendum ſit; vacuo a reliquis vaſculo, oleo infirmorum, ac inani vaſe, ut omnino nil aliud ibi conſervetur, quam vas ubi Sanctiſs. Chriſti corpus reponitur: ſit autem vas illud argenteum deauratum, & interius corporale undequaque munitum, eodemque ſubſtratum. Et ne ex aliqua negligentia, & incuria corruptio generetur, ad minus decimo quinto quoque die innovetur, & coram illa lampas in conſpicuo, non a latere perluceat. Quæ ſi negligentia parochi, aut avaritia corrupta, & extincta reperietur, epiſcopi arbitrio parochus puniatur.

Antiquæ cuſtodiæ, quæ in pariete Sanctiſſimi Sacramenti inveniuntur, penitus amoveantur, vel ſigno omnino deleto, in alios uſus adhibeantur, ut reliquiarum, aut olei infirmorum.

In omnibus eccleſiis parochialibus ſocietas Corporis Domini quam primum erigatur, & ubi erecta reperitur, omni diligentia conſervetur, & epiſcopi eas viſitent, reforment, & amplificent, omniaque faciant, unde omnes earum functiones exerceant, ac inſtituta ſervent & ſi in Civitate, vel oppido aliquo duæ Sanctiſſimi Corporis Domini confraternitates reperiantur, uniantur, & in unam redigantur, ubi id ſine ſcandalo fieri poſſit.

Quando in Sepulcro Sanctiſſimi Chriſti corpus reponitur, claves ſepulcri penes epiſcopum, vel parochum aſſervetur, ne laici cujuſvis conditionis exiſtant, in eo ſe ingerant, ne id epiſcopi permittant, ſepulcrumque ipſum mulieres de die tantum, non de nocte viſitent, nec in ſepulcro imagines larvatæ, nec obſcoenæ repræſentationes adhibeantur, foreſque eccleſiæ de nocte obſerentur.

Dum ſacroſanctæ Euchariſtiæ viaticum per urbes, & oppida ad infirmos defertur, ſuperpoſita umbella tegatur, & quam plurimis luminaribus aſſocietur, tintinnabulo ſemper præcedente. Epiſcopi vero, & monitis & indulgentiarum promulgationibus fideles vehementer excitent, ut quam frequentiſſime, ac devotiſſime illud comitentur, ac omni & alia ratione venerentur.

Et in qualibet parochiali eccleſia ſit una lanterna honorabilis, aurata, cum ſuo baculo in uſu habenda, ne in itinere, aut ventorum turbine, aut nimborum vi lumen deficiat.

Parochi partes erunt fideles crebro adhortari, ut quemadmodum corpori in ſingulos dies alimentum ſubminiſtrare neceſſarium putant; ita etiam quam ſæpius hoc ſacramento alendæ, & nutriendæ animæ curam non abiiciant; neque enim minus ſpirituali cibo animam, quam naturali corpus indigere perſpicuum eſt: vehementer autem proderit, ſi ſæpe inter miſſarum celebrationem parochus populum admoneat de antiquæ eccleſiæ conſuetudine quotidie communicandi, quia ad frequentationem hujus Sacramenti inflammabuntur, & ſaltem ſingulis annis in diebus Reſurrectionis, Pentecoſtes, Natalis Domini, ac beatiſſimæ Mariæ Virginis Aſſumptionis, confeſſione peccatorum facta ſanctiſſimam Euchariſtiam accipere aſſuefcent: recitetque caput illud Laterane. concilii, quod incipit, *Omnis utriuſque ſexus in Quadrageſima &c.* & vulgaribus verbis exponat, ut poenam, quam infert agnoſcentes, ſemel ad minus in Paſchate non omittant communicare.

ANNO CHRISTI 1579.

Parochi non minus civitatis, quam diœceſis, tranſacta octava Paſchatis oves ſuas recenſeant, & qui eo tempore confeſſi non fuerint, & Euchariſtiam non ſumpſerint, nullius habita ratione, eorum nomina, & cognomina in Schedula ad epiſcopos deferant; nec non publicos etiam adulteros, concubinarios, & concubinas, blasfematores, uſurarios, & de hæreſi ſuſpectos; nec non eos omnes, qui contra Tridentinum concilium in gradibus prohibitis matrimonia contraxerunt; alias graviter ab epiſcopo mulctetur. Delatis vero, ut ſupra, & contumacibus eccleſiæ ingreſſus in vita interdicatur, & eccleſiaſtica ſepultura in morte denegetur; & ſi in contumacia perſeveraverint, per menſem excommunicentur: deinde ſi ſpretis cenſuris non reſipuerint, acerrimis poenis afficiantur. Quod ſi per annum in cenſuris perſeveraverint, contra eos tamquam de hæreſi ſuſpectos ab epiſcopis procedatur, juxta Tridentini concilii decretum. Et ne fraus aliqua fiat, qui tempore Paſchatis domo abfuerint, niſi veram fidem authenticam habeant de ſuſcepta alibi communione: quandiu in propria parochia Euchariſtiam non ſumant, cum his, qui præſentes ſumere neglexerunt, eadem prædicta poena puniantur. Qui vero extra propriam parochiam in Paſchate Euchariſtiam ſumpſerit abſque parochiali licentia habeatur, ac ſi non communicaſſet.

Regulares vero, qui euchariſtiæ Sacramentum eo tempore adminiſtrare præſumpſerint contra quod dictum eſt, ſciant ipſo facto ſe excommunicatos eſſe, a ſancta Sede Apoſtolica tantum abſolvendos, & ſtatim per ordinarios pro excommunicatis publicandos, juxta conſtitutionem felicis recordationis Clementis Papæ V. (ſalvis tamen in omnibus indultis, & privilegiis Apoſtolicis per eandem ſedem non derogatis.)

Cum multi reperiantur, qui in concubinatu, uſuris, & aliis notoriis peccatis perſeverantes, & ſcandaloſi, aut obligati ad reſtitutionem bonorum promittant ſe omnino ad meliorem vitam reducere, aut infra terminum competentem ſibi aſſignatum juxta facultates ſuas ſatisfacere, & promiſſa non exequantur; ideo hæc ſynodus decrevit, ut publici concubinarii, uſurarii, fures, blaſphemi, & alii hujuſmodi facinoroſi homines, ſi ſemel ad poenitentiam, & communionem admiſſi fuerint, & poſtea in eodem peccato permanere, & adhærere cognitum ſit, amplius ad communionem non recipiantur, niſi poſtea eos vitam, & mores re ipſa emendaſſe parochi compererint.

De

ANNO CHRISTI 1579.

De poenitentia.

Ne imperitorum culpa confessariorum contingat, ut qui innocentiæ navim fregerunt, secunda poenitentiæ tabula apprehensa ad salutis portum pervenire nequeant; interdicitur omnibus sæcularibus presbyteris, qui parochialibus non præsunt ecclesiis, & quorumcumque ordinum etiam mendicantium, ne posthac sæcularium confessiones quoquomodo audire audeant, vel præsumant, nisi prius expresse approbentur ab ordinariis, prævia, ut parochorum examinatione, & scriptam, acceperit licentiam; quibus tamen omnibus approbatis, etiam vigore *Maris magni*, & privilegiorum, non liceat a casibus episcopis reservatis, etiam si excommunicationem annexam non habeant, absolvere, juxta declarationem alias factam per congregationem illustrissimorum Cardinalium de mente Sanctiss. ac constitutionem Pii Quinti de privilegiorum mendicantium confirmatione, ac Ss. Gregorii XIII. de litterarum Pii Quinti ad jus commune, ac concilii Tridentini decreta reductione.

Prioribus, Guardianis, Custodibus, Vicariis, & aliis quorumvis mendicantium fratrum, & aliorum quorumcumque religiosorum præfectis monasteriorum, & ecclesiarum præcipitur, ut in ecclesiarum suarum & conventuum loco ad legendum aptiore tabulam continentem nomina Confessorum ab episcopo approbatorum, ac sigillo munitam statuant, & affigant, ad hoc, ut qui voluerit ipsis religiosis confiteri, videat prius si sint de illis, qui fuerint ab episcopo approbati, & nemo ullam possit unquam excusationem afferre, si cæcus a cæco ductus ambo in foveam cadere contingat, cum illis, qui non ab approbato confessore absolutionem acceperint, iterum confiteri necesse sit. Confessores vero erunt gravissimis poenis ab episcopo coercendi, qui contra hoc decretum facere præsumpserint; atque etiam in superiores, qui negligentes in affigenda tabella fuerint, idem observetur, & habeat locum in ecclesiis sæcularibus.

Ad evitanda scandala, quæ aliquando in confessionibus solent contingere, hæc synodus præcipit, ut confessiones, præsertim mulierum, in loco aperto, & evidenti audiantur, nec ante ortum, vel occasum solis, nisi necessitas, vel aliqua rationabilis causa aliud suadeat, extra ecclesiam, & sedes, seu confessionalia confessiones non audiantur, nisi in necessitatis causa tantum, & ex personarum respectu; & qui contra fecerit, in poenas, quas dignas episcopi existimaverint incidat.

Caveant confessarii ne poenitentias pecuniarias pro peccatis infligant, præsertim illas sibi, vel ecclesiæ suæ aut monasterio applicando, aut cuiquam per ipsum nominando; sed imponant poenitentiam jejuniorum, orationum, peregrinationum, seu eleemosynarum per poenitentes, inter quos maluerint, dispensandarum, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; neque etiam signo, vel verbo aliquid petant, cæteraque omnia vitent, quæ confitentibus aut populo scandalo esse possint: alioquin ordinariorum judicio pro commissi qualitate plectantur.

Confessarii canones poenitentiales non ignorent, ut confitentes ex eis peccatorum gravitatem coniicere & cognoscere possint, atque inde facilius ad antiquam satisfactionum severitatem, quoad fieri potest, opere, vel saltem animo se transferant; habeantque etiam omnes casus reservatos episcopo, & summo Pontifici, & præsertim bullam, quæ quot annis in Coena Domini legi consuevit.

Caveant confessarii omnino ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodant peccatorem, sub poenis a jure communi sancitis, & aliis arbitrio episcopi infligendis.

De jejunio.

Sacra jejunia quæ ecclesia indixit, qui sine legitima causa violaverit, præter eam in quam incidit, interdictis utendo cibis, Dei offensionem severe ab eo judicandam, ordinarii etiam arbitratu puniatur, habita contemptus, aut reiterationis ratione.

Jejuniorum tempore, & præcipue quadragesimæ carnes non vendantur, nisi in loco deputato, & iis tantum, qui licentiam medici, & ordinarii habuerint, nec cujusvis absque eadem licentia illas edendi potestas sit, & extra urbem parochus suppleat: illis tamen conditionibus servatis, quas episcopi juxta eorum conscientiam necessario apponendas judicaverint.

Moneantur omnes Christifideles, ut jejunia omnia servent, & maxime vigilias ab ecclesia indictas, ac eas, quæ in civitatem, ac aliorum locorum patronorum honorem constitutæ sint. Ingrati enim animi est non omnia in eorum venerationem impendere, quorum patrociniis ac precibus infinita a Deo beneficia accipiat.

Hortantur omnes, ut laudabilem consuetudinem, ubi adest, hujus provinciæ de non edendo caseum, & ova in feria sexta, & sabbato amplectantur, & servent prout tenentur.

De casuum reservatione.

Episcopi in reservandis casibus ad id potissimum intendere debent, ut a peccatis, quæ maxime enormia, & frequenter committi solent, difficiliori impetrandæ veniæ gratia homines arceantur, & ad ea iterum perpetranda retardentur; quare eos tantum sibi reservare studeant, quos necessario reservandos esse sciant: cumque ad ædificationem, non in destructionem in subditos, supra reliquos sacerdotes inferiores hujusmodi auctoritatem habent, ne confitentes a suis parochis absolutionem desperantes omnino confiteri negligant, aliquorum casuum episcopalium facultatem absolvendorum eisdem parochis pro eorum doctrina, & prudentia libere concedant. Neve tam parochi, quam confessarii casus summo pontifici, vel episcopo, quacumque ratione reserva-

tos

ANNO CHRISTI 1579.

tos per incuriam absolvendi facultatem, frustra tamen, & inutiliter assumant, eos apud parochos, & confessarios ipsos scriptos esse procurent, & quam primum fieri poterit diligenter provideant, ut quando fideles cum charitate ad superiores dirigere, vel facultatem ab ipsis impetrare oporteat clarissime noscant.

Curabunt episcopi, ut parochi fideles omnes sibi commissos frequentius commonere non desistant, ne confessionem, quæ paschæ tempore fieri debet, usque ad sanctam hebdomadam differant.

Constitutio observanda per medicos.

Ex carnali conjunctorum affectu, & medicorum incuria, a quibus infirmitatis discrimen febricitantibus, remissius quam debet insinuatur, plerumque fit, ut eis, aut cum in extrema ægritudine constituti sunt necessario suaderur, in desperationis periculum incidant, & absque ecclesiasticis sacramentis depereant; quare huic malo occurrere, & animarum saluti in Domino, sine quo vana est salus hominis, consulere volentes, singulis medicis physicis, & chirurgicis sub poenis in constitutione fel. recor. Pii Papæ V. contentis, districte præcipiendo mandamus, quatenus cum ad infirmos eos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, ut infra triduum, nisi morbi qualitas majorem celeritatem delideret, animarum medicos advocent, & SS. Eucharistiam sumant; neque tertio die eos visitent, si præmissa non adimpleverint, aut longius tempus confessorem ex aliqua rationabili causa concessisse constiterit; utque constitutio ipsa, qua alia in concilio Lateranensi sub Innoc. III. super hac re edita innovatur, omnibus innotescat, eam semel in mense in cathedralibus ecclesiis, & ab unoquoque parocho publice inter missarum solemnia legi, ac publicari decernimus.

De poenitentiario.

Episcopi qui in suis cathedralibus ecclesiis poenitentiarium ex Tridentini concilii præscripto instituere omiserunt, ubi id commode fieri poterit, quam primum instituant, eidemque de præbenda primo quoque tempore vacatura provideant.

De extrema unctione.

Extremæ unctionis sacramentum debita cum reverentia præstandum est, & in tuto, & honesto loco, in vasculo argenteo, vel saltem stanneo, juxta facultatem ecclesiæ asservandum, a sacris oleis distinctum; & in pyxide eleganti forma confecta, velo serico superimposito ad infirmos deferendum, & ad illos præsertim inungendos accedere oportet, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur, adhuc tamen quid agant intelligant, & sensu, quantum fieri potest, integro existant, nec alius sacerdos, verba in quibus forma sacramenti consistit, quam ipsemet ungens proferat.

Parochi persuadere studeant ægroto, ut ea fide se ungendum sacerdoti præbeat, qua olim, qui ab apostolis sanandi erant, se ipsos offerre consueverant; & omni studio curent, ut ante extremam unctionem secundum perpetuam ecclesiæ consuetudinem poenitentiæ, & eucharistiæ sacramentum administretur.

Impœnitentibus vero, & his, qui cum notorii peccatores essent, vel ab ecclesia alieni, nullum poenitentiæ signum emiserint sacram hanc unctionem ex sacrorum canonum dispositione negandum esse non ambigitur.

Volumus insuper, ut episcopi omnes, & singulos suæ curæ commissos commoneant, & a parochis commoneri faciant, illisque mandent, ne graviter turbent ægrotantes, vel morientes, aut in mortis articulo constitutos vanis, ac sæcularibus commemorationibus, seu luctibus importunis; cum satis superque iis obesse possit, quod per se humani generis hostis, & insidiator diabolus tunc molitur; callidissimus enim serpens nullo unquam tempore Christifideles gravius oppugnare solet, quam cum ex hac vita migrandum est. Quare nec morituris hujusmodi sunt tentamenta paranda, sed adversus illa pia potius suffragia, & adiumenta ferantur.

De ordine.

Minores, & sacri ordines iis tantum conferantur, qui ea ætate, vita, scientia, & omnibus præditi sunt, prout sac. Tridentini concilii decreta expostulant, quæ decreta omnia episcopi diligenter observent.

Non solum regulares, sed etiam sæculares clerici, quamvis ab eorum ordinariis fuerint approbati, eorumque litteras dimissorias præsentaverint, nonnisi ab episcopo ordinante examinati, & approbati ordinentur.

Episcopus autem curet, quod liber conficiatur, in quo omnes ordinati describantur, & liber in archivio episcopali conservetur.

De matrimonio.

In contrahendis matrimoniis in primis populus instruatur, ut hoc magnum ecclesiæ catholicæ sacramentum summa pietate ac maxima devotione celebrent, deinde episcopi observari faciant ea omnia, quæ a sancta Tridentina synodo pro reformatione matrimonii statuta fuere, & præsertim ut a parocho materna lingua bis, vel ter singulis annis in ecclesia inter missarum solemnia decretum de matrimoniis clandestinis divulgetur, ac publicetur. Qui autem, contra hæc fecerint omnia, tam sæculares, quam regulares per tres menses suspendantur, quæ poenæ contra sæculares etiam arbitrio episcopi augeri possint.

Habeat parochus librum, illumque penes se diligenter asservet, in quo conjugum, & testium nomina, & cognomi-

ANNO CHRISTI 1579.

na, diem, menſem, & annum, & locum contracti matrimonii deſcribat.

Sponſalia pro verba de futuro contracta mutuo conſenſu partium poſthac non diſſolvantur cum altera contrahendo, niſi prius decreto judicis prima ſponſalia ſoluta fuerint.

Qui contrafecerit, poenas ab epiſcopis imponendas incurrat.

Epiſcopi, quos in gradibus a jure prohibitis matrimonia contraxiſſe repererint, eos ſtatim a cohabitatione ſeparent, & de perſonarum ita conjunctorum qualitatibus, ſi ante, vel poſt confirmationem concilii Tridentini, quæve fuerint matrimonia contracta proceſſus conficiat, illoſque ad SS. Dominum noſtrum tranſmittat, ut a ſummo pontifice ſtatuendum ſit, quid agendum erit, ſi cum his diſpenſatum eſſe judicatum fuerit, an potius aliquam pro modo culpæ poenam ſubire debeant; & ſi ſeparari recuſaverint, pro excommunicatis publicentur.

Declarent parochi nuptias, vel nuptiarum ſolemnia ab adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti, uſque in diem epiphaniæ, & a feria quarta cinerum, uſque ad octavam paſchatis incluſive ſolum eſſe prohibita; in aliis vero temporibus poſſe ſolemniter celebrari.

De monialibus.

Quo ad monialium reformationem, tutelam, & curam pertinet, abunde Tridentinæ ſynodi ſtatutis, & præſertim ſeſſ. rec. Pii V., ac SS. Domini noſtri Gregorii XIII. conſtitutionibus procuratum videtur. Quare epiſcopi ad effugiendum obteſtationem divini judicii, & interminationem maledictionis æternæ, qua maxima poſſunt diligentia clauſuram in omnibus monaſteriis, inviolabiliter obſervari procurent, monialeſque in viam domini omni ſtudio ac vigilantia dirigant, faciantque obſervari ea omnia, quæ in dictis conſtitutionibus ſancita fuere.

Necnon ut omnes ad regulæ normam, quam profeſſæ ſunt, vitam inſtruant, & componant; atque in primis ad ea, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem pertinent, ut obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, atque ſi quæ ſunt alia alicujus regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præſentia ad eorum reſpective eſſentiam, necnon ad communem vitam, & veſtitum conſervandum pertinentia fideliter obſervent.

Nullus ſive ſæcularis, ſive regularis ſacerdos in monialium eccleſiis, Ordinariis ſubjectis miſſas, aut alia divina officia celebrare præſumat ſine mandato, & licentia epiſcopi ſub poena ſuſpenſionis a divinis per annum, & aliis arbitrio poenis imponendis. In ipſis porro officiis celebrandis, etiam in diebus feſtivis ſuarum eccleſiarum, nec ſacerdotes, nec alii cantu figurato, ſed plano tantum utantur.

Sub eadem etiam poena eiſdem ſimiliter præcipitur, & mandatur, ne aſſiſtentes phyſicos, chirurgos, piſtores, molendinarios, procuratores, fabros, famulos, & famulas, vel quamcumque aliam perſonam cujuſcumque conditionis, ſtatus, ætatis & ſexus exiterint in ſuis monaſteriis admittant, niſi prius ab ordinario approbati, et per mandatum ſigillo munitum permiſſi fuerint, & approbati; ac licentia obtenta caveant tam moniales, quam ipſi ne ingrediantur ſepta monaſterii, niſi neceſſitatis, & officii eorum cauſa: Quia, ſi contrafecerint, & licentia abuſi fuerint, incidunt in excommunicationem reſervatam ſummo pontifici: ipſi quoque aſſiſtentes electi ab epiſcopo approbentur, & non aliter, niſi approbati eorum exequantur officium.

Confeſſores ſepta monaſterii non ingrediantur, niſi a duabus ex antiquioribus aſſociati, & ſacramenta miniſtrandi gratia, vel ex alia rationabili, & evidenti cauſa, ſuperpelliceo & ſtola induti; alioquin ſi ſine mandato, & licentia epiſcopi, vel ſuperioris in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis poena ipſo facto incurrenda, & alia arbitro epiſcopi. Dare autem tantum epiſcopus, vel ſuperior licentiam debet in caſibus neceſſariis.

Cum jubeat ſancta ſynodus Tridentina, ne plures recipiantur in monaſteriis, quam per redditus annuos, vel conſuetarum eleemoſynarum quantitatem ſuſtentari commode poſſint; epiſcopi juxta formam litterarum SS. Domini noſtri Gregorii XIII. ſtatuant, quis numerus cuique monaſterio conveniat, ultra excedi non poſſit.

Nulla ad profeſſionem faciendam admittatur, priuſquam ſecum attulerit, unde commode vivere poſſit.

Inconſulto, & non permittente epiſcopo, nulla recipiatur; aliter præfectæ puniantur prout, epiſcopo videbitur.

Feneſtrella, ex qua moniales ſanctiſſimam euchariſtiam ſuſcipiunt, ea tantum de cauſa aperiatur, & ſub poena excommunicationis latæ ſententiæ prohibeatur, ne ad illam feneſtrellam cum aliqua perſona cujuſcumque conditionis exiſtat, moniales colloquantur, cujus feneſtrellæ clavis per deputatum ab epiſcopo conſervetur.

Feneſtrella autem, ubi eſt colloquendum ſit cancellata, & ferrea lamina, quæ moveri non poſſit, munita, quæ tamen ſit perforata, & tela, quæ moveri non poſſit obducta; in ea lamina fiat feneſtrella, quæ tantum monialibus parentibus aperiatur, cæteris vero nequaquam, & iis parentibus cum licentia epiſcopi.

Bizochæ, quæ ſuſcepto alicujus religionis habitu in propriis domibus, ſeu parentum habitando vitam deducunt, habitum talem deferant, quo facile a monialibus profeſſis, & clauſtralibus diſcerni poſſint, ne dum extra clauſtra per civitates, & oppida conſpiciuntur, moniales profeſſas, & clauſtrales eſſe maximo cum ſcandalo ab aliquibus judicentur: nec de cætero mulier aliqua ſub prætextu cujuſlibet voti, ſeu quod alicui eccleſiæ, vel religioni oblata, & addicta ſit, habitum monialium inconſulto epiſcopo ſuſcipiat.

De

ANNO CHRISTI 79.

De reformatione græcorum, eorumque erroribus tollendis.

Cum a ſancta apoſtolica eccleſia, & ſede, tam clerici, quam laici græco ritu viventes ordinariorum viſitationi, correctioni, jurisdictioni, & omnimodæ ſuperioritati ſubiiciantur, eorumque cura ordinariis commiſſa fuerit; neceſſarium eſſe duximus, eos negligi non debere. Propterea epiſcopi in quorum diœceſibus Græci ipſi, aut vulgo Abbanenſes appellati, verſantur, & habitant, quantum in domino poſſumus, commonemus; ut eoſdem per ſe ipſos vel alios idoneos deputandos, quam citius fieri poterit, viſitent, ſeu viſitari curent, & mandent, ut quæ laudabilia in eis reperiantur, augeantur; quæ vero correctione digna ſunt, juxta conſtitutionem fel. rec. Pii Papæ IV. ſuper hoc editam corrigantur, & ſi quæ nobiſcum communicanda ſunt, communicentur.

Inter cætera diligenter exquirant, an aliqui ſint, qui a veritate & a catholica fide deviantes Spiritum Sanctum a patre tantum procedere pertinaciter credant, eoſque doceant proceſſionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio, et in illos qui in hoc errore perſiſtere videantur, ſevere procedant. *

Eos Purgatorii veritatem juxta orthodoxam fidem, & eccleſiæ catholicæ doctrinam, ac decreta œcumenicorum generalium conciliorum Florentini, & Tridentini frequenter doceant, et a parochis aliiſque verbi Dei concionatoribus ſufficienter doceri faciant.

Curent etiam, ut teneant ſanctam, & Apoſtolicam Sedem, & Romanum pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem, ac doctorem exiſtere, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam majeſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum conciliorum, & in ſacris canonibus continetur; utque ſacerdotes in eorum miſſis pro Summo pontifice Romano, & pro epiſcopo in cujus dioeceſi commorantur, orent.

Græcos ipſos de indulgentiarum vi, & in catholica uſu erudiant, & pro ipſorum eccleſiis illas impetrent, vel quas authoritate propria concedere poſſunt, largiantur.

Utque eccleſiaſticas cenſuras illi poſthac timere aſſueſcant, opportuna remedia, vel poenæ comminationem adhibeant, & feſtivitates ab eccleſia, & a ſanctis Patribus præceptas ſeu, ab ipſis ordinariis promulgandas ultra illas, quas Græci ritus approbati eis injungunt, omnino obſervari faciant.

Contra non obſervantes ſevere animadvertentes, ne dum Latini in obſervatione ſunt, Græci cum ſcandalo operibus ſervilibus incumbant.

Videant etiam, an ii quibus animarum cura commiſſa fuerit, doctrinam Chriſtianam catholice, maxime parvulos ſedulo doceant, & infirmorum confeſſionibus invigilent.

Provideant, ne ſacerdotes in Baptiſmi miniſterio alio oleo ſancto alioque chriſmate utantur, quam quod ab epiſcopo eo anno benedictum fuerit; eoſque moneant, ut cum ſacramenti confirmationis ſolus epiſcopus ordinarius ſit miniſter, parvulos ſacro Chriſmatis oleo, non in fronte conſignent, ſed in vertice capitis baptiſmi tempore inungant; ipſum vero baptiſma quam primum infantibus conferre non differant.

Omnes, tam clericos, quam laicos, qui confirmationis Sacramentum non ſuſceperint, in viſitatione ipſa, aut alio congruo tempore confirmandos curabunt pueros, adultos vero jejunos, & devote confeſſos.

Illos etiam doceant parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem, & in eos qui de neceſſitate ſalutis id fieri falſo aſſerunt, juxta ſæpe memorati Tridentini concilii decretum ſevere animadvertant.

Sacerdotes Ss. euchariſtiæ Sacramentum pro infirmis, non ita, ut hactenus immunde conficiant; miſcentes corpus cum ſanguine, & iterum formando buccellam; ſed illum ſub panis ſpecie cum decore, ac debita cautela aſſervatum, octavo ſaltem quoque die renovent, & ad infirmos honorifice deferant.

Laicos non niſi præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacræ Euchariſtiæ communionem admittant & ſub ſpecie panis tantum.

Inſuper tam ipſi, quam diaconi, ſubdiaconi, ceterique clerici, qui ad id obnoxios ſe eſſe ſciunt juxta ritum Græcum a ſanctis Patribus inſtitutum, officium ſingulis diebus recitare non prætermittant, ſub poenis per canonicas ſanctiones conſtitutis iis, qui divinum officium non dixerunt, & aliis juxta declarationem piæ mem. Pii Papæ Quinti ſuper hoc editam incurrendis.

Dominicis, & feſtis diebus omnibus ſuper poena epiſcoporum arbitrio imponenda, confeſſione prævia miſſam celebrare procurent; clerici vero, & in ſacris ordinibus conſtituti ſaltem ſemel in menſe communicent.

Altaria portabilia epiſcoporum benedictione communicant, & corporalia, & pallas mundas habeant.

Sed ne Latini, illi præſertim, qui ſimplices ſunt Græcis permixti, in eorum ritum inducantur; curent epiſcopi, ut tam latini quam Græci non niſi in ſuis quique eccleſiis proprio ritu utentes celebrare, vel ſacramentum Euchariſtiæ ſuis miniſtrare præſumant.

ANNO CHRISTI 1579.

* Cur non præcipitur parochis ut ſicut Græcorum ſententiam de proceſſione S. Spiritus exquirunt, ita etiam inveſtigent quid illi ſentiant de reali Chriſti præſentia in Euchariſtia? Profecto ne ambigebant quidem ſynodi hujus patres de hoc dogmate recta illos ſentire. Videant ergo heterodoxi, num aliter de Græcis ejus ætatis aſſerentes, fallantur. *Manſi.*

ANNO CHRISTI 1579.

Constitutione, tel. recor. Pii Papæ Quinti, qua fanitates concessæ Græcis Latino, & Latinis Græco ritu missas, & alia divina officia celebrandi revocantur, ab eisdem Græcis servari mandent, & tam Græcos, quam Latinos in suis propriis ecclesiis juxta uniuscujusque morem suo muneri satisfacere, condignis poenis propositis præcipiant.

Mandent omnino etiam, ut nullus post hac ab alio, quam a suo episcopo, vel eo impedito de licentia ipsius a catholico antistite a S. Romana ecclesia gratiam, & communionem habente, ecclesiasticos ordines suscipiat.

Matrimonia sancta, ut decet, sine aliqua superstitione, & abusu, & non inter conjunctas personas, sed tribus in ecclesia præcedentibus monitionibus celebrari procurent; utque ad præmissorum integram observationem nullatenus abeant, decreta sacrosancti concilii Tridenti de hac re Græco idiomate fideliter versa, illis tradant; quæ si postmodum observare neglexerint, juxta sacros canones, & ejusdem concilii præscriptum adversus contrafacientes severe procedant.

Provideant ne Græci secundas, & tertias, ac ulteriores etiam nuptias reprehendant aliquatenus, nec condemnent, sed illas inter personas, quæ alias licite ad invicem matrimonio jungi possunt, approbare compellant, dicente Apostolo: *Mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, & nubendi cui vult liberam habet potestatem.*

Optat etiam ipsa synodus Græcos præsbyteros commonendos, atque cogendos fore, ut statim post feriam quintam in Coena Domini ad episcopum, in cujus diœcesi morantur accedant, ad devote suscipiendum sanctum chrisma, oleum cathechumenorum, & infirmorum.

Vascilla habeant saltem stamnea, in quibus dicta olea decenter afferent.

Infirmos oleo infirmorum, quod catholica ecclesia, ex Christi Domini nostri instituto apostolica traditione didicit, & extremam unctionem proprie appellat, dum in exitu vitæ constituti videntur, inungant, ac etiam non petentibus, præsertim cum periculose ægrotant, pie, & religiose conferant.

Aquam etiam benedictam singulis Dominicis diebus, eamque præ foribus ecclesiarum teneant.

Ecclesias etiam habeant mundas cum pavimentis, vestes aliaque paramenta decentia cum cæmeteriis pro sepeliendis mortuis, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, sanctumque chrisma, oleaque sancta, fontemque baptismalem ita reverenter, & decenter conservent, prout in Latinorum ecclesiis statutum est.

Postremo curent episcopi, ut a Græcis, qui in locis suis incolatum habent, quæ ab ipsis, tam in baptismi, & confirmationis, quam in extremæ unctionis aliisque ecclesiæ sacramentis administrandis præcipiuntur inviolabiliter observentur, & in transgressores ipsorum arbitrio animadvertant.

ANNO CHRISTI 1579

SESSIO TERTIA

Celebrata die 14. mensi maji 1579.

De sacrosanctis ecclesiis, & earum cultu, & veneratione.

CUm Dei domum deceat sanctitudo; propterea ad ecclesiam sit humilis, & devotus ingressus, quieta conversatio, & omnes devotis orationibus insistant, & genibus flexis sanctissimum sacramentum adorent, ad nomen Jesu Christi Domini nostri cum exhibitione reverentiæ caput inclinent, & nemini liceat, dum sanctissima ac tremenda Missæ mysteria peraguntur, verbum Dei annunciatur, & horæ canonicæ recitantur, in ecclesiis spatiari & deambulare, risus, cachinnationes, & colloquia mala, alios subinde strepitus indecenter facere: neque eo tempore capitula cathedralium, aut collegiatarum ecclesiarum congregari.

Caveant etiam omnes ne ita stent in ecclesiis, ut ex adverso sanctissimi corporis Christi sedeant, ut reverentiæ, quæ sacrosanctæ Eucharistiæ sacramento debetur, aliqua injuria fiat.

Nemo ad tractanda profana negocia in illis conveniat; non judicia exerceantur, non cum mulieribus suspectis colloquia habeantur: non convocationes, parlamenta, commessationes, aut potationes fiant. Nihil in porticis, seu vestibulis, aut scalis venale exponatur.

Baliste, sclopeta, aut hastata arma in ecclesiis non deferantur, nec etiam canes venatici, vel aves.

Et ne clerici dum divinis incumbunt ab aliquo impediantur, curent episcopi ut loca clericorum usui destinata a laicis non occupentur, sed seorsum a clericis omnino divinis interfint, nec chorum ad psallendum institutum occupent.

Expletisque sacris a mane, & a prandio, & completorio a janitore ecclesia claudatur.

Qui superbe, & contumaciter supradictis parere noluerint, cujuscumque qualitatis & dignitatis, etiam regulares, præter poenas in bulla sanctissimi Pii V. sancitas, pro modo culpæ ab episcopis gravissime puniantur.

Optamus, ut ecclesia nulla sit, quæ sanctissimi Crucifixi imaginem non habeat loco conspicuo inter altare majus & populum, sed eo ornatiorem, quo ecclesia ipsa erit insignior. In ecclesiis vero minoribus (ubi id commode fieri non poterit) relinquitur ordinarii arbitrio.

Ecclesiæ parochiales, quæ aliqua reparatione indigent, reparentur ab his, qui de jure, & consuetudine dioecesis tenentur.

Ecclesias vero non consecratas, seu non curatas ferme collapsas episcopi instaurandas curent, juxta sacrorum canonum dispositionem, & sacri concilii Tridentini formam, ibidem oratoria erigendo, vel si non videbitur expedire in alias transferant ecclesias, vel ibi sub titulis sanctorum, seu sanctarum, quibus antea ecclesiæ dicatæ erant, altaria construantur, & pro reddi-

tuum

ANNO CHRISTI 1579.

tuum qualitate divinus cultus instituatur; ita tamen ut in area diruta ecclesiæ signum Crucis erectum semper appareat.

Sint ecclesiæ prædictæ dealbatæ: parietibusque nihil immundum, aut profanum adhæreat, ne sacra profanis misceantur. Tectum non sit pluviosum, pavimentum sit integrum, & non deformetur pro sepeliendis mortuis: fenestræ habeant specularia sua saltem linea, & prospicientes in ecclesiam tollantur sub poena arbitrio episcopi proponenda.

Altaria sint lapidea, aut lateritia ita extructa, aut concinnata, ut fenestrella foramenve nulla ex parte relinquatur, ubi quidquam asservari posset, aut recondi, & sint altitudinis a scabello ligneo, vel pradella palmorum trium, & duorum, longitudinis vero ad minus palmorum sex, latitudinis autem palmorum trium.

Et habeat unumquodque altare iconam, vel saltem picturam in pariete, Crucem, candelabra duo, chartulam cum secretis, petram sacratam, quæ sint ita lata, ut calicem cum hostia capiat, tobaleas tres, quarum una ad planum usque pertingat, aliæ duæ quæ divisæ sint, totam mensam contegant; totidem tobaleæ de tela esse debent a pulvere defendendas, telare ligneum, ubi pallium possit commode affigi. Scabellum ligneum, vulgo bradellam, tegmen ex asseribus, aut tela cerulea honeste picta confectum, totum altare tegat. Fenestellam in pariete a parte epistolæ apte constructam, ad aquam excipiendam ablutionis manuum sacerdotis celebrantis, & ad pelvim cum urceolis collocandum; habeant calices & alia instrumenta, paramenta, & ornamenta congrua ad missam celebrandam.

Locus corruptus.

Neque ullum altare in posterum ædificetur, cui quicquam desit ex suprascriptis requisitis, ac sine licentia episcopi in scriptis habita; & constituta altaria, si dotata sint per eorum rectores, tam in temporalibus, quam in spiritualibus episcopi curent, ne aliquid usurpetur. Indotata vero, vel his, a quibus erecta fuerint instaurari, ac exornari juxta præscriptam formam, vel amoveri curent.

Unumquodque altare amoveatur, quod ædificatum sit ad columnam, vel pilam, vel ecclesiam ullo modo impediat, vel plane non respondeat, aut respondere possit formis, & regulis suprascriptis, si tamen episcopo in actu visitationis videbitur id commode, & sine scandalo fieri posse.

Sacristia habeat vestiarium ad paramenta, & reliqua conservanda, oratorium loco positum, quantum fieri poterit separatum, ac disjunctum, in quo sacerdos in solitudine se colligere, & orare possit, & ad ipsum oratorium in pariete orationes ad id propriæ affixæ sint, labellum cum manutergio ad manus abluendas & abstergendas ante, & post missæ celebrationem; chartulam cum orationibus sacro unicuique indumento accommodatis, quas attente recitet sacerdos cum sacras ipsas vestes induit, & exuit.

Confessionalia tot habeat unaquæque ecclesia etiam regularium, quot habet confessores, & ponantur in locis conspicuis & apertis, ut sint in omnium oculis collocata, & confessarius, & confitens possit ab unoquoque facile conspici, sitque cum tambula interposita, quæ habeat fenestellam cancellatam, ut pœnitens audiri, sed videri non possit. In quibus confessionalibus affixi sint casus reservati tam summo Pontifici, quam episcopo, una cum forma absolutionis.

ANNO CHRISTI 1579.

Vas cum aqua benedicta in ecclesia sit, non extra, & in ingressu ad unamquamque portam, a dextris non a sinistris introeuntium; marmore constet, vel petra solida non lateritia, columnella, vel alia base suffultum sit. Aspersorium habeat appensum non ex spongia, sed ex setis confectum.

Sepulcra marmore, vel petra solida contecta sint, duplici, vel saltem unica, ita apte utique, atque compresse, ut inde malus odor exire nullo modo possit; alioquin humo impleantur adæquato solo, & nullus in eo amplius sepeliatur; sepulcrorum ipsorum in posterum ædificandorum ostium longe absit ab altaris scabello ligneo, vel pradella ad minus palmis quatuor. Verum episcopi curent omni ratione, ut antiquus, & probatissimus sepeliendi in cæmeteriis mos restituatur; neque sepulchra nova in ecclesiis ædificentur absque licentia in scriptis obtenta.

Cæmeteria vero ita claudantur, ut in ea orutis impediatur accessus, ac ab herbis tertio quoque mense expurgentur, & in eis arbores, aut vites non plantentur, & si adsint, extirpentur.

Episcopi prædicta omnia pœnis, eorum arbitrio imponendis observari faciant.

Campanæ deservire habeant ad convocandum populum in ecclesia, et clerum, ad annunciandum mane misericordiam Domini, & veritatem ejus per noctem, & annunciandum prædicationem, ad demonstrandumque aliquem esse mortuum, ad hoc ut populus audiat, & pro eo oret, & benedicatur, ut per illarum tactum, & sonitum fideles invicem invitentur ad præmium, & crescat in eis devotio fidei; fruges, mentes, & corpora serventur, & omnes insidiæ inimici procul pellantur, procella turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum temperentur, infestaque tonitrua, & ventorum flamina suspendantur; spiritus procellarum, & aeris tempestates prosternantur, & ut hæc audientes confugiant ad sanctæ Crucis vexillum, cui omnes genuflectant. Quare principes, & magistratus etiam atque etiam hortari oportet, ut campanis, quæ ecclesiarum usui sunt addictæ, ad profanos usus, & pœnarum significationem, maxime si consecratæ sint, uti non patiantur.

Tridentini concilii hortationes, quibus universis christianis, omnibus populorum dominis ecclesiarum defensionem, & immunitates enixe commendant, quam alte in catholici regis Philippi mente sint, quotidiana catholicæ fidei propugnatio, ac erga ecclesiasticos viros, ac loca pia, atque religiosa veneratio, ac beneficentia locupletissime testantur. Quare nullo pacto dubitandum videtur, quin sibi ipsi constantissimus, ut semper fuit, curaturus sit, ut debitus Dei

ANNO CHRISTI 1579.

cultus, ac ministris, mysteriorumque ejus dispensatoribus legitimus honor exhibeatur, neque permissurus, ut ejus officiales ecclesiasticam jurisdictionem & libertatem, divinis & humanis legibus sancitam, ulla ex parte violent impune, utpote qui obsequentissimus ecclesiæ filius, summorumque pontificum, ac omnium pontificiarum constitutionum, ac decretorum conciliorum observantissimus semper fuit.

De immunitate ecclesiæ.

Vetustissimam ecclesiæ immunitatem jure divino, et humano pontificis, et imperialibus constitutionibus introductam episcopi magnopere illæsam servari curent, ne super eorum regimine, et tuitione princeps provinciarum sub tributo fiat, et prælatorum auctoritas, et jurisdictio minime evacuetur; sed potestatem illam etiam et libertatem, quam Deus, summi Pontifices, imperatores, et reges ecclesiæ tribuerunt, et servaverunt liberam et integram, in eadem remansisse, remanere, ac semper mansura esse noscatur; quod quidem eveniet, si ecclesiarum, et clericorum bona ipsosque clericos, eorumdemque episcoporum familiares, tamquam Dei, et ejus dilectissimæ sponsæ ministros, a vectigalibus, et tributis cæterisque quibuscumque muneribus, et oneribus laicis, et a temporalium judicum jurisdictione, ad quæ sacri canones, et summorum pontificum bullæ non teneri, nec astringi debere præcipiunt, per censuras ecclesiasticas, earumque publicationes exemptos omnino manutenuerint.

Insuper sacros canones, qui ad ecclesiam confugientibus securitatem concedunt, servent, & ab omnibus observari jubeant; nec synodus verendum esse censuit, quin temporales principes, & magistratus, sicuti & fidei protectores, ita & ecclesiarum immunitatum observantissimi semper erunt, nec deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium aliquando esse debere, quam sub Pharaone, qui, & si legis divinæ notitiam non habebat, attamen totam terram Ægypti præter sacerdotum possessiones tributariam sibi fecit.

De episcopi qualitate, & dignitate.

Episcopi ex sacri concilii decreto admoneantur, ut se pastores non percussores esse meminerint, & ita præesse subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tamquam filios, & fratres ament, elaborentque, ut hortando, et monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint debitis eos poenis coercere cogantur. Quos tamen si quod pro humana fragilitate peccari contigerit, illa Apostoli eis est servanda præceptio, ut illos obsecrent, increpent in omni bonitate, et patientia; cum plus erga corrigentes agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem jurgio opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conservetur, & qui correcti fuerint emendentur, aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur; cum sit diligentis, & pii simul pastoris officium morbis omnium levia primum adhibere fomenta; post ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora & graviora remedia descendere; sin autem ne ea quidem proficiant, illis submotis, cæteras saltem oves contagionis periculo liberare.

Subditi vero ita episcopos tractent, ut nullum obsequii genus erga illos prætermittant, quod ad eorum dignitatem tuendam pertineat; reverentiam omnem, atque obedientiam illis exhibentes ac deferentes; eorum præceptis & monitionibus obtemperent, & acquiescant, veluti parentes eosdem vereantur & ament; illis non detrahant, sed subditos sese ad propriam eorum salutem semper agnoscant.

Principes, ac magistratus synodus hortatur, ut eos debita reverentia prosequantur.

Meminerintque episcopi, quod valde populos ædificat, & ad religionem excitat, si sæpe publice, quam sæpissime privatim, festis præsertim diebus, missæ sacrificium celebrent, ac divinis intersint.

Studeantque in eorum ecclesia, ut omnia rite, atque ea qua decet majestate, ac pietate peragantur.

Domesticorumque præcipuam, atque singularem curam habeant, & ita familiares suos instruant, & informent, ut ab impudicitiis, maledicentiis, ac vitiis demum omnibus abstineant, sicut decet ministros mysteriorum Dei.

Habeantque curam miserabilium personarum, sicuti ad eos spectat, ut proprie pauperum patres dici possint, & in animo & cogitatione sit illis perpetuo infixum, quod de mala bonorum ecclesiæ administratione gravissimum sit in die domini judicium faciendum.

De funere episcopi.

Capitulum admonemus, eidemque hoc munus injungimus, ut cum primum ecclesia vacaverit, viciniorem episcopum, qui pium sanctorum Patrum institutum jamdiu intermissum revocando, statim (si impeditus non fuerit) ad concelebrandas exequias episcopi mortui vocatus accedat, & ea officia solemni more præster, quæ tali tempore requiruntur.

Viciniores episcopi de præsulis obitu ab eodem capitulo certiores fiant, qui missarum sacrificiis, orationum studio, aliis piis operibus & suffragiis defuncti animam juvare curabunt.

Anniversarium, seu commemorationem mortui episcopi singulis annis in cathedrali ecclesia, quando proximus ejus successor in episcopatu vixerit, faciendam esse præcipimus; idem in omnibus similiter ecclesiis rectorum, & beneficiatorum viventis sumptibus observari mandamus.

Ejusdem capituli onus erit, ut juxta Triden-

ANNO CHRISTI 1579.

dentini concilii decretum ſupplicationes & preces publice puratimque habeantur, & per civitatem, & dioeceſim quoque indicentur, ut clerus, populusque bonum a Deo paſtorem impetrare valeat.

Forma præſcribenda examinis, inquiſitionis de epiſcopo promovendo ad cathedralem eccleſiam.

Quoniam qui ad cathedrales eccleſias erit aſſumendus aliiſque præeſt, ea natalium, ætatis, vitæ, morum, & ſcientiæ excellentia, atque aliarum omnium qualitatum, quas ſacri canones, & ipſa Tridentina ſynodus poſtulat fulgere, ac præditus eſſe debet, ut non ſolum præeſſe, ſed prodeſſe ſciat; merito ſancta Tridentina ſynodus præcipit exactiſſimam de qualitatibus præficiendorum cathedralibus eccleſiis inquiſitionem eſſe faciendam, & ejus inquiſitionis, & examinationis formam in concilio Provinciali eſſe præſcribendam. Idcirco, ut ſacri concilii Tridentini monitis obtemperet hæc ſynodus, infraſcriptam examinis formulam pro aſſumendis ad cathedrales a S. D. N. comprobandam præſcribit; videlicet.

An legitimis natalibus, & ex catholicis parentibus ortus, ubi, a quibus, & quomodo fuerit educatus. An annorum triginta ſit. Quæ converſatio, vita, & fama ejus a pluribus annis fuerit. An infamia unquam notatus, vel de aliquo crimine inquiſitus, vel ſuſpectus. An bigamus, vel apoſtata; an publicam poenitentiam egerit; an ſanæ mentis, timoratequæ conſcientiæ, domique ſuæ bene præpoſitus. Item quam modeſtiam, prudentiam, ſobrietatem, continentiam, & alias virtutes in ſuis actionibus oſtenderit. A quo tempore ſit ſacris ordinibus initiatus, & an in eis per ſex menſes ſaltem antea ſit conſtitutus; an ſit denique ejuſmodi moribus, & virtutibus ornatus, ut in eccleſia Dei non immerito præſul eſſe poſſit.

Scientia præter hæc ejuſmodi polleat, ut muneris ſibi injungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere. Ideo inquiratur an ſit in univerſitate ſtudiorum magiſter, ſive doctor; aut licentiatus in ſac. Theologia, vel jure canonico merito promotus, aut publico alicujus academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur.

Quibus peractis, ac probatis omnibus ſupraſcriptis per quinque ſaltem teſtes omni exceptione majores, ad fidei profeſſionem admittatur, atque omnia a notario in inſtrumentum publicum relata, & ab epiſcopo obligata ad ſummum pontificem fideliter traſmittantur.

De dignitatibus, & canonicis.

Cum dignitates in eccleſiis præſertim cathedralibus ad conſervandam augendamque eccleſiaſticam diſciplinam fuerint inſtitutæ, ut qui eas obtinuerint pietate præcellerent, aliiſque exemplo eſſent, atque epiſcopos opera, & officio juvarent; merito qui ad eas vocantur tales eſſe debent, qui ſuo muneri reſpondere poſſint; quare epiſcopi ſummopere ſtudeant, ut ad dignitates, & canonicatus ii aſſumantur, qui epiſcopos opera, & officio juvare valeant, & ea morum integritate, doctrina, & vitæ exemplo ſint præditi, ut merito eorum cœtus eccleſiarum ſenatus dici poſſit.

Expedit etiam maxime, ut cathedralis eccleſiæ, dignitates, & canonici omnes dominicis diebus, & aliis quam ſæpiſſime miſſæ publice in dicta eccleſia celebrent; ideo epiſcopi curent, ut conſtituatur a dignitatibus, & canonicis hebdomadarius, qui diebus Dominicis, & feſtis duplicibus miſſam & veſpera canat, cui octavo die alius ſuccedat ejuſdem ordinis; nec liceat eis ab hoc inſtituto recedere (quacumque conſuetudine etiam immemorabili non obſtante) ſub ſuſpenſionis aliiſque arbitrio epiſcopi poenis infligendis; ſalvis tamen conſuetudinibus, in quibus iidem publice, & frequenter celebrare tenentur, ac prærogatione conceſſa dignitatibus de celebrando miſſas epiſcopales, epiſcopo impedito. Reliqui vero canonici, & dignitates decoro cantu antiphonas exordiantur, quas manſionarius, vel alius dixerit.

Omnes ſtatis horis ſemper, & attente adſint officiis; non tunc vagentur per eccleſiam, neve a choro diſcedant, niſi precibus abſolutis, aut aliqua compulſi neceſſitate, ex licentia tamen vicarii generalis, ſi præſens fuerit, vel ejus qui choro præeſt.

In choro propriis quiſque ſellis conſideat, concordi voce pſallant, ſimul omnes debitis opportunitatibus aſſurgant, ſedeant, genuflectant, capita detegant, & nihil alienum divinis miſceant, privatum officium non recitent, literas non legant, non obſtrepant, non colloquantur, & exiſtant aliis qualitatibus requiſitis, tam a jure quam a concilio Tridentino ornati, ad hoc ut alii eorum exemplo ad ſtudium, & amorem divini cultus accendantur. Si aliqui vero in his offenderint, quas percepturi eſſent, diſtributionibus careant, aliterque pro culpæ gravitate corripiantur.

Omneſque dignitates, & canonici in choro, proceſſionibus, funeralibus, omnibuſque aliis eccleſiaſticis ſanctionibus in habitu ſe conforment; contrafacientes vero illius diei diſtributionibus careant, ac etiam epiſcopi arbitrio puniantur.

De præfecto chori, ſeu cantore.

Cantor qui choro præſidet vigilet diligenter, ne quid prætermittatur in divini officii inſtitutione, vel progreſſione, vel in reliquis, quæ ad probatam rationem chori pertinent, & aliis, quæ in divinis officiis obeundis ſunt neceſſaria; neve abſurde, indecore, vel præpoſtere quicquam fiat. Si qui ſuo officio non ſatisfaciant, eos graviter, & amanter objurget. Si non reſipuerint, jubeat punctatorem in libro illos deſcribere, & ad epiſcopos deferre, ad hoc ut dignas pendant poenas.

ANNO CHRISTI 1579

De

ANNO CHRISTI 1579.

De magiſtro chori

Succentor, ſeu magiſter chori, qui divinis officiis celebrandis tamquam magiſter eſt, denunciet officium, ſimplex vel ſolemne celebrandum, quando de Dominica, de feſto, vel de feria; quæ antiphonæ, orationes, pſalmi, lectiones recitandæ aut canendæ; tabellam in Sacriſtia affigendam una cum cantore conficiat, in qua præſcribatur quid a ſingulis dignitatibus, canonicis, vel aliis beneficiatis in ſingulis horis per hebdomadam, aut etiam per plures dies recitandum, & cantandum ſit; qui quo tempore, & ordine miſſam celebrare, vel horas dicere, vel alia munera obire debeant. Qui autem quod ei in tabella præſcriptum fuerit, in quam horam peccaverit omiſerit, ejus diſtributiones amittat, ſi ſuccentor deliquerit, a cantore puniatur.

De Sacriſta.

Sacriſta habeat in ſacriſtia tres tabellas, unam in qua omnes miſſæ, & officia pro mortuis, & reliqua deſcripta ſint, quæ ex impoſito onere ac munere quacumque de cauſa in eccleſia celebrare oporteat; alteram in qua uniuſcujuſque dignitatis, canonicatus, præbendæ, capellæ, altaris, ſeu alterius beneficii, & officii ejus eccleſiæ in miſſis, & aliis divinis officiis obeundis debita munera contineantur; tertiam quam ſupradiximus a ſuccentore conficiendam eſſe, & non permittat eccleſiam defraudari debito miſſarum munere; ſed pro viribus curet, quod omnes ſuas miſſas ſuis ſtatutis diebus, & horis ad altaria ſua celebrent, & quæ in dictis tribus tabulis præſcripta ſunt munera, curet a quibus debent omnino præſtentur, negligentes epiſcopo aut vicario denunciando.

Non permittat, quod ſacerdotes celebraturi plures duobus apparati maneant pro vice in ſacriſtia; ſed cum opus fuerit, per ſe vel alium vocet celebraturum ſacerdotem, & nemini permittat, ut ſacris veſtibus induatur, niſi tunc cum ei miſſa celebranda ſit.

Item caveat, quod ſæpius in anno omnia linea paramenta munda fiant; calices, patenas, & corporalia cum pallio & ſuis manutergiis munda, & candida teneat.

Quando celebrandum erit in aliquo altari, per clericos deputatos, ampullas præparatas, quæ ex vitro ſint, cum vino, & aqua limpida, luminariaque portare faciat; cæteraque e ſacriſtia ad divina officia neceſſaria præparet.

Altare majus, & alia, præcipue diebus feſtivis decenter ornet. Hora congrua ipſe vel alius per campanæ ſonum det ſignum matutini, miſſæ, & aliarum horarum canonicarum, ſalutationis Angelicæ & orationis.

Det etiam operam, ut a ſacriſtia ſermones de inanibus profaniſque rebus, multoque magis jurgia, rixæ & turbæ omnes arceantur; laicos ibi verſari non patiatur.

ANNO CHRISTI 1579.

De manſionariis.

Manſionarii, qui ſunt quaſi quædam columnæ totum fere horarum, ac divinorum officiorum pondus ſuſtinentes, munus ſuum accurate obeant, ac quotidie ad omnes horas interſint; & quando oportuerit ad lectorale accedant, ut antiphonas, reſponſoria, gradualia, & alia hujus generis recitent, & decantent; ſolemnibus feſtis diebus, & quoties opus fuerit pluviali induant, niſi alii nominatim huic officio præfecti fuerint. Si muneri ſuo defuerint, illius horæ, in qua non ſatis fecerint, diſtributionibus priventur, & alii illorum officii partem ſuſcipiant.

Idem, ut ſuo muneri ſatisfacere poſſint, ab his oneribus liberentur, quibus ad chori utilitatem magiſtri cæremoniarum, & ejus, qui choro præeſt arbitrio levandi videbuntur.

Neque quo tempore divina officia in choro fiunt, parvam miſſam celebrent, niſi neceſſitas poſtulaverit.

Ex manſionariis prædictis in ſingulas hebdomadas deligantur duo ſacerdotes; alter vero eorum officium ordiatur, & perficiat, conſiſtens in medio chori, vel ad lectorile, quod ab ea parte ſit, ubi is fuerit. Miſſam etiam feſtis diebus ſemiduplicibus ac ferialibus canat, niſi alii ſint ei muneri præpoſiti. Alter pſalmorum tonum inſtituat pro tempore, & antiphonarum, quæque ubi legendæ fuerint ab ipſo tantum, vel ab alio legantur. Diebus vero feſtis in decantandis antiphonis, dignitatibus, & canonicis, ac aliis voce præcat, & quæ cantanda, vel legenda ſint, ipſis indicet. Is antequam officium inchoetur, chorum ingreſſus libros præparet, miſſam, pſalmos, antiphonas, & alia, quæ uſus requiſierit, inveniat.

Manſionarii vero in ſuo munere contumaces, vel negligentes pro modo culpæ diſtributionibus careant.

De punctatore.

Punctator ſingulo quoque anno, vel juxta conſuetudinem eccleſiæ, conſtituatur, cui juramentum deferatur de bene, ac legitime officium ſuum exercendo, ſub dupli, quanti id fuerit, & perjurii poena.

Singulis autem menſibus punctationum librum epiſcopo, & capitulo præſentare teneatur, qui ſi non recte ſe habere fuerit cognitum, negligentiæ ſuæ poenas, dupli ſcilicet, & perjurii dare compellatur.

Et ut hoc officium melius exerceatur, & nemini injuſte remitti, aut adimi poſſit, hæc ſynodus ſtatuit, ut præter electum a capitulo alter punctator ſit, qui ab epiſcopo creetur, iſque apud eum ſupraſcripto juramento præſtito notet omnes altero in libro, qui ſuo muneri defuerint, & ſingulis hebdomadis, ambo inter ſe libros conferant, & ſi diſcrepuerint aliqua in re, coram epiſcopo, vel vicario compareant, ad hoc ut tollatur omnis illorum controverſia ſine ſtrepitu, & figura judicii.

Cætera vero hic non numerata, quæ ad debi-

ANNO CHRISTI 79.

debitum in divinis officiis regimen ſpectant, deque congrua in his canendi, ſeu modulandi ratione, de certa lege conveniendi in choro, ac permanendi, ſimulque de aliis eccleſiæ miniſtris, de quibus in præſentibus nulla fiat mentio, epiſcopi, duobus e capitulo in conſilium vocatis, ex ſacri concilii Tridentini decreto, pro eccleſiæ cujuſque qualitate ſuppleant.

De ſeminario.

Statuit ſynodus, ut ordinarii, ubi in eorum diœceſibus ſeminaria erecta non fuerint, quamprimum, vel ſaltem infra ſex menſes ſeminarium, juxta formam & regulam a Sacroſancta Tridentina ſynodo traditam, erigant; erecta vero manutenebunt.

Quando contigerit unionem alicujus beneficii ſeminario per epiſcopum fieri, per actum publicum manu Notarii ad id rogati & non per bullam epiſcopi, tantum fiat.

SESSIO QUARTA

Celebrata die 16. Maji 1579.

De vita & honeſtate epiſcoporum, & clericorum.

CUM totius familiæ Domini ſtatus, & ordo nutet, ſi quod requiritur in corpore non inveniatur in capite; idcirco hæc ſynodus hortatur epiſcopos, ut quanto cæteris dignitate præcellunt, tanto aliis inferioribus ſingulari vita, & ſanctitate, ac morum probitate præfulgere ſtudeant; præbeantque ſeipſos exempla bonorum operum, ſeque totos ad illam vitæ rationem, domino adjuvante, dirigant, quam illis apoſtolus præſcripſit.

Eorum ſermo, veſtitus, geſtus, ſupellex, nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præſeferent, ita ut irreprehenſibiles, ſobrii, domui ſuæ bene præpoſiti ab omnibus cognosci facile poſſint; quod efficient, ſi ita mores ſuos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Ideo non ſolum modeſta ſupellectili ac menſa, & frugali victu contenti ſint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præſeferant, ac eorum actiones ſint conformes decretis oecumenici Tridentini concilii.

Cum clerici pars domini appellentur, ideo eos decet vitam moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu aliiſque omnibus rebus, nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præſeferant; levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.

Quæ igitur noviſſime poſt multas ſummorum pontificum, ac ſacrorum conciliorum ſanctiones Tridentina ſynodus præcepta innovavit de vita, honeſtate, cultu, & doctrina ab eis comprobanda, & retinenda.

Quæque de luxu, comeſſationibus, choreis, aleæ luſibus, & aliis hujus generis, ac præſertim profanis negotiis evitandis, ut maxime neceſſaria, & eorum ordini conſentanea omnino ſervent; alioquin ſtatutis ab ea poenis, aliisque ſeverioribus, ſi ita epiſcopis videbitur, coerceantur, quarum executionem nulla appellatio ſuſpendat.

Atque ut aliqua ſigillatim exprimantur, cuncti presbyteri diebus dominicis, & feſtis ſolemnibus, ut ſuo muneri ſatisfaciant, miſſas celebrent.

Barbamque omnes e ſuperiori labro ita tonſam geſtent, ut pili in ſacrificio miſſæ Chriſti Domini corpus, & ſanguinem ſumenti nullatenus ſint impedimento. Habitum clericalem, et coronam ſuo ordini congruentem clerici etiam omnes ad quemcumque ordinem promoti, aut quodcumque beneficium eccleſiaſticum cum cura et ſine obtinentes deferant; capitium quadratum, veſtes tam ſuperiores, quam inferiores geſtent talares, ſimplices, et nulla vanitate notandas; in eccleſiis pileis non tegantur; extra vero valetudinis, aut alia juſta cauſa uti poſſint, ſed ſimplicibus, neque aculeatis, aut turbinatis: a ceteris demum hujuſmodi levitatibus ſe abſtineant, quæ ab eccleſiaſtica ſunt diſciplina alienæ. Ad quæ omnia epiſcopi illos ſuspenſione a miniſterii, et fructuum amiſſione, ac beneficiorum privatione, prout expedire judicaverint, omnino poſſint compellere.

Quicumque clerici concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo vel extra non detineant, aut cum illis ullam conſuetudinem habere audeant, alioquin pœnis a ſacris canonibus, vel ſtatutis eccleſiarum impoſitis puniantur. Quod ſi a ſuperioribus moniti non abſtinuerint, adverſus eos juxta ſacri concilii Tridentini decretum, acriter puniatur, et procedatur.

Nemo clericorum implicet ſe negociis ſæcularibus; lites coram judice ſæculari non agitet, nec ſit aliorum negociorum geſtor, aut curator. Tabellionatum, niſi neceſſitatis cauſa, aut mercatorum, præſertim bladorum, vini, & aliorum, quæ ad vitæ annonam ſpectant, non exerceat; non artem medendi faciat, non aliena prædia lucri cauſa conducat, non pro aliis fidejubeat, non agriculturam, niſi pro eorum victu, non venationem, aut aliam turpem artem exerceat; contractus uſurarios vitet, publicis & profanis ſpectaculis, comœdiis, choreis non interſit, per civitatem perſonatus, ac debacchatus non incedat; taxillis, teſſeris, pagellarum luſu, aut alio quocumque ludi genere ſacris canonibus improbato penitus abſtineat, arma offenſibilia, ſive ſecreto, ſive palam non deferat, & præſertim pugiones, & ſclopeta parva, quæ ſi qui deferre deprehenſi fuerint, carceris poenam per annum ſubeant; nocturno tempore ſine legitima cauſa, et lumine non vagetur, foedaque, et ſcurrilia verba non proferat, et operam non det ebrietati. Cauponarias, ſeu tabernas non frequentet, nec ad eas accedat niſi neceſſitatis cauſa.

ANNO CHRISTI 1579.

Omnia

ANNO CHRISTI 1579.

Omnia demum generatim, quæ ad vitam, & honestatem clericorum pertinentia a sacris canonibus, oecumenicis conciliis, et apostolicis sanctionibus præcepta, ac prohibita sunt, clerici omnes diligenter observare, ac cavere jubentur; subituri nisi pareant omnes animadversiones, quæ illis a sacris canonibus impositæ sunt, et sac. Tridentinæ synodi auctoritate innovatæ, aliasque præterea, quas pro delictorum qualitate episcopi hactenus, ut supra dictum est, statuerunt, aut imposterum statuent. Operas suas, prout ab aliquibus in hac provincia fieri audivimus, mercedis gratia minime locent.

De edicto proponendo pro parochialibus vacantibus, ac de examine promovendorum ad dictas ecclesias.

Episcopi cum primum parochialem ecclesiam vacare cognoverint, intra triduum ad cathedralis, et vacantis ecclesiæ januam edictum proponant, et ad diem decimam convocent, et convitent qui volunt examinari, vel examinandos nominare, et in termino præstituto nominati, et præsentati, electi, et descripti examini se subiiciant, et per concursum magis idoneo, ac infra terminum juxta concilii Tridentini decretum, et Pii Quinti bullam, beneficium conferatur; ita tamen ut ætas gravior, moris et vitæ integritas in æquali literarum scientia præponderet, atque illi, qui ex eadem diœcesi, et multo magis, qui ejusdem loci fuerint, in quo ecclesia vacans constituta est, extraneo, ceteris paribus, præferantur.

Terminus vero decem dierum ultra alios decem dies, minime prorogetur, ex ejusdem bullæ prohibitione.

Interrogabuntur autem examinandi de ætate, ordine, vita, moribus, & scientia, quod liquide patebit ex interrogationibus, & responsionibus eorum, quæ illis legenda proposuerint examinatores.

Examinatores eorum, qui sunt ad beneficia promovendi in dioecesanis synodis ii eligantur, et comprobentur, qui religione, vitæ integritate, aliisque, quæ Tridentinum jubeat concilium, virtutibus et ornamentis cæteros antecellant; in quo non solum cathedralis capituli, sed aliorum etiam clericorum, et regularium ratio habeatur. Munera autem occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant; alioquin in pœnas a sacrosancta Tridentina synodo sancitas incidisse se sciant.

De beneficiorum collatione

Expedit maxime dum parochiales ecclesiæ conferuntur, ut non hominum cupiditati sed animarum saluti consulatur; ideo episcopi pro ea, quam Jesu Christo debent, pietate curent, ut illos eligant, qui sui officii onus sustinere possint, ac prompto animo subire velint. Indignos autem, ac præsertim qui sua suorumque quærunt non quæ Jesu Christi, omnino reiiciant; et circa resignationes felic. rec. Pii V. constitutio observetur; meminerintque episcopi se ex earundem litterarum dispositione excommunicationem, et suspensionem incurrere apostolicæ Sedi reservatam, si aliis in casibus, præterquam in literis præfatis expressis, eas admiserint.

Et quia diutina vacatio ecclesiis maxime parochialibus non parvi detrimenti esse solet; ideo episcopi quamprimum, (servata tamen forma concilii Tridentini & Pii V. bullæ) conferant, & si opus fuerit idoneum in ea vicarium simulac ecclesiæ vacationis notitiam habuerint, cum congrua ejus arbitrio fructuum assignatione constituant, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec de rectore ei provideatur.

Sciantque patroni, & qui in beneficiis præsentandi, aut deligendi jus habent, se subiicere una cum præsentato, & electo excommunicationis, & interdicti poenis, ac privationis juris patronatus, si quovis modo, & quavis causa vel occasione se ingerant, paciscantur, consequantur, aut quoquo modo retinere præsumant partem, etiam si ultro oblatum sit, in bonis, & fructibus beneficii; & si libere illos rectori, seu beneficiato non dimittant: nec ante mortem rectoris juris patronatus de futura præsentatione cum patro nis, aliquis nec per se, nec per interpositam personam tracta. re possit sub excommunicationis poena, & inhabilitatis ad obtinenda beneficia.

Episcopi præsentatum vel ab inferiore electum, non prius admittant, aut instituant, quam jusjurandum juxta subscriptam formam ab eo exegerint, quod nil de prædictis intervenit.

Forma juramenti.

Ego N. præsentatus ac beneficium de N. juro ad hæc sacrosancta Dei evangelia, per me corporaliter tacta, quod propter prædictum beneficium obtinendum, aut præsentationem ad id habendum, aut acquirendum, neque ego, neque alia persona vice ac nomine meo, nec de consensu, aut scientia mea, patrono, seu alii cuique aliquid præmissorum nomine, aut intuitu promisimus, aut dedimus; nec quicquam ejus rei gratia permutavimus, compensavimus, aut prius datum confirmavimus, apudve quemquam deposuimus, seu quicquam mutuavimus, seu elocavimus, priusve mutuatum, commodatum, depositum, aut elocatum, aut quocumque modo debitum remisimus, seu laxavimus, nec de sanctuario, gleba, domibus, terris, prædiis, tenimentis, redditibus, prædictæ ecclesiæ, fructibusve, decimis, aut oblationibus ejusdem præteritis, præsentibus, aut futuris, donationem, remissionem, locationem promisimus, fecimus, aut inivimus; seu aliquis nostrum de mandato, scientia, aut consensu meo promisit, fecit aut inivit. Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia.

Caveant, episcopi ne fiducialia beneficia fiant, neve tacite, aut expresse conventum sit, ut ad alterius voluntatem alter titulo renunciare teneatur, quod ad simoniacam

la-

ANNO CHRISTI 1579.

labem accedere tum sacris canonibus, tum Quarti, & Quinti Pii constitutionibus declaratum est. Qui talia autem commiserint, poenas in dictis sacris constitutionibus prædictis contra simoniacos, & fiduciarios incurrant.

De parochis, & eorum officio, & ministerio.

Parochi dominicis diebus, & festis solemnibus, ac tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent, & festis præsertim diebus gregem sibi commissum verbi Dei pabulo pascant; dilucide, ac compendiose sacrum evangelium, legis præcepta, fidei erudimenta, orationem dominicam, sacramentorum virtutes & effectus declarent, eum a vitiis ad virtutes adhortantes. Post prandium vero convocatis pueris, & aliis rudibus ad ecclesiam ad signum campanæ, eosdem doctrinam christianam doceant, sciantque parochi, & omnes alii iis, qui talia executi fuerint, indulgentias summi pontificis Gregorii XIII. concessas esse.

Studeant etiam atque etiam, ne eorum culpa absque sacramentis aliquem e vita emigrare contingat; quod si evenerit (quod absit) officio, & beneficio suspendantur; alias pro modo culpæ gravissime corripiantur.

Recipiant quotannis ab episcopo eorum, vel cathedrali olea sancta, sanctumque chrisma in feria quinta in Cœna Domini; nec ei qui in sacris non sit, & superpelliceo indutus, & si non sit, lumina deferens, deferenda tribuantur; quæ olea sanctumque chrisma per parochum in ecclesia cum clavi penes se retinenda asserventur.

Locus corruptus.

Ad ecclesiasticam sepulturam defunctum aliquem cujuscumque conditionis, status, & sexus extiterit, parochus non recipiat, nisi prius constiterit ipsum defunctum eo saltem anno confessum fuisse, & sacram Eucharistiam sumpsisse, vel signa contritionis tempore mortis apparuisse, sub poena excommunicationis, & aliis arbitrio episcopi imponendis.

Nemo presbyterorum curatorum ab una ad aliam parochiam insciis episcopis, & sine mandato se transferant, ut in illa inserviant, & ministrent sub poena arbitrio ordinarii infligenda.

Nemo etiam audeat falcem in alienam messem mittere, parochiam ingrediendo, sacramenta ministrando, ac cætera parochialia munera obeundo; sed quisque intra suos limites se contineat, & nullo modo eos transgrediatur.

Parochi omnes semper in suo munere obeundo sint diligentes, sed tunc præsertim, cum sui ægrotant, quos sæpe visitent, si eos ægrotare sciverint, etiamsi minime vocati fuerint, ne eorum negligentia aliquis sine sacramentorum perceptione decedat; nec eos deserant; sed cum eis usque ad extremum vitæ assistant, orationibus, exhortationibus, & exemplis ad sancte, & christiane moriendum infirmos juvando.

Si aliquem parochum, tam civitatis quam dioecesis ægrotare contigerit, aut ex hac vita recedere, qui cæteris illi est propinquior, & vicinior, ordinarium de illius infirmitate, & obitu quam primum certiorem faciat; alias episcopi arbitrio mulctetur.

ANNO CHRISTI 1579.

Quoniam episcopi ubique esse non possunt, & plerumque accidit, quod gravia delicta per sacerdotes, & clericos, & alias ecclesiasticas personas in civitatibus, & dioecesibus, & in locis remotis committuntur, & a superiore ignorantur; ideo ne delicta remaneant impunita, synodus statuit, ut omnes & singuli rectores, quam primum sciverint, seu viderint clericum aliquem ea quæ minime ordini, ac gradui suo congruunt perpetrare, & aliqua indecenter committere, in termino dierum trium, vel quam primum potuerint, denunciare, notificare, & insinuare debeant, & teneantur episcopis.

Quotiescumque in urbem venerint, episcopum adeant, nec absque episcopi licentia, & benedictione a civitate discedant.

Parochi omnes in die Purificationis beatæ Virginis candelas distribuant fidelibus Christianis, qui illa die in ecclesia convenerint, & devote eas percepturi, accensasque in processione delaturi erunt; fiat autem distributio in ea quantitate, pondere, & mensura, prout laudabilis consuetudo postulat, & episcopis videbitur.

De residentia.

Cum pastorum residentia tam valde commendetur, & districte præcipiatur, tum a sacris pontificibus, tum a sacrorum conciliorum constitutionibus, tamquam illud unum fundamentum, in quo spes omnis sit collocata retinendæ ecclesiasticæ disciplinæ, nulla potest in hac re adhiberi, aut opera, aut diligentia, quæ satis sit. Idcirco hæc synodus omnes episcopos monet in Domino, ac per viscera Domini nostri hortatur, & alios inferiores omnes, qui animarum curam habent, etiam eis præcipiendo requirit, ut divinorum præceptorum memores gregi suo invigilent, atque assistant eo studio, ac pietate, ut nihil, quod ad salutem ovium sibi creditarum pertinet, ullo unquam tempore ab illis desiderari possit. Cum vero Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiæ vel reipublicæ utilitas ex episcopis aliquem abesse postulaverint, serventur omnia, quæ super hoc a sacro concilio Tridentino statuta sunt. De curatis quoque inferioribus omnino providendum est juxta ejusdem concilii decreta, ut quandocumque eos, causa prius per episcopum cognita, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentia in scriptis gratisque concedatur; qua etiam obtenta ultra, bimestre tempus, nisi ex gravi causa, nemini abesse liceat.

Quod vero ad episcopos attinet, & si non dubitet hæc synodus eos proprii muneris perpetuo memores fore; tamen pro suo officio non potest non commonere, quod præter poenas, quæ contra non residentes a concilio Tridentino constitutæ sunt, non evadent alias in bulla Pii Quarti, et Quinti fel. rec.

Et tandem ut sacro concilio Tridentino satisfiat, decreta super residentia, quæ tam

ANNO CHRISTI 1579.

sub Paulo II. quam sub Pio IV. statuta fuerunt, ac bulla papæ Pii V. quotannis publicanda, decrevit in episcopalibus conciliis, ad hoc ut omnium auribus, mentibusque infigi possint, et imposterum (Deo adjuvante) nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut desuetudine aboleantur.

De sepulturis, funeralibus, & exequiis, & eorum exactionibus cohibendis.

Sola charitatis ratio clericos tam sæculares quam regulares adducere debet, ut Christifidelium funeribus intersint. Quare ab omni eos decet avaritiæ coruptela, et ostentatione alienos esse. Prohibentur igitur, ne exequiarum, B sepulturæ, aut anniversariorum causa quicquam paciscant; sed piam et laudabilem consuetudinem circa funeralia observent, ne quod valde religiosum est, aut ecclesiasticum venalis fortasse, quod absit, dicatur, aut ipsi de humanis videantur mortibus gratulari, si de eorum cadaveribus quolibet modo studeant quærere compendium.

Ante solis ortum, et post occasum ad sepulturam cadaver non efferatur, nisi de licentia episcopi, aut ejus vicarii, eoque sepulto per consanguineos, familiares, et amicos defuncti sepulchrum nullo modo quovis quæsito colore aperiatur, nec aliquid quod superstitionis habeat intus apponatur. C

Pauperes qui sua impensa humari non possunt, gratis a Parocho sepeliantur; quoad alios vero servetur laudabilis consuetudo.

Parochi librum habeant, in quo parochianorum suorum, qui decesserint, omnium nomina diligenter annotent; alioquin, ut episcopo videbitur puniantur.

Superstitiosum in plorandis mortuis abusum, qui in provincia nostra jamdiu diabolica fraude irrepsit, penitus abolere volentes, in sanctæ obedientiæ virtute præcipimus, ne qua mulierum præficarum, quas reputatrices appellant, audeat officio fungi in invitandis ad ejulatum aliis in consanguineorum cognatorumque funeribus; sed D hoc nomine, et usu a Christi Domini grege fugato ac eliminato, ita lugeant post hac, ut Christianas decet fœminas, sacra dictante scriptura: *super mortuum modicum plora;* et apostolo admonente: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut, & cæteri, qui spem non habent.*

Cum vero ad ecclesiam funus effertur prohibemus ne mulieres, quæ ecclesias ululatibus complere solebant, suos sequantur defunctos, sed domi se contineant. Quod si parocho admonitore facere neglexerint, presbyteri omnes cum pompa nullatenus ultra progrediantur, sed ibi relicto funere, E nisi statim obsequentes se reddiderint, continuo discedant. Non enim decet templa Dei Omnipotentis, quæ domus orationis vocantur, et in quibus adstat Divina majestas, ad fidelium vota complenda, peccataque dimittenda ejusmodi ululatibus compleri. Quæ omnia etiam in ecclesiis regularium observentur.

Mandatque synodus, ut sepulto defuncto A omnes ejus conjuncti quam primum, vel saltem post decem dies; fœminæ vero post mensem ad ecclesiam pro audiendis Missis, et aliis divinis officiis accedere teneantur, et ad id ab episcopo per censuras ecclesiasticas cogi possint, quavis consuetudine, quæ potius corruptela est, non obstante.

Sub eisdem censuris, et aliis poenis episcopi prohibeant, ne mulieres præficent, ac faciem dilanient, nec sic præficatas, et dilaniatas in ecclesiam ingredi permittant.

De confraternitatibus.

Episcopi incumbant, ut a confraternitatibus præter supradictas, constitutiones, si quas habent, integre, et inviolabiliter observentur; quæ tamen ab ipsis episcopis, et approbatione, et subscriptione munitæ, et roboratæ fuerint; adeo ut divinus cultus, atque probata ipsorum vita merito, apud Dominum commendetur. Quæ vero nullam regulam habent ab episcopo, eam sumant quanto citius: novæ vero confraternitates absque episcopi licentia erigi, vel institui non possint.

Convivia confraternitatis alicujus facultatibus, aut eleemosynis fieri solita nullo modo imposterum fiant, et maxime in confraternitatum oratoriis, sub poenis episcopi arbitrio infligendis.

Prohibetur præterea omnibus, et singulis gubernatoribus, magistris, procuratoribus, confratribus, et aliis quibuscumque laicis, in hujusmodi confraternitatibus concionari, aut verba facere de rebus ad Christianam fidem, et catholicam religionem pertinentibus, nisi prius fidei professionem emiserint, et ab episcopis licentiam in scriptis obtinuerint. Si qui vero in prædicti deliquerint, ab episcopis correctis etiam arbitrio ipsorum puniantur, nec confratres aliud officium, aliasque orationes, et letanias recitare possint, nisi quæ ab ordinario revisæ, et approbatæ fuerint.

De piorum locorum administratione.

Piorum locorum administratio & ecclesiasticorum episcopi curent, ut servata forma concilii Tridentini decretorum committatur viris providis, et idoneis, qui sciant, et valeant loca ipsa, bona eorum, ac jura utiliter regere, et eorum proventus, et redditus in personarum usum miserabilium dispensare, et quos in usus alios prædicta convertere præsumptio verisimilis non existat. Monasteriorum vero monialium aliorumque locorum ad curam episcopi spectantium administratores ab universitate seu a quocumque electi, aut deputati, eorum officium exercere non incipiant, nisi habita episcopi confirmatione, sine qua electio, et eorum deputatio nullum sortiatur effectum.

Administratores ad instar tutorum, & curatorum in manibus episcopi, vel vicarii juramentum præstent, ac de locorum ipsorum bonis conficiant inventarium, cujus exemplum infra tempus supra statutum ordinario præstent authenticum.

Administrationis sodalitatum, hospitalium, moni-

ANNO CHRISTI 1579.

monitiom pietatis, fabricæ ecclesiarum, et piorum locorum quorumcumque rationes exhibeantur quotannis episcopo, vel ab eo ad id electo.

Episcopi, vel deputati ab ipsis, sodalitates, hospitalia, montes pietatis, fabricas ecclesiarum, & pia loca quæcumque, visitent juxta sacros canones, & sancti Tridentini concilii decretum.

Librum autem prædicta loca habeant, in quo distincte, et explicite descripta sint legata omnia, et onera, quæ illis imminent; cujus libri exemplum publici item notarii auctoritate munitum deferant in archivium episcopale. Tabella præterea fit in loco affixa, in quo solent congregari, cum iisdem muneribus, et legatis strictim adnotatis, mensium ordine servato, et rerum ipsarum genere; in quibus quidem libris, et rerum ipsarum genere tabella ea in dies erunt addenda, vel demenda, quæ aut augeri contigerit, aut minui.

Liber separatus habeatur in unoquoque capitulo piorum locorum, in quo libro apposito die describantur propositiones omnes, quæ in ipso capitulo fiunt, et non obtinentur, ut constare facile possit omni tempore eas fuisse rejectas.

Nullo modb permittant episcopi, ut administratores suprascripti piorum locorum, procuratoresve eorum urbani, vel rurales, aut eorum filii, vel propinqui, vel alius qui ex illis pendet emphyteosis, locationisve nomine conducat prædia, aut aliud quidvis, quod ad suam administrationem, vel procurationem pertineat; et quando bona locorum piorum locanda erunt, locentur non arbitrio administratorum, sed publice locanda proponantur, facta omnibus, præter supradictos conducendi potestate; et conductione facta, conductor det idoneum fidejussorem in solidum obligatum cum principali. Si quis autem est, qui id non fecerit, statim ab ea administratione, vel procuratione amoveatur. Neque etiam permittant, quid vendi, aut quovis modo alienari, nisi servatis iis, quæ a sacris canonibus requiruntur, et ex consensu, et auctoritate eorum; qui contra fecerint episcopi arbitrio puniantur, et quod actum est irritum, et nullum sit.

In hospitalibus sacerdotes non desint, qui Missam saltem festis diebus in loco infirmis ipsis accommodato celebrent, sacramenta rite et opportune languentibus administrent, atque infirmantibus ad mortem ad animæ salutem necessaria commemorent, et charitatis officium usque ad vitæ exitum in eos exerceant, illorumque nomina, genus, et patriam diligenter adnotent. Defunctos vero ecclesiasticæ sepulturæ (sacris precibus adhibitis) pie, et religiose mandent.

Invigilent episcopi commoneantque parentes, propositis excommunicationibus, atque aliis arbitrio poenis, ne in Orphanotrophiis filios suos infantes exponant, quos ipsi alere etiam industria valent; et sciant se ad restitutionem alimentorum prorsus teneri: mandentque confessoribus, ut prædictos non absolvant, nisi satisfecerint.

Infantibus vero in ipsis Orphanotrophiis expositis nutrices dentur subsidiariæ, quæ lactent donec baptizentur, et alendi doceantur, & omnia alia pro eorum cura ita comparentur, ut periclitandorum puerorum nulla occasio esse possit. Cum vero ad eam ætatem pervenerint, quæ ad disciplinam idonea est, tam masculi, quam fœminæ pro facultatibus, & opportunitate locorum, & instruantur moribus, & artibus erudiantur, quæcumque sexui convenire videbuntur.

ANNO CHRISTI 1579.

De legatis piis.

Quoniam piis defunctorum voluntatibus jura maxime favent, & episcopi omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos sunt executores; ideo ne avaritia hæredum, aut impietate occulta maneant, & exequi episcopi valeant, hæc synodus statuit, & ordinavit, ut in qualibet curia episcopali retineatur liber, in quo relicta pia describantur, cum nomine notarii, testatoris, legatarii, diei, anni, & testium; & ut ad cognitionem prædictorum relictorum legatorum deveniri possit, præcipitur, sub pena excommunicationis eo ipso subeunda, notariis scribisque omnibus testamenta, atque alias dispositiones qualescumque sint, in quibus aliquid ecclesiis, hospitalibus, montibus pietatis, atque aliis piis locis, vel causis relictum fuerit, rogatis, ut infra mensem, a die quo dispositio effectum suum sortiri ac irrevocabiliter ligare incepit, legata facta ad pias causas denuncient, eamque particulam de legatis, vel relictis rebus descriptam, & auctoritate publica munitam, debita mercede accepta, episcopis tradant, & acceptam exequi faciant sub censuris, & pœnis arbitrio eorum imponendis.

Atque ut ecclesiis jura sua restituantur, statuit, ut posthac canonica portio integre, & realiter persolvatur juxta formam juris, & sacri concilii Tridentini decreta.

De rebus ecclesiæ, ac piorum locorum non alienandis, & usurpandis; ac male alienatis, & usurpatis recuperandis.

Ambitiosæ cupiditati hæc synodus occurrere cupiens, prohibet omnium rerum, & bonorum ecclesiasticorum alienationem, omne pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypotecam, locationem & conductionem ultra triennium; nec non infeudationem, vel contractum emphyteoticum. Si quis vero inconsulto Romano pontifice de bonis, & rebus ecclesiæ quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypoteca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi nullius sit roboris & momenti; & tam qui alienat, quam qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Declaratque provinciale concilium extravagantem, *Ambitiosæ*, Pauli secundi in provincia in usum receptam.

Et quia usu compertum est alienationes bonorum ecclesiasticorum fieri sæpe sub conditione, ut illarum confirmatio ab apostolica sede obtineatur; interim autem possideri, non obtenta aliter confirmatione hu-

ANNO CHRISTI 1579.

jusmodi in grave ecclesiarum damnum, & animarum ipsorum contrahentium præjudicium; ideo episcopi diligenter inquirant super hujusmodi alienationibus quorumcumque bonorum ecclesiasticorum, etiam hospitalium, & si quas sub jam dicta conditione non dum repleta factas repererint; irritas, & inanes declarent, & in eos qui se in possessionem, vel detentionem ante obtentam confirmationem intrudere ausi fuerint, & in futurum audebunt, poenas sacris canonibus, & summorum pontificum constitutionibus adversus eosdem inflictas exequi omnino studeant, mandeturque notariis, quod contractus alienationum hujusmodi, absque assensu apostolico prius obtento, etiam cum episcopi licentia, non conficiant sub pena excommunicationis latæ sententiæ, nec judices, vel testes aliter intersint sub eadem pena, nec infra forestas, seu defensas bonorum, vel aliorum, ecclesiarum bona & territoria includantur, & occupentur directe, vel indirecte, vel quocumque quæsito colore sub pena prædicta.

Episcopi, aut eorum vicarii ecclesiasticorum bonorum alienationes apostolica auctoritate confirmandas omnino curent, ut diligenti investigatione adhibita, & in rem præsentem euntes rite, & recte, ac mature omnia faciant, ut omnino ecclesiæ indemnitati consulatur.

Sacri concilii Tridentini auctoritate præcipitur singulis episcopis, ut ipsi, aut eorum vicarii adjunctis duobus, altero quidem ex capitulo, altero ex clero recognoscant quascumque alienationes, & locationes bonorum ecclesiasticorum ad longum tempus etiam auctoritate apostolica confirmatas, quæ intra triginta annos confectæ fuerint, judicent, & decernant an ecclesiarum detrimento, seu contra canonicas sanctiones, an omisso juris ordine contractæ sint, quod si ad episcopum, vel ejus mensam bona locata pertineant, aut ipse, vel ipsius vicarius commissarii, seu executores fuerint ad viciniorem episcopum, cum supradictis a capitulo, & clero electis recognitio, ac judicium ejusmodi transferatur. Si vero etiam ipsi legitime recusari poterunt, duo alii a capitulo, & clero adjungantur, qui eam tantam causam cum illo episcopo recognoscant, & judicent.

De decimis solvendis.

Cum decimarum solutio sit de jure divino, & qui eas dare nolunt, aut dantes impediunt, res alienas invadunt, & ecclesias ad eam egestatem, & inopiam redigunt, ut facile debitis obsequiis, & cultu destituantur; idcirco juxta Tridentini concilii decretum præcipitur omnibus, cujuscumque gradus & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas ad quas de jure tenentur, juxta locorum consuetudinem in posterum cathedrali, vel quibuscumque aliis ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant; qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec nisi secuta plena restitutione absolvantur. Parochi vero in exigendis decimis negligentes ab episcopo puniantur.

Item parochi quolibet anno in mense decembris referant episcopo, qui decimas solvere recusaverint; & decimarum exactionem laicis locare non possint.

Hortaturque omnes, & singulos pro christiana charitate, debitoque erga pastores suos munere, ut a Deo sibi collatis episcopis, & parochis, qui tenuioribus præsunt ecclesiis, largiter subvenire ad Dei laudem, atque pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam non graventur.

Atque, ut populis innotescat quam periculoso se facinore adstringant qui decimas abnegant, parochis itidem ipsis præcipitur, ut semel saltem quotannis, quo tempore episcopi expedire censebunt, prout ipsis commodius fuerit, decretum supradicti concilii de decimis inter missarum solemnia frequenti populo publice legant, ac materno sermone interpretentur.

De synodo dioecesana quotannis celebranda.

Synodus diœcesana quotannis ab episcopo celebretur, ad quam exempti, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium, aut aliarum ecclesiarum sæcularium, etiam annexarum debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, synodo interesse, ut abusus, qui in dies occurrere possent, tollantur, & fidei professio per omnes fiat, qui eam facere tenentur juxta decretum Tridentini concilii, & bullam Pii IV. fel. rec.

Legatur decretum sac. Tridentini concilii de examinatoribus, sess. 24. capit. 18. Quod incipit, *expedit*; & eo lecto proponantur ab ipso episcopo sex saltem examinatores, ex quibus sex qui plura suffragia habuerint, ab ipsa Synodo approbati intelligantur, electi autem in manu episcopi, aut vicarii jurent quacumque postposita humana affectione munus suum fideliter se esse executuros.

In dicta synodo eligantur deputati ad utilia cleri; ex his facto scrutinio, qui propositi fuerint decem, qui plura habuerint suffragia intelligantur electi; sint autem duo ex canonicis, duo ex ecclesia cathedrali, unus ex parochis civitatis, & quinque ex clero dioecesis electi: porro jurent in manu episcopi, seu vicarii de recte, & fideliter exequendo munera sua, postposita omni humana affectione.

De visitatione.

Episcopi propriam dioecesim per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem; ita tamen, ut tota biennio per se, vel per vicarium, vel visitatorem compleatur, visitare non prætermittant. Scopus autem in visitando præcipuus sit, sanam or-

ANNO CHRISTI 1579.

orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, & monitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cætera prout locus, tempus, & occasio feret ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere; quæ ut facilius feliciusque succedant, singuli ad quos visitatio spectat, monentur paterna ut charitate, christianoque zelo omnes amplectantur.

Capitula cathedralium etiam visitent episcopi, corrigant, & emendent toties quoties opus fuerit ex statuto Tridentini concilii, non obstantibus exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, & concordiis.

Commendata monasteria, etiam abbatiæ, prioratus, & præposituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis observantia, nec non beneficia, tam curata quam non curata, sæcularia & regularia qualitercumque commendata, etiam exempta ab episcopis annis singulis visitentur, curentque iidem episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, ut quæ renovatione indigent, aut restauratione reficiantur, & cura animarum, si qua illis, vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia exerceantur; & si in eis viget observantia regularis; provvideant episcopi paternis admonitionibus, ut regularium superiores eorum regularium instituta, & debitam vivendi rationem observent, & observari faciant, & sibi subsidiarios in officio contineant, & moderentur. Quod si sic moniti infra sex menses eos non visitaverint, nec correxerint, iidem episcopi ex decreto Tridentini concilii eos visitent, & corrigant.

Eadem episcopi diligentia utantur in his etiam ecclesiis visitandis, quæ nulli diœcesi subjectæ dicuntur; quod tamen jus illi competit, cujus cathedralis ecclesia propinquior esse constet; alioquin ab eo, qui semel in concilio provinciali a prælato illius loci electus fuerit, qui tamquam apostolicus delegatus visitet, quibuscumque privilegiis non obstantibus.

Episcopi etiam visitent hospitalia, collegia, confraternitates, montes pietatis, & pia loca omnia quomodocumque nuncupentur, etiamsi locorum prædictorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, & omnia quæ ad Dei cultum, & animarum salutem, seu pauperes subsistentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum canonum instituta agnoscant, & exequantur; contumaces, & contradictores huic tam pio, ac necessario officio, aut verbis, aut factis ordinarii arbitrio puniantur, & nihilominus huic decreto parere omnibus opportunis remediis, invocato etiam, si si oportuerit, sæculari brachio. ab episcopis cogantur.

Præcipuamque curam habeant episcopi in visitatione de scholis, & litterarum ludis, bonarum artium magistris, & num vitæ probitatem, integritatem, & scientiæ puritatem servent.

An sciant ecclesiam esse consecratam, vel benedictam; an consecrata sint altaria, & vasa, & corporalia; vestes, & id genus reliqua sint benedicta: Hæc omnia diligenter investigentur, ut inde intelligatur quid desideretur in iis, & provideatur.

An aliquis etiam usurpet decimas, & bona ad ecclesiam spectantia, & servetur in hoc Tridentini concilii decretum.

ANNO CHRISTI 1579.

De vicariis foraneis.

Ut autem præmissa omnia, & alia etiam inferius statuenda, & ordinanda per ordinarios, maxime in visitatione, facilius executioni mandentur; statuit hæc synodus, ut in singulas dioeceses, qui magis idonei videbuntur, vicarii foranei, ubi non adsunt, constituantur, quorum munus erit omni diligentia curare, ut omnia quæ præcepta sunt, & alia per episcopos in dies præcipienda executionem sortiantur; quærantque de vita, & moribus presbyterorum, & quales se in pastorali præbeant cura, & an in parochiis sibi commissis omnia recte agantur; num rectores resideant, & non residentes episcopis denuncient. Præcipue autem inquirant, an a parochis erga miserabiles sub sua cura personas debitum persolvatur officium, ad hoc ne quis ob vitæ incommoda decedere cogatur.

Provideantque ne diebus dominicis, & festis aliquod illicitum opus fiat, & quos in aliquo delinquere prospexerint, episcopis indicent, ac denuncient crimina, & delicta clericorum, ut quod juris fuerit exequi possint.

De ludi-magistris.

Magistri scholarum quoque, & præceptores, pueros, & adolescentes suos, ne dum in grammatica, & rethorica, verum etiam in his, quæ ad religionem spectant, ut sunt divina præcepta, articuli fidei, alia similia erudiant, diebusque festivis ad divina audienda hortentur, ac impellant, legantque in scholis cathechismum, nec scholam aperiant, nisi cum licentia ordinarii, & emissa fidei professione.

Et non solum libros in indice felic. recor. Pii Papæ IV. edito nominatim vetitos, sed nec obscoena, nec turpia tractantes pueris legendos, vel interpretandos proponant; sed illos, qui ab ordinariis propositi, & approbati fuerint: eosque vehementer hortamur, ut in tam flexibili ætate, & ad malum prona, discipulos suos bonis moribus, ac salutaribus præceptis instituant.

ANNO CHRISTI 1579.

SESSIO QUINTA.

Celebrata die 17. Maii 1579.

De judiciali foro episcopi, & de judiciis.

CUm causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes juxta sacros canones, coram ecclesiasticis dumtaxat judicibus cognosci, & terminari debeant; ideo episcopi suo arbitrio pœnis, & censuris afficiant omnes, & singulos clericos, etiam regulares, administratores hospitalium, & aliorum piorum locorum quorumcumque, qui in causis, ut supra, vel agendo, vel excipiendo, vel aliter in judicio, & foro sæculari comparere, vel eis se subiicere præsumpserint, declarando præterea nullius esse roboris, & momenti processus, & actus quoscumque, qui tam in præmissis, quam in omnibus aliis causis ad forum ecclesiasticum ex decreto Tridentini concilii pertinentibus coram judice, & foro sæculari quacumque ratione vel prætextu actitati, ac ventilati fuerint, & ut hoc decretum inviolabiliter observetur episcopi diligenter operam dabunt.

In terminandis episcopi causis, quantum fieri potest, brevitati studeant, ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte judicii differenda modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

Appellationes non recipiantur, nec inhibitiones fiant nisi a diffinitiva, vel a diffinitivæ vim habente, vel cujus gravamen per appellationem a diffinitiva reparari non possit. Et ne inhibitorias indebitas fieri contingat, & partes inutilibus sumptibus graventur; Ideo hæc synodus statuit, ut adveniente casu in primis a judice ad quem breviori tempore, seu termino præfixo, ubi probabiliter juxta communis juris regulas, & doctrinas ea de causa dubitetur esse discutiendum, an appellatio sit hujusmodi, quæ ex præfato concilii decreto rejici ivel recipi debeat, ne si quas minime deceat appellationes judex admiserit, vel admittendas rejecerit justa conquerendi occasio alicui præbeatur.

Quoniam omnis sententia sine legitimo processu recte facto viribus non subsistit, statuerunt patres antiqui, ut omnia acta judicis exacta diligentia, & competenti ordine scribantur, & sic conscripta partibus requirentibus tradantur. Itaque originalia penes scriptores remaneant, ut si super processu judicis fuerit suborta contentio, per hæc possit veritas declarari. Hæc synodus igitur in executione sacrorum canonum statuit & ordinavit, ut de cetero in formandis processibus serventur ad minus termini infrascripti videlicet: ad libellandum, excipiendum seu respondendum libello, jurandum de calumnia, articuiandum, & articulari videndum, dicendum contra articulos, producendum omnia contra producta.

Notarii singuli episcopalis curiæ in omnibus causis spiritualibus aut temporalibus, civilibus aut criminalibus teneantur, & debeant omnia, & singula acta judicii diligenti ordine conscribere non in schedulis, per A in libris quaternatis. Schedulæ quæ sed partes porriguntur in judicio, ut sunt libelli, responsiones, capitula, & positiones, postquam fuerint descriptæ, ut præmittitur, reponantur in filciis, quas singuli notarii singulas facere teneantur singulis annis; & ita & taliter præmissa observentur, quod nulla causa nullaque ratione originalia a se dimittant. Si quis vero contra præmissa, vel præmissorum aliquid facere præsumpserit, eo ipso teneatur ad omne damnum, & interesse parti, quam ex ejus lædi contigerit negligentia; quod si causa ex officio mota fuerit, ea pena mulctetur, qua secundum qualitatem negotii mulctandus videbitur B episcopis.

Habeantque dicti notarii unum registrum, super quo singulariter registrentur omnes literæ, quæ de dicta curia exeunt sub censuris ecclesiasticis, & aliis episcopi arbitrio pœnis.

Et quia producuntur jura, & scripturæ authenticæ, quando pars producens intendit illa sibi restitui facere, non restituantur, nisi dimissa copia auscultata cum originali parte citata.

Et ut omnia recte procedant in formandis processibus, & scripturarum copiis faciendis ponantur in qualibet facie paginæ lineæ viginti quatuor, & in qualibet linea C fillabæ quindecim.

De notariis.

Cum ex notariorum imperitia plurima damna, & multarum litium occasio oriatur, episcopi notarios quoscumque examinent, & quos invenerint experientia, probitate, scientia, & ætate præditos, illi eligantur, & approbentur, & qui electi, & approbati non fuerint, coram aliquo judice ecclesiastico, sive ordinario, sive delegato causas tractare, acta rogare, & procuratoris officium exercere non possint; & approbati si in litibus, & causis ecclesiasticis, ac spiritualibus deliquisse reperti fuerint, juxta sacri Tridentini concilii decretum puniantur. D

Statuit etiam nullum notarium rogari posse de contractu rerum ecclesiasticarum ad forum ecclesiasticum pertinentium, ut sunt decretorum interpositiones, beneficiorum renunciationes, vel ad renunciandum procurationes, sponsalium dissolutiones, & similia, nisi, ut supra approbati sint. Scripturas vero hujusmodi ab aliis notariis confectas, scriptas, & rogatas nullam in ecclesiasticis judiciis fidem facere statuit, & decrevit.

Ecclesiastici fori notarii tempore eorum admissionis jurent observare omne id, quod ipsis ab hac synodo mandatum est; ac etiam E conscribere, & exemplari acta, & processus causarum ad episcopalem curiam pertinentium, atque omnia pro curia gestorum instrumenta in authenticam formam redigere, & in archivio reponere, ut ibi postea conserventur.

Originales processus (ut dictum est) judicibus ordinariis, delegatis, arbitris, & arbitratoribus non deferant, sed eorum tantum exempla fideliter collata, nisi alicujus

ino-

ANNO CHRISTI 579.

inopia aliud, aliquando epiſcopo videatur.

Notarii ab epiſcopis cogantur modis omnibus, quanto oltius, & ad minus intra menſem (congrua mercede accepta) in appellationum cauſis copiam appellanti exhibere, & ſi in deferenda exhibitione fraudem fecerint, juxta Tridentini concilii decretum puniantur.

De Archivio.

Archivia, ubi non ſunt, inſtituant, & inſtituta recte curari ſtudeant, omnemque diligentiam adhibeant, ut inſtrumenta quæcumque, atque ſcripturæ aliæ omnes in eis contentæ, ita conſerventur, ut ea nequeat, temeraria manus attingere, vel ullo pacto violare.

Cuſtos vero ab epiſcopo deputetur, qui diligentiſſime cuncta conſervet; & adminiſtret, & per inventarium cuncta tradantur, & ex eodem inventario reſtituantur.

Cuſtodi non liceat ex Archivio originales ſcripturas tradere etiam data fide, & pignore, & ſi contrafecerit ab ordinario ex arbitrio mulctetur.

Prælato decedente claves Archivii oeconomo, vel vicario capituli fide publica tradantur, & penes eoſdem fideliter conſerventur, quæ futuro paſtori poſtea conſignentur.

Quicumque inſtrumenta, ſcripturas, monumenta, juraque omnia cujuſcumque eccleſiæ detineant, vel uſurpent ab epiſcopis certiores fiant, eos ex ſacri concilii Tridentini decreto uti eccleſiaſticorum jurium uſurpatores excommunicationis ſententiam incurriſſe. Et qui inſtrumenta, ſcripturas, monumenta, juraque omnia cujuſcumque eccleſiæ detinere, & uſurpare ſciverint, & non prodiderint, canonica monitione præmiſſa, excommunicationi ſubiiciantur, donec detinentes, aut uſurpantes revelaverint, vel idonee fuerit ſatisfactum.

De inventario proceſſuum, cauſarum, & negotiorum quorumcumque ab epiſcopis conficiendo.

Cum in provincia noſtra fel. recor. Pii P. Quinti præcepto de conficiendis inventariis per epiſcopos regni Neapolitani, & Siciliæ hactenus ſatisfactum non ſit, ne tam utile, tamque neceſſarium inſtitutum perincuriam omittatur. Epiſcopos omnes commonemus, ut quilibet inventarium authenticum omnium, & quarumcumque ſuæ curiæ querelarum, accuſationum, inquiſitionum, denunciationum, teſtificationum, inſtrumentorum, proceſſuum, cæterorumque actorum, cauſarum, negociorum criminalium, etiam mixtorum, quæ apud curiæ ſuæ notarium, ſive actuarium fuerint, quam primum conficiendum curet, & juxta memoratum præſcriptum ſeu bullam quotannis in perpetuum conficiat, & dicti Notarii manu ſubſcriptum penes ſe cuſtodiat, donec ſuper his judicatum fuerit; & ſi eum interim de vita deceſſiſſe contigerit, illud univerſum ſigillo ſuo obſignatum, fidei ſacerdotis, cui peccata ſua confeſſus eſt (morte impendente) committat; tuto tamen, & fideliter aſſervandum, ac futuro præſuli clauſum integrumque tradendum.

ANNO CHRISTI 1579.

De Blaſphemiis.

Scientes pleroſque poenarum gravitate magis quam Dei timore arceri ſolere a voluntate peccandi; propterea in blaſphemos quam maxime (ut reatus qualitas exigit) inſurgentes, eos poenis in Bulla piæ memoriæ Pii papæ Quinti contentis omnino afficiendos eſſe præcipimus.

Sed ut hujuſmodi nefandum, & impium ſcelus, quod tam divinis, quam humanis legibus deteſtatum eſt, de medio penitus tollatur; ſodalitatem Dei nominis inſtituendam eſſe decernimus, quam per epiſcopos in ſuis urbibus, & dioeceſibus præſcriptis regulis una cum indulgentiis in Bulla expreſſis a fel. recor. Pio papa IV. hujus rei cauſa edita, quam primum fieri poterit inſtitui mandamus.

De ſimonia.

Cum deteſtabile ſcelus ſimoniacæ pravitatis, tam divinorum, quam ſacrorum canonum auctoritas abhorreat, atque damnet; ideo ut aboleatur, ſynodus mandat inviolabiliter obſervari conſtitutiones maxime Pauli ſecundi, & Pii Quarti, & Quinti; & quod quicumque crimen ſimoniæ commiſiſſe convictus fuerit in conſequendis ordinibus, eo ipſo ſit ab illorum executione per decennium ſine ſpe diſpenſationis ſuſpenſus, & per annum carceri mancipetur.

Qui dignitates eccleſiaſticas ſimoniace acquiſiverit, illis ſit ipſo jure privatus, & in futurum inhabilis, & ad eas, & ad quaſcumque alias obtinendas.

Qui officium, vel beneficium eccleſiaſticum, ſimoniace adeptus fuerit, illis ſimiliter ſit ipſo jure privatus, & ad fructuum reſtitutionem teneatur, & perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia obtinenda.

Si autem tale crimen pluries commiſiſſe quis convictus fuerit, præter ſupradictas poenas, etiam corporaliter puniatur, & ab ordinibus eccleſiaſticis degradatus a fidelium conſortio eiiciatur.

Qui vero ordines & beneficia ſimoniace contulerint, poenis a jure ſtatutis puniantur.

Caveant præterea quicumque, ne in ſacramentorum exhibitione ſimoniacum aliquid faciant; alioquin per locorum ordinarios graviſſime puniantur, qui hujuſmodi criminis reos cum maxima ſeveritate coercere procurent juxta Tridentini concilii decreta.

Jus patronatus venditione, aut alio quocumque titulo contra canonicas ſanctiones nullo modo patroni, etiamſi communitates, & collegia quæcumque exiſtant, transferre præſumant; ſi ſecus fecerint, excommunicationis, & interdicti poenis ſubiiciantur, & dicto jure patronatus ipſo jure privati exiſtant. Nec aliquis hujuſmodi illegitimarum alienationum particeps, aut mediator ſit.

De

ANNO CHRISTI 1579.

De Hæreticis.

Episcopi singulare, ac maximum studium in eo potissimum impendere debent, ne ipsis dormientibus inimicus homo prava hæresum semina, doctrinæ, ac morum corruptionem, disseminare aut inferere possit & valeat. Ideo præ cæteris curent, ut conventus seu conventicula, præsertim rudium, ac suspectorum hominum, de his quæ ad fidem spectant, tam publicas, quam privatas disceptationes ac sermones cæteraque hujusmodi periculosas occasiones prohibeant ac penitus tollant; dentque operam in quærendis hæreticis, ac eo nomine suspectis, ut inventos de suo ovili constanter exterminent, parati etiam, si opus fuerit, hac de causa sanguinem animamque profundere, quo Deo gratius, & ovibus suis salubrius in universo suo munere efficere nihil possunt. Si vero negligentes aut remissi fuerint in expurgando de eorum dioecesi hæreticæ pravitatis fermento, sciant incidere in poenas statutas in concilio Lateranensi sub Innocentio III. ac in aliis sacris conciliis, & pontificiis constitutionibus.

De Apostatis.

Quam perversum sit hominum genus, qui suavi jugo religionis suæ Deique timore postposito, respicientes retro, apostatæ facti sunt, facile ex verbis Sancti Augustini elici potest; quamve in ecclesia Dei infinitis erroribus causam præstiterunt, & præstant, omnibus notum est. Ideo episcopi adversus eos procedant juxta formam sacrorum canonum, ac bullas summorum pontificum, maxime fel. record. Pauli III. & Pii V. nec permittant eos cujuscumque ordinis & religionis sint, extra ordinem, & religionem propriam cum habitu, aut sine habitu viventes, ac vagabundos in eisdem dioecesibus permanere, ac missas, & divina officia celebrare, vel ecclesiastica sacramenta, aut animarum curam exercere; immo expellant, remittant, & puniant juxta formam dictarum constitutionum suorum, superiorum licentia non obstantibus.

De adulterio, & omni alio illicito coitu.

Monentur episcopi, ut statuta Tridentini concilii contra concubinarios tam clericos, quam laicos edita, districte faciant observari, ne si id omiserint, Deo & summo pontifici reddituri sint rationem.

Sacerdos, & alius clericus, si quis tantæ temeritatis inventus fuerit, qui postposito Dei timore se cum parochiana sua commiscuerit, perpetuo ab exercitio curæ suspendatur, postquam annum in carceribus corpus suum jejuniis, & abstinentiis maceratum manserit, & e dioecesi per decennium banneatur; aliisque poenis arbitrio episcopi mulctetur.

Et quos instigante Diabolo nefandum scelus incestus admisisse cum matre, sorore, & filia spirituali, idest quam baptizaverint, vel in baptismo aut confirmatione tenuerint, vel cujus confessionem audierint, & carnaliter rem habuisse constiterit, deponantur, & beneficiis, si quæ habuerint, eo ipso privati sint; ad perpetuamque poenitentiam agendam in vinculo coniiciantur. Pro aliis incestibus usque ad quartum gradum, juxta sacros, canones episcopi arbitrio privantur.

Et cum episcopi homines sint, & falli possint, nec hominum corda scrutari valeant, ut quod boni causa institutum est, mali sit fomes & origo; si quis eorum, qui tamquam boni, & idonei ab eisdem episcopis electi sunt, spreto Dei honore, cum ea, cujus confessionem audivit, quicquam inhoneste, turpiter egerit, aut ejus pudicitiam attentaverit, si non deventum est ad actum, temporanea poena juxta sacros canones acriter puniatur; si vero ad actus turpitudinis est deventum, ac etiam qui peccatum in confessione auditum signo, aut verbo prodiderit, confessionisque sigillum fregerit, deponatur, & in arctum monasterium ad perpetuam agendam poenitentiam detrudatur.

Qui autem virgini, aut viduæ alicui honestæ stuprum violenter intulerit, beneficiis privetur, & virginem, cui vim intulerit, ut dictum est, dotare cogatur; & si beneficiis caret, amplius mulctetur arbitrio episcopi, pellaturque utroque casu a civitate & dioecesi per decennium, postquam in carceribus arbitrio ordinarii detentus fuerit. Si vero virginem volentem vitiaverit, eisdem poenis afficiatur, tantum a præstatione dotis absolvatur. Si vero nuptæ violentiam intulerit, eo ipso beneficiis privatus, & vinculis perpetuo alligari decernitur.

De usuris.

Cum omni jure divino & humano usuraria pravitas damnata, & detestata sit, studeant episcopi hanc pestem animarum, ac pauperum perniciem extirpare; ac propterea in usurarios omnesque qui illicitos contractus ineunt, mediatores, aut rogati sunt, vel fuere, ex canonicarum sanctionum præscripto vehementer debent animadvertere; atque ut tanti sceleris gravitas prorsus innotescat, infrascripta expresse declarare, maxime his temporibus visum fuerit, vel fuit.

Notarii qui de contractibus rogati sunt, si ex conscientia plane perspiciunt contractuum pravitatem, nihilominus id scire dissimulantes instrumenta conficiunt, quæ in eorum superficie suspicione carere videntur, cum tamen venenum latitet, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, nullo pacto contractibus, quos ipsi ex animo, & conscientia suspectos existimant, vel suspicantur, stipulari præsumant, præter divinam ultionem quam incurrent.

Quoniam in venditione mercium ad tempus, quæ a mercatoribus sæpe fieri solet, injustitiæ atque usuræ iniquitas latere potest, caveant omnino mercatores, ne pro temporis dilatione majori pretio res suas distrahant, quam valeant. Animadvertant autem, ut si ad tempus vendant, quam secun-

Anno Christi 1579.

secundum fori usum rei pretium currat, qui sane usus inter probos, & integros mercatores constitui solet. Quapropter nefarium, atque usurarium decernit hæc synodus, cum majori temporis prorogatione rei pretium proportionabiliter augetur.

Qui emit, qui conducit minoris justo pretio ob anticipatam solutionem, est etiam usurarius.

Qui triticum, vinum, aut oleum alicujus prædii ante mensem, aut vindemiam, aut sericum ante tempus minoris ob anticipatam solutionem emit, quam collecta sunt valitura, & præcipue qui cautelam a debitore exigunt de majori quantitate, quam manualiter præstant, etiamsi exigerent decem pro centenario ultra sortem, principalem.

Qui pecora, prædia, vel aliud emit ab eo, quem non credit eam habere, & statim certa pensione ea eidem locet cum obligatione restituendi pensionem, quam ex re, quæ non erat, coeperit.

Qui mutuat cum pacto, ut mutuatarius ultra sortem sibi reddendam det aliquid sibi, vel alicui tertio, vel pauperibus

Qui aliquid vendit ei, qui pecunia indigebat cum pacto, aut voluntate principali, ut statim sibi minoris justo pretio, vendat.

Prohibemus omnia cambia sicca tamquam usuraria, taliaque cambia exercentes sententiam excommunicationis ipso facto incurrant.

De superstitionibus, maleficiis, incantationibus, & sortilegiis omnino tollendis.

Superstitiosas, & vanas populi observationes, quæcumque sint, a subditis suis tamquam perniciosas penitus tollendas curabunt episcopi, gravi poena ex sacrorum canonum decretis proposita contra resipiscere nolentes; maleficos autem sortilegos, lamias, sive strigas, cæterosque omnes, qui quovis magicæ artis, & veneficii genere, pactiones, & foedera expressa, vel tacita cum dæmonibus faciunt, præsertim cum homicidium eorum causa secutum fuerit, vel aliquis Sacramentorum abusus in maleficiis intervenerit, juxta canonicas sanctiones.

De receptionibus bannitorum.

Et quia non sine gravi animi molestia intellexit hæc synodus, quod nonnulli facinorosi homines, ut ad alia scelera perpetranda devenire possint, immunitatis ecclesiasticæ clypeo abutentes, ad diversas ecclesias, & alia loca ecclesiastica hujus provinciæ divertunt, ibique in gravem Dei offensam, & plurimorum perturbationem degunt, & morantur; ideo ne peccatorum unde est postulanda venia, ibi peccandi detur occasio. Universis, & singulis archipresbyteris, & clericis, tam sæcularibus, quam quorumcumque etiam mendicantium ordinum regularibus ceterisque personis ecclesiasticis quacumque etiam dignitate fulgentibus in hac provincia consistentibus, sub poena arbitrio episcopi imponenda, ac excommunicationis singulariter in singulos. In conventa vero, & collegia quæcumque in his forsan deliquentia, suspensionis a divinis, & in ipsorum, tam singularium, quam conventuum, & collegiorum ecclesias, monasteria, capellas, interdicti ecclesiastici poenis inhibetur, ac præcipitur, ne de cætero publicos latrones publicarum stratarum obsessores, eos qui in ecclesiis homicidia perpetrarunt, alioque facinorosos homines quibus ecclesiarum immunitatem sacri canones prodesse nolunt, sive laicos sive clericos in ecclesiis suis, illorumque domibus, sive aliis locis ecclesiasticis provinciæ prædictæ recipere, admittere, seu retinere, vel promittere eisdem securitatem publice, vel occulte quoquomodo præsumant.

Anno Christi 1579.

De suffocationibus.

Ut autem in suffocationibus in posterum provideatur, quæ passim ferme impune prætermittuntur, hortatur hæc synodus omnes episcopos, ut efficiant quod a rectoribus saltem singulo quoque mense populus doceatur, eique declaretur gravitas hujusmodi culpæ, mulieribusque lac propriis, & aliis infantibus præbentibus præcipiatur, ut nullo modo ipsos in lecto absque capsula & tabula intermedia retineant, contrafacientes vero tam poenis pecuniariis, quam censuris ecclesiasticis in subsidium, & etiam exilii a dioecesi, vel metropoli puniri possint. Quæ poenæ extendantur etiam ad earum maritos, quia cum sit caput mulieris vir, hujus transgressionis culpam habere maxima ex parte putantur. Contra suffocatores vero supradictæ poenæ pro modo culpæ ab episcopis gravissime augeri possint, addita etiam condigna, ac salutari pœnitentia ab ipso injungenda, atque interea teneantur omnes revelare parochis mulierum, quæ pueros in lecto absque capsula, vel tabula intermedia contra hujus decreti dispositionem retinuerint, & eos qui non revelaverint, etiam si opus fuerit, excommunicandos esse decrevit.

De eleemosynarum Quæstoribus.

Pravi eleemosynarum quæstores aut ministri, quorum nomen, atque usum provincialis synodus poenitus aboleri, & abrogatos esse voluit, ad officium hujusmodi exercendum de cetero non admittantur.

Importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non abhorrent, prohibeant episcopi, neque permittant, ut regulares, & sæculares sacerdotes ostiatim, & per vias vadant, & quærant eleemosynas pro celebrandis missis mortuorum in die omnium fidelium defunctorum, faciendo scribere, & obligare personas fere invitas, prout solitum est in hac provincia, easque postea conveniendo in judicio, si non solverint.

ANNO CHRISTI 1596.

De poenis.

Pastoris officium est gregem Dominicum fidei suæ creditum ita, Deo adiuvante, dirigere, ut quod ad vitam æternam ducit demonstret, & per illud conducat, & quod impedire, & divinam majestatem offendere viderit, amovere, & e medio tollere non solum hortationibus, ac exemplis, sed etiam quando ea non proderunt, poe arum metu coercere. Idcirco episcopi st ant esse tales, ut suæ curæ pastorali convenit, & in delinquentes omnes, & singu is sententias, censuras, & poenas contra eos, qui a recta via deviaverint, & alias deliquerint, latas proferant, nec de earum rigore quicquam relaxent, admonentes eos, qui talia perpetrare veriti non fuerint non solum subituros eas poenas, quæ a sacris sunt canonibus constitutæ, sed etiam eas, quas episcopi arbitrii discretio pro personarum qualitate constituat.

De excommunicatione.

Cum gladius excommunicationis nervus sit ecclesiæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem parere, quam salutem; idcirco episcopi obtineant, & servent formam præscriptam a Tridentino concilio.

Monitiones vero, quæ ad finem revelationis fiunt, non concedant, nisi pro deperditarum, & subtractarum rerum restitutione, sive illarum, & illas subtrahentium revelatione, & ad instantiam eorum dumtaxat, quorum civiliter interest, & ab eis recepto juramento de rebus perditis, re diligenter, ac magna maturitate examinata.

Capitula rem ipsam de qua agitur, reique valorem nominatim, & specifice exprimant, nisi forte sint pro ecclesiis, locis piis, communitatibus, universitatibus, collegiis, aut universaliibus successoribus, quos verisimile est certam rerum notitiam non habere; tunc quædam rerum in genere designatio fiat, quæ ostendat res ipsas non esse vulgares.

Animadvertant episcopi, quod si eorum culpa hæc arma spiritualia contemni contigerit, nullo modo se excusare poterunt, quominus Deo rationem reddere debeant de pernicie, quæ loco salutis animarum hac de causa secuta fuerit.

De interpretatione constitutionum synodi.

Constitutiones ad verborum proprietatem, &, ut dicitur, ad litteram intelligantur, nulla admota, aut intensiva, aut extensiva interpretatione, ultra quam verba ipsa significent, nisi quod facultatem, quam habent episcopi ex his decretis per vicarios generales ea exequi possint, exceptis iis, quæ pertineant proprie ad ordinem episcopalem, aut a concilio Tridentino, aut ab episcopis expresse exclusassent.

Quoniam ob varietatem locorum non potest in legum executione omnis æqualitas aut idem modus servari, multæque statutæ sunt poenæ, quæ moderatione in aliis dioecesibus indigeant; propterea possint episcopi quastumque poenas in his constitutionibus expressas pro qualitate locorum ad statum suarum ecclesiarum, ut res exposcere videbitur, redigere & aptare; quos dubitandum non est, omnia ad pietatem & animarum salutem relaturos.

Synodus declarat, & statuit, quod quotiescumque clerici mulctandi sunt, a poena pecuniaria sic exigenda locis piis applicetur, & nihil ad episcopum perveniat.

Et si in his constitutionibus aut ambiguitatis aliquid quomodocumque extortum fuerit, reverendissimus metropolitanus in sua provincia interpretabitur, cujus sententiam sequi omnes teneantur, quousque alia synodus provincialis habeatur.

DECRETUM GENERALE.

DEnique omnia & singula in his decretis comprehensa, & alia quæcumque tam a sacris canonibus, quam apostolicis ordinationibus, & a generalibus quibuscumque conciliis, præsertim a sacra Tridentina synodo statuta, ac definita, sive dogmata, sive reformationem, & morum correctionem respiciant, plene atque integre ab omnibus comprovincialibus episcopis, abbatibus, capitulis, & aliis ecclesiasticis personis, quæ per se, vel per eorum idoneos procuratores interfuerunt, aut interesse debuerunt, ac etiam sæcularibus quibuscumque, quod ad eos attinet servari debere decernimus, ac sub juris, & arbitrii pœnis districte præcipiendo mandamus, salvis tamen omnibus constitutionibus ecclesiarum arctioribus & laudabilioribus. Injungentes episcopis, ut hæc ipsa decreta post sex mensium spatium in eorum civitatibus, & dioecesibus publicari, & ab omnibus observari curent. Decernentes etiam omnes, & singulas admonitiones, statuta, decreta, & mandata in hac synodo facta, & ordinata, & gesta, ac eorum promulgationem ita omnes & singulos, quos tangit, afficere, ac si personaliter & singulariter singulis ipsa notificata, & intimata fuissent; eisdem notificamus, quod si contra quicquam admiserint, pœnis ac mulctis, quæ in eis constitutæ sunt, & aliis arbitrio episcoporum imponendis constringentur.

SI-

ANNO CHRISTI 1596.

SIXTUS PAPA V.

Sedit ab anno 1585. usque ad annum 1590.

URBANUS PAPA VII.

Sedit ab anno 1590. eodemque obiit.

GREGORIUS PAPA XIV.

Sedit anno 1590. usque ad 1591.

INNOCENTIUS PAPA IX.

Sedit anno 1591. quo & obiit.

CLEMENS PAPA VIII.

Sedit ab anno 1592. usque ad 1695.

CONCILIUM PROVINCIALE SALERNITANUM SUB MARIO BOLOGNINO *ARCHIEPISCOPO*

Anno 1596.

EDICTUM PRO SYNODO PROVINCIALI.

Marius Bolognini, miseratione divina archiepiscopus Salern. reg. const. universis provinciæ nostræ fidelibus salutem in Domino.

MS. in ch. ec siæ Ca- en. ad- vato.

PAstoralis cura, & sollicitudo, in qua sane nos, quantum licet Deo adjutore, versamur, animarum salus, nostra, quæ in fide nititur omni mente, & cogitatione tuenda archiepiscopalis muneris nostri ita nos admonent, ut non ea tantum, quæ ante oculos sunt; sed & quæ longius absunt, veluti e specula quadam altiorique loco prospicere, ac speculari diligentissime deberemus. Itaque dioecesim nostram in primis, eo pietatis ardore ac spiritu, quem nobis bonorum omnium elargitor Deus pro sua in nos benignitate impertivit, sæpe perlustrare, dioecesanam synodum habere, nonnulla edicere, quæ ad cleri, & populi sanctitatem augendam, divinique cultus incrementa visa sunt pertinere, pro viribus non destitimus; atque ea animarum nobis concreditarum salutis fundamenta jecimus, quibus spiritalis vitæ ædificium, divina adjuvante gratia, altius surgeret, sanctisque professionibus coelum ipsum attingeret. Est tamen adhuc, quod ad institati operis perfectionem pro nostri Metropolitani officii ratione, accuratius observamus. Concilium provinciale, quod & sacrorum canonum jure, & plurium conciliorum decretis, & tandem a sacr. synodo Trident. sancitum, innovatumque est ac jussum quolibet saltem triennio non prætermitti; idque eo libentius facere constituimus, quod speramus RR. DD. provinciæ nostræ episcopos non ullicujus laboris, aut privati cujuspiam, & eorum incommodi, sed sui officii debito commonitos, divinæ tantum gloriæ omniumque salutis, pro quibus etiam vitam ipsam ad æterni pastoris exemplum profundere debemus, rationem pro sua prudentia habituros, nostramque sollicitudinem in exequendis iis, quæ a sacrosancta synodo Tridentina præscripta sunt, summa animi alacritate præcursuros. Quamobrem eos, & si his privatim scriptis hoc ipsum præstitimus, hoc etiam publico edicto ad concilium provinciale nostra in metropolitana ecclesia habendum, atque ad primam dominicam post octavam paschæ reserectionis D. N. J. C. inchoandum evocamus, eumque diem nempe 28. mensis Aprilis proximi sequentis certum, præfixumque his ipsis comprovincialibus episcopis nostris, aliisque omnibus, qui vel consuetudine, vel electione, vel privilegio, vel quavis alia ratione hujusmodi conciliis interesse tenentur, ne se possint, aut vi ignorantiæ purgare, aut se contemptos dicere; etiam exemptis, ac nullis, modo intra provinciæ nostræ limites existant, hoc publico edicto significamus, ut mane eo ipso die in nostram metropolitanam ad hoc provinciale concilium celebrandum conveniant, ac deinceps aliis consequentibus diebus, donec ad Dei laudem, & gloriam absolvatur, indi-

ANNO CHRISTI 1596.

cimus, præscribimus, denunciamus, & jubemus; alioquin deficientes poenas, & censuras, quæ sacris canonibus decreta sunt se subituros esse sciant, atque ut hoc opus divino lumine dirigatur, salutari gratia perficiatur, S. R. E. episcoporum nostrorum, ac omnium fidelium pietatem enixe rogamus, ut suis precibus assiduisque sacrificiis Spiritus S. gratiam nobis implorent. Edictum vero hoc singularum cathedralium, aliorumque insignium nostræ provinciæ etiam exentorum valvis affigi, publiceque proponi mandamus. In quarum rerum fidem idem nostra manu subscriptum, & soliti sigilli impressione probatum in hac nostra metropolitana ecclesia publicari, & affigi jussimus. Datum Salerni in archiep palatio die prima Februarii 1596.

ANN CHRI 159

CONCILIUM PROVINCIALE SALERNITANUM

Primum, quod Marius Bologninus divina bonitate archiep. Salernitanus habuit anno a Christo nato 1596.

CLEMENTE VIII. PONT. MAX.

In nomine individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

NOs Marius Bologninus Dei, & apostolicæ sedis gratia archiepiscop. Salernitanus reg. consilio, & assensu RR. DD. coepiscoporum nostrorum hæc in concilio provinciali Salernitano statuimus, & sancimus.

CAP. I.

De professione fidei.

Conc. Trid sess. 25. cap. 2. §. præcepit.

Pastoralis vigilantiæ solicitudinem maximopere decet, quæ ad christianæ religionis fidem conservandam, & propagandam pertinent, principio statim decernere, ac sancire. Nos propterea, veterum patrum morem secuti, & sac. Conc. Trid. decreta ex corde amplectentes, mandamus in primis sacram fidei professionem ab omnibus episcopis a prima prov. synodo cui interfuerint emitti ea ipsa forma, qua a Pio IV. felic. record. est præscripta. Ut id ipsum nos, & coepiscopi nostri hujus nostræ provinciæ synodi jurati, præstitimus, & professi sumus.

Ad quam fidei professionem faciendam teneri volumus, qui beneficia cum cura obtinent animarum intra duos menses possessionem adeptam in manibus ordinarii vel vicarii generalis ejus, & quoties obtinuerint ea, idem servari curabunt.

Sess. 24. c. 2.

Qui vero dignitates, aut canonicatus in ecclesia, cathedrali obtinent, non solum coram episcopo, vel ejus vicario, sed etiam in capitulo idem facere debebunt; adeo ut si in prædictis exequendis negligentes se gesserint, nedum concilii Tridentini virtute decreti fructus suos, se non feciisse, neque sibi possessionem suffragari, sed etiam aliis episcoporum arbitrio poenis se plectendos esse procul dubio intelligant.

Sess. 25. c. 2.

Eos etiam qui ecclesiastica quæcunque beneficia in præsenti obtinent, & in posterum obtinebunt, vel quovis jure, consuetudine, aut alia ratione synodo diœcesanæ, vel provinciali interesse debent, ad eundem publicam orthodoxæ fidei professionem emittendam in eadem synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, his qui in hoc præsenti hactenus præstiterint exceptis, ad ejusdem formulæ præscriptum adstringimus, alioquin poenas a sac. concil. statutas subibunt.

B

Ac mandat insuper prov. nostra synodus, ut omnes & singuli tam clerici, quam laici seculares, aut quorumcumque ordinum regulares, ut in monasteriis suorum ordinum, qui cujuscumque scientiæ, aut artis profitendæ munus publice, aut privatim exercent, aut in futurum exercebunt, nec non ludi magistri omnes, & in propriis domibus suis expensis alios docentes, eamdem fidei professionem juxta constitutionem memoratam emittant.

C

Idem præterea, qui sac. Theologiæ, canonum, legum, aut artium doctoratum suscepturi, collegium aliquod adierint, in manibus ordinarii, sive prioris collegii, aut illius locumtenentis eamdem fidem profiteri teneantur. De quo in privilegiis specialis fiat mentio. Et si ad medicam facultatem promovendi, jurare etiam debent se Bullam Pii V. felic. mem. de infirmis visitandis, penes collegii priorem asservandam, plane observaturos. Qui contrafecerint in prædictæ constitutionis poenas, & in alias episcoporum arbitratu se sciant incursuros.

D

Spondeant insuper, qui artes, & disciplinas publice legunt, aliosque docent, ac theoremata disputantes, si quando eis ex illarum facultatum initiis, quas tradunt, auditoribus aliqua proponere contigerit, quæ christianæ religioni adversentur, se post conclusiones suorum auctorum enucleatas, simul veritatem orthodoxæ fidei manifestam facturos contrariaque argumenta omni conatu confutaturos, ut ex decreto conc. Lateranensis &c.

Advocatis etiam, & procuratoribus, si quando causas Ss. inquisitionis illis suscipere continget, inhibemus penitus, ne eas antea recipiant, quam coram episcopo, vel ejus vicario eandem fidei professionem fecerint; alioquin episcopi judicio plectuntur.

Ac ne longo temporis curriculo, ministrorumque incuria, qui dictam professionem emiserint ignorentur; quique non emiserint

tene-

ANNO CHRISTI 1596.

tenere id, quod assecuti sunt audeant, jubemus eos omnes, qui hactenus vel imposterum coram episcopo, ejusque generali vicario fidei professionem emiserit, vel sint emissuri, in codice separato describi, & si ipsa professio in ipso possessionis actu facta sit, eumdemque codicem in archivio, cujusvis cathedralis ecclesiæ perpetuo asservari.

Ut vero hanc in rem, quam exactissime conficiendam summa sollicitudine invigilemus, bullæque Pii IV. inhæreamus, edimus omnibus fidem professis, ut hujusmodi professiones in documenta publica notarii manu confirmata, adjectis testibus, redigendas curent.

CAP. II.

De librorum usu, actionum Christi, sanctorumque repræsentationibus, & libellis famosis.

Diuturna rerum experientia jamdudum intelleximus, quam facile queat damnum afferre, sanctæque fidei puritatem cum integritate morum in hominibus, eorumque cordibus foedare spurca illa prohibitorum librorum lectio, nedum hæreticorum, qui plane detestandi sunt, sed etiam quorumcumque authorum, lascivas, inutiles materias tractantium. Quamobrem volumus, & sancimus, ut intra quatuor menses, tam sæculares, quam regulares omnes cujuscumque status, ordinis, & conditionis librorum suorum descriptum indicem, adjunctis nominibus, cognominibus, titulis, inscriptionibus, & impressionibus ad episcopum, vel eum, qui ab episcopo deputabitur, afferant, quo facilius inhibere, igneque cremandos mandare valeat quosvis libros suspectos juxta normam posterioris Indicis conc. Trid.

Et ut in hac re nullus unquam error obrepat, hortamur omnes iisque in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, qui artem quamcumque literariam profitentur, ut post primum librorum suorum, singulis præterea annis eorumdem indicem episcopo vel deputato exhibeant. Eadem quoque lege adstringimus hæredes, & ultimarum voluntatum executores, ne libris a defuncto relictis utantur, aut vendant, antequam illorum indicem locorum ordinariis, vel deputatis attulerint, & facultatem obtinuerint, sub excommunicationis poena, & librorum amissionis.

Bibliopolæ nullos libros venales habeant, nisi eorum indicem prius loci ordinario vel deputato bona fide confectum tradant, subscriptione propria munitum cum juramento; quapropter alios apud se tamen non habeant: cujus indicis exemplum alterum ab ordinario recognitum, & sua, vel ab eo specialiter deputati manu subscriptum apud se bibliopolæ conservent; habeantque in officinæ foribus indicem librorum prohibitorum sub excommunicationis poena, & amissionis librorum.

Nec quisquam libros e loco ad locum ferre audeat, nisi de licentia ordinarii loci ex quo feruntur, vel ab eo specialiter deputati; & in loco, seu civitate ad quam asferuntur, prius portorio, seu doganæ præpositis, ad quos tale spectat officium, sive publicaniis, sive exactoribus, aut custodibus portarum libri omnes consignentur sub excommunicationis poena, & librorum amissionis, ad effectum ut ordinarius cognoscere possit, si quid in illis hæreticum, suspectumve, aut contra bonos mores sit; nec relaxentur, nisi petita, & impertita licentia ab ordinario, sive deputato gratis obtinenda. Observentur propterea, & executioni diligenter demandentur, quæ de editione, & usu sacrorum librorum statuit conc. Trid. sess. 4. nec non ea, quæ in decima regula præposita librorum prohibitorum indici a Pio IV. & Ss. Clemente VIII. nuper edito, & approbato continentur.

Quamquam pie olim, ac sancte christianorum hominum pietas ac devotio morem introduxerat repræsentandi populo salutarem Christi Domini passionem, & glorioſa martyrum certamina, aliorumque gesta SS. tamen suadente diabolo, eo rem deductam cernimus, ut tisus, & scandala inde potius oriantur. Idcirco prohibet provincialis nostra synodus omnino Domini passionem, tam in profano, quam in sacro loco tragico more repræsentari; sed illa ut par est, docte, & graviter a concionatoribus exponatur, ut ad lacrymas, & pietatem auditores commoveantur. Martyria vero, & actiones sanctorum omnino ne agantur similiter interdicit sine loci ordinarii in scriptis obtenta licentia. Qui contra fecerint, tam clerici quam laici episcoporum arbitrio corrigantur, & si in loco exempto a subditis fiant sine licentia episcoporum.

Si quis autem fallente Diabulo libellos famosos scripserit, ediderit, vel quomodolibet promulgaverit, in excommunicationis latæ sententiæ poenam se sciat incidere, a qua nisi ab episcopo, vel cui id oneris dederit, nequeat absolvi, præter alias poenas in hoc a sacris canonibus sancitas. Quod si in eo crimine clericus (quod absit) deliquerit, beneficiorum etiam, si qua habet amissione plectatur.

CAP. III.

De doctrina Christiana per parochos, & ludi magistros tradenda.

Est procul dubio inter innumera fere pastorum munera illud longe præstantissimum, quod ad fidem pietatemque attinet, nullo non nostro studio, vigilentiaque dignius quodque diligentissime curent. Quapropter reipsa intelligentes, quantum in eo genere præstet assiduus doctrinæ Christianæ usus ad rudes simplicium mentes, & tenebris ignorantiæ obsitas ad veritatis jubar, lumenque verax cognitionis, præceptionem Dei, redigendas, sub inobedientiæ poena, aliisque arbitrio nostro reservatis, mandamus archipresbyteris, reliquisque animarum curatoribus provinciæ

ANNO CHRISTI 1596.

nostræ, ut singulis Dominicis, festisque diebus hac doctrina Christiana pueros, ac puellas instruant, eamque omni maturitate, sedulitateque adhibita eisdem perlegant: priores subinde hujus doctrinæ Christianæ apud subditos suos, societatem, collegium, seu confraternitatem instituere, ut hoc pacto semel porrecta nullo unquam tempore eis evanescere possit; hæc autem, absolutis immediate vesperis, inchoare licebit, præmisso tintinnabulo signo, quod per omnes parochiæ viciniæque vicos deferri studeant: singulos convocando, ne quis tam salutari refectione privetur.

Ut vero prædictæ doctrinæ christianæ studium penitus Christifidelium mentibus imprimatur, jubemus in omnibus urbibus, oppidis, aliisque provinciæ nostræ locis suggesta duo in quacumque ecclesia curata ante summum altare hinc, atque hinc erigi, in quibus consistant pueri, puellæve sanæ fidei rudimenta recitantes; ut in metropolitana ecclesia de mandato nostro seminarii scholares singulis festis illam docere constituimus.

Quo in pietatis officio ne aliquid optari possit, volumus ecclesiasticos omnes in ea ecclesia, cui adscripti sunt, parochum sedulo adjuvare. Et ubi ob loci penuriam hujus doctrinæ collegium stabiliri non posset, ibi duo tresve saltem homines, episcopi, vel ejus cui id imposuerit, judicio deligantur authoritate graves, & morum probitate conspicui, qui pro christianæ religionis augumento sanctæ hujus doctrinæ sollicitudinem suscipiant, tamquam pastorum ea in re coadjutores.

Et quemadmodum humanus animus præpositis præmiis facile ad quodvis appetendum allicitur, ob id naviter archipresbyteris, & rectoribus elaborandum est, ut omni ferme momento doctrinam Christianam rudioribus inculcent; indulgentias a sanctissimo domino nostro D. Gregorio concessas sæpe (sæpius promulgando: quo populorum voluntates Deo tam divino opere magis magisque inflamment.

CAP. IV.

De prædicatione verbi Dei.

Apostolicum illud, divinumque plane prædicationis officium, qua dignitate gravitateque administrandum sit, dudum satis advertimus, cum sacr. conc. Tridentini decreta diligentius evolvimus; hinc est quod totis in Christo viscеribus flagitantes idem divini verbi populo exponendi munus gravissime, decore undequaque proponi; ordinamus sub poenis episcopi judicio reservatis, ne quis sacerdos, & regularis cujuscunque status, vel conditionis audeat publice, vel privatim præfato prædicationis munere fungi sine expressa episcopi licentia in scriptis, omnibus id petentibus gratis concedenda.

Eos autem, quos ob virtutum, ac doctrinæ prærogativas ab episcopo ad hunc horis gradum, tantique officii præstantiam evehi continget, omni ope niti decet, ut Jesu Christi Verbi incarnati, cujus in prædicando imaginem repræsentant, vestigia sedulo conatu sectentur, seseque quoad patitur humana fragilitas, studeant conformare; qui prius cœpit facere, quam docere; cavantes, dum hæc obeunt munia, ne sensus confusos, & disceptationes scholasticas multis tenebris involutas in suggestis agitent; sed quæ omnibus ad salutem necessaria, cum brevitate facilitateque sermonis annuncient.

Si quo in loco nostræ provinciæ libitum fuit, vel universitatibus, confraternitatibus, scholis etiam laicalibus, vel aliis quibuscumque clericis, aut piorum locorum administratoribus concionatorem pro voto deligere, & si illi ipsi eleemosynam, & alimenta de publico, privatoque concionatori suppeditarent, eam consuetudinem abrogamus, electionemque nullam esse decernimus, nisi episcopali consensu authoritateque muniatur.

Nulli tamen concionatori liceat aliquem in suggesto populo commendare, aut alias eleemosynas petere, sine obtenta episcopi, vel ejus vicarii licentia. Nec etiam aliam rem promulgent sine eadem licentia, neque noctu prædicent, ne ipsam quidem Dominicam passionem.

Enimvero cum æquum sit, unumquemque pastorem proprio gregi præesse, eumque pascere, volumus ut archipresbyteri, & rectores diebus saltem dominicis, ac solemnibus festis, maxime autem quadragesimæ & adventus tempore, plebes sibi commissas pro sua earumque capacitate salutaribus instituant documentis; ex Cathechismo, vel sac. Evangelio eis exponentes, deque occurrentibus vitiis, mansueta maturitate redarguentes.

Nulla porro ratione permittant archipresbyteri, & rectores quoscumque quæstuarios in ecclesia, aut extra eam prædicationibus, exhortationibus, exclamationibus populum monere, campanas, indulgentias, & bullas deferre, aut vi, vel ordinem S. Antonii aliorumque sanctorum commemorando ab hominibus eleemosynas extorquere, sed quemadmodum in facultate collectoribus eleemosinarum ab episcopi gratis concedenda scriptura recipietur, ita quoque executioni mandabitur.

Si quis parochus latini sermonis imperitia per se prædicationis munus obire non valuerit, legat, aut memoriter aut de scripto sermones aliquos vel homiliarium vulgari sermone conversum ab episcopo probandum. Quod si id officii, neque per se neque per alios præstiterit, ab episcopo graviter puniatur.

Cum Viennensi concilio, & Benedicti XI. constitutione sancitum sit, ut qua hora episcopus idem, cujus præcipuum munus est, prædicare, exequatur, vel coram se prædicari jubet, ne quis alius cujuscumque sit ordinis ea ipsa hora in eadem urbe, oppido, vico, locoque etiam in regularium ecclesia, vel alias exempta concionetur, nisi ipsius permissu; nostra synodus id omnino præcepit observari: similiter interdicit, ut dum concionatur in ea ipsa ecclesia; nullus interim sacerdos Missæ sacrificium faciat.

Cum

ANNO CHRISTI 1596.

Cum veritas ipsa affirmat ex Deo non esse, qui verba Dei non audit, nostra synodus omnes utriusque sexus Christifideles civitatis, & provinciæ nostræ cohortatur, & in Domino paterne monet, ut adventus præsertim, & quadragesimæ tempore, & quibus per annum diebus in ecclesia metropolitana, & in cathedralibus, aut aliis sacra concio habetur, sese conferant ad illam reverenter, ut decet, devoteque audiendam, maxime autem sæculares magistratus, ut quemadmodum ipsi dignitate alios antecedunt, ita præfulgeant exemplo. At vero clericis, ut id omnino servent, sub poenis episcoporum arbitrio constituendis, præcipimus.

CAP. V.

De lectione Sacra.

Sacri concilii jussione, quoniam episcopis id curæ incumbit, ut sacram Theologiæ lectionem, aut casuum conscientiæ in dioeceſis, sive cathedralibus, & collegiatis ecclesiis, in oppidis insignibus existentibus, legendam jurent, hortamur eosdem ut sanctissimo justissimoq. patrum decreto libenter pareant, eandemque lectionem ad Trid. statuti mentem, ubi alias instituta non fuit, introducatur. Mandantes omnibus dioeceſis suæ sacerdotibus, & clericis, ut ipsi lectioni diligenter interſint, audiant, eademque pro viribus memoriæ studeant commendare, commodum, utilitatemque suam, apum more, ex ea eliiciendo.

Stipendium quoque præbendæ theologalis, vel quid aliud constitutum laboris præmium ei tantummodo, qui ad hoc munus erit idoneus, & diligenter præfuerit conferatur.

CAP VI.

De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

Æquum est, & rationi quam maxime consentaneum, ut quorum auxilia intercessionesque periculorum malis afflicti in dies experimur, eorum sacras reliquias omni veneratione prosequamur. Quo circa hortatur synodus nostra provincialis omnes episcopos, ut pro sua pietate & prudentia sacras divorum reliquias, tam in cathedralibus, quam in reliquis suarum dioeceſum ecclesiis in singulos annos quam diligentissime recognoscant; quod ut accuratius ubique locorum peragatur, mandamus archipresbyteris omnibus, abbatibus, & rectoribus, & beneficiatis, eorumque procuratoribus, ut intra sex mensium, spatium armarium, ubi hactenus extractum non fuit, constituant, in loco conspicuo, bene septo, & undique exornato, quod clavibus duabus iisque diversis claudatur, quarum una rector habeat, alteram ad episcopum trasmittat.

Quotiescunque ita poscentibus solemnitatibus, aut consuetudine locorum, sanctorum reliquiæ populo ostendentur, vel super altare reponentur, advertant sacerdotes, ut eas digno cultu contrectent, adhibitis luminaribus; quod hoc pacto intelligat vulgus qualis honor sanctis Dei amicis, sanctisque advocatis sit adhibendus. Curent interea rectores, ne venerabiles reliquiæ inculte, & temere ex loculis, scriniisve eximant, neque, quod omnino damnandum est, turpis lucri, quæstusve gratia populis osculandas & conspiciendas exponant, sub gravissimis poenis episcopi judicio infligendis.

Quæcunque scripta, tabellæ, litteræ, cartæ, annalium codices, aliaque cujusvis generis monumenta in quibuscumque ecclesiis provinciæ nostræ comperiuntur, licet sint schedulæ, dumtaxat inclusæ aut affixæ vasculis arcisve sacrarum reliquiarum per quemlibet uniuscujusque ecclesiæ abbatem, procuratorem, aliumque beneficiatum intra quatuor menses describantur, atque in inventarium redacta ad episcopum, quam citissime fideliſſimeque transmittantur. Testes præterea inquirantur, si qui sunt, qui illarum reliquiarum, scripturarumve testimonium dent.

Certus etiam liber conficiatur, in quem supradicta reliquiarum inventaria referantur, quæ in singulis hujus provv. ecclesiis comperta erunt, & recte ordineque conscripta, omnibus demum contingentibus adnotatis, perpetuo in episcopali archivio adserventur.

Si quæ deinceps advenient, aut nuper inventæ sunt, sine scripta episcopi licentia, sive aprobatione, ne regulares quidem, aut alias exempti eas divulgare, populo exponere præsumant. Similiter si novæ affectantur, nisi sedis apostolicæ authoritate, aut publico instrumento constet unde, sint desumptæ, non recipiantur.

Neque reliquiæ passim omni tempore; sed certis tantum festis diebus, illorumque præsertim sanctorum, quorum reliquiæ sunt, populo exhibeantur, nec tamen aliquando operimentis, vel velis leventur.

Quo sane tempore archipresbyter, vel rector e testato libro, tabellave subscripta, historiam, vel martyrium breviter explicatum vulgari sermone graviter populo denunciet, ad illorum sanctorum vestigia sequenda quemlibet adhortando.

Nulla unquam ratione consentiant parochi, ut sacrorum mysteriorum figuræ, & significationes in ecclesiis fingantur aut sculpantur, nisi prius omnium eorum imaginum exemplar ab episcopo probatum fuerit.

Quamobrem maximis in dies periculis admoniti, vetamus omnino, ac districtius inhibemus, ne quis laicus imagines quantumvis pias domi detineat, nisi easdem prius parocho rectorive ostendat, & recognoscat. Mandantes omnibus animarum curam gerentibus, ut peculiari studio in id invigilent. Et si quas vel obscoenas, vel christianæ charitati minus concordes repererint ad episcopum deferant.

Sanctorum imagines, cruces, aliævæ res sacræ, quod vetustate consumptæ sunt, in vilem, sordidum, & profanum usum ne convertantur, sed ad mentem B. Clementis pontificis, & martyris in ignem deiiciantur, cineresque in pavimentum spargantur.

Illæ

ANNO CHRISTI 1596.

Illæ vero tabulæ imagineſve pictæ, quæ vetuſtate, ſive carie, aut ſordibus deletæ ſunt, ut quas imagines repreſentent plane non cognoſcatur, eas præſenti decreto intra tres menſes, aut renovari, aut omnino deleri mandamus.

Studeant quoque parochi omnes, cruces quasvis e ſolo pavimentove eccleſiarum tollere, ne tam glorioſum noſtræ ſalutis ſignum, nulla non veneratione digniſſimum, immundis teratur pedibus.

Nullum miraculi genus palam publicetur, quocunque modo accidat, ſine epiſcopi licentia.

Et quemadmodum ſanctorum imagines decore exornari decet, ita quoque non minus cavendum eſt, ne quod parum deceat ad illorum cultum exhibeatur; idcirco quæcumque indumenta, picturæve, ornamento deinceps iis addentur, adeo ſint perpolita, atque convenientia, ut nihil indecori, nihil turpis, nihilque inhoneſti prorſus appareat, videlicet, quod fidelium oculos quoquo modo offendere poſſit; quapropter a ſacr. concil. Trident. patribus animadverſum eſt.

Poſtremo inhibemus, ſub poenis graviſſimis, ne ſacræ reliquiæ per laicos etiam cujuſvis ordinis, & dignitatis ſint nullo modo tractentur, cum hoc ſacrilegium eſſe ſanctus Gregorius pont. conteſtetur.

CAP. VII.

De conſuetudinibus pravis, & ſuperſtitioſis penitus extirpandis.

Nefandæ ſuperſtitionis, & abuſuu malitia diligenter paſtores monent, atque adeo commovent, ut officii ipſis commiſſi memores, eo nervos omnes contradant, quo prava, falſaque diabolicæ fraudis dogmata modis omnibus radicitus evellant; quo circa epiſcopus in doeceſi ſua ſuperſtitionum evitandarum formam præſcribat, omnibus paſtoribus executioni mandandam ſub poenis ejus arbitrio.

In primis igitur divinatores, ſortilegos, conjectores, ariolos, & cujuvis generis magos, qui de re aliqua conſulerint alicui, vel ut conſulerentur fuere adjutores, vel qui fidem adhibuerint, graviſſime puniendos, & de fidelium ſocietate exterminandos declaramus.

Item qui ſe.... vaniſque characteribus, verbis occultis, oculiſque mentes hominum perturbant, morbos inducere, vel expellere, corporum figuram, & conſtitutionem mutare, ventis, tempeſtati, aeri, marique Incantationibus imperare poſſe ſibi perſuadent, aut aliis pollicentur, quique tacite vel expreſſe pactiones cum Dæmonibus faciunt, itidem epiſcopi judicio gravibus poenis afficiantur.

Etiam aſtrologi, qui ex ſolis lunæque, & aliorum aſtrorum motu & aſpectu, aut ex lineamentorum corporis inſpectione, de hominum actionibus, quæ de libero voluntatis arbitrio proficiſcuntur, certe aliquid venturum affirmant, quique augurantur, & obſervant dies, tempora, & momenta, quadrupedum voces, avium garritus, aut volatilium vel qui ex occurſu hominum, & pecudum quidquam ariolantur, præſcribendis ab epiſcopo poenis omnino ſubjaceant.

ANNO CHRISTI 1596.

Solet indoctum vulgus nocte vigiliæ S. Joannis Baptiſtæ turpes, & abominabiles ſuperſtitiones exercere, fallaciter ſibi perſuadendo eas ſignare futura, quibus ſi quiſpiam det operam per continuas quatuor Dominicas ante portam majorem eccleſiæ ſub miſſarum ſolemniis candelam in manibus geſtando poeniteat, ultra ſalutarem poenitentiam a confeſſario imponendam.

Sub eadem quoque poena damnamus ſuperſtitiones illas nocte Natalis D. N. Jeſu Chriſti fieri ſolitas. Improbamus ſimiliter inciſionem venæ die S. Joannis Baptiſtæ non neceſſariam, cui tam abſurdo errori ne deinceps ullus pateat locus, prohibemus chirurgis omnibus, & tonſoribus, ut eo die feſto alicui ſanguinem ne minuant abſque expreſſo alicujus medici conſenſu, quos omnes in Domino vehementer hortamur & obſecramus, ut Chriſtianæ religionis ingenti ſtudio in hæc invigilent, atque animadvertant.

Nihil prorſus ſervetur de ea pecunia, quæ tam in ſacro ſepulcro, quam in crucis oblatione die veneris ſancti reperta erit.

Animo etiam afflicto ſæpius volventes, quod Dæmoniacum ſit, atque ab omni chriſtiana lege alienum, eos (ut ferunt) ligari, qui ſacris matrimonii vinculis ligati ſunt, non ſolum id plane vetamus, verum etiam, qui tam foedum facinus temerario poſthac auſu tentabunt, excommunicationis ſententia innodamus.

Nullus præterea quacumque ratione andeat ante eccleſiam, ſeu ante januas earum ducere choreas, tripudiare, ſortes emittere, luctari, vel alium actum profanum exequi.

Decretum Sac. concilii Tridentini quo præſcribitur, ne quis alium compatrem appellet, quam qui aut in baptiſmo, aut in confirmatione verus ſuſceptor non extiterit, deinceps in provincia noſtra exactiſſime obſervetur, cum eum dumtaxat una cum infante, ejus patre & matre ſpiritualem cognationem contrahere certiſſimum ſit.

Dedecet maximopere chriſtianam fidem defuncti corpus lacrymando comitari; quamobrem ex præſenti decernimus, ut hic abuſus in Provincia noſtra prorſus tollatur, omnes clarius admonentes, ut pro defunctorum refrigerio pias orationes potius, & eleemoſynas perfundant, ne religioſorum preces diſturbent.

Abolemus etiam ſtolidum hunc errorem, cum ſoleant plerique certis aliquot diebus ab eccleſia officiiſque divinis ſe ſubtrahere; imo nolunt interdum ultra domus limina pedem protendere, cum aliquis ipſorum potens e vivis diſceſſerit.

Exoptat vehementer noſtra ſynodus, ut epiſcopi cohortentur, & commonefaciant principes, & magiſtratus, ut vagum, & fallax ægyptiorum genus, quod vulgus cingaros appellat, arceant, niſi certis ſedibus collocati, vitam honeſtiſque actibus, & in reliquis omnibus, ut chriſtianos homines decet, agere velint, eccleſias frequentare, miſſis intereſſe, & ſal-

tem

ANNO CHRISTI 596.

tem semel in anno eum confessione SS. Eucharistiæ sacramentum sumere, districte insuper præcipiendo, & interdicendo Ægyptiis ipsis, eorum mulieribus, ut futura ex manuum lineamentis, vel alio modo, ne divinent aut prædicant; alioquin fustigationis poenam, vel aliam episcoporum arbitrio incurrant.

Quoniam experientia edocuit colloquiis malis bonos mores corrumpi, episcopis & parochis sane maxima adhibenda erit diligentia, ut licentiosa illa libertas loquendi, in agris præcipue, vinetisque vigens, aboleatur; qua rustici vindemiatores, aliique musti vectores freti, dum vindemiæ peraguntur, obscœna, fœdaque verba in transeuntes omnes, & (quod pejus est, & intolerabilius) in religiosas, ecclesiasticasque personas, absque ullo sexuum graduumve discrimine solent imprudenter evomere. Proinde hortatur Principes, & magistratus nostra synodus, ut hujusmodi pestiferam loquacitatem ex nostra provincia exterminent, & exterminatam arceant. Etenim profecto horrendum est, quæ ab apostolo prohibentur: *scurrilia, & turpiloquium cavete;* eorum linguas ad omne turpitudinis genus sine ullo timore laxari.

CAP. VIII.

De festorum dierum cultu.

Inter alia synodalium actionum munera illud infimum non est, ut quæ ad festorum dierum observantiam attinent, recte, ordinateque præstentur. Quare statuimus, & mandamus, ut tam Dominici, quam reliqui dies festi, ex veteri sanctæ matris ecclesiæ statuto adamussim observentur; studeatque episcopus pro officii pastoralis jure totis viribus, omnique conatu in id incumbere, ut parochos edictis literisque suis ad hoc quam accuratissime efficiendum commoneat; atque hortetur, ne quemque cujuscumque gradus sit, præfatis diebus illiberales artes, atque opera manualia exercere patiantur.

Ne tamen cuique scrupulosæ dubitationis obiiciatur occasio, quo tempore in colendis religiosè festis a servili sit opere acquiescendum, antiquum plane & plane laudabilem S. R. ecclesiæ morem secuti, atque etiam ex hujus provinciæ nostræ consuetudine veteri a media nocte, qui festi illius solemnitatem... præcedit initium fieri, mediaque nocte subsequenti, festum diem terminari, & concludi, declaramus, atque decernimus.

Optantes autem ex intimis præcordiis populum nobis subditum vitam christiano more transigere, monemus omnes & singulos ne festis diebus a missarum solemniis se subducant, audire partem, aut foris (ut multi solent) sed totam in ecclesia ab introitu usque ad finem cum silentio, & attentione audiant, mente percurrentes sollicita sacratissimam Domini passionem, quæ recolitur lucidissime in his mysteriis: memores quoque summo coram judice se consistere, cujus præsentiam venerantur, vultumque contremiscuunt omnes coetus Angelici, totaque cælestis aula Beatorum.

ANNO CHRISTI 596.

Unde magnopere cavere debent matres, ne infantes fasciis involutos in ecclesiis introducant, ne clamore, fletuumque strepitu tremendum missæ sacrificium impediatur.

Quibus in ecclesiis commode fieri poterit, mulierum sedes a virorum locis segregentur, ne callidissimus humani generis hostis mentes divinæ pietatis zelo æstuantes turpi aliquo libidinis igni incendat.

Inhibemus omnino ecclesiarum procuratoribus, ne ludos emittendæ sortis, aut currendi in stadio instituant, vel convivia celebrent ex proventibus ecclesiarum; apud quos vero diuturno usu comparatum est, prædicta, propriis & hæreditariis redditibus agere studiose præstent: quam fuerit utilius, si superfluæ illæ impensæ in eleemosynas, aliaque pia opera immutentur: tripudia, saltationes, ludi scænici, & circulatorii, aliaque id genus, festis diebus, aut omnino ne agantur, aut saltem tempore, quo divina celebrantur officia, intermittantur.

Ille præterea abusus tollatur plane, quo concilia, conventus, & parlamenta universitatum iis diebus, & maxime divinorum officiorum tempore in hac nostra civitate, & provincia agi consueverunt; nec tunc temporis tractentur, etsi necessitas urgeat, sine episcopi licentia.

Nullæ officinæ præter eas, in quibus panis, vinum, & aromata venduntur, aliqua ex parte pateant, qua in re si filius, famulus, aut ministri deliquerint, & pater, & dominus artifex poenas subeat.

Nullæ etiam collectæ... in oppidis, castris, & civitatibus, ut ex depravata consuetudine factum est, festis diebus exigantur, præsertim tempore divinorum officiorum, & exercitiorum doctrinæ christianæ.

Tum vero præter id quod ad victum illius diei, vel ad ægrotorum curationem necessarium sit, nec ematur, nec vendatur.

At quoniam pia locorum diversitate alia in singulis dioecesibus festa celebrare contingit; ea propter episcopi curabunt, ut calendarium exactissimum favore cujusque civitatis, seu dioecesis conficiatur, adnotatis in ipsis festis colendis vel de veteri instituto & usu, vel publico voto; vigiliæ item sanctorum in dicto calendario describantur; id quod nos in ecclesia nostra Metropolitana faciendum curavimus.

Porro illud non minimum archipresbyterorum, & parochorum munus erit, ut vigilias omnes festorum, & quatuor temporum, aptis piisque exhortationibus de more denuncient, significentque.

Patronus item cujuscumque parochiæ a parochianis festo die celebretur, etsi in calendario Romano, vel supradicto non reperiatur.

CAP. IX.

De ornatu ecclesiarum.

Quam vigili attentione, quaque solicitudine decorem domus Domini episcopos

ANNO CHRISTI 1596.

diligere conveniat, ex eo satis intelligere licet, quia summa benignissimi patris erga nos clementia ad regendam ecclesiam, quam acquisivit sanguine unigeniti sui assumpti sunt. Quo circa episcopos omnes, & singulos suæ diœcesis, quibus ex debito munere id competit, debitisque modis coget, ut ipsorum insigni vigilantia quæcunque immunda, colluviæ, urinæ projectio, lutum, sordesque, ab ecclesiis eorumque cæmeteriis, & parietibus arceantur. Arbores quoque, arbusta, stirpes, vites, rubi, spinæ, aliaque id generis a quibusvis ecclesiis, oratoriis, piisque locis evellantur, vel excidantur; a pulvere pariter & ab araneis telis ecclesiæ, & oratoria crebro mundentur; itemque pavimenta sæpius converrantur.

Fenestræ unde exterius missæ sacrum inspici, & audiri poterit dimoveantur, vel pariete obstruantur: aliæ vero fenestræ, unde ecclesiæ introspiciantur cancellis sæpiantur.

Servitutes ab omni ecclesia penitus removeantur; nempe ut ab ædibus clericalibus per eam nulla importatio, nullaque exportatio, nullum iter, nullusque transitus fiat, non prospectus, aut quæcunque alia similis servitus.

Illud quoque summopere caveatur, ne laica supellex, fructus, legumina, fruges, instrumentave fabrilia in ecclesia reponantur.

Ad supplicii significationem ecclesiarum campanæ nullo pacto pulsentur.

In ecclesiis præter christianæ doctrinæ scholam nulla habeatur absque consensu episcopi exorato. Mendici etiam vagantes ab ecclesiis omnino excludantur. Nec in ecclesiis ipsis, vel basilicarum, monasteriorumve septis, porticibus, atriisque bellaria, & (ut vocant) taralla vendantur; itidem præterea eliminent edulia, commessationes, choreas & tripudia, ut domus Dei debita sanctitate colatur.

Et ut nostræ provinciæ sacella, ecclesiæque, quo desideramus ornatu, polleant, mandamus, altaria singula lapidea, vel lateritia, cruce in medio collocata perpetuo decenter exornari, positis in utroque latere singulis candelabris, qui longitudine & similitudine non differant.

Sint item tribus mappis vestita, quarum exterior oblonga ad imam partem altaris usque dimittatur; reliquæ duæ breviores sint, & ne mappæ inquinentur, pulvere, aut alia sorde, omnino altaria consternantur tela cerulea; quod si in altaris tergo gradus ligneus erit collocatus, is pariter mappa operiatur.

Quodlibet altare baldachinum, &, uti vocant, super iconam expansum habeat, ejusdem latitudinis, cujus est altare, quo tutius missæ sacrum celebretur. Ornatum sit itidem pallio coloris, tam diei, quam festivitati congruentis exveteri sanctæ matris ecclesiæ instituto.

Tabella secretorum in unoquoque altari ponatur, quæ peracto missæ sacrificio, ne stet erecta, sed depressa sub tela mappave superiori.

Ne tamen aliquid ad altarium ornatum, requiri, desiderarique possit, eorum quodlibet asseribus, seu tabulis per ambitum circumsæpiatur, quatenus mappæ aliaque ornamenta directo tramite pendeant.

Cæmeteria quoque pariete, vel alio sæpimento ligneo circundentur, ne animalium hominumque execrationibus pateant, inque eorum medio Crux erigatur.

Illud vero, ad congruum ecclesiarum ornatum pertinere arbitramur, ut loca pia multis prædecessorum vigiliis extructa, turpique præsentium rectorum desidia, & torpore collapsa, atque divulsa, omni cura, & studio reparentur. Edicimus, mandamus, & sancimus, ut omnes, & singuli abbates, canonici, priores, archipresbyteri, rectores, quorumcunque alio nomine, sive beneficio titulati, quaslibet ecclesias, vel eas in commendam, vel in titulum obtinentes, si qua egent reparatione, intra sex menses eas in toto, vel in parte restaurent sub poena amissionis mediæ partis fructuum, aliisque episcoporum arbitrio reservatis.

Ecclesiæ autem, quæ jam lapsæ sunt, vel penitus dirutæ, seu ruinæ jam proximæ, neque censum ullum habent, unde restaurentur, hortamur oppidorum, locorumque universitates, idemque Rev. vicarii foranei, atque archipresbyteri præsent, pro suo munere diligenter, ut eorum locorum homines, ubi dictæ ecclesiæ sitæ sunt, communibus, privatisque eleemosynis easdem reparandas curent.

Nulla porro ecclesia, capellave in profanos usus sine episcopi licentia convertatur, & si quæ profanari debebunt, in ipsarum locis crux erigatur.

Volumus imposterum codicem compingi, eumque in episcopali archivio conservari; in quem ecclesiarum, altarium, cæmeteriorumque consecrationes, crucum item, & campanarum benedictiones referantur ad perpetuam rei memoriam.

Cumque nihil incongruum sacris debeat adhiberi mysteriis, jubemus, ut stragula, cortinæ, & conopæa profano usui deservientia ad sepulchrum, quod feria quinta majoris hebdomadæ ob memoriam passionis D. N. Jesu Christi paratur, circumsepiendum, atque ornandum nulla ratione adhibeantur. Idem præcipimus de vestibus, & ornamentis, quibus sacræ imagines Sanctorum decorantur.

In ecclesiis autem nemo pernoctare, comedere, aliumve actum illicitum in his patrare audeat sub poena episcopi arbitrio infligenda; eaque omnia in SS. Natalis D. N. festivitate, quæ summa veneratione colenda est, præcipue prohibemus.

Si quæ ædificia laicalia attingant parietes ecclesiarum, aut si quas habent fenestras, unde in ecclesia inspiciatur, muro obstruatur intra spatium unius mensis.

Quoniam vero multæ hujus provinciæ ecclesiæ consecratæ non sunt, eas quæ in urbibus sunt, saltem parochiales, infra annum; quæ in provincia infra biennium; quoad alias, quanto citius fieri poterit consecrari mandamus. Verum cum parochialis ecclesia erit consecranda, pridie ejus diei jejunium celebra-

ANNO CHRISTI 1596.

bretur, & die consecrationis parochiani ab omni opere servili abstineant, quæ res a parocho rectoreve concinnis verbis denuncietur.

Neve aliquid ad ecclesiarum nitorem efflagitari queat, volumus in cujusvis ecclesiæ frontispitio, seu ingressu capellæ majoris salutare crucis vexillum, palla aut velo contectum erigi, ut populus in ecclesiam introeundo primo statim contuitu optatissimum humanæ salutis signum intueatur, compungaturque.

Tabernaculum majus serico rubro, aut alias congruenti vestiatur intrinsecus, sitque perpetuo conopæo vel ejusdem, vel alterius coloris circumsultum.

Pixides duæ argenteæ adsint in quacunque parochiali; una quæ semper ecclesiæ serviat; altera qua ad infirmos sacrum Domini corpus deferatur, ne aliquando ecclesia absque sacris deferatur particulis.

Consecratæ altaris mensæ, totæ cerata tela ita contegantur, ut amoveri non possit venti insufflatione; sepulturæ etiam quæcunque supra pavimentum eminent juxta mentem sac. conc. Trident. plane amoveantur. Quæ vero deinceps construentur, duplici operimento erunt coopertæ, undique scite cohærente, ne ullo unquam tempore foeteant, & in superiori nihil unquam depingatur, describaturque sine episcopi licentia in scriptis obtenta. Tum statim de ejus capellæ, altaris, aut sepulturæ dote instrumentum publicum episcopi manu subscriptum, sigilloque firmatum, & alicujus notarii fide in actuum modum roboratum conficiatur.

Sexta quaque feria in singulas hebdomadas paulo ante primam noctis horam signum campanæ sono detur in quacunque ecclesia, quo fideles admoniti eadem hora Jesu Christi passionem intima mentis pietate recordentur, terque orationem dominicam, & salutationem angelicam ex animo pronuncient, ac quadraginta dierum indulgentiam, quam in sua dioecesi quisque episcopus concedet, consequantur.

Et quo populi studium magis augeatur, mandamus quotidie ante vesperam pulsum certum itidem signo campanæ dari, quo publice Christianus, quocunque loco sit, ter salutationem angelicam, additis verbis illis, *Angelus Domini &c.* recitando, pro sereno coelo impetrando, ac tempestatibus expellendis, Deum ter maximum deprecans, quadraginta etiam dierum indulgentiam mereatur.

In festo Purificationis divæ Virginis cerei seu candelæ illæ benedictæ, quas pravo, ac jamdudum inveterato usu quilibet quasi debitum postulabat, de cætero nonnisi præsentibus, vel legitima causa impeditis singulæ singulis distribuantur, salvo semper jure, quod patronus in sua ecclesia habet.

Quæcumque indulgentiarum tabulæ, scripta, vel monumenta, quæ olim concessæ sunt, vel imposterum concedentur, tam ad tempus, quam in perpetuum quibuscunque ecclesiis, vel sæcularibus, vel regularibus, episcopus studiose eas recognoscat, & in codicem redigi diligenter curet, qui in archivio episcopali asservetur.

Quemadmodum vero ecclesia religioso ornatu perpoliri debet, ita reliquæ ejus partes, cum simili decore eluceant necesse est; hinc sacristia munda, & tanto ministerio conveniens semper habeatur, in quam sæculares nunquam ingrediantur. Adsit in ea oratorium; & singula, quæ ad missarum præparationem sacerdoti serviunt, ibidem accurate custodiantur.

Per ecclesiam nemo deambulet cujuscumque conditionis, & qualitatis sit; quin potius quisque se colligat, & sublata mente ad Deum illius divinitatem speculetur, in cujus vultum desiderant Angeli prospicere. Præterea nullus innitatur altaribus, vasis aquæ benedictæ, aut sacro baptismatis fonti, neque tumultu strepituve quispiam divina turbet officia. Nemo cum accipitribus, hastis, balistis, aliisqu e hujusmodi armis ecclesiam ingrediatur, nisi magistratus publici ministri sint: cum sclopettis vero omnibus omnino sub excommunicationis poena interdicimus.

Sicut autem in ecclesiis quæcunque consilia, negotia, executiones, sententiæque causarum, tam civilium, quam criminalium prohibita sunt; ita pariter ne in cæmeteriis agantur, interdicimus. Tum nequid in iis vendatur, & si ad ecclesiæ cultum pertineat.

CAP. X.

De sacramentis

Non ignoramus quam seduli, quam diligentes, quamque idonei requirantur ministri, qui sacrorum dispensatores mysteriorum esse cupiunt, cum sanctissima sacramenta scelera lavent, culpas expurgent, infirmos roborent, lapsos ad cælestia revocent, omniumque gratiarum copia fideles repleant. Ne igitur quisquam immundus, vel imperitus sacrorum administrationi se temere ingerat, præsenti decreto sancimus, & ordinamus, ut si quis sacerdos, quacunque etiam dignitate præditus, præter eos, qui curam gerunt animarum, præsumpserit SS. sacramenta prius administrare, quam ab episcopo examinatus, & approbatus fuerit, vel certe ab iis, quibus id imposuerit, gravissima ejus arbitrio poena plectatur.

Nullus etiam ab episcopo approbatus, vel status alicujus præeminentia refulgens, extra propriam parochiam sacramenta administrare audeat, præter quam in casu necessitatis, qui nulla lege constringitur; ita ut in eorum collatione servetur ad literam ritus sanctæ matris ecclesiæ juxta normam novi baptisterii.

Tollatur penitus omnis avaritiæ suspicio, seu verius simoniæ, quæ ex sacrorum collatione quoquomodo gigni posset, neque directe, vel indirecte quisquam aliquid exigat, sub poenis per sacros canones expressis; idque potissimum ante ipsam administrationem, qua peracta servetur superioribus sæculis laudata consuetudo, dummodo nullum inde scandalum populo oriatur.

Sacerdos sacrum conferens, semper stola, & superpelliceo induatur, ejus sacramenti,

ANNO CHRISTI 1596.

quod confert, vim & virtutem, quam optime poterit, explicando, eaque singula peragendo, quæ in catechismo diffusius continentur, quem hac de causa vel latino, vel vulgari idiomate præ manibus omnes habeant.

Summa quoque vigilantia sacerdotes advertant, ne quis præter ministros ordinarios ad sacra furtim accedat; quin etiam post eorum administrationem, quam tutissime possint, custodiæ ea commendent, ut temeriæ, & sacrilegæ profanorum manus ad ea sese extendere neutiquam valeant, iisve in operibus impiis, & nefandis abuti.

In id autem omnibus nervis & viribus insudare debent, ut talia SS. sacramenta aliæque res alteri nunquam usui deserviant, quam ei ad quem nobis a Christo authore concessa, & ab ecclesia Romana ordinata sunt; quare dum parochi quotannis, aut alia vigente necessitate ad civitatem cogentur recurrere, ut sacra olea illinc deferant, per se ipsos, si fieri poterit, id agant; sin minus per alios sacerdotes, vel constitutos in ordinibus sacris; in quorum defectum mittant clericos; qui si etiam desint, viros bonos, ac timoratæ conscientiæ, cum ob majorem sacramentorum venerationem, tum etiam ob pericula superius indicata diligentius, severiusque vitanda.

Claves tabernaculi, ubi SS. Domini corpus asservatur, & armarii, in quo sacra olea vasculis inclusa reconduntur; itemque fontis baptismalis in parochorum, curatorumque potestate perpetuo sint, eaque caute custodiant apud se, ac ne clerico quidem ministro illas ullo pacto credant, aut committant, nisi admodum necessitas urgens secus postularet.

CAP. XI.

De sacramento baptismi.

Janua illa cælestis regni, sacrum inquam baptisma, per quod Jesu Christi Salvatoris omnium mors, sepultura, ut resurrectio nobis repræsentatur, ab archipresbyteris, & rectoribus omni reverentia, & gravitate veneretur, ipsique præsentes sedulo cohortentur, ut actionem usque adeo divinam cum silentio, & devotione committentur.

Quapropter sacerdos sanctum regenerationis sacramentum conferens, nunquam manus in fontem attingat; sed ampulla, quæ in anteriori parte paulo angustior sit ibidem custodita aquam desumat, inque baptizandi caput stillet, vel aspergat.

Non liceat aliquem baptizare domi, præterquam in casu necessitatis; quocirca nulla obstetrix in præsentia clerici, vel laici pueros recens natos baptizare audeant. Si tamen præsens clericus, aut sæcularis vir debitam ignoret formam; obstetrix vero eandem ab archypresbytero recte edocta sit, etiunc liceat ei baptizare infantem. Si hujusmodi infans ita baptizatus supervixerit, ad ecclesiam deferatur, ubi si rectam baptismi formam servatam esse constiterit, sine ulla conditione, is tantum ritus, qui solent in baptismo fieri adhibeantur. Si vero constet infantem antequam e vita discederet, consueta forma, non esse legitime baptizatum, eum archipresbyteri solita christianorum sepultura ne donet.

Si fortuito in casu infantem exponi contigerit, tametsi testimonium collo appensum habeat, eum baptizatum esse, si alia ratione non constet, babtizetur, servata hac forma verborum; *si tu es baptizatus, ego iterum noviter non te baptizo; si non es, baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Quod si in ea testimonii schedula nomen reperiatur adscriptum, idem ipsi imponatur, & servata schedula quo in loco, quoque modo repertus sit in libro baptizatorum describatur.

Nolumus populum latere, quod si mulier gravida ex hac vita tali modo discedat, ut spes sit infantem virum remanere, debet, adhibito medicæ artis periti judicio, consilioque, cadaver aperire, extractumque infantem illico baptizare, ne beata illa æternaque anima visione privetur.

Ne differatur baptismus ultra dies octo ab ipso partu, quamquam nullum adsit periculum; quod si adest, statim in lucem ut est editus, ad ecclesiam baptizandus deferatur.

Vetamus plane propter pericula in baptismo submersionem infantis in sacrum fontem, cum sufficiat aliquantula aqua suprascripta ampulla ex eo desumpta, caput ejus aspergetur.

Ne adsint compatres plures duobus, hoc est viro uno, & muliere una, vel unus dumtaxat sit, nempe vir, aut mulier; neque, inquam, duo viri, vel duo mulieres infantem suscipere permittantur. Is vero qui puerum suscipit non sit minor natu 14. annis, & qui fidei rudimenta calleat, & ratione, ut suscipiendo, munera satisfacere possit. Quam ob causam gravissimis poenis inhibemus, ne excommunicatus, aut paschatis tempore non confessus & communicatus ad levandum de sacro fonte natum admittatur. Itemque, qui orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, & symbolum ignoret apostolorum. Ii autem non sint clerici in sacris constituti, sive sæculares, sive regulares, sine licentia; neque maritus, neque conjux ipsum filium suum suscipiat, licet filius ex alio viro sit genitus, neque uxor filium viri.

Qui autem infantem in casu necessitatis domi baptizatum tenuit, is quoque cogatur in ecclesia eodem munere fungi, & reliquum cæremoniarum. Unde archipresbyteri subditos moneant, ne domi suscipientem deligant, quem ad reliquas cæremonias supplendas nolint convocare.

Nomina vero baptizandis imponenda sint alicujus sancti, vel sanctæ in calendario Romano comprehensi, ut cum pueri ad perfectiores pervenerint annos, frequenti nominum recordatione ad imitanda sanctorum vestigia magis alliciantur: tum etiam quia homines pie credimus. hujus conformitatis gratia, divorum perfectioni, ac tutelæ esse commendatos.

Sin-

ANNO CHRISTI 1596.

Singulari ſtudeant cura archipresbyteri, & rectores librum aliquem conficere, in quo pueri baptizati, vel puellæ baptizatæ, patris, & matris, & ſuſcipientium nomina conſcribant, & an puer ille ſit legitimo ex matrimonio procreatus, addito nativitatis die, anno, & miniſtro conferente; cujus libri exemplum annis ſingulis ad epiſcopum tranſmittant; quod ſi eos ad eccleſiæ alterius regimen tranſire contigerit, debeant librum hunc, ut reliqua, ſucceſſori reſignare.

Atque ut omnia quæ ad SS. miniſterium deſiderantur, ibidem commode ſint reſervata, mandamus in baptiſmalis fontis ciborio mantilia duo candida cuſtodiri, quæ infantis capiti abſtergendo uſui ſint. Quæ vero afferuntur, in alios eccleſiæ uſus convertantur.

Fonti baptiſmali cuique conopæum circumducatur; intus vero ſerico telave exornetur, depicta in pariete proximo imagine S. Joannis Baptiſtæ Chriſtum Dominum baptizantis.

Aqua etiam baptiſmalis capiti infantis infuſa in ſacrarium, non in fontem profluat; ac propterea ſacrarium in marmore, ſolidove lapide in quibuscunque eccleſiis prope fontem conſtruatur.

Sal quoque baptizando infanti adhiberi ſolitum, nullo pacto ſervetur, ſed quod ſuperfuerit in ſacrarium ejiciatur.

Linteulæ, quibus in baptizatis ſacri chriſmatis unctio extergitur, nunquam ad hoc ſerventur, ut iis tangendæ tradantur, quos parentes pueri ſibi compatres fieri poſtulabunt; neque ii qui eaſdem lavant, compatres appellentur, ſed illi dumtaxat, qui infantem in baptiſmo ſuſceperunt.

Recordentur ſuſcipientes ſpiritualis illius affinitatis, quæ ipſo actu inter baptizatum, patrem, matremque ipſius contrahunt, & matrimonii copulam inter eos dirimit; cum uxore tamen ipſius, qui infantem a baptiſmo levavit, nullam ſpiritualem cognationem initam eſſe cenſemus ex ſac. conc. Trid. decreto.

Mulieres ne cogantur expectare tempus purificationis, quo minus ad eccleſiam ſe conferant, debeant tamen accedentes ſolitam ab archipresbytero, vel parocho accipere benedictionem.

CAP. XII.

De ſacramento confirmationis.

Quemadmodum homo per baptiſmum regeneratur ad novam vitam, & Chriſto Jeſu incipit militare; ita per ſac. chriſma roboratur & fortiſſimis cingitur armis, quibus intrepide ignea nequiſſimi hoſtis tela queat repellere, pugnæque lauream reportare. Hinc facile convincitur, a nullo per negligentiam præteriri debere; nam tametſi non adeo neceſſarium ſit atque baptiſmus, nequit tamen in provecta ætate, ſine gravi animæ diſpendio prætermitti.

Hoc ſanctum roboris ſpiritualis ſacramentum, nonniſi ab epiſcopo conferatur ad ſacrorum canonum præſcriptum, idque ſaltem tertio quoque anno. Qui ſacri chriſmatis unctionem externo ne conferat, neque ei, qui ſuæ dioeceſis non eſt, ſine alterius epiſcopi, cui ille ſubjectus eſt, facultate.

Pueri confirmandi attingant ſaltem ſeptimum annum, niſi malitia ætatem ſuppleverit. Confirmatorum vero frontes laventur per ſacerdotes, & aqua in ſacrario proiiciatur.

Quo autem die ad ſacrum chriſma ſuſcipiendum attinet, ſtudeant matres eos jejunos mittere, quæ tenerior ætas, non recuſabit; ſed qui ad perfecti judicii annos pervenerint, peccata confiteantur, SS. que euchariſtiæ ſacramentum ſumant prius, quam ſeſe confirmandos offerant; ad quod etiam compatres paterne in Domino monemus.

Moneant quoque archipresbyteri puerorum confirmandorum parentes, ut eoſdem munda fronte, tonſiſque & politis capillis mittant, quo & commodius ſacramen. conferatur, & ſuſcipiatur convenientius.

Noverit pòpulus inter compatrem, & confirmatum, patrem matremque ipſius ſpiritualem quandam contrahi cognationem, ſimilem illi quæ in baptiſmo contrahitur, quæ inter eos ſolvit matrimonium. Verum ne longa temporum revolutione, quæ tenaciſſimas quaſque memorias oblivionis caligine nubilat, & inter confirmatos, compatres, patreſque, matreſque confirmatorum connubia celebrentur, volumus archipresbyteros, ac rectores alterum codicem conficere, adnotantes in eo confirmati, patris, matriſque ejuſdem, necnon compatris nomen, & cognomen, cum die, & anno ac reliquis.

Excludantur a ſuſcipientium caterva, confirmandorumque numero excommunicati enormique peccato publico obnoxii. Nemo etiam clericus, aut regularis confirmandum puerum teneat: in reliquo tamen hominum genere, nihil refert ſuſcipientem, illius quem ſuſcipit, conſanguineum eſſe, modo non ſit pater, & mater.

CAP. XIII.

De Sacramento poenitentiæ.

Poenitentiæ ſacramentum, tum propter humanam, tum propter aſſiduas rugientis Leonis inſidias, perpetuamque cum principe tenebrarum colluctationem, ſupra quam dici poſſit, neceſſarium eſſe, nemo non intelligit. Quapropter ſtudeant archipresbyteri, & rectores ovium ſuarum cordibus imprimere, cum reipſa ſciant quantum emolumenti, & commodi afferat hujus Sacramenti, non neglecta frequentatio, omneſque admoneant, quod non ſemel in anno dumtaxat, hoc eſt in Paſchate, ſed ſingulis ſaltem ſolemnioribus diebus, & feſtivitatibus peccata confiteantur. In ipſo tamen Paſchate, propriis parochis, aut aliis de eorum licentia juxta conſtitutionem: *omnis utriuſque ſexus*.

Mandamus autem provinciæ noſtræ medicis, ut cum primum infirmum viſitaverint eum ad pœnitendum, & confitendum cohortentur. Neque eis liceat ultra tres dies infirmo cuivis medicamenta conferre, niſi prius con-

ANNO CHRISTI 1596.

confessus fuerit, sub excommunicationis poena, ultra alias in bulla felic. recordationis Pii V. contentas.

Nullus sacerdos sæcularis, vel regularis, etiam sacerdotis præsumat confessiones audire, nisi obtenta in scripto episcopi licentia, in qua etiam præscribantur quæ a quolibet erunt observanda.

Illud etiam maximopere caveatur, ne confessiones audiantur in domibus, vel angulis ecclesiatum, nisi id requirat necessitas; sed perpetuo in sedibus fiant, & locis deputatis, excepta nocte Nativitatis Dominicæ, reconciliationis etiam gratia. Quare in qualibet parochiali sint confessionaria, quot episc. necessaria esse duxerit, in quibus affixa sit imprimis sacra imago, litteræ processus Coenæ Domini quotannis editæ, tabella casuum reservatorum, quos episc. in sua dioeceſi sibi reservaverit, itemque orationes ad sacram confessionem præparatorias.

Ne audiantur etiam confessiones mulierum ante solis ortum, neque post occasum, nisi urgente necessitate.

Ut autem absolutionis forma ab omnibus tute concipiatur, neque pro cujusvis arbitrio varietur, infrascripta in ecclesiarum sacristiis appendatur, eaque omnes utantur, cujus hic tenor est.

Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, a quo possim te absolvere, ego te absolvo, & restituo sanctis sacramentis, ecclesiæ communioni, & unitati fidelium in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Misereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auzhoritate ipsius, qua fungor, absolvo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Passio Domini nostri Jesu Christi, , & merita B. Virginis Mariæ, & omnium SS. & quidquid boni feceris aut mali substinueris sit tibi in remissionem peccatorum, in augumentum gratæ & præmium vitæ æternæ. In nomine Patris &c.

Si quis confessarius, quod Deus avertat, christiani muneris immemor nefarie audeat in hujus sacramenti administratione mulierem ad sui amorem allicere, lasciveque ad venerem incitare, sit ipso facto excommunicatus perpetuoque ab officio suspensus.

Hortamur præterea omnes in Domino confessarios ne admodum sint in absolvendo præcipites, nisi facta prius per pœnitentes debita bonorum, & famæ restitutione, quando commode fieri poterit. Atque hoc maxime, dum in præmissa nuper confessione dictam restitutionem polliciti sunt se facturos, neque tamen absolverunt.

Et quamvis credamus, atque adeo speramus, maxime pios prudentesque esse, ac fore, qui ad hujusmodi munus, vel olim admissi sunt, vel imposterum admittentur, ut ne graviſſimis quidem periculis mortisque casibus adduci possent ad revelanda, quæ sub confessionis sigillo eisdem fuere detecta; operæ pretium tamen duximus eosdem commonere, ut ne verbis, vel nutu de audita semel confessione qualemcumque significationem dare præsumant; alioquin confessionis arcana prodentes sacerdotali ordine depositi in monasterium ad agendam perpetuam poenam decludantur.

ANNO CHRISTI 1596.

De casibus reservatis.

Cum SS. patrum sententiis, & multorum conciliorum decretis tum Tridentinæ synodi, perpetuaque ecclesiæ consuetudine ad custodiendam Christiani populi disciplinam & religionem, illud observatum esse animadvertimus, ut graviora peccata non quibusvis sacerdotibus absolvere, sed episcopis tantum liceat. Et quidem nefas esse hoc negare perspicuum est ex concilii Tridentini canone his plane verbis edito. *Si quis dixerit episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.* Nos igitur quorundam graviorum casuum absolutionem episcopis reservandam duximus, & infra hoc decretum, illos ordine digestos explicari, & promulgari volumus, ne sacerdos ad audiendas pœnitentium confessiones admissus potestatis suæ fines excedat.

Si quis autem confessarius poenitentes vel a criminibus a nostra synodo episcoporum authoritati reservatis, vel aliis etiam, quorum absolutio canonum jure, vel summorum pontificum jussu episcopis reservata est, ligatos scienter absolvere audebit, non impetrata hujusce absolutionis potestate, excommunicationis poenam eo ipso incurrat.

Ut autem in promptu iis esse possit semper, quinam sint casus episcopis reservati, præter eos qui in bulla Cœnæ continentur a quibus nemo præter summum pontificem absolvere potest, hic inferere placuit.

CASUS RESERVATI.

Absolvere excommunicatos majori excommunicatione, suspensos, vel interdictos a jure, vel ab homine.

Eos, qui dolo, casuve aquam pro vino in calicem consecrandam apponentes, si consecraverint.

Blasphemantes Deum, ac Beatam Virginem, & omnes blasphemias hæreticales.

Opprimentes filios etiam ex casu.

Perjuros in præjudicium tertii, qui tamen non concedatur, nisi satisfiat parti læsæ.

Procurantes abortum, vel sterilitatem cum effectu.

Homicidium voluntarium, & ad id dantes auxilium, consilium, vel favorem.

Coeuntes cum ..... vel cum brutis.

Accedentes ad monasteria monialium, vel illorum clausuram ingredientes sine licentia.

Concubinarios, tam clericos, quam laicos publicos.

Incestuosos usque ad secundum gradum consanguinitatis, vel affinitatis.

Raptores virginum, illasque violenter stuprantes; vel coeuntes in locis sacris.

Usurarii; qui nihilominus præstabunt fi-

de-

deiſuſſionem, & juratoriam cautionem de reſtituendo.

Incendiarios voluntarios, & incidentes arbores fructiferas antequam publicentur.

Notarios qui intra menſem non revelaverint legata pia.

Impedientes, occultantes, & cum poſſint & debeant, non exequentes teſtamenta & legata ad pias cauſas.

Falſos teſtes, vel litteras, inſtrumenta, bullas, ſchedulas, proceſſus, aut quaſcunque alias ſcripturas falſificantes.

Notarios, qui doloſe diminutam informationem capiunt, vel dicta teſtium omnia non ſcribant.

Reſtitutio incertorum, vel male ablatorum, vel certorum non exiſtentibus quibus reſtitutio fiat, excedentium ſummam granorum trium.

Occupantes ſeu uſurpantes quocumque quæſito colore bona, jura cenſus, jurisdictiones, fructus, emolumenta, & quaſcumque obventiones eccleſiarum, monaſteriorum, hoſpitalium, & piorum locorum, aut non revelantes, in fraudem; quorum abſolutio etiam Sanctiſſimo reſervata ex concilio Tridentino.

Eos, qui confeſſarios, aut notarios prohibent, aut impediunt, ne ad ægrotos accedant.

Permutantes ſupremas teſtantium voluntates.

Legentes ſcienter, aut retinentes libros prohibitos.

Notarii, aut alii quicumque pervertentes voluntates teſtantium in relinquendis legatis piis alicui eccleſiæ.

Non revelantes, aut denunciantes hæreticos, vel hæreſis ſuſpectos.

Lacerantes, vel rumpentes figuras, & imagines Chriſti, vel SS. cum indignatione.

Sortiloquos, & divinatores cum dæmonum invocatione, tacite, vel expreſſe.

Abutentes chriſmate, oleo ſancto, aqua benedicta, vel alia quavis re ſacra præter eum uſum, ad quam ſunt inſtituta.

Comedentes carnes alioſque cibos vetitos in Quadrageſima, vel aliis diebus prohibitis ab eccleſia, aut eos diebus quaurageſimalibus in macello, vel caupona vendentes ſine ordinarii, vel ejus vicarii licentia.

Violantes libertatem, vel immunitatem eccleſiaſticam.

Commutationes votorum, aut diſpenſationem irregularitatum epiſcopo conceſſarum.

Male tractantes verbis, vel factis concionatores verbi Dei. Violantes Feſta.

Damnificantes bona, & poſſeſſiones menſæ archiepiſcopalis, vel epiſcopalis.

Non ſolventes decimas, & oblationes conſuetas.

Sponſos, qui ante matrimonium coram parocho, & teſtibus contractum carnali ſe copula commiſcent.

Falſificantes claves clauſuræ vel portæ exterioris monaſterii monialium, idque ſcientes, & non revelantes, aut auxilium conſilium, vel favorem ad id præſtantes.

Prædictos caſus, & alios, quos ſibi quilibet epiſc. reſervaverit, eos archipreſbyteri, & parochi, in ſua unuſquiſque parochiali eccleſia quotannis quadrageſimæ, & adventus initio promulgent, tum ut qui confeſſiones audiunt excommunicationis poenam vitent, quæ contrafacientibus ab hoc noſtro ſynodo conſtituta eſt, tum etiam ut ſciant fideles, quorum peccatorum abſolutiones ab epiſcopo petant, aut ab iis, quibus id oneris impoſuerit.

ANNO CHRISTI 1596.

CAP. XIV.

De SS. euchariſtiæ Sacramento.

Et quia Ss. euchariſtiæ Sacramentum inter cætera primum ac præcipuum eſt, tum quia realiter in eo exiſtat verum Chriſti Corpus, tum etiam quia ad hujus finem reliqua ſint inſtituta; æquum eſt, & rationi maxime conſentaneum, ut ſingulari quadam gravitate, & reverentia adminiſtretur, utque a plebe ſupplici devotione ſumatur. Hortamur propterea populos omni charitate, ut ſalutiferum hoc Sacramentum, quo uberrimus illé gratiarum fons diffunditur, officioſo affectu ſæpius frequentent. Cum eis adminiſtrandum erit, qui antea illud nunquam ſumpſerunt, eos parochus aliquot dies antea diligenter admoneat de vi, & dignitate tanti Sacramenti.

Statuto autem ab eccleſia tempore; ut a Dominica Palmarum uſque ad octavam paſchatis, volumus, & ordinamus, ut quis vir, aut mulier perfectæ ætatis, & rationis uſum habens in propria parochia euchariſtiæ ſacramentum ſumant.

Atque ut commodius noſcantur illi, qui tunc temporis communioni non interſint, curet epiſc. a dioeceſis ſuæ parochis ſignum aut ſchedulas diſtribui, quas poſt octavam Paſchatis ad ipſum tranſmittant, quatenus hac ratione animarum ſaluti debite conſulere valoat.

In hujus adminiſtratione ſacramenti, in quo panis vivus, qui, de coelo deſcendit, manducatur, mappæ mundæ ſemper exponantur, torque ſternantur, quot videbuntur communicantibus ſufficere. Cogant vero archipresbyteri communicantes os decenter aperire, teneantque ſub eorum mento patenam, ut ſi forte aliqua decidat particula colligi facilius poſſit.

Purificatio autem ne detur in calice conſecrato, ſed in vaſe vitreo, vel ſtamneo, ne quisquam ſibi perſuadeat rurſus ſe Chriſti ſanguinem ſumere; cum utrumque, corpus pariter & ſanguinem in hoſtia ſacra, plene, & realiter ſumpſerit. Ipſum vero vas vitreum, aut ſtamneum alteri uſui non ſerviat, quam fidelium purificationi.

Miniſter aſſiſtens ſemper ſtola, & ſuperpelliceo induatur.

Conferant hoc ſacrament. rev. archipresb. viris ſeparatim a mulieribus, vel alio in loco ſequeſtratis ſaltem per ſcannorum poſitionem; aut certe horis diverſis, ne vafer ille humani generis hoſtis tam eximium ſacræ actionis opus minuat, carnales, & inhoneſtas cogitationes eorum mentibus ſuggerendo.

Eſt ſane a chriſtiana religione admodum alie-

ANNO CHRISTI 1596.

alienum, ut sint plerique in fidei erudimentis addiscendis ita aridi & jejuni, ac plane negligentes, ut ne orationem quidem dominicam, & salutationem scire curent angelicam. Quamobrem archipresbyteris omnibus, aliisque curam habentibus animarum districte mandamus, ut hujusmodi homines bis terve in christi visceribus admoneant, utque quæ homine Christiano digna sunt in scholis doctrinæ Christianæ solemniter ediscant. Si parere recusaverint, eos neque absolvant, nec sacram communionem administrent, nisi prædicta memoriæ commendaverint.

Quicunque vero in paschate a dioecesi abfuerit, is reversus testimonium sacerdotis, sigillo ordinarii, aut ejus, cui id curæ dederit, se communionem sumpsisse deferat. Alioquin ecclesiæ præcepto pareat, & in propria parochia confessus.

Custodiatur hoc sacrosanctum sacramentum quam ornatissime poterit, juxta ordinem supra descriptum.

Octava quaque die mutentur particulæ consecratæ eas sumendo, & alias consecrando, ardeatque nocte dieque lampas coram tabernaculo SS. corporis Domini. Ubi vero sine gravi dispendio fieri poterit, tres lampades ad honorem SS. Trinitatis, quæ præsentialiter residet, appendantur.

Efferatur perpetuo SS. Eucharistia sub pallio, lanternis, & thuribulo, cumque maximo facum numero, qui haberi possit. Piures autem particulæ semper deferantur, ne in reditu populus vacuam adoret custodiam.

Ne liceat deinceps sacrosanctam Eucharistiam deferre ad ægrotos, qui morbi gravitate impediti sumere eam non possint, ea saltem ratione, ut ipsis deosculanda offeratur. Quamobrem si talis consuetudo aliquo in loco nostræ Provinciæ viget, hoc plane decreto tollendam decernimus & mandamus, & declaratione Illustrissim. DD. cardinalium sacr. concilii Tridentini interpretum.

Nolumus hoc sacramentum morti adjudicatis negari; sed eo die, quo sunt supplicio afficiendi viatico SS. Corporis Christi Domini nostri se abstineant.

Quotiescunque per civitatem, aliasque terras processio fiat, ea mane semper, non a prandio obeatur, nisi temporis injuria, vel alia necessitas impedierit; quo vero tempore hujusmodi processiones aguntur, nemo a fenestra, vel alto loco prospiciat; sed inferius stent omnibus flexis genibus adorantes.

Neque interea actus, repræsentationes, eclogæ, seu versus recitentur, cujuscunque etiam devotionis prætextu id fiat, nisi prius episcopo constiterit, prædictaque ab eo sint approbata; ne forte versutus ille serpens inter veneranda mysteriorum solemnia spinas hæresum disseminet, quod in plerisque orbis regionibus ipsum hoc modo egisse compertum est.

CAP. XV.

De sacramento matrimonii.

ANNO CHRISTI 1596.

Cum sacramento matrimonii nobis apertissime demonstretur indissolubilis illa divinæ, humanæque naturæ unio, ipsiusque D. N. Jesu Christi propensa liberalitas, dilectam ecclesiam in sponsam assumentis, merito debet sancte tractari, & venerari. In primis igitur dum vir, & mulier sacro matrimonii vinculo jungi postulant, tres publicæ denunciationes prius fiant a parochis tribus diebus festis inter missarum solemnia juxta formam concilii Tridentini, idque tam in parochia viri, quam mulieris, ubi contingeret eos a diversis locis originem trahere.

Hæ autem denunciationes a parocho ante ne fiant, quam illi, quorum matrimonium denunciandum est, & non alii eorum nomine, & si illorum parentes sint, ab ipso archipresbytero, vel rectore fieri postulent, aut saltem ut fiant ambo consentiant; quod si in diversis parochiis illi habitent, unus & alter parochus, ut supra dictum est, servetur; neque matrimonium alter rector denunciet, nisi ab altero rectore certior factus sit de consensu illius, qui alterius est pure subjectus.

Archipresbyter, & rector, qui populo matrimonium denunciaverit, quod parochiæ suæ incola extra illius finem contracturus est, nullam exhibeat in scriptis fidem, quasi aliquam ejus matrimonii denunciationem pertulisse significet, priusquam eas omnes, quæ facienda erunt omnino absolverit.

Si archipresbytero, vel rectori, qui matrimonium promulgabit, aliquod denuncietur impedimentum, quamobrem inter sponsos illud contrahi non posse dicatur, is ne ad illius matrimonii celebrationem, neque ad alteram progrediatur denunciationem; & si id impedimenti, quod affertur, vel nullius momenti, vel fallum, vel malitiosum sibi esse videatur: sed rem ad episcopum deferat.

Si autem denunciatum ter publice matrimonium post duos menses celebratum non erit, volumus illud ipsum rursus denunciari, neque ad effectum perduci, nisi prius episcopis innotuerit.

Monemus itaque sponsos, ut tribus saltem diebus ante sponsalia, vel ipsius matrimonii consummationem vigiliis insistentes, gratiamque divinam implorantes, pie, sanctequc peccata confiteantur, ac sacr. eucharistiam sumant.

Hortentur archipresbyteri, & parochi summa claritate populum, ne post datam matrimonii fidem sponsi insimul convivantur, cohabitentque, antequam ipsum matrimonium in faciem ecclesiæ celebrent, benedictionemque ab archipresbytero dari solitam in missa receperint, sub poena episcopi arbitratu imponenda.

Is enim abusus inolevit inter nostræ provinciæ homines, ut plerique sacro matrimonii vinculo copulandi fidem dent, matrimoniumque contrahant: tamen sacerdotalem benedictionem ex decreto concilii Triden-

ANNO CHRISTI 1596.

dentini in ecclesia accipiendam ad menses sex, interdum ad annum differant, interim que convivant. Quod cum multorum scandalorum seminarium sit, præcipimus, ut iidem sponsi quacunque dignitate præfulgeant, intra mensem ad summum a contracto matrimonio commemoratam benedictionem a sacerdote inter missarum solemnia suscipiant.

Si parochus a matrimonio denunciationes, vel benedictiones sine probabili causa ab episcopo prius approbanda, procrastinarit, ab eodem graviter puniatur. Si quis vir, aut mulier ad locum nostræ provinciæ cesserit, de quibus dubitari potest eos in concubinatu degere, ne, parochus ipsorum eos ibidem vivere patiatur, nisi literis parochus ipsorum certior factus sit, eosdem realiter vereque matrimonio copulatos ex ecclesiæ instituto cognoverit.

Parochus, quos sponsos experiendo videri christianæ doctrinæ rudimenta plane ignorare, nec eosdem conjungat, ni saltem orationem dominicam, salutationem evangelicam, & symbolum apostolorum rectissime calleant.

Forma verborum, quando imponitur annulus, hæc erit. *Ego conjungo vos in matrimonio in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Amen.* Annulus vero nonnisi benedictus sponsorum digitis imponatur.

Illud quoque advertant archipresbyteri, ac benedictionem aliquam uno eodemque tempore dent duobus sponsis, & duabus sponsis, sub uno pallio, & eadem missa.

Non etiam admittant aliquem utriusque sexus extraneum ad sacramentum matrimonii sine expressa episcopi licentia. Volumus etiam ultra supradicta fidem sui parochi, aliudve vitæ testimonium multorum subscriptione firmatum exhiberi.

Interea archipresbyteri plebi suæ sæpe numero declarent matrimonia clandestina quavis permissione, fide, seu juramento facta, subintelligendo osculum, & copulam carnalem, nulla esse, & irrita; eosque qui ea contrahunt, gravissime ab episcopis puniendos esse decernimus.

Teneantur etiam parochi compingere librum, in eo nomen, ac cognomen sponsi ac sponsæ, testium item præsertium, cum die nuptiarum, & sacerdote sacramentum conferente, diligenter adqotantes.

Dum autem in memoriam revocamus, quam graviter eos, qui spurco concubinatu sacri ligaminis litorem commaculant, sacr. conc. decreta requentes criminis hujus usque adeo arpis adices evellere per optantes, præcipimus archipresbyteris, ut concubinariorum, si quis apud eos sunt, notam describant, quatenus eos pro meritis episcopus corrigat, & castiget.

Sciant parochi ab adventu, usque ad epiphaniam, & a feria quarta cinerum, usque ad octavam paschatis inclusive dumtaxat, prohibitas esse nuptias, vel solemnes benedictiones nuptiarum; cæteris vero temporibus posse eas solemniter celebrari.

ANNO CHRISTI 1596.

CAP. XVI.

De sacramento ordinis.

Quæ, & quanta sit hujus sacramenti dignitas, quove in pretio haberi debeat, ex sacræ scripturæ lectione cunctis perspicuum est, quod sacerdotes illustribus, & præclaris dignantur nominibus; interdum eos appellando *regale sacerdotium, gentem sanctam, genus electum & vocatum in sortem ad hæreditatem Dei:* nonnunquam vero *salem terræ, candelabra ardentia, mundi lucem*, & similia, quæ sane ipsius excellentiam evidentissime declarant.

Quocirca omnes in visceribus Christi monemus, ut ab operibus sordidis, & mecanicis tanto gradui haud congruentibus clerici, & sacerdotes abstineant, studeantque se & suas actiones exteriores, & interiores pietate, & gravitate decorare

Nemo fallaciter sibi persuadeat ad ordines sacros posthac admissum iri, nisi in ipso ea singula eluceant, quæ a sacro concilio Tridentino, & canonibus necessaria præscribuntur. Unde clericos omnes in Domino hortamur, ut vitam moresque suos probe componant, sacrarumque litterarum studiis nocte, dieque vacent, ne admodum negligantes divinam comminationem a Domino per prophetam audiant, *quia scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris* Osea c. 4.

Priusquam clericus ad sacros ordines promoveatur, curet in ecclesia ter fieri monitiones & publicas denunciationes, non aliter quam in sponsalitiis agi solet.

Quicunque ad minores, vel majores ordines promoveri desiderabit, infrascripta curet episcopo testata facere. In primis ab archipresbytero & universitate scripto probet se legitimo matrimonio natum, dioceſanum esse, vel certe dimissorias episcopo exhibeat, quæ ipsum ad suscipiendum illum ordinem, vita, ætate, moribus, scientia, & reliquis rebus ad divinum cultum opportunis habilem contestatur. Tum postea patentes ordinis postremo suscepti exhibeat, ætatem habeat legitimam, competenter litteris sit imbutus, & ecclesiasticis functionibus noviter invigilaverit, & confessionem sacramque communionem sæpius frequentaverit. Testatum etiam faciat, se habitu clericali incedere, & præsidentium ecclesiæ cui adscriptus est, jussui parere.

Ad subdiaconatum cupiens promoveri, beneficium, pensionem, vel titulum assignet, qui si patrimonii fuerit, authenticam in scriptis habeat fidem ab officialibus locis, in quo sita sunt bona, qua probetur de ipsorum valore, & reditu, & an sint propria vel aliena, an juramento, vel publica fide ipsis donata; quam fidem octo diebus ante ordinationem episcopi notario præsentet, ut sciri possit, an ad illius victum sufficiant; hæc autem bona ei vendere non liceat, aut beneficium, vel pensionem resignare, donec de alio beneficio sit ei provisum, vel alias habeat unde vivere possit, de quibus episcopus semper certior re-

ANNO CHRISTI 1596.

reddatur. At titulum ecclesiarum receptivarum plures non ordinentur, qui fructus ipsarum ecclesiarum decenter victum illis suppeditare non poterunt.

Nemo autem regularis ordinem suscipiat, nisi testimonium afferat se religionem professum esse, juretque in manibus episcopi se sponte id fecisse, vel ratum habuisse manu sua propria signatum. Quod testimonium in archivio episcopali decenter conservetur.

Utque imposterum dignitates, gradus, ordinesque cujuscunque dioecesis, neque minuantur, neque obliterentur, curabit archiepicopus, vel is qui proximum post episcopum locum obtinet, librum omnium clericorum tam sæcularium, quam regularium conficere, in quo eorum nomina, gradus, dignitates, ordines, tempus, diem & annum ordinationis, cæteraque describat, eumque annis singulis episc. describendum tradant, itaut ipse, & episc. eundem curiose servent.

CAP. XVII.

De Sacramento extremæ unctionis.

Extremæ unctionis Sacramentum, quod ultimis fere horis fragilis hujus vitæ suscipitur, nobis est a Christo Jesu omnium sacramentorum auctore relictum, cum ad defendendam corporis debilitatem, purgandosque defectus, qui propter peccatum veniale, & reliquias peccatorum quæ in nobis reperiuntur, tum ad suppeditandum robur, quo validissimis inimici tentationibus, quibus tunc temporis mirum in modum hommes infestantur, fortiter infirmus sese opponat. Hinc summis viribus Christianos eniti convenit, ut pio mentis affectu, illud recipiant, non expectantes extremam illam corporis imbecillitatem, vel donec vires omnes prorsus exhaustæ sint.

Conferant parochi hoc sacramentum ægroto adhuc integris sensibus; si tamen morbi gravitate repentina sensus omnes ammittat, ita ut adhuc vivat, licebit idem ipsum administrare, si modo antea piæ voluntatis significationem dederit, adeo ut credi possit infirmum hoc sacramentum petiturum, si integra mente esset.

Quemadmodum vero hoc sacram. sanis, nullaque ægritudine vexatis non debet, nec potest conferri, neque intrantibus mare ad navigandum, neque ad pugnam proficiscentibus, utque morti adjudicatis, neque etiam pueris, & hominibus rationis expertibus; ita quoque negari hoc ipsum iis non licet, quos vulnerari ad necem contingit, sive febribus corripiantur, sive non, immo si nec & Sacramentum poenitentiæ, nec Eucharistiam recipere potuissent. Absolute enim volumus enormem illum abusum ab hac rectissima consuetudine discrepantem de nostra provincia extirpari.

Non administretur hoc Sacramentum impoenitentibus, publicis peccatoribus, vel excommunicatis, nisi prius evidentissima poenitentiæ signa demonstrarint.

Et quamvis extrema unctio exeuntium Sacramentum reputetur, nemo tamen si post susceptam hanc unctionem convaluerit, rursusque in aliud discrimen inciderit, hujus sacramenti subsidio nullatenus privari debet. In una vero eademque infirmitate, quantumvis prolixa, semel tantum ægroto conferatur.

Quotiescumque hoc Sacramentum ad infirmum defertur, non sinu, brachiove comprehendatur, sed sacculo ad hoc aptato sacri vasculum olei imponatur, sacerdotis collo appendendum, ut ab effusione, aliove accidente securum reddatur; maxime autem noctu, & tempore caliginoso, & dum longius, & per vicos periculosos eundum est.

Quod si inter ungendum, ægrotus repentino morbo correptus fuerit, itaut dubitetur, an sit mortuus nec ne, tunc peragat parochus unctionem, his verbis: *Si es vivus, per istam sanctissimam unctionem &c.*

Porro episcopus pro pastorali cura, utque aliorum pietatem excitet, ægrotos, ac maxime religionis amantes interdum invisat, iisdem moribundis benedictionem episcopalem impartiens.

Debeant parochi completa unctione infirmis, item ad meliorem vitam tendentibus assistere, spem illam æternæ salutis proponendo, verbisque salutaribus eos admonendo, ut hilari ferant animo præsentes labores, quippe qui ad quietem ac beatorum felicitatem gradiantur.

At quia cum in eo tam divino opere non minima meritorum pars consistat, volumus, & ordinamus, ne a dicta assistentia unquam deficiant, sed precibus, tamdiu præsentes adsint, donec ipsa agonizantis anima relicto corpore ad illius tribunal evolaverit, a quo pro meritis est receptura mercedem, vel si aliorum infirmorum necessitas, vel ecclesiastica munia eos diutius abesse patiatur, hortentur alios, ut ibidem permaneant.

CAP. XVIII.

De vita & honestate clericorum.

Nihil itaque cum sit, quod populum ad pietatem Dei cultum, religiosorumque observantiam magis stimulet, quam ecclesiasticorum vita, morum integritate, lucidisque exemplis collustrata; supereſt ut eam vitæ probitatem præseferant clerici, eumque actionum suarum odorem emittant, quem & immaculatos Dei ministros deceat, & cunctis facile afferat admirationem; hoc enim & ordinum suorum ratio postulat, & idem sacri canones præcipiunt.

Mandamus igitur universis, & singulis clericis, tam minoribus quam sacris ordinibus initiatis, ut habitum decentem, & oblongum deferant, qui saltem ultra medias tibias protendatur, & a cervicibus ad collum deflectatur, sub poena episcopi arbitrio reservata.

Sub eadem poena ordinamus, ut quilibet clericus tonsuram ordini suo convenientem gerat, pilosque labii superioris debite resecandos curet, ne in susceptione pretiosissimi corporis, & calicis Domini aliquod præbeat impedimentum.

Nolumus etiam quoscumque clericos annu-

nulos in digito gestare, nisi alicujus officii dignitate emineant, aut certe gradus, in quo constituti sunt, id requirat, sub poena perditionis annulorum.

Ne cingant colla sua rugatis collaribus, multoque opere consutis, neque portent femoralia ampla, aut curiose consuta.

Nullo etiam tempore per civitates, & oppida armati incedant, neque archibusos ferant sub poena centum librarum multæ irremissibiliter exigendæ.

Si quis autem similia arma gestaret, longitudinem trium palmorum excedentia, vel alios cultros unius palmi, gravissima poena plectatur arbitrio episcopi: dum tamen necessitate cogente per periculum loci ipsos proficisci continget, armis quibusdam statui congruentibus utantur; in memoriam revocantes, eos solum arma ab hostium tum visibilium, cum invisibilium injuria tutos reddere, quæ a divo Paulo non semel nobis assignantur.

Nunquam sese populorum conspectibus larvatos offerant, neque comedias, aut eclogas recitent, aut dum recitantur intersint sub poena episcopi arbitratu infligenda.

In domibus ad ecclesias conjunctis nolumus mulieres cum sacerdotibus cohabitare, quovis consanguinitatis gradu eis attineant. In aliis vero ad ecclesiam non spectantibus nulla, nisi parens germanave sit, cum ipsis convivat, idque causa ab episcopo cognita, & approbata.

Mulierum domos neque nocturno tempore frequentent, nisi consanguinitatis vinculo ipsis junctæ sint, plane prohibentes ne illarum domos intrent, e quibus vel minima scandali suspicio in populo possit oriri.

Nullam denique mulierum comitentur, ejusve mensæ inserviant, cum id sacerdotali dignitati repugnet.

Caveant omnes sacerdotes tam sæculares, quam regulares, quacumque etiam conditione, seu præeminentia fulgeant, ne banditos recipiant, aut ab aliis recipiendos curent, occultent, foveant, vel auxilii quidpiam impendant sub poenis gravissimis.

Ab omni etiam ludi genere, qui cartis lusoriis, & taxilla agitari solet, abstineant, & etiam ludis, quos vulgo dicunt palleamaglio in locis publicis, similiter quibusvis aliis ludis sacrorum canonum jure prohibitis.

Nullum vero præterea venationis genus attrectent; cum sac. Trident. concil. tam expresse inhibeatur. Quapropter nolumus ut canes, avesque venatorias apud se habeant, sub poenis a sacris canonibus constitutis, aliisque arbitrio episcopi reservatis,

Fugiant quæcunque convivia, in quibus viget ebrietas, nec amoribus lasciviisque modulationibus, aut choreis delectentur, quæ procul ab animis sacerdotum, & clericorum esse debent.

Nuptialibus præterea epulis, quæ sponsorum, quos conjunxerit, quibusve benedixerit causa ... erunt, eo usque intersint, donec in eis ad ludos, choreas, saltationes, aut amatorios & lascivos cantus procedatur. Idque omnibus clericis prohibetur, & multo magis ne laicorum serviant conviviis.

Nullam quoque mercaturam, turpiaque lucra, & inhonestos quæstus exerceant, neque cum aliquo contractent, aut per se vel per interpositam personam sub poena perdendæ mercaturæ, carceris, aliave episcopi arbitratu.

Ne obeant munia Baronum, vel communitatum, neque pro scribis inserviant eisdem, ut scandala, rixæ aliæque dissensiones (ut plurimum fit) hoc pacto caveantur.

Prohibemus etiam, ne apud judices sæculares procuratorum advocatorumque munere fungantur, qualiscunque etiam causa sit; neque ipsorum Tribunalibus compareant, ac ne officialium quidem domos frequentent, ne turpius secreto agant, quod palam facere prohibentur. Id vero si in casibus a jure permissis fieri necesse erit, obtenta ab episcopo licentia in scriptis permittatur.

Ad mensam accedentes, illam prius benedicant, atque ab ea decedentes gratiarum laudes pro sumptis beneficiis omnium bonorum largitori persolvant.

Habeant semper penes se libros aliquos spirituales, nempe sacrum concilium Tridentinum, synodum hanc provincialem, cathechismum Romanum, & aliquam summam, seu tractatum de sacramentis ab episcopo approbandum.

Abbates & præpositi, & alii jurisdictione proprio nomine vel alieno fungentes in provincia nostra actum aliquem ad episcopi jurisdictionem pertinentem exercere ne audeant, nisi prius, vel ab episcopis, vel ejus vicario facultatem impetrarint. Alioquin si secus attentaverint, tanquam usurpatores, & turbatores jurisdictionum episcopi sacrorum canonum poenis afficiantur.

Nullus audeat sacerdos exorcizare, aut immundos spiritus conjurare, nisi cum episcopi licentia; neque enim nos latet in exorcista præter sufficientem rerum experientiam, vitæ pariter sinceritatem deliderari; archipresbyteros tamen in hac lege comprehensos non censemus.

CAP. XIX.

De missarum celebratione.

Si eos qui arcæ Domini vasa olim portabant, omni spurcitia, & labe carere necesse erat; quam majore munditia eos pollere decet, qui immaculatum illum propositionis panem, corpus, inquam, & sanguinem D. N. Jesu Christi in dies sumunt, aliisque sumendum porrigunt? Quamobrem omnes sacerdotes vehementer hortamur, & monemus, ut tam tremendum sacrificium peracturi, diligenti examine proprias conscientias scrutentur, & peccati alicujus sibi conscii ad confessarii pedes humiliter se persolvant, debeantque etiam *Curati* bis in mense sacrum missæ facere.

Priusquam sacras vestes induant, vacent aliquantisper orationi, quamvis etiam se vestiendo, & post vestitum similiter observent, cum nulloque confabulentur.

Forte legendum *non curati.*

ANNO CHRISTI 1596.

Missam ante perlegant studiose, antequam ad altare procedant ad evitandos errores; neque prius celebrent, quam clericus aliquis superpelliceo indutus ipsi assistat, qui candelas, vinum, & aquam, cæteraque ad missam necessaria paraverit.

Præcipimus autem sacristis omnibus, ne sacerdotem ad celebrandum egredi patiantur, nisi albam, & reliquas vestes ut æqualiter dependeant adaptaverint sub poena trium dierum carceris.

Sacerdos itaque sacro indutus apparatu præparet calicem cum hostia, & velo ea cooperiendo, & accepto calice manu sinistra dextram desuper imponat, sicque sacristiam operto capite egrediatur, præcedente eum clerico, qui antequam ulterius pergat, offerat sacerdoti aspergillum, quo se ipsum primo, deinde clericum aspergat: si ei contingat coram Ss. Sacramento præterire, debitam ei flexo poplite reverentiam exhibeat, capite quidem cooperto, quippe qui manum dexteram removere non debeant, eoque modo fixis in terram oculis ad altare procedat, neminem salutando.

Cum autem ad altare pervenerit, det clerico pileum, & facta inclinatione calicem supra altare collocet apertoque libro missam infimo in gradu incipiat.

Sint vero calices, vela, mappæ, & corporalia mundissima, que ad actum tam celebrem adhibentur.

Inhibemus vero superstitiosum numerum candelarum ab ipso sac. Concilio Tridentino vetitum.

In altaribus, in quibus non est, imago Crucifixi D. N. aut saltem sanctæ Crucis, vel Deiparæ Virginis Mariæ depingatur. Nullus sacerdos extraneus ad aliquam dioecesim nostræ provinciæ veniens permittatur celebrare absque episcopi licentia; si tamen itineri sit accinctus & sui ordinarii dimissoriam habeat in transitu ei semel liceat celebrare.

Sacerdotum hujus provinciæ paupertati consulere cupientes, statuimus, ut pro eleemosina missæ cujuslibet medius argenteus, seu carolenus conferatur, ita tamen ut ante celebrationem nil exigatur, cum memores eos esse deceat, etiam gratis oblata benigne esse accipienda. Qua de causa licebit minus accipere, ac absque eleemosyna celebrare. Quibus in ecclesiis, vel quia certi dies festi aguntur, vel quia indulgentiæ indictæ sunt, atque etiam in die commemorationis omnium fidelium defunctorum plures missæ celebrantur, quam aliis solet diebus, tunc in iis ob missæ celebrationem, ne sacerdoti cuiquam in particulari eleemosynas flagitare liceat, sed eas in capsula deponendas curent missarum magistri, qui certo ecclesiæ loco, vel præ foribus sacristiæ collocata erit, nisi alter super hoc jure sit ab episcopis provisum.

Sacristæ vero, aut magistri missarum, vel cui id muneris ab episcopo, vel ecclesiæ præsidente, aut capitulo injunctum erit, missarum numerum, quorum nomine causave illæ celebrari debent adnotent diligenter, sacerdotibusque præscribant, quid in sacro præstent, ad satisfaciendum eorum, qui obrulerint voluntari. Animadvertant quoque qui sacerdotes, quot, quoties celebraverint; tum peractis omnibus sacris inter eos tantum, qui celebrarint dictas eleemosynas, aut in fine anni ex consuetudine ab episcopis approbata, congruenter partiantur.

De eleemosyna distributa, si quid supererit apud virum deponi mandamus idoneum, aut in aliam missarum celebrationem distribuatur.

Quibus in ecclesiis missæ quamplures celebrari consueverint, earum rectores, vel sacristæ librum conficiant, in quo quot in unaquaque cappella, atque altari celebrandæ sint, & a quibus, describatur: ex quo libro tabella transcribatur in sacristia, & in loco conspicuo ponenda.

Quibus etiam in cappellis in provincia nostra, altaribusve quocunque titulo legati, donationisve nomine missæ sacrum in dies singulos fit, certum aliquem clericum, qui sacerdoti sacrum facienti serviat, substentari jubemus, idque per cappellanum, altariumve ratione, ubi aut sodalitates, vel ecclesiæ, vel piorum locorum procuratores desint; qui id ultro præstare velint, vel teneantur si ex tituli nomine in eis sacrum fit eorum sumptibus, qui titulum gerunt; si e legato, cujus certa summa sit, mercede ex eo desumpta; si ex devotione aliove nomine, eorum nomine præstari, quorum nomine illud Missæ sacrum fit. Si vero capellæ altaris, aut legati census usque adeo exiguus sit, ut clerici sustentandi onus ferre non possit, vel aliqua ineatur ratio qua contributionne aliqua ex illis capellis, & altaribus facta clerici sustentationi satisfiat. Quod si huic rei, ne hac quidem ratione consultum esse potest, is quorum interest, ad episcopos quamprimum rem referant, ut alia ratione commode satis provideat.

Quibus porro clericis ita, ut supra provisum erit, pro ratione minorum ordinum, quos susceperint, ecclesiasticas functiones in iis ecclesiis, ubi substentationem capiunt, ipsi præstent. In quibus vero ecclesiis post hujus decreti promulgationem tribus mensibus hujusmodi clericus non erit qui ea omnia obeat, ibi a nullo sacerdote celebretur, nisi hujus rei facultatem nominatim scripto expressam ab episcopo impetrarit.

In privatis Missis unus clericus, si ejus copia haberi potest, superpelliceo talarique veste indutus; alioquin laicus clericali sive honesto aliquo habitu amictus sacerdoti celebranti decore, ut inserviat, mandamus.

Nec clericus sacerdoti ante ministret in altari, quam in illius mysterii functione rite instructus sit.

Dum parochus in parochiali ecclesia concionatur, non liceat ulli sacerdoti, ne ei quidem qui una cum eodem parocho, sive archipresbytero in ea ipsa ecclesia curam gerat animarum, Missæ sacrum peragere, aut etiam baptismi, si modo mortis periculum non immineat sacramentum administrare.

Quæ præterea ecclesia adeo angusta, atque exigua est, ut uno tempore plures sacer-

ANNO CHRISTI 1596.

cerdotes in ea celebrantes mutuo se audiant, ita ut alius alium perturbare possit, ne eodem tempore plures quam duo missæ sacrum faciant; unusquisque ab altero quam longissime poterit distet, idque omni tempore servetur, maxime vero cum dies festus vel exequiæ, vel indulgentiæ celebrantur.

Et quemadmodum in missa conventuali, aut parochiali, cum corpus Domini elevetur, signum sono campanæ datur; ita in privatis quoque missis præstetur, ut parvum tintinnabulum, aut in altaris latere appensum, aut e sacristia allatum, a clerico ministro certis ritibus pulsetur.

Omnes fideles missæ ita intersint, ut in omni ejus parte, genibus flexis sint, præter quam dum Evangelium pronunciatur, quo tempore, ne mulieribus flectere genua, aut sedere liceat.

Nullus sacerdos cujuscunque gradus tonsuram clericalem non deferens, celebrare præsumat, neque sacrista cum vestes sacras inducere sinat.

Inter celebrandum nemo caput reticulis, seu sabiretis operiat, aut ipsa collocet in altari.

Nullo modo prætermittatur perantiqua illa, & plene necessaria consuetudo in ecclesiis collegiatis, & parochialibus, ut dominico die inter missarum solemnia denuncient archipresbyteri, & parochi, quæ vigiliæ, qui dies festi in hebdomada inciderint.

Cum fit oblatio, non patena, sed crux, aliave imago, quæ vulgo *la pace* dicitur, fidelibus offerentibus ad osculum, vel si malint, altera pars manipuli inferior a sacerdotibus celebrantibus præbeatur.

Nolumus ante auroram, aut post meridiem ab aliquo celebrari, & simul atque sacerdos ad altare pervenerit, nulla ratione perpediatur, neque aliquem præstoletur.

Ne legat memoriter canonem, sed summa, ut par est, vigilantia, & attentione.

Evangeliorum liber nemini deferatur exosculandus, præterquam episc. loci ordinario, etiamsi plures episcopi missæ sacrificio intersint.

Candelæ non extinguantur nisi finito ultimo Evangelio, & in fine missæ Evangelium legatur: *In principio erat Verbum*, nisi in ordinario aliud assignetur. Quibus vero libuerit pro sua devotione precari, tum id agere, commode poterunt, cum postremum Evangelium absolverint.

Finito tandem sacro sacerdos in sacristia omni qua poterit animi elevatione, Deo gratias agat.

Laici, & maxime mulieres ne adeo accedant ad altare, ut impedimento sint sacerdoti; atque ob id tutius erit, ut ubi fieri possit, scabellis quibusdam, cancellove altaria circumsepiantur.

In ecclesiis collegiatis, & parochialibus, nunquam missa conventualis, quæ cantari debet, omittatur, in qua dum corpus Domini nostri Jesu Christi elevatur, sonum campanæ detur, cujus significatione fideles, qui in ecclesia non adsunt admoniti ad tanti tamque magni mysterii & beneficii recordationem animum excitent, & extollant.

Sacerdotes novissime ordinati primas Missas ante non celebrent, quam ab episcopo ejusque vicario generali facultatem obtinuerint qua constet, quod cæremonias didicerint, gratisque semper concedatur. Convivia autem illa innumeris abusibus plena, quæ tunc fieri solent, omnino prohibemus.

Cum præsules non deceat pontificales missas pontificali illo habitu altissimum sacerdotem in cælesti majestate Christum Dominum referentes, plebesque suas Deo conciliare, eisque solemniter benedicere cupientes, sine magna populi frequentia celebrare; idcirco nostra synodus vehementer optat, ac perantiquum illum ecclesiæ morem instaurando decernit, ut singuli insignes ac solemnes dies festi, quibus ut plurimum episcopi solemniter sacra facere solent, palam populo a parochis, & animarum rectoribus denuncientur; unde populus, & optimates, imprimisque sæculares magistratus, qui civitatibus præsunt, ac cæteris, qui inferiores sunt rectam vivendi normam debent, sanctaque exempla præbere, intelligant se in Domino admonitos, denunciatis diebus in cathedralibus ecclesiis intersint vesperis, ac missis, suamque erga ecclesiam, ejusque pastores religionem, & observantiam ostendant. Cum indignum sit hujusmodi solemnitates, quæ ad communem populi devotionem, utilitatemque institutæ sunt, tanquam ad se non pertineant, otiose, inutiliter derelinqui.

ANNO CHRISTI 1596.

CAP. XX.

De divini officii religione.

Gravissimum probrum, quo prophetica vox sacerdotes infectatur illud jure censendum est, dum concitato spiritu in eos exclamat; *hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Quod nempe tum fit cum turbato ultro, citroque ordine, strepitu, clamoribus, & confusione summo cum dedecore templum Domini resonat. Itaque ut tot tantisque, qui in dies in divinis officiis accedunt erroribus occurratur.

Mandat in primis hæc nostra synodus, ut unaquæque ecclesia cathedralis, vel collegiata habeat ordinarium officii, ut difficultates, quæ in breviarii rubricis possent oriri, dererminentur, & sacerdotes habeant missalia, ac breviaria cum sanctis nuper additis. Quoniam & nullo officia distribuente maxima solet generari confusio, cupientes eandem a templo Dei simul arcere, volumus in singulis ecclesiis duos eligi rectores chori, ubi non sunt dignitates, quibus ex officio competat, ut diligenter libros præparari mandent, officia disponant, recitent capitula, & responsoria brevia cum antiphonis, lectiones cuiquam legentes denuncient, & psalmos ac responsoria incipiant. In omnibus cantus dissonantiam pro viribus evitantes, qui dum hoc funguntur munere, capite detecto erecti stent. Nullus intera præsumat iis rebus temere se se ingerere, quæ ad prædict. chori rec-

to-

ANNO CHRISTI 1596.

ctores, seu præfectos quoquomodo spectant, neve alius unquam defectus accidat volumus provectiores canonicos vices supplere absentium.

Singulis Dominicis festisque diebus *Te Deum*, *Benedictus*, cum antiphona, & oratione. In quibus vero ecclesiis viget laudabilis consuetudo, ut totum matutinum officium cantetur, omnino eam retineri mandamus.

Hebdomadarius primum in choro locum habeat & obtineat cum solemniter celebrat, nec ab eo recedat absque præsidentis licentia. Si vero recedat, subsequens ipsius vices suppleat, nisi alicujus ecclesiæ consuetudine ad altare majus sedere cogatur.

Sunt autem partes hebdomadarii, horas omnes inchoare, & recitare invitatorium cum psalmo *Venite*, incipere Hymnos, & primas antiphonas, dare benedictiones, & absolutiones lectionum, ac postremo orationes dicere; quæ dum præstat, stet erectus, aperto capite, omniaque singulari diligentia compleat.

Exequantur sacerdotes, canonicatus aliaque beneficia obtinentes hebdomadarii munus vicissim, atque ordine, significata hora qua inchoandum est officium, alter præfectorum chori campanulam spatio competenti pulsari mandet, ut sacerdotibus per ecclesiam forte dispersis, tempore liceat convenire; deinde Hebdomadarius statim incipiat officium neminem expectando.

Nemo chorum ingrediatur divini officii tempore, nisi habitu longo, & superpelliceo indutus. In introitu chori facta prius oratione, antequam sedem quilibet petat, caput aliquantulum superiori inclinet, stentque omnes ab utraque parte non dispersi, sed æqualiter divisi, non permittentes laicos in eorum sedibus sedere, psallentes per se ipsos distincte, sedate, factaque pausa in medio versiculi; atque verba ne transcurrant, vel syncopent, decenti gestu habituque, & composita voce cum devotione pronunciantes, nullos unquam risus, & colloquia immiscentes.

Cum aliquod responsorium est cantandum, pergant omnes ante librum, omnes etiam erecti stent in principio horarumdum hymni cantantur, vel leguntur cantica, Evangelia, capitula, *Te Deum laudamus; Quicumque*, *Gloria in Excelsis*, Præfationes, Apostolorum symboli, nec non usque *ad sanctus* genuaque flectant usque ad communionem a celebrante peractam.

Sed capita aperiant atque inclinent, præsertim ad prolationem nominis Jesu, vel B. Virginis, aut cum *Gloria Patri*, vel benedicetur in fine hymnorum Ss. Trinitati.

Punctatores duo in singulis cathedralibus, & collegiatis in singulos annos constituantur, uterque juramento præstito, se fideliter ac nulla personarum exceptione officio satisfacturum. Ambo punctatores libros conficiant deficientium, & singulis mensibus libros punctationum inter se conferant.

Quibus autem onus hoc impositum erit, ut defectuosos, tardeque ad divina officia convenientes adnotent, si in civitatibus sunt singulis mensibus, si vero extra civitatem binis, aut ternis ad episcopum, sive ejus vicarium schedulam adnotatorum deferant, vel quocumque episcopi mandant. Eos omnes adnotabunt, & toties, qui, & quoties in aliquem infrascriptorum errorum inciderint.

In primis, qui divinis officiis, impedimento cessante legitimo, non interfuerint.

Qui in choro prædictis horis non erit indutus superpelliceo mundo, & decenti, & capuccio.

Qui tonsuram ordini suo convenientem non gesserit.

Qui vestem longitudine superius descripta non habuerit.

Qui vestes alterius, quam nigri coloris, caligas, aut femoralia alterius quam albi, vel nigri.

Qui subuculum cum collari rugato, aut arte laborato gestaverit.

Qui inter officia libros, epistolas, aliave scripta, præter ea quæ ad officium spectant, legerit.

Qui, quo tempore dicitur officium publice, ipse per se privatim recitaverit.

Qui in choro dormiens; semel & iterum admonitus non vigilaverit, aut redormierit.

Qui præter oblatam necessariam occasionem, aut extra rem divinis horis congruentem in choro locutus erit.

Qui hinc inde vacatus erit, nisi id ratio postulet officii, aut majori cedens, consueto loco decesserit.

Qui sæpe numero admonitus, ut cæremonias decenter exequatur, aut negligentia, aut electione Præfectorum jussa floccipendent.

Qui a latere in quo consistit, nisi aliqua infirmitas prohibeat, cum cæteris non cantet, aut leget.

Qui priusquam terminetur officium e choro decesserit.

Qui peractis horis religiose cum comite ad sacristiam recta via non convenerit.

Qui in officio defunctorum, aut exequiis ad primam lectionem non advenerit.

Qui dum Psalio D. N. Jesu Christi decantatur, erectus non steterit.

Postremo qui choro præfectis, vel cæremoniarum magistris in iis quæ pertineant ad divina officia, obsequi recusaverit.

Expleto officio nemo exire præsumat, nisi facto signo, quo dato exhibita altari debita reverentia, invicem religiose salutent, & e choro discedentes bini cum silentio sacristiam ingredientes superpelliceum exuant.

Vetamus autem ne ullus cujusvis ordinis clericus præ foribus ecclesiæ stet, neque per vias, aut vicos incedat, aliove vagetur, neque ab ecclesia egrediatur superpeliceum gestans, nisi cum processiones, aliudve ecclesiasticum munus obeat, quod indumentum requirat.

Quicunque etiam sacerdotes, & clerici infallibiliter in ecclesiis collegiatis, de quarum reditibus vivunt, divinum officium omnesque horas canonicas in dies, aut canant, aut legant pro temporum, & solemnitatum ratione.

Singulis quoque diebus festis, qui vel ex ecclesiæ

ANNO CHRISTI 1596.

ecclesiæ præcepto, vel loci consuetudine coluntur, in archipresbyterali ecclesia archipresbyter, in parochiali parochus vesperarum officium cantet, datis tamen prius statuta hora, ut moris est, campanarum signis, ut fideles valeant convenire; nec non de mane recitet horas canonicas in illismet diebus, & etiam in hebdomada sancta. Quicunque autem presbyter in illa ecclesia ter quaterve per hebdomadam Missæ sacrum facere debet illum adjuvet, nisi alterius ecclesiæ ministerio addictus sit, aut ab episcopis addicatur. Quod si nemo adsit, adhibito sibi clerico, id vesperarum officium non cantu, sed alta voce recitet, ut abiis, qui præsentes adsunt, opportune audiri possit. Idque servari mandamus, ubi commode fieri poterit.

Decreta, quæ mox infra notata sunt, quotannis in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis cum frequentissimus populus in Missæ sacro præsens adsit, de scripto per Diaconum celebrantem summatim expresse legantur, & promulgentur. In cæteris vero ecclesiis curam animarum habentibus per parochos vulgari sermone certis infra constitutis diebus.

Tridentini concilii decretum adversus eos, qui clandestinum matrimonium attentarint, legatur initio anni, & calendis novembris.

Ejusdem concilii decretum de iis qui non solvunt decimas calendis maji, & prima die Dominica septembris.

Ejusdem decretum de iis qui usurpant bona ecclesiastica, ejusve jura; & pars illa bullæ die cœnæ Domini latæ, quæ est contra eosdem, secunda die quadragesimæ.

De iis qui non denunciaverint hæreticos, hæresisve suspectos dominica prima adventus, & quadragesimæ. Decretum de notariis legata pia non denunciantibus dominica die prima quadragesimæ. De notariis, & publicis usurariis, quibus interdicta est publica sepultura calendis Januarii, & feria secunda post Pentecostem.

In sacristia tam cathedralium ecclesiarum, quam reliquarum collegiatarum quatuor adsint perpetuæ tabellæ; una in qua omnes missæ, & officia pro mortuis, ac reliqua descripta sint, quæ ex impositio munere, quacumque de causa celebrari oportet; altera in qua cujuscunque dignitatis, beneficii, capellæ, altaris, & officii ejus ecclesiæ in missis, & aliis divinis officiis obeundis debita munia contineantur. Tertia, in qua quid a singulis presbyteris, aliisque clericis per hebdomadam, aut per plures etiam dies, recitandum cantandumve sit; & præsertim cum prælatus celebrat, quo tempore describatur. Quarta, in qua sint descripta confessariorum nomina ab episcopo approbatorum ad Christifidelium confessiones audiendas.

Triduo illo hebdomadæ sanctæ, quo ex Romanæ ecclesiæ more, strepitus, & fragor fieri solet, ad significandam in passione Domini Jesu Christi omnium rerum commotionem ii solum in fine.... matutinarum fiant. Curent autem parochi, & sacristæ ecclesiarum, ut populum ad religiosam Dominicæ passionis contemplationem invitent, strepitumque, præterquam præscripto tempore, ne fieri sinant.

ANNO CHRISTI 1596.

CAP. XXI.

De capitulo & canonicis.

Quandoquidem in terrestri hyerarchia dignitates, & prælaturæ radiantium stellarum instar sunt; ob id non satis est, muta quædam superioritatis deferre insignia; quapropter canonicos omnes in Christi visceribus obsecramus, ut lucidissimo omnium virtutum exemplo, sicut reliquis dignitate sunt præstantiores, ita pariter vitæ decore præfulgeant.

In primis igitur bis saltem in mense quolibet canonici cathedralium ecclesiarum, nec non collegiatarum quarumcunque aliarum ecclesiarum capitulum habeant, in quo diligentissime agatur de divinorum officiorum ratione servanda, & de erroribus in sacrarum cæremoniarum ritu commissis; tum legatur pars aliqua earum rerum, quæ de vitæ clericorum honestate his provincialibus, vel aliis dioecesanis constitutionibus præscripta erunt; & quotiescunque convocari capitulum contigerit, super his, vel aliis negociis, vocentur omnes, & major pars eorum, qui accesserunt concludet; omnibus vero non vocatis irritum, & cassum declaramus id totum, quod per præsentes determinatum, atque conclusum fuerit.

Si quæ vero decisiones, vel constitutiones pro communi omnium commodo, aut utilitate in prædictis capitulis per canonicos, vel collegiatos actæ fuerunt, per aliquem de capitulo ad id ab episcopis deputatum in peculiari libro sedulo adnotentur, inque archivio reponantur.

Neve quæ ad capitulum pertinent ullo unquam tempore pereant, præsenti decreto statuimus a cathedralium ecclesiarum canonicis & collegiatis archivium ædificari debere, duabus, & diversis clavibus occludendum, per duos canonicos retinendis. In quo archivio alter liber conservetur, qui instrumenta quælibet, & scripta cujusvis generis, quibus singulorum canonicatuum, præbendarumque bona, ac jura notata sint comprehendat. Item alia instrumenta, & scripta ad capitulum quomodolibet pertinentia in idem archivium referatur.

Quotiescunque autem capitulum convocari, necesse erit, a stata illa oratione, quæ de Spiritu Sancto dicitur, principium sumatur.

Porro quo regularis disciplina inter canonicos magis vigeat, episcopus singulis mensibus canonicali capitulo interesse studeat, vel eo loco ubi convocari solet vel alio, quo illud secum vacare voluerit, & de capitularibus rebus, tum spiritualibus, tum temporalibus, de divinorum officiorum cultu, & de capituli legibus inviolate servandis canonicos moneat, atque cum illis agat.

Canonici ad capitulum vocati omnes conveniant, nisi legitimo impedimento, de quo docere habeant, detineantur, nec nisi eo absoluto discedere audeant.

Qui-

ANNO CHRISTI 1596.

Quilibet canonicus in capitulo ſuo loco, ordineque non ſedens, ſententiamque dicens, vel dicentem alium interpellans, in illo & in duobus aliis deinceps capitulis ſententiam ne dicant, & nihilominus epiſcopi arbitrio puniatur. Neque præterea jocoſe unquam, aut ſcurriliter in capitulo loquatur, ſed graviter, & modeſte.

Ne cui officium recuſare liceat a capitulo commiſſum, niſi legitima de cauſa, poena in contrarium facientibus propoſita, aut quantum pecuniæ per duos menſes caperet eccleſiæ aſſidue inſerviendo, tantundem amittat.

Officia autem, quæ a canonicis capituli nomine geruntur, ubi non ſunt annalia, ad biennium ad ſummum conferantur.

Nullo tempore canonicis, aut collegiatis cujusvis eccleſiæ liceat bona, redditus, proventus, exactiones, vel emolumenta etiam certa ad capitulum quovis modo ſpectantia per ſe, vel per interpoſitam perſonam, ne ad minimum quidem tempus conducere ſine epiſcopi voluntate. Alioquin contractus omnes irriti ſint, & canonici, & clerici tam locatores, quam conductores graviſſima poena plectantur.

Id ipſum ſancimus de eorum propinquis, & conſanguineis uſque ad ſecundum gradum incluſive, niſi cognita re per epiſcopum pro eccleſiæ utilitate aliud judicatum deciſumve fuerit.

Celebranti epiſcopo, aut alia pontificalia exercenti canonici omnes ex præſcripto Tridentini concilii diligenter aſſiſtant.

Conſtitutio autem Pii Quinti pontificis maximi de fructibus canonicatuum & præbendarum vacantium, a canonicis, aut capitulo, & collegiatis clericis recipiendis, omnino ſervetur.

Quibus canonicatibus, & portionibus non eſt annexus ordo presbyteratus, diaconatus, vel ſubdiaconatus, epiſcopus cum conſilio capituli ſingulis ſingulos annectat, quemadmodum a Tridentino præceptum eſt.

Æquum eſt procul dubio, ut qui quotidianarum diſtributionum fructibus gaudere volunt, iidem laborum, ac onerum eccleſiæ partem inter ſe dividant. Quo circa qui functiones quolibet diei ſtatuto non expleverint, diſtributionem illius diei ne capiant, ſed fabricæ eccleſiæ, aliove operi pio epiſcopi arbitratu addicatur, niſi aliud ex conſuetudine ab epiſcopo approbata receptum eſſet, & ubi diſtributiones ſanctæ non ſunt, fiant juxta præſcriptum ſacri concil. Trident.

CAP. XXII.

De Parochis.

Quoniam ex cau um conſcientiæ cognitione, & frequer examine pendet ſacramentorum omnium recta adminiſtratio, & præcipue ſacramenti poenitentiæ; idcirco noſtra ſynodus provincialis mandat omnibus epiſcopis, ut omnes presbyteros in ſacris ordinibus conſtitutos, & præſertim parochos per ſuas civitates, & dioeceſes, quod huic tam utili exercitationi facilius ſe tradere poſſint, jubeat ſingulis menſibus convenire in aliquam parochialem eccleſiam, vel alium commodum locum, prout magis expedire videbitur, ibique aliquos conſcientiæ caſus diſcutere, & examinare ab eccleſiæ vel loci præpoſito proponendos. Et ſi quid inſolutum, aut dubium remaneret, loci theologum vel ſac. ſcripturæ lectorem adire pro rei dubiæ declaratione, ejuſque dictis ſtare & acquieſcere debeant.

Doceant parochi diebus dominicis, & feſtis plebem ſibi commiſſam fidei rudimenta cum brevitate & facilitate ſermonis; curentque in ſua parochia inſtitui ſocietatem nominis Dei, vel doctrinæ chriſtianæ, ad quam audiendam nedum pueros, & puellas, ſed rudes omnes venire authoritate epiſcopi compellant.

Habeant parochi librum, in quo naſcentes illorumque patrem, & matrem, & nativitatis diem, ſi ſpurii ſint matrem tantum; deſcribant. In quo etiam libro baptizatos omnes, illorumque compatres adnotent. Librum item confirmatorum, illorumque compatrum. Librum etiam parochianorum omnium & familiarum ſuæ parochiæ, in quo confitentes, & communicantes in paſchate deſcribant, & ſtatum totius parochiæ ſingulis annis referant. Librum etiam conficiant, in quo matrimonia, contrahentium nomina, diem contracti matrimonii, teſtes qui fuere præſentes, diemque cujuſcunque denunciationis factæ diligenter deſcribant. Librum denique morientium, in quo mortis dies, & ſepulturæ deſcribant, & an teſtatus vel inteſtatus deceſſerit. Quorum librorum exemplum ſingulis annis epiſcopali curiæ tranſmittendum curent, in illius archivio conſervandum.

Caveant autem omnino, ne ullum teſtificationis genus e ſuis libris parochialibus deſcriptum, vel illorum exemplum cuique tradant, ſine epiſcopi licentia, niſi teſtificatio ætatis, vel natalium petatur, quæ concedi poterit.

Referant etiam in alium librum decimas quas exigunt, tam perſonales, quam rurales, nec non funeralia, & jura mortuorum; item omnia quæ ab epiſcopis, vel eorum viſitatoribus in viſitatione ſuarum parochiarum decernentur, ut ea diligentius exequantur, & ab aliis exequi curent.

Viſitent parochi ſemel in hebdomada parochiam, & diligenter inquirant de pauperum, pupillorum, viduarumque ac nobilium puellarum neceſſitatibus, & ad epiſcopum referant; idemque de ſupervenientium incolarum, & mulierum cohabitantium conditionibus. Infirmos vero ſæpius viſitent, & quæ ad animarum ſalutem pertinent in primis eos moneant, quæ ad ſacra pertinent, in extremiſque laborantes non deſerant. Mortui non amoveantur a domo, niſi a curato a quo ſacramenta receperint, aut de ejus licentia, aut ab alio, ad quem de jure, vel conſuetudine ſpectabit.

Parochi frequenter moneant in eccleſia medicos, ut meminerint officii ſui circa importantiam capituli: *cum infirmitas &c.* extra de poenitentiis, & remiſſionibus; præſertim vero bullæ Pii V. ſuper hoc editæ.

Mi-

Miſerabiles perſonas, quibus nihil aut parum ſit ad funeris impenſam faciendam, gratis ſepeliant, vel eccleſiæ ſumptu, aut confraternitatum, ubi hæc pia viget ac laudabilis conſuetudo.

Parochi moneant patresfamilias, ut dominicis feſtiſque diebus majoribus filios, aut famulos, quos in beſtiis paſcendis, aut arvis colendis, & cuſtodiendis, aut aliis negociis peragendis occupatos tenent, ad miſſam concionemque audiendam venire diligenter curent, & moneantur; & parentes, vel filii ad miſſas audiendas prædictis diebus accedere ſtudeant, cum etiam illi eas audire teneantur.

Admoneatur ſæpe a parochis populus quanto ſcelere implicati teneantur, qui bona eccleſiaſtica, jura, jurisdictionem, actiones, redditus proventuſque occupant & detinent, decimaſque debitas præſtare negligunt; & pro iis tandem anathemati tamdiu ſubiacent, quamdiu juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverint, vel eas, quæ ad eos quomodocunque etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ pervenerint, eccleſiæ ejuſque adminiſtratori, ſive ejus beneficiato, integre reſtituerint; & deinde a Romano Pontifice abſolutionem obtinuerint, juxta diſpoſitionem concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 2. Decimarumque debitores ad earundem ſolutionem epiſcopis omnino compellant; & qui moniti non ſolverint, ex ejuſdem concilii mente, excommunicati declarentur, & ubi declarati erunt, eccleſiaſtica ſepultura, niſi ſatisfecerint, careant.

In parochialibus eccleſiis, in quibus plures reperiuntur beneficiati, rectores ſeu capellani, vel portionem fructuum vel proventuum habentes, & in eccleſiis, quæ receptione dicuntur, ad quas promiſcue, & inſolidum vel alias ex ordine, & gradatim, atque (ut dicitur) per turnum vel per hebdomadas adminiſtratio ſacramentorum, curaque eccleſiæ & animarum ſpectat, nulluſque inter eoſdem eſt, qui primum locum, gradumque certum habeat, omnino epiſcopi per deputationem unius ex eis provideant, & unus adminiſtrationem, & primum locum obtineat, & ſuæ, atque aliorum negligentiæ rationem reddere omnino teneatur, ne ſegnius, quod commune eſt, expediatur. Cum vero dictus deputatus morietur, vel aliter munus dimiſerit, vel amiſerit dictum primum locum, ſucceſſive alius ex eorum numero per epiſcopum prævio examine magis idoneus præficiatur.

Animadvertant parochi, an illi qui pro patrinis in ſacramento baptiſmi adhibentur, an ſint confirmati, an catholici, an ſanæ mentis, an bonæ famæ, an eodem anno in paſchate confeſſi ſint, & SS. Euchariſtiam ſumpſerint, an doctrinam Chriſtianam ſciant; itemque excommunicatos, interdictos, facinoroſos ab infantis ſuſceptione arcebunt.

Studeant etiam, ut poſtquam domum baptizatum infantem retulerint, patrem matremque infantis ipſamque nutricem moneant, ne illum in lecto teneant, ob ſuffocationis, & ſupreſſionis periculum, donec infans annum integrum ſaltem compleverit.

Quia ſæpe in muris, & valvis eccleſiarum affigi ſolent variæ ſcripturæ concluſionum diſputandarum, citationis per edictum, notificationes alicujus judicialis actus, & aliorum diverſorum negociorum; mandamus omnibus, & quibuſcunque, cujuſvis gradus, officii, & conditionis exiſtant, ne impoſterum tales, aut ſimiles chartas, ſeu ſcripturas cujuſcunque generis audeant in dictis locis affigere, vel affigendas curare abſque epiſcopi vel ejus vicarii licentia; alias latæ ſententiæ excommunicationem ipſo facto incurrant, & alias arbitrio epiſcopi poenas. Dictas vero chartas ſeu ſcripturas ab epiſcopis vel ab eorum officialibus non ſubſignatas, cuilibet licitum ſit impune auferre, delere, & lacerare, in quo parochi & ſacriſtæ omnes invigilabunt.

Orationem quadraginta horarum, ne ulla in eccleſia (inſcio epiſcopo) fieri ullo modo parochi patiantur, & alii eccleſiarum, & confraternitatum rectores, ſed ſæpe fiat pro loci qualitate.

Quoniam comperimus mortuo beneficiato, vel eccleſiæ miniſtro bona ad illius ſucceſſorem, & ad eccleſiæ ipſius miniſterium pertinentia a nonnullis furripi; ſynodus noſtra, conſtitutioni felicis recordationis Pii V. ſuper hæc editæ inhærendo, ſub excommunicationis poena latæ ſententiæ vetat, ne hujuſmodi bona quiſquam temere auferre, aut in profanum uſum vertere audeant, ut ſupradicta bona eccleſiæ vel miniſtro ſucceſſori de epiſcoporum ſcientia, & mandato conſignent.

CAP. XXIII.

De beneficiis eccleſiaſticis.

Mandat noſtra ſynodus, ut qui deinceps eccleſiaſtici beneficii poſſeſſionem adipiſcentur, ejus beneficii titulum ante omnia, ad falſitates vitandas, ordinario ſuo reddant.

Caveant epiſcopi, ne paſſim, aut indiſtincte omnes eccleſiaſticorum beneficiorum caudationes admitrant; ſed in iis tantum caſibus, qui Pii V. litteris exprimuntur; & meminerint excommunicationis, quæ earundem literarum ſanctione contrahitur, apoſtolicæ ſedi reſervari.

Eccleſiaſticorum bonorum locatio ad diuturnum tempus facta, cum ex Trid. conc. authoritate recognoſcenda erit, ne epiſcopus, qui bona ipſa locarit, quive ejus locationis commiſſarius, aut executor fuerit, cauſam dijudicet, ſed hujus locationis recognitio ad viciniorem epiſcopum pertineat, tum ad eos, qui locationis cauſis recognoſcendis in ejuſdem epiſcopi vicinioris dioeceſim profecti erunt.

Curent inſuper epiſcopi ſac. concilio Tridentino inhærentes, ut cum uno de capitulo, altero de clero ab eis deligendo quaſcumque bonorum eccleſiaſticorum locationes an ſint nec ne ad diuturnum tempus, vel contra ſacros canones contractæ, ut recognoſci faciant, vel recognoſci faciant a deputatis a prov. noſtra ſynodo.

Bonorum eccleſiaſticorum locatio ſchedulis publice de more propoſitis ſemper fiat,

ANNO CHRISTI 1596.

nisi eam aliquando secus fieri facultate in scriptis ab episcopis, vel ab eorum vicariis impetrata permissum sit; sin aliter fiat, locatio nulla sit, & qui locarit poena mulctetur episcoporum arbitratu.

Quæ ad certos pios usus sunt relicta, in alios etiam similes usus ne convertantur; immo ne necessitatis quidem prætextu, etiam testatoris hæredibus huic rei assentiatur, nisi jure id permittente ab episcopo facultas præstita fuerit.

Decimas ecclesiis omnibus debitas, de quibusvis fructibus, etiam antequam illi ad arcas, domumque asportentur, eligi licere declaramus. Licere item statuimus, si id illi maluerint, eorumdem fructuum, frugumque descriptionem fieri illos curare, perque illam descriptionem rationem exigere posse. Et quarta epis. ex illis legatis oblationibusque, & aliis dari solitis juris consuetudine integre persolvatur sub poenis arbitratu episcopi.

Qui vero a decimarum solutione alicujus vel privilegii vel causæ prætextu se immunes esse putant, iis ut privilegium, aut causam afferant immunitatis suæ, duorum mensium spatium constituimus; quo tempore, si nihil, quod valeat, attulerint, ad illas solvendas jure astrictos esse decernimus, nisi aliqua justa rationem, qui judex causæ fuerit, tempus constitutum censuerit prorogandum.

Ecclesiarum rectores, ne ecclesiasticorum prædiorum ullas arbores cædant; si tamen usuvenerit, ut eas, vel ad ecclesiam, vel ecclesiasticas sedes sarciendas restituendasve, aut ob aliam causam cædi opporteat, cum facultate ab epis. impetranda id ipsis facere liceat.

CAP. XXIV.

De Residentia.

Quam necessaria sit residentia in ecclesiis, cum ad Dei cultum statuendum, tum ad augendam animarum salutem, satis superque statuerunt Trident. concilii patres, tottis de eo sermonem faciendo: hinc omnes, & singulos in Domino hortamur, quibus animarum cura commissa est, ne gregem suum more mercenariorum deserant, sed propriæ memores salutis hæreditatem pretioso Christi Sanguine accquisitam curent, & pascant verbo, opere, & exemplo.

Si quis autem in ecclesia sibi subdita personalem residentiam facere neglexerit, eam epis. eidem infligat poenam, quam sacr. Trid. concilium præcipit; mandantes præcipue curatis, ut in parochiis suis habitent, etiamsi ecclesia propriam domum non habeat.

Nullus sacerdos quacunque etiam de causa, qui in civitatibus ultra diem, qui in dioecesibus ultra triduum a dioecesi absens maneat sine in scriptis epis. licentia.

Sciant quoque omnes abbates, archipresbyteri, rectores, atque curati, & canonici se ecclesiastica non posse obire officia per substitutos, sed per se ipsos, & personaliter residere debere.

Et si prædicti omnes jure ad residentiam tenentur, ii tamen qui cura non premuntur animarum, sed alia habent onera dignitatibus annexa, quæ personale flagitant ministerium, ne arbitrentur propterea ad residentiam se non teneri. Ad epis. item studium spectabit, ut suo quisque muneri (ut prædictum est) per se ipsum, non autem per substitutum, cum electa sit personæ industria, satisfaciat. Hujusmodi sunt, qui dignitates, aut canonicatus obtinent, quorum præsentia, & officio non solum ecclesiæ cultus divinaque ministeria, sed etiam episcopalis ipsa administratio vehementer ornatur, ac augetur. Quod si prædictas dignitates obtinentes distributionibus carent, ut & ipsi congruum ecclesiæ servitium impleant arbitrio ordinarii præscindendum, ordinarius tertiam partem ex fructibus, & proventibus quibuscumque illarum dignitatum in distributiones convertat juxta Tridentini concilii decretum assignandas.

Præterea quæcunque beneficia ecclesiastica quicumque obtinent, in quibus, etsi curata non sint, tamen residere vel jure, vel consuetdine debent, in eos epis. ut præmissum est, animadvertat, & poenis a sacro concilio Tridentino statutis, & aliis suo arbitrio, si non resederint, utatur.

CAP. XXV.

De Hospitalibus, & alis piis locis.

Monemus omnes & singulos, qui ecclesiastica hospitalia, & confraternitates, collegia, aliaque pia loca in commendam, administrationem, aut quemcumque titulum obtinent, ut inviolabiliter observent constitutiones, & decreta Trid. concilii.

Teneantur magistri, procuratores, administratores dictorum locorum episcopo, vel per ipsum deputandis, annis singulis administrationis suæ rationem reddere.

Non liceat eis quoquo pacto piorum locorum bona dilapidare, vendere, alienare, aut in alios quosvis usus convertere, quam quibus descripta sunt, sive episcopi consensu & si destinatus usus non reperiatur; definietur per epis. in visitatione.

Ad procurationis, vel administrationis officia electi non præsumant suis fungi officiis, nisi prius in manibus epis. vel ejus vicarii juraverint, onus sibi impositum fideliter ac diligenter se executuros.

Prohibemus etiam, ne in præfatis oratoriis de allis rebus verba faciant, quam de conducentibus ad confraternitatem seu collegiorum utilitatem, sub poena excommunicationis.

Ordinamus deinceps, ne prædictorum locorum administratio uni eidemque personæ ultra annum, vel ad summum biennium commutetur; aliter concessa, sit omnino nulla, ita ut id agens vacet per annum ab omni officio societatis, vel alterius loci pii.

Priores vero, & administratores rationem acti officii non reddentes, non possunt denuo ad eamdem administrationem eligi, vel assumi, nisi ad minus lapso anno; alias nihil effectum sit.

Qui

Qui bona ecclesiæ sive solus, sive cum aliis administrat, sive per se, sive per interpositam personam ea emerit, aut emphiteusis, locationis nomine conduxerit, ab administratione statim amoveatur, & ad alias censeatur indignus.

Quod si administrantes mutuo dederint, vel quod gravius est, a piis locis sumpserint, itidem ab officiis removeantur, & indigni ad alia judicentur. Præfectus autem piorum locorum, qui iis omnibus tacite consenserit, ipso facto poenam excommunicationis incurrat. His, qui bona piorum locorum administrant, quotiescunque ea locari necesse erit, mandamus, ne eorum arbitrio & voluntate locentur, sed publice locanda proponant, facta omnibus conducendi libera facultate.

Qui vero bona piorum locorum conducere voluerit, det idoneum fidejussorem, cum quo jure agi possit, æque atque cum ipso principali creditore.

Curent autem quam maxime administratores, ut testantium ultimæ voluntati in omnibus satisfiat, tam eorum, qui in toto vel in parte fundaverunt, quam eorum piis legatis eleemosynisque. Quod si dictam testatorum ultimam voluntatem in aliud opus etiam pium convertere moliantur, gravissimis ab episcopis afficiantur poenis.

Nulli unquam confraternitati eleemosynam quæstuare liceat, nisi impetrata ab episc. facultate in scriptis exarata; qua in eleemosyna petenda ne indulgentias circumferant, neque deserant tintinnabula; sed nec populum concionibus, exclamationibus aliisque modis hortentur, aut vi eleemosynas ab hominibus extorqueant; sed pie, simpliciter, modeste easdem petant ad subsidium piorum locorum, & pauperum.

Nos autem justis causis admoniti arbitramur non minimum pastoralis officii munus esse, ut indigentibus undequaque subveniatur. Quamobrem ubicumque in provincia nostra hujusmodi pauperes sint, ut victum quæstuare non possint, nec præ pudore quæstu re & ostiatim mendicare audeant, ma no mus primo quoque dominico die mensis aliquid in ecclesia parochiali colligi per eos, qui ab episcopis constituentur, quatenus pia fidelium liberalitate Christi pauperibus provide succurratur.

Quicumque autem notarii, qui rogati testamenta, aliasve ultimarum voluntatum tabulas de rebus ad pias causas relictis hactenus confecerunt, aut in posterum conficient, & unius mensis spatio post mortem testatoris episcopis non significaverint ea, & quæcunque in ipsis tabulis legata pia facta sint, noverint se ipso jure excommunicationis poenam incurrisse.

CAP. XXVI.

De monialibus.

Virgines, quæ mundo renunciantes religionis jugum sponte susceperunt, ut in rerum divinarum contemplatione liberius conquiescant, decet plane sæcularium cognitionibus, vanisve sollicitudinibus esse liberas; quapropter sac. Tridentini decreto sub excommunicationis latæ sententiæ poena omnibus utriusque sexus Christifidelibus præcipimus, ne quacumque ex causa etiam necessaria illarum monasterii septa absque episcopi licentia in scriptis ingredi audeant, neque ipsæ moniales post emissam professionem ullo pacto inde egredi tentent.

Cum primum puellæ ad suscipiendum sacrum habitum offerentur, abbatissa moneat parentes, vel earum curam habentes, excommunicationis sententiam ex Tridentini concilii statuto incurrere eos, qui invitas coegerint religionem intrare, aut profiteri, eidemque anathemati subjacere omnes, qui in hoc consilium, aut auxilium dederint, tum etiam qui scientes eas non sponte ingredi, præsentiam, consensum, vel authoritatem præstiterint.

Advertat præfecta monasterii, ne ad professionem contra Trid. conc. decreta aliqua admittatur, quæ sexdecim annis non expleverit, & quæ rite, & congrue legere nesciat: & confessores extraordinarii jure decretorum sac. conc. Trid. ter in anno eis concedantur.

Curet etiam, ut moniales saltem quolibet mense sua peccata confiteantur, & SS. Eucharistiæ sacramentum sumant; quæ ut quibusdam diebus, ne sermonibus haud necessariis vacent, sed orationibus sedulo incumbant, mandamus præfectæ, ut nulli ipsarum, nisi ob urgentissimam causam ad auditorium accedere permittat.

Cum ex pluribus germanis sororibus una efficitur abbatissa, reliquis germanis nullum detur officium, illius præpositura durante.

Abbatissæ officium per biennium duret, quod ad tertium quoque annum poterit prorogari, si monasterio probatum fuerit expedire.

Et quemadmodum par est, ut moniales abbatissæ obsequantur, in ejus absentia vicariæ eandem obedientiam, & reverentiam omnes præstent. Si qua vero ejus jussa neglexerit, aut superbe, & injuriose responderit, ab ipsa præpolita coerceatur; quod si forte coercitudinem, vel poenam sibi impositam renuerit, a propolita, & vicaria, aut magistra episcopo deferatur, ut pro erroris modo eam arguere, & punire valeat; quæ si hoc nunciare omiserit, vicaria, & magistra, quoties id fecerint humi cibum capere cogantur; ipsa autem præposita arctioribus poenis ab episcopo puniatur.

Ad auditorium moniales nullæ accedant, nisi vocatæ, & illæ tantum vocentur, pro quibus veniens se licentiam obtinuisse ostenderit. Nec quisque ad eas alloquendum accedat sine licentia, sub excommunicationis poena.

Sermonibus audiendis præficiantur moniales, quæ ætate sint provectæ, & spectatæ probitatis, quæ diligenter suo munere fungantur, & ita loquentibus assistant, ut quidquid dicunt, vel ab aliis dicitur, intelligant. Quæ tamen audierint cum nemine omnino communicent, nisi cum abbatissa, si hoc expedire judicaverint.

ANNO CHRISTI 1596.

Januæ monasterii nullo pacto aperiantur, nisi duabus ex antiquioribus præsentibus, quarum una sit ipsa Abbatissa, cum vacare poterit, aliæve moniales interim eo se recipiant, quo nec aspicere quidquam externum, nec inspici ab aliis ullo modo possint.

Prope januam cum mare vel foemina loqui monialium nulla præsumat, & quæ id egerit in cellam ad superioris arbitrium includatur, eandemque poenam incurrat janitrix, si præpositæ temeritatem non detulerit.

Singulis annis de sua administratione tam præposita, quam monasterii procurator rationem reddant episc. vel ejus vic. Præterea, quia omnia providenda in præsenti materia salubriter ordinata sunt per sac. congr. nos ad ea libenter remittimus.

In quolibet monasterio non habeantur, nec permittantur plures crates ferreæ, seu fenestræ collocutoriæ, quam una, aut ad summum duæ.

Hæ nullo modo in ecclesiis sint, sed extra eas tantum.

In fenestellis confessionalibus configantur etiam laminæ ferreæ, seu cum foraminibus, e quibus, nec ipsæ moniales cernere, vel spectare quempiam, nec a quoquam ullo modo cerni, aut spectari possint.

Fenestella unde Ss. eucharistiæ Sacramentum percipiunt, alta sit dimidiato palmo, lata vero in tertio, quæ binis foriculis, totidemque seris, & clavibus, alteris intrinsecus, & alteris forinsecus occludantur.

Ad januam monasterii vestibulum sit binis foribus munitum, in quo moniales nunquam intrent, dum fores exteriores vel apertæ sint, vel mox aperiendæ, ne inde nunquam moniales spectare, aut spectari possint.

Ne scribant litteras sine licentia superioris, seu Abbatissæ vel prioriss, nec dent, neve ad eas missas recipiant, nisi antea ab eisdem fuerint perlectæ.

Presbyteris, confessariis, abbatissis, prioribus, vel aliis præfectis monasteriorum statuatur æqua, & idonea eleemosyna, seu provisio, quæ ære communi monasteriis persolvatur; iis autem vicissitudo munerum quantumvis exigui valoris, quæ sibi cum monialibus possint intercedere, omnino interdicta sit sub poena perpetuæ suspensionis.

Denuncietur cunctis sanctimonialibus, cujuscunque ordinis, religiosas professas, quæ testamentum faciunt, vel de rebus sibi in usum assignatis disponunt, mori & decedere proprietarias, illasque censuris, & poenis a sac. Canonibus, regulis, ac ordinum, & monasteriorum constitutionibus, atque aliis ordinationibus contra proprietarios editis, & promulgatis subjacere.

In quovis monasterio sit infirmaria communis, & ubi non fuerit, a superioribus construi, vel fieri quam primum curetur, & si res postulat sub censuris, & poenis eis bene visis: in eam autem recipere teneantur in virtute sanctæ obedientiæ omnes moniales, & conversas tam professas, quam novitias ægrotas, quibus opus sit medico; nec medicus quampiam in eundo inviset, nec inviseré a præfecta monasterii permittatur, neque medicinam præscribat extra infirmariam sub poena excommunicationis.

Ægrotantibus autem, & infirmis in infirmaria decumbentibus ex ea pecunia, quæ in eam causam assignabitur, suppeditentur omnes sumptus, & expensæ pro victu, alimentis, lectulis, & medicinis, & aliis rebus necessariis ad illarum morbos curandos, ac valetudinem consequendam.

Solæ moniales officium divinum in suis ecclesiis celebrent; itaut nulla regularis, vel sæcularis, aut alia quælibet laica persona ad id quomodolibet se ingerat; sed tantum sacerdotes, & clerici deputati, vel deputandi ab ordinario, sive superiore pro celebrandis missis in die solemnitatis monasterii ad ea sua munera obeunda, quæ sint ex usu necessario ecclesiæ, cujusmodi sunt missæ celebratio, benedictiones, & iis similia, quæ per moniales expediri non possunt, accedant.

Nulla monialis, vel conversa, vel quævis alia persona, & quæ non sit de monasterio audeat alias sibi missas privatas celebrari facere in ecclesiis monasteriorum monialium, præter eas quæ a capellanis deputatis, communibus impensis monasterii celebrandæ sunt, nisi cum scientia, & licentia præpositæ.

Nulla monialis, vel conversa, cum aliquo advocato, procuratore, sollicitatore, exactore, alioque negotiorum gestorum actore quodcunque negotium, causam vel litem pertractet.

Janitrices, & quæ sacristiæ curam habent, & comitatrices, quæ ingressos comitantur, quadraginta annos non pauciores natæ sint.

In conversas non recipiantur in quocunque monasterio plures tertia parte aliarum monialium, vel ad summum non nisi duæ ad rationem quinque monialium. Ubi vero consuetudo est, ut ea proportio non expleatur, sed minor sit numerus conversarum, ea utpote laudabilis observetur.

Famulæ sæculares, quæ in monasteriis pro illarum servitio, & ministerio degunt, omnino dimittantut, nec habitum suscipiant nisi prius extra monasterium dimissæ, & illarum voluntas ab ordinariis fuerit explorata, juxta sac. Trident. conc. decretum.

Non recipiantur moniales, vel conversæ in quodcunque monasterium, nisi in eo singulæ singulis monialibus, & conversis propriæ cellæ, quæ sive ex muro, vel cæmento, sive ex tabulis, sive ex tela in communi dormitorio distinguantur, assignata sint.

Nulla unquam recipiatur in monialem nisi prius parentes, fratres, vel ii ad quos ejus cura spectat, promptam habuerint universam pecuniam pro dote, vel eleemosyna consueta, ex qua puellæ nomine nonnulli redditus ementur, accedente monasterii consensu, cui hujusmodi redditus alimentorum causa, usque ad professionis diem cedat; ea vero sequuta, successionis jure integre acquiratur.

Ut autem ad Dei gloriam, & monialium in Domino profectum, & animarum salutem, supradictæ ordinationes debita devotione, & reverentia suspiciantur, universis, & singulis reverendis abbatissis, prioriss, ac

aliis

ANNO CHRISTI 1596.

aliis præfectis, & superioribus monasteriorum, ac monialibus ac conversis in virtute S. obedientiæ, ac sub privationis officiorum, & perpetuæ inhabilitatis, ac vocis activæ, & passivæ, atque aliis censuris ecclesiasticis, & poenis, etiam ipso facto incurrendis, districte præcipitur, & mandatur, ut omnia, & singula in eisdem ordinationibus contenta, observent, & exequantur, atque observari, & exequi faciant.

CAP. XXVII.

De usuris.

Nihil cum sit in rerum natura, quod mundanorum animas, & pauperum bona devoret, quam mordax ille, & ubique serpens usuræ cancer; pastoralibus muniis pro virili respondere cupientes, eo animum, & vires omnes conduximus, quo miræ charitatis ingeniosa industria quaslibet ejus radices e subditorum nostrorum cordibus evellamus. Ordinamus igitur sub gravissimis poenis episc. arbitrio reservatis, ne pro re mutuo concessa, sive pecunia, sive frumentum, aut quidvis aliud sit, plusquam ejus æquivalens exigatur.

Inhibemus ne pro solutione dilata, aut anticipata aliquod lucrum petatur, neque res ulla carius veneat ea ratione, quod ejus solutio ad tempus differtur.

Tollatur abusus conducendi operarios ad fodiendum, arandum, aliudve opus peragendum minori pretio, quam sit dari solitum, ob id nempe, quod illis operariis nuper pecuniam contulerit, priusquam id operis inchoasset.

Prohibemus etiam ne aliquis pecunias alii tribuat pro bobus aliisque animalibus, cogendo eumdem, qui pecunias accipit, postmodum fateri simile animal se recepisse, cum propter exiguam pecuniæ quantitatem nihil habuerit.

Nec minus eos damnamus, qui triticum in quibusdam locis, in quibus vilioris est pretii conferunt eo pretio, quo in aliis venditur, ideo ut cogant pauperem in necessitate constitutum, frumentum suis impensis evellere, & conducere.

Declaramus etiam contractum illum esse superfluum maxime, quo triticum, oleum, & alia id genus mutuantes post quindecim dies vel ad quamlibet postulationem reddendum sibi paciscuntur: deinde vero cum majori pretio venditur, sibi reddi, vel pretium solvi a debitoribus petunt, quam plurimum venditum fuerit; cum fortasse, si penes se id habuissent, eo tempore, non tanti, nec tantam quantitatem uno eodemque pretio vendidissent. Cum igitur illicita hæc hujusmodi lucri perceptio, non domos ipsas, sed & Civitates evertat, in Domino omnes hortamur, ut saluti tam animæ, quam corporis consulentes, a viris peritis consilia petant, quibus ex hisce Dæmoniorum technis facilius emergant, nec post hac ab æquissimo judice graviter puniantur.

Neve nostra negligentia, & indulgentia, prava hæc pestis latius, atque latius serpat, tam iniquam usuræ perniciem pro nostri muneris cura reprimere prorsus, evellere, & extirpare volentes, statuimus, ut quæcunque persona, quacumque conditione, seu dignitate prædita, hujusmodi contractus suspectos, cambia sicca, libellos fictos, seu quævis alia pacta, quæ a vera charitate abhorrent, omninoque jure sunt prohibita, deinceps patrarent, ipso facto poenas a jure statutas subituras se intelligant, hortantes præcipue episcopos ne passim hujusmodi casuum absolutionem aliis concedant.

ANNO CHRISTI 1596.

CAP. XXVIII.

De Archivio.

Quotidiana sane experientia perspicuum est, dotes beneficiorum ecclesiasticorum magis, magisque minui, quod a tot, tantisque diversarum qualitatum personis, cum maximo animarum suarum detrimento, bonorumque ecclesiæ damno, & incommodo usurpentur. Ne igitur aliqua in parte studium nostrum desideretur, hortamur, ut episcopus quoddam in cathedrali ecclesia armarium erigat, in quo omnes tam privatæ, quam publicæ scripturæ quorumlibet beneficiorum suæ dioecesis tutissime adserventur.

Ordinamus itaque sub poena excommunicationis, aliisque gravissimis eorum arbitrio reservatis, universis, & singulis abbatibus, canonicis, archipresbyteris, rectoribus, prioribus, curatis, vel alio quocunque nomine vel titulo beneficiatis, ut infra sex menses teneantur copias authenticas suarum bullarum, scripturarum, inventariorum, & quorumcunque contractuum, tam de bonis immobilibus, quam mobilibus, jurisdictionibus, actionibus, redditibus, & censibus, quos possident, aut possidere jure, vel consuetudine possent, ad ipsorum beneficia spectantes episc. offerre, quæ tum ad perpetuam rei memoriam, tum ad fallacias, fraudesque tollendas in prædicto armario, aut archivio debite reponantur.

Cum primum vero Episcopus obierit mortem, archivii episcopalis claves notario publicæ fidei; una capituli vicario; altera de capitulo uni, ad quem vel officii ratione, vel consuetudine pertinet, tradatur. Qui episcopo recens consecrato illas restituant, deque rebus in ea descriptis rationem reddant.

Summorum pontificum bullas, saltem duobus post mensibus, quam illas Romæ editas cognoverit, in sua Dioecesi promulgari curet episc. eas præsertim, quas promulgari jussum erit, tum eas, quæ ad ecclesiæ suæ promulgationem pertinere posse aliqua ratione judicabit, quarum omnium bullarum librum confici, & in episcopali archivio adservari jubeat, cum earundem publicationibus.

CAP.

ANNO CHRISTI 1596.

CAP. XXIX.

De ratione observandi synodi provincialis.

Episcopus pro suo munere omni sollicitudinis officio incumbat, ut quæcumque in hac synodo provinciali decreta constitutaque sunt, celerem atque plenam executionem, ut par est, omnino habeant.

Et ut commodius executioni debitæ mandari omnia possint, statuit nostra synodus, ut intra sex menses quilibet episc. suam cogat dioecesanam synodum, & in ea plenissime omnia publicari mandet cum omnibus juris remediis observari, quæ in hoc nostro B prov. conc. acta, vel definita esse noscuntur.

Quicunque vero, vel universi, vel singuli qui non paruerint, ii multas, & poenas luant his hisce decretis sancitas, tum alias ecclesiasticis sanctionibus, & canonum jure præscriptas. Compellanturque præterea ab episcopis ad parendum, omnibus juris remediis; & aliis etiam poenis, quæ in eis continentur, se teneri intelligant. Ab affixionis die eorum decretorum temporis initium sumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præstare jubemus.

Ubi autem in præmissis constitutionibus nulla est imposita poena, episcopi arbitrium C intelligatur subaudiendum.

Porro si in his decretis nonnulla orietur difficultas, ejus declarationem omniumque explicationem a nobis & successoribus nostris archiepiscopis perpetuo reservamus, salva prius & semper sedis apostolicæ authoritate.

Quamcumque facultatem habet episcop. eam per suum vicarium generalem ipsum exequi posse declaramus, nisi in iis, quæ proprie pertinent ad ordinem episcopalem, aut in quibus vicarius a sacris canonibus, vel a conc. Trid. vel a nobis excluſus erit.

Quoniam denique ob publicam hujus provinciæ, & privatam etiam cujuscujusque D ecclesiæ utilitatem a sum. Rom. Pontifice multa petenda sunt; decernimus, ut quidquid ab eo communibus nostris, & qui præsentes sunt coepiscoporum literis petetur, id omne concilii hujus nomine atque authoritate ita factum intelligi, ac si publice in sessione postulatum esset.

Omnia vero, & singula, quæ a nobis in hac prima Salernitana provinciali synodo decreta, atque acta sunt, qua debemus obedientia, & humilitate, authoritati, & judicio sanct. Rom. ecclesiæ omnium ecclesiarum matris, atque magistræ semper emendanda, & corrigenda subiicimus.

Nomina episcoporum, qui fuerunt in hac synodo provinciæ.

Ego Marius Bologninus archiepiscopus Salernitanus his omnibus decretis annuens subscripsi.

Ego Cæsar episc. Cavensis, exemptus, his A decretis annuens subscripsi.

Ego Patritius Laosius episc. Nuscanius his omnibus decretis annuens subscripsi.

Ego Fr. Antonius Perusensis episc. Marsici novi his decretis annuens subscripsi.

Ego Lelius episc. Caputaquen. his omnibus decretis annuens subscripsi.

Ego Antonius episc. Sarnensis similiter subscripsi.

Ego Rugerius de Panaldis pro reverendiss. episc. Nucerino interfui, & subscripsi.

Ego Claudius Papa pro rev. episc. Campanensi interfui, & suscripsi.

Ego Federicus de Cavo pro rev. episc. Policastrensi interfui, & subscripsi.

Ego Antonius Raffi pro rev. episc. Acernensi interfui, & subscripsi. B

ANNO CHRISTI 1596.

Nonnulla acta concilii Provinc. sub Mario Bolognino archiepisco. Salernitano de anno 1596.

Existentia in archivio archiepiscopali ecclesiæ Salernitanæ.

In can. reverendissimi episcopi Acerri &c. Per sacrum concilium provinciale audita C relatione procuratoris reverendissimi episcopi Aceri fuit provisum, & decretum, ut præfatus D episcopus intra sex menses ab hodie cum effectu erigere habeat seminarium, saltem scholam, deputare præbendas, aut præstimonium, seu stipendium lectoribus sacræ teologiæ ac casuum conscientiæ, nec non pro penitentiario, convocare synodum dioecesanum, & recitare facere in sua cathedrali, & collegiata, seu receptiva singulis diebus horas canonicas per capitulum in cathedrali, & presbyteros in collegiata, seu receptiva juxta decreta sac. concilii Trid. sub poenis ejusdem sac. Tridentini concilii; & ita hoc suum &c. M. archiepiscopus.

In can. reverend. episcopi Campaniæ &c. Per sacrum concilium provinciale audita relatione procuratoris rev. episc. Campaniæ fuit provisum, & decretum, ut præfatus R. episc. intra sex menses ab hodie cum effectu erigere habeat seminarium, vel saltem scholam, deputare præbendas, aut præstimonium, seu stipendium lectoribus sacræ Theologiæ, ac casuum conscientiæ; nec non pro penitentiario, convocare synodum dioecesanam, & recitari facere in sua ecclesia cathedrali singulis diebus horas canonicas per capitulum d. ecclesiæ cathedralis juxta decreta sacri Tridentini concilii sub poenis ejusdem sacri concili Trid. & ita hoc suum E &c. M. archiepiscopus, F. Solimelis. Lectum latum die 6. Maii 96. in sacr. concilio provinciali.

Illu-

ANNO CHRISTI 1596.

Illustrissimi e reverendissimi Signori.

Federico de Caro procuratore dell' illustrissimo, e Reverendissimo Filippo Spinello arcivescovo di Rodi, e vescovo di Policastro, dice che essendo trattato in questo concilio provinciale, che il detto reverendissimo suo principale come arcivescovo non debba portar la croce arcivescovale per la Diocesi di Policastro, il che l' è stato concesso in virtu di privilegio apostolico, qual privilegio non si deve interpetrare in detto concilio, al quale il detto reverendissimo principale suo è suddito quanto a vescovo di Policastro; e quanto agli altri onori, e dignità arcivescovali riservatili in virtù de' suoi privilegj immediate non possonsi declarare per altro, che da N. Sig. e per la S. sede apost. per il che gravato con verità da detto trattamento, e di ogn' altra cosa, che sopra di ciò si fosse provista in detto sacro concilio come provinciale, n' appella alla santità di N. Sig. & alla S. sede apostolica, *petens &c. omni meliori modo &c. ut Deus &c.*

ACTA SYNODI PROVINCIALIS

MARONITARUM IN MONTE LIBANO

AB ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. SEORGIO PETRO

PATRIARCHA ANTIOCHENO

Anno 1596. habita.

xtant in bro edi. Italice ii titu- is: *Mis- ni aposto- che &c.* ctore P. ller. Dandino.

CONvenerunt die decima octava Septembris mensis coram Illustriss. patriarcha reverendiss. archiepiscopi, cæteris legitimè impeditis, Josephus abbas Chsaya, Josephus sancti Antonii, & Moises Bsciarai, Dominiq. diaconi Josephus Chater de Esdron, & Pharag Hadscith, nec non sacerdotes complures, præsente Hieronymo Dandino Cæsenate societatis Jesu presbytero, sanctissimi D. N. Clementis Papæ VIII. nuncio.

Principio autem lectæ sunt apostolicæ literæ, deinde multis, & gravibus verbis de synodo quadam superioribus annis coacta conquestus est Patriarcha, eamque a se, fratreve suo prædecessore convocatam, aut approbatam fuisse negavit. Tum errores nonnullos sibi, ac suæ genti a quibusdam adscriptos, & omnes eorum assertores excommunicavit, atque anathematizavit. Errores hi erant.

1. Unam in Christo esse naturam, unam voluntatem, operationem.

2. Spiritum Sanctum a solo patre procedere.

3. In Trisagio Crucifixionem totius Trinitatis interponi.

4. Nullum esse Purgatorium locum.

5. Nullum originale peccatum.

6. Animas mortali hoc solutas corpore ante extremi judicii diem nullo præmio, poenave affici, loco quodam detentas interim, in quo nec supplicium patiantur ullum, nec bono quoquam lætentur.

7. Posse ore negari fidem, modo teneatur corde.

8. Confirmationis sacramentum a baptismo distinctum non esse.

9. In chrismatis confectione præter oleum, & balsamum alia quædam admisceri oportere.

10. In fermentato Corpus Christi consecrandum esse.

11. Ad eorum, qui moriuntur inungenda corpora, oleum ab episcopo in die Cœnæ Domini consecratum non adhiberi, sed illud quod simplex quisque Sacerdos tunc benedixerit.

12. Sacramentorum omnium formas minus perfectas, ac per modum precationis illis esse.

13. Propter fornicationem, aliasque causas, & incurabiles morbos uxorem repudiari, atque aliam ea vivente duci posse.

Qui omnes ita examinati sunt, ut de singulis suam, suæque gentis tum præsentis, tum præteriti temporis sententiam ac fidem quisque exposuerit. Fuit autem hæc.

1. Unam in Christo Domino esse personam, Divinam: naturam, voluntatem, atque operationem duplicem, Divinam, & humanam.

2. Spiritum sanctum a patre, filioque tanquam ab uno principio procedere.

3. Trisagium duobus modis in eorum libris usurpari. Cum ad Trinitatem totam refertur, nihil addi. Cum ad secundam personam propter assumptam carnem, nativitatem, Crucifixionem, & mortem interponi.

4. Purgatorium locum esse; ideoque plurimas pro mortuorum animabus eleemosynas fieri, preces fundi, missas celebrari, ut citius inde liberentur.

5. Ab Adam omnes originale peccatum contrahere, eamque ob causam parvulos sine baptismo salutem non consequi.

6. Animas ex hac vita migrantes aut in Cælum ad fruendum Deo statim evolare; aut ad

ANNO CHRISTI 1596.

ad sempiternas inferni, temporaria sub purgatorii poenas detrudi.

Fidem ore negari non licere, evangelicum illud satis, superque testari, *Qui negaverit me coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo, qui in Cœlis est.* 7. Mat. 10.

Confirmationis sacramentum a baptismo penitus distinctum, illiusque ordinarium ministrum episcopum esse. Atque in eo Spiritum Sanctum, gratiæque plenitudinem dari, qua ad fidem profitendam constantes reddimus. 8.

In chrismatis confectione præter oleum, & balsamum, quibus duplex Christi natura significatur, nihil admiscendum esse. 9.

In pane azimo temporibus omnibus eos consecrasse. 10.

Oleo ab episcopo feria quinta Cœna Domini consecrato morientes ungi oportere. 11.

Sacramentorum formas, quibus utuntur ab ecclesiæ Romanæ consuetudine minime discrepare; easque ministri actionem indicare. *Ego te baptizo*, &c. 12.

Etsi quoad thorum, & habitationem divortium interdum permittatur; matrimonii tamen vinculum nisi morte non solvi, atque apertam extare sententiam. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Mat. 19. Quæ omnia legitimi, & proprii eorum libri testantur, nec uspiam secus se in illis reperisse Hieronymus Dandinus affirmavit. 1.

Ergo cum eorum fides a catholica apostolica, & Romana nihil discreparet; abusus complures propositi fuerunt, qui sive ob sacerdotum imperitiam, sive ob infidelium, hæreticarum, & schismaticarum gentium propinquitatem, ac permixtionem in aliqua Maronitarum loca irrepserant; atque a piis, & fidelibus, qui aderant, patribus canones hi, qui subiiciuntur communi omnium consensu formati sunt.

CANON I.

Baptismi sacramentum, ut est omnibus ad salutem necessarium, ita primo quoque tempore parvulis conferatur, nec ultra decimum, vel duodecimum diem differatur; librumque apud se habeat parochus, in quo baptizatorum, & suscipientium nomina adnotentur.

CANON II.

Episcopi omnes, ut muneri a Christo Domino, summo, ac primo pastore sibi commisso satisfaciant, singulis annis semel saltem sanctum confirmationis sacramentum in dioecesibus suis administrent.

CANON III.

Adsit autem Patrinus, qui confirmandum teneat unus, vel una, aut ad summum unus, & una.

CANON IV.

In cognationis spiritalis, quæ in baptismo, & confirmatione contrahitur, gradibus, servetur id quod in Tridentina Synodo sapienter definitum est. In baptismo videlicet inter suscipientem, & baptizatum, & illius parem, ac matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatur baptizatique patrem, ac matrem tantum cognationem contrahi. Eamque rursum, quæ ex confirmatione oritur confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egredi. Omnibus inter alias personas spiritualis hujus cognationis impedimentis matrimonii sublatis. *Sess. 24. c. 2. de ref. mat.*

CANON V.

Iis, qui populum Dei suæ curæ commissum verbo, & sacramentis pascere debent, non vulgaris sane doctrina necessaria est. In præcipuis igitur ecclesiis diebus dominicis casuum conscientiæ lectio instituatur, ad quam ex propinquis locis convenire sacerdotes omnes cogantur, eorumque summa quamprimum conscribatur, quæ ab omnibus haberi præ manibus possit.

CANON VI.

Casus constituantur episcopis reservati, a quibus reliqui nonnisi de illorum consensu absolvant. Aliique graviores subiiciantur, qui ad solius patriarchæ auctoritatem pertineant.

CANON VII.

Quoniam parvulis sine indecentia maxima, venerabilissimique sacramenti injuria vix potest sacra Corporis Christi communio dari, caveant in posterum sacerdotes universi, ne quemquam ante rationis usum ad eum admittant.

CANON VIII.

Missali Romæ sanctissimi domini nostri Papæ approbatione nuper impresso, atque ad nos transmisso utantur omnes, nec alio nisi ad Patriarcham delato, & ad Romanum emandato, ejusque manu subscripto, ac solito sigillo confirmato uti liceat.

CANON IX.

Minus omnino decere videtur, nec ecclesiæ consuetudini convenire quorumdam consuetudo, qui pietatis, ac religionis specie nudis pedibus sanctum Missæ sacrificium offerunt; idcirco intelligant universi, nullatenus id probandum, aut retinendum esse.

CANON X.

Digitos etiam quibus Sacrum Christi Corpus inter Missarum solemnia contrectatur, post verborum consecrationis pronunciationem nihil aliud tangere, conjunctosque deinceps esse oportet.

CANON XI

Cum ad integritatem sacrificii Corporis, & Sanguinis Domini pertineat utriusque seorsim sumptio; adstantium, ac ministrorum communione actionem illam sacerdos non interrumpat, sed & corpus, & sanguinem ipse primum sumat: tum partes aut in calice intinctas sanguine, aut cum aliqua sanguinis parte illis distribuat.

CANON XII.

Vasa, quibus sanctissima eucharistia in ecclesiis asservatur, argentea quidem esse, aurea, & ex meliori materia constare oporteret; verum si hæc haberi nequeunt, lignea saltem non sint, sed aut ænea, aut stamnea, aut his similia.

CANON XIII.

Ad matrimonii sacramentum celebrandum ante decimum quartum annum mas, & duodecimum foemina non admittantur; interim tamen promissiones, & sponsalia permitti poterunt.

CANON XIV.

Coram proprio parocho, & testibus matrimonium omnes celebrent. Habeat vero parochus librum, in quo contrahentium, & testium nomina, locumque, & diem scribat. Ac tribus continuis festivis diebus in ecclesia inter missarum solemnia futurum matrimonium, antequam celebretur publicet.

CANON XV.

Indignum autem est, quod a quibusdam factum accepimus, ut hæreticis, & schismaticis filias suas Christi-Fideles in matrimonium traderent: id ne amplius fiat, episcopi, & sacerdotes omnino caveant.

CANON XVI.

Pius, & antiquus in ecclesia aquæ benedictæ usus in templa nostra introducatur, locaque & vasa præparentur, in quibus decenter, & commode omnibus exponatur.

CANON XVII.

Diligentius in posterum, & sancitus festi dies observentur, illique constituantur, & publicentur, qui ab omnibus ex præcepto observandi erunt; atque inter eos Trinitati, sanctissimo eucharistiæ sacramento, ac sanctis omnibus dicati adnumerentur.

CANON XVIII.

Toliatur penitus mulierum nostrarum illa simplicitas, aut religio, qua menstruorum tempore, ac quadraginta post partum diebus ab ecclesiæ ingressu abstinent.

CANON XIX.

Omni conatu, atque industria curetur, ut apud patriarcham, & episcopos, & vero etiam in præcipuis omnibus locis libri sacri habeantur; Vetus scilicet, & novum testamentum, quibus fides nostra præsertim nititur.

CANON XX.

Contra vero, cum perniciosum nimis sit simpliciorum animabus, si hæreticorum, & schismaticornm libri in eorum versentur manibus, diligenter omnes conquirantur, & apud patriarcham in loco clauso asserventur, nec nisi doctis, ac theologiæ sacræ peritis viris, qui inter veritatem, atque errorem dijudicare possint, permittantur.

CANON XXI.

Hæc omnia, ut a nostra synodo sancte definita sunt; ita, ut a Christi-Fidelibus accurate observentur, modis omnibus episcopi, & sacerdotes procurent; contumaces dignis etiam poenis compellendo.

Cumque nil aliud tractandum superesset; canones hi universi patribus rursum alta, ac distincta voce prælecti fuerunt, atque ab omnibus acclamatum, & ut a sanctissimo domino nostro Papa confirmarentur vehementer postulatum. Quod cum se Hieronymus Dandinus sedulo curaturum polliceretur, dimissa synodus est. Die ejusdem Septembris mensis xx. anno MDCXVI.

ADDITIO

Ad superiorem synodum sub Josepho Petro Patriarcha.

HIS actis, Sergius patriarcha, ut est mortalium omnium conditio, extremum diem clausit, atque ex hac ad meliorem, ut pie creditur, migravit vitam; eique mox summa totius populi approbatione, & consensu electus Josephus archiepiscopus, & abbas Chsaya in patriarchali munere successit. Is vero non solum superiorem synodum universam, singulaque in ea contenta confirmavit, atque ab omnibus magnopere observari voluit; verum etiam episcopis eisdem convocatis, eodemque præsente Hieronymo Dandino apostolicæ sedis Nuncio, hosce adjunxit canones.

CANON I.

In sancto Missæ sacrificio peragendo quosdam accepimus, antequam sacras vestes induant, panem, & vinum offerre; alios primum vestes assumere, tum offerre. Unius gentis ac populi unum oportet esse ritum, unam Divini cultus formam. Est autem rationi, atque ecclesiasticæ consuetudini magis consentaneum, ut sacris indutus vestibus ad altare sacerdos accedat.

ANNO CHRISTI 1596.

CANON II.

Quod a Romanis Pontificibus, ſacerdotibus noſtris, & eccleſiaſticis viris permittitur, ut & uxores habeant, & filios pronreent, intelligant omnes indulgentiam eſſe non præceptum; neque ita accipiendum a nobis, ut niſi uxores illi ducant, aut ad ſacros ordines admittendi, aut regendis populis ſacramentiſque adminiſtrandis præficiendi non ſint. Nam ſanctius omnino eſt, & optabilius, ut qui donum ex Deo habent, cælibem vitam agant, quodque apoſtolus Paulus chriſtianis univerſis conſuluit; ut non diviſi, ſed integri, & toti vacare Deo, ac divinis rebus poſſint; eccleſiaſticis, ac Deo dicatis perſonis multo magis convenit. Idcirco liberum id omnibus relinquatur, nec ad matrimonium ullus, aut cogatur, aut urgeatur.

CANON III.

Æquum eſt iis, qui ad epiſcopatus gradum aſſumuntur ab omnibus populis honorem debitum exhiberi, illoſque a cæteris dignoſci; propterea ſive monaſteriis regendis præponendi ſint, ſive populorum curam habituri, ſolito epiſcoporum habitu utantur illi, qui ad eum gradum in poſterum aſſumentur. Neque plures in eodem loco præterquam apud patriarcham, epiſcopi habitent.

CANON IV.

Verbo Dei omnino pascendæ ſunt oves Chriſti curæ noſtræ commiſſæ, ut & inſtruantur in fide, & moribus corrigantur; conſtituantur igitur illi, qui ad ſanctum hoc' & ſalutare munus obeundum idonei ſint, locaque illis præſcribantur, quibus ſinguli Verbum Dei dominicis, ac celebrioribus diebus feſtis annunciare debeant; nec ullus niſi a patriarcha, locive ordinario miſſus, id in eccleſiis noſtris facere præſumat.

CANON V.

Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ſanctiſſime Paulus nos admonuit. Sacerdotes vero tributis, quæ Turcis ſolvenda ſunt, exigendis vacare, indignum profecto facinus eſt. Id nullo modo deinceps fiat.

CANON VI.

Monachorum, ac religioſorum hominum, qui relicto ſæculo intra monaſteria ſeſe incluſerunt, a foeminarum conſortio quam remotiſſima eſſe oportet loca. Nullæ igitur foeminæ, niſi fortaſſe ad officia Divina in templo, & audienda ubi, & quando patriarchæ videbitur, intra illa admittantur. Nunquam vero ibi comedant, aut pernoctent.

Hæc porro non ideo definita ſunt, quod ſuperioribus temporibus apud nos nunquam fuerint pleraque ſaltem obſervata, ſed quod cum minus nunc eſſent multis in uſu, in memoriam omnibus revocari, atque accuratiſſime a ſingulis obſervari, ſynodus noſtra voluerit. Quod & de ſuæ gentis pietate, ac ſolita obedientia confidit, & a Deo optimo maximo obnixe precatur. Die tertia Novembris menſis milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto.

ANNO CHRISTI 1597.

CONCILIA PROVINCIALIA DUO SANCTÆ SEVERINÆ

A SACRA CONGREGATIONE CONCILII REVISA

Anno 1597.

Illustri & reverend. uti Fratri D. archiepiscopo S. Severinæ.

PErillustris, & reverend. D. uti frater. Provinciales synodos, ad S. D. N. missas, quarum prior a Francisco Antonio amplitudinis tuæ prædecessore; posterior autem ab ipsamet amplitudine tua, adhibitis in utraque comprovincialibus episcopis celebratæ fuerunt, illustrissimi patres sacri, concilii Tridentini interpretes pro munere sibi injuncto diligenter recognoverunt, atque ubi opus esse duxere, emendarunt, atque aptarunt. Nunc igitur eas ad amplitudinem tuam remittimus, ut pro sui muneris officio quam primum fieri poterit, & sedulo in sua ecclesia, totaque provincia observandas curet, ut egregiæ suæ operæ, ac industriæ piiq. laboris fructus, quos sibi initio præposuit uberiores in diem, adjuvante Domino, percipiat. Quod ut cumulate, & quam cellerrime fiat, nos summis precibus a divina benignitate contendimus, optimamque amplitudini tuæ valetudinem ex animo precamur. Romæ die 15. Julii 1597.

Amplitudinis tuæ

Illust. & reverend. uti Fr. Hier. card. Matthejus. *Locus* † *signi*

DECRETA EDITA

In prima, & repetita in secunda synodo provinciali sanctæ Severinæ sub Francisco Antonio Santorio archiepiscopo.

Franciscus Antonius Santorius Dei, & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus sanctæ Severinæ de RR. DD. patrum coepiscoporum consilio, & assensu in provinciali synodo nostra S. Severinæ legitime congregata, hæc quæ sequuntur statuimus, decrevimus, & ordinamus.

De Fidei Orthodoxæ professione.

INter omnes pastoralis officii solicitudines, præcipua, quæ ad catholicæ fidei integritatem pertinet, versari debet, ut quæ spiritualis ædificii fundamentum est inviolata permaneat, ac omnes in ejus puritate immobiles persistant. Quare ab ejusdem fidei negotio, veluti omnium præstantissimo, exordiendum esse duximus, eandem fidem juxta formulam a fel. recor. Pio papa IV. traditam unanimiter profitentes, quam hic inferius subjiciendam esse visum fuit.

Formula professionis Fidei Orthodoxæ.

„ Ego N. firma fide credo & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo S. Romana ecclesia utitur, videlicet.

„ Credo in unum Deum, Patrem, Omnipotentem, factorem coeli, & terræ, visibilium omnium & invisibilium; & in unum D. Jesum Christum filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de coelis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in Coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam S. catholicam, & Apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

„ Apostolicas, & ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector.

„ Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet S. Mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum scripturarum admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpetrabor.

„ Profiteor quoque septem esse vere, & proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo D. nostro instituta, atque ad sa-

ONNA CHRISTI 1597.

„ lutem humani generis, licet non omnia, „ singulis necessaria, scilicet Baptismum, „ Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, „ & Matrimonium: illaque gratiam conferre; & ex his baptismum, confirmationem, „ & ordinem sine sacrilegio reiterari non „ posse. Receptos quoque, & approbatos „ ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum „ omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

„ Omnia, & singula, quæ de peccato „ originali, & de justificatione in sacr. Tri„ dentina synodo definita, & declarata fue„ runt, amplector, & recipio.

„ Profiteor pariter in Missa offerri Deo „ verum, proprium, & propitiatorium Sa„ crificium pro vivis, & defunctis, atque „ in Ss. Eucharistiæ Sacramento esse vere, „ realiter, & substantialiter corpus, & san„ guinem, una cum anima, & divinitate „ D. N. Jesu Christi; fierique conversionem „ totius substantiæ panis in corpus, & vini „ in sanguinem, quam conversionem catho„ lica ecclesia transubstantiationem appellat.

„ Fateor etiam sub altera tantum specie „ totum, atque integrum Christum verum„ que sacramentum sumi.

„ Constanter teneo purgatorium esse, ani„ masque ibi detentas fidelium suffragiis ju„ vari.

„ Similiter, & sanctos una cum Christo „ regnantes, venerandos atque invocandos „ esse, eosque orationes Deo pro nobis of„ ferre, atque eorum reliquias esse vene„ randas.

„ Firmiter assero imagines Christi, ac „ Deipara semper Virginis, nec non alio„ rum Sanctorum habendas, & retinendas „ esse; atque eis debitum honorem, & ve„ nerationem impartiendam.

„ Indulgentiarum etiam potestatem a „ Christo in ecclesia telictam esse, illarum„ que usum Christiano populo maxime salu„ tarem esse affirmo.

„ Sanctam Catholicam, & Apostolicam „ ecclesiam Romanam omnium ecclesiarum „ matrem, & magistram agnosco, Roma„ noque pontifici, B. Petri Apostolorum prin„ cipis successori, ac Jesu Christi Vicario „ veram obedientiam spondeo, ac juro.

„ Cætera item omnia a sacris canonibus, „ & œcumenicis conciliis, ac præcipue a „ sacrosancta Tridentina synodo, tradita, „ definita, & declarata indubitanter reci„ pio, atque profiteor, simulque contraria „ omnia, atque hæreses quascumque ab ec„ clesia damnatas, & rejectas, & anathema„ tizatas, ego pariter damno, rejicio, & „ anathematizo.

„ Hanc veram catholicam fidem, extra „ quam nemo salvus esse potest, quam in „ præsenti sponte profiteor, & veraciter „ teneo, eandem integram, & immaculatam, „ usque ad extremum vitæ spiritum constan„ tissime, Deo adjuvante, retinere, & con„ fiteri, atque a meis subditis, seu illis „ quorum cura ad me in meo munere spe„ ctabit teneri, doceri, & prædicari, quan„ tum in me erit, curaturum ego idem N. „ spondeo, voveo ac juro; sic me Deus ad„ juvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

ANNO CHRISTI 1597.

Hanc ipsam fidei professionem, ac sponsionem juxta præscriptum sac. Trid. conc. & literarum ejudem Pii IV. & nos ipsi, & coepiscopi nostri, ac omnes alii, qui ad hoc concilium provinciale admissi sunt, publice fecimus, atque ita eandem ab omnibus, qui dignitates, canonicatus, & præbendas, nec non alia ecclesiastica beneficia obtinent, vel in futurum obtinebunt, qui in synodo dioecesana convenire debent, in proxima dioecesana synodo ab eorum ordinario habenva, palam, & solemniter fieri mandamus.

Sed insuper, juxta sac. conc. Trident. decretum, & literas apostolicas prædictas, provisi de beneficiis quibuscunque ecclesiasticis curam animarum habentibus teneantur a die adeptæ possessionis, saltem intra duos menses, in manibus sui episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus vicario eamdem orthodoxæ fidei publicam facere professionem. Provin vero de canonicatibus, & dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram episcopo, vel ejus vicario gener. sed etiam in capitulo intra eundem terminum idem facere teneantur; alioquin, juxta decretum ipsum, declaramus omnes prædictos fructus suos non facere, nec illis possessionem suffragari.

De ejusdem Fidei professione per artium, & faculiatum quarumcunque magistros, & professores facienda.

Cujuscunque artis. & facultatis professores, laici, vel clerici, sive sæculares, sive cujuscunque ordinis regulares sint, ad suæ professionis exercitium nullatenus admittantur, nisi prius de communi religione, & sana doctrina constiterit, ejusdemque orthodoxæ fidei, ex præscripta formula, professionem fecerint, sub censuris, & poenis, & alias juxta literas fel. recor. Pii IV. desuper editas, & promulgatas.

In hujusmodi fidei professione, illud præcipue observandum erit, ut verbis juxta præscriptam formulam conceptis publice, & palam ab omnibus fiat; atque ut ad perpetuam rei memoriam semper maneat, eandem per notarios, vel ordinarios actuarios cum ipsius profitentis subscriptione, in peculiari libro, & gratis annotari, vel de ea publicam testationem fieri episcopi curent

De Fidei tuendæ cura, & diligentia.

Episcopos omnes quam maxime hortamur, & in Domino monemus, ut in sua quisque civitate, & dioecesi solerter invigilet, an aliqui sint, qui a recta credendi norma vel quid minimum declinent, aut pravis opinionibus imbuti contra catholicam fidem aliquid dixerint, & fecerint, & in male de eadem fide sentientes, ne venenum latius diffundatur, canonice procedant.

Parochos etiam omnes admoneant, ne circa advenas, & peregrinos quoscunque ad eorum parochias confluentes, & circumcisos, ac apostatas, qui ab infidelibus reversi sunt, an adhuc reconciliati fuerint se-

dulo

ANNO CHRISTI 597.

dulo invigilent, & de eorum vita, & moribus, & an eo potissimum anno Ss. Eucharistiæ sacramentum sumpserint, & an Dominicis, & festis diebus Missam audiant, diligenter inquirant; & si qua de iis suspicio fuerit, ipsis ordinariis indicent, ut ab eis, prout expedire judicaverint, opportune provideri possit.

De libris exhibendis.

Cum improbatæ lectionis libros ad simplicium mentes inficiendas plurimum nocere compertum sit; propterea episcopi regulas indicis de libris prohibitis de auctoritate fel. rec. Pii IV. editas ab omnibus servari studeant, mandentque theologis, legum doctoribus, medicis, ludimagistris, aliisque libros habentibus, ut librorum suorum notulam pariter ab eis subscriptam infra tempus statuendum fideliter edant. Præcipiant etiam omnibus, qui in eorum oppidis, & locis libros tam impressos, quam manuscriptos introducunt, ut illos nisi prius recogniti, & approbati fuerint, nec retinere, aliisve legendos tradere, nec modo aliquo vendere, alienare, aut commodare audeant, sub poenis in eodem indice præscriptis per ipsos inc irrendis.

Hæredes vero, vel executores ultimarum voluntatum libros a defunctis relictos infra mensem post obitum ordinariis suis exhibere teneantur & debeant, nec ipsis uti, aut illos, nisi eorum indicem attulerint, similiter vendere, & alienare valeant; alioquin nullam excusationem prætendere poterunt, quominus in censuras, & poenas Apostolicis constitutionibus decretas incurrisse censeantur.

De sacris verbis non abutendis.

Prohibeant episcopi ne ab idiotis, seu laicis præcipue, & literarum ignaris de his, quæ ad fidem pertinent, nec publice, nec privatim disputetur; & non solum in eos, si contumaces fuerint, sed etiam in omnes, sacræ scripturæ verbis, vel sententiis ad scurrilia dicta, detractiones, adulationes, superstitiones, incantationes, libellos famosos, aliosque profanos, & illicitos usus abutentes severe procedant, & animadvertant.

De superstitionibus, maleficiis, incantationibus, & Sortilegiis omnino tollendis.

Superstitiosas & vanas populi observationes, quæcunque sint, a subditis suis, tamquam pernicios issima mala, penitus tollendas curabunt episcopi, & gravi pœna ex sacrorum Canonum decretis proposita, contra resipiscere nolentes procedant. In maleficos autem, sortilegos, lamias, sive strigas, cæterosque omnes, qui quovis magicæ artis, & veneficii genere pactiones, & foedera expresse, vel tacite cum dæmonibus habent, præsertim cum apostaticos, vel infidelitatis, aut idololatriæ actus fecerit, vel maleficium aliquod inde secutum fuerit, vel aliquis Sacramentorum abusus in ipsis sortilegiis, incantationibus, & maleficiis intervenerit, tamquam contra apostatas a fide Christiana suspectos juxta canonicas sanctiones severissime procedant.

ANNO CHRISTI 1597.

De sacris actionibus non representandis.

Prohibemus, ut deinceps nec in sacro, nec in profano loco publice, vel privatim repræsentationes venerandæ Christi Domini nostri passionis, & glorioforum martyrum certaminum agantur absque speciali ordinariorum licentia, qui quod pietati, aut religioni congruere judicabunt, hac in re pro eorum prudentia statuent.

De imagine insolita non admittenda, nec novis miraculis recipiendis sine ordinarii licentia.

Nemini, juxta sac. Trid. concilii decretum, liceat posthac ullo in loco, vel in ecclesia, etiam quomodolibet exempta, insolitam aliquam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi de licentia ordinarii; & si qua opinio novi miraculi orta fuerit ad ordinarium deferatur, qui in præmissis juxta decretum hujusmodi procedat.

De fidei principiis a parochis tradendis & scolæ magistris.

Ut ad religionem, & Dei cultum puerorum animi instituantur, & fidei principiis imbuantur, quibus quasi lacte nutriti, solido postea cibo, cæterarumque virtutum incrementis augeantur; omnibus hujus provinciæ parochis præcipimus, & mandamus, ut singulis dominicis, & festis diebus prandio hora congrua pueros suæ parochiæ ad ecclesiam campanæ signo dato convocent, eosque fidei rudimenta, & christianam doctrinam juxta libellum editum, seu alias summatim doceant, erudiantque, ut Deo cultum, &, reverentiam, & parentibus tum spiritualibus, tum carnalibus obedientiam præstent, & eorum parentes, ut idem faciant assidue commoneant, & hortentur.

Literarii ludi bonorumque artium magistri non solum libros in indice fel. rec. Pii V. editos nominatim vetitos; sed etiam alios obscoena, vel turpia continentes, vel ex quibus boni mores corrumpi possunt, pueris prelegendos, vel interpretandos nequaquam suscipiant, aut proponant; eosque vehementer hortamur, ut in tam flexibili ætate, & ad malum prona discipulos suos christiana doctrina erudiant, & bonis moribus ac salutaribus præceptis instituant.

De præbenda theologali, & lectione sacræ scripturæ in monasteriis instituenda.

Sacrarum scripturarum lectioni incumbendum esse, in eaque assidue versandum, tum Sancti Apostoli ad Timotheum, tum sanctorum patrum & conciliorum admonitione docemur; noviss ime etiam sac. Generalis Trid. concilii decreto jubemur. Quare ubi in cathedralibus, aut aliis collegiaris eccle-

ONNA CHRISTI 1597.

clesiis insignibus præbenda seu stipendium sac. Theologiæ doctori, & interpreti huc usque assignatum vel deputatum non fuit, ne in eis tam utile, tamque necessarium munus omittatur, statuimus, ut ab episcopis primoquoque tempore, juxta prædictum sac. concilii præscriptum, statuatur, vel ex præbenda quomodocunque, præterquam ex causa resignationis, proxime vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, vel alio quovis modo prout unicuique prælato videbitur, & ecclesiæ suæ qualitas feret.

Is vero, qui ad lectionem hujusmodi deputatus fuerit, nec publice, nec privatim admittatur, nisi prius de vita, moribus, & scientia fuerit examinatus & approbatus, & ad fidei professionem admissus, juxta sæpe memoratas literas Pii Papæ IV.

Is etiam qui deputatus, & admissus fuerit, vel etiam theologus institutus statutis diebus, & horis in loco per episcopum designato sacræ scripturæ, atque alios sanctorum patrum libros, necnon pro casuum poenitentialium cognitione necessarios ad curatorum, & aliorum sacerdotum institutionem interpretetur.

Admoneantur etiam omnium regularium etiam mendicantium hujus provinciæ superiores, ut in conventibus ipsorum, ubi sacræ scripturæ lectio commode haberi poterit, illam a capitulis generalibus, vel provincialibus, dignioribus magistris, seu lectoribus, juxta prædictum decretum, assignandam curent; quod si facere neglexerint, episcopi omnes, ut apostolicæ sedis delegati, eos ad id opportunis remediis compellant, authoritate sibi decreto concilii tributa.

In monasteriis quoque monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio sac. scripturæ habeatur; qua in re si abbates negligentes fuerint, episcopi locorum in hoc, ut sedis apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.

Curent episcopi, ut huic lectioni clerici omnes ad eam idonei cujuscunque gradus fuerint interfint, utque proficiant, singulos horrentur, & sæpius admoneant.

De prædicatione Verbi Dei.

Episcopi, quorum primum, & potissimum munus versari debet in grege pascendo, & in viam Domini dirigendo, spiritualem panem esurientibus populis frangant, ne, si muneri suo desint, impleatur illud; *parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Ad quod, Christi, doctrina apostolorum exemplo, & sac. conc. Trident. decreto innixi, eos vehementer hortamur. At si legitime impediti fuerint, ut officio hujusmodi per se ipsos (ut decet) satisfacere nequeant; juxta canonicas sanctiones, per viros idoneos, ex ejusdem concilii præscripto eligendos, & deputandos hoc munus, ea, qua convenit, diligentia, & pietate suppleant; & Dei Verbum, adventus Domini, & quadragesimali tempore, & omnibus Dominicis saltem, festisque diebus prædicandum curent.

ANNO CHRIST 1597.

De prædicationis electione.

Prædicatoris electionem seu deputationem ad episcopos, ex sacrorum canonum, præsertim concilii Tridentini dispositione, spectare & pertinere declaramus; & propterea omnibus sæcularibus potestatibus, & universitatibus prohibemus, & inhibemus, ne in ea ullo pacto sese ingerere præsumant, non obstantibus contrariis quibuscunque, quæ idem concilium voluit non obstare. Qua in re, si difficultatem aliquam vel dissensionem imposterum forte oriri contigerit, episcopi pro suo munere libertati ecclesiarum, sicut magis conducere existimabunt, consulant, aut ad sanctam Apostolicam sedem recurrant. Quod si populus, vel universitas in aliis, quam cathedralibus ecclesiis facultatem nominandi, eligendive prædicatorem ab immemorabili tempore legitime præscripserint, eis præjudicare in aliquo non intendimus.

De eo alendo.

Consuetudinem, quæ in prædicatore, publice, vel privatim alendo, eique de eleemosyna, ut plerumque fit, providendo Quadragesimæ tempore in hac nostra Civitate, & in provinciæ locis laudabiliter observatur, recipimus, & ab episcopis amplectendam esse statuimus. Qui si ipsam diversimode observari sciant, juxta ejusdem concilii Trid. decretum impensis suis, vel eorum, qui eas præstare vel tenentur, vel solent, opportune provideant.

De prædicatorum, seu concionatorum officio.

Concionatores, seu prædicatores omnes, quibus ab episcopis in suis ecclesiis, & dioecesibus Verbi Dei prædicandi munus merito commissum fuerit, admonitos esse volumus, ut se non levi, sed omnium gravissimo & difficillimo muneri præfectos esse existimantes, fideles dispensatores existant.

Verbum Dei, juxta ecclesiæ traditionem, & sanctorum Patrum interpretationem, pure, simpliciter, dilucide, & absque ulla ambiguitate prædicare, & explicare studeant; inutiles quæstiones, obscuras propositiones, dubios & implicitos sermones, qui audientium mentes facile occupant, evitare curabunt.

Ab historiis apocriphis, & miraculorum non approbatorum recitatione penitus abstineant.

Auditores suos frequenter propositis poenis, atque æterni ignis, ac aliis inferorum suppliciis a peccandi licentia & consuetudine deterreant, & tanquam fræno quodam reprimant, & ad veram suorum peccatorum poenitentiam convertere satagant.

Eos etiam coelestis, ac sempiternæ vitæ commemoratis præmiis, facilitate sermonis, ad Dei, & proximi amorem accendant. Vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari, & bona opera, quæ exercere oporteat assidue annuntient, ut infernas poe-

nas

ANNO CHRISTI 1597.

nas evadere, & coeleſtem gloriam conſequi ſtudeant.

De conceptione B. M. Virginis ſemper glorioſæ in popularibus concionibus propriam ſententiam aſſerendo, & contrariam repellendo, aut impugnando diſputare non præſumant; ſed bullam ſac. rec. Pii papæ Quinti deſuper editam inviolabiliter obſervent.

Paſſionem Salvatoris Dei, & D. N. Jeſu Chriſti luceſcente die, niſi locorum ordinariis aliter expedire videbitur, pie, & graviter exponant; nihilque in ea, quod a chriſtiana pietate, & tanti myſterii dignitate alienum ſit, etiam ad lacrymas commovendas, dicatur, aut deinceps modo aliquo fiat.

Studebunt epiſcopi, ut cum ipſi prædicare non poterunt, prædicationibus ſemper aſſiſtant, atque presbyteri, & clerici omnes cujuſcunque dignitatis fuerint, ut eis interſint curent, & ſæculares DD. magiſtratus, & officiales omnes, ut in concionibus adſint, ſæpe commoneant, ut eorum exemplo populus ad audiendum verbum Dei promptior, & alacrior accedat.

De parochis, ut ex ſac. Trid. ſyn. decretis plebibus ſibi commiſſis Verbum Dei prædicent, elſque ſac. myſteria, & Chriſtianam doctrinam exponant.

Archipresbyteri, plebani, & parochi, ſive alii, qui parochiales, & alias animarum curam habentes eccleſias quocunque modo obtinent, diebus ſaltem Dominicis, & feſtivis, ac tempore jejuniorum per ſe ipſos, vel alios idoneos ab ordinariis approbandos aut deputandos, ſi ipſi legitime impediti fuerint, verbum Dei, & ſacram doctrinam, divinamque legem annuntiare plebibus ſuis, illaſque docere, & ſalutari verbo paſcere teneantur, & debeant.

Inter miſſarum ſolemnia prædictis diebus ex eis, quæ leguntur in miſſa per ſe, vel per alios aliquid frequenter exponant, & inter cætera Ss. ſacrificii myſterium declarent. Catecheſim etiam de ſingulis Sacramentis præſcriptam, & de his quæ ad fidei doctrinam, & morum correctionem pertinent, pro ſui, ac populi capacitate italica lingua verſam, explanent, & plebes ſibi commiſſas clariſſimis verbis erudire ſtudeant.

Quæ omnia, ſi forſan præſtare neglexerint, ſpecialiter moniti per cenſuras eccleſiaſticas, aut alias, ut officium ſuum expleant juxta decretum memorati concilii Trid. dioeceſani arbitrio compellantur.

De blaſphemis.

Cum plerique poenarum gravitate magis quam Dei timore a criminibus committendis abſtinere conſueverint; propterea in blaſphemos quam maxime (ut reatus qualitas exigit) diligenter, & ſevere procedendum eſſe, atque eos poenis in bulla ſanctæ mem. Pii papæ Quinti contentis afficiendos, & plectendos eſſe præcipimus, & ordinamus.

Ac ut hujuſmodi atrox, & impium ſcelus, quod tam divinæ, quam humanæ leges deteſtantur, de medio penitus tollatur, ſodalitatem, ſeu confraternitatem nominis Dei in noſtra provincia introducendam, & inſtituendam eſſe decernimus, quam per epiſcopos in ſuis Civitatibus, & dioeceſibus, præſcriptis regulis, una cum indulgentiis in bulla fel. rec. Pii papæ IV. conceſſis, quam primum fieri poterit, publicari, & erigi mandamus.

De dierum Feſtorum obſervatione.

Cum vero dierum feſtorum obſervatio ad Dei cultum maxime pertineat, & divina lege præcipiatur; cupientes Dei præcepto obtemperare, & ſanctæ eccleſiæ mandata ſervare; volenteſque Chriſti fideles, quantum cum Deo poſſumus, ab eorum tranſgreſſione compeſcere, nihil circa feſtorum dierum de præcepto eccleſiæ in ſacris Canonibus obſervari inſtitutorum, aut in tribunalibus & judiciis, præſertim ſæcularibus, obſervationem, ſeu tempus feriarum judicialium immutantes, ſed circa alios dies feſtos, qui ex devotione populorum, vel alias pro varia hujus provinciæ, ac ejus Civitatum conſuetudine diverſimode obſervari conſueverunt, examinatis aliquibus, quæ conſideratione digna videbantur, ac humanarum neceſſitatum rationem aliquam habentes, illos quidem de conſilio, & aſſenſu DD. coepiſcoporum noſtrorum in pauciores dies contraximus, atque in calendarium infraſcriptum contulimus, & adſcribendos eſſe curavimus; quos ab univerſis, & ſingulis hujus provinciæ Chriſtifidelibus, & in ea pro tempore commorantibus, pie ſanctæque coli, obſervari, ac celebres duci, & in eo ab omni ſervilium operum genere abſtinendum eſſe ſtatuimus, & declaramus, atque ſancimus.

Sequitur Calendarium, quod omittitur.

De reformatione Græcorum, eorumque erroribus tollendis.

Cum abrogatis omnibus privilegiis, & exemptionibus, Græcis, ſeu eorum nationi conceſſis per litteras in forma brevis fel. rec. Pii papæ quarti; græco ritu viventes tam clerici ſæculares, quam laici, ordinariorum viſitationi, correctioni, juriſdictioni, & omnimodæ ſuperioritati ſubiiciantur, eorumque cura ordinariis commiſſa fuerit, neceſſarium eſſe duximus, eos negligi non debere. Propterea epiſcopi, in quorum dioeceſibus Græci ipſi, vel etiam Albanenſes appellati, verſantur & habitant, quantum in Domino poſſumus, commonemus, ut eoſdem per ſe ipſos, vel alios idoneos deputandos, quam citius fieri poterit, viſitent, ſeu viſitari curent & mandent, ut quæ laudabilia, in eis reperientur ſerventur, & promoveantur; quæ vero correctione digna ſunt, juxta prædictas litteras Pii papæ IV. corrigantur, & emendentur. Si qua autem nobis, aut S. Sedi Apoſtolicæ, pro eorum gravitate communicanda duxerint, id citius faciant.

Inter cætera diligenter exquirant, an aliqui ſint, qui a veritate, & ſanctæ R. eccleſiæ veritate deviantes, Spiritum Sanctum,

ANNO CHRISTI 1597.

ctum, tantum a patre procedere pertinaciter credant, &, si tales deprehendantur, in eos tamquam contra hæreticos severe procedant.

Eos autem doceant processionem Spiritus Sancti esse a Patre & filio æternaliter, tamquam ab uno principio & unica spiratione.

Ipsos quoque Purgatorii veritatem juxta Orthodoxam SS. Patrum doctrinam, & Catholicæ ecclesiæ veritatem, ac definitionem sacrorum generalium conciliorum Florentini, & Tridentini, assidue doceant, atque a parochis, aliisve eruditis, & piis viris, aut verbi Dei concionatoribus sufficientet doceri studeant.

Curent etiam, ut summum Romanum pontificem vicarium Christi Salvatoris nostri in terris, & Beati Petri principis apostolorum successorem esse teneant; alioquin in eos, tamquam hæreticos, procedant.

Utque sacerdotes in eorum divinis officiis, & sanctis missis loco solito pro eodem summo pontifice Romano, & pro episcopo, in cujus dioecesi commorantur, orare debeant: pro scismaticis autem patriarchis, & episcopis, etiam si eorum ordinatores fuerint, minime id faciant.

Græcos ipsos de indulgentiarum vi, & in Catholica ecclesia potestate, & usu erudiant, & pro ipsorum ecclesiis illas impetrent, vel quas authoritate propria concedere possunt largiantur.

Utque ecclesiasticas censuras illi posthac timere assuescant, opportuna remedia, vel etiam poenæ comminationem adhibeant, ut festivitates a S. Rom. ecclesia præceptas & ab hac synodo provinciali superius promulgatas præter illas, quas ex Græco ritu, vel eorum devotione observant, omnino observari faciant, & contra inobservantes severe animadvertant, ne, donec latini illas sanctificant, Græci easdem transgredientes cum scandalo servilia opera facere conspiciantur.

Videant etiam, an ii, quibus animarum cura commissa fuerit, idonei sint, & an doctrinam Christianam catholice populos, maxime parvulos sedulo doceant, in infirmorum confessione invigilent.

Provideant, ne eorum sacerdotes in Baptismi ministerio alio chrismate utantur, quam quod ab episcopo benedictum fuerit; eosque moneant, ut cum Sacramenti confirmationis, ex sanctorum Apostolorum, & perpetuo ecclesiæ usu, & observantia solus episcopus, ordinarius sit minister, nequaquam parvulos sacri chrismatis oleo in fronte consignent; sed eos in vertice capitis tantum baptismi tempore inungant. Tempus etiam baptismi ultra octo dies non differant.

Omnes tam clericos, quam laicos, quos confirmationis sacramentum non suscepisse constat, in visitatione ipsa aut alio congruo tempore, confirmandos curabunt; atque adultos quidem peccata sua sacrdoti confessos esse ante oportet, & convenit etiam esse jejunos.

Pueris recenter natis, aliisque rationis usu carentibus Ss. Eucharistiæ sacramentum dari prohibeant, & in eos, qui de necessitate salutis id fieri falso asserunt, tamquam de fide suspectos, & male sentientes, juxta sæpe memorati concilii Tridentini decretum severe animadvertant.

Sacerdotes SS. Eucharistiæ sacramentum pro infirmis non ita, ut hactenus, immunde conficiant, miscentes corpus cum sanguine, & iterum formando bucellam, sed illud sub panis specie cum debita reverentia, decore, ac diligenti custodia sub clave, & sera asservent, ac saltem octavo quoque die renovent; & cum opus fuerit ad infirmos cum luminaribus, & sub umbella honorifice deferant.

Laicis non nisi peccata sua antea confessis sacram communionem sub panis tantum specie exhibeant.

Insuper, tam ipsi, quam diaconi, subdiaconi, cæterique clerici, qui ad id tenentur juxta eorum Græcum ritum, a sanctis Patribus institutum & approbatum, divinum officium singulis diebus recitare, seu decantare non prætermittant, sub poenis per canonicas sanctiones in eos, qui horas canonicas recitare neglexerint, impositis, & aliis in constitutione san. mem. Pii Quinti desuper edita contentis.

Dominicis, & festis diebus omnibus sub poena episcoporum arbitrio imponenda confessione prævia missam celebrare procurent. Clerici vero, & in sacris ordinibus constituti saltem semel in mense communicent.

Altaria portabilia, episcoporum benedictione communita, & corporalia, & pallas mundas similiter benedictas habeant.

Sed ne Latini, præsertim hi qui simplices sunt, Græcis permixti, in eorum ritum inducantur, curent episcopi, ut presbyteri Græci in suis tantum ecclesiis celebrent, suo ritu utentes, in eisque ipsorum plebibus tantum Græcis sacramentum altaris ministrent.

Constitutionem fel. rec. Pii papæ Quinti, qua facultates alias concessæ Græcis Latino, & Latinis græco ritu missas, & alia divina officia celebrandi revocantur, ab eisdem Græcis inviolabiliter servari mandent; & tam græcos, quam latinos in suis propriis ecclesiis juxta cujusque morem suo muneri satisfacere condignis propositis poenis præcipiant.

Mandent etiam, ut nullus sub poena perpetuæ suspensionis ab alio, quam a suo proprio episcopo, vel de licentia ipsius a catholico antistite, S.R.E. gratiam, & communionem habente, ecclesiasticos ordines suscipere audet.

Matrimonia sancte, ut decet, sine aliqua superstitione, & abusu, & non inter conjunctas personas & tribus in ecclesia præcedentibus monitionibus celebrari procurent. Utque ad præmissorum integram observationem facilius compellantur, & ignorantiæ excusationem nullatenus prætendere possint, decreta sac. conc. Tridentini de hac re Græco idiomate fideliter versa illis tradant; quæ si postmodum observare neglexerint, juxta sacros canones, & ejusdem concilii præscriptum, adversus contrafacientes severe procedant.

Pro-

Provideant ne Græci ſecundas, & tertias, ac ulteriores etiam nuptias reprehendant aliquatenus, nec condemnent, ſed illas inter perſonas, quæ alias licite ad invicem matrimonio jungi poſſunt, initas approbare compellant, cum ſecundum apoſtolum, *Mulier, mortuo viro, ſoluta ſit a lege viri, & nubendi cui vult liberam habeat facultatem.*

Optat etiam ipſa ſynodus Græcos presbyteros commonendos, atque cogendos fore, ut ſtatim poſt feriam quintam in Coena Domini ad epiſcopum, in cujus dioeceſi morantur, accedant ad devote ſuſcipiendum ſacrum chriſmatis oleum in vaſe decenti; & vaſculum habeant, ſaltem ſtamneum, in quo illud diligenter aſſervetur.

Infirmos, oleo infirmorum, quod catholica eccleſia ex Chriſti D. N. inſtituto, & apoſtolica traditione didicit, & extremam Unctionem proprie appellat, dum in exitu vitæ conſtituti videntur, juxta eorum ritum benedicto inungant, ac etiam non petentes, præſertim cum periculoſe ægrotant de eo ſuſcipiendo admoneant, eiſque pie, & religioſe conferant.

Aquam etiam juxta eorum ritum benedicant, eamque in ingreſſu eccleſiarum teneant.

Poſtremo curent epiſcopi, ut a græcis, qui in eorum dioeceſibus incolatum habent, quæ ab eis, vel ex eorum legitimo ritu, tam in baptiſmi, & confirmationis, quam in aliis eccleſiæ ſacramentis rite adminiſtrandis præcipiuntur, diligenter obſerventur, & in tranſgreſſores ipſorum arbitrio animadvertant, vel ſi magis expedire judicaverint, ex eorum dioeceſibus eiiciant.

De ſacramentorum adminiſtratione.

Antequam ſacramentalem actionem quis miniſtrandam ſuſcipiat, diligenter tanti muneris functionem conſideret, atque perpendat, & ad eam ſancte, & graviter accedat, ſeperpelliceum, & ſtolam habeat, ordini, & miniſtrandi ſacramenta nihil addat, aut minuat; ſed juxta ritus, cæremonias, & conſuetudines S. R. eccleſiæ munus ſuum exequatur.

In ſacramentorum adminiſtratione prohibeant epiſcopi, ne quid exigatur, aut verbis vel ſignis, nihil directe, vel indirecte petatur; ſed omnia pure, ſincere, & ſine avaritiæ ſuſpicione fiant.

Cathedralium eccleſiarum cuſtodes, ſacriſtæ, aliique omnes, ad quos ſpectat, ſacta olea parochis, & curatis, gratis erogent, ſive diſpertiant, nec quidquam omnino, quantumvis minimum, ſub poena ſuſpenſionis ab officio pro eorum erogatione, ſeu diſperſione petant, aut etiam a ſponte dantibus recipiant, quavis conſuetudine contraria non obſtante.

De Baptiſmo.

Fontes baptiſmales, ubi fieri poteſt, ſint ex marmore, vel alio lapide, qui aquam continere, & ſervare poſſint, cum ciboxio pyramidato, vel ſaltem intrinſecus habeatur vas ex ære ſtamneato ad aquam tutius, ac nitidius conſervandam. Ubi tamen præmiſſo modo hactenus erecti non fuerint, in loco eccleſiam non impediente, ſed omnibus conſpicuo quam citiſſime erigantur; & erecti occluſi interius exteriuſque nitidius cuſtodiantur.

Parochi omnes, aliique quibus ſacramentorum adminiſtratio incumbit, nec parentum nobilitate, nec aliqua alia ratione adducantur, ut extra caſum neceſſitatis in privatis domibus baptiſmi ſacramentum conferant, quod ſi ſecus facere attentaverint, ordinarii arbitrio puniantur.

Excommunicati, & alii, qui a ſacris Canonibus arcentur, ad parvulos de ſacro fonte ſuſcipiendos nullatenus admittantur.

Obſtetrices omnes, ſeu alii laici commoneantur, ut ſi mortis periculum infantibus immineat, eo caſu tantum illos baptizandi facultatem habere ſciant, ſervata debita forma, cum diſtincta verborum prolatione, & elementaris aquæ infuſione, & cum intentione id faciendi, quod in hujus ſacramenti collatione ſancta catholica eccleſia facere intendit. Præterea commonefiant, mulierem præſente viro ad munus batizandi etiam in caſu neceſſitatis, non eſſe admittendam, niſi forte is baptiſmi formam ignoret, & illa ad id peragendum magis inſtructa ſit.

Parochi librum habeant, in quem tum baptizatorum, tum eorum parentum, tum etiam patrinorum nomina, & cognomina diemque nativitatis, ſi commode fieri poteſt, & ipſius baptiſmi diſtincte referant, illumque cuſtodiant diligenter, & ſingulis quoque annis epiſcopo recognoſcendum oſtendant.

Cum baptismalis aqua in fontibus renovatur, veterem in ſacrarium proiiciant.

Parochi denique ſedulo hortentur, & frequenter commoneant prægnantes mulieres, ut cum nonum menſem attigerint, vel tempus partus inſtiterit; ipſis, vel aliis ſacerdotibus ab epiſcopo approbatis peccata ſua confiteantur, & ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumant.

De Sacramento confirmationis.

Antequam confirmationis Sacramentum ab epiſcopis conferatur, parochi per ſe ipſos vel per alios illius vim, efficaciam, & effectus Chriſtifidelibus explicare, & explanare ſtudeant, ut ad illud devote, & reverenter ſuſcipiendum, qui natu majores, & nondum chriſmati ſunt accedant, vel infantes, & pueros pie & religioſe deferant

Adulti, qui nondum confirmati ſunt, jejunio, & ſacramentali peccatorum confeſſione, ac etiam ſacræ Euchariſtiæ ſuſceptione præcedentibus confirmentur.

Iis autem, de quibus probabiliter dubitatur, an a pontifice confirmati ſint, prout & in ſacramento baptiſmi fieri debet, poſerit Sacramentum confirmationis ſub conditione conferri: ſi nondum confirmati ſunt.

Eorum qui confirmati fuerint, pro decentia ſacramenti, goſſipium, ſeu bambacium, & deſuper chriſmale ſeu linteolum lineum frontibus apponatur, & aliquantiſper de

ANNO CHRISTI 1597.

feratur; quod postea depositum comburatur in sacrario, nisi ipsum linteolum, ibi ablutum usibus ecclesiæ deservire possit, & ideo reservetur; vel saltem adultorum confirmatorum fontes bambacio abstergantur, & deinde abluantur aqua, quæ combusto bambacio, in commune sacrarium proiiciatur.

Provideant etiam episcopi, ut confirmatorum, & patrinorum nomina, & cognomina in libro, quem in episcopali archivio conservandum curabunt, distincte annotentur, & conscribantur.

Plebes suas moneant, & per parochos admoneri faciant, inter confirmantem, confirmatos, eorumque parentes, & tenentem, quemadmodum ex baptismi sacramento, spiritualem cognationem contrahi, eosque quod non plures, quam unus, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, & una baptizatum, & confirmatum suscipere, vel tenere possunt, & quam cognationem contraxerint tam in baptismo, quam in confirmatione ad ignorantiæ excusationem tollendam frequenter doceant, atque ex sacri generalis conc. Tridentini decreto distincte declarent

De sanctissimæ eucharistiæ sacramento.

Sanctissimæ eucharistiæ sacramentum in cathedralibus aliisque parochialibus ecclesiis in tabernaculo, ubi commode fieri poterit, deaurato, decentissime ornato, ac nitide, collocetur, nihilque, quod ad illius cum clave, & sera tutam custodiam conservationemque pertineat, modo aliquo prætermittatur; sit autem sericeo, aut alio decenti velamine contectum, & lampades in conspectu perpetuo ardeant.

Mandent episcopi, ut parochi ceterique animarum curam habentes, publicos concubinarios, blasphemos, usurarios, vel alios facinorosos homines, nisi poenitentes, aut vita, aut moribus emendatos perspexerint, ad communionem non admittant

Utque iidem curent, ut pueri, qui communicare voluerint, non alii admittantur, quam qui ætate ea vel ingenio polleant, ut quod faciunt recte, discernant.

Provideant etiam, ut si ecclesiæ qualitas & amplitudo patiatur, maribus seorsum a feminis eucharistiæ sacramentum ministretur.

Ad Christifidelium devotionem et pietatem in dies promovendam volumus vos sæpius admoneri, ut non solum Paschæ tempore juxta generale ecclesiæ præceptum, sed in aliis etiam præcipuis anni solemnitatibus præmissa sacramentali confessione ad tanti sacramenti perceptionem pie & devote accedant, ac ut uberiores inde fructus, & gratias consequantur, illud sæpius frequentent.

Ut autem ipsi Christifideles ab exemplo facilius etiam inducantur, curent episcopi, ut sui domestici et familiares omnes, dictis, aliisque D. N. Jesu Christi, & beatissimæ ejus genetricis semper Virginis Mariæ sine labe conceptæ, & SS. Apostolorum festivitatibus, vel etiam aliis dominicis, & festis diebus, peccata eorum probatis sacerdotibus confessi, sacram eucharistiam frequenter sumant.

Cum ad infirmos tantum sacramentum deferri contigerit, præmisso campanæ signo ad convocandos clericos, & confratres aliosque fideles, sacerdos ministraturus cotta, stola, & pluviali, vel saltem cotta, & stola indutus duas particulas in vase ad id dicato, sive in eleganti pyxide reponat, & collocet decenter, ac a collo suo pendens velamen desuper expandat; & tunc cum honesto fidelium comitatu, qui cereos, & luminaria deferant, ab ecclesia discedens, tintinnabulo præcedente, sub umbella, seu baldacchino, ubi fieri potest, graviter incedat, ac summa cum veneratione & psalmis ipsum sacramentum deferat ad infirmos: cumque ad eorum domos pervenerit, servatis iis, quæ in hujusmodi sacramenti administratione in sacerdotali sive rituali libro continentur, ægroti sacram eucharistiam religiose exhibeat. Deinde eodem modo, quo prius, ad ecclesiam revertatur.

Ubi sacratissimi corporis Christi societas instituta non est, provideant episcopi, ut quam primum fieri poterit, instituatur, quod facile erit ex cleri & populi devotione; & ad id crebris concionatorum sermonibus, & admonitionibus excitari poterunt. Ubi autem instituta fuerit amplificetur; & si reformatione indigeat, episcopi arbitrio reformetur.

De sanctissimæ missæ sacrificio.

Sacrosanctum missæ sacrificium, non solum rite & recte, sed etiam pie & devote celebrari debet; quare, ut singulari pietate & devotione erga illud populus afficiatur, studeant episcopi, ut sacerdotes omnes mentis, & corporis puritate pollere nitantur; utque ad tanti sacrificii ministerium devote accedant, & missa prælecta, digno pro sua, populique salute preces effundant.

Omnes altaris ministros admonitos esse volumus, ut cæremonias juxta missalem Romanum, sanctæ recor. Pii papæ Quinti jussu editum, diligenter addiscant, & illas in missarum celebratione, ut in omnibus hujus provinciæ locis uniformis sit celebrandi ratio. Quod, si admoniti facere neglexerint, ad altaris ministerium non admittantur, aut ab eo quoad didicerint arceantur.

Oratorii ædificationem & usum episcopi non facile, sed cum eis justa de causa concedi visum fuerit, concedant. Prohibeant ne quis, quemadmodum sacri conc. Trid. decreto statutum est, in privatis domibus, aut aliis, quam ad divinum cultum dicatis oratoriis, atque ab ipsis designatis & visitatis missam celebrare præsumat.

Peregrini sacerdotes, aut ignoti ad rem divinam faciendam non admittantur, absque proprii episcopi sive ordinarii litteris dimissoriis; quas (ad evitandas fraudes hac in re committi solitas, prout experimento comperimus) episcopis, aut eorum vicariis generalibus examinari, & probari mandamus. Quæ vero ita recentes non sunt, ut verosimiliter illis credi possit, reiiciendas esse volu-

lu-

ANNO CHRISTI 1597.

lumus, nisi a locorum ordinariis, ubi proxime commorati fuerint, de eorum vita, & moribus testimonium afferant.

Provideant episcopi ut in ecclesiis altaria quæcunque divino cultui dicata ornamenta habeant non immunda, nec lacera; quod non sine populi scandalo sæpe conspicitur; sed illa pura sint, munda, decenter ornata, cum cruce saltem lignea.

Altare portatile ea longitudine & latitudine sit, ut hostia, & calix, dum super eo celebratur commode collocari, & retineri possit.

Curabunt etiam, ut abusus ille, qui in novæ, ut vocant, missæ celebratione presbyterorum avarita irrepsit, juxta sac. Tridentini concilii decretum, importunas, & illiberales petendi eleemosynarum petitiones & exactiones, ludos, & choreas faciendi quam primum tollatur; & ipsos presbyteros ab iis, quæ a simoniaca labe & turpi quæstu non longe absunt abstinere faciant.

Fideles omnes sedulo commoneantur, ut cum missæ sacrificio intersunt, tanti mysterii gravitatem considerent, reverenter assistant, & pie ac devote preces effundant; ad altare non ita prope accedant ut celebranti impedimentum, vel perturbationem afferant; ne dum veneranda missarum mysteria, & alia divina officia celebrantur, collocutiones habeant, & deambulationes faciant, atque in foribus ecclesiæ, aut extra subsistant, vel altaribus inhæreant, aut non expectata sacerdotis benedictione ab ecclesia discedant. Quæ si observare neglexerint, episcoporum arbitrio puniantur.

Ne defunctorum animæ debitis fraudentur suffragiis, curent episcopi, ut quæ ex imposito onere, vel munere missæ celebrari debeant, omnino celebrentur. Ubi vero ex defunctorum relictis, tam magnus missarum numerus sit, ut illis pro testatorum voluntate præscriptis diebus satisfieri nequeat, vel ex eleemosynæ tenuitate non facile inveniatur qui velit hujusmodi oneri se subjicere, episcopi sacri concilii Tridentini decreti memores, quo facultatem habeant, in dioecesanis synodis re maturius considerata, & diligenter perspecta missarum numerum contrahant, & pro eorum conscientia taliter reducant, ut defunctorum animæ sacris missarum sacrificiis, & anniversariorum institutionibus non defraudentur, & sacerdotes pro eorum dignitate commodius vivere possint.

Ne Christifideles a propriarum parochialium ecclesiarum cultu, & a divinis audiendis a proprio parocho, a quo Christianæ fidei rudimenta, salutaria monita, explicationes sacrorum mysteriorum missæ, festorum dierum, & circa contrahendas nuptias denunciationes audire debent, inposterum avertantur, statuimus, ut nullus presbyter beneficiatus, vel capellanus cujuscunque capellæ, dominicis aliisque festis diebus de præcepto in oratoriis sodalitatum, seu confraternitatum sæcularium, aliisve ecclesiis, capellis, aut oratoriis sæcularibus, quæ parochialis ecclesiæ finibus continentur, missas, & alia divina officia horarum nimis præpropera celebrare, vel ad ea audienda populum convocare audeat, nisi absoluta missa, quæ in parochiali ecclesia præmissis diebus celebrari solet. Idemque a ruralibus presbyteris, & capellanis aliquarum ecclesiarum non parrochialium, & capellanarum, observandum esse decernimus, ita ut parochi, sive archipresbyteri in divinis officiis prædictis diebus ab ipsis nullatenus præveniantur.

ANNO CHRISTI 1597.

Curent etiam episcopi, ut parochi pro commissi muneris satisfactione patres familias frequenter commoneant, ut a filiis, & famulis, qui in pascendis animalibus occupantur, saltem dominicis, & majoribus festis diebus missam audiri procurent.

Viduæ aliæque mulieres, quæ ex prava ac detestabili consuetudine post maritorum, seu conjunctorum mortem ad ecclesias accedere nolunt, ne mense amplius, ad summum ad eas accedere, & missas audire differant, sub ecclesiasticis censuris, vel aliter, prout episcopis expedire videbitur compellantur.

De sacramento Pœnitentiæ.

Curent episcopi constitutionem in generali concilio a fel. rec. Innocentio papa III. editam, quæ incipit: *Omnes utriusque sexus*, diligentius observari. Ac ne Christifideles ignorantiæ prætextu excusari possint, sed omnes sciant ad sacramentalem confessionem proprio sacerdoti, aliive ad audiendas confessiones ab episcopo approbato saltem semel in anno faciendam ecclesiæ præcepto teneri, eandem constitutionem tribus diebus dominicis in Quadragesima ante Pascha, in eorum cathedralibus, ac in aliis eorum civitatum, & dioecesum parochialibus ecclesiis de pulpito alta & intelligibili voce legi, evulgari, & publicari faciant.

Insuper sacrosancti Tridentini concilii decretum observari cupientes, neminem latere volumus interdictum esse omnibus, & singulis presbyteris, tam sæcularibus, quam cujuscumque ordinis regularibus in provincia existentibus, aut pro tempore commorantibus (iis qui parochialem ecclesiam obtinent dumtaxat exceptis) ne sæcularium etiam sacerdotum confessiones audire, vel eis absolutionem impendere præsumant, nisi ab episcopo loci ad id fuerint examinati, & approbati: etiam ex const. S.M. Pii V. desuper edita, quam cunctis quorumvis ordinum regularibus, eorumque prælatis aut superioribus quomodolibet nuncupatis, ad omnem ignorantiæ excusationem tollendam insinuari, & notificari mandamus.

Prohibemus etiam parochis, ac aliis confessariis sibi subjectis quibuscumque, ab episcopis locorum, ad fidelium audiendas confessiones approbatis, ut nihil pro absolutione, etiam a sponte dantibus, accipere, vel exigere, aut certam personam, cui dandum sit, nominare præsumant.

In privatis domibus (causa necessitatis excepta) pœnitentium confessiones audire non audeant, sed in locis patentibus, & conspicuis in ecclesiis. Ac ut suum officium commodius, & decentius præstare possint, mandamus in singulis cathedralibus ecclesiis, etiam regularium in locis hujusmodi

ANNO CHRISTI 1597.

patentibus & conſpicuis confeſſionalia lingnea conſtitui, & decenter aptari, e quibus e crate ferrea, aut perforata lamina interpoſita poenitentium confeſſiones commode audire, & munus ſuum diligenter obire poſſint.

Cum confeſſarios ſacerdotes, nedum de animarum ſalute ſollicitos, ſed etiam eorum, quæ in confeſſione audierint, fideles opportet eſſe cuſtodes; epiſcopi in his deligendis eam impoſterum diligentiam adhibeant, ut tales ſint, qui vita, & moribus probati, doctrina quoque prudentia, ac patientia polleant, & ejus ætatis, præſertim, qui mulierum confeſſiones audire debent, ut his libere peccata ſua confiteri valeant: ipſarum tamen confeſſiones ante ortum, vel poſt occaſum ſolis, niſi neceſſitas aliter poſtulet, non audiantur.

Quod ſi in aliquo præmiſſorum defecerint, eos pro qualitate exceſſus, præter canonicas poenas, aliis dioeceſani epiſcopi arbitrio puniri decernimus.

De caſuum reſervatione.

Epiſcopi in reſervandis caſibus ad id potiſſimum intendere debent, ut a peccatis quæ maxime enormia ſunt & frequenter committi ſolent, difficiliori impetrandæ veniæ gratia homines arceantur, & ab iis iterum perpetranda detineantur. Quare eos tantum ſibi reſervare ſtudeant, quos neceſſario reſervandos eſſe expedire cognoverint.

Cum autem ad ædificationem, non in deſtructionem in ſubditos ſupra reliquos inferiores ſacerdotes hujusmodi authoritatem habeant, ne pœnitentes a ſuis Parochis abſolutionem obtinere deſperantes omnino confiteri negligant, ab aliquibus caſibus epiſcopalibus abſolvendi faultatem eisdem parochis pro eorum doctrina, & prudentia libere concedant, ſive impartiantur.

Ne tam parochi, quam alii confeſſarii a caſibus ſummo Romano pontifici, vel epiſcopo quacumque ratione reſervatis temere, vel per injuriam, inutiliter tamen, & de facto abſolvant, illorum notam apud parochos, ac alios confeſſarios ſcriptam haberi procurent, ut illos manifeſte noſcant, & cum in eorum aliquo poenitentes illaqueatos eſſe compererint, illos quam primum ad eos, quibus caſus reſervatus eſt, remittant, vel ipſi ab eis facultatem eos abſolvendi ſatagant impetrare.

Curabunt etiam epiſcopi, ut parochi fideles omnes ſibi commiſſos frequentius commoneant, ne peccatorum confeſſiones, quæ Paſchæ tempore fiunt, ad extremos uſque quadrageſimæ, vel hebdomadæ majoris dies differant, ſeu protrahant; quando nec facile, neque commode audiri poſſunt.

Præterea nomina eorum, qui præſtituto tempore non communicaverint, poſt octavam Paſchæ ſibi fideliter deferri, vel transmitti præcipiant, deſcriptis etiam iis, qui ex confeſſarii conſilio juſta de cauſa ſacram communionem in aliud tempus produxerint. Contra eos autem, qui contumaces fuerint, ſevere procedant, & juxta memoratam conſtitutionem; *Omnes utriuſque*, eccleſiaſtico ſubiiciant interdicto, vel alias reſipicere compellant, ut ad meliorem frugem converſi, ſanctæ eccleſiæ mandatis diſcant obtemperare.

Si quis vero extra parochiam ſuam dicto tempore ſacram Euchariſtiam ſumpſerit, Parocho ſuo fidem deferat; ſin minus, in eum agendum eſſe decernimus, ac ſi eo tempore non communicaſſet.

Conſtitutio obſervanda per medicos.

Ex carnali conjunctorum affectu, & medicorum incuria, a quibus infirmitatis diſcrimen ægrotantibus remiſſius quam debet inſinuatur, plerumque fit ut ad eos raro, aut nunquam confeſſarii, aliive animarum curatores opportune advocentur, & adſint; & ideo interdum cum ipſis in extrema ægritudine conſtitutis a medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, vel abſque eccleſiaſticis ſacramentis decedunt. Quare huic malo occurrere & animarum ſaluti in Domino, ſine quo vana eſt ſalus hominis, conſulere volentes, ſingulis medicis, phyſicis, & chirurgis ſub poenis in conſtitutione fel. rec. Pii papæ Quinti contentis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus cum ad infirmos eos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, ut intra triduum, niſi morbi qualitas majorem celeritatem poſcat, confeſſarios, ſeu animarum medicos prædictos advocent, eiſque ſua peccata confiteantur, ac SS. Euchariſtiam percipiant, & ſe ad omnem Domini vocationem parent; neque eos tertio die viſitent, ſi præmiſſa non adimpleverint, niſi in longius tempus confeſſorem ex aliqua rationabili cauſa diſtuliſſe conſtiterit. Utque conſtitutio ipſa, qua altera in generali concilio ſub Innocentio III. deſuper edita, quæ incipit, *Cum infirmitas* innovatur, omnibus innoteſcat, eam ſemel in menſe, tam in cathedralibus eccleſiis, quam in parochialibus publice inter miſſarum ſolemnia legi, & publicari mandamus.

De pœnitentiario in qualibet cathedrali inſtituendo.

Epiſcopi, qui in ſuis cathedralibus eccleſiis poenitentiarium ex ſacri generalis Tridentini concilii decreto hactenus non inſtituerunt, ubi id commode fieri poterit, quam primum inſtituant, eidemqne unione vel applicatione præbendæ primo vacaturæ provideant.

De jejuniis.

Cum inter cætera poenitentiæ opera corporale jejunium, & abſtinentia plurimum valeant, epiſcopi, & animarum paſtores ovibus ſuis ſedulo commendent jejunia, abſtinentiam, atque alia opera, quæ ad carnem mortificandam conducunt.

Proinde univerſos Chriſtifideles noſtræ provinciæ commonitos eſſe volumus, ut ſciant ſe juxta ſacrorum canonum ſtatuta teneri, & obſtrictos eſſe jejunare ex eccleſiæ præcepto

ANNO CHRISTI 1597.

cepto in quadrageſima, quatuor anni temporibus, necnon vigiliis, ſeu aliis jejunii diebus ab eccleſia inſtitutis, eiſque a parochis id ſæpius inculcari, & ab omnibus obſervari curent, exceptis iis, quos valetudinis cauſa, urgens neceſſitas, vel imbecilla ætas a jejunii lege eximit, cujus rei judicium ſit epiſcopi, vel ejus quem ſuo muneri ipſe præfecerit, qui utriuſque medici fide, ſeu atteſtatione perſpecta diſcrete provideat.

Mandamus inſuper omnibus locorum ordinariis, ut prædictis jejuniorum diebus, carnes, & alios vetitos cibos publice venales eſſe non permittant, ſed in locis privatis pro infirmis, & iis dumtaxat, qui licentiam in ſcriptis obtinuerint, quam de utriuſque medici conſilio (ut ſupra dictum eſt) gratis impartiri volumus. In locis autem, ubi corporalis medici copia haberi non poteſt, ſolius parochi, ſeu curati ſufficit atteſtatio.

De ſacramento ordinis.

Sacri concilii Tridentini decreta eam diligentiæ rationem, quæ in ordinibus quibuſcunque conferendis adhiberi debet, tam ſalubriter, & accurate complectuntur, ut nihil aliud providendum eſſe duxerimus, quam ut inviolate ſerventur.

Monemus autem epiſcopos, & quod in hac re caput eſt, ab ipſis obſervandum vehementer optamus, ne inhabilibus, aut infamibus, aut ætatis, vel litterarum, vel natalium aliorumve defectum patientibus, nec per ſordes, vel ſimoniace, quod abſit, ordines conferant.

Archidiaconus, ſi cathedralis eccleſia talem dignitatem habeat; ſin minus, is qui poſt epiſcopalem proximam obtinet, quam citius fieri poterit librum conficiat, in quo clericorum omnium nomina, qui in civitate, & dioeceſi continentur fideliter annotet, & quo quiſque ordine quove tempore, & loco promotus, cuive eccleſiæ adſcriptus fuerit diſtincte deſcribat. Is vero qui poſt hac ſive ab epiſcopo ſive de ipſius licentia in dioeceſi, vel extra ad clericalem militiam adſcribetur, vel ad aliquem alium ordinem promovebitur intra menſem, a ſuſcepti ordinis die computandum, nomen ſuum in eundem librum referendum curet; quod diligenter ab ipſo ſervari, & ſingulis annis ab epiſcopo recognoſci mandamus.

De ſeminario clericorum.

Cupientes ut ea, quæ a ſacroſancta Tridentina ſynodo ad rectam inſtitutionem clericorum ordinata ſunt inviolabiliter obſerventur, præcipimus, ut omnes epiſcopi, qui tam pium, ſanctum, & huic provinciæ maxime neceſſarium opus prætermiſerunt, aut aliquo modo inſtituere diſtulerunt, ſtatim a fine hujus provincialis ſynodi, juxta formam ejuſdem Tridentini concilii decreto præſcriptam, inſtituendum curent. Ubi autem propter tenuitatem redituum cathedralis eccleſiæ, & aliorum beneficiorum civitatis & dioeceſis commode inſtitui nequiverit, in ſeminarium hujus Metropolitanæ eccleſiæ, ſeu in aliud in aliqua commodiori, & viciniore comprovinciali eccleſia inſtitutum clericos pueros alendos, & inſtituendos mittant, & recipi curent, atque ei in expenſis contribuant: tot autem mittant, quot pro rata pecuniarum, quæ ab eorum eccleſiis exigentur, conſideratis ſumptibus victui, & veſtitui neceſſariis, & libris emendis ac magiſtrorum ſalariis perſolvendis, ipſis ſatis eſſe videbuntur.

ANNO CHRISTI 1597.

De ſacramento matrimonii.

Ut ſacroſancti concilii Tridentini decreta quibus in contrahendis celebrandisque matrimoniis certus modus, & forma præſcribitur, integræ executioni mandentur, provideant epiſcopi, ut illa communi Italica lingua verſa ab unoquoque parocho, quam primum fieri poterit, habeantur: & ne eorum obſervatio ab hominum memoria facile labatur, ſingulis menſibus præſentis anni, & deinde quoties expedire videbitur, juxta noſtræ Metropolitanæ eccleſiæ morem intra miſſarum ſolemnia evulgari, & publicari faciant.

Ac præterea librum, in quo unuſquiſque parochus ex prædicti concilii decreto denunciationes, & conjunctiones matrimoniorum, & conjunctorum nomina, & cognomina, quave die, menſe, & anno, ac quibus teſtibus præſentibus matrimonia ipſa contracta fuerint deſcribere teneantur, ſtatim recognoſcant, & an id obſervatum fuerit diligenter exquirant.

Demum quæcunque hujus ſacramenti ſanctitati, & honeſtati contraria videbuntur, epiſcopi pro eorum prudentia tollere, & penitus abolere non omittant; & quos in gradibus a jure prohibitis contraxiſſe repererint, ad invicem omnino ſeparent; & de perſonarum ſic illicite conjunctarum qualitatibus; & an ſcienter vel ignoranter, an ante vel poſt concilii Tridentini publicationem, & an præcedentibus denunciationibus, & an prohibente parocho, quave ex cauſa contraxerint, inquirant, ſeu proceſſus conficiant; et ſi hæ vel ſeparationi non acquieſcant, aut gravia exinde facile ſcandala oriri poſſe ſi cum eis non diſpenſetur, probabiliter dubitetur, SS. D. N. Papam, & ejus ſanctam apoſtolicam ſedem, miſſa relatione deſuper conſulant, ut quid agendum ſit, aut ſi cum eis ſanctitas ſua diſpenſandum duxerit, opportune provideri poſſit.

De ſacramento extremæ unctionis.

Sacrum extremæ unctionis oleum in vaſe ſaltem ſtamneo, cum aliis ſacrorum oleorum vaſibus, ſub clave & ſera diligenter ſervetur & cuſtodiatur. Vaſculum autem, quod cum hujuſmodi oleo ad infirmos defertur, ſit argenteum, vel etiam ſtamneum; & ſimiliter cum goſſipio mundo intrinſecus, & ab aliis ſacris oleis diſtinctum, in tuto, & honeſto loco aſſervetur. Illud quoties deferri oportuerit, in burſa ſerica honorifice deferatur.

At

ANNO CHRISTI 1597.

Atque in eo miniſtrando ritus, preces, & orationes illas, quæ in ordine Romano ſacerdotali, aliiſque ritualibus ſacramentorum libris habentur adhibendas, & infirmos, dum adhuc quid agunt intelligunt, integroque ſenſu exiſtunt, pie, & religioſe inungendos eſſe, præcipimus.

Admonendi ſunt parochi, ut circa decumbentes infirmos & morti proximos, quibus tunc graviſſimum cum humani generis hoſte certamen inſtat, exactiſſimæ pietatis munus exequantur; & poſtquam infirmos extremæ unctionis oleo inunxerint, ſæpe viſitent, vel apud ipſos permaneant, conſolentur, & ad cœleſtis beatitudinis cogitationem erigant, ac ut forti animo ſint, & mortis metum abiiciant, & ad æternam gloriam ſe vocatos eſſe cognoſcant, diligenter hortentur.

Volumus inſuper, ut epiſcopi omnes, & ſinguli ſuæ curæ commiſſos commoneant, & a parochis ſæpe commoneri faciant, illiſque mandent, ne graviter ægrotantes, vel morientes, aut in mortis articulo conſtitutos vanis, ac ſæcularibus ſermonibus, aut commemorationibus, ſeu luctibus importunis perturbent aut commoveant, cum ſatis ſuperque ſit, quod per ſe humani generis inimicus, & inſidiator diabolus tunc molitur: callidiſſimus enim ſerpens nullo unquam tempore Chriſtifideles gravius oppugnare ſolet, quam cum ex hac vita migrandum eſt. Quare a decedentibus, ſeu morituris ſuggeſtiones, vel periculoſa tentamenta hujuſmodi ſunt amovenda, atque adverſus illa potius aſſiduæ, & ferventes orationes fiant, ac pia alia ſuffragia, & adjumenta ferantur.

De ſepulturis.

Omnibus, & ſingulis clericis, qui ad funerales exſequias evocati fuerint, diſtricte præcipiendo mandamus, ut tam in proceſſionibus, quam in pompa funerum bini, ſuperpelliceis ſive cottis induti, ordinato & compoſito corporis habitu procedant, & præcedentem crucem ſequantur & comitentur, & eo quo venerunt ordine redeant.

Habeant parochi librum, in quo omnium in ſuis parochiis commorantium nomina, & cognomina diſtincte deſcribant, & in cujus margine, quo die quis obierit, notent

De funerum exactione cohibenda.

Clamoroſa illa multorum querela, quæ in ſynodo propoſita eſt contra nonnullos, qui pietatis immemores, debitæ exactionis prætextu, mortuorum corpora ſepelire differunt, opportuna indiget proviſione. Quare cupientes, ut tenemur, omnibus paterna charitate conſulere, præcipimus omnibus, & ſingulis capitulorum, parochialium, & collegiatarum eccleſiarum procuratoribus, rectoribus, parochis, & curatis, ut ab illicitis exactionibus, & ab omni ſpecie mali omnino abſtineant, & ſe non turpis quæſtus cupidos, nec avaros exactores præſeferant; ſed potius ſe in omnibus, quæ Jeſu Chriſti, non quæ ſua ſunt, quærere, bonis operibus manifeſte comprobent; ac proinde defunctorum corpora chriſtiana pietate ad eccleſias, ſive cæmeteria deferre, & religioſe ſepelire non differant.

ANNO CHRISTI 1597.

De defunctis immoderate non lugendis, ſeu de mulieribus etiam conjunctis ululantibus, & ejulantibus cum clamore ab officio exequiarum arcendis niſi quieverint.

Superſtitioſum in lugendis mortuis abuſum, qui in provincia noſtra jamdiu diabolica fraude irrepſit, & ſæpe vetitus, penitus tolli non potuit, abolere volentes, præcipimus in virtute ſ. obedientiæ, ne qua mulierum præficarum, quas repetitrices appellant, hujuſmodi officium in invitandis, ſeu excitandis aliis ad luctum, & ejulatum in conſanguineorum, cognatorumve funeribus exercere præſumat; ſed hoc nomine, & uſu a Chriſti Domini noſtri grege eliminato, ita poſthac moderate lugeant, ut chriſtianas feminas decet, ſacra dictante ſcriptura: *ſuper mortuum modicum plora*: & apoſtolo admonente: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent.*

Cum vero ad eccleſiam funus effertur, prohibemus ne mulieres, quæ eccleſias luctibus, & ululatibus complere ſolent, etiam ſuorum defunctorum corpora ſequantur, vel exequiarum officiis interſint; ſed domi ſe contineant. Quod ſi parocho admonente neglexerint, presbyteri omnes cum pompa funebri ultra non progrediantur, vel de eccleſia, ſi jam ad eam pervenerint, ibi relicto funere, exeant, niſi ſtatim ipſæ paruerint redeundo, vel quieſcendo; non enim decet domum Dei omnipotentis, quæ domus orationis eſt, & in conſpectu tantæ ejus majeſtatis importunis hujuſmodi ejulatis & clamoribus impleri.

De funere epiſcopi comprovincialis.

Pium ſanctorum Patrum inſtitutum, jamdiu intermiſſum, in uſum debitum, quantum in nobis eſt, revocantes, ſtatuimus, & mandamus, ut cum primum epiſcopum ex hoc ſæculo migrare contigerit, capitulum cathedralis eccleſiæ de ſui paſtoris obitu admoneat archiepiſcopum, & alios comprovinciales epiſcopos, ut de eo certiores facti, illius animæ ſacris precibus, & miſſarum ſacrificiis, aliiſque piis operibus ſuffragari poſſint, ac etiam accedere, vel mittere ad ejus exſequias celebrandas, quibus ſaltem vicinior epiſcopus intereſſe debeat.

Anniverſarium exſequiarum officium mortui epiſcopi ſingulis annis in cathedrali eccleſia, quamdiu proximus ejus ſucceſſor in epiſcopatu vixerit, faciendum eſſe præcipimus; id ipſum in omnibus ſimiliter eccleſiis rectorum & beneficiatorum defunctorum viventis ſumptibus obſervari cupimus.

Ejuſdem capituli onus erit, ut juxta ſacconc. Tridentini decretum ſupplicationes, & preces, publice privatimque habeantur, & per civitatem, & dioeceſim indicantur & celebrentur, & ut clerus, ac populus bonum a Deo paſtorem valeant impetrare

De

ANNO CHRISTI 1597.

De inventario proceſſuum cauſarum, & negociorum quorumcumque ab epiſcopo conficiendo.

Cum in provincia noſtra Pii Papæ V. conſtitutioni, ſeu præcepto de conficiendis inventariis per epiſcopos regni Neapolitani, & Siciliæ hactenus ſatisfactum non ſit, ne tam utile, tamque neceſſarium inſtitutum per incuriam omittatur, epiſcopos omnes commonemus, ut quilibet inventarium authenticum omnium, & quarumcumque ſuæ curiæ querelarum, accuſationum, inquiſitionum, denunciationum, cæterorumque actorum, cauſarum, negociorum criminalium, etiam mixtorum, quæ apud curiæ ſuæ notarium, ſive actuarium fuerint, quamprimum conficiendum curent, & juxta memoratum præceptum conficiat, & confectum, & dicti notarii manu ſubſcriptum, penes ſe cuſtodiat, donec ſuper his indicatum fuerit; & ſi eum de vita interim decedere contigerit, illud univerſum, ſuo ſigillo obſignatum, fidei ſacerdotis, cui ſua peccata confitetur, morte impendente committat, tuto tamen, & fideliter aſſervandum, ac futuro præſuli clauſum integrumque tradendum, & alias prout in eadem conſtitutione continetur.

De piorum legatorum, & ultimarum voluntatum exequtione.

Cum ii, qui in defunctos debitam pietatem non exercent, inhumani admodum cenſeantur; inhumaniores quippe exiſtimandi ſunt, qui illorum animas propemodum necantes non ſatisfaciunt legatis, quæ pro animarum ſuarum expiatione pie, & fideliter reliquerunt. Quare eos omnes in viſceribus D. N. J. Chriſti requirimus, & monemus, ut, ne in animarum ſuarum diſpendium incurrant, quam primum defunctorum voluntates impleant, eiſque omnino ſatisfacere curent.

Ne vero epiſcopi interim ſuo muneri deſint, mandent omnibus notariis, & tabellionibus, tam in civitatibus, quam in ipſorum dioeceſis oppidis, & terris degentibus ſub poena excommunicationis, ut intra menſem notam ad ipſos deferant omnium legatorum ad cauſas pias relictorum.

Quod ſi hæres, vel ultimarum voluntatum executor intra debitum tempus, vel a teſtatore præſcriptum piis teſtatoris diſpoſitionibus ſeu voluntati ſatisfacere prætermittant, illas epiſcopus, niſi vere eas præſtari & impleri non potuiſſe legitime conſtiterit, etiam ſub cenſuris eccleſiaſticis integre expleri curabit.

De eccleſiis, & earum cultu.

Eccleſias omnes, capellas, oratoria, ſacella, ac quævis pia, ac religioſa loca reparari, & inſtaurari, atque pro reddituum qualitate conſervari, mandamus. Diruta tamen ad eam rationem quæ a Tridentina ſynodo præſcripta eſt, reſtitui, vel alio transferri, prout expedire videbitur, epiſcopi curent.

Provideant inſuper, ut capellis, Altaribus, oratoriis quibusounque, quæ in eccleſiis dotata reperiuntur, onera ex fundatione, vel antiqua inſtitutione, injuncta, & conſtituta, integre perſolvantur, idque per fructuum ſequeſtrationem, aut aliis juris remediis opportunis omnino procurent.

Altaria, & capellas, quæ ſine dote ſunt, aut parum ornata conſpiciuntur, ſi fundatores illas dotare, vel ornare nequiverint, vel alteri concedantur, vel ſi ex eis eccleſiæ aſpectus deformetur, epiſcopi arbitrio diruantur.

In eccleſiis ipſis de rebus profanis, aut de iis, quæ ad eccleſiam non pertinent, ſermones, circulos, conventus, congregationes, ſæculares actiones, aut quæ publica conſilia, ſeu parlamenta dicuntur, haberi nullo modo permittant, neque de quibusvis negociis aliis agi vel tractari, præſertim cum divina celebrantur officia, vel verbum Dei prædicatur; neque præterea vana colloquia miſceri, ſtrepitus, aut clamores, aut quidquam aliud, quod indecentiam aut perturbationem afferat, fieri, aut etiam quempiam in eis irreverenter verſari juxta concilii Trid. decretum, & S. M. Pii Papæ V. atque alias ſacras conſtitutiones patiantur.

Cum non liceat altaria, in quibus ſacra myſteria celebranda ſunt, niſi benedictis linteaminibus ſeu tobaleis cooperire & ornare, nec deceat, ut quæ ipſi Domino in eiſdem myſteriis deſervierunt, ad privatos hominum uſus amplius transferantur, interdicimus ſacerdotibus, & cæricis omnibus tam ſæcularibus, quam regularibus, ne linteaminibus hujuſmodi non benedictis, etiam auro, vel argento elaboratis, ſeu ſerico depictis, altaria poſt hac cooperire vel ornare præſumant. Similiter etiam prohibemus eiſdem, ne ſub gravi poena ſacra linteamina, vel velamina, & alia ornamenta, ſeu paramenta, & ſacra vaſa eccleſiarum Deo conſecrata ſive benedicta ad profanos aut privatos uſus quomodolibet convertere audeant, vel accomodare.

De eccleſiæ libertate vel immunitate ſervanda.

Eccleſiaſticam libertatem, & immunitatem ab omnibus integram conſervari, & cuſtodiri mandamus, propoſitis cenſuris, & poenis a jure ſtatutis, ac in decretis ſac. conc. Trid. ac diverſis conſtitutionibus & litteris Apoſtolicis, etiam die Coenæ Domini quotannis legi conſuetis, contentis, contra omnes qui eam lædere, aut quoquomodo violare præſumpſerint.

Nulli laicorum liceat domus impoſterum ædificare, quæ eccleſiarum parietes ulla ex parte attingere poſſint, ut earum circuitus & ambitus ſemper liber remaneat; nunc autem, ſi qua ſunt, quæ eccleſiis ipſis adhæreant, ut epiſcopi judicio tolerari non poſſe videantur, ſtatim dirui, & amoveri mandamus.

Prohibeant epiſcopi, ne mercatus & nundinæ aliave hujuſmodi intra eccleſiarum porticus exerceantur; nihilque earum foribus, ſeu portis, aut muris affigi, aut quod præter dignitatem, & decorum exiſtat fieri ſuſtineant.

Ec-

ANNO CHRISTI 1597.

Ecclesiarum ædes, quæ pro rectorum, & ministrorum usu necessitate, & commodo A constructæ sunt, ad frumenta, legumina, & his similia locari, aut alicui commodari omnino prohibemus.

De inventario bonorum ecclesiasticorum conficiendo.

Ne ecclesiarum bona futuris temporibus cupiditati facile exponantur, statuimus & districte mandamus omnibus episcopi, archidiaconis, diaconis, canonicis, & capitulis cathedralium, & collegiatarum ecclesiarum, ac similiter rectoribus, capellanis, seu curatis parochialium, & aliarum ecclesiarum, ac quævis ecclesiastica B beneficia obtinentibus, nec non hospitalium, confraternitatum, & quorumlibet piorum locorum administratoribus, ut infra sex menses, ab hujus synodi publicatione numerandos, omnium & singulorum bonorum, mobilium & immobilium, jurium, jurisdictionum, pertinentiarum, actionum, censuum, reddituum, ac nomina debitorum, ad eorum respective ecclesias cathedrales, & collegiatas, & aliarum mensas capitulares, atque parochiales, & alias quasvis ecclesias, seu beneficia ecclesiastica, hospitalia, confraternitates, & pia loca quæcumque, quomodolibet spectantium, & pertinentium per publicum notarium coram testibus fide dignis, ac aliis honestis personis, quæ illa noverint, plenum inventarium, seu catastrum, aut, ut vocant, plateas conficiant, seu conscribi & confici curent, cum eorum omnium quantitatibus, qualitatibus, limitibus, & confinibus nominatim in ipso fideliter adnotandis, in quo pariter, vel etiam in alio teorsum conficiendo inventario describantur omnium ipsarum ecclesiarum, mensarum, beneficiorum ecclesiasticorum & piorum locorum prædictorum, quæ extant, fundationes, privilegia, indulta, concessiones, donationes, uniones, applicationes, bullæ, & litteræ Apostolicæ, instrumenta, scripturæ, atque alia documenta quæcumque.

Mensæ archiepiscopalis catastrum, inventarium quam primum fieri volumus, mandantes ut ex eo tria publica seu authentica conficiantur instrumenta, quorum primum in archiepiscopali archivio custodiatur, secundum penes capitulum, tertium vero ad antiquiorem episcopum conservandum transmittatur.

Episcopus inventarii, mensæ episcopalis tria similiter publica seu authentica instrumenta confici curet, quorum unum in suæ cathedralis ecclesiæ archivio reponat; aliud suo capitulo asservandum tradat, tertium vero ad metropolitanum in ejusdem archi- E vio custodiendum transmittere teneatur.

Inventarii mensæ capitularis duo similiter authentica instrumenta fiant, quorum alterum in archivio capitulari, alterum vero in archivio episcopali asservetur.

Rectores autem parochialium, & aliarum ecclesiarum, ac reliqui beneficiati quicumque, atque hospitalium, & confraternitatum, & aliorum piorum locorum administratores similiter habeant, seu fieri faciant duo publica, seu authentica instrumenta; quorum alterum in ecclesia, vel in loco beneficii, hospitalis, confraternitatis, & loci pii conservari mandamus; alterum vero in archivio episcopali.

ANNO CHRISTI 1597.

Episcopi in visitatione, quam singulis annis ex sacris canonibus, & sacri concilii Tridentini decreto facere tenentur cujuscumque ecclesiæ parochialis, etiam collegiatæ, & quoruncumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura, hospitalium, sodalitatum, & aliorum piorum locorum, inventarium præ manibus habeant; & diligenter inspiciant, an ea quæ in eo annotata, & descripta fuerunt, integra habeantur sive permaneant; & si quid alienatum, seu deperditum esse compererint, in negligentem, vel in minus fidelem per suspensionem a perceptione fructuum, vel alias censuras & poenas suo arbitrio imponendas graviter animadvertant.

Hujusmodi inventarium tertio quoque anno, & quoties in ecclesia, beneficiove, aut pio loco novus successor extiterit, renovari, & præcipimus, & mandamus.

De archivio.

Ne deinceps ecclesiarum jura, ob temporum, vel hominum injuriam, ut dictum est, C supprimantur, vel quoquomodo depereant, volumus, ut singulis cathedralibus, aliisque insignibus ecclesiis, in quibus archivia hactenus instituta non sunt, illa per episcopos, & eorum capitula separatim instituantur, in quibus fundationes, privilegia, indulta, instrumenta, aliasque scripturas, & monumenta omnia cujuscumque generis, cum illorum inventarii publico instrumento, ut supra dictum est, sub probatæ fidei custode diligenter asservari, et integre custodiri mandamus.

De locationibus bonorum ecclesiasticorum.

Sacrosancti conc. Trid. decretum exsequi volentes, deputamus vicarium generalem in spiritualibus nostræ Metropolitanæ ecclesiæ pro tempore existentem, qui ecclesiasticorum bonorum locationes, etiam apostolica authoritate confirmatas a triginta annis citra ad longum tempus, seu vigintinovem annos factas in damna ecclesiæ, et contra canonicas sanctiones contractas fuisse examinare, et judicare valeat.

Locationes eorundem ecclesiasticorum bonorum, nisi apostolica authoritas interceserit, ultra triennium juxta constitutionem felic. rec. Pauli Papæ II. *ambitiosæ*, fieri prohibemus, sed si aliter factas fuisse compertum fuerit, illas invalidas, nullas, irritas, et inanes, nulliusque roboris, vel momenti fuisse, et esse declaramus.

Episcopi vero bona ecclesiæ, immobilia nullo modo distrahi, vendi, et quovis quæsito colore alienari, nec etiam propinquis in emphiteusim ad cujusvis temporis spatium, nisi pro ecclesiæ commodo, et solennitatibus juris servatis, id fieri expedierit,

lo-

locari, vel concedi permittant. Transgressores autem non solum in censuras, et poenas in prædicta constitutione Pauli Papæ II. contentas incurrisse declarent; verum etiam eos ipsis ecclesiasticis beneficiis, quorum bona alienaverint, vel prædicto modo locaverint, aut in emphiteusim concesserint, priventur, et alias eorum arbitrio puniantur.

De bonorum ecclesiasticorum usurpatoribus.

Ad nostram etiam pastoralis officii curam spectat, aut in reparandis instaurandisque ecclesiis collapsis, et solo fere æquatis, ac in recipiendis bonis, et conservandis juribus, jurisdictionibusque earum sollicite vigilemus, et attente laboremus. Quare cum jam in hac nostra synodo pro eis dirutis instaurandisque decrevimus quid agendum sit, præsenti etiam constitutione monemus omnes, & singulos prædictorum bonorum, & jurium, ac jurisdictionum ecclesiasticarum usupatores, occupatores, & illicitos detentores, ne suarum animarum jacturam faciant, sed potius suæ saluti fideliter consulant, ac ut meminerint gravissimarum censurarum, quibus ipsi a sacris canonibus, & conc. Trid. decretis, & litteris apostolicis die Cœnæ Domini legi consuetis percelluntur, & in eas damnabiliter incurrisse declarantur, ac quod excommunicati, & anathematizati sacramentorum participatione, atque communione fidelium privati existunt, quodque absolvi non poterunt nisi a summo Rom. Pontifice, si tandem aliquando resipiscant; & quæ illicite detinent, occupata restituant.

De jurepatronatus.

Episcopi in beneficiis omnibus ecclesiasticis, quæ de jure patronatus esse prætenduntur, saltem eorum vacationis tempore, maximam curam adhibeant, & diligenter recognoscant an vere sint hujusmodi, nec imposterum, nisi beneficium juxta sac. conc. Trid. decreta vere juspatronatus esse constiterit, præsentationem admittant. Sicut enim iniquum est, liberum beneficium in servitutem redigi; ita fundatorem ipsius suo jure fraudari permitti non debet.

Beneficiorum ecclesiasticorum patroni, cujuscumque conditionis, gradus, & dignitatis, sive laici, sive clerici fuerint, etiam communitates, & universitates, collegia quæcumque in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quarumcumque, etiamsi vere de jurepatronatus ipsorum ex fundatione, vel donatione essent, nullateuus, nullave de causa propria authoritate se ingerant, sed illos sub pœnis conc. Trid. constitutis decreto, ad liberam rectoris, & beneficiati dispositionem, & distributionem dimittant.

Volumus, ut præsentati a quibusvis personis etiam ecclesiasticis, antequam ab episcopo instituantur, sub hac forma jurent, quam, ut recte intelligatur, exhiberi prius, & ab illis provideri mandamus.

Forma juramenti.

„ Ego N. præsentatus ad N. ecclesiam, „ vel N. beneficium, juro ad hæc sancta Dei „ evangelia, per me corporaliter tacta, „ quod pro præsentatione ad prædictam „ ecclesiam vel ad prædictum beneficium „ obtinendum, neque ego, neque alia persona vice & nomine meo, nec de consensu „ aut scientia mea, patrono seu patronis, „ aut cuivis alteri eorum nomine aut intuitu „ aliquid dedi, aut promisi, nec quidquam „ ejus rei gratia invicem permutavimus, „ compensavimus, aut antea datum confirmavimus, aut apud quemquam deposuimus, donavimus, mutavimus, commodavimus, seu locavimus, aut prius depositum, donatum, commodatum, mutatum, „ aut elocatum, aut quocumque modo debitum remisimus, seu relaxavimus; nec „ de sanctuario, gleba, domibus, terris, „ prædiis, tenimentis, redditibus ejusdem „ ecclesiæ, vel beneficii fructibus, decimis, „ vel oblationibus ejusdem, præteritis, „ præsentibus, aut futuris donationem, „ remissionem vel locationem promisimus, „ fecimus, aut pacti sumus; neque aliquis „ de mandato, scientia, aut consensu meo „ quidpiam eorum promisit, fecit, aut pactus est. Ita me Deus adjuvet, & hæc „ sancta Dei evangelia.

De residentia.

Cum ecclesiarum utilitati & saluti nihil magis expediat, quam pastorum in eis residentia, & curæ administratio per se ipsos; non immerito sacra generalis synodus Trid. opportune providere volens, tam in sessione sexta de reformatione sub fe. re. Paulo Papa III. quam in 23. de reformatione sub Pio Papa IV. Pontificibus maximis saluberrima decreta de residentia promulgavit. Et in hoc ipso postremo cupiens, quæ adeo ex pastorum munere, animarumque salute sunt, frequenter omnium auribus, mentibusque infigi, præcepit, tam decretum sub Paulo III. quam alterum sub Pio IV. in conciliis provincialibus, & episcopalibus publicari, ut imposterum Deo juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut desuetudine aboleantur. Idcirco ejusdem sanctæ synodi mandatis parere volentes, utrumque de residentia decretum in præsenti nostra synodo provinciali legi, & publicari jubemus; prout lectum, & publicatum est.

Proinde hortamur episcopos nostros, eosque, quantum in Domino possumus, rogamus & obtestamur, ut juxta prælecta sac. synodi Trid. decreta pro injuncto munere resideant, & omni cura & sollicitudine, verbo, opere, & exemplo, ac assidua præsentia suum ministerium impleant, sciantque sibi minime licere, non servata prædictæ generalis synodi forma, a suis ecclesiis abesse. Quod si id quoquomodo omiserint, aut facere neglexerint, noverint, præter mor-

ANNO CHRISTI 1597.

mortalis peccati reatum in quem incurrunt, fructus pro rata temporis abſentiæ ſuos non facere, quorum partem in ſuarum eccleſiarum reparationem, partem vero in pauperes ſuæ civitatis, & dioeceſis præſenti conſtitutione erogamus & aſſignamus, illoſque per eos tuta conſcientia retineri non poſſe declaramus, propter poenas propoſitas in litteris, ſeu bullis fe. re. Pii IV. et Pii V. ſummorum Romanorum Pontificum deſuper editis.

De reſidentia inferiorum.

Epiſcopi moneant omnes & ſingulos curatos, & alios quoscumque etiam exemptos, qui beneficium aliquod curam animarum habens obtinent, necnon quoſvis alios beneficia eccleſiaſtica, de jure, ſeu conſuetudine perſonalem reſidentiam exigentia in titulum ſive commendam habentes, ut perſonaliter reſideant, & ſuo muneri ſatisfaciant; qui ſi moniti parere neglexerint, ſevere puniantur.

De epiſcoporum dignitate, & vita.

Hortamur epiſcopos, & in Domino monemus, ut tam in eccleſia, quam foris, & tam in publicis, quam in privatis actionibus ſuum gradum, & ordinem ſervantes, ſe patres, & paſtores eſſe oſtendant, ac in reliquo vitæ genere ita ſe habeant, ut decet ſanctos, & apoſtolicos viros; ac evangelicæ, & apoſtolicæ diſciplinæ, ſacrorumque conciliorum inſtitutis, & Tridentinæ ſynodi decretis in primis reſpondeant, ut merito ex eorum vita & exemplo ſubditi in Domino plurimum ædificentur, atque proficiant.

Miſſam publice celebrent, & divinis ſæpius interſint, quod valde populos ædificat & ad religionem excitat.

Nominis, & officii ſui memores eſſe non deſinant, & eam, quæ epiſcopos decet, morum gravitatem præſeferant.

In his, quæ ad privatum uſum pertinent, eam moderationem adhibeant, ut omnem operam ad eccleſiæ cultum, & ornamentum, & ad pauperum indigentiam ſublevandam conferre videantur.

Modeſta ſuppellectili ac frugali vita contenti ſint, ut quiſque eorum animum a luxu, omnique inanis ſplendoris apparatu alienum eſſe cognoſcat.

Superindumento lineo ſeu tunica, quam rocchettum appellant, & almutia, cum mantello vel ſine, in eccleſia aliiſque publicis locis aſſidue utantur. In divinis autem officiis, aliiſque publicis actionibus, & locis, in eccleſia cappam vel paramenta, ut tempus & ſolemnitas poſtulat, deferant. Cæterum non profano aut indecenti veſtitu, ſed fidei & vitæ meritis dignitatis authoritatem ſibi quærere ſtudeant.

In vaſis argenteis, cæteriſque domus inſtrumentis epiſcopalem modeſtiam oſtendant, & ſe inanium rerum contemptores eſſe teſtentur.

Epiſcoporum menſa non nimis lauta, aut ſumptuoſa ſit, ſed ſobria & frugalis, ac moderatione, & temperantia laudabilis inſtituatur, & ſacræ ſcripturæ, aut ſpiritualis alicujus lectionis pabulo condiatur, quam & benedictio præcedat, & gratiarum actio ſubſequatur.

Familiares numero, ætate, & qualitate tot habeant, quot pro ipſorum cujuſque dignitate congruere videbuntur, qui non corporis ornatu, ſed religione potiſſimum, ac pietate conſpicui ſint.

Epiſcopi in gubernandis, & corrigendis ſubditis pro perſonarum ætate, & ſexus diverſitate, & qualitate, ac pro loco & tempore & modo culparum prudenter ſe habeant, & ſanctorum patrum inſtituta ſequantur.

In procedendo, judicando, & puniendo nec nimium rigoroſi vel ſeveri ſint, nec ſegnes aut remiſſi; ſed in delinquentibus coercendis juxta ſac. canonum, & ſac. generalis concilii decreta cum benignitate, vel ſeveritate, pro perſonarum, & caſuum qualitate procedant.

De judiciali foro epiſcopi.

Epiſcopi in cauſis, quæ in ſuo judiciali foro inpoſterum pertractari contigerit, æqua lance juſtitiam omnibus miniſtrare ſtudeant, ac ut litigantium ſumptibus, quoad fieri poteſt, parcere, & notariorum, atque miniſtrorum quorumcumque extorſionibus congruenter occurrere valeant, ſingulorum actorum mercedes, ſi adhuc ſtatutæ non ſint, quam primum ſtatuant, & in tabulam, publice in curia proponendam, redigant, & obſervari faciant.

Monemus omnes, & ſingulos notarios, actuarios, & eorum ſcribas, qui certum ſalarium ab epiſcopo non habent, eisdemque interdicimus, ne ſub poena privationis officii, & alia arbitraria, citra pœnas a jure prolatas, & a ſacri concilii Tridentini canone inflictas, pro ſcriptura collationis ordinum, aut dimiſſoriis ad eos ſuſcipiendos, quidquam de cætero ultra decimam partem auri accipere præſumant, aut poſſint.

In cauſis vero, quæ mere ſpirituales ſunt, etiamſi nullum ſtipendium conſtitutum habeant, nihil prorſus accipiant, præter id quod epiſcopus pro ſcripturæ mercede ſtatuendum curabit; exceptis tamen locis, in quibus viget laudabilis conſuetudo, ut nihil accipiatur.

Appellationes nonniſi a definitiva ſententia aut definitivæ vim habente, vel a gravamine, quod per appellationem a definitiva reparari nequeat, juxta ſac. conc. Trid. decreta, non recipiantur, nec admittantur, neque inhibitio aliqua concedatur.

Ne vero judicia & lites cum indebitis partium expenſis injuſte protrahantur, ſi in caſu a præfato concilio permiſſo appellatum fuerit, & a metropolitana curia inhibitio emanaverit; notarii eorum, ſcribæ, & actuarii, qui in actorum, & proceſſuum exhibitione ejusdem concilii decreta ſervare neglexerint, ſeu copiam actorum fraudolenter exhibere diſtulerint, necnon & judex, qui illam impedierit exhiberi, poenæ dupli, quanti ea lis fuerit, ſubjiciantur, & exacta inter appellan-

lantem, & pauperes loci distribuatur, atque ab officiorum administratione arbitrio ordinarii suspendantur, juxta eadem concilii Trid. decreta, quæ & in nostra metropolitana curia omnimodo, & inviolabiliter observentur.

De examine, & processu promovendi ad cathedrales ecclesias.

Cum in sumenda de qualitatibus eorum, qui ad ecclesias cathedrales regendas promovendi sunt, informatione, seu testimonio, non eadem ratio, pro variis nationum, & provinciarum moribus adhiberi possit, propterea sacrosanctum concilium Tridentinum mandavit, ut in provincialibus synodis habendis, quibuscumque provinciis propria examinis, et inquisitionis forma præscribatur, a summo Romano pontifice approbanda, quæ locis magis utilis, & opportuna videretur. Nos ejusdem concilii decreto obtemperare volentes, hanc formulam Ss. D. N. papæ approbandam præscribimus, & proponimus, seu præscribendam, & proponendam esse judicavimus.

Episcopus, cum de alicujus, qui ad episcopatum provinciæ nostræ promovendus erit, faciendo examine apostolicum mandatum acceperit, non paucioribus septem, vel pluribus, prout opus fuerit, probatis & doctis ac piis viris, omnique exceptione majoribus, juratis testibus, qui verisimiliter de infrascriptis informati sint, ex officio vocatis, de promovendi natalibus, ætate, fide, vita, moribus, corporis habitu, scientia, & gradu, quam diligentissime cognoscat, & his, vel similibus interrogationibus inquirant & in primis.

An testis cognoscat N. promovendum, & a quo tempore, & ubi, & quæ fuerit causa cognitionis?

An sit illius consanguineus, vel propinquus, aut familiaris, aut inimicus, aut odiosus?

An N. promovendus ex legitimo matrimonio ac honestis & catholicis parentibus procreatus, seu natus fuerit?

An fuerit hæretici filius, vel nepos?

An sit fide catholicus, seu orthodoxus?

An hæreticorum libros legerit, vel retinuerit? aut habeat, et retineat?

An cum hæreticis conversatus fuerit. An eis aliquando faverit, opem, consilium, vel auxilium præstiterit, sive eos juverit, aut receptaverit?

An expleverit trigesimum suæ ætatis annum, vel cujus ætatis sit?

An sit bonæ existimationis, et famæ?

An sit criminosus, vel aliqua nota in vita, moribus, vel doctrina, laboraverit, vel aliquando notatus fuerit?

An unquam publicam pœnitentiam illum agere oportuerit?

An aliquando insaniat, seu mentecaptus, vel energumenus, seu a dæmone vexatus fuerit?

An inimicitias capitales habeat, vel exerceat, et præsertim in civitate, et dioecesi, ad cujus ecclesiam promovendus est?

An sit excommunicatus, suspensus, vel interdictus, vel irregularis?

An sit corpore vitiatus, vel comitiali, aut aliquo morbo laboret?

An aliquo defectu, vel impedimento canonico impediatur, quo minus cathedrali ecclesiæ præfici possit? ANNO CHRISTI 1597.

An aliquem umquam verbis vel opere offenderit, vel scandalizaverit?

An sit vir pius, sobrius, pudicus, honestate, vita, et bonis moribus præditus, castus, humilis, et domui suæ bene præpositus.

An sit vir gravis, prudens, consilio maturus, timoratæ conscientiæ, exemplaris, ac Dei honoris et salutis animarum zelator?

An sacris ordinibus initiatus sit, et a quo tempore?

Et si sit in presbyteratus ordine constitutus. An sacrosanctum missæ sacrificium sæpius offerre, vel celebrare consueverit?

Sin autem, an frequenter visitet, et adeat ecclesias, et peccata sua sacerdoti confessario sacramentaliter confiteatur, et SS. Eucharistiæ sacramentum percipiat?

An literis et scientia polleat, et cui scientiæ operam dederit, ut muneris sibi injungendi necessitati satisfacere possit.

Et ideo, an antea in aliqua studiorum universitate magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel in jure canonico sit promotus, vel publico alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur; vel si regularis sit, an religionis suæ superioribus similem fidem habeat?

An habeat experientiam regiminis ecclesiarum, vel administrationis curæ animarum, et alias aptus ad regendum, et docendum populum ipsius curæ committendum?

An denique habeat ceteras qualitates a sacris canonibus, et decretis sacri Tridentini synodi requisitas, et cui merito ecclesia Dei commendari possit.

Deinde ex iisdem vel aliis fide dignis testibus similiter cum juramento recipiendis interroget, et inquirat de statu, et vacatione ecclesiæ, et si per obitum, vel renuntiationem, vel translationem ultimi episcopi, vel alio modo pastoris solatio destituta sit?

De invocatione seu vocabulo dictæ ecclesiæ cathedralis?

Et de valore reddituum, et fructuum illius?

Quæ dignitates, canonicatus, et præbendæ sint in ea ecclesia.

An sacristiam habeat, sacris vasis, vestibus, et ornamentis, et reliqua ecclesiastica et sacra suppellectili sufficienter munitam vel instructam?

Quæ monasteria, et conventus religiosorum sint in civitate, et dioecesi?

Quot oppida, & terræ in dioecesi, et similia?

Sed et complura ex his etiam per publica documenta, seu instrumenta, litteras, & scripturas facile comprobari possent; ut natales, ætas, ordines, gradus, valor & status ecclesiæ, & similia.

Quibus peractis, a promovendo juxta præscriptum in litteris fel. rec. Pii papæ IV. formulam fidei catholicæ professionem, &

ANNO CHRISTI 1597.

ponsionem a promovendo recipiant, acta, et gesta omnia in publicum instrumentum redacta ad SS. D. N. papam sua manu, et sigillo obsignata quam primum transmittat.

De vita, & honestate clericorum.

In primis clerici habitu incedant honesto, juxta sacrorum canonum præceptum.

Vestes sericas, aut serico contextas, aut ornatas, aut coloratas, domi forisque nullo modo habeant, sed honestas, et decentes, quæ simplices sint, et coloris nigri.

Talares vestes, vel saltem his palmo breviores teneant: qui vero pauperes sunt, et inferiorem talarem habere non poterunt, superiorem saltem usque ad talos demissam gestent.

Camisias, nec collari, nec manicis rugatis, sed planis deferant; pileos per civitatem, et oppida, nisi valetudinis aut pluviarum, vel aeris inclementiæ causa non gerant; sint tamen simplices, non acuti, nec turbinati.

Annulos nisi in dignitate constituti sint, non deferant. Sacerdotes barbam a superiori labro ita detondeant, ut pili in sumendo sacramento corporis, & sanguinis D. N. Jesu Christi non sint impedimento, sed illud non contingant.

Omnes tonsuram habeant, quam refici quintodecimo quoque die, ac quoties opus fuerit, omnino curent.

Publicas, & parum decentes commessationes evitent; ebrietates, jurgia, contentiones, & rixas fugiant.

Cum mulieribus etiam honestis, & conjunctis, præter eas dumtaxat, quæ a sac. can. excipiuntur, dummodo & hæ suspectæ non sint, non cohabitent; nec etiam in vicinia permaneant, quæ ab inhonestis mulieribus inhabitatur.

Nocte sine honesta & rationabili causa non ambulent; & tunc ad omnem suspicionem tollendam lumen habeant.

Arma, nisi itineris, aut alia rationabili causa ab ordinario approbanda non deferant, nec aliquid admittant, quod proximo suo offensionem præbeat.

Ab omni artificio, quod clericali ordini non convenit, abstineant.

Sæcularium personarum cujuscumque gradus, vel dignitatis existant negocia sub quocumque titulo non exerceant, vel administrent.

Mercaturas, seu mercimonia, aut fœnora non exerceant, nec sæcularibus negociis se immiscеant, nec conductiones bonorum, rerum, & jurium laicorum faciant; neque quidquam tractent, quod a clericali honestate alienum sit. Operas suas alteri mercedis gratia minime locent.

Non sint procuratores, patroni vel advocati causarum, in foro præsertim sæculari, nisi suas, vel ecclesiarum suarum, aut miserabilium personarum causam, aliasque a jure permissas prosequantur, vel defendant.

Curationes, vel tutelas, nisi in casibus a jure permissis, non suscipiant.

Cum ad horas canonicas in ecclesia recitandas, seu decantandas, vel ad missarum solemnia, aut alia divina officia celebranda accedunt, superpelliceis induantur.

Canonicas horas, vel publice in ecclesia, qui illas sic obire debent, vel privatim ad præscriptam breviarii Romani jussu S. rec. Pii Papæ V. editi rationem recitent.

Qui beneficia ecclesiastica obtinent, memores sint, quod si horas hujusmodi uno, vel pluribus diebus recitare omiserint, pro rata temporis illorum fructus amittunt, juxta constitutionem conc. Lateranen. sub fel. rec. Leonis Papæ X. ac declarationem ejusdem Pii Papæ V. desuper editam.

Ad hæc, cum non ignorent sacerdotes, cæterique sacris, ac minoribus ordinibus insigniti vocatos se esse in sortem Domini, ac propterea diligentius quærere, quæ Dei sunt, aut quomodo placeant Domino, atque ejus ecclesiam assiduis precibus, orationibus, & sacrificiis juvare debere, ne talentum eis commissum in terra defossum habeant, sacris canonibus, & sac. conc. Trid. decretis inhærentes, præcipimus omnibus & singulis hujus nostræ provinciæ episcopis, ut curent, ut presbyteri singulis, dominicis festisque diebus de præcepto ac solemnibus ad sacrosanctum altaris sacrificium Deo offerendum se disponentes, missas religiose celebrent; ac tunc intimo corde perpendant, & meditentur, quale opus aggrediantur, & tractent, illudque devote perficere studeant.

Quæcumque alia ad clericorum vitam, & honestatem episcopi pro locorum & temporum qualitate pertinere videbunt, juxta sanctorum Patrum, et sac. conc. Trid. decreta statuant, atque provideant, et clericos ipsos instruant, eorumque mores componant, ut tam in publicis, quam privatis actionibus vere clericos se esse, ut profitentur, ostendant, ac propterea cunctis sint venerationi.

De officio sacristæ.

Sacristæ curent, ut non nisi congruo tempore, aut interdiu tantum ecclesiarum, sacrariorumque fores pateant; nocte vero permaneant occlusæ.

Pernoctationes, aut nocturnas vigilias, sive commessationes in eis fieri nemini permittant.

Populum, præterquam si necessitas aliqua immineat, ibidem excubare nullo modo patiantur.

Invigilent etiam super omnes tam presbyteros, quam clericos, aliosque, ut cum ecclesias, vel sacraria ingrediantur, de inanibus profanisque rebus sermones non habeant.

Aquam benedictam singulis dominicis diebus mane benedicant, et si opus fuerit etiam studeant sæpius renovare.

Ad quæ quidem omnia fratres mendicantes, et regulares, ut et ipsi in ecclesiis suorum conventuum, et monasteriorum idem faciant ad scandala vitanda, et ut ostendant in his, quæ ad divinum cultum pertinent, nobiscum convenire, invitamus.

De

ANNO CHRISTI 1597.

De indulgentiis.

Curabunt episcopi, ut cum indulgentias, vel alias spirituales gratias a s. sede apostolica emanatas publicari contigerit, formam a s. synodo Tridentina pro illarum publicatione traditam, accurate servent, et faciant ab aliis servari.

Illas autem, pro quibus consequendis porrigendæ sunt manus adjutrices, quæve quæstuandi continent facultatem, ex prædictæ synodi generalis decreto, et fel. rec. Pii Papæ V. constitutione, nullatenus publicari permittant, nisi aliter per eandem s. sedem ex certa scientia fuerit concessum, vel mandatum.

Abusus insuper, qui circa hunc pium, et salutarem indulgentiarum usum irrepserint, unusquisque diligenter inquirat, colligat et in prima synodo provinciali referat, ut aliorum coepiscoporum sententia cogniti ad ss. D. N. summum Romanum pontificem referantur, eoque consulto, quid maxime expedire videbitur, statuatur.

De eleemosynarum quæstoribus abrogandis, & de cætero non admittendis.

Brevi eleemosynarum quæstores, aut ministri, quorum nomen, atque usum eadem sac. Trid. synodus penitus aboleri mandavit, et abrogatos esse voluit, ad hujusmodi officium exercendum, ejusdem synodi auctoritate, et memorati præcepti vigore de cætero non admittantur.

De excommunicationis sententia.

Cum excommunicationis gladium, qui ad continendos in officio populos admodum salutaris est, S. Synodus Tridentina sobrie magnaque circumspectione exerendum esse præceperit; ideo nos juxta ejusdem synodi decretum, excommunicationes, quæ monitionibus præmissis pro deperditis aut subtractis rebus ad finem revelationis ferri solent, a nemine prorsus, præterquam a solis episcopis decerni, seu concedi volumus; & tunc, & non alias, quam causæ cognitione matura adhibita, & pro re non vulgari.

Præterea episcopi, vel eorum vicarii generales in proferendis sententiis excommunicationis in causis judicialibus, sive criminalibus, sive civilibus, id quod a prædicta generali synodo præscriptum est, integre, & inviolate servare studeant.

De piorum locorum administratoribus.

Episcoporum muneri maxime incumbit, ut hospitalium & eorum proprie locorum, quæ ad pauperum usum instituta sunt, bona, & redditus, ne dissipentur, nec modo aliquo occupentur. Quapropter monemus episcopos, & quantum in Domino possumus, obnixe obtestamur, ut illorum præcipuam suscipiant curam, & in primis administratores, & magistros ad hujusmodi regimen assumant seu assumi curent, qui probitate vitæ sint, quive in operibus charitatis sese exercere consueverint, quique suæ familiæ bene præsint, ac piorum locorum debitores nullatenus existant. Ab ipsis, juxta sæpe dicti concilii Tridentini decretum singulis annis administrationis rationes exigant, & si quid in ipsorum suorumque usum compertum fuerit vertisse, illud integrum restitui faciant; & demum in reliquis, quæ ad eorum administrationem & conservationem pertinere videbuntur, paternam, ut decet, exerceant charitatem.

ANNO CHRISTI 1597.

De Usuris.

Usurariæ pravitatis crimen detestabile quidem, penitus abolere cupientes, episcopos hortamur enixe, ut pro summa eorum prudentia, pestem hanc a suis ovibus opportunis remediis arcere & funditus tollere contendant, & illicite contrahentes ad resipiscendum a tanti sceleris immanitate moneant & inducant, eisque sub gravissimis censuris & poenis, quæcumque usurarum genera interdicant.

Emptiones, & venditiones, quas in provinciam nostram in captiosam animarum perniciem invectas, & in usum receptas esse audivimus, ut pluris, quam valent res ipsæ vendantur; pretia earum solvenda differantur ad certum tempus, puta ad molera, vel aliarum nundinarum dies, juxta contrahentium conventionem, & propterea supra justum valorem augeantur; prohibeant, & tollendas diligentissime curent; & contractus, si quos invenerint, ejusmodi usurarios, & nullos declarent.

De Poenis.

Cum tam delinquentes interdum, se a poenis canonicis eximant, curiæ pecunias solvere, vel cum ea pecunils transigere fatagant; quam etiam judices, vel per sordes vel avaritiæ studio eos ad compositiones, vel transactiones pecuniarias quandoque admittant, aut alias reis pecuniarias mulctas infligant; idcirco ad tollendam omnem cupiditatis & avaritiæ suspicionem statuimus, & mandamus, ne quis de cetero episcopus, vel judex ecclesiasticus pro criminibus, & delictis, pro quibus est a sac. can. vel ab apostolicis aut aliis generalibus, vel nostris synodalibus constitutionibus certa poena delinquentibus injuncta, ullo modo pecuniariam poenam imponat aut exigat, aut desuper pecuniarias compositiones, vel transactiones faciat, nisi in casibus a jure permissis.

In aliis vero excessibus, & causis, in quibus, vel certæ poenæ statutæ non sunt, vel ex antiquis canonibus, aut etiam apostolicis, & aliis generalibus, aut pariter ex nostris constitutionibus mulctæ pecuniæ irrogantur, & certo usui, vel operi specialiter applicatæ non sunt, suo arbitratu imponere, seu indicere, ac cum omni moderatione exigere, seu exigi facere possit, easque locis piis omnino applicet.

Eas vero pecunias, non sibi, neque suo usui, aut commodo applicet vel retineat, sed virum ecclesiasticum idoneum & probatum

ANNO CHRISTI 1597.

tum illarum exactorem & depositarium instituat, & per eum quoties occurrerit in pia loca, vel opera eroget & distribuat; ille vero codicem rationum deti & accepti habeat, & in eum omnia referat.

Decretum generale.

Tum denique omnia, & singula in his nostris decretis contenta, ac alia quæcunque tam a sacris canonibus, & apostolicis ordinationibus, quam generalibus quibuscumque conciliis, præsertim vero a S. conc. Trid. statuta, ac definita, sive fidei dogmata, sive reformationem, & morum correctionem respiciant, plene atque integre ab omnibus comprovincialibus episcopis, abbatibus, capitulis, & aliis ecclesiasticis personis, quæ per se, vel per eorum idoneos procuratores huic nostro provinciali interfuerunt, aut interesse habuerunt, ac etiam laicis quibuscumque quo ad ea quæ ad ipsos spectant, servari debere decernimus, ac sub juris, & arbitrii nostri censuris ecclesiasticis, & poenis districte præcipiendo mandamus; salvis tamen in omnibus constitutionibus, consuetudinibus ecclesiarum, quæ arctiorem, & laudabiliorem observantiam exigunt. Injungentes eisdem episcopis, ut hæc ipsa decreta, seu constitutiones post sex mensium spatium in eorum civitatibus, & dioecesibus publicari, & ab omnibus observari curent. Decernentes etiam omnes, & singulas admonitiones, statuta, decreta, & mandata in hac synodo facta, & ordinata, ac illorum promulgationem, ita omnes, & singulos quos tangit afficere, ac si personaliter & singulariter singulis ipsa notificata, & intimata fuissent, prout tenore præsentium eisdem notificamus & intimamus. Quod si contra quidquam eorum fecerint vel admiserint, poenis, ac mulctis, quæ in eis constitutæ sunt, & aliis episcoporum arbitrio imponendis constringantur.

ANNO CHRISTI 1597.

Postremo omnia, & singula quæcumque in hac provinciali synodo acta, gesta, decreta, & sancita sunt, omni, qua debemus humilitate, submissione, & obedientia S. sedis Apostolicæ omnium ecclesiarum matris, & magistræ judicio, atque auctoritati emendanda, & corrigenda subiicimus & offerimus, parati semper omnem emendationem & correctionem suscipere, ac observare.

Ego Franciscus Antonius Sanctorius Dei, & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus S. Severinæ, & in synodo provinciali præsidens, de consilio & assensu reverendissimorum suffraganeorum meorum definiens suprascriptis constitutionibus subscripsi.

Ego Cæsar Jacomellus episcopus Bellicastrensis. subscripsi.

.....

Ego Petrus Burdonus episcopus Umbriaticensis subscripsi.

Ego Sebastianus episcopus Gerentinensis & Cariatensis subscripsi.

Ego Joannes Andreas Prothospatarus decanus Pretiltensis, & procurator Rev. D. Gregorii Formicini episcopi Strongolensis absentis, legitime impediti, subscripsi manu propria.

COLLECTORIS ADNOTATIO.

SYnodus ista prior est ex geminis illis provincialibus S. Severinæ synodis diversis annis & sub diversis præsulibus habitis, quæ indicantur in siteris Hieronymi card. Matthei in capite synodi ejusdem recitatis. An quod hic datur sit purum putumque concilium illud antiquius, vel hinc inde interpolatum ex additamentis in altero concilio factis, æque cum ignorantibus ignoro. Episcoporum subscriptiones ita cum priori conveniunt, ut cum altero plane non congruant; nam, ut de cæteris sileam, Franciscus Antonius Sanctorius nonnisi usque ad annum 1586. ecclesiæ S. Severinæ præfuit, eodemque anno illam cum Acheruntina commutavit. Superest annum celebratæ hujus prioris synodi investigemus; illum vero tanquam extento digito demonstrat nomen Sebastiani episcopi Geruntinensis, quem coepisse anno 1573. die 9. Martii, obiisse vero anno 1576. ante diem 24. Octobris, qua alter successit, Ughellius to. IX. pag. 504. novæ editionis monet. Intra spatium illud patres convenerunt. Alterius synodi annus facile statuendus est idem, quo & literæ card. Matthei signantur, nempe 1597.

CON-

ANNO CHRISTI 1597.

CONSTITUTIONES ET DECRETA

PROVINCIALIS SYNODI AMALPHITANÆ

Anno 1597. celebratæ.

SUB REVERENDISSIMO DOMINO

D. JULIO ROSSINIO,

Dei, & apostolicæ sedis gratia archiepiscopo Amalphitano.

Perillustris, & reverendissime domine, uti frater.

PRovincialem synodum Amalphitanam, quam amplitudo tua, adhibitis comprovincialibus episcopis, de eorum consilio, & assensu nuper celebravit, illustrissimi patres sacri concilii Tridentini, sanctissimi domini nostri authoritate, interpretes, pro munere sibi injuncto diligenter recognoverunt, atque, ubi oportuit, emendarunt, atque aptarunt. Nunc igitur ad amplitudinem tuam remittimus, ut pro sua pastorali vigilantia quantocyus edendam, & sedulo in sua ecclesia, totaque provincia observandam curet, ut egregiæ suæ operæ, atque industriæ, pique laboris fructus, quos sibi initio proposuit, uberiores in dies adjuvante domino percipiat. Quod ut cumulate & quam celerrime fiat, nos summis precibus a divina benignitate contendimus, optimamque amplitudini tuæ valetudinem ab imo precamur. Romæ die 5. Novemb. 1601.

Amplitudini tuæ per illustri, & reverendiss.

Uti frater, Hieron. Card. Mattheus.

JULIUS ROSSINIUS,

Dei, & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Amalphitanus.

MS. Arch. Amalph.

AD metropolitanæ hujus ecclesiæ regimen, meritis licet imparibus, dante Domino, constituti, supra gregem nobis creditum pro pastorali munere vigilantes, & onus hoc servitutis Angelicis humeris formidandum (prout nobis desuper concessum fuit) exercentes, nihil quod ad animarum salutem captandam ad nos, & officium nostrum spectare potuit per operis negligentiam prætermisimus, ac omnia, quæ pro divini cultus augmento, & pro subditorum moribus moderandis, eorumque puniendis excessibus fuerunt necessario decernenda, exactissima providimus diligentia, populumque nostrum sanctionibus necessariis, ac legitimis munivimus institutis; adeoque adimpletis, quod in nobis fuit, quæ pro bono nostræ diœcesis regimine duximus adimplenda, ad communiendam synodalibus constitutionibus provinciam animum appulimus: eumque sæpius provinciale concilium, non adhuc in nostra metropolitana ecclesia convocatum, ex Concilii Tridentini decreto nobis ad Dei gloriam celebrandi fuisset in animo, ac pluries tam per privatas, quam per nostras edictales literas Reverendissimis Dominis coepiscopis nostris suffraganeis hæc nostra fuisset significata intentio, diesque statuta ad id sacrum opus perficiendum, accidit, sic divina disponente providentia, quatuor de RR. coepiscopis nostris meliorem vitam cum morte commutasse, aliumque in gravem morbum incidisse; eumve sine ipsis nostra provincialis synodus celebrari nequiverit, opportunum tempus duximus expectandum, in quo omnes ipsi RR. DD Coepiscopi fratres nostri, vel saltem major pars eorum ad præfatam synodum celebrandam interesse deberet. In octavo igitur die mensis Maji proxime venturi nostrum provinciale concilium, Deo annuente, habendum, prosequendum, & continuatis diebus ad Dei honorem absolvendum; RR. DD. coepiscopis nostris suffraganeis per nostras privatas literas indiximus; & ut facilius hæc nostra voluntas debitæ demandetur executioni, per hoc præsens edictum supradictos RR. DD. in Christo Patres coepiscopos, comprovinciales, dilectos filios, abbates, præpositos, priores, commendatarios, archipresbyteros, ac omnes, quibus in hac synodo sedere, & sententiam ex jure communi aut privilegio quomodocumque, vel qualitercumque dicere licet, vel per electionem a nobis de ipsis faciendam permittetur; nec non & exemptos, qui alias, cessante exemptione, ex concilii Tridentini decreto interesse deberent, in Domino requirimus, & monemus, ac in virtute sanctæ obedientiæ, necnon sub excommunicationis poena aliisque ecclesiasticis censuris & poenis contra non interessentes conciliis infligi solitis, ipsisque & unicuique ipsorum mandamus, ut per ipsos, vel si fuerint legitimo impedimento a nobis approbando impediti, per eorum procuratores in dicta die, & sequentibus, donec omnia fuerint completa, in metropolitana ecclesia nostra convenire

habeant

ANNO CHRISTI 1597.

habeani & debeant, & quilibet debeat, ut abusus, si qui in provincia irrepserint, necnon & qui in dioecesi sunt, per nos, & consultivam, decisivamque vocem in concilio habentes deleantur, cæterisque omnibus necessario providendis, divina favente clementia, consuli possit; monemus etiam cæteros omnes, tam dioecesis quam provinciæ, quorum interest interesseve poterit, ut tempore celebrationis concilii prædicti per se ipsos vel per eorum procuratores legitimos, ipsis legitime impeditis, ibidem intersint; & ut hoc edictum manu nostra subscriptum, nostri sigilli impressione munitum veniat ad notitiam singulorum, publicis dioecesis & provinciæ locis affigi mandamus; per cujus affixionem & publicationem omnes supra nominatos sub poenis supradictis, ad obediendum adstrictos esse volumus, ac si personaliter omnibus & singulis notificatum esset.

Datum Amalphiæ in archiepiscopali palatio nostro, sub anno Domini MDXCVII. VI. indictione, die vero I. mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris & D. N. divina providentia papæ, Clementis VIII. anno V. archiepiscopatus vero nostri anno 21. feliciter. Amen.

ANNO CHRISTI 1597.

Loco † Sigilli.

Julius archiep. Amalphitanus.

HISTORIA SYNODI.

In nomine SS. & Individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

ANno Nativitat. D.N.J.C. MDXCVII. X. indict. die vero 8. mensis Maii, pontificatus SS. in Christo Patris & D. N. Clementis divina providentia Papæ VIII. pontificatus sui an. VI. illustrissimus et reverendissimus D. Julius Rossinus, Dei, et apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Amalphitanus, volens incipere provincialem synodum per suas edictales litteras intimatam, tam in sua Metropolitana ecclesia Amalphitana, quam in cathedralibus ecclesiis RR. DD. episcoporum suorum suffraganeorum, et comprovincialium, indutus suis pontificalibus vestibus, et pluviali broccati ex auro et serico rubeo contexto, ac mitra gemmata, assistentibus sibi admodum R. D. Joanne Andrea de Afflicto J. U. D. archidiacono Amalphitano, ornato sua dalmatica similis broccati, et mitra telæ albæ, et admodum R. D. Joanne Andrea de Albaneo, decano Amalphitano similiter ornato tonicella telæ aureæ, antecedentibus sibi illustribus et RR. DD. Joanne Leonardo Bottegllero J. U. D. episcopo Litterense, D. Floriano Nannio canonico regulari Lateranense, de Roccheto S. T. D. episcopo Scalense, et Tho. Zerula J. U. D. et S. T. D. episcopo Minorense suis episcopis suffraganeis conprovincialibus, indutis decentibus albis, & pluvialibus ac mitris damasci albi, admodum R. D. Joannotto Ferrigno præposito Majorano, vestito sua alba & pluviali decenti, ac mitra telæ albæ, & aliis RR. DD. dignitatibus canonicis, & præsbyteris R. capituli Amalphitani, capituli Majorani & congregationum Amalphitanæ dioecesis; descendit ab ejus archiepiscopali palatio ad Metropolitanam suam ecclesiam Amalphitanam, subtus baldachinum ex velluto violaceo per reverendos canonicos dictæ ecclesiæ delatum; & depositis ab omnibus mitris, accessit ad faldistorium ante majus altare dictæ Metropolitanæ ecclesiæ paratum; & facta reverentia, & oratione coram Ss. eucharistiæ Sacramento, cum dictis RR. DD. episcopis suis comprovincialibus in genuflexorio separato ibi in paulo inferiori loco præparato: omnes surrexerunt.

Et cum essent dicti DD. archiepiscopus, & episcopi in sala parva sui archiepiscopalis palatii in actum descendendi ad ecclesiam prædictam per ordinem supra narratum, comparuit R. P. Octavius de Ancora, procurator R. Capituli Amalphitani, & eo nomine præsentavit comparitionem coram ipsis illustrissimis & reverendissimis DD. archiepiscopis & episcopis continentem prætendentiam dicti capituli præcedendi supradicto R. D. præposito Majorano in ejus præsentia.

Per quos illustrissimum & reverendissimos D. archiepiscopum & episcopos audita differentia prædicta fuit pro nunc decisum, quod dictus R. D. Præpositus hodie mane præcedat R. capitulo Amalphitano vigore privilegiorum concessorum a summis pontificibus præposituræ Majoranæ citra præjudicium jurium ambarum partium, quibus recognitis provideatur, quatenus juris; & sic, fuit observatum in actu discedendi ad ecclesiam, & incedendi in processione standi, & sedendi in dicta ecclesia; & hoc ratione festivitatis translationis Divi Andreæ, & non ratione provincialis synodi.

Deinde facta dicta oratione fuit ordinata solemnis processio ex dicta metropolitana ecclesia per civitatem, & fuit servatus in actu incedendi processionaliter ordo infrascriptus: videlicet.

Crux fratrum minorum conventualium, monasterii sancti Francisci civitatis Amalphiæ, quam sequuti sunt RR. fratres Capuccini & ultimo loco fratres conventuales ejusdem monasterii.

Crux argentea R. capituli Amalphitani cum duobus clericis superpelliceo vestitis, deferentibus cereos accensos in manibus; quam sequti sunt.

Presbyteri congregationis Terræ Conchæ.

Presbyteri congregationis Terræ Rosinati.

Presbyteri congregationis Terræ Agerulí Plasi & Furoris.

Presbyteri congregationis Terræ Tramonti.

Dignitates, canonici & presbyteri R. capituli Majorani.

R.

R. Primicerius Casanovæ, & Furoris.
R. Primicerius Majoranus.
R. Archipresbyter Pini & Pimontis.
R. Archipresbyter Terræ Ageruli.
R. Archipresbyter Tramontanus.
RR. Dignitates, canonici & presbyteri R. capituli Amalphitani.

Caput B. Apostoli & B. Marchiani abbatis cum capsulis sanctarum reliquiarum Cosmæ & Damiani & Viti marty. in armario decenter adaptato, quod armarium fuit propriis humeris defertum a RR. presbyteris Rogerio de Judice, Marcello de Vivo, Paride Paulillo, & Andrea de Amatruda canonicis Amalphitanis.

R. P. Donatus de Afflicto exercitans locum R. D. cantoris dictæ Metropolitanæ ecclesiæ, suo decenti pluviali indutus, ob infirmitatem dicti D. cantoris.

Præfatus admodum R. D. Joannoctus Ferrignus, præpositus Majoranus, præscripto modo vestitus.

Antedictus reverendissimus D. episcopus Minorensis.

Item reverendissimus D. episcopus Scalensis.

Ipse reverendissimus D. episcopus Litteranensis.

Præfatus illustrissimus & reverendissimus D. archiepiscopus Amalphitanus, vestimentis suprascriptis ornatus, cum suis assistentibus prænarratis.

Et per ordinem suprascriptum fuit facta dicta solemnis processio a dicta Metropolitana ecclesia ad laicalem ecclesiam monasterii SS. Trinitatis monialium ejusdem civitatis; & ab inde reversa est ad dictam Metropolitanam ecclesiam cum hymnis & cantibus spiritualibus, deferente faldam posteriorem vestis dicti D. archiepiscopi Marcello de Judice electo dictæ civitatis, & vicem gerit præsenti anno Synici nobilium, cum in dicto præsenti anno regimen civitatis exerceatur a quorum electis duobus nobilibus & duobus civibus.

Qua finita, præfatus illustrissimus & reverendissimus D. archiepiscopus depositio dicto suo pluviali, indutus est planeta similis broccati, & ab eo fuit celebrata missa solemnis, in qua dictus D. archidiaconus recitavit evangelium, & R. P. Coratius de Milano, antiquior canonicis, recitavit epistolam; quæ missa fuit de B. Andrea apostolo. Resedit in suo throno archiepiscopali in dicta Metropolitana ecclesia, parato ornato suo baldachino ex damasco crimisi, francis aureis & sericis circumdato, assistentibus sibi eodem D. Joanne Andrea de Alaneo decano, & R. D. Octavio de Ancora primo ex suorum diaconibus diacono. Post lectum evangelium.

Præfatus R. episcopus Scalensis satis docte fecit suum sermonem, coram dictis illustrissimo et RR. DD. archiepiscopo et episcopis, clero et toto populo in magno numero in eadem Metropolitana ecclesia congregatis. Quo finito, fuit completa missa, in qua præfati RR. DD. episcopi resederunt in bancho a fronte ipsius illustrissimi D. archiepiscopi, parato, decenti pallio cooperto cum suis genuflexorio et cusciolis velluti violacei. ANNO CHRISTI 1597.

In alio inferiori bancho resedit dictus admodum R. D. præpositus Majoranus.

A contra prope sedem archiepiscopalem parati fuerunt scamni, in quibus sederunt RR. DD. canonici Amalphitani capituli.

In scabello ligneo ad pedes ejusdem illustrissimi D. archiepiscopi resedit præfatus R. P. Donatus de Afflicto, pluviali prædicto indutus, exercens officium dicti D. cantoris intonandi causa.

In schalis dictæ sedis archiepiscopalis adstiterunt deferentes baculum pastoralem, mitras, crucem, et alii servientes et ministrantes dicto illustrissimo Domino.

In primis sedibus chori dictæ ecclesiæ, immediate post columnam marmoream, respicientem thronum dicti illustrissimi, et reverendissimi Domini, resederunt præfati D. archidiaconus, et P. Joannes Gratius, modo quo supra vestiti, et immediate sedit Don Gaspar de Lecca Cinarca, Hispanus, reverendissimus gubernator civitatis Amalphiæ; cæteri archipresbyteri, primicerii, et presbyteri Amalphitanæ dioecesis in choro dictæ ecclesiæ.

Ante offertorium missæ potrexit aquam ad lavandum manus dicti illustrissimi archiepiscopi Dominicus Afflictus electus nobilium, & tobaleam ad abstergendum manus dictus D. Gaspar gubernator, & post sumptionem sacramenti in purificatione hoc similiter fecerunt notarius Jo. Alfonsus Furnius electus civium, et dictus gubernator.

Et post benedictionem receptam a dicto illustrissimo D. in fine suæ missæ, a dicto majore altari ipsius ecclesiæ, inde recessit, et exutus vestibus sacerdotalibus, iterum indutus est dicto pluviali, et mitra gemmata; et reversus ad faldistorium genibus flexis intonavit antiphonam: *Exaudi me Domine &c.* et psalmum: *Salvum me fac Deus &c.* quæ fuerunt finita a RR. canonicis dicti R. capituli.

Similiter genuflexi sunt præfati RR. D. episcopi in genuflexorio inferiori pro eis parato in dicto titulo.

Et dum psalmus cantaretur a dictis RR. canonicis, præfatus illustrissimus archiepiscopus accessit ad suam sedem, et RR. episcopi reversi sunt ad locum eorum, similiter, et dictus R. D. præpositus Majoranus.

Quo psalmo cantato, et repetita dicta antiphona, recitavit orationes juxta pontificale.

Quibus finitis, recessit a dicta sua sede, et accessit ad faldistorium; et ibi genibus flexis, cum dictis RR. DD. episcopis, et aliis fuerunt recitatæ litaniæ a dictis RR. DD. canonicis Amalphitani capituli, et totius dioecesis clero.

Finitis dictis litaniis præfatus illustris. & reverendis. D. archiepiscopus iterum reversus est ad suam sedem; & deposita mitra recitavit orationem secundum pontificale; & deinde indutus mitra ibidem sedit; & facta benedictione incensi, iterum deposita mit-

ANNO CHRISTI 1597.

mitra, ſtans in pede, fuit recitatum evangelium per præfatum D. Joannem Andream de Affliſto archidiaconum, & eo finito, præfatus illuſtriſs. D. archiepiſcopus & RR. DD. epiſcopi iterum reverſi ſunt ad faldiſtorium & genuflexoria ſupradicta, & genibus flexis intonavit hymnum: *Veni creator ſpiritus &c.* Eo cantato a reveren. canonicis rev. capit. Amalph. & reverſis omnibus in ſuis ſede & locis, idem illuſtriſs. D. fecit a ſua ſede monitionem ſupradictis RR. DD. epiſcopis, & clero ſecundum formam in pontificale adſcriptam. Deinde alta voce fuerunt vocati omnes, qui de jure, & conſuetudine intervenire debent celebrationi provincialis ſynodi; & omnes fuerunt reperti, exceptis RR. D. epiſcopo Capritano, & R. abbate Pietro Jo: Campanile commonaſterii S. Mariæ Trempoſitani. Et recepta benedictione a D. illuſtriſs. archiepiſcopo, R. P. Marcellus de Vivo, canonicus Amalphitanus, alta voce a loco eminenti majoris altaris legit capitulum Tridentini concilii cap. 2. ſeſſ. 25. de fidei profeſſione tractans. Quo finito dictus illuſtr. D. archiepiſcopus flexis genibus ac depoſita mitra, præſtitit juramentum profeſſionis fidei, juxta bullam Pii IV. in manibus R. epiſcopi Lictorenenſis, ſedentis ante dictum majus altare modo quo ſupra induti. Et finita prædicta profeſſione, dictus illuſtris. archiepiſcopus recepta mitra gemmata ſedit in eadem ſede ante dictum altare, in cujus manibus RR. DD. epiſcopi ſimul præſtiterunt ſimile juramentum profeſſionis fidei, juxa dictam bullam. Hoc ſimiliter fecerunt omnes dignitates, canonici, archipresbyteri, primicerii, & presbyteri civitatis & dioeceſis Amalphitanæ, qui in dicta eccleſia ſunt congregati ſecundum bullam prædictam, lectam alta voce omnibus intelligentibus a R. P. Marcello de Vivo canonico Amalphitano. Et reverſus ad ſuam ſedem præfatus D. Joannes Andreas de Affliſto, archidiaconus ex ordine dicti illuſtriſs. archiepiſcopi dixit: *Placet ne vobis, illuſtriſs. ac R. archiepiſcopo & epiſcopis comprovincialibus eligere ſecretarium hujus provincialis ſynodi?* De quorum conſenſu fuit electus ſecretarius Mag. notarius Joannes Ferdinandus de Roſa Amalphitanus, qui poſt electionem præſtitit juramentum, ſecundum formam ſibi traditam, in manibus dicti ill. D. Fuerunt electi promotores ſynodales RR. presbyteri Joſeph Rapicanus, & Marcellus Vivus canoniei Amalphitani, qui præſtiterunt juramentum juxta formam eis traditam, in manibus ipſius illuſtriſs. archiepiſcop. Fuit primum de conſenſu omnium, quod celebretur provinciale concilium, & publicentur decreta; & fuit aſſignata hora XIX. poſt prandium ad inchoandam primam ſeſſionem in metropolitana eccleſia prædicta, in qua omnes quaſi erant. Et per dictos RR. DD. promotores fuerunt moniti omnes, qui aliquo modo ſentirent ſe gravatos, & reclamationes, & querelas porrigere intendunt, ut dicto concilio compareant, & alii, qui in eodem intereſſe debent, ac a civitate Amalphiæ non diſcedant, donec ſynodus fuerit completa, & benedictionem ab illuſtriſſimo D. obtinuerint.

Eodem die in metropolitana eccleſia Amalph. prandium hora circa XXI. ſeſſione I.

Ibidem congregatis præfatis illuſtriſs. D. archiepiſcopo & epiſcopis, ſuis ſede & loco præſcriptis ſedentibus, ac cæteris dignitatibus, canonicis, & presbyteris civitatis, & dioeceſis Amalph. qui in dicta provinciali ſynodo convenerunt, fuerunt per dictum R. D. Joſephum Rapicanum promotorem electum lecta decreta & conſtitutiones ſynodalia, & ſynodales alta voce a loco eminenti majoris altaris ejusdem eccleſiæ, a capite 1. tituli hæreticorum, uſque ad titulum de magiſtro cæremoniarum cap. 11. Sequutus eſt lectionem aliorum decretorum ſynodalium a titulo ſanctarum reliquiarum R. P. Marcellus Vivus ſimiliter promotor, uſque ad ultimum caput tituli obſervationis jejuniorum. Fuit ſuſpenſum in legendis aliis decretis ob tarditatem horæ; & intonato hymno: *Veni creator Spiritus &c.* ab illuſtr. archiepiſcopo, fuit decenti tono completum a RR. canonicis capituli Amalph. finitoque verſiculo idem illuſtr. D. recitavit orationem Spiritus S. qua completa præfati DD. canonici congruo tono alta voce cantaverunt hymnum *Triſtes erant Apoſtoli &c.*, & cantato dicto hymno dictus illuſtr. D. recitavit orationem B. Andreæ Apoſtoli; & ſic omnes reverſi ſunt ex eccleſia ad patium archiepiſcopale.

Die IX. Menſis Maii 1597. Amalphiæ, de mane, hora miſſarum.

Illuſtriſs. D. archiepiſcopus cum ſuis RR. epiſcopis Scalenſe, & Minorenſe, indutus ſuis rochetis & pluvialibus decentibus, ac mitris, cum clero civit. & dioeceſis Amalph. deſcendit a ſuo archiepiſcopali palatio ad ſuam metropolitanam eccleſiam Amalph. & facta reverentia, & oratione coram Ss. Sacramento ſuper majus altare exiſtente, genibus flexis in faldiſtorio, & genuflexoriis in titulo dictæ eccleſiæ ante dictum altare paratis, ut in præcedenti die notatum fuit; ab inde omnes ſurrexerunt, & ad ſedem archiepiſcopalem ipſe illuſtr. D. acceſſit, & ipſi RR. DD. epiſcopi ad eorum locum; & ibidem ipſis exiſtentibus RR. D. epiſcopus Litterenenſis, indutus veſtibus ſacerdotalibus & pontificalibus, cum mitra Damaſci alibi miſſam ſolemnem celebravit, aſſiſtentibus ſibi RR. PP. Rogerio de Judice & Marcello de Vivo canonicis Amalph. pro recitatione epiſtolæ, & evangelii; infra quam miſſam ante offertorium fuit facta prædicatio verbi Dei ſatis docte per RR. D. epiſcopum Minorenſem.

Finita dicta miſſa, et data pontificali benedictione per ipſum RR. D. epiſcopum Litteranenſem, adſtantibus in eccleſia prædictis; idem illuſtriſſimus et RR. D. archiepiſcopus et RR. DD. epiſcopi receſſerunt ex ſede et ſuis locis prædictis, et genibus flexis in faldiſtorio, et eorum genuflexoriis, ipſe ill. D. intonavit antiph. *Propitius &c.* qua completa per RR. canonicos, fuit ab illis recitatus pſalmus: *Adjuva nos &c.*; et eo finito et lecta per ipſum illuſtr. D. oratione, ut in pontificale, reverſi ſunt ipſi RR. præſules ad ſedem, et eorum locum.

Dein-

ANNO CHRISTI 1597.

Deinde R. D. Joannes Andreas de Alaneo, decanus Amalph. indutus tunicella cantavit evangelium ſecundum Lucam: *Deſignavit &c.* quo completo ill. archiepiſcopus a ſua ſede intonavit hymnum: *Veni creator ſpiritus &c.* quo cantato per RR. canonicos Amalph. ac facto ſermone ſecundum formam adſcriptam in pontificale per ipſum ill. archiepiſcopum proceſſum eſt ad II. Seſſionem.

R. D. Joſeph Rapicanus canonicus Amalphitanus promotor cepit legere decreta, et conſtitutiones ſynodalia, et ſynodales a titulo de proceſſionibus cap. I. uſque ad titulum de ſacramentis eorumque adminiſtratione, excluſive.

Cum ſit hora prandii, fuit ſuperſeſſum in lectione aliorum decretorum ſynodalium; et data benedictione pontificali ab ill. D. fuit per R. D. Marcellum Vivum canonicum Amalphit. promotorem aſſignata hora XIX. poſt prandium ad proſequendum lectionem cæterarum conſtitutionum ſynodalium.

Eadem die in Metropolitana eccleſia poſt prandium hora circa XXI.

Ill. et RR. D. archiepiſcopus Amalphit. cum præſentibus ſuis RR. DD. epiſcopis comprovincialibus ſuffraganeis deſcendit a ſuo palatio ad eccleſiam; et omnes flexis genibus more ſolito oraverunt ante Sanctiſſimum, et intonato hymno: *Veni Creator Spiritus &c.* per dictum ill. D. et eo cantato a RR. canonicis Amalph. acceſſerunt ad eorum ſedem et locum; et ibi ſedentes in Seſſione III. R. D. Marcellus canonicus Vivus promotor proſecutus eſt lectionem aliarum conſtitutionum ſynodalium a cap. I. tituli de Sacramentis et eorum adminiſtratione, alta voce in pulpito evangelii loco eminenti dictæ eccleſiæ coram provinciali ſynodo, et clero civitatis et dioeceſis Amalphit. uſque ad primum caput de poenitentiæ ſacramento; et ab inde proſequutus eſt lectionem ſynodalium dictus R. D. Joſeph Rapicanus canonicus et promotor uſque ad titulum de ſepulturis, de exequiis, & funeralibus; & a dicto titulo proſequutus eſt lectionem eamdem uſque ad titulum de judiciali foro epiſcoporum, excluſive, idem D. Marcellus.

Et ſic fuit ſuperſeſſum ob tarditatem horæ veſpertinæ; & cantato hymno: *Iſte confeſſor &c.* a RR. canonicis Amalph. & facta oratione ab ill. D. fuit notificata IV. ſeſſio pro craſtina mane, hora competenti, per D. R. P. Joſephum Rapicanum canonicum & promotorem; & omnes DD. præſules reverſi ſunt ad eorum domicilium.

His peractis comparuit R. presbyter Marcellus Strina archidiaconus, & vicarius apoſtolicus Capritanus ob infirmitatem reverendiſſimi D. Franciſci Liparoli epiſcopi Capritani mentecapti, qui ſe excuſavit non potuiſſe per prius accedere ad provinciale concilium ob tempeſtatem temporis, & procellas maris.

Die X. Maii 1597. in Metrop. eccleſiæ Amalph.

Seſſ. IV.

ANNO CHRISTI 1597.

Illuſtriſs. archiepiſcopus Amalph. acceſſit cum ſuis prædictis RR. DD. epiſcopis Litterenenſi, & Minorenſi ſuffraganeis & comprovincialibus de mane ad dictam ſuam Metropolitanam eccleſiam, omnibus indutis ſuis pluvialibus, ut prius fuit obſervatum; & facta ſolita oratione, & genibus flexis in eorum ſolito loco, RR. epiſcopus Scalenſis celebravit ſolemniter miſſam pontificalem apparitionis S. Michaelis Archangeli, aſſiſtentibus ſibi RR. PP. Ruggerio de Judice, & Marcello de Vivo canonicis Amalphit. cum eorum dalmaticis ex damaſco albo, pro recitatione epiſtolæ, & evangelii; quæ dum celebraretur, omnes prædicti Domini præſules in ſede, & locis eorum deſtinatis ad eam audiendam reſederunt.

Convenit etiam in dicta eccleſia prænominatus R. P. Marcellus Strina archidiaconus, & vicarius apoſtolicus Capritanus ſuperpelliceo indutus, qui reſedit in bancho in titulo dictæ eccleſiæ parato pauco poſt tergum dictorum RR. epiſcoporum.

Et cantato evangelio, idem RR. epiſcopus Scalenſis a cornu ſiniſtro altaris majoris ſupradicti ſedens in ſede ibi parata cum aſſiſtentibus ſupradictis fecit ſuum ſpiritualem ſermonem pro obſervatione, & executione decretorum provincialis concilii ſatis optime, & docte.

Qua miſſa finita, & data ſolemni benedictione, clero & populo adſtantibus, idem R. P. Marcellus Strina indutus pluviali ex raſo ceruleo, venit ad obedientiam ad præfatum ill. D. archiepiſcopum nomine ſupradicti RR. epiſcopi impediti ob notatam infirmitatem, pro qua fuit excuſatus.

Deinde præfati ill. archiepiſcopus & RR. epiſcopi receſſerunt ex eorum ſede & locis, accedentes ad faldiſtorium & genuflexoria, & ibi genibus flexis depoſitis, mitris a dicto ill. archiepiſcopo fuit intonata antiphona: *Exaudi nos Domine, &c.* qua cantata cum pſalmo: *Salvum me fac, Deus, &c.* a RR. canonicis Metropolitanæ eccleſiæ, ſtantibus in pede dictis ill. & RR. DD. archiepiſcopo, & epiſcopis, fuit per ipſum ill. D. recitata oratio ut in pontificali.

His geſtis R. D. Joannes Andreas de Afflicto archidiaconus Amalphitanus, qui fuit aſſiſtens ejuſdem ill. D. cum R. P. Octavio de Ancora canonico, & antiquiori diacono dictæ eccleſiæ, decentibus dalmaticis indutus, recitavit alta voce evangelium ſecundum Matthæum: *Reſpiciens Jeſus in diſcipulos ſuos, dixit Petro &c.*; quo finito, ac intonato hymno: *Veni Creator Spiritus &c.* ab eodem ill. D. a ſua ſede, fuit cantatus a RR. canonicis Amalphit.

Finito dicto hymno poſt monitionem factam per ill. D. ut in pontificali, R. P. Marcellus canonicus Vivus promotor a pulpito evangelii in quarta ſeſſione alta voce proſequutus eſt lectionem decretorum ſynodalium, ſynodo, clero, & populo intelligentibus, a primo capite tituli judicialis fori epiſcoporum uſque ad I. caput tituli de vita & honeſtate clericorum; & aliun-

ANNO CHRISTI 1597.

de aliæ conſtitutiones ſynodales lectæ fuerunt per R. P. Joſephum Rapicanum canonicum, & promotorem uſque ad I. caput tituli chori & ejus officialium; & ab inde uſque ad caput II. de ſanctimonialibus & earum monaſteriis fuerunt lectæ per ſupradictum R. P. Marcellum; & ab inde proſequutus eſt lectionem eandem dictus P. Joſeph uſque ad ultimum caput de excommunicationibus, & excommunicatis.

Dum legerentur ſupradictæ conſtitutiones ſynodales pervenit ad metropolit. eccleſiam Amalphit. R. D. Petrus Joannes Campanili abbas S. Mariæ Trempoſitani Amalphitanæ dioeceſis, indutus rocheto & pluviali ex damaſco crimiſi & mitra telæ albæ; qui poſt factam reverentiam coram SS. euchariſtiæ Sacramento acceſſit ad ſedem archiepiſcopalem, & per oſculum manus obedientiam præſtitit ill. D. facta excuſatione ſe per prius non potuiſſe accedere ad provinciale conſilium ob maris tempeſtatem & ſuam indiſpoſitionem; abinde receſſit & ad banchum reſidentiæ R. Vicarii Capritani in primo loco propinquiori RR. epiſcopis conſedit.

Fuit ſuperſeſſum in legendis aliis conſtitutionibus cum ſit hora prandii; & data ſolemni benedictone per ill. D. reverſi ſunt ad archiepiſcopale palatium, antecedens dictis RR. epiſcopis præfatus R. vicarius Capritanus: & cum fuiſſet oppugnatum tam in ſedendo quam in incedendo a R. capitulo Amalphitano, fuit decretum quod hoc intelligatur factum citra præjudicium utriuſque partis.

Fuit denunciata ultima Seſſio pro præſenti die poſt prandium hora XX. per dictum P. Joſeph promotorem.

Eadem die poſt prandium hora quaſi XXI. quinta, & ultima Seſſione.

Ill. archiepiſcopus ſua cappa pontificali indutus, et præfati RR. epiſcopi ſuis privatis veſtibus, et rocheris deſcenderunt ab archiepiſcopali palatio ad eccleſiam; et poſt gratiarum actionem habitam coram SS. Sacramento genibus flexis in ſuis faldiſtorio, et genuflexoriis, idem ill. D. intonavit hymnum: *Veni creator Spiritus &c.* quo cantato per RR. canonicos Amalphitanos, ac reverſis omnibus dictis DD. præſulibus ad eorum ſedem, et locum, et recitata oratione Spiritus S. ab eodem D. archiepiſcopo omnibus ſedentibus in ſuis locis.

R. P. Marcellus Vivus canonicus et promotor ex pulpito evangelii alta voce publicavit ſynodo et clero cæteras conſtitutiones ſynodales a I. cap. tit. de poenis uſque ad finem decretorum dictæ ſynodi.

Quibus finitis et lectis, ill. D. intonavit hymnum: *Ave maris ſtella &c.* quo cantato a dictis RR. canonicis, fuerunt a ſupradicto ill. D. recitatæ orationes Beatæ Mariæ Virginis, et S. Andreæ apoſtoli.

His geſtis, R. D. Joannes Andreas de Afflicto archidiaconus dixit ſupradictis RR. epiſcopis Litteranenſi et Scalenſi, et Minorenſi: *placet ne vobis quod decreta ſynodalia lecta, & publicata admittantur & ſcribantur?*

A quibus ſingillatim fuit reſponſum: *placet nobis quod dicta decreta ſynodalia lecta & publicata admittantur & adſcribantur, ac debitæ executioni demandentur.*

Deinde a RR. presbyteris Loyſio Caſtrojecta et Marcello Vivo canonicis, & a chori muſica fuerunt intonatæ & cantatæ ſubſcriptæ proclamationes in modum infraſcriptum, videlicet.

Canonici intonant.

Beatiſſimo Clementi VIII. et domino noſtro, ſanctæ univerſalis eccleſiæ pontifici, multi anni et æterna memoria.

Chori muſica cantat.

Domine Deus, SS. Patrem diutiſſime eccleſiæ tuæ conſerva multos annos, multos annos.

Canonici intonant.

Rodulpho imperatori, et ſereniſſimo regi Philippo catholico multi anni, multi anni.

Chori muſica cantat.

Pium, et Chriſtianum imperatorem et regem Philippum, Domine, conſerva. Imperator coeleſtis, terrenos reges, rectæ fidei conſervatores cuſtodi.

Canonici intonant.

Ill. et R. D. Julio Roſſinio archiepiſcopo Amalphitano, et RR. DD. epiſcopis ſuffraganeis foelix in eccleſiis ſuis ſtatus, & reditus.

Chori muſica cantat.

Præconibus veritatis perpetua memoria: orthodoxo ſenatui multos annos.

Canonici intonant.

Provincialis ſynodus Amalphitana, ejus decreta ſemper ſervemus.

Chori muſica cantat.

Semper ſervemus & cuſtodiamus.

Canonici intonant.

Civitati Amalphiæ & toti provinciæ ſalus & perſeverantia in bonis operibus.

Chori muſica cantat.

Perſeverantia, perſeverantia.

Canonici intonant.

Decretis ſynodalibus provincialibus inhærentes digni reddamur miſericordia & gratia primi & magni, ſupremi ſacerdotis Jeſu Chriſti Dei, intercedente ſimul inviolata

Do-

ANNO CHRISTI 597.

Domino noſtro S. Deipara, & S. Andrea apoſtolo noſtro patrono & omnibus ſanctis. A

Chori muſica cantat.

Fiat, fiat. Amen, amen.
Et ſic fuit completa provincialis ſynodus.

ANNO CHRISTI 1597.

DECRETA PROVINCIALIS SYNODI AMALPHITANÆ.

Nos Julius Roſſinius, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Amalphitanus, de RR. DD. coepiſcoporum conſilio, & aſſenſu, in provinciali ſynodo Amalphitana legitime congregata, hæc quæ ſequuntur, decernimus, & ordinamus.

Orthodoxa receptio Sac. S. concilii Tridentini.

FUndamentum aliud nemo poteſt pone- B re præter id, quod poſitum eſt, *quod eſt Jeſus Chriſtus*, hoc eſt fides Jeſu Chriſti, ſine qua eccleſia conſiſtere non poteſt, neque nos Deo placere valemus.

Illud ideo, & a nobis ante omnia jaciendum eſſe duximus, qui unanimiter ipſam fidem toto corde amplecti, & ore confiteri debemus. Proinde omnia, & ſingula in ſacroſancto oecumenico, & generali concilio Tridentino diffinita, ſtatuta, & decreta palam recipimus, ſancte profitemur, & reverenter amplectimur; & præſertim canones ſacros ab eo editos ad explicandam catholicam fidem, ad deteſtandas, & C anathematizandas hæreſes, ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, & controverſias componendas; & promittimus omnem obedientiam Romano pontifici, Jeſu Chriſti vicario, fidem catholicam profitentes eiseiſdem verbis, quibus ex formula a fel. rec. Pio IV. præſcripta eſt, quam initio hujus S. Synodi juramus.

Profeſſio Fidei Catholicæ.

„ Credimus, & profitemur omnia, & ſingu-
„ la, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo
„ S. Romana eccleſia utitur, videlicet, *Credo*
„ *in unum Deum &c. totum ſicut in miſſa.* D
„ Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones,
„ reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervatio-
„ nes, & conſtitutiones firmiſſime admitti-
„ mus, & amplectimur. Item ſacram ſcri-
„ pturam juxta eum ſenſum, quem tenuit,
„ & tenet S. mater eccleſia, cujus eſt judi-
„ care de vero ſenſu, & interpretatione
„ ſacrarum ſcripturarum admittimus; nec
„ eam unquam, niſi juxta unanimem con-
„ ſenſum patrum accipimus, & interpre-
„ tamur.

„ Profitemur quoque ſeptem eſſe vere,
„ & proprie ſacramenta novæ legis, a Je-
„ ſu Chriſto D. N. inſtituta, atque ad ſalu-
„ tem humani generis (licet non omnia) E
„ ſingulis neceſſaria, ſcilicet baptiſmum
„ &c. quæ gratiam conferre, & ex his ba-
„ ptiſmum, confirmationem, & ordinem
„ ſine ſacrilegio iterari non poſſe.

„ Receptos quoque & approbatos ec-
„ cleſiæ catholicæ ritus in ſupradictorum om-
„ nium ſacramentorum ſolemni adminiſ-
„ tratione recipimus; & admittimus om-
„ nia, & ſingula, quæ de peccato ori-
„ ginali, & de juſtificatione in ſacroſ. Tridentina ſynodo diffinita, & declarata fuerunt, amplectimur, & recipimus.

„ Profitemur pariter in miſſa offerri Deo verum propitiatorium, & proprium ſacrificium pro vivis & defunctis; atque in Ss. Euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, una cum Anima, & Divinitate D. N. J. C. fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & vini in ſanguinem, quam converſionem catholica eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

„ Profitemur etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum verum ſacramentum ſumi; conſtanter tenemus, purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari: ſimiliter, & ſanctos una cum Chriſto regnantes venerandos, ac invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

„ Firmiter aſſerimus imagines Chriſti, ac deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Ss. habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, & venerationem impartiendam: indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmamus.

„ S. catholicam & Apoſtolicam eccleſiam Romanam omnium eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſcimus; Romanoque pontifici, B. Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario veram obedientiam ſpondemus, ac juramus: cætera item omnia a ſacris canonibus, & oecumenicis conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, diffinita, & declarata indubitanter recipimus, & profitemur; ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, nos pariter damnamus, reiicimus & anathematizamus.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profitemur, et veraciter tenemus; eandem integram, et immaculatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo adjuvante, retinere, et confiteri, atque a noſtris ſubditis, ut illis, quorum cura ad nos in noſtro munere ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari (quantum in nobis erit) curaturos. *Sin-*

ANNO CHRISTI 1597.

Singulorum juramentum.

„ Ego idem N. ſpondeo, voveo, atque
„ juro; ſic me Deus adjuvet, & hæc S. Dei
„ evangelia.

CAP I.

A quibus profeſſio fidei emittenda eſt.

Seſſ. 24. cap. 12. Et ſeſſ. 25. cap. 2. de ref.

Quam confeſſionem, ſeu profeſſionem catholicæ fidei ex ſacroſancti oecumenici Tridentini concilii decreto emittere etiam tenentur, quicunque parochiales, ſeu curatas eccleſias obtinebunt intra duos menſes a die poſſeſſionis adeptæ, coram ordinario, ſeu ejus generali vicario, quoties provideri contigerit; dignitates autem, & canonicatus obtinentes non ſolum coram ordinario, ſeu ejus generali vicario, ſed etiam in capitulo toties quoties proviſi fuerint, alioquin fructus ſuos non facient, nec ejus poſſeſſio ſuffragabitur: quod etiam eſſe obſervandum decernimus a quibuſcunque aliis, qui ad apicem doctoratus, vel ad alios gradus promovendi erunt; ac etiam ad medicæ facultatis ſuſcipienda inſignia accedentes, jurare debebunt ſe bullam Pii V. fel. rec. de infirmis viſitandis, plene obſervaturos; necnon a ſacræ Theologiæ, aliarumque diſciplinarum publicis profeſſoribus, a ludi magiſtris cujuſcunque nominis, conditionis, & gradus ſint, etiamſi tantum primas literas docerent; quibus ab ordinariis ſuæ profeſſionis exercitium interdicatur, donec de fide, moribus, & ſana doctrina teſtimonium bonum perhibuerint; & juxta præſcriptam formam profeſſionem fecerint coram teſtibus, & notario curiæ epiſcopalis de ea rogato, qui ſub poena privationis officii ea gratis acceptare, & in libro ad hoc tantum deputato cum ipſius profitentis ſubſcriptione annotare teneatur; & liber in quo ea atteſtatio exarata fuerit in epiſcopali archivio ad perpetuam memoriam diligenter erit aſſervandus.

Cap. 2. 25. ſeſſ. de ref. §. cæteri vero.

CAP. I.

De hæreticis.

1. Apologetico.

Cum autem ars quædam artium et ſcientiarum (teſte S. Greg. Nazianz.) eſſe videatur hominem regere, animal omnium maxime varium et multiplex; et in recto ejuſdem hominis regimine habendo ea præſtanda ſint, quæ Dominus Hieremiæ prophetæ oſtendit. *Conſtitui te ſuper gentes, & regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*; primum elaborandum eſt, ut evellantur mala, & cautius agendum eſt in his, in quibus magis verſatur periculum. Lynceis igitur oculis ſuper gregem ſibi commiſſum invigilabunt epiſcopi, iſtis maxime tam depravatis temporibus, ne quod in concernentibus fidem detrimentum patiatur; Parochoſque ſæpe monebunt, ut omni habita diligentia perquirant, num in eorum parochia hæretici, ac male de fide ſentientes, ſeu de hæreſi ſuſpecti ſint. Si quos vero repererint, eos ſtatim cum nominibus teſtium, a quibus veritas haberi valeat,

Cap. *qui. cunque*, de Hæret. lib. 1.

Epiſcopis deferant, vel S. Inquiſitionis officio, ne talibus moribus rependo aliis officiant: imo ut ſalutaribus remediis eliminare poſſint, & radicitus zizaniarum, & ſpinarum mala ſemina evellantur. Mores præterea eorum, qui alias hæretici, vel de hæreſi ſuſpecti fuerunt, ſedulo obſervent; & ar ſacrificium miſſæ, ſacramenta poenitentiæ, & euchariſtiæ frequentare conſueverint, diligenter obſervent.

Haud vero ſatis eſt zizania hæreſum evellere; ſed etiam operæ pretium eſt mala erroris initia deſtruere; ne igitur per imperitiam, ejuſque comitem temeritatem adverſus omnem doctrinam ullo quodam affectu gradi, pulchraſque veritatis margaritas quiſpiam conculcare audeat, conventicula rudium, ac præſertim eorum, de quibus ſuſpitio aliqua ſuborta eſt, prohibeantur; & de his quæ ad catholicam fidem pertinent, a laicis nec publice, nec privatim, diſputationes haberi permittatur.

Cap. *qui. cunque*, de Hæret lib. 6. Nav. cun. 25. eodem tit. & in Man. cap. 11. n. 29.

CAP. I.

De libris probibitis, & de editione & uſu cæterorum librorum.

Regulas poſterioris indicis librorum prohibitorum SS. D. N. Clementis VIII. juſſu recogniti et publicati ab omnibus tam clericis, quam laicis, et maxime impreſſoribus, et bibliopolis, ſi qui ſunt vel in poſterum erunt, epiſcopi ad unguem obſervari faciant; eiſdemque impreſſoribus, et bibliopolis frequenter ad memoriam revocari curent; & prohibeant ne libri purgandi interim emantur, vendantur, teneantur, vel legantur, donec purgati fuerint.

Seſſ. 4. de edit. & uſu fac. lib. 6.

CAP. II.

Curent itidem epiſcopi ne libri aliqui, cujuſvis authoris & ſcientiæ ſint, in eorum dioeceſibus deferantur, & venales exponantur, donec ab ipſis, vel deputatis ab eis omnium librorum elenchus manu propria deferentis, vel deferri facientis ſubſcriptus, approbatus fuerit, poena eorum arbitrio impoſita; ſub qua etiam omnibus ludi magiſtris, medicis, legum profeſſoribus, theologis, ac aliis quibuscunque libros habentibus mandent, ut fidelem librorum ſuorum notam, manu propria pariter ſubſcriptam, infra tempus ab eis præfigendum exhibeant. Hæredes itidem vel exequutores ultimarum voluntatum indicem librorum, a defunctis relictorum, exhibere teneantur; & niſi attulerint, eos vendere, vel alienare non liceat; nec prius eis utantur, vel eos in aliam perſonam transferant quacunque ratione, vel cauſa; ſed libros a defunctis relictos, ſive eorum indicem intra ſupradictum terminum ordinariis offerant, & ab illis licentiam eis utendi obtineant.

Dec. ejuſd. ſeſſ. 4.

CAP. III.

Epiſcopi autem, non ſolum in eos, qui libros quavis ratione prohibitos retinent, ſed etiam in omnes ſacræ ſcripturæ verbis ad jocum, aſſentationem, contumeliam, ſuggeſtionem, fabuloſas detractiones, impias

Seſſ. 4. de edit. & uſu fac. lib.

ANNO CHRISTI 1597.

pias ac diabolicas incantationes, divinationes, sortes, famosos libellos, alioſque inhoneſtos, & profanos uſus abutentes ſeveriſſime animadvertant.

CAP. IV.

Sciant præterea epiſcopi mandatis & uſu S. Romanæ & univerſalis inquiſitionis, facultatem concedendi licentias legendi, vel retinendi biblias vulgares, aut alias ſacræ ſcripturæ, tam novi quam veteris teſtamenti partes, quavis vulgari lingua editas eis ſublatam fuiſſe; ideo mandent, ne aliqui ſupradictos libros auſu temerario retinere præſumant, & contra tranſgreſſores debitis poenis eos afficiant. *Ex indice nov. Clem.VIII. obſ. P. circa 4. Regul.*

CAP. V.

Libri nulli imprimantur, niſi prius, juxta Lateranenſis concilii ſub Leone X. ſaluberrimum decretum, exactiſſime perlecti, diligenter examinati, ac ubi opus erat, caſtigati & approbati fuerint ab ordinario civitatis, in qua imprimendi erunt, per ejus manu propria ſubſcriptionem gratis imponendam, auctoris & impreſſoris nomine, cognomine, et patria appoſitis. Cum primum vero typis excuſi fuerint, non antea ex officina exeant, aut venales proponantur, quam cum ſuis originalibus diligentiſſime conferantur; quæ authentica, & manu authoris ſubſcripta apud examinatorem remaneant. Quod ſi quis libellos manuſcriptos, niſi antea examinati & probati fuerint, vulgaverit, iisdem poenis ſubiiciatur, quibus impreſſores; & eos habentes, & legentes, niſi authores prodiderint, pro authoribus habeantur.

CAP. VI.

Bibliothecæ venalium librorum ab eis, qui ab epiſcopo ad hoc munus deputati fuerint, ſæpiſſime viſitentur, deturque opera, ut nullus in eis prohibitus liber quoquo modo habeatur; & transgreſſores deprehenſi, præter librorum amiſſionem, poenas etiam luant in regula decima indicis contentas.

CAP. I.

De concionatoribus verbi Dei.

Cum paſtoris proprium ſit oves ſuas paſcere, non omittent epiſcopi, & parochi, quorum præcipuum prædicationis munus eſt, a ſacroſancto Tridentino concilio ſtatutis, diebus gregem ſibi commiſſum in propriis eccleſiis, & parochiis, per ſe, vel ſi legitime impediti ſint, per alium in ſermone potentem, & bonis moribus, atque literatura præditum ſalutari pabulo paſcere, ſacram ſcripturam. Divinamque legem pro eorum poſſe, & audientium capacitate interpretando, & præſertim quæ in cathechiſmo annis præteritis juſſu S. mem. Pii V. edito continentur; quod ut facilius exequutioni mandari poſſit; parochi per eorum ordinarios, infra tempus ab eis ſtatuendum dictum cathechiſmum latino, vel vernaculo idiomate compoſitum emere cogantur; poſſidentium nomine inſcripto, quod ſine libri injuria tolli non poſſit.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. II.

Curent autem ordinarii omnes in propriis, ac ſubditorum eccleſiis (ubi commode fieri poſſe videbitur) ſtatutis a ſacroſancta oecumenica Tridentina ſynodo diebus, ſacras conciones haberi, quibus quidem non ſolum ipſi ſemper interſint; (ſi per valetudinem potuerint) ſed clericos loci, ubi concio habebitur, ſingulos, & omnes adeſſe curent. Seſſ. 24. c. 4. de ref.

CAP. III.

Præcipiant etiam in aliis eccleſiis per parochos omnibus dominicis, & ſolemnibus diebus feſtis, ſermones concioneſque haberi; & in quadrageſima ſingulis diebus concio ſit, ubi eſt in more poſitum, & commode fieri poſſe videbitur: & parochis impeditis per alios prædicandi munus expleri epiſcopi curent, impenſis eorum qui eas præſtare vel tenentur, vel ſolent, deputandos in civitate, aut quacunque parte dioeceſis ab epiſcopo. Dec. ejuſd. ſeſſ.

CAP. IV.

Ne vero aliqua inter parochos & populos ſibi commiſſos de alendo prædicatores, eiſque de aliqua eleemoſyna providendo, ut ſæpe fit, diſſenſio aliquo tempore oriatur; ſtatuimus & ordinamus laudabiles locorum conſuetudines inviolabiliter amplecti debere; in dubio autem ſuperiores judicent. Quod ſi magis expedire videbitur, efficiant ut parochorum præſertim, quo magis fieri poteſt, indemnitati provideant. Seſſ. 24. cap. 4. de ref.

CAP. V.

Quoad tempus vero, in quo eſt concio habenda, curent epiſcopi quocunque anni tempore diurnis horis prædicationes haberi: & quod Paſſio D. N. J. C. luceſcente die, non autem noctu, per prædicatores enuncietur; provideantque epiſcopi nequid per illos eo tempore vel etiam alias dicatur, vel fiat etiam ad lacrymas provocandas, quod a chriſtiana diſciplina aliquo modo abhorreat, & a tanti myſterii dignitate ſit alienum.

CAP. VI.

Demum provideant epiſcopi (quoad fieri poteſt) ut foeminæ ſeorſum a maſculis concionibus in eccleſiis interſint; atque ita diſponantur, ut a maribus religionis & honeſtatis gratia diſtinguantur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. I.

De lectione theologiæ.

Sess. 5. cap. de reform. In quacunque cathedrali ecclesia, ac etiam collegiata insigni extra civitatem, per ordinarios provide adhibeatur Theologiæ lector, ubi commode fieri potest, sæcularis clericus; sin minus, regularis in subsidium.

CAP. II.

Hujus lectoris munus erit sacræ scripturæ libros atque illos pro casuum poenitentialium cognitione a curatis, & sacerdotibus habenda, clero præsertim, per anni circulum in loco per episcopum destinato, intepretari; cujus lectioni, ut tam majoris quam minoris gradus clerici frequenter interfint, non solum episcopi curent, sed etiam sæpissime singuli illius auditores, statutis diebus & horis, juxta ab episcopis præscriptum tempus, ut in hujusmodi lectione proficiant, hortentur & admoneantur.

CAP. III.

Lectio casuum conscientiæ bis in hebdomada imprætermisse habeatur, horis & diebus eb episcopis decretis, cui omnes confessarii et curam animarum exercentes certis statutis poenis, etiam privationis curæ animarum, aut confessionis audiendæ, interesse teneantur.

CAP. III.

Prima fidei christianæ rudimenta singulis dominicis festisque diebus pueros alioque rudes & infantes parochi, vel alii ad hoc munus deputati ab ordinario doceant, qui a prandio aliove commodiori tempore pueros ad ecclesiam campanæ sono convocandos curent. Ea propter (ubi commode fieri possit) doctrinæ christianæ societas instituatur & conservetur.

Cone. Trid. sess. 24. c. 4. de refor.

CAP. IV.

Cum vero ad episcopos non minime spectare videatur, per se, aut per idoneos fideleque ministros, non solum gymnasia puerorum, scholas, verum etiam visitare, & licite inquirere, an bonis moribus, salutaribus monitis, præceptisque imbuantur, & in doctrina & religione christiana exerceantur, cæteraque in eos officia præstent, quæ Leo X. in Lateranen. Con. sancivit; ea in re plurimum confidimus omnem curam ab eisdem ordinariis fore impendendam. Sess. 9.

CAP. V.

Nullæ conclusiones publice disputentur Costentandi ingenii causa, vel alia quacunque ratione defendantur, antequam per ordinarios examinentur & approbentur, quacunque consuetudine non obstante.

CAP. I.

De scholis & magistris.

Bonarum liberaliumque artium magistri non tam doctrina, quam fide catholica & bonis moribus ornati ab eis, ad quos pertinet, eligantur: hæc autem episcopis maxime cordi esse debent, & in eo exactissima cura est adhibenda; cum ex eo (velut ex bonorum omnium fonte) adolescentium Djuxta sacrosancti Oecumenici Tridentini concilii præscriptum, diligenter episcopi infrascripta servanda & cavenda curabunt; & in primis.

CAP. II.

Hi, non eos tantum libros pueris non interpretari, vel legi patiantur, qui in Romano Indice prohibentur; sed nec alios rebus obscœnis aut turpibus respersos, sive Latino semone, sive Italico sint conscripti: cum enim ex apostolica sententia: *corrumpant bonos mores colloquia mala*; multo magis christianæ vitæ puritati pernicioſum est, Esi ex hujusmodi cœnosis lacunis tenera adhuc ætas libere assuescat. Studeant præterea commissos eorum disciplinæ pueros honestis moribus in flexibili illa ætate & ad malum prona decenter imbuere; scientes se de ipsorum negligentia Deo primum rationem reddituros. Secus autem facientes pœnam secundum indicem librorum prohibitorum, & ordinarii loci arbitrio subjaceant.

CAP. I.

De celebratione Missarum.

Quoniam in hoc divino sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit; ideo singulari religione, & pietate ut a sacerdotibus celebretur, & a populo colatur, Sess. 22. et 2. de sac. missæ.

1. Omnes sacerdotes regulares, qui Romano missali Pii V. utuntur, in omnibus cæremoniis ac ritibus in formula missalis præscriptis ad unguem conveniant, nihil addendo, aut mutando ex his, quæ in cujusque diei missa continentur, vel etiam in ipsius missæ ordinario.

2. Debitis horis celebretur, nec ante auroram nec post meridiem, nisi legitima ex causa Evel a jure permissa, vel ex privilegio & indulto apostolico; neque bis in die; neque extra ecclesiam vel oratoria, nec privatis in ædibus, aut alio in loco, præterquam in ecclesiis aut oratoriis divino cultui tantum dicatis, & ab episcopo designatis & qui contrafecerint missas vespertino tempore celebrando contra bullam fel. rec. Pii V. poenis in eadem bulla contentis puniantur. In cæteris vero ministerio altaris per biennium suspensi esse intelligantur, & gravi etiam ab episcopo animadversione afficiantur. Sess. 22. c. 1. de obser. & evit. in celeb. miss. Vide Navar in man. cap. 25. n. 85.

3. Nul-

3. Nullus publice, & notorie criminosus, ac presbyter alienæ dioeceſis ſine commendatitiis literis ſui epiſcopi, aut vicarii, ab ullo epiſcopo ad divina celebranda, & ſacramenta adminiſtranda admittatur.

4. Ordinarii autem invigilent ac bene perſpiciant quænam dimiſſoriæ ſint approbandæ vel reiiciendæ; cum exemplo conſtet innumerabiles fraudes hac in re committi conſueviſſe.

5. Sacerdotes celebraturi miſſam prius private perlegant, & percurrant, ſuiſque adnotent ſignis, priuſquam ad altare accedant; ad quod poſtquam acceſſerint, ea qua decet reverentia a principio uſque ad finem ſacra myſteria peragant; clare, & diſtincte lectiones legant, epiſtolas, evangelia, & ſpecialiter ſecreta omnia inter celebrandum recte & compoſite, nec nimis celeriter quam decet, nec minus tarde peragantur.

6. Ad quæ omnia, ut facilius invitentur, omnibus miſſam antequam ad altare accedant, ut præmittitur, legentibus, & cum præmiſſa reverentia celebrantibus hæc ſynodus 40. dierum indulgentiam concedit.

7. Et ut puriores ad rem divinam valeant accedere, omnes miſſam celebraturi prius ad intima cordis ſe recipiant, meditentur quam mirifica ſunt quæ ſibi peragenda erunt, & orantes in tanti myſterii cogitatione mentem defigant, peccata ſua prius ſacramentali confeſſione abſtergentes. Dum ſacras veſtes induunt, pſalmos, & collectas recitent in ordinario miſſalis contentas.

8. Et quia per externi doloris ſpeciem interior ſacerdotum munditia denuntiatur; ideo ut ſacerdotes omnes ſuperpelliceis, amictibus, albis, cingulis, manipulis, ſtolis, planetis, dalmaticis, ſeu tunicellis, pluvialibus, & paramentis candidis, mundis & integris, non autem laceratis utantur, epiſcopi curent.

9. Nemo, ubi commode fieri poterit, celebret cum vino rubro propter corporalia & purificatoria, quæ ex nonnullorum ſacerdotum negligentia & incuria aliquando adeo ſordida inveniuntur, ut aliquibus horrori ſint. Et ubi eſt conſuetudo in vino rubro celebrandi, ſacerdotes poſt ſumptionem ſanguinis, & lotionem calicis in ſecunda vice ad abſtergendos digitos aquam ſolam accipiant, ne purificatoria colore vini afficiantur.

10. Nemo igitur corporalibus, aut purificatoriis immundis ac ſine debito tobalearum trium, ac duarum candelarum ceræ numero celebret, aut cum calice fracto, vel rubigine conſumpto, ac ſordido.

11. Calices, quibus ſingulis diebus utuntur ſacerdotes, ſemel in hebdomada lavare, atque aquam in piſcinam eccleſiæ ponere teneantur.

12. Miſſæ vero eodem tempore in altaribus ita inter ſe disjunctis & ſæparatis celebrentur, ut alter ſacerdos ab altero minime perturbetur.

13. Omnibus etiam ſacerdotibus præcipiatur, ut miſſam inchoatam adveniente aliquo non reperant, nec ad altare expectent, aut alia ratione contra rei ſacræ decorem, vel utilitatem populi alicui obſequium præſtent, & contrafacientes arbitrio epiſcopi puniantur.

14. Sumptuoſa convivia, ludi, choreæ, & alia vanitatem avaritiamque redolentia in novis miſſis per abuſum fieri ſolita, ab ordinariis omnino tollantur & fieri prohibeantur. Cone. Trid. ſeſſ. 22. de obſ. & evit. in celeb. Miſſæ.

15. Nullus ad novæ miſsæ celebrationem admittatur, niſi prius fuerit ab iis, quos epiſcopus deſignaverit, examinatus, utrum ſit inſtructus in neceſſariis cæremoniis, & illa omnia noverit, quæ in miſsarum celebratione requiſita ſunt. Qui autem in his deliquerit, per 6. menſes ipſo jure ab altaris miniſteri ſit ſuſpensus, & arbitrio epiſcopi puniatur.

16. Pauperes eleemoſinas per eccleſias petentes, dum ſacrarum miſsarum ſacrificium celebratur, vel prædicationes & alia divina officia conſueverunt, haberi non permittatur, ac eo tempore ad valvas eccleſiæ ſtare jubeantur, ſub pœnis a fel. rec. Pio V. decretis.

CAP. II.

Magiſtri cæremoniarum conſtituantur, a quibus omnes ſacerdotes de cæremoniis circa miſſarum celebrationem fieri debitis examinentur: parum idonei ad tempus ſuſpendantur, dum ſperatur eorum profectus; vel omnino a miniſterio altaris arceantur, ſi eorum profectus desperatur.

CAP. I.

De Sanctorum reliquiis, eorumque veneratione.

Sanctorum reliquias honeſtiſſimis locis atque decoris vaſculis in eccleſia aſſerventur, & ſola pietatis, non quæſtus gratia luminaribus accenſis populo oſtendantur; nec temere & ſine ordinarii licentia ex propriis locis extrahantur: neve ad inſpiciendum vel tangendum alia quapiam ratione, quam devotionis gratia proponantur. Pro certis autem non niſi illæ habeantur, quæ rite fuerint ab epiſcopis approbatæ; quæcunque vero pro reliquiis ſunt habitæ, honeſtatis cauſa decenti ac tuto loco recondantur. De reliq. & vener. SS. c. 20.

CAP. II.

Si autem reliquias aliquas de novo detegi, aut exhumari contigerit, epiſcopi provideant ne incertæ pro certis habeantur; & quod religioni ac pietati maxime conſentaneum videbitur, religioſorum piorumque hominum conſilio adhibito decernant.

CAP. III.

Provideant inſuper epiſcopi, ne abuſus ſint in reliquiarum veneratione aut viſitatione, ne piorum animæ ſub falſitatis imagine decipiantur; et ſi qui abuſus irrepſiſſe comperti fuerint, omnino tollantur; & præterea eam venerationem eiſdem ſan-

ANNO CHRISTI 1597.

ctorum reliquiis ab omnibus exhiberi, & doceri curent, quam ſacroſancta Tridentina ſynodus ſaluberrime decrevit.

CAP. IV.

Seſſ. 25. ſub initium.

Cum autem S. & oecumenica ſynodus Nicæna jure merito SS. Reliquias ſalutares fontes appellaverit a Chriſto Domino relictos; invigilent epiſcopi, & omnino curent, ut in concionibus verbi Divini præcones ſacri populum admoneant, ut eis debitam reverentiam, honorem, ac venerationem habere ſtudeant.

Synodus Nic. 2. Act. 3.

CAP. I.

De feſtorum dierum obſervatione.

Seſſ. 25. c. 1. de invoc. & venerat. SS.

Ut univerſi fideles ſanctos una cum Chriſto in Cœlo regnantes, debito, ut par eſt, proſequantur honore; epiſcopi in ſua quiſque dioeceſi ſedulo dent operam, ut omnes in dierum feſtorum celebratione abuſus prorſus aboleantur; ne feſti SS. dies, qui corporis caſtigatione, jejuniis multis, fletu, & lacrymis Deo placuere, commeſſationibus, ebrietatibus, jocis, & voluptatibus celebrentur.

CAP. II.

Decretum ejuſdem ſeſſionis.

Cum autem dierum feſtorum obſervatio ad Dei cultum maxime attineat, & in lege divina præcipiatur, epiſcopi diligenter curent, ut dies dominici, & alii ab eccleſia recepti, vel loci conſuetudine, præcipue vero in honorem Dei, & deiparæ ſemper Virginis, & ſanctorum feriati omni veneratione obſerventur per civitates, ac dioeceſes, juxta bullam fel. rec. Pii V. & ſacros canones.

CAP. III.

Omnes Chriſti fideles in diebus præfatis eccleſias frequentare, divinis officiis devote intendere, a quibuscumque operibus illicitis, judiciorum agitationibus, emporiis, nundinis, ab inſtrumentis conficiendis, aliisque mercatoris conventibus exercendis, quocunque nomine nuncupentur, abſtinere jubeant epiſcopi, & circa eos qui in hoc ſæpe delinquunt, quales ſunt ruſtici, ſuos vicarios invigilare curent: parabolani, circulatores, herbolarii non audiantur, qui omnino ab eorum exercitio, dum divina in eccleſiis peraguntur, & diebus feſtivis ſolemnioribus abſtinere debent.

CAP. IV.

Conventiones, quæ conſilia ſeu parlamenta vocantur, ſi neceſſitas urgeat, poſt veſperas tantum fieri permittant, dummodo non in eccleſiis, neque cæmeteriis fiant; & contrafacientes ordinarii arbitrio poenis condignis mulctentur.

CAP. V.

Eſculenta & poculenta ante miſſarum ſolemnia in eisdem diebus feſtivis venundari non permittantur; at poſt miſſarum celebrationem venundari poterunt, citra magnos dies feſtos, Natalis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ, ac Pentecoſtes.

CAP. VI.

Qui feſtis diebus illicitum opus aliquod faciontes deprehenſi fuerint, præter divinam ultionem & alias poenas ejusdem bullæ diſpoſitione inflictas, graviter quoque arbitrio epiſcopi pro modo culpæ puniantur.

Infraſcriptum calendarium deſcribi viſum fuit, quod obſervari mandamus juxta cujuſque dioeceſis & noſtræ provinciæ approbatam conſuetudinem.

De calendario feſtorum dierum.

Januarius.

1. Circumciſio Domini noſtri Jeſu Chriſti.
6. Epiphania Domini.
17. S. Antonius abbas, *ex devotione*.
20. S. Sebaſtianus, *ex devotione*.
S. Macharius, in civitate Amalphiæ, tantum.

Februarius.

2. Purificatio B. M. V.
23. Vigilia.
24. S. Matthiæ apoſtoli.

Martius.

6. S. Thomæ de Aquino, ex bulla Pii V.
25. Annunciatio B. M. V.

Aprilis.

25. S. Marci evangeliſtæ.

Majus.

1. SS. Philippi & Jacobi apoſtolorum.
3. Inventio S. Crucis.
8. Tranſlatio corporis S. Andreæ, in civitate Amalphiæ, tantum.
27. Tranſlatio S. Macharii abbatis, in civitate Amalphiæ, tantum.

Junius.

11. Tranſlatio SS. Coſmæ & Damiani in civitate Amalphiæ, tantum.
15. SS. Viti, Modeſti, & Creſcentiæ in civitate Amalphiæ tantum.
23. Vigilia.
24. SS. Petri, & Pauli apoſtolorum.

Julius.

2. Viſitatio B. M. V.
22. S. Mariæ Magdalenæ, *ex devotione*,

24. Vi-

24. Vigilia.
25. S. Jacobi apostoli.

Augustus.

5. Dedicatio S. Mariæ ad Nives, *ex devotione*.
6. Transfiguratio D. N. J. C.
9. Vigilia.
10. S. Laurentii martyris.
14. Vigilia.
15. Assumptio B. M. V.
24. Vigilia.
25. S. Bartholomæi apostoli.

September.

8. Nativitas B. M. V.
20. Vigilia.
21. S. Matthæi apostoli & evangelistæ.
27. SS. MM. Cosmi & Damiani, in civitate Amalphiæ tantum.
29. Dedicatio Basilicæ S. Michaelis archangeli.
30. S. Hieronymi presbyteri.

October.

18. S. Lucæ evangelistæ.
27. Vigilia.
28. SS. Simon & Judæ apostolorum.
31. Vigilia.

November.

1. Festum omnium SS.
11. S. Martini episcopi & conf.
25. S. Catharinæ V. & M. *ex devotione*
29. Vigilia.
30. S. Andreæ apostoli.

December.

13. S. Luciæ V. & M. *ex devotione*.
20. Vigilia.
21. S. Thomæ apostoli.
24. Vigilia.
25. Nat. D. N. J. C.
26. S. Stephani protom.
27. S. Jo. evang.
28. Innocentium MM. *ex devotione*.

CAP. I.

De sacris imaginibus.

Tanta pictorum sculptorumque inolevit temeritas, ut iram Dei in se se provocare non vereantur: qui ut ingeniosi, & rerum novarum inventores esse videantur, sanctorum imagines a S. matre nostra Romana ecclesia ad cultum & religionem ordinatas, tam impudicis, & lascivis artibus efficere non erubescunt, ut potius inhonestas mulieres, quam sanctas & castissimas virgines præseferre videantur; & quod forsan pejus est, aliquando alicujus ab eis dilectæ mulierculæ effigiem inter sanctas Dei pingere non formidant. Ad quorum impudentiam tollendam, episcopi, decretis generalis concilii Tridentini inhærentes, omnibus pictoribus atque sculptoribus, sub poenis ipsis bene visis, inhibebunt, ne in posterum in eorum dioecesibus, tam publice quam privatim, tam in locis profanis, quam in sacris, imaginem alicujus sancti vel sanctæ effingere audeant, quæ lasciviam, inhonestatem, vel impudicitiam repræsentet, vel quæ ex lineamentis, alicujus mulieris impudicæ naturalia exprimat. In quam poenam incidant tales imagines in ecclesiis vel in domibus personarum ecclesiasticarum detinentes; cum talia potius scandalum, quam devotionem & pietatem excitent. Provideant etiam episcopi, ne de cætero pictura aliqua in ecclesia, vel alio pio loco pingatur, vel alibi picta absque eorum, vel vicariorum licentia deferatur; quorum in id cura erit prospicere, an ecclesiasticis, & approbatis historiis conveniat, & nihil indecens, indecorum, lascivum, profanumve habitu, vel cultu, ac toto corporis statu adhibeatur.

ANNO CHRISTI 1597.

Sess. 25. de invocat. & venerat. & reliq. Sanctor.

CAP. II.

Caveant præterea pictores, seu quicunque alii, etiam religiosi, tam sæculares, quam regulares, cujuscunque gradus, ordinis, & conditionis existant, ne post hac Agnos Dei, sub excommunicationis poena ipso facto per S. mem. Gregorium XIII. illata, depingant, inficiant, immutent, aurum aut colorem aliquem illi imponant, vel imponi, depingi, su miniari faciant; sed eos in sua albedine, & puritate, prout benedicti fuerunt, dimittant & conservent.

CAP. II.

Qpod autem ad ipsarum sacrarum imaginum cultum & venerationem attinet, eam pariter reverentiam & honorem illis episcopi impendi curent, quam sacrosancta Tridentina synodus statuit, idque sæpius populos edocere studeant. Atque ut debitus cultus, & honor dictis sacris imaginibus exhibeatur, prohibuit, ne signum tam salutiferæ Crucis, quam BB. Virginis, & omnium SS. in immundis, contemptibilibus locis, sive in pavimentis posthac collocetur, & collocatum si forte aut depictum reperiretur, deleatur; inobedientes vero poenas ab archiepiscopis statuendas luant. Quæ vero imagines seu picturæ vetustate sic corrosæ, deformatæ, seu laceratæ sint, omnino a publico amoveantur, subtus altaribus collocentur vel fabricentur, seu alio loco secretiori, cum potius scandalo, quam devotioni soleant esse populo Dei.

Sess. 25. in princ. c. 1. & 2. extra de reliq. & ven. SS. & Concil. Later. sub Innoc. III. c. 62.

CAP. I.

De miraculis.

In novorum miraculorum approbatione formam a sacro & oecumenico concilio Tridentino traditam episcopi diligenter observent.

Sess. 25. c. 1. de invoc. & venerat. SS.

ANNO CHRISTI 1597.

que concionatores argui, & propositis indulgentiis per Leonem X. in oecum. Lat. Concilio concessis ad blasphemos ordinario, vel judici ecclesiastico denunciandos allici.

CAP. I.

De jejuniorum observatione.

Tanta quorundam gulæ studentium inolevit temeritas & ingluvies, ut Ecclesiæ spretis præceptis jejunia jure Divino instituta, & pro temporum determinatione ab ea decreta infringere non vereantur, sed nullo habito delectu temporum & ciborum ventri satisfaciant; in quos insurgere debent Episcopi pœnis a sacris Canonibus, & aliis arbitrariis puniendo. Ut itaque quisque spirituales primitias, atque dierum decimas Deo creatori nostro sciat offerre sese debere, & juxta traditiones apostolicas memoria hæc conservetur, parochi commonefaciant Christifideles, singulis Quadragesimæ diebus, (præter Dominicos) Quatuor anni temporibus, ac Vigiliis jejunare ex præcepto teneri, nisi quis ætatis aut valetudinis vel alterius impedimenti excusationem habuerit.

CAP. II.

Quisquis (legitima cessante causa) ipsa jejunia ecclesiæ violare præsumpserit, præter divinam ultionem, quam cibis utendo veritis ipso jure incurrit, graviter quoque Ordinarii arbitrio, si id absque rationabili causa factum fuisse constiterit, puniatur; præsertim si sæpius in illud crimen inciderit.

CAP. III.

Jejuniorum tempore, ac præcipue Quadragesimæ vetiti cibi pro imbecillium ac infirmorum usu non alibi, neque ab aliis vendantur, quam in statutis locis, & ad id deputatis, ac nonnisi ex causa ab utroque medico comprobanda, ac licentia ab Ordinario, vel ejus vicario, seu deputatis ab eis gratis subsignata & obtenta, sub pœnis ex arbitrio statuendis: extra urbes vero, & oppida, a parochis licentiæ hujusmodi, ex rationabili ac urgenti causa duntaxat, (ubi medici consilium haberi non potest) ac similiter gratis concedantur, cum his tamen conditionibus, quæ suis episcopis necessariæ videbuntur.

CAP. IV.

Caveant medici, ne in suarum animarum perniciem tam faciles se præbeant in faciendo fidem de jejunii excusatione, vel in concedendo, ut carnes comedant ii, quos vel nulla vel saltem non rationabilis causa ab obligatione jejunii excipit, & liberat; quod si secus fecerint, arbitrio episcopi puniantur.

CAP. V.

Cibos insuper jejuniorum solemnium tempore prohibitos coquentes, vel ad esum quoquomodo parantes, aut absque Ordinarii licentia ementes, vel participantes, severius ab eodem Ordinario plectantur; & si sit opus, & culpæ qualitas id expoſcat, in subsidium quoque excommunicentur.

CAP. I.

De Processionibus.

Processiones eo tempore fiant, eo itidem ordine ac religione qua decet, ad quas accedere ex decreto Concilii teneantur non solum regulares & exempti, sed etiam confraternitates laicorum, secundum consuetudinem loci, aut secundum quod fuerint ab episcopo convocati.

CAP. II.

In omnibus autem sacris processionibus, & præsertim in festo SS. Corporis Christi in locis per quos incedere solet, is ornatus, apparatus, & decor appareat, qui præsentiæ & aspectui Salvatoris Domini Nostri convenire videatur. Fideles vero in associatione reverentiam, pietatem, & religionem eam servent, quæ veros imitatores Domini decet, ut fructum tam pii operis ac laboris a Domino consequi possint. Laici a clericis, fœminæ a viris separatim prosequantur.

CAP. III.

Inter viam non inaniter spectandi gratia subsistantur, & spectacula quæ minus decent non adhibeantur; edendi & bibendi consuetudinem in sacris supplicationibus episcopi & parochi omnino tollere curent.

CAP. I.

De Quæstionibus & Indulgentiis.

Eleemosynarum quæstores indulgentias publicare, vel quovis modo prædicare episcopi non permittant, nisi in ecclesiis presbyteros infra Missarum solemnia (servata forma Sacros. oecum. Trid. Conc.) nisi id a Sede Apostolica bullis concessum sit: quarum tenorem ad unguem observari faciant; & curent ne fictionibus indebite ab aliquo eleemosynæ a fidelibus extorqueantur, sed pie petentibus faveant. Sess. 5. c. 7. in fin. & sess. 21. c. 9.

CAP. II.

Indulgentiæ, si quæ erunt Sedis Apostolicæ mandato publicandæ, soli episcopi, vel alii ab eis deputandi in cathedrali, & Parochi in eorum parochiis evulgent; quorum etiam cura erit eleemosinas ea de causa elargiendas per deputatos colligi, juxta Sacros. Conc. Trident. decretum; & si qui irrepserint abusus, ab Ordinariis omnino è medio tollantur. Decret. ejusd. sess. 21. c. 9.

CAP.

CAP. II.

Qui autem quæstus, aut alia causa novorum miraculorum, quæ minime quidem vera sint, falsi & temerarii promulgatores & inventores esse deprehensi fuerint, & convicti, graviter ab iisdem locorum ordinariis puniantur.

CAP. I.

De rebus, & verbis sacris non abutendo.

Prohibeant episcopi omnibus laicis & ecclesiasticis personis, gravibus propositis poenis, ne publice seu privatim, tam recreationis, quam alia quavis indecenti causa in vestibus monialium, regularium & ecclesiasticarum personarum, vel ad sacrum usum destinatis, vel aliis similibus larvati incedere audeant, cum id sine contemptu Dei & contumelia ecclesiastici ordinis fieri non possit; quibusmet poenis etiam puniantur vestes ad talem usum conficientes, atque etiam accommodantes.

CAP. II.

Episcopi præterea temeritatem extorquentium verba sacra in sensus profanos, & eis abutentium in scurrilibus dictis, fabulis, libellis famosis, detractionibus, adulationibus, superstitionibus, divinationibus, maledictis, incantationibus, & sortilegiis compescant; eosque juxta sacros. conc. Tridentini decretum, uti temeratores ac violatores verbi Dei, juris & arbitrii poenis puniant, & curent populum per parochos de gravitate hujus criminis moneri.

CAP. I.

De sortilegiis, lamiis, & incantationibus.

Præstigiatores, lamias, incantationes, magos, sortilegos, divinatores, illicitis artibus medentes, & id genus similium, qui diabolicis illusionibus decepti alios decipere affectant, episcopi omni conatu a suis dioecesibus eradicare studeant, & poenis a sacris canonibus inflictis afficiant, & præsertim si eorum causa homicidium aliquod, vel sacramentorum abusus intervenerit.

CAP. I.

De pravis & superstitiosis consuetudinibus.

Si quæ pravæ parumve cum nostræ religionis integritate consentientes consuetudines in populum Christianum hominum vitio irrepserint, eas vigilans pastorum cura extirpet; & in primis caveantur, ne posthac ante vel circa templorum ac sacrorum ædium fores choreæ ducantur.

CAP. II.

Et cum scriptura dicat: *annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciamus quia Dii estis vos;* nemo est sanæ fidei qui dubitare possit ea quæ a libera hominum pendeant voluntate, & divina ordinatione, a nullo, nisi ex divina revelatione, sciri posse; proinde ridiculas divinationes juxta SS. PP. decreta condemnantes, districte præcipimus, ut interdicatur Ægyptiis mulieribus, quas vulgo Cingaras appellant, aliisque meris chiromanticis nugis deditis, ut futura ex quibusdam manuum lineamentis ne divinent ac prædicant: similiter omnes aliæ divinationes, tam ex astrologia, quam ex icomantia, & idromantia, & aliis quæ diabolicis inventis fiunt, explodantur: admoneanturque Christifideles, quod in legentes & retinentes libros astrologiæ judiciariæ, divinationum, sortilegiorum, aliarumque rerum in regula nona Indicis expressarum, non modo per ipsos episcopos, sed etiam per inquisitores locorum ex constit. fel. rec. Sisti Papæ V. contra exercentes astrologiæ indiciariæ artem procedi potest.

Anno Christi 1597.

Isa. 41.

Navar. in in suo man. c. 11. n. 81.

CAP. I.

De Blasphemia.

Detestabile blasphemiæ malum (Diabolo præceptore introductum, ut hic incipiat socios habere, quos in æternum detineat criminis poenarumque consortes) cupientes omnino extirpare, ut Dei Omnip. honor in dies augeatur, sicuti nostri muneris ratio exigit, contra impudentes divinæ majestatis, ac sanctorum ejus temeratores provocamur, ut a tali tantaque injuria Dei vel sic abstineant; scriptum quippe est. *Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur.* Statuimus ergo ac decernimus, ut qui palam maledicta, convicia, ac obscoena verba in Deum ac Domini N. J. C. vel in ejus BB. Genitricem, vel in aliquem sanctorum plena veneno mortifera lingua protulerit, graviter ab episcopis puniantur; & pœnis in Sac. Lat. Con. canonibus & bullis S. mem. Pii V. contentis subiiciantur; et si clerici fuerint, ad ordinarii arbitrium, ac fructuum ecclesiasticorum privationem, beneficiorum ad depositionem usque plectantur.

Levit. 25.

Sess. 9.

CAP. II.

Admonemus confessarios, ut ne oscitanter & leniter cum hujusmodi blasphemis sese gerant; sed acerba & severa imposita pœnitentia in eos animadvertant, ut Sac. Lat. Con. decrevit. Hortamur insuper eos, qui hujusmodi blasphemantes audiverint, ut ordinem fraternæ correctionis a Domino præscriptum servare velint.

CAP. III.

Curent episcopi populum frequenter de gravitate hujusce delicti per parochos atque

Matt. 8.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. I.

De Seminario.

Seminarium, cum in unaquaque cathedrali, ex gen. Conc. Trid. decreto erigendum sit, in quo adolescentes clerici pauperes, qui ad Deo serviendum incumbunt, instruantur; operæ pretium esse duximus, per Episcopos etiam hujusce provinciæ construi debere; quibus injungendo ordinamus, ut quam primum fieri potuerit, pro beneficiorum suorum Diœcesum facultate ac debita ratione taxationis erigant, erectumque pro viribus sustineant, & augere studeant, & magistrum saltem grammatices, & cantus Ecclesiastici bonis moribus præditum conducant.

Sess. 23. c. 18.

CAP. II.

In seminariis sic erectis, minores 12. annorum per episcopos non admittantur, sed tantum majores, & qui animo ad religionem sint propensi, ingenioque dociles, & qui qualitatibus, ex ejusdem sacros. conc. Triden. decreto, sint præditi, quibus cum scientia, & ætate provecti fuerint, de beneficiis vacantibus provideantur. Si vero reperiantur aliqui, qui bonis moribus, cum literis vacare nolint, episcopi post monitiones factas, spretas, a collegiis, eorum loco aliis bonæ indolis pauperibus suffectis, arceant.

Decretum ejusd. sess. 21. cap. 9.

CAP. III.

Divitum filii, si qualitatibus supradictis non careant, propriisque expensis vivere velint, & numerum quo magistri minime gravantur, non excedant, per episcopos in seminariis admitti etiam poterunt.

Decretum ejusdem sess. 23.

CAP. IV.

In collegiis vero recepti omni studio, bonis moribus, literis, musicæ, ac religioni operam dent, ne otio torpeant, confessionum libros discant, singulis quoque mensibus peccata sua sacramentali confessione expiare curent, & sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum (in quantum ætas postulabit) devote assumant. In recreationibus pauce, & modeste se gerant. Ante prandium & cœnam, mensam benedicant, & post prandii, cœnæque refectionem gratias agant pro varietate temporum atque solemnitatum, sicut in fine Breviarii habetur. Inter prandium vero, & coenam lectio sacræ scripturæ pro tempore occurrentis semper habeatur, cui intendant, ut dum faucibus sumunt cibum, aures hauriant Dei verbum in eodem loco commorantes. Separatis lectis nocte quiescant: quotidie sacram missam audiant: Dominicis, ac festis diebus ecclesiæ inserviant: frequenter ab episcopis, vel ab eis deputatis visitentur, ut omnia secundum instituta recto tramite procedant.

Dec. ejusd. sess. 23. c. 18.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. I.

De sacrosanctis ecclesiis.

Cum Dei domum deceat sanctitudo, ac terribilis sit locus iste, qui est scala Paradisi, & porta Coeli; propterea enitendum est, ut ad ecclesiam sit humilis ac devotus ingressus, quieta conversatio; in qua nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum; sed omnes devotis orationibus insistant, genibus flexis sanctissimum Sacramentum adorent; ad nomen Jesu Christi D.N. cum exhibitione reverentiæ caput inclinent; & nemini liceat, dum sanctissima & tremenda missæ mysteria peraguntur, Verbum Dei annuntiatur, & horæ canonicæ recitantur, in ecclesiis spaciari, & deambulare, risus, cachinnationes, & colloquia mala, alios subinde strepitus indecenter facere.

CAP. II.

Caveant omnes, ne ita stent in ecclesiis, ut exadverso sanctissimi corporis Christi sedeant, ne sacrosancto Eucharistiæ sacramento summa reverentia colendo, & adorando aliqua inreverentia fiat, quemadmodum sanctus propheta Ezechiel typici Templi detestabilem quorundam Hebræorum irreverentiam, his verbis abominabilem declaravit. *Ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare, quasi viginticquinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem.*

Ezechiel. 8.

CAP. III.

Præter tempus divinorum officiorum, ut ecclesiæ semper clausæ teneantur ab his abusus introductos, episcopi poenis in Bull. S. Pii V. propositis omnino tollant. Neminem ad tractanda profana negocia in eis convenire permittant; neque patiantur ibi judicia exerceri; cum mulieribus suspectis colloquia haberi; convocationes, parlamenta, comessationes, aut potationes fieri; neque in porticis, aut vestibulis, seu scalis venale quidpiam exponi.

CAP. IV.

Prohibeatur ingressus ecclesiarum delinquentibus, & facinorosis hominibus, præter quam in casibus a jure concessis; & ad domum orationis accedentibus interdicatur Balistas, Solopeta, vel hastas armatas deferre, vel etiam canes venaticos, accipitres similesque aves in manibus tenere. Noctu absque ordinarii licentia in scriptis danda vigilare non permittant, & eo casu, neque cantilenæ, aut choreæ ducantur.

CAP. V.

Dum clerici divinis incumbunt, ne ab aliquo impediantur, curent episcopi, ut loca clericorum usui destinata a laicis non occupentur, sed seorsim a clericis omnino divinis intersint. Nec chorum ad psallendum institutum occupent

CAP.

CAP. I.

De cultu sanctarum ecclesiarum, earumque veneratione.

Optamus in quavis ecclesia Ss. Crucifixi imaginem in loco conspicuo, inter altare majus, & populum inveniri, atque eo magis ornatum, quo ecclesia ipsa erit insignior. In ecclesiis vero minoribus, ubi commode id fieri non poterit, relinquitur ordinarii arbitrio.

CAP. II.

Ecclesiæ parochiales reparatione aliqua indigentes reparentur ab eis, qui de jure, atque consuetudine dioecesis tenentur: præfigaturque ab ordinario eis tempus, sub certa poena infligenda termino reparationis transacto.

CAP. III.

Ecclesias vero curatas, seu non curatas ferme collapsas episcopi restaurandas curent, juxta sac. canonum dispositionem, & sacr. concilii Tridentini formam, ibidem oratoria erigendo, vel si non videbitur expedire in alia transferant ecclesias, vel ibi sub titulis sanctorum, quibus antea ecclesiæ erant, altare construatur, & pro reddituum qualitate divinus cultus statuatur; ita tamen, ut in area dirutæ ecclesiæ signum Crucis erectum semper appareat.

CAP. IV.

Sint ecclesiæ prædictæ dealbatæ, parietibusque nihil immundum, aut profanum nihil adhæreat, ne sacra profanis misceantur. Tectum non sit pluviosum, pavimentum sit integrum, & non deformetur pro sepeliendis mortuis; fenestræ habeant specularia sua saltem linea, & prospicientes in ecclesia tollantur sub poena arbitrio episcopi proponenda; nisi forte ex legitima causa in ecclesiæ fundatione concessum aliter fuisse constet.

CAP. V.

Altaria sint lapidea, aut lateritia, ita extructa aut concinnata, ut fenestrellæ foramenve nulla ex parte relinquatur, ubi quidquam asservari possit, aut recondi; & sint altitudinis a scabello ligato, vel pradella palmorum quatuor, longitudinis vero minus palmorum sex, latitudinis autem palmorum trium.

CAP. VI.

Habeat unumquodque altare iconam, vel saltem picturam in pariete, Crucem, candelabra duo, cartulam cum secretis, petram sacratam, quæ sit ita lata, ut calicem cum hostia capere valeat, tobaleas tres, quarum una ad planum usque pertingat, aliæ duæ, quæ divisæ sint, totam mensam contegant, alia vero tobalia cerulea superponatur, ut a pulvere defendat cosinia, quæ integumenta & super altaria conservantur. Telare ligneum, ubi pallium possit comode affigi. Scabellum ligneum, vulgo pradellam. Tegumen ex asseribus. aut tela cerulea, honeste picta confectum totum altare tegat; fenestrellam in pariete a parte epistolæ apte constructam, ad aquam excipiendam ablutionis manuum sacerdotis celebrantis, & ad pelvim cum urceolis collocandum: habeant calices, & alia instrumenta, paramenta, & ornamenta congrua ad missam celebrandam.

CAP. VII.

Nullum altare impositum ædificetur, cui quidquam ex supradictis requisitis desit, ac sine licentia ordinarii in scriptis habita; & constructa altaria, si dotata sint per eorum rectores, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, episcopi curent ne aliquid usurpentur; ea vero quæ non sunt dotata, vel ab eis a quibus erecta fuerint instaurari & ornari, juxta præscriptam formam, vel amoveri curent.

CAP. VIII.

Unumquodque altare amoveatur, quod ædificatum sit ad columnam vel pilam, vel ecclesiam ullo modo impediat, vel plane non respondeat aut respondere possit formis & regulis subscriptis; si tamen episcopo in actu visitationis videbitur, id commode & sine scandalo fieri posse.

CAP. IX.

Sacristiæ habeant vestiarium ad paramenta, & alia conservanda, oratorium loco positum quantum fieri poterit, separatum, & disiunctum, in quo sacerdos in solitudine se colligere, & orare valeat, & ad ipsum oratorium in pariete orationes ad id propriæ affixæ sint; labellum, cum manutergio ad manus abluendas & abstergendas ante, ac etiam post Missæ celebrationem; cartulam cum oratonibus sacro unicuique indumento accommoda tis, quos attente recitet sacerdos cum sacras ipsas vestes induit, & exuit.

CAP. X.

Confessionalia tot habeat unaquæque ecclesia, quot habet confessores, & ponantur in locis conspicuis, atque apertis, ut sint in omnium oculis collocata; & confessarius, & confitens possit ab unoquoque facile conspici; sitque cum tabula interposita, quæ habeat fenestrellam cancellatam, ut solum audiri, sed videri non possit. In quibus confessionalibus sint affixi casus reservati tam a summo pontifice, quam episcopo, una cum forma absolutionis.

CAP.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. XI.

Vas pro aqua benedicta in ecclesia sit, non extra, & in ingressu ad unamquamque portam a dextris, non a sinistris introeuntium, marmore constet, vel petra solida non lateritia, columnella, vel alia base constructum sit, Aspersorium habeat appensum non ex spongia, sed ex setis confectum.

CAP. XII.

Sepulcra marmore vel petra solida confecta sint adeo compressa, ut inde malus odor exire nullo modo possit, alioquin humo impleantur adæquato solo, ut nullus in eis amplius sepeliatur. Sepulcrorum vero quæ inposterum ædificabuntur, ostium longe absit ab altaris scabello ligneo, vel pradella ad minus palmis quatuor. Verum episcopi curent omni ratione, ut antiquus & probatissimus sepeliendi in cemeteriis mos instituatur, neque sepulcra nova in ecclesiis ædificentur absque licentia in scriptis obtenta.

CAP. XIII.

Cæmeteria ita claudantur, ut in ea brutis impediatur accessus, & ab herbis tertio quoque mense expurgentur, & in eis arbores, aut vites non plantentur. Episcopi vero prænarrata omnia poenis eorum arbitrio imponendis observari faciant.

CAP. I.

De Campanis.

Campanæ deserviant ad convocandum populum in ecclesia, & clerum ad annuntiandum mane misericordiam Domini, & veritatem ejus per noctem, & ad enunciandum prædicationem, ad significandumque esse mortuum, ad hoc ut populus audiat, & pro eo oret; benedicantur per illarum tactum, & sonitum fideles, invicem invitentur ad præmium, & crescat in eis devotio fidei, fruges, mentes & corpora serventur, & omnes insidiæ inimici procul pellantur, procellæ turbinum, impetus tempestatum & fulgurum temperentur, infestaque tonitrua, & ventorum, procellarum, aerisque tempestates prosternantur, & spiritus nequam effugentur, & ut ad hoc audientes confugiant ad sanctæ Crucis vexillum, cui omnes genuflectant; quare principes, & magistratus etiam hortari oportet, ut campanis, quæ ecclesiarum usui sunt deputatæ ad profanos usus, & poenarum significationem, maxime si consecratæ sint, uti non patiantur.

Psal. 91.

CAP. II.

Dum in majori Missa Eucharistia elevanda adoratur, campanæ magnæ signum detur, quo fideles extra ecclesiam existentes ad ejus venerationem excitentur, eoque audito genuflectant, & ad spiritualem ejusdem sanctæ Eucharistiæ manducationem invitentur. Ter in die pulsetur magna campana pro salutatione sacratissimæ Virginis, videlicet, primo mane, meridie, atque sero. Prima vero hora noctis ab horologio significata, pulsetur altera campana tribus vicibus continuatis ad excitandos fideles ad orandum pro fidelibus defunctis.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. I.

De sacramentis eorumque administratione.

Studeant episcopi, ut in sacramentis administrandis omnes ritus, & consuetudines serventur, quæ sanctæ Romanæ ecclesiæ aliarumque matris, & magistræ conformes sint, in dictis etiam si opus erit eorumque arbitrio poenis. Perinde in exorcismis, & cathechismis baptismalibus, aliorumque omnium ministerio, ac cæteris quibuscumque ad divina pertinentibus ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ cæremoniæ observentur.

CAP. II.

Sacramenta insuper quæcumque, ne ad alium usum, quam ad eum, cujus causa sunt a Domino instituta ab aliquo convertantur, vel alicui concedantur, episcopi parochos admoneant; si quis autem, vel eis abusus fuerit, vel alicui eadem abutenda tradiderit ordinarii arbitrio puniantur.

CAP. III.

Sacra olea anno quolibet ab episcopo conservanda statuto tempore, plebani per dioeses constituti ab eorum matrice ecclesia recipiant; & ecclesiis sibi commissis, primo quoque tempore distribuant, nisi aliud pro locorum distantia, vel ecclesiæ qualitate episcopis ex causa videatur, quacumque consuetudine non obstante.

CAP. IV.

Ministri ad quos oleorum distributio spectat, caveant, ne quid accipiant pro illorum receptione, etiam sponte datum, sub poena suspensionis, quacumque consuetudine etiam immemorabili non obstante.

CAP. V.

Oleis sanctis, sanctoque chrismate veteribus, postquam nova fuerint consecrata, nullus utatur, sub poenis a sacris canonibus statutis. Ad ipsa vero sacra, & nova olea accipienda, & ferenda, nonnisi clerici in sacris constituti destinentur, ut sacra ab eis (qui sunt divinis muneribus deputati) deferantur.

CAP.

ANNO CHRISTI 597.

CAP. VI.

Ne forte autem propter irreverentiam sacramentorum ira Dei contra ministros desæviat, & ne ad ea, quæ ad salutem proposita sunt; temeraria manus extendi valeat ad aliqua horribilia, & nefaria exercenda, olea sancta, sanctumque chrisma tanta reverentia, & diligentia custodiantur, ut claves eorum parochus tantum apud se retineat, & conservare studeat, neque alteri, nisi ex urgenti necessitate committere audeat, ne illis abutendis facilis occasio relinquatur. Si quis autem hac in re negligendo deliquerit, gravi poena ab ordinario puniatur.

CAP. VII.

In administrandis sacramentis sacerdotes superpelliceum, & stolam adhibeant; ne aliquid pro eis exigant a quoquam: post collationem autem eorumdem sacramentorum laudabilis consuetudo servetur, ita tamen ut non exigatur per spiritualem subtractionem, sed ad vitandum populi scandalum mitius agatur, ne pereant infirmi fratres, pro quibus Christus mortuus est: curent autem sacerdotes; ut mundi a mortali peccato sacrosancta sacramenta administrent.

CAP. I.

De sacramento baptismi.

Sacramentum baptismi nonnisi in ecclesia, & a sacerdote solemni ritu administretur, nisi immineat urgens necessitas, ac vitæ periculum; tunc vero hoc munus omnibus promiscue petmissum est, modo mulier, si mares adsint, laici præsentibus clericis cedant, & clerici sacerdotibus; & ecclesiæ forma, & debita materia naturalis aquæ utantur: quamquam obstetrices, quæ baptizare consueverunt, non sunt improbandæ, si interdum præsente aliquo viro, qui hujus sacramenti conficiendi minime peritus sit, id exequantur.

CAP. II.

Parochi admoneant obstetrices, ne jamjam natos infantes passim audeant baptizare, nisi imminente periculo, & ubi sacerdotis, vel clerici, vel laici copia opportune haberi nequeat; quas verò post admonitionem secus facere deprehenderint, ad ordinarios deferant munere obstetricandi privandas, aliisque pœnis arbitrio ordinarii afficiendas.

CAP. III.

Obstetrices, ab ordinario, vel a parocho examinentur, an veram baptismi formam probe noverint: doceantur etiam ne quid novæ formæ vel materiæ addant, aut detrahant, neque sal aquæ necessario admiscendum arbitrentur. Quas vero formam baptizandi ignorare deprehenderit, obstetricis munus exercere non sinat, sed quamprimum privatam esse declaret, certis statutis pœnis secus facienti.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. IV.

Quoniam vero ex characteris vi, & natura definitum est ab ecclesia baptismi sacramentum nulla ratione reiterandum esse; proinde ad evitandum errorem præcipitur omnibus baptizaturis, ut cum delatus infans fuerit ad ecclesiam baptizandus, deferentes interrogent, fuerit ne ille domi baptizatus? & si pro certo confirment non fuisse baptizatum, adhibita forma ecclesiæ simpliciter sine ulla verborum conditione dicant: *Ego te baptizo &c.* Si autem testentur, aut certo sciatur puerum baptismum in ædibus privatim suscepisse; sacerdos adhibeat tantum ritus, ac cæremonias baptismi, nec proferat ullo modo formam, nec infantem abluat, sed dicat: *Quia tu es baptizatus, ego te benedico in Nomine Patris, & Filii, & Spritus Sancti. Amen.* Sed si res ita dubia sit, ut vere nesciatur, an sit baptizatus, tunc minister præmissis ritibus, ac cæremoniis, conditionaliter hæc verba tantum proferat: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

CAP. V.

Baptismus quam primum fieri poterit infanti detur, tum quia pericula multa imminent teneræ adhuc ætati, tum quia indignum profecto est, ut adoptione filiorum Dei humana aliqua ratione diutius fraudetur. Proinde parentes, & ii, quorum ea cura est, quantocitius infantem ad suscipiendum baptismum in ecclesia, vel catechismum & exorcismum deportandum curent, quod si neglexerint, excommunicationis poenam subeant.

CAP. VI.

Parochus ad tenendum infantem, seu esse patrinum in baptismo neminem admittat qui excommunicatus sit. Si vero parochi culpa, vel negligentia secus in prædictis factum fuerit, arbitrio ordinarii puniatur.

CAP. VII.

Curent episcopi, ut sacri baptismi fons sit non de petra lateritia, sed ex marmore; & si petra reperiretur, quæ tuta non sit & aqua effluat, vas in eo æneum stamneatum ponatur, quod ejusdem magnitudinis sit ac petra ipsa, illudque stricte undique & apte tangat, eique conjunctim adhæreat; atque id donec alia petra tuta comparetur: quod erit curandum, ut quamprimum fiat; & fons ipse in cathedralibus cancellis obseratus, & in loco ecclesiarum omnibus conspicuo sit. Si quid non impedierit, operimentum, quod ciborium appellatur, habeat, & ita aptum, ut sacra olea atque alile ad baptizandum necessaria commode illic asservari possint, & conopeo tegatur,

ANNO CHRISTI 1597.

Habeat vas vitreum cum ansula pro effundenda aqua super capita baptizatorum. A Vasa sacrorum oleorum usualia sint saltem stamnea, munda, & nitida.

Sacrarium in pariete excavatum sit, vel in columnella juxta ipsum fontem erecta: & eodem septo plane, & fons ipse, & sacrarium claudatur.

Septum, si ferreum vel lapideum esse non poterit, ligneum constituatur.

Habeat picturam in pariete (ubi commode fieri poterit) Sancti Joannis Christum Dominum baptizantis, & omnia ea ornatiora & decentiora sint interius, & exterius, quo ecclesia ipsa insignior erit; & quanto magis fieri potest decenter instructum sit.

CAP. VIII.

Prohibemus autem omnino, quo tempore sacrum baptisma celebratur, ne baptismalis aqua, vel sacrum aliquod oleum a laicis personis quoquomodo tangatur, neque linteola, quibus absterſum fuerit infantis caput, alicui lavanda tradantur, aut alia hujusmodi fiant; improbantes praeterea abusum illum transmittendi chirothecas, sive etiam aquam benedictam compaternitatis, quocumque consuetudine etiam immemorabili non obstante; declarantes nulla alia ratione spiritualem cognitionem contrahi, C quam apud sacros canones sancti concilii Tridentini decreto comprehensos.

CAP. IX.

Sacerdos, qui extra ecclesiam necessitate aliqua non imminente, sed vel parentum nobilitatis intuitu, vel aliqua alia ratione sacrosanctum baptisma celebraverit, tandiu suspensus maneat, quandiu episcopo videbitur, & ejus arbitratu satisfecerit.

CAP. X.

Provideant etiam episcopi opportune, dum D administratur sanctum baptismi sacramentum, ne risus, clamores, atque alia id genus in ecclesia, vel extra ea de causa fiant; sed quod adstantes devote, & cum silentio, atque orantes interſint. Abusus vero quicumque circa hujusmodi sacramenti formam irrepserint, praesentis decreti authoritate quamprimum tolli curent.

CAP. XI.

Parochi, ex sacrosancti concilii Trident. decreto, pie doceant fideles, quae cognatio, inter quas personas per hoc sacramentum contrahatur, & ad quid patrini erga E susceptos teneantur, quique admitti possint, & ex praescripta verborum forma ab episcopis eis tradenda. Hortenturque mulieres, ut quamprimum post partum ex lecto surrexerint, gratias Deo acturae, & benedictionem a sacerdote accepturae ad ecclesiam se conferant.

CAP. XII.

Liber habeatur ac sedulo custodiatur, in quo baptizatorum nomina, & cognomina, tam parentum, atque compatrum baptizantis manu conscribatur; & an ex legigitimo matrimonio infans natus sit, quove die natus & baptizatus fuerit; alioquin rector episcopi judicio mulctetur, & copia libri singulis annis episcopo deferatur, in episcopali archivio conservanda.

CAP. XIII.

Prohibeatur postremo vulgatus illorum B usus, qui ad suum arbitratum compatres, aut commatres vocantur, sed ii tantum hoc sibi nomen sortiantur, qui in baptismo, vel confirmatione patrini fuerint.

CAP. I.

De confirmationis Sacramento.

Si in sacramento confirmationis explicando pastorum diligentia requirenda unquam fuit: nunc plane opus est illud quam maxime illustrare; cum in sancta Dei ecclesia hoc sacramentum a multis, aut praetermittatur, aut parvi fiat, & perpauci reperiantur, qui divinae gratiae fructum, quem deberent, ex eo capere studeant. Ideo episcopi priusquam confirmationis sacramentum administrent per octo dies antea praemonere curent omnes confirmandos, ut ad sacramentum percipiendum digne se praeparent, atque per se, aut per alium ejus vim, dignitatem, & mysteria dilucide studeant explicare, denunciantes, ex eo inter confirmantem atque confirmatum, illius patrem & matrem & tenentem eandem cognationem spiritualem nasci, nec minoris aestimandam quam quae ex baptismo gignitur; ac propterea inter eos carnale matrimonium contrahi non posse, & cetera, quae sacrosanctae Trident. synodi traduntur decreto.

CAP. II.

Infantes minores septennio non confirmentur, atque illi tantummodo adulti, vel parvuli ungantur, quos antea fuisse confirmatos ignoratur: ne sacramentum hujusmodi reiterari contingat, quod episcopi populos cavere omnino studeant.

CAP. III.

Adultos praemoneant qui in aetate confirmandi sunt, si hujus sacramenti gratiam & dona consequi cupiant, non solum fidem ac pietatem afferre, sed graviora etiam peccata, si quae admiserunt, ex animo dolere ac delere opus esse. Ideo admoneantur adulti, ut facta prius peccatorum confessione, atque accepto sanctissimo Eucharistiae sacramento jejuni ad confirmationis sacramentum suscipiendum se conferant.

CAP.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. IV.

Curent præterea episcopi, ut parochi parvulorum confirmatorum parentes admoneant, eos postquam adoleverint ea de re certiores facere, ne parentibus postea defunctis, an confirmationis sacramentum susceperint dubitare contingat; & confirmatorem nomina adnotentur, & in peculiari libro conscribantur, quem unusquisque curatus habere procuret, ut sicuti baptizatos, sic confirmatos annotent; & si secus fecerit arbitrio episcopi mulctetur.

CAP. V.

Confirmatorum frontes, antequam ab episcopo recedant, ad sacramenti reverentiam, bombace vel panno lineo abstergantur, curentque episcopi ipsi, ne sacramentum hujusmodi minus honorifice tractetur; ac præterea pueros a se ipsis minus quam decet, absterſos nullo pacto, dimittant abususque; si quos forsan in hujus sacramenti administratione perspexerint, prorsus tollant. Ideo extirpentur illi abusus per auricularum infantis contactum, vel linteorum ablutionem, seu fasciæ solutionem, seu per aliam superstitionem, vanumque ritum contrahendæ compaternitatis; & doceatur populus per susceptionem baptizati in baptismo, & confirmati in confirmatione tantum contrahi cognationem, atque eandem ex utroque sacramento, indeque matrimonii nasci impedimentum.

CAP. VI.

Excommunicatis ac eo anno in Paschate non confessis, quive salutarem communionem minime susceperint, confirmandorum patrinos esse nullo modo liceat; & secus facientes ab ordinario poena arbitraria puniantur.

CAP. I.

De sacramento Eucharistiæ.

Cum in sacratissimo communionis sacramento, a Patribus synaxi appellato, totius sanctitatis auctor & fons realiter contineatur, ut tanti tamque magni thesauri participes efficiamur, & in Deum ipsum transformemur, concorporales effecti, pignus futuræ gloriæ, hoc est perfectissimæ unionis, sub signis visibilibus tenentes, rogamus, ac per viscera misericordiæ Dei nostri monemus parochos, & concionatores, ut populum ad frequentem Eucharistiæ susceptionem ardentius hortentur; ut sacrosancta Tridentina synodus optat, & admonet.

CAP. II.

In altari majori, (ubi id commode fieri poterit) alias in loco decenti, & honorifico omnium cathedralium, collegiatarum & aliarum curatarum ecclesiarum sanctissimum hoc Sacramentum reponatur in Tabernaculo, saltem ligneo, picto & deaurato, veloque serico contecto, & intus ornato, bene & tute clauso, cujus claves a nemine præterquam a parocho, vel a sacrista in ecclesiis majoribus teneatur, vacuo a reliquiis, vase olei infirmorum, atque aliis, ut scilicet omnino nil aliud in tabernaculo conservetur, quam vas, ubi sacrosanctum Corpus Domini reponitur.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. III.

Vas autem, in quo Christi Domini sacratissimum corpus in tabernaculum reponitur, sit argenteum, deauratum, & interius corporale undequaque munitum, eodemque substratum: mandentque ordinarii bis, terque in mense pro temporum qualitate renovari, ut ad minus decimoquinto quoque die innovetur; & coram illo lampas in conspicuo, non a latere perluceat; quæ si negligentia parochi, aut avaritia corrupta, & extincta reperiatur, episcopi arbitrio parochus puniatur.

CAP. IV.

Cum infirmis hoc sacrificum viaticum deferri contigerit, prius dato signo campanæ majoris ter pulsatæ, ut fit in salutatione Angelica, & ad convocandum populum postea nonnullis ictibus datis, & dum per urbes, e oppida defertur, superposita umbella tegatur, & quamplurimis luminibus associetur, tintinnabulo semper præcedente, tam eundo, quam redeundo. Episcopi vero, & monitis, & indulgentiarum promulgationibus, fideles vehementer excitent, ut quam frequentissime, ac devotissime illud cum omni devotione venerentur; & in qualibet parochiali ecclesia sit una lanterna honorabilis aurata cum suo baculo in usu habenda, ne in itinere, aut ventorum turbine, aut nimborum vi lumen deficere unquam contingat.

CAP. V.

In quibusvis parochialibus ecclesiis, ubi non fuerit societas Corporis Domini N. Jesu Christi, quamprimum instituatur, etiam institutas societates episcopi favoribus prosequantur atque amplificent, & quatenus opus sit, reforment; nil quod ad tanti Sacramenti cultum pertinet, omittant.

CAP. VI.

Ut autem parochi discernere valeant, quinam tempore Paschæ, hoc est a feria quinta in Coena Domini, usque ad octavam Dominicæ Resurrectionis sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, distribuant communicantibus aliquod impressum symbolum seu tesseram, qua communicantes a cæteris internosci queant, faciantque parocho fidem; proinde quisque parochus observet, & in scriptis redigat, & non communicatorum notulam quam primum ad episcopum singulis annis deferat: qui postquam vere contumaces ter a die sancto Paschæ usque ad Pentecostem cujusque anni

Omnis utriusq. sexus de pœnit. & remiss.

ANNO CHRISTI 1597.

generatim admoniti publice fuerint, eorum nomina primum in cathedralium ecclesiarum valvis affixa, tum in propriis parochiis denunciari episcopi curent, ac deinceps ab ecclesiæ ingressu, ex decreto concilii Lateranensis inobedientes hujusmodi arceantur, sub poenis episcoporum arbitrio contra eos statuendis; quos si interea decedere contigerit, juxta Lateranensis concilii decretum in ecclesiis vel eorum cœmeteriis sepeliri prohibemus.

CAP. VII.

Ne autem fraus aliqua fiat, qui tempore Paschatis domo abfuerint, nisi veram fidem authenticam habeant de suscepta alibi communione; quamdiu in propria parochia Eucharistiam non sumant, cum iis, qui præsentes sumere neglexerunt eadem prædicta poena puniantur: qui vero extra propriam parochiam in Paschate Eucharistiam sumpserint absque licentia parochi habeantur ac si non communicassent.

CAP. VIII.

Regulares autem qui Eucharistiæ Sacramentum eo tempore administrare præsumpserint, contra quod dictum est, sciant ipso facto excommunicationis sententiam se incurrisse, a Sancta Sede Apostolica tantum absolvendos; & statim per ordinarios pro excommunicatis publicandos, juxta constitutionem Clementis Quinti; salvis tamen in omnibus indultis ac privilegiis Apostolicis per eamdem sedem Apostolicam non derogatis.

Clem. 1. de priv.

CAP. IX.

Hoc vero sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, (ubi id ecclesiæ qualitas, & amplitudo patiatur) masculis separatim a fœminis administretur. Adolescentes vero ad hujusmodi Sacramenti usum non admittantur absque diligenti parochorum inquisitione, num ea discretione sint præditi, quæ in tanti sacramenti perceptione requiritur. Et ipsi parochi hortentur fideles, ut Sacramentum hoc tot spiritualibus gratiis refertum, saltem solemnibus anni diebus frequentare studeant.

Conc. Trid. sess. 13. c. 8. de prec. adhib. ut quis digne Eucharistiam percipiat.

CAP. X.

Cumque multi reperiantur, qui in concubinatu, usuris, aliisque notoriis peccatis perseverantes & scandalosi, aut obligati ad restitutionem bonorum persistant, se omnino ad meliorem vitæ frugem reducere, aut infra terminum competentem sibi assignatum juxta facultates suas satisfacere, & promissa non exequantur; ideo hæc synodus decrevit, ut publici concubinarii, usurarii, fures, blasphemi, & alii hujusmodi facinorosi homines, si semel ad poenitentiam, & communionem admissi fuerint, & postea in eodem peccato permanere, & adhærere cognitum sit, amplius ad communionem non recipiantur, nisi postea eos vitam & mores emendasse parochi compererint.

CAP. I.

De vitali Missæ Sacrificio.

Ad tremendum altaris sacrificium non immundi accedant sacerdotes; sed prius sacramentali confessione conscientiam purgarent; cum confessarii copiam habeant cur, id facere omnino teneantur: hoc autem facto, missam prævideant: quo decet habitu, & gravitate altare, in quo ornandum sit, jejuni adeant: nihil missæ celebrationi extraneum superponant: annulos digitis non gestent, nisi qui de jure vel privilegio gestare possint: clericam patentem, barbamque supra labium concisam habeant: luminibus accensis reverenter ac attente missam incipiant: Gloriæ chartam ante se teneant, secreta premurose pronuntient, caveantque ne quid erroris, quo fidelium devotio offendi possit, contemptu, vel negligentia committant. Quæ ut ita fiant, & omnia, quæ ad sacrificium missæ necessaria sunt, munda, nitida, & qua decet diligentia a sacerdotibus custodiantur, episcoporum cura erit.

CAP. II.

Abusus atque superstitiones, uti certus candelarum numerus, & similia, si qui in missarum celebratione irrepserint, ex sacrosancti concilii Triden. decretis episcopi poenis eorum arbitrio præpositis omnino tollant. Quæstus missarum intuitu, dum peraguntur aliquid extorqueri, vel aliter pacisci, neve in missis importunas oblationes, & eleemosinas quæritari, & omnia profana tollantur. Prohibeant episcopi, ne a Græcis Latino modo, & a Latinis Græco, & ab omnibus vulgari idiomate persolvantur.

Sess. 2 de ob & ev celeb Miss.

CAP. III.

Episcopi, & parochi tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent. Hi vero, qui ex beneficii institutione atque consuetudine, aliaque quavis causa anniversaria, & pro mortuis missas dicere teneantur, munus suum per episcopos gravibus indictis poenis, etiam amissionis fructuum & hujusmodi beneficiorum privatione adimplere compellantur, ne majorum animæ debitis fraudentur suffragiis, Sed ut etiam presbiterorum necessitatibus, quibus a testatoribus exigui redditis tenuesque eleemosinæ relictæ ac legatæ fuere, excessivo celebrandarum missarum onere adjecto; adeo quod eorum voluntati satisfacere nequeant; ex sacrosancti concil. Trid. decreto consulamus, convenientsque sit, ut qui altari servit de altari vivere debet, talia legata, & pia relicta ad ducatos sex pro qualibet missa hebdomadibus per annum celebranda reducimus atque taxamus; ea tamen lege, ut defunctorum legantium semper in missis habeatur commemoratio

Conc. Trid. 23. c. de re

Con

ANNO CHRISTI 1597.

Confirmatur, per hoc provinciale concilium decretum menſibus elapſis per Illuſtriſs, & RR. archiepiſcopum latum in favorem Capituli Amalphitani, presbyterorum terræ Tramonti, & congregationis terræ Aicrolæ circa taxam miſſarum pro ſupradictis tantum. Diaconos deinde ac ſubdiaconos hortamur, ut & diebus quibus altari inſerviunt, ſinguliſque ſaltem menſibus ſalutarem Euchariſtiam ſumant: minoribus vero ordinibus initiatos ſolemnioribus feſtivis anni diebus.

CAP. IV.

In cathedralibus, & collegiatis, aliiſque omnibus eccleſiis (ubi id fieri conſueverit) ſingulis diebus miſſa cantata celebretur, ſub poenis epiſcoporum arbitrio imponendis; firmis tamen remanentibus ipſarum eccleſiarum laudabilioribus conſuetudinibus, ubi plures una ſingulis diebus oantari, totuſve clerus convenire ſolet, quibus derogare non intendimus.

CAP. V.

Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. c. 2. de ſac. Miſſ.

Parochos, & concionatores moneant epiſcopi, ut frequenter fideles edoceant, qua animi devotione, & corporis compoſitione ſacroſancto miſſæ ſacrificio attendere, quave meditatione Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti myſteria animo volvere, ac Deo gratias agere debeant genuflexi; præſertim vero dum immaculati agni corpus in altari manſerit, nudatoque capite altari non averſi, neque ita proximi, ut celebranti moleſtiæ eſſe poſſint; nec extra eccleſiam, vel in feneſtris, ſed intus, locoque condecenti, a quo ſacerdotem facile audire queant; indeque non recedant, niſi peracta miſſa, habitaque a ſacerdote benedictione. Edoceant inſuper quomodo graviter peccent pater, atque mater familias, impedientes filias, famulas, famuloſque curam familiarem agentes, ne feſtivis diebus miſſis interſint; omnes hortentur, ut prædictis diebus propriam parochialem adeant, divina, parochique monitiones, atque conſilia audituri, prout ex ſacroſanctis concilii decretis tenentur.

Seſſ. 22. de obſerv. & evit. in celeb. Miſſ.

CAP. I.

De poenitentiæ Sacramento.

Poenitentiæ Sacramentum ex ſacroſancti conc. Trid. & bullæ ſanctæ mem. Pii V. decreto, nullus ſacerdos, qui parochus non ſit, vel extra neceſſitatis caſus, ſub excommunicationis, & ſuſpenſionis pœna & cenſura adminiſtrare audeat: niſi a locorum ordinariis examinatus approbatuſque fuerit, ac licentiam in ſcriptis gratis concedendam obtinuerit. Qui vero ad confeſſiones audiendas admiſſi erunt, quorum nomina (ut ab omnibus dignoſcantur) publice proponi curent epiſcopi, atque parochi, canones poenitentiales ſcire conſtudant, quibus, eorum notificatis pœnis, pœnitentes a peccatis abſterrere, iiſque modificatis ad ea deflenda, & in futurum evitanda, & ad pœnitentiam ab eis injungendam libentiori animo ſuſcipiendam induci valeant: a caſibus reſervatis (ubi periculum mortis non imminet, & ubi minores quatuordecim annorum non ſunt pœnitentes) omnino abſolvere abſtineant. Caſus ipſos ſingulis annis in quadrageſimæ initio ab epiſcopis requirant, eoſque, & alia, in quibus ipſo jure incurritur excommunicatio pœnes ſe retineant, & pœnitentes ipſis innodatos ordinariis; ſeu ab eis deputatis poenitentiariis, vel ſedi apoſtolicæ remittant. Uſurarios, uſuris non reſtitutis, & ſatisfactioni reali obnoxios, non abſolvant, niſi prius ſatisfecerint; vel ſi egeni, cum ad pinguiorem fortunam pervenerint, ſi ægroti, cum convaluerint. Si autem morientur, per hæredes ſatisfacere promiſerint. Notarios pariter contractus uſurarios, alioſque illicitos ſtipulantes, ſeu legata pia celantes, publicoſque delinquentes (niſi reſipiſcant) non abſolvent. Mulierum in eccleſia ſolum (dempta infirmitatis cauſa) foribus patientibus, non ante ortum, neque poſt occaſum ſolis confeſſiones audiant: nihil pro confeſſione audienda a pœnitentibus petant, neque eleemoſinas pro peccatorum ſatisfactione imponendas ſibi ipſis, vel propriis eccleſiis applicent, ſed eorum liberæ diſpoſitioni dimittant. Sponte tamen oblatum modeſte accipiant, nec aliquod avaritiæ ſignum oſtendant; ſummam aliquam caſuum conſcientiæ, & confeſſionalia approbata habeant, eorumque lectioni vacent, ut muneri injuncto pie, atque laudabiliter ſatisfacere valeant.

CAP. II.

Hæc autem a confeſſariis vitentur: ne confitentes otioſis interrogationibus aut inutilibus detineant; idque præcipue caveant, ne pueri, & puellæ, cæterique rudes, de eo quod ignorarint, imprudenter interrogati inſtruantur; verbo aut ſigno confeſſiones non prodant, vel revelent, pœnitentias graviores, quas veriſimile eſt non eſſe adimplendas evitent. Pœnitentem neminem in confeſſione audiant, niſi genuflexum, quicumque ille ſit, ſi tamen per valetudinem hoc facere valeat. Confeſſarius non ſtando, ſed ſedendo audiat confeſſiones, atque abſolutionis beneficium, ſive laico, ſive clerico pœnitenti impertiatur. In his vero, atque aliis ſimilibus, confeſſarii delinquentes arbitrio epiſcopi, & conſcientia ſeveriſſime puniantur.

CAP. III.

Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de confeſ. & can. 8.

Populum bis, aut ter in Dominicis Quadrageſimæ per parochos, & concionatores ad confeſſionem invitare, eumque quo ordine, & animi dolore, qua præparatione, quid, quare, & cui peccata ſua manifeſtare habeat; quave poena in Paſchate non ſuſcipientes pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ ſacramenta afficiantur, edoceri, monerique, ac decretum ſactoſancti Lateranenſis concilii, incipiens: *Omnis utriuſque ſexus;* etiam (cum

ANNO CHRISTI 1597.

(cum opus sit) vulgari idiomate fideliter translatum evulgari mandent episcopi, ut nulla obstante excusatione contra inobedientes post Paschæ octavam ad juris, & arbitrii pœnas procedere valeant, qui majori, quam fieri poterit Confessorum addita copia, ne eorum culpa, & defectu accidat, id effici curabunt; qui durante tempore Quadragesimæ, & præsertim Parochi, & qui curam animarum habent personaliter quotidie per horam saltem in Ecclesia superpelliceo, & stola indutl ad confessiones audiendas præsto sint.

CAP. VI.

Quia vero, sæpe contigit, confessarios propter ignorationem bullæ, quæ singulis annis in die Cœnæ Domini legi consuevit, a casibus Sanctissimo D. N. reservatis frustra, & inutiliter absolvere; idcirco episcopi confessarios quoscumque, tam sæculares, quam regulares transumptum bullæ prænarratæ apud se habere curent, sub pœna peccati mortalis, & juxta Apostolici mandati formam præfatam bullam semel saltem in anno ad Christifidelium notitiam deduci, atque solemniter publicari (dum major in ecclesia populi multitudo convenerit) legi faciant, atque ita distincte, & aperte declarari, ut casus in ea expressi omnibus innotescant, idemque per eorum Diœceses fieri mandent, eadem bulla ad faciliorem, & populi, & clerici intelligentiam per capita comprehensa, & in summarium redacta lit.

CAP. V.

Die 18. Martii 1566. an. 1.

Medici, cum ad alicujus infirmi curam in lecto jacentis accersiti erunt, juxta Inn. III. constitutionem, statim eum monebunt, ut medicum spiritualem vocet, a quo medicinam animæ recipiat, nec eum ultra duas vices inconfessum visitabunt, nisi aliter confessario (cujus conscientiam gravamus) visum fuerit; quodque ut adimpleant medici sub pœnis in Diplomate sanctæ memoriæ Pii V. contentis, eis mandent episcopi, ut infra tempus ab ipsis præfigendum in eorum manibus se prædicta observaturos esse jurent polliceanturque: Parochi præterea qualibet hebdomada frequenter perquirant, an in Parochia sint infirmi, ut eis auxilio spirituali præsto esse possint.

CAP. I.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Clem de Priv.

Ut sanctæ Unctionis extremæ sacramento debita observantia exhibeatur; statuimus sanctum Oleum infirmorum in tuto ac honesto loco, & in Vasculo argenteo, vel saltem stamneo, non autem ligneo, neque vitreo, juxta facultatem Ecclesiæ asservandum, ab aliis sacris Oleis distinctum, & in pixide eleganti forma confecta, velo serico super impositio ad infirmos deferendum: Hoc autem sacramentum nemo extra necessitatis articulum administrare audeat præter Parochum vel alium ejus petmissu, qui superpelliceo, & stola indutus, ministroque associatus sit.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. II.

Curent autem Parochus, ut hoc sacramentum ægroto, dum integer est sensibus conferat, neque in quendam articulum temporis deferatur, in quo infirmus sensu omni caret, spequc recuperandæ sanitatis; sed dum mentis compos est, & sensus adhuc vigent ungatur, ut in Deum mentis elevatione, animique fervore feratur, & uberiore fructu recreetur: sublevatus enim, & morbi incommoda, laboresque levius feret, & tentationibus Dæmonis calcaneo ejus insidiantis facilius resistet, & sanitatem corporis interdum (ubi animæ expedierit) consequetur.

CAP. III.

Conc. Trid. sess 14. c. 3. de sac. Extr. unctionis.

Quoniam vero Parochi sæpe dubitant, quinam potissimum hoc sacro Oleo inungendi sint; ab Episcopis edoceantur, quod sicut hoc Sacramentum sanis corpore non est administrandum, sic nec jam jam ingressuris mare, neque capite damnatis, neque infantibus nondum rationis usu præditis, neque impoenitentibus, & iis, qui cum notorii peccatores essent, vel ab Ecclesia alieni, nullum pœnitentiæ signum emiserint; sic eis denegandum non est, quibus mortifero vulnere accepto, mortis imminet periculum, sive superveniente febre correpti, sive ex vulnere tantum, e vita decedant; & si nec peccata confessione expiare, neque Eucharistiam sumere potuerunt; modo tamen ostenderint signa contritionis: non enim eos infirmos esse quisquam recte negaverit, quos aliena malitia, vel casus repente percusserit. Cur igitur luctaturos non ungamus, qui extremo jam prælio adversus spirituales nequitias in cœlestibus colluctantur? contrarius vero abusus extirpetur.

CAP. IV.

Studeant vero Parochi ægroto suadere, ut ea fide ungendum se sacerdoti præbeat, qua olim, qui ab Apostolis sanandi erant, se ipsos offerre consueverant; & omni studio curent, ut ante extremam unctionem, secundum perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramentum administretur. Dum autem hoc sacramentum Parochi administrant, hortentur adsistentes, ut pias ad Deum fundant preces; curent etiam, ut dum sanctum Oleum ad ægrotos defertur, Crux sancta, lumenque præferatur; cum vero ad ægrotum venerint, eum diligenter consolentur hortenturque, ut bono animo esse velit, atque animum a terrenis ad cœlestia studeat abducere, transiturus in Domum æternitatis.

CAP. V.

Episcopi autem crebro curatos admoneant, & obtestentur, ut in extremis constitutos

ANNO CHRISTI 1597.

tutos omni pietate, ac salutis eorum studio tractent, cum nullo unquam tempore spirituali medico magis sit opus, quam quod in extremo vitæ spiritu fidelium animæ Deo reconcilientur, aut commendentur; in quo cum passim Parochi tepidiores esse consueverint, eos idcirco sæpe ab episcopis excitari exoptamus, ut circa ægrotos, & morti proximos diligentissime suum munus exequantur, ubi totius curæ summa spectare videtur. Negligentibus vero gravissima poena ordinarii arbitrio imponatur.

CAP. VI.

Volumus insuper, ut episcopi omnes, & singulos suæ curæ commissos commonefaciant, & a parochis commoneri studeant, illisque mandent, ne graviter turbent ægrotantes, vel morientes, aut in mortis articulo constitutos vanis & sæcularibus commemorationibus, seu luctibus importunent, cum satis superque iis obesse possit, quod per se humani generis hostis, & insidiator Diabolus, tunc molitur: callidissimus enim serpens, nullo unquam tempore Christifideles gravius oppugnare solet, quam cum ex hac vita migrandum est. Proinde morituris non sunt tentamenta paranda, sed adversus ea pia suffragia, & adjumenta ferantur; quare in mortis agone, tam sacerdos, quam ægroti consanguinei illum salutaribus monitis, ac verbis consolatione plenis adjuvare studeant, adsitque ægrotanti sacerdos, præsertim vero in hospitalibus domibus id œconomi curent diligentissime.

CAP. I.

De Sacramento ordinis.

Sess. 33. c. 7. de ref. & c. 8. & c. 12.

In ordinum quorumcumque illatione sacrosancti concilii decreta episcopi ad unguem observare curent, tam circa ordinationum tempora, & cujuscumque ordinis interstitia, (nisi aliter ecclesiæ utilitas suadeat) quam circa ordinandorum ætatem, & qualitates, & non omnibus indistincte manum imponant, sed tantum qualitates habentibus a jure, atque eodem concilio præscriptas.

CAP. II.

Sess. 23. c. 6. de ref.

Nullus in minoribus ordinibus constitutus fori privilegio gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut habitum & tonsuram deferat clericalem, alicui ecclesiæ, vel in seminario, aut aliqua schola, vel universitate ex mandato episcopi inserviat, ut in eodem sacrosancto concilio decretum est; prima tonsura initiatus beneficium ecclesiasticum, sive in propria, vel in aliena dioecesi possidens, clericalem habitum, & tonsuram deferre teneatur. Licet autem in minoribus constituti, nisi dictas circumstantias habuerint, fori privilegio non gaudeant, non tamen privilegio canonis, *si quis suadente Diabolo*, privantur.

CAP. III.

Ordines suscipere desiderantium per mensem antea nomina, & cognomina per curiæ scribam in album annotari curent episcopi, ut eis in publicum propositis eorum vitæ, morum, & natalium a fide dignis cognitio haberi queat, bonumque a ludi magistris, & a parocho, & præstantioribus vicinis suis testimonium haberi valent: quarta deinde feria, ordinationem præcedente, ordinandi se propriis episcopis præbeant: approbati, nisi confessi, & Eucharistiam sumpturi ordinibus saltem majoribus, Spiritum Sanctum fraudantes, minime se ingerant; nec uti mercenarii servi, qui in hoc mundo mercedem recipiunt, lucri, aut commodioris otii vitæ suæ, sed tantum religionis zelo Deum semper præ oculis habentes ecclesiasticæ disciplinæ se ascribi patiantur.

CAP. IV.

Cum vero sacrorum ordinum receptio ad animarum curam exercendam iter sternere, ac præparatio quædam esse comprobetur, sine qua ecclesiastica disciplina consistere nequit, & ars artium sit regimen animarum, quæ res valde periculosa, & difficilis est; episcopos omnes obsecramus & obtestamur in Domino, ut omnem in clericis ad ordines promovendis diligentiam impendere velint, nec quemquam aliqua ratione a legitimo examine excipiant, habita tamen locorum, ac personarum prudenti distinctione pro ipsorum religione, atque conscientia.

CAP. V.

Eosdemque episcopos præterea in Domino hortamur, pieque monemus, ut omni alia cura posthabita, & detestabili negligentia rejecta, ordinandorum examini intersint, indeque absque rationabili causa non discedant, nullamque, quamvis gravem, occupationem, huic anteponant: cum de re tanti ponderis agatur, in qua & clericalis ordinis dignitas, & ipsorum episcoporum animarum periculum præcipue versatur. Si autem (urgente necessitate) illos abesse contigerit, viros in sacris litteris eruditos, & non mediocriter versatos, Deumque timentes, quorum conscientiæ se posse acquiescere certo existiment, huic muneri tantum præficiant.

CAP. VI.

Illi vero, qui ab eorum ordinario literis non obtentis ab alio antistite ordines sacros susceperint, vel cum dimissoriis sui ordinarii, sed depravatis aut fictis, aut abrasis eosdem ordines suscipere præsumpserint, suspensionis poenæ subjaceant ipso jure, ac ordinum executio eis interdicatur, juxta Sixti V. constitutionem contra clericos male promotos; quæ poena nedum suscipientibus sacros ordines, verum etiam minores infligatur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. VII.

Caveant ordinantes, vel ordinandorum examinatores, ac eorum familiares, ne quidquam ab illis accipiant, ut sic ab omni simoniacæ labis suspitione, vel turpis quæstus (ut bonos dispensatores decet) multiformis gratiæ Dei sint alieni; præsenti vero decreto prohibetur, non solum recipere aliquid exigendo, sed etiam sponte oblatum ab eis, vel pro eis, qui ordinibus sunt initiandi.

CAP. VIII.

Clericos ad quoscumque ordines promo- B
Sess. 23. c. 6. tos episcopi per suarum diœcesum ecclesias, & pia loca distribuant, illisque, ne incertis vagentur sedibus, adscribant ex sacro-
Sess. 23. c. 21. sancti concilii Tridentini decreto. Quilibet autem clericus in ea (cui semel adscriptus est) ecclesia sua obeat munera, nec
Decretum ejusd: sess. c. XVIII. sine dimissoriis proprii ordinarii literis alio vagetur, suique ordinis actum exerceat.

CAP. IX.

Demum episcopus curet, quod liber conficiatur, in quo quidem omnes, atque singuli ordinati describantur, & adnotentur; & liber ille in archivio episcopali conser- C vetur.

CAP. I.

De sacramento Matrimonii.

In contrahendo matrimonio in primis po-
Tobie. 8. pulus a parochis instruatur, ut hoc sacrosanc. ecclesiæ Sacramentum summa pietate, ac reverentia celebrent, recolentes præclarissimum illud Tobiæ junioris dictum, in hæc verba, uxorem Saram prima die nuptiarum alloquentis; *exurge, & deprecemur Dtum hodie, & cras, & secundum cras, quia his tribus noctibus Deo jungimur.*

CAP. II.

Deinde curent episcopi; ut ea omnia observentur, quæ a sacrosancta Tridentina synodo pro reformatione matrimonii decreta fuere, & saltem bis in anno in ecclesiis inter missarum solemnia materno sermone, juxta translationem sibi ab episcopo traditam, prænarratam matrimonii reformationem populo denuncient, & præsertim decretum de matrimoniis clandestinis divulgetur, ac publicetur.

CAP. III.

Dubia, quæ impedire possunt matrimonia,
Ejusd. sess. c. VII. si evenerint, parochi episcopis nota faciant, nec ad ulteriora procedant, donec eorum votum habuerint. Conjuges, ut ante benedictionem a proprio parocho in sponsæ parochia accipiendam non cohabitent, atque triduo ante matrimonii consummationem se tutissimo poenitentiæ, & sacrosactæ Eucha- A ristiæ præsidio muniant, hortentur. Ab adventu D. N. Jesu Christi, usque in diem Epiphaniæ, & a fer. 4. Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones ex præscripto Tridentini concilii diligenter observent. Denunciationes, ac benedictiones absque rationabili causa non differant: exteros vagabundos, & ignotos, absque episcoporum licentia ad matrimonia non admittant. Librum ordinariis quotannis consignandum, in quo contrahentium matrimonia, eorumque parentum, atque testium nomina, locus, dies, mensis, & annus, contineatur, habeant. Si autem in aliquo prædictorum ipsi parochi, & curam animarum gerentes defecerint, episcoporum arbitrio pro modo culpæ plectantur.

CAP. IV.

Qui obstacula aliqua sciunt adesse, qui-
Sess. 24. c. V. bus matrimonia contrahenda, si denunciata fuerint, impediri possunt, ea sub excommunicationis censura revelent. Conjuges vero qui post contractum matrimonium in gradibus prohibitis contraxisse noverint, sub eadem censura a matrimoniali copula & cohabitatione omnino abstineant, donec a sede Apostolica legitimam dispensationem obtinuerint. Alii autem qui spretis denun- C ciationibus contraxerint, arbitrio ordinarii puniantur. Illi vero qui scienter in gradibus prohibitis contraxerint, excommunicationis vinculo sciant se innodatos esse; mandantes, sub eadem poena omnibus curatis, ut si quos in suis parochiis in gradibus prohibitis contraxisse repererint, statim ad eo-
Clem. I. de con. sang. rum episcopos denuntient, & eos ab invicem separari cogant, ut animarum saluti eorum provideri possit.

CAP. V.

Episcopi, quos in gradibus a jure prohibitis matrimonia contraxisse repererint, D eos statim a cohabitatione separent, & de personarum ita conjunctarum qualitatibus, quæve matrimonia contracta fuerint, processus conficiant, & pro dispensatione obtinenda ad sedem Apostolicam illos adire compellant, & qui recusaverint pro excommunicatis publicentur.

CAP. VI.

Conjuges hortamur autem deinceps ut mutuo amore se invicem prosequantur. Eos vero qui uxore depulsa, membra Christi; meretricis corpus faciunt, ac uxores quæ nulla justa existente causa viros suos reliquerunt, monemus, ut infra mensem a die E publicati hujusce decreti, ad debitam revertantur unionem, eamque honesto, ac pudico amore conservent. Inobedientes autem debitis pœnis, etiam excommunicationis ab episcopis feriantur; & non modo uxoratos, verum eriam solutos, qui concubinas domi publice retinere solent, si ter moniti, eas non dimiserint, eadem pœna excommunicationis mulctentur, juxta sacrosancti concilii Tridentini decretum.

CAP.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. I.

De sepulturis, exequiis, & Funeralibus.

Infirmis vel etiam bene se habentibus sacramenta administrantes curati, omnesque alii sacerdotes, non tantum pro sacramentis, missis, & orationibus aliquid pacto, aut conventione exigere non debent; sed nec etiam pro sepultura concedenda. Caveant igitur sub excommunicationis aliisque juris, & episcoporum arbitrio injungendis pœnis, ne quidquam hac de causa exigere audeant.

CAP. II.

Ante solis ortus, & post occasum ad sepulturam cadaver non efferatur, nisi de licentia episcopi, aut ejus vicarii, eoque sepulto per consanguineos, familiares, & amicos defuncti sepulcrum nullo modo, quovis quæsito colore aperiatur, ne aliquid quod superstitionis habeat, intus apponatur.

CAP. III.

Pauperes, qui sua impensa humari non possunt, gratis a parocho sepeliantur. Quo ad alios vero servetur laudabilis consuetudo. Parochi autem librum habeant, in quo parochianorum suorum, qui decesserint, omnia nomina diligenter annotent; alioquin ut episcopo videbitur puniantur.

CAP. IV.

Superstitiosum in plorandis mortuis abusum, qui in nonnullis locis diabolica fraude irrepsit, penitus abolere volentes, in sanctæ obedientiæ virtute præcipimus, ne qua mulierum præficarum, quas reputatrices appellant, audeant officio fungi in invitandis ad ejulatum aliis in consanguineorum funeribus; sed hoc nomine, & usu a Christi Domini grege fugato, ac eliminato, ita lugeant post hac, ut christianas decet fœminas, sacra dictante scriptura: *super mortuum modicum plora;* & Apostolo admonente: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.*

CAP. V.

Cum etiam funus ad ecclesiam effertur, prohibemus ne mulieres, quæ ecclesias ululatibus implere solebant, suos sequantur defunctos; sed domi se contineant: quod si (parocho admonitore) facere neglexerint, presbyteri omnes, ibi relicto funere, nullatenus ultra progrediantur, nisi statim obsequentes se reddiderint, & continuo decesserint.

CAP. VI.

Clerici autem ad celebrandas fidelium exequias accersiti, superpelliceis, ac talari veste iuduti, ordine, & bini procedant, cruce præeunte, psalmos canentes, & orantes, funus concomitentur; defuncti vero cadaver nullus extra domum deferat parocho non accersito. In efferendis autem cadaveribus longe viarum circuitus evitentur; vel certe clerici præmoneantur, qua sibi, quave via sit proficiscendum, ne quando cum nimio populorum scandalo aliquid possit contentionis oriri.

CAP. VII.

In sepulcris constructis (siquæ sint) vel in cæmeteriis consecratis & circumvallatis fidelium cadavera sepeliantur; adeo quod ecclesiarum pavimenta non demoliantur, vel deformentur; & si quis tumulus, pavimento supereminens adhuc reperiatur, juxta felicis recordationis Pii V. bullam, destrui mandent episcopi; qui etiam adhibitis opportunis remediis curabunt, ne defunctorum parentes, illorum more qui spem non habent, luctum ultra octo dies protendant; post quos (consuetudine quacunque remota) ad ecclesiam pro audiendis missis, & aliis divinis officiis accedere teneantur; & si opus fuerit per ecclesiasticas censuras compellantur.

Kal. Apr. 1566.

Thessal. 4.

CAP. VIII.

Funeralia exequiarum causa ecclesiæ delata ipsius sint, nec restituantur, dummodo parochus sua quarta funerali, et episcopalis mensa suo jure non fraudentur. Si quæ autem in hoc laudabiles consuetudines adesse reperiantur, conserventur. Statuta vero funeralium, tamquam libertati ecclesiasticæ contraria, reformari mandent episcopi, contradictoresque excommunicationis fulmine feriant.

CAP. IX.

Clerici vita functi sacerdotalibus vestibus induti efferantur, & cum alba sepeliantur, ut quos viventes omnium dominus tanto munere decoravit, eos etiam mortuos a cæteris distinguemus. Cumque inhumanissimum esse nemo non videat, hominum cadavera sepultura carere ob debitum nondum solutum; propterea statuimus, ut defuncti corpus, neque propter decimarum, quartæve exactionem, neque propter nondum exhibitum testamentum, neque propter jus sepulturæ non adhuc solutum, ullo modo insepultum detineatur.

CAP. X.

Ut piæ mortuorum voluntates perpetuo (quoad ejus fieri potest) conserventur, ac ne e posterorum animis discendat, unquam piorum fundatorum memoria, prohibet provincialis synodus, ne ecclesiæ, cappellæ, se-

ANNO CHRISTI 1597.

pulcra, monumenta majorum intra ecclesias vel cimiteria ulla ratione, ullove quæsito colore diruantur, aut evertantur, aut alienentur, antequam de hoc locorum ordinarii consulantur, etiam si nulla sit fundatorum, aut hæredum memoria superstes, sub poenis ab ordinariis infligendis.

CAP. I.

De vita episcoporum.

Episcopi, quanto dignitate cæteros præcellunt, tanto aliis inferioribus singulari vitæ sanctitate, ac morum probitate præfulgere debent: ut ab eorum vira, tamquam a lucernæ candelabro super impositа, cæteri omnes religionis, honestatis, & sanctæ humilitatis splendorem capere valeant. Per viscera itaque misericordiæ Dei nostri obtestamur, rogamusque ut mores suos componant, vita & conversatio eorum irreprehensibilis populis, velut aromata fragrantia redoleant, meminerintque in speculari se positos fuisse, non solum ut ipsi alios videant, sed etiam ut omnes alii in eos oculos convertant, & recta vivendi exemplaria intueantur: proinde ipsi episcopi perfectam illam imaginem ab apostolo descriptam, præ oculis semper habere studeant; *oportet*, inquit, *episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem; non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed domui suæ bene præpositum.*

1. Thimot. 2. conc. Trid. c. 1. de modo vivendi & aliis in cons.

CAP. II.

Et quoniam, ex sacrosancti concilii Tridentini decreto pastores admonentur, ut subditos suos uti fratres ac filios ament; arguant, obsecrent, increpent in omni patientia, & doctrina. In puniendis autem delictis severitatem cum mansuetudine temperent, medicorum more, a levioribus ad graviora remedia procedentes, gradum etiam dignitatem servent, atque alia hujusmodi in hoc genere observare contendant juxta saluberrimum præfati concilii decretum.

Sess. 25. c. de ref.

CAP. III.

In mensa eorum frugalitas, in victu temperantia, in supellectili modestia, in verbis mansuetudo, in operibus exemplar bene vivendi eluceant, & in omnibus fulgor sanctitatis appareat. Consanguineis & familiaribus in eorum animæ, & ecclesiæ detrimentum non indulgeant: quæ ad mundi pompam, corporis luxum, & carnis affectum, & non ad Dei cultum, neque fidelium ædificationem spectant exercentur & evitent. In habitu, gestu, incessu, & aliis omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.

Decr. ejusd.

CAP. IV.

Rochetum, & muzetam in ecclesia, & publicis locis semper deferant; mensa eorum spiritualis alicujus lectionis pabulo condiatur; a multiloquio caveant, propositoque aliquo gravi, pio, ac honesto sermone modeste, clamoribus & contentionibus omissis, ratiocinentur; parsimoniam (quæ tantopere nos Deo commendat) omnino sectentur, ut eo uberius his quæ supererint, pauperum indigentia sublevari, & ecclesiæ ipsæ commodius instaurari, & exornari valeant: valde namque ipsius Dei, & sanctorum oculos offendere potest, si despectis pauperibus, qui necessariis indigent, ipsi superflua multiplicare, atque augere videantur.

CAP. V.

Familiares eorum; numero, ætate, & qualitate tot habeantur, quot pro cujuscumque episcopi dignitate congruere videbuntur; sintque & ipsi religione ac pietate conspicui, nemini ullam offensionem dantes; & ut optimis moribus ornari valeant, sacrosancta ecclesiæ sacramenta frequentent, armis, & corporis cultui non studeant, sed virtutibus, ac scientiis se honestare contendant. Ut autem id facilius valeat fieri, curent episcopi, quam fieri potest, clericos, & religiosos penes se retinere.

CAP. VI.

In ecclesiasticis autem bonis distribuendis quicumque bene præesse voluerint, episcopi, atque alii ecclesiæ prælati, qui communes omnium, præsertim subditorum parentes existimantur, illam potissimum rationem servent, quam sacri Canones statuerunt: miserabiles vero suarum civitatum, ac dioecesum personas præcipue recipiant, atque in necessitatibus protegant, earumque egestati paterna charitate succurrere non differant, aut nullo modo pretærmittant.

CAP. VII.

Discordias præterea, si quæ in populo erunt, vel oriri contigerit, celeriter sedare curent; sint denique dignitatis suæ memores, ne quid contra eorum statum, & decorem gerant reprehensione dignum; rogantes etiam principes, cæterosque omnes monentes, ut eos tamquam patres, ac pastores debita reverentia, & honore prosequantur, nec in eos ita effrenate linguam solvant, ut aliquando consuevit (cum non conveniat oves pastorem reprehendere, nec discipulum esse supra magistrum, cum scriptum sit: *Principi populi tui non maledices*.

6. q. 1. oves.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. I.

De episcoporum residentia.

Cum sanctus ille patriarcha Jacob viginti annorum sedula, & continua vigilantia in pascendis gregibus Laban inservisset, atque illimet dixisset: *die, noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis; sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi.* Si sic laboraverit, ac vigilaverit, qui pascebat oves Laban; quanto labore, quantisque vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei, & D. N. Jesu Christi, pro quibus & ipse animam posuit? ideo episcopos hortamur, monemusque, ut nominis & muneris sui memores, gregem vigilare continue ut tenentur, minime differant; sed in cathedralibus ecclesiis suis, juxta sacrosancti concilii Tridentini decretum resideant, & pastoralia munera per se ipsos quam fieri poterit exequantur, indeque legitima causa non intercedente, sub poenis ab eadem sacrosancta synodo, & a summis pontificibus Pio IV. & Pio V. ultra canones in eorum Bullis statutis incurrendis non recedant: ubi enim non residet pastor, ibi oves pereunt, morbi crescunt, heræses prodeunt, schismata oriuntur, ecclesiæ destruuntur, sacerdotes deteriores fiunt, bona omnia corruunt, malorum omnium incentiva proveniunt, atque grassantur.

CAP. II.

Ipsi etiam episcopi per dioecesim non vagentur, quam tamen personaliter, vel per suos generales vicarios, aut visitatores, (ipsis legitime impeditis) modesto comitatu contenti, omni diligentia & caritate adhibita, quæ ad animarum salutem spectant providendo, singulis quoque annis visitabunt, infra cujus anni spatium Synodum dioecesanum indicant, in qua judices commissarios, quibus a S. sede Apostolica causæ committi valeant, deputabunt, & eorum deputatio ad Ss. transmittatur, juxta formam sacrosancti concilii Tridentini. Et si aliquem ex illis quatuor judicibus deputatis, quos quæcumque dioecesis habere eodem concilio jubetur, mori contigerit, episcopus cum consilio capituli alium idoneum in ejus locum substituet, usque ad futuram provincialem, aut dioecesanam synodum. In eadem synodo examinatores promovendorum ad parochiales, ac eorum qui vel ordinibus sacris initiandi, vel ad confessiones audiendas approbandi sunt, eligent, vel confirmabunt: decreta etiam provincialia in eadem dioecesana synodo promulgabunt, & observari facient, cæteraque omnia ad morum correctionem, vel ad ecclesiasticam disciplinam conservandam, & amplificandam, augendamve concernentia pro temporum, & locorum opportunitate tractabunt.

CAP. I.

De visitatione.

Cum ad pastores potissimum spectare videatur, quod sanctus Ezechiel Propheta docuit, paterna vigilantia perficiendum. Utpote, *quod perierat requirere, quod abjectum erat reducere, quod confractum alligare, quod infirmum consolidare, quod pingue & forte custodire*: quæ omnia visitationis interventu absolvi posse comprobatur; ea propter episcopi propriam dioecesim per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, visitare non prætermittant: scopus autem illorum in visitando præcipuus sit sanam & orthodoxam doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, mores bonos tueri, pravos corrigere, devios reducere, populum cohortationibus & salutaribus monitis ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, ac cætera omnia, prout locus, tempus, & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere; quæ ut facilius feliciusque succedant, singuli ad quos visitatio spectat monentur, ut paterna charitate christianoque zelo omnes amplectantur.

CAP. II.

Quos autem visitabunt, inutili sumptu non gravabunt, exquisitiores epulas devitantes, ne visitatis ecclesiis plus æquo sint oneri. Quos vero modum excedere compererint, arguant atque compescant; abusus autem ille exigendi ab ecclesiis certam procurationis pecuniam, cum non visitantur, auferatur. Visitantes vero suas dioeceses episcopi prospiciant, qua ratione pauperum ecclesiarum rectoribus, ac presbyteris consuli possit, ne dum suo recte funguntur munere, egestate laborent; quod si nulla ratio iniri possit, qua curarorum miseria sublevetur, summum pontificem ea de re consulant.

CAP. III.

Et quoniam evenire solet, sæpe bona divino cultui Deique ministris substentandis & alendis dicata, vel pauperibus subveniendis eroganda, ministrorum negligentia vitiove temporum perire vel dilapidari; propterea provincialis synodus mandat, ut tam episcopi, ecclesiarumque capitula, quam hospitalium rectores, atque quorumcumque piorum locorum administratores, aliique ecclesiastica beneficia, sive curata, sive simplicia habentes, ab hujusce synodi confirmatione deinceps, a die, quo in possessionem venerint, intra semestre tempus, omnium bonorum mobilium, & immobilium, jurium, actionum, censuum, & quorumcumque reddituum repertorium, quod vulgo inventarium dicitur, per publicum notarium conficiant, confectumque in armario, seu archivio, quod episcopo sit cum capitulo, vel cum inferioribus ecclesiis commune, asservetur; tempore autem visitationis accura-

ANNO CHRISTI 1597.

te, diligenterque perſpiciatur & examinetur, num aliquid deſit eorum, quæ in repertorio ſcripta ſunt, vel quod erat ibi ſcribendum exharatum non ſit; & errata, præſertim ex dolo, & malitia, gravi animadverſione puniantur.

CAP. IV.

Curent autem epiſcopi, ſacroſancti concilii Tridentini decreto inhærentes cum uno de capitulo, altero de clero ab eis eligendo, quaſcumque bonorum eccleſiaſticorum locationes recognoſcere, ſint nec ne ad longum tempus, vel contra ſacros canones contractæ. Ad hæc, moneant epiſcopi, & parochi Chriſtifideles, per ſe ipſos, vel per conciobatores hortentur ſummopere, ut decimas de jure debitas, aliasve oblationes, prout ſacroſanctum concilium Tridentinum decrevit eccleſiis earumque miniſtris ſolvant, & oblationes de jure debitas clericis non denegent.

Seſs. 25. c. 12.

Ejusd. ſeſſ. c. 12.

CAP. V.

Capitula cathedralium etiam epiſcopi viſitent, corrigant, & emendent, toties quoties opus fuerit, ex ſtatuto ſac. conc. Trid. non obſtantibus exemptionibus, conſuetudinibus, ſententiis, juramentis, concordiis: Commendata itidem monaſteria, etiam abbatiæ, prioratus, & præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis obſervantia, nec non beneficia, tam curata, quam non curata, qualitercumque commendata; etiam exempta ab epiſcopis annis ſingulis viſitentur; qui curabunt congruis remediis, etiam per ſequeſtrationem fructuum, ea quæ renovatione indigent, aut reſtauratione refici ac reparari; eandem quoque diligentiam epiſcopi adhibeant in eccleſiis viſitandis, quæ nulli dioeceſi ſubjectæ dicuntur; quod tamen jus illi competit, cujus cathedralis eccleſia propinquior eſſe conſtat; alioquin ab eo, qui ſemel in concilio provinciali a prælato illius loci electus fuerit, viſitabitur; qui tamquam apoſtolicus delegatus viſitationis munus abſolvet, quibuscumque privilegiis non obſtantibus.

Seſſ. 6. c. 4. de reform.

Seſſ. 7. c. 8. & ſeſſ. 21. c. 8. de reform.

Seſſ. 24. c. 8. de refor.

CAP. VI.

Ipſi quoque ordinarii viſitent hoſpitalia, collegia, confraternitates, montes pietatis, & omnia pia loca, quomodocumque nuncupentur, etiamſi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio ſint munita; & omnia quæ ad Dei cultum, animarum ſalutem, ſeu pauperes ſubſtentandos inſtituta ſunt, ipſi juxta ſacrorum canonum inſtituta, ex officio ſuo agnoſcant, & exequantur; contumaces & contradictores huic tam pio, ac neceſſario muneri ex verbis, & factis ordinarii arbitrio puniantur; & nihilominus huic decreto parere omnibus opportunis remediis, invocato etiam (ſi oportuerit) ſæcularis brachii auxilio, ab epiſcopis cogantur.

Seſſ. 22. c. 8 de refor.

CAP. VII.

Ubicumque urbanæ alicujus parochiæ fines extra locorum mœnia prætendi contingat, animadvertant epiſcopi, ne parocho intra urbem, vel oppidum pernoctante, quæ foris ſunt animæ periclitentur; ſed eccleſia de novo in ſuburbiis, ſi id per rectoris, & foranenſium parochianorum facultates liceat, erigatur, vel alia aliqua ratione præſentis decreti authoritate huic malo epiſcopi ipſi ſuccurrant, prout magis expedire videbitur.

CAP. VIII.

Diligenter etiam epiſcopi viſitando videant, ubi parochiæ ampliores ſunt, ſeque nimis late diffundentes, & populorum comoditati, atque ſaluti aliqua ratione proinde conſulatur, vel novas erigendo parochias ejusdem concilii decreto, ſi fieri poteſt, vel alteri proximiori eccleſiæ quod longius abeſt aggregando, vel commendando, prout ſanctius fore judicaverint.

Seſſ. 24. c. 4. de reform.

CAP. IV.

Ubi vero erit numeroſus populus, adeo ut ſacerdos unus ſufficere non valeat, vel aliæ parochiæ epiſcoporum judicio conſtituantur, vel tot ſibi ſacerdotes adjungere, juxta ejusdem decreti formam, rector ipſe cogatur, quot ſufficere poſſint; ejusdem rectoris impenſa alendos, ubi eccleſiæ facultates, & emolumenta pluribus ſuppetere valeant; alioquin quo commodiore videbitur via ab epiſcopis huic incommodo conſulatur.

Seſſ. eju

CAP. X.

Præcipuam quoque curam epiſcopi habeant in viſitatione de ſcholis, & literarum ludis, & bonarum artium magiſtris, & num vitæ probitatem, integritatem, & ſcientiæ puritatem ſervent, diligenter inquirant. Itidem inveſtigent, & interrogent parochos, an ſciant eccleſiam eſſe conſecratam, vel benedictam; an conſecrata ſint altaria, & vaſa, & corporalia & veſtes, & id genus reliqua ſint benedicta, ut ita intelligant, quid deſideretur in iis, & provideatur; tandem inquiratur, an aliquis uſurpet decimas & bona eccleſiarum, & ad eas ſpectantia, & in hoc ſervetur decretum ſacroſancti concilii Tridentini.

De beneficiorum collatione.

CAP. I.

Decreto ſacroſancti concilii Tridentini inhærentes, in quacumque dioeceſana ſynodo non omittant epiiſcopi viros religione, vitæ honeſtate ac ſcientia eccleſiaſtica cæteris præſtantes, de quorum doctrina & integritate confidere poſſint, in examinatores, qui Synodo ſatisfaciant, & ab ea probentur, proponere, quibus juramento delato

ANNO CHRISTI 1597.

lato se fideliter munus injunctum executuros. Ad quæcumque ecclesiastica beneficia promovendos, omni fraude cessante, examinandos eisdem episcopi committant, ut ut nonnisi digni ad beneficia recipiantur, & approbentur.

CAP. II.

Quia exemplo constat diutinam ecclesiis vacationem detrimentum afferre consuevisse; curata præsertim beneficia ab iis, ad quos pertinet, sacrosancti concilii Tridentini decreto, ac S. mem. Pii V. bullæ servata forma, quamprimum conferantur, curentque episcopi, ut vacationis notitia, quanto citius fieri potest, habeatur; quo vacantes ecclesiæ infra præstitutum tempus a collatoribus, juxta ejusdem sanctæ memoriæ Pii V. bullam conferri possint.

CAP. III.

Parochialem autem ecclesiam, ubi quovis modo vacare noverint episcopi, donec de rectore legitime provisum fuerit, ex sacrosancti concilii Tridentini decreto œconomum ad curam gerendam aptum, & ad ipsorum nutum amovibilem, cum assignatione partis fructuum eidem præficiant; statimque per edictum in ecclesia cathedrali, & in ipsa parochiali, ac aliis locis, ubi expedire videbitur, affigendum terminum examinari volentibus episcopi statuant; quo transacto, qui magis idoneus inter probatos ab examinatoribus judicatus fuerit in rectorem eligatur, eique de ecclesia sic vacante provideatur.

CAP. IV.

Animadvertant præterea episcopi, ne beneficia in eorum dioecesibus, vel alibi sita a subditis ita obtineantur, ut eorum usus, fructus & emolumenta quæcumque absque apostolica dispensatione alter percipiat, ne alter nudo nomine tantum ad alterius commodum beneficium retineat, vel ad alterius nutum tacito, vel expresso pacto eidem cedere teneatur, quæ simoniaca proculdubio existunt, tum ex sacris canonibus, tum ex felicis recordationis Pii IV. & Pii V. bulla.

CAP. V.

Sciant etiam patroni, & qui in beneficiis præsentandi, aut eligendi jus habent, subjacere, una cum præsentato, ac electo excommunicationis, & interdicti poenis, ac privationis juris patronatus, si quovis modo, & quavis causa vel occasione se ingerant, paciscantur, consequantur, aut quoquo modo retinere præsumant partem (etiamsi ultro oblata sit) in bonis, & fructibus beneficii, & si libere illos rectori, aut beneficiato non dimittant; nec ante mortem de futura præsentatione, cum patronis aliquis, nec per se, nec per interpositam personam tractare possit sub excommunicationis pœna, & inhabilitatis ad obtinendum beneficia.

CAP. VI.

ANNO CHRISTI 1597.

Pro beneficiorum collationibus nihil penitus a collatoribus ipsis accipiatur; nec notarii aliud quam sui laboris congruam mercedem exigant, quæ sigillo, & cæteris omnibus computatis unum aureum non excedat; & dummodo collatores nihil inde emolumenti directe, vel indirecte percipiant; & dummodo notarii salarium nullum sit ab episcopo constitutum; alioquin nihil omnino percipere queant.

CAP. VII.

Beneficia vero curam animarum habentia non nisi dignis conferantur, quique per se suo munere fungantur, & resideant. In beneficiis autem conferendis, civis peregrino, incola præferatur externo, ubi fuerint æque idonei, juxta decreta sacrorum canonum. Unum vero tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste substentandum non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex, sufficiens (dummodo utrumque personalem residentiam non requirat) eidem conferre, juxta decretum sacrosancti concilii Tridentini. Sess. 24. c. 17. de ref.

CAP. VIII.

In resignationibus autem admittendis, collationibusque ex causa resignationis de cætero faciendis diligenter attendant episcopi, atque animadvertant, id sibi licere in casibus tantum a felicis recordationis Pio V. in ejus literis expressis, non autem passim ac indistincte; meminerintque ex eorundem literarum dispositione excommunicationem, & suspensionem præterea contrahendam, apostolicæ sedi reservatam. Quo ad modum itidem publicandi resignationes, & permutationes, tam in manibus SS. Papæ, quam locorum ordinariorum factas, constitutiones summorum pontificum felicis recordationis Pii V. & Gregorii XIII. observandæ sunt; vacant enim beneficia ipsa, nisi in prædictis bullis contenta ad unguem serventur.

CAP. I.

De *judiciali foro episcopali*.

Caveant episcopi a quibus jura oriri debent, ne injuriæ prodeant; jubeant igitur vicariis, consultoribus; atque curiæ assessoribus, ut justitiam quærentibus, & præsertim pauperibus, & miserabilibus personis (quod & ipsi exequantur) facilem sui aditum præbeant, eosque conviciis non afficiant, sed patienter audiant, ac placide alloquantur. In eorum causis, & similibus ad forum ecclesiasticum spectantibus, quæ dilationem non patiuntur, subtilitates & quæ ad judiciariam formam & solemnitatem tantum respiciunt, respuant ac veritati, & substantialibus judicii solum attendant, omnique celeritate & maturitate, æquitatem & justitiæ puritatem insequentes, expediant, eosque ab omni potentium divitumque pressura tueantur, provideantque indefensis de-

advo-

ANNO CHRISTI 1597.

advocato & proeuratore, & maxime carceratis, quos frequenter obsequium charitatis impendendo visitabunt; nec patientur clericos carcere diutino macerari, sed in condecentibus carceribus, inspecta persona, ætate, debiti vel criminis qualitate custodiri mandabunt, & in coercendis delictis misericordiam cum juris rigore miscebunt, ut juxta sanctorum patrum, ac sacrosancti concilii Tridentini decreta, pii patres, & pastores esse ab omnibus dignoscantur.

CAP. II.

Extorsiones præterea a curiæ officialibus, ne fiant, omni adhibita diligentia & cura provi-
Sess. 21. c. reform. dere debeant episcopi, quod ut facilius facere valeant, vicariis, consultoribus, notariis, executoribus, commentariensibus cæterisque ministris mercedum suarum taxam præfigant, quam excedi, & præsertim pro literis dimissoriis aut testimonialibus (jam a sacrosancto concil. Tridentino statutam) minime permittant. Inobedientes vero restitutionis, officii privationis, carceris, aliisque eorum arbitrio pœnis afficiant: quibus Notarios etiam cogant, ut competenti mercede accepta, infra tempus ab eis statuendum, actorum & processorum petentibus copiam faciant.

CAP. III.

Notarii, oculi judicis cum esse dicantur, eos scientia & legalitate præditos, etiam
Sess. 22. c. 10. de reform. præcedente examine, juxta sacri concilii decretum eligant episcopi, ac ignaros repellant; in principioque officii ipsos juramento astringant, quod mandatis, & constitutionibus suorum episcoporum parebunt, quod instrumenta & omnia acta episcopalis curiæ in authenticam formam, & in scriptis consignabunt, quodque in cæteris omni qua decet integritate se gerent; quibus peractis non omittent episcopi omnium & quarumcumque querelarum, accusationum, inquisitionum, denunciationum, testificationum, instrumentorum, processuum, & aliorum actorum, causarum, & negotiorum criminalium & mixtorum, quæ penes notarium reperientur, quotannis in perpetuum inventarium authenticum manu ipsius notarii subscriptum conficere, & reliqua quæ in præcepto sanctæ memoriæ Pii V. continentur, observare.

CAP. IV.

Nullus deinceps ecclesiasticus judex appellationes præterquam deffinitivas, seu
Sess. 23. c. 2. de reform. vim diffinitivæ habentes, & cujus gravamen per diffinitivam reparari non possit, juxta sacrosanct. concilii decretum, admit-
Sess. 24. c. 20. de reform. tat recipiatve qui vero aliter fecerit vel inhibitionem, appellationem, cæteraque acta inde sequentia nulla & irrita esse; seque judici & parti inhibitæ in expensis, ac
Sess. 21. c. 2. de reform. damnis passis, & patiendis ex metropolitani, vel ex antiquioris suffraganei residentis (ubi ab archiepiscopali curia processerit inhibitio) arbitrio teneri. Causæ autem omnes ab episcopis infra biennium juxta formam ejusdem sacrosancti concilii Tridentini terminentur.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. V.

Carcerum episcopalium custodiæ eos episcopi præficere curent, qui diligentia & pietate polleant, quive tam carceratorum commoditati, quam curiæ securitati consulant, meminerintque ordinarii omnes, quam sæpissime carceres, non solum episcopales, sed etiam (si fieri potest) sæcularium judicum, quantum ad religionem, atque ad eorum qui carceri detinentur vitæ necessaria pertinent per se vel per alium (ipsis impeditis) visitare; curentque, ut opportunis temporibus carceratis ipsis ecclesiastica sacramenta administrentur; in quo quidem charitatis officio, plurimum confidimus, exoptamus, auxilium, & favorem omnem a sæcularibus potestatibus, & magistratibus episcopis impartiendum, velut eosdem in Domino monemus, & cohortamur.

CAP. I.

De archivio.

Ecclesiarum jura, ne temporum, vel hominum injuria supprimantur pereantque, in quacunque cathedrali collegiatave ecclesia, & presbyterorum congregatione, archivia ubi non sunt, confici curent episcopi, in quibus inventaria, bullæ, libri, scripturæ, instrumenta, omniaque alia jura, tam ad ipsas ecclesias, quam capellas, oratoria, cæteraque pia loca pertinentia, originalia, vel saltem in authentica forma, fideliter sub tribus clavibus asserventur, quarum una ab episcopo, aliæ duæ ab aliis de capitulo, seu congregatione ab ipsomet episcopo eligendis, & ad nutum amovendis hac lege retineantur, ut omnium scripturarum confecto inventario in visitatione, ad omnem ejus voluntatem rationem exactissimam reddere promittant, ac teneantur.

CAP. II.

Aliud etiam archivium per curiæ notarium in cancellaria, vel alio tuto loco construi mandent episcopi, in quo libri baptizatorum, confirmatorum, matrimonia contrahentium, & fidei professionem emittentium, aliaque id genus similia diligenter conserventur, custodianturque, ut ea nequeat vel temeraria manus attingere, vel ullo pacto violare.

CAP. III.

Ut vero facilius ecclesiæ cujuscumque jura, & monimenta quæcunque ob temporum
Sess. 22. c. 11. de reform. injuriam deperdita, vel usurpata reperiri possint, canonica monitione præmissa excommunicationi subjiciantur quicumque ea detinentes, vel usurpantes non revelaverint, donec satisfecerint, scripturasque atque instrumenta ipsa quæ ab aliquo detineri sciunt, omnino prodiderint. Qui vero

ea

ANNO CHRISTI 1597.

ea detinent, vel usurpant ab episcopis certiores fieri debeant, eos ex sacrosancti concilii Tridentini decreto, uti ecclesiasticorum jurium usurpatores excommunicationis sententiam incurrisse.

CAP. IV.

Nullo autem modo licet archivii cujuscumque custodi, alicui etiam ipsius episcopi, vel capituli procuratori ex archivio ipso archytipa sive originales scripturas tradere, etiam data fide aut pignore depositi: si quis autem contrafecerit ab ordinariis graviter ex arbitrio mulctetur.

CAP. V.

Ne verò episcopali sede vacante publicum aliquod documentum ad episcopalis mensæ jurisdictionem vel proventus pertinens intercipiatur, præsertim ubi episcopi archivium a capitulari sit distinctum; statuimus, ut cum primum prælatus decesserit, ipsius archivii claves, fide publica a custode, vel alio illius præfecto, œconomo, & capituli vicario tradantur. Ubi vero jam tribus clavibus archivium occlusum custoditur, sat erit eam clavem, quæ apud episcopum asservabatur, oeconomo, seu vicario præsentari, aliis duobus suas claves usque ad novi episcopi electionem conservantibus.

CAP. I.

De officio capituli sede episcopali vacante.

Capitulum sede episcopali vacante omni charitate, ac devotione quæ ad defuncti pastoris exequias & animæ commendationem pertinent, statim ex more perficere studeat, clericis omnibus adscitis, frequenti missarum sacrificio, aliisque sacris precibus animam illius in quibusvis, tam orbatæ civitatis, quam diœcesis ecclesiis de more adhibitis, Deo plurimum commendari curet; quod item episcopi comprovinciales omnes charitatis memores, accepto de alicujus episcopi dormitione nuntio, quamprimum facturos esse confidimus, quemapmodum eos ne id ullo pacto prætermittant, plurimum in Domino cohortamur.

CAP. II.

Supplicationes publice, & privatim tam per civitatem, quam per dioecesim capitulum indicet, ut cleri & populi orationibus commotus Deus, Pastorem qui præesse & prodesse sciat, quamprimum sua miseratione concedat.

onc. rid. sess. 4. c. 1. de eform.

CAP. III.

Anniversarium, seu commemorationem mortis episcopi singulis annis in cathedrali ecclesia, quamdiu proximus ejus successor in episcopatu vixerit, faciendam esse præcipimus. Idem in omnibus similiter ecclesiis rectorum, & beneficiatorum viventis sumptibus observari mandamus.

CAP. IV.

ANNO CHRISTI 1597.

Oeconomum, ac vicarium infra octo dies a die obitus, juxta decretum sacrosancti concilii Tridentini, capitulum eligat, aut existentem confirmet, qui orbatam ecclesiam pie atque fideliter regat, & administret, ac de administratis & scripturis rationem, quibus convenit, redditurus sit: caveatque ne ante vacationis annum alicui dimissorias literas ordinum suscipiendorum concedat, sub poenis in dicto sacrosancto concilio contentis.

CAP. I.

De vicariis foraneis.

Vicarios foraneos in omnibus terris dioecesis, vel clericorum congregationibus, ubi archipresbyteri vel præpositi ad id munus obeundum apti minime erunt, constituent episcopi, ex inferiorum numero magis probatos, scientia & virtute eminentiores deligendo, quibus a cæteris clericis suæ ditioni subjectis, sub arbitrii pœnis, honorem & obedientiam præstari mandent.

CAP. II.

Eorum munus est diligenter vigilare ac intendere & scire, an in parochiis sibi commissis omnia recte agantur; num curati omnes resideant, & eorum munus exequantur, absentes deferant, & episcopis indicent. Quos autem in aliquo delinquere perspexerint, primum fraterne admoneant; deinde si opus fuerit, vel per literas, vel alio quovis modo, prout res ipsa postulaverit, superioribus denuncient; præcipue autem inquirant, an a parochis erga miserabiles suæ curæ personas debitum persolvatur officium, provideantque ne quis ob vitæ incommoda decedere cogant.

CAP. III.

Semel saltem in mense vicarii foranei quique (ubi commode fieri poterit) ex sui officii debito suæ regionis clerum convocent, ubi conventus, ut vocant, alternatim haberi consueverit; & eo expleto, atque omnibus, quæ ad eam rem pertinent, religiose peractis, querelas audiant & componant, clericos admoneant, & si qua sint decernenda, vel consulenda proponant, & decernant: ubi vero conventus hujusmodi non sunt in usu, in unaquaque parochiali suæ regionis ecclesia alternis vicibus clericos congregent, illius rectoris sumptibus in cujus ecclesia congregatio quævis contigerit haberi. Curent autem episcopi ne excessus aliquis in hujusmodi congregationibus accidat, & si quis abusus in eisdem irrepsisse videatur, eos episcopi ipsi tolli, & aboleri curent.

CAP.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. IV.

Eorumdem vicariorum cura erit librum, in quo singula suæ regionis beneficia, cum possessorum nominibus, & cognominibus conscribantur, ordinariis tradendum, conficere, & ut archivia conserventur curare, frequenterque clericos ad bonum ecclesiarum regimen, & ad animarum salutem curandam, verbo & opere cohortari.

CAP. I.

De forma præstandi juramenti ab eis qui ad beneficia assumuntur.

Sess. 21. c. reform.

Priusquam beneficium alicui conferatur, juramento subiiciatur, qui est assumendus ad illud beneficium, sub istaque forma jurare compellatur.

„ Ego N. præsentatus ad beneficium de „ N. juro ad hæc sacrosancta Dei evange„ lia per me corporaliter tacta, quod pro„ pter beneficium prædictum obtinendum; „ aut præsentationem ad id habendum, aut „ acquirendum, neque ego, neque alia per„ sona vice, ac nomine meo, nec de con„ sensu aut scientia mea patrono, seu ali„ cuique aliquid præmissorum nomine, aut „ intuitu promisimus aut dedimus, nec „ quidquam ejus rei gratia permutavimus, „ compensavimus, aut prius datum confir„ mavimus, apudve quemquam deposuimus, „ seu elocavimus, priusve mutuatum, com„ modatum, depositum, aut elocatum, aut „ quoquomodo debitum remisimus, seu la„ xavimus; nec de sanctuario, gleba, do„ mibus, terris, prædigiis, tenimentis, red„ ditibus, prædictæ ecclesiæ fructibusve, de„ cimis, aut oblationibus ejusdem, præter„ itis, præsentibus, aut futuris, donatio„ nem, & remissionem, locationemve pro„ misimus, fecimus, aut inivimus, seu ali„ quis promisit, aut inivit. Ita me me Deus „ adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

CAP. II.

Caveant episcopi, ne fiducialia beneficia fiant, neve tacite aut expresse conventum sit, ut ad alterius voluntatem alter titulo renunciare teneatur, quod ad simoniacam labem accederet, alioquin tum sacris canonibus, tum felicis recordat. Pii IV. & V. constitutionibus prædictis contra simoniacos & fiduciarios incurrant.

CAP. I.

De obtinentium dignitates, & canonicatus, cæterorumque residentia.

Cone. Trid. sess. 6. c. 2.

Dignitates & canonicatus obtinentes, quorum præsentia valde cathedrales collegiatæve ecclesiæ cohonestantur, cultusque divinus conservatur; arbitrariis indictis poenis, & invalescente contumacia, etiam privationis

sess. 24. c. 12.

beneficiorum in suis ecclesiis residere, sibique ipsis ecclesiam adeuntibus, & redeuntibus concomitari, ac celebrantibus, vel alia munera pastoralia exequentibus assistere, inservireque nulla refragante exemptione cogant episcopi, nec ab eis ultra tempus a sacrosancto concilio Tridentino definitum abesse concedant.

CAP. II.

Expedit etiam maxime, ut cathedralis ecclesiæ dignitates, & canonici omnes dominicis diebus, & aliis, quam sæpissime, missas publice in dicta ecclesia celebrent. Ideo episcopi curent, ut constituatur ex dignitatibus, & canonicis hebdomadarius, qui diebus dominicis & festis duplicibus missam & vesperas canat, & ei octavo die alius succedat ejusdem ordinis, nec liceat eis ab hoc instituto recedere, (quacumque consuetudine, etiam immemorabili non obstante) sub suspensionis, atque aliis arbitrio episcopi pœnis infligendis; salvis tamen consuetudinibus, in quibus iidem publice, & frequentius celebrare tenentur, ac prærogatione concessa dignitatibus de celebrando missas episcopales, episcopo impedito. Reliqui vero canonici, & dignitates decoro cantu antiphonas exordiantur, quas mansionarius, vel alius dictaverit.

CAP. III.

Omnes autem statis horis semper & attente adsint officiis, non tunc vagentur per ecclesiam, neve discedant nisi precibus absolutis, aut aliqua necessitate inevitabili compulsi, ex licentia tamen vicarii generalis si præsens fuerit, vel ejus, qui choro præst.

CAP. IV.

In choro vero propriis quisque sellis consideat; concordi voce omnes, atque singuli psallant, ut fructus digne faciant suos; alioquin obmutescentes suos facere non valebunt, sed indebite percipient. Simul etiam omnes debitis opportunitatibus assurgant, sedeant, genuflectant, capita detegant, caput inclinent, & nihil alienum divinis misceant, privatum officium non recitent, literas non legant, non obstrepent, non colloquantur: sed summo silentio nil nisi quoad divina officia sancte, & devote, atque domui orationis consonum spectare videatur, efficere audeant, & omnibus qualitatibus, tam a jure, quam sacrosancta Tridentina synodo requisitis ornari studeant, ut alii eorum exemplo ad studium, & amorem cultus divini accendantur, si aliqui vero in his offenderint, quas percepturi essent, distributionibus careant.

CAP. V.

Omnes itidem dignitates, & canonici in choro, processionibus funeralibus omnibusque ecclesiasticis aliis functionibus se conforment; contrafacientes vero, illius diei distributionibus careant, ac etiam episcopi arbitrio puniantur.

CAP.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. I.

De habitu, & tonsura clericorum.

Cupientes, & sedulo quærentes, ut clerici non solum modestiam, gravitatem, honestatem intus animo gerant, sed etiam ut extra in statu, ingressu, & habitu eum omnibus prodant, sub pœnis in sacrosancto concilio Tridentino contentis, aliisque arbitrio episcoporum impositis vel imponendis, statuimus, & ordinamus omnibus, & quibuscumque clericis beneficiatis, & aliis in sacris ordinibus constitutis, vel etiam in minoribus, privilegio fori uti volentibus, ut clericalem habitum atque tonsuram patentem, vel dignitati convenientem, statim assumant, comam non nutriant, & barbam supra labia detondeant, vestesque exteriores, tam die, quam nocte, tam in dioecesi, quam extra, usque ad talos, & interiores, propter clericorum paupertatem, & hujusce provinciæ viarum incommoditatem, saltem usque ad medias tibias protensas deferant; nisi sint canonici, vel in dignitate constituti, seu parochi, qui (ubi fieri potest), usque ad talos utrasque deferant, sine quibus ac etiam superpelliceo, sive in propria, sive in aliena ecclesia celebrare non audiant: caveant tamen ne vestibus sericis, coloratis, seu devergatis, & inciſis, aut annulis utantur, nisi eis pro ordinis vel dignitatis suæ ratione deferendi jus competat; & ii etiam in celebratione missarum deponant annulos. Abstineant præterea a caligis bursatis, & ab interulis crispatis, vel quavis arte elaboratis, & pileis turbinatis, vel formam pyramidis habentibus; sed tantum in superficie planis, & temporibus pluvialibus, & nunquam in ecclesia utantur: & ut omnia paucis concludantur, ab omnibus illis abstineant, quæ clericis a sacrosancto concilio Lateranensi sub Innoc. III. prohibentur. Inobedientes vero vestium amissione, & aliis pecuniariis pœnis ab episcopis afficiantur.

CAP. I.

De vita, & honestate clericorum.

Clericorum vita & honestas cum talis esse debeat, ut nec in minimo ecclesiasticæ disciplinæ candorem lædere, vel cujusque aspectum offendere posse videatur, omnes & quoscunque clericos hortamur & monemus, ut ita mores suos componant, ut cæteri iis accensi virtutes tantum sectentur, ac vitia detestentur; quod facile efficient, si Deum timendo, & pietatem colendo, omnibus animi virtutibus ornari studeant, & quæ ad eorum munus exequendum spectant religionis zelo scire contendant. Lectioni igitur sacræ scripturæ attendant, librosque, & præsertim Catechismum Romanum, & summulam aliquam approbatam habeant, a quibus quæ clericos scire decet capere & addiscere valeant.

CAP. II.

Et quoniam milites Christi lacrymarum, orationum, & piarum obsecrationum præsidio & ope potius, quam armis profanis tutos se reddere debent: caveant igitur clerici, qui sub protectione alarum Dei constituti sunt, ne aliquid genus armorum, quodcumque illud sit episcopis inconsultis deferre audeant; alias sciant se pro prima vice pecuniaria poena ex arbitrio mulctandos; pro secunda suspensione a divinis, & carcere puniendos; & pro tertia, habita facti & personarum consideratione, fructibus & beneficiis privandos, atque ab ordinibus deponendos esse.

CAP. III.

Caveant insuper clerici ne in comœdiis, & maxime obscœnis, choreis, hastiludiis, & id genus spectaculis intersint, nec in suis domibus, mimos, gesticulatores, histriones, joculatores, personatosve recipiant, eorumque actibus, moribus, & gestis, neque utantur. neque spectent, discedantque a locis in quibus obscenæ, vel amatoriæ cantilenæ decantantur, ac cætera quæ stultum risum, & chachinnum inducunt: a ludis taxillorum, & similium prohibitorum abstineant, aliisque ludentibus minime assistant, nec in suis ædibus ludere permittant: ludum autem scacchorum, & pileæ in loco privato recreationis vel exercitii causa non improbamus sub poena ab ordinariis imponenda.

CAP. IV.

Isaiæ c. Propterea.

Et cum dicat Propheta, *veh qui consurgitis mane ad ream ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis:* abstineant propterea clerici a Tabernis (præter necessitatis casum in itinere) a crapulis, comessationibus, & ebrietatibus, memores regnum Dei escam & potum non esse; sed cum insimul refectionem sumere contigerit, mensam prius benedicant, cibum modeste sumant, esculentis melioribus seligendis non relaxentur, ad bibendum mutuo non sollicitentur; omissis inanibus fabulis, aliquid seorsum & pium proponant superque eo sermocinentur; & completo naturæ obsequio gratias Deo persolvant: in omnibus ita se gerant, ut Dei, & non gulæ ministros se esse ostendant.

CAP. V.

Præter crapulam, & ebrietatem, fornicationem etiam a canonibus, & noviſſime a sacrosancto concilio Tridentino detestatam devitent clerici, dicente alio Propheta: *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor*: cum suspectis ideo, & aliis mulieribus, quæ de jure cum clericis cohabitare prohibentur, non solum cohabitationem, sed nec etiam familiaritatem, conversationem, vel etiam collocutionem habeant.

ANNO CHRISTI 1597.

beant. Pariter nec domos ecclesiæ, vel patrimoniales inhonestis mulieribus inhabitandas quovis titulo concedant, nec filios ex illegitimo eorum ortu procreatos in altaris ministerio inservire, vel beneficia, seu pensionem in eadem ecclesia retinere patiantur, cum ad illa obtinenda ex concilii Tridentini decreto sint incapaces.

CAP. I.

De negotiis clericis prohibitis.

S. Timot. 2.

Non decet Deo militantes se negotiis sæcularibus implicare, ut cui se probarunt placere possint. Clerici idcirco cujuscumque gradus & conditionis sint, præterquam

Decretal. ne Cleric. vel Monac. sæcul.

in casibus a jure concessis, & de ordinarii expressa licentia, sæcularia negotia non administrent, aut quovis titulo gerant, turpi villicationi, vel artificio clericali ordini indecenti non se ingerant, prædia non conducant, mercaturæ præsertim (ubi illicitus quæstus exigitur) operam non dent, nec uti proxenetæ, seu mediatores se exhi-

Conc. Trid. sess. 22. c. de ref.

beant. Laicorum negociationes, seu procurationes, tutelas, & curas (nisi aliter misericordia suadeat) non suscipiant Tabellionatus, notariatusve, aut advocati officium, extra casus a jure permissos, minime gerant: medicinæ, & præsertim chirurgiæ artem non exerceant; mulieribus nobilibus præcedendo, sequendo, vel lateri inhærendo nullo pacto inserviant, aut discumbentibus assistant. Ecclesiasticis quoque personis in vilibus, & clero non decentibus famulando obsequium non præstent; venationis, & aucupii exercitium, sacris canonibus adversans, minime obeant; canes & alia animalia pro venatione non alant, & ab omnibus aliis, quæ a divinarum rerum contemplatione, & studiis sanctioribus abducere soleant, prorsus abstineant; & ut omnia paucis perstringamus, quæ ab œcumenicis conciliis, & apostolicis constitutionibus, & a sacris canonibus circa mores, & clericorum honestatem sancita sunt, sub poenis in eis contentis, ac aliis arbitrio episcoporum imponendis omnino observent, & ut clericorum paupertati occurratur, exercitium alicujus honestæ artis, ipsis non denegamus, qua victum, & vestitum quærere valeant.

CAP. I.

De parochiis.

Sess. 25. c. XVI. de reform.

Parochiæ ne debita fraudentur cura, animadvertant episcopi; etsi aliqua in parte diminuta, vel in totum sublata fuerit, in pristinum restituatur; & ubi contra eorum institutionem & fundationem per constitutionem capellanorum divisi fuerint redditus, morte, seu cessione rectoris, vel capellani uniantur, adeo quod in totum tollantur capellaniæ, & curanigerenti integrum remaneat beneficium; idemque juxta sacrosancti concilii Tridentini decretum, in vicariis perpetuis observent, nec in posterum ullo unquam pacto beneficia curata in simplicia reducantur.

CAP. II.

ANNO CHRISTI 159

Duas pluraſve parochias seu incompatibilia beneficia per viam unionis, vicariæve perpetuæ contra juris formam & sacrosancti concilii Tridentini decreta pertinaciter retinentes, earum & aliorum beneficiorum incompatibilium, etiam in alienis dioecesibus existentium privatos esse declarent episcopi; & si dispensatione Apostolica se tueri posse credant eam, exhibere faciant, decretumque ejusdem concilii, & summi pontificis voluntatem omnino observari curent.

Sess. 24 c. 17.

CAP. III.

Congruum est autem, ut singulæ oves suum agnoscant pastorem, quodque ab ipso cognoscantur; siquæ igitur erunt parochiæ non habentes fines, ab episcopis distinguantur, & sublatis parochianorum dissensionibus, omnes alicui parochiæ subjiciantur, a qua tantummodo ex officio sacramenta suscipiant. Si vero ita numerosæ sint oves, ut unus pastor sufficere non possit omnibus; vel ita distantes, ut nisi magno cum incommodo parochiali ecclesiæ convenire non valeant, vel in casu necessitatis eis domi sacramenta deferri non possint, alii sacerdotes, ex decreto sacrosancti concilii Tridentini (parocho etiam invito) in quantum facultates suppetant, adjungantur, aut novæ constituantur parochiæ, assignata rectori competenti portione, arbitrio episcopi, ex fructibus quomodocumque ad ecclesiam matricem pertinentibus; & si necesse fuerit, episcopus compellat populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam rectoris prædicti substentandam; quemadmodum Tridentini concilii decreto carentur: ubi vero in nemoribus, & summitatibus montium, extra commercium hominum constitutæ sunt parochiæ, in quibus nisi maximo cum incommodo, & parochorum, & parochianorum periculo, sacramenta ministrari non possunt; jubeant episcopi sacramenta ipsa in alia commodiori ecclesia retineri, atque ministrari, dummodo parochiæ missis & aliis annexis non defraudentur.

CAP. I.

De parochorum residentia.

Sess. 6. c
Sess. 23.
1.

Animarum boni regiminis summa in parochorum residentia & vigilantia consistere videtur; maxima ideo episcoporum sollicitudo erit in redigendis curatis, ut propositis poenis a sacrosancto concilio Tridentino, & bullis apostolicis contra non residentes indictis, unusquisque personaliter, & non per interpositam mercenariamque personam suum exequatur munus, & in propria parochia resideat.

Bulla P
IV. & V
kal. De
Pii V
idus Jul
1508.

CAP. II.

Curent autem episcopi, ne curati possint discedere ab eorum ecclesia ultra tres dies

sine

ANNO CHRISTI 1597.

sine licentia eorundem episcoporum, & teneantur tam in illis tribus diebus, quam in aliis, pro quibus licentiam habuerint, relinquere idoneum sacerdotem pro administrandis sacrosanctis sacramentis ab ordinario approbatum; contrafacientes severe puniantur arbitrio ejusdem ordinarii.

CAP. I.

De parochi cura.

Parochi omnes, & animarum curam gerentes ecclesiarum suarum domos inhabitent, ut administrandis sacramentis ovibus suis præsto esse possiut; ecclesiis vero, si ædes non habent, curent episcopi, (quam primum fieri poterit) construi & interim parochos in parochia, & commodo loco commorari, ne propter eorum distantiam, vel negligentiam quemquam sine sacramentis ab hac vita discedere contingat, quod si propter eorum desidiam, & culpam (quod Deus avertat) evenerit, suspendantur, & pro modo culpæ beneficiis priventur.

CAP II.

Animarum sibi commissarum periculo, omni pietate, ac diligentia, proprio non studentes commodo occurrant parochi; ne suarum patiantur detrimentum. Infirmos ideo frequenter visitent, charitateve consolentur, debitis sacramentis non fraudent, necessariis monitionibus non parcant, omnique conatu elaborent, ut commissorum scelerum pœniteant; veniamque a Deo petant, & mortem, (cum ideo vocati fuerint) libenti animo, & ejus amore subsineant.

CAP. III.

Sciant deinde parochi, sanctorum concilii Tridentini authoritate & decreto, singulis dominicis & festivis diebus teneri pro suæ doctrinæ sufficientia & ratione gregem sibi commissum doctrina, verbo & exemplo publice in viam salutis & ad bonos mores dirigere, pueroque per se, vel alium ad id idoneum rudimenta fidei Christianæ edocere, edoctosque ab aliis, & recitantes audire; quod ut facilius executioni mandari possit, parentes hortentur episcopi, ut filios præscripto loco & diebus ad percipiendam doctrinam Christianam mittant. Ubi vero parochos ad id minime aptos invenerint, in eos juxta formam sacrosancti Tridentini provideant.

CAP. IV.

Curati oves suas cognoscant, numerumque per nomen, & cognomen libro episcopo in visitatione consignando quam diligentissime conscribant, inquirantque, num sint aliqui foeneratores, homicidæ, adulteri, concubinarii, & aliis similibus criminibus & delictis irretiti, quibus inventis, si publici sint delinquentes, statim episcopo suo deferant; si vero secreti, paterne moneant, ut a peccato abstineant, & si non audierint pariter eos deferant.

CAP. V.

ANNO CHRISTI 1597.

Parochi, quotannis ab episcopo casus, tam ab ipso, quam a sede postolica reservatos accipiant, populisque suis publicent, casusque, in quibus ex Apostolicis decretis, præsertim bulla in Coena Domini, ex canonum dispositione, & ex constitutionibus synodalibus, author itateque ordinaria ipso facto incurritur excommunicatio, ut ab illis cavere valeant, enuncient; frequenterque moneant, ut a peccatis abstineant, ac bene operentus, animæque saluti attendant; & quæ a viro Christiano sequenda & evitanda sunt dilucidis verbis declarent: & cum sacramenta sunt ministraturi, eorum vim, & usum populo ex præcepto sacrosancti concilii Tridentini explicent. Sess. 24. c. 7.

CAP. VI.

Caveant episcopi, parochos non solum apud se habere libros, quos clericos omnes habere maxime congruit, scilicet utrumque Testamentum, Romanum cathechismum, sacrosanctum concilium Tridentinum, & hujus nostræ synodalis provinciæ tractatum; sed etiam librum administrandi Sacramenta ad eos spectantia, & aliquam de casibus conscientiæ summam, in quorum studiis diligenter versentur, ne duces cæcorum jure possint a Domino appellari, atque ut animarum homicidæ merito puniantur. Matth. 5.

CAP. VII.

Ad ecclesiasticam sepulturam defunctum aliquem cujuscumque conditionis, status, & sexus extiterit, parochus non recipiat, si constiterit ipsum ab anno nec fuisse confessum, nec Sac. Eucharistia refectum, nec mortis tempore signa dedisse contritionis manifesta.

CAP. VIII.

Nemo presbyterorum curatorum ab una ad aliam parochiam, inscio episcopo & sine mandato, se transferat, ut in ea inserviat, & ministret, sub poena ordinarii arbitrio infligenda. Nemo etiam audeat falcem in alienam messem mittere, parochiam ingrediendo, sacramenta ministrando, ac cætera parochialia munera obeundo; sed quisque intra suos limites se contineat, & nullo modo eos transgrediatur.

CAP. IX.

Si aliquem parochum tam civitatis, quam Dioecesis ægrotare contigerit, aut ex hac vita recedere, qui cæteris illi est propinquior & vicinior, ordinarium de illius infirmitate atque obitu quam primum certiorem faciat, alias episcopi arbitrio mulctetur.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. X.

Habeat quisque parochus librum vel tabulam, ubi descripta sint anniversaria ad quæ ecclesia tenetur, nec animæ defunctorum, & piæ voluntates defraudentur.

CAP. XI.

Curent parochi infantes baptizatos in lecto non retineri nisi post annum; edoceant obstetrices veram baptizandi formam, quibus baptizandi munus interdicant sub excommunicationis poena, si eandem baptizandi formam addiscere capaces non fuerint; & quod, nisi in necessitatis articulo baptizare audeant, admonitas faciant.

CAP. I.

De officio, & horis canonicis.

Præceptis sacrosancti concilii Lateranensis sub Leone decimo obtemperantes, clerici beneficiati, vel in majoribus ordinibus constituti, officium divinum quotidie, juxta formam Romani Breviarii sanctæ memoriæ Pii V. jussu editi, & decreto sacrosancti concilii Tridentini, & modo ab eodem præscripto recitent, ne poenas in ejus diplomate indictas incurrant. Pariter qui horas canonicas de jure, consuetudineve ecclesiæ, aut ex decreto episcoporum psallere tenentur, singuloque die horis competentibus pulsataque campana, stolis induti, & in medio cujuslibet versiculi facta condecenti pausa, non raptim, sed quo magis devote fieri poterit, ipsas persolvere studeant; habita tamen dierum festivorum, & ferialium, & diversitatis temporum, laudabiliumque consuetudinum distinctione atque discretione; ne quid extraneum, dum choro sunt, quo animus a Deo altrahi possit, gerant, omnesque simul surgant, sedeant, genuflectant, aut caput aperiant, prout res ipsa postulare videbitur.

CAP. II.

Præscribat episcopus horas, quibus clerici in celebrandis divinis officiis occupentur. Clerici autem statutis horis ecclesiam adeuntes superpelliceo, vel aliis pro conditione ac officii dignitate indumentis induantur. Ad ultimum campanæ signum in festivitatibus solemnibus e sacristia, vel capitulo simul omnes egrediantur, ordine tamen decore servato, coramque altari flexis genibus paulisper orent; deinde ad chorum accedentes suum quisque locum teneat, & illum non mutet hinc inde vagando, & dum divina officia celebrantur nullus cum aliquo colloquatur, nullus aliis psallentibus in choro privatim legat, sed unus sit psallentium concentus, unus itidem spiritus; nullus demum ibi rideat vel dormiat, sed mente atque corde in Deum cuncti intendere studeant.

CAP. III.

Cum in fine psalmi, aut hymni, *Gloria Patri*, vel aliquid simile pronunciatur; cum sanctissima Jesu, Mariæque nomina proferuntur, omnes religiose assurgant, apertoque capite cum magna reverentia super pectus inclinent. Recitatis autem horis canonicis flexis genibus aliquantisper orent; & ubi signum præfectus chori dederit, surgant omnes, seque invicem salutent, atque exhibita altari debita reverentia, ad sacristiam, vel capitulum modeste, quieteque se conferentes, inibi superpelliceum deponant.

CAP. IV.

Qui vero officium beatæ semper Virginis Mariæ quavis causa recitari tenentur, omnibus aliis omissis, solum ejusdemmet sanctitatis jussu Romæ impressum, tam in choro, quam extra recitent, nisi aliud religionis proprium a ducentis annis ultra, & a sede Apostolica approbatum, habeant, quod etiam de superiorum licentia in hoc commutare possint, prout in dicta sua bulla disponitur; cujus vigore curent episcopi, etiam a laicis recitari, a quibus cætera quovis titulo ante impressa eis corrigenda, & deinde restituenda deferri mandent: caveant tamen ne vulgari idiomate composita restituantur. V. S. Martii 1571.

CAP. I.

De distributionibus quotidianis.

Distributiones quotidianas ex sacrosancti concilii Tridentini decreto recipiant tantum qui statis horis interfuerint; absentes vero quacumque collusione, remissione, consuetudine etiam immemorabili, aut conventione non obstante his careant; ab his excipiatur pœnitentiarius, qui dum confessiones audit, censeatur tamquam præsens in choro juxta sacrosancti concilii Tridentini decretum. Sess. 24 12. Sess. 24 3.

CAP. II.

Si quis ad matutinas horas ante finem primi nocturni, hoc est ante finem tertii psalmi, vel ad alias ante finem primi psalmi illius horæ non venerit, distributione careat, & pro absente reputetur. Idem de illo dicitur, qui ad missam ante finem epistolæ non accesserit, nisi consuetudo adsit quod antea accedere teneatur, quæ omnino servetur. Si quis officium ante inchoare præsumpserit, quam in choro prædicto ordine conveniant, illius horæ distributionem amittat, & graviter quoque ab episcopo mulctetur: eisdem poenis subjacebit prædicta negligens.

CAP.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. I.

De choro, ejusque officialibus.

Prohibeant episcopi laicis cujuscunque conditionis (ubi ita expedire judicaverint) ne contra Sacrorum Canonum decreta, in choro dum divina officia peraguntur residеant, commorenturque; renitentes verò censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis pecuniariis in pios usus pro eorum arbitrio convertendis coerceant.

CAP. II.

Cum in oratorio nemo aliquid agere debeat, nisi id ad quod factum est, ut Sanctus Augustinus docet; proinde in choro, qui præcipuus orationis locus est, statis temporibus clerici omnes adsint, & quæcumque ad ipsum pertinuerint ecclesiastica ministeria alacriter obeant, & summa pietate persolvant, psallentes Domino in timore, atque illi exultantes cum tremore.

CAP. I.

De chori Præfecto, seu Cantore.

Ad episcopum spectare videtur, aliquem choro præficere, qui proinde chori præfectus, seu cantor vocetur, quique pervigilet ne quid prætermittatur in divini officii institutione, vel progressione, vel in reliquis, quæ ad probatam rationem chori spectare dignoscantur, & aliis quæ in divinis officiis obeundis sunt necessaria, nevè indecorè, vel præposterè quidquam fiat: cum autem cantorem, veluti præeuntem, alii psallendo sequi debeant, ille huic muneri obeundo præficiatur, qui bene canere, ac voce intelligibili, & canora psallere inter alios reperitur.

CAP. II.

Ad eum etiam spectabit eos qui officio suo in choro non satisfaciunt graviter & amanter objurgare; si non resipuerint, jubeat punctatorem in libro illos non describere, & in re gravi ad episcopum deferre, ut dignos pœnas subeant.

CAP. I.

De Magistro Chori.

Succentor, seu magister chori, qui divinis officiis celebrandis tamquam magister est, denunciet officium simplex, vel solemne celebrandum; quando de dominica, de festo, vel de feria, quæ antiphonæ, orationes, psalmi, lectiones recitandæ aut canendæ; tabellam in sacristia affigendam una cum cantore conficiat, in qua præscribatur quid a singulis dignitatibus, canonicis, vel aliis beneficiatis in singulis horis per hebdomadam aut etiam per plures dies recitandum cantandumve sit, qui pro tempore aut Missam ordine celebrare, vel horas dicere, vel alia munera obire debeant: qui atem quod ei in tabella præscriptum fuerit, in quam horam peccaverit, ejus distributiones amittat. Si succentor deliquerit, a cantore objurgetur, & ab episcopo pro delicti modo puniatur.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. II.

Ut autem in cujuscumque cathedralis, vel collegiatæ ecclesiæ insigni loco omnia ordine debito agantur, ubi de consuetudine vel instituto chori præfectus vel magister non est, quam primum instituatur, & aliquis ex eis hoc munus suscipere compellatur. Hic curabit absentes & præsentes per punctatorem annotari, & qua decet religione divina officia ita persolvantur, ut cum populorum scandalo errores non fiant, sed ab eis singuli cavere debeant.

CAP. I.

De sacrista.

Sacrista, in quibus ecclesiis non est, adhibeatur, qui sacristiæ, & ecclesiæ curam gerat, ut quæ ad divina peragenda requirantur præsto & nitida sint, nihilque in eis profanum a clericis agi tractarique permittat, nihilque sordidum, immundum, aut inornatum relinquat: & ita se gerat, ut omnia (quo decet cultu) splendeant. Ad eum spectabit curare, ut ille qui præest campanis pulsandis, habita dierum solemnium & aliorum ratione, missæ atque cæterorum divinorum officiorum signa det, atque ter etiam quolibet die campanam majorem pulsare, videlicet, in aurora, in meridie, & in vesperis, quo fideles ad Deiparam salutandam excitentur, quod a parochis omnibus etiam fieri mandamus.

CAP. II.

Curam vero non mediocrem adhibeat, ut quæ de sacrosanctæ Eucharistiæ administratione, deque missarum celebratione dicta sunt, diligenter quisque exequatur. Item ut aqua benedicta singulis saltem hebdomadibus renovetur. Altaria præsertim festis diebus, decenter ornet, & chorus verratur, & nihil sordidum, & indecorum in ecclesia inveniatur.

CAP. III.

Tres tabellas in sacristia semper habeat, unam in qua omnes Missæ, atque officia pro mortuis, & reliqua descripta sint, quæ ex impositio onere, ac munere quacumque de causa in ecclesia celebrare oportet: altera, in qua uniuscujusque dignitatis, canonicatus, præbendæ, capellæ, altaris, seu alterius beneficii, & officii ejus ecclesiæ in Missis, & aliis divinis officiis obeundis debita munera contineantur, & etiam, quæ supra diximus a succentore con-

ANNO CHRISTI 1597.

conficiendam esse, & non permittat ecclesiam defraudari debito missarum munere, sed pro viribus curet, quod omnes suas missas, suis statutis diebus, & horis ad altaria sua celebrent, & quæ in dictis tribus tabellis præscripta sunt munera, curet a quibus debent omnino præstentur, negligentes, episcopo, aut ejus vicario denunciando.

CAP. IV.

Non permittat sacerdotes celebraturos plures duobus apparatos manere in sacristia; sed cum opus fuerit per se vel alium vocet celebraturum sacerdotem, & nemini permittat, ut sacris vestibus induatur, nisi tunc, cum ei Missa celebranda sit; det etiam operam, ut e sacristia sermones de inanibus, profanisque rebus, multoque magis clamores, strepitus, jurgia, & rixæ omnes arceantur; laicosque ibi manere non patiantur.

CAP. V.

Caveant etiam, quod sæpius in anno omnia linea paramenta munda fiant; calices, patenas, & corporalia, cum pallis & suis manutergiis munda & candida teneat. Quando celebrandum erit in aliquo altari, per clericos deputatos, ampullas præparatas, quæ ex vitro sint, cum vino & aqua limpida, luminariaque portare faciat, cæteraque a sacristia ad divina officia necessaria præparet, ut nihil scandali oriri contingat.

CAP. I.

De mansionariis.

Mansionarii, quasi columnæ totum fere horarum ac divinorum officiorum pondus sustinentes, in ecclesiis ubi sunt per se ipsos munus suum obeuntes, quotidie ad omnes horas intersint; & quando opportuerit ad lectorile accedant, ut antiphonas, responsoria, gradualia, & alia recitent atque decantent; solemnibus festis diebus & quoties opus fuerit pluviali induant, nisi alii nominatim huic officio præfecti fuerint. Si muneri suo defuerint, illius horæ, in qua non satisfecerint distributionibus priventur, & alii illorum officii partem suscipiant.

CAP. II.

Item, ut suo muneri satisfacere valeant, ab illis oneribus liberentur, quibus ad chori utilitatem magistri cæremoniarum & ejus, qui choro præest, arbitrio levandi videbuntur; neque quo tempore divina officia in choro fiunt parvam missam celebrent, nisi necessitas aliqua interdum urgeat.

CAP. III.

Ex istis mansionariis in singulas hebdomadas deligantur duo sacerdotes, quorum alter officium divinum exordiatur & perficiat, consistens in medio chori, vel ad lectorile, quod ab ea parte sit ubi is fuerit; Missam etiam canat, nisi alii sint ei muneri præpositi: alter psalmorum tonum instituat pro tempore, & antiphonarum; quæ ubi legendæ fuerint, ab ipso tantum, vel solum ab alio legantur. Diebus vero festis in decantandis antiphonis, dignitatibus, & canonicis, & aliis voce præeat, & quæ cantanda & legenda sunt ipsis, indicet. Is antequam officium inchoetur, chorum ingressus librum præparet, missam, psalmos, antiphonas, & alia, quæ usus requisierit, inveniat. Qui vero ex mansionariis in suo munere contumaces vel negligentes fuerint, pro modo culpæ distributionibus careant, & aliis poenis arbitrio ordinarii subiiciantur.

ANN CHRISTI 1597

CAP. I.

De punctatore.

Punctator singulo quoque anno, vel juxta consuetudinem ecclesiæ constituatur, cui juramentum deferatur, de bene, ac legitime officium suum exercendo sub dupli, quanti id fuerit, & perjurii poena. Singulis autem mensibus punctationum librum episcopo, & capitulo præsentare teneatur, qui si non recte se habere fuerit cognitum, negligentiæ suæ poenas, dupli scilicet, ac perjurii dare compellatur.

CAP. II.

Ut autem hoc officium melius exerceatur, & nemini injuste remitti, aut adimi possit, hæc synodus statuit, ut præter electum a capitulo, alter punctator sit, qui ab episcopo constituatur, isque apud eum suprascripto juramento præstito notet omnes in alio libro qui suo muneri defuerint; & singulis hebdomadarum sabbatis diebus, festo non impeditis, ambos inter se libros conferant; & si discrepaverint aliqua in re, coram episcopo vel vicario compareant, ad hoc ut tollatur omnis illorum controversia sine strepitu, & figura judicii.

CAP. I.

De cæremoniarum magistro.

Cæremoniarum magistro ubi non est in cathedralibus, & collegiatis præsertim insignioribus, is ab episcopo eligatur, qui de clero aptior, in cerimoniis instructior, & in divinorum celebratione optime sit versatus, atque huic muneri satisfacere possit; nec ei sub censura suspensionis, & aliis pœnis arbitrariis officium injunctum recusare liceat, sed illud omni qua decet modestia studeat susceptum adimplere.

CAP. II.

Is vero quæcunque ad cæremonias attinent curare debet, ut quam diligentissime rite, & ex ordine in ecclesia, vel extra peragantur, cui ut ab omnibus quoad cæremonias ipsas pareatur, quicunque ille sit, episcopi

ANNO CHRISTI 1597.

pi efficiant, & quos contumaces invenerint (quamvis canonici sint vel in aliqua alia dignitate ecclesiastica constituti) ex officio corripiant, ac debitis poenis afficiant, quemadmodum, & ipse, si in his, quæ sui muneris sunt quovis modo compertus fuerit deliquisse, episcopi arbitratu puniatur, vel emendetur.

CAP. I.

De musicæ magistro.

Magistrum musices in supradictis ecclesiis, ubi fieri poterit, clericum, & bonis moribus ornatum pro ecclesiæ facultatibus congrua ei mercede proposita, episcopi contendant haberi, qui ecclesiasticum cantum, & musicam aliquos clericos edoceat, & diebus saltem festivis insimul coacti, devota, & intelligibili modulatione, atque cantu Deum laudent, populumque ad conveniendum ecclesiæ alliciant. Is etiam idem sit, qui Seminarii pueros ecclesiasticos cantus edoceat, vel alius pro ecclesiæ cujusque dignitate, & qualitate episcopi judicio adhibeatur.

CAP. II.

In ecclesiis autem, ubi redditus pro cantorum sunt instituti mercede, curent episcopi, ut veræ musicæ artis peritis clericis (ubi haberi possint) tribuantur; alioquin laicis, qui tamen clericalibus vestibus, sacrorum tempore si commodè fieri poterit, induantur, pro stipendio assignentur, qui si statis diebus, quicunque sint, suo muneri defuerint, ex eorum mercede portio aliqua episcopi arbitrio detrahatur; eademque ratio in musicæ magistro, atque aliis ecclesiæ ministris ser etur, quo majori in suis officiis sollicitudine utantur.

CAP. III.

Nihil prophanum, seu lascivum in cantu misceatur, ex dispositione Sacrosancti Concilii Tridentini; sed musici cantus ejusmodi in ecclesia adhibeantur, qui populum ad devotionem, ac sanctitatem provocent; divinæ laudes musicis rithmis non involvantur, aut implicentur, sed explicitè proferantur, atque ita ut clarè intelligi possint; gradualia verò introitus, atque alia hujusmodi plano cantu, ut vocant, annotata, juxta canonicas sanctiones a suo originali tono minime alterentur. Liberum tamen sit cantoribus consonantias aliquas adjungere, vel minuere, non mutata cantus origine.

CAP. I.

De organo.

In cathedralibus ecclesiis organa divinorum causa ex vetusto ecclesiæ instituto sint: nec non qui ea pro ecclesiæ dignitate, atque ex arte pulsent adhibeantur, mercede eisdem, juxta ecclesiarum consuetudinem, & ea deficiente pro episcoporum taxatione persolvenda.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. II.

In organis autem nihil lascivum aut impurum, & sacrosancti concilii Tridentini præcepto, canere quis audeat; nec pulsando profana sacris, impura sanctis, & lasciva salutaribus misceantur, neque criminosi adsimul modulandum admittantur. Sit autem organorum sonus, & vocum in illis modulatio hujusmodi, quæ ad religionem, ac mentis elevationem in Deum audientes excitent, non ut aures vulgi tantumodo mulceat.

CAP. III.

Alia vero instrumentorum genera præter organa non adhibeantur, nisi aliud ex aliqua causa interdum episcopo videatur pro tempore & loci qualitate, quod religioni congruere judicaverit pro sua prudentia.

CAP. I.

De sanctimonialibus eorumque monasteriis.

Quæ in sanctimonialium, & earum monasteriorum materia a sacris canonibus, & a sacrosanctis conciliis, & summis Pontificibus per eorum diplomata, vel quovis alio modo constituta sancitave fuere, omni adhibita diligentia adamussim observari curent episcopi atque locorum ordinarii; inprimisque, quam maxime intendant, ut vagantes & apostatantes moniales, ad monasteria reducantur; in quibus perpetuam, integram, inviolatamque clausuram, juxta Bonifacii VIII. constitutionem a sacrosancto concilio Tridentino renovatam, restitui, conservarique mandent; ac eam (præterquam in casibus necessitatis) ab ipsis cognoscendis & approbandis; tam a sanctimonialibus quam a quibuscunque aliis quovis prætextu & causa, sub poenis a prædicto sacr. concilio Tridentino, & a Pio V. sanctæ memoriæ in ejus bullis, non solum contra violantes, sed etiam contra auxilium præstantes, associantes, & recipientes indictis, violari minime permittant, eaque plerumque publicari faciant, ut omnium memoriæ redactæ evitari possint; præcipientes etiam omnibus confessariis, capellanis, curatoribus, famulis, & quibuscunque aliis cujusvis gradus, status, conditionis, qualitatis, ætatis, sexus esse reperiantur, sub excommunicationis latæ sententiæ censura, ne intra monasteriorum septa (quamvis etiam urgente causa) pernoctare audeant. Ingredi autem valeant, quandocumque occurrerit, cum licentia superioris, in scripto obtenta, quæ non concedatur, nisi ex necessaria causa, ex dispositione sacrosancti concilii Tridentini.

CAP.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. II.

Monasteriorum januæ semper clausæ maneant, noctesque ad minus duabus clavibus, quarum una ab abbatissa, alia a seniori janitrice asservari debeat; die vero una clavi ab eademmet janitrice custodienda claudantur; nec præter necessitatis casus, & nisi duabus deputatis præsentibus, atque hora competenti aperiantur; dumque aperiuntur, aliæ moniales non adsint, nec quæ extra fiunt aspiciant, vel quemquam alloquantur; & ubi aliquem (necessitatis gratia) monasteria ingredi contigerit, omnes dato campanelli signo in cubiculum vel alio se recipiant, ne ab ingresso videri valeant; inobedientes carcere, jejunio, & disciplina coerceri mandent episcopi.

CAP. III.

Visitent diligenter episcopi monasteriorum loca & crates ferreas quascumque, an de facile ingredi, rumpi trascendive possint; an fenestræ conspicuæ sint; anve privatorum domus ita juxta monasteria sint, ut moniales alloquentes audiri, vel ita eminentes, ut deambulantes vel stantes conspici valeant; & an etiam ecclesiæ, in quibus ad divina officia conveniunt populi, intra claustra sint: quibus inventis pro eorum prudentia, pietate, ac religione juxta canonicas sanctiones provideant.

CAP. IV.

Prohibeant tamen episcopi ne in fenestris moniales commorentur, ac quemquam absque eorum licentia in scriptis (nisi fratres, aut parentes in primo gradu sint), & sine præsentia abbatissæ, vel alterius ab ea deputandæ colloquantur; & tunc nisi ad rotam vel cratem ferream duplicem, & telam nigram (ne videantur) ante se habentem; nec deposita facienda, literas, aut munera etiam a consanguineis missa absque abbatissæ licentia recipiant; nec alicui mittant esculenta, poculenta, bellaria ve laicis parent, vel faciant, neve ipsa inconsulta aliquid emere, aut vendere, aut quid proprium retinere præsumant; sed omnia juxta sacrosancti concilii Tridentini decretum sint communia, etiamsi ex propriis laboribus parta sint; quibus duæ moniales præficiantur, quarum una sit ad rotam, & quæ elaboranda sint recipere, & elaborata (accepta mercede) abbatissæ consignanda restituere sit sollicita.

CAP. V.

Inhibeant insuper episcopi, ne famulæ particulares a monialibus retineantur, sed in universali tantum; quæ conversæ sint, & quæ clausuram servent. Sæculares vero quam primum a monasteriis ejiciant, nec unquam ipsis vel aliis mulieribus ejus septa ingredi patiantur.

CAP. VI.

Curent præterea episcopi, ut omnes moniales in communi refectorio, (nisi justa causa, & licentia abbatissæ excusentur) in quo, vel earum regulæ, vel præsentes nostræ constitutiones, vel aliquid sacræ scripturæ pro tempore occurrentis, vel historia ejus sancti cujus dies festus agetur, vel aliquis pius, devotus, ac salutaris liber legatur, sobrie, & cum silentio cibum sumant, & ut in diversis separatisque lectis in communi tamen dormitorio (ubi fieri potest) cubent, in quo ad pulsum campanellæ adesse, & ibi clausæ ab abbatissa custodiendæ claudi, & nocte num ad eorum loca dormiant visitari debeant; & ubi in cubiculis quiescendum erit, ipsis apertis dormiant, pariterque visitentur: in ipsisque cubiculis non picturas profanas, sed tantum Christi, & sanctorum habeant. Quibuscunque monasteriis monialium confessionibus audiendis religiosos ad id aptos moribus, ætate, & doctrina præditos præficiant episcopi, mandentque ex sacrosancti concilii Tridentini decreto omnibus monialibus, ut saltem semel in mense a suo confessario, & eligendo, conscientiam suam a peccatis purgent, Eucharistiæque sacramento se muniant, quod nullo pacto intra monasterii septa retineri permittatur.

CAP. VII.

Provideant deinceps episcopi, ne contra sacrosancti concilii Tridentini depositionem, pro ingressu monasterii ante professionem a monachandis (quibus sanctarum, & non gentilium nomina imponantur) præter illa, quæ ad victum pertinent, accipiantur neve in ipsis monasteriis, ex ejusdem concilii decreto plures recipiantur moniales, quam quæ ex eorum redditibus & solitis eleemosynis commode substentari valeant; jubeantque, ne ipsis insciis aliqua ad religionis habitum, vel ad professionem admittatur, ut juxta prædicti concilii decretum eorum mentem, & an etiam recte legere, & officium recitare sciant, explorare possit. Debeant etiam novitiæ, antequam professionem emittant, in lectura, cantu, & regula esse instructæ, ut cum professæ fuerint onus suum subeant, aliasque potius doceant, quam ab aliis doceantur; quod ut ita eveniat, magistra aliqua novitiis præficiatur, quæ in his eas & aliis necessariis instruat atque erudiat.

CAP. VIII.

Novitias post probationis annum a sacrosancto Tridentino concilio statutum professionis emissionem differre non patiantur episcopi, qui ex ejusdem concilii dispositione per mensem ante certiorandi erunt. Caveat tamen unusquisque, cujusvis conditionis, gradus, & status existat, ne mulierem virginem, vel viduam (præterquam in casibus a jure conceſſis) invitam ad professionem emittendam vel religionem intrandum compel-

ANNO CHRISTI 1597.

pellat, neve ingredi vel profiteri volentem impediat, ut censuram anathematis ab ejusdem sacrosancti concilii Tridentini decreto, tam contra ipsos, quam contra præsentiam, auxilium, favorem, & auctoritatem præstantes, indictam evitent: quod decretum frequenter populis publicari curabunt episcopi.

CAP. IX.

Ægrotantium curæ præficiatur aliqua monialis charitativa & solers, ægrotantesque quotidie ab abbatissa visitentur, ne quid eis tam ad animæ, quam ad corporis salutem deficiat: ubi vero abbatissa negligens erit, & monita recipere noluerit, pro modo culpæ suspendatur, vel etiam ab officio deponantur, aliqua juxta sacrosancti concilii Tridentini decretum eligatur, quod semper in abbatissarum electione servetur.

CAP. X.

Moniales vero omnes tam abbatissæ, quam aliis superioribus ad nutum pareant, debitamque reverentiam, & obedientiam præstent: sint modestæ, humiles, Dei timidæ, eique cum attentione orationes porrigant, debitisque horis pulsante officium diurnum & nocturnum dicant; & tunc tam in dormitorio, & claustro, quam in ecclesia luminaria accensa teneant. Verbum Dei libenter audiant: sacrosancta poenitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta frequentent, regulam quam profitentur vulgari sermone legant: pudicitiam non solum corporis, sed etiam animi conservent: carnem spiritui rebellem jejuniis, & præsertim a regula institutis, mortificent, eamque in servitutem redigant: quarta feria extra Adventum, & Quadragesimam ab esu carnium abstineant: inmensa sobrie refectionem sumant, ac eam ante cibum benedicant, & in ipsa lectioni attendant. Postea Deo gratias agant: habitum monachalem secundum regulam semper deferant, nec unquam habitus seculares recreationis, vel quavis alia causa induantur, vestibus, & foderaturis contra jura non utantur: faciem fuco non pingant, capillaturam non ornent, eamque tonsam semper habeant, annulos non superbiæ, sed castitatis, signo, immodesti pretii, benedictæ, digito non gestent: Canes non nutriant: In altari vel sacrario non ministrent, alicui non detrahant, aut quemquam afficiant convitiis, murmurationibus, & sussurationibus non delectentur, otio non inserviant: in cachinnos non prorumpant, curiosa non audiant, secretas conversationes, & confabulationes evitent, verbositati & loquacitati non studeant, fabulas non narrent; choreas & cantilenas non ducant, tripudia non faciant: clamoribus non obstrepant, querulasque minime se exhibeant; sed semper, nisi de abbatissæ licentia silentium servent, ac in omnibus diligentiam, solertiam, pietatem, religionem, modestiam, mansuetudinem, obedientiam, patientiam, prudentiam, & gravitatem ostendant, ac ita se gerant, ut cum sponsus advenerit, non uti fatuas, sed prudentes Virgines, vigilantes eas inveniat.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. I.

De clericis, atque laicis pro causa spirituali, coram judice laico non conveniendis.

Ad tollendam audaciam eorum qui falcem in messem alienam ponere non verentur, sub excommunicationis atque aliis a jure indictis poenis mandamus, ne quisquam deinceps audeat clericum coram laico judice convenire, actumque judiciarium facere: in quas etiam volumus incidere ipsos judices, patientes tale judicium coram eis agitari.

Ex bull. Cœnæ Domini cas. 25. 19.

CAP. I.

De censibus, aliisque rebus ecclesiasticis & personis.

Tanta tempore hoc inolevit inclementia & infelicitas, ut Dei ministri, qui a laicis protegi, honorari, atque ali deberent, omnibus fere deprimantur, dedecorentur, atque depauperentur, & cum census, & alia, quæ eis de jure debentur, petunt, variis minis atque injuriis afficiantur, perque diversa tribunalia non sine maximo Dei contemptu & ordinis clericalis dedecore pertrahuntur, litibusque immortalibus & calumniis fatigantur; adeoque propter census modicitatem, & expensarum gravitatem, vel propter partis potentiam, vel etiam propter justitiæ administrandæ diffidentiam in perpetuum ecclesiæ præjudicium liti cedere eis necesse fiat; cui rei providere (quantum in Deo possumus) cupientes, omnes judices hortamur ac rogamus, ut personis ecclesiasticis, ac aliis ab eis causam habentibus, qua convenit charitate, justitiæ complementum ministrare velint; cæteriſque sub excommunicationis poena mandamus, ut infra quindecim dierum terminum post condemnatoriam sententiam, clericis, religiosis, monialibus, omnibusque personis ecclesiasticis, & piorum locorum administratoribus integras expensas cum principali persolvant. In quam etiam censuram incidere volumus, qui eos minis aut injuriis perterrere contendunt, ne eorum jura experiantur, ac etiam qui census per biennium eis solvere contempserint, vel usurpare præsumpserint.

CAP. I.

De decimis.

Tanta præterea auri, & facultatum augendarum crevit fames, seu potius rabies, ut plerique non modo humana, verum etiam divina contemnere non erubescant; quapropter hac insana aviditate & amore inflammati, decimas, tam per sacros canones, quam per jus divinum Deo debitas subtrahunt vel impediunt; ad quorum insaniam medendam nos sacrosancto concilio

ANNO CHRISTI 1597.

Tridentino inhærentes ſub excommunicationis cenſura mandamus omnibus his, qui eas de jure ſolvere tenentur, ut ipſas non ſolum in poſterum, ſed etiam pro præterito integras perſolvant, mandamuſque, ut epiſcopi, populos per concionatores, parochos, & confeſſarios ad eas ſolvendas induci, hortarique frequenter curent; idque facere recuſantes ex Clementis conſtitutione excommunicent.

Clem. cup. de dec.

CAP. II.

Et quia perplures inveniuntur parochiæ, quarum ita exigui ſunt redditus, ut vix pro oleo & cera emenda ſufficere valeant, nec quid vel ſaltem modicum pro parochorum victu remaneat, adeo quod ut victum aliunde quærant, eccleſiæ inſervire nequeunt, volumus ideo, ubi ordinariis expedire videbitur, omnes prædia, vel alia intra parochiarum limites poſſidentes, ad ſubveniendum rectoribus pro decimarum ſolutione, etiamſi eas nunquam ſolvere conſueverint, authoritate ejuſdem decreti ſacroſancti concilii Tridentini cogi poſſe pro ea quantitate ab modo, & forma, quæ ipſis ordinariis ſtatuta fuerit, a quibus pertinaciter ſolvere recuſantes excommunicentur, aliiſque juris, & arbitrii poenis plectantur; & ubi non ſunt prædia, quod decimæ ſolvi nequeant, cogantur parochiani ſub eiſdem poenis ad eorum parocho ſubveniendum.

Seſſ. 24. c. 13.

Seſſ. 25. c. 12.

CAP. I.

De excommunicationibus, & excommunicatis.

Cum gladius excommunicationis eccleſiæ diſciplinæ nervus eſſe comprobetur, & ad continendos in officio ſuo populos valde ſalutaris ſit; ut formidabilis & cavendus eiſdem populis, uti eſt, ſemper appareat, ſobrie ac magna circumſpectione exercendus eſt, cum experientia doceat, ſi temere levibuſque ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & pernitiem potius parere, quam ſalutem; idcirco, ne ordinarii aberrent in eo exercendo, ſervent formam a ſacroſancto concilio Trident. præſcriptam.

Seſſ. 25. c. 3. de ref.

CAP. II.

In judicialibus cauſis, ubi alia via aliiſque juridicis remediis ſubveniri poterit a cenſuris eccleſiaſticis, quoad ejus fieri poterit, epiſcopi abſtineant, non ſpe lucri temporalis, aut favore magnatum adducantur; nec ad eas infligendas quisquam impellatur. Cum autem ad manifeſtandum furto ſublatum, vel quovis alio modo perditas res, excommunicationis remedium erit adhibendum, non aliter eo uti licebit, quam æſtimata prius rei magnitudine, & cauſa diligenter atque maturè per epiſcopum examinata.

CAP. III.

Monitiones vero quæ ad finem revelationis fiunt non concedantur, niſi pro deperditorum & ſubtractarum rerum reſtitutione, ſine illarum, & illas ſubtrahentium revelatione, & ad inſtantiam eorum dumtaxat, quorum civiliter intereſt, & ab eis accepto juramento de rebus perditis.

CAP. IV.

Ne autem in excommunicationem propter ignorantiam, vel oblivionem contentorum in bullis ſummorum pontificum incidant Chriſtifideles, non omittant epiſcopi bullas apoſtolicas, ac etiam ſynodales conſtitutiones, tam in præteritum emanatas, quam in quibus excommunicationis cenſura imponitur, opportunis temporibus, populis publicari facere, ut iis promptius parere, poenaſque in eis contentas evitare ſciant, & valeant.

CAP. V.

Excommunicatos ab ingreſſu eccleſiæ, & Sacramentis, & a communione fidelium, donec reſipuerint uti membra putrida reſecari, arcerique mandent epiſcopi, monentes omnes, ne cum eis (præter in caſibus in quibus a jure permiſſum eſt) uſum ſeu conſuetudinem aliquam habeant. Excommunicati vero, qui eccleſiam ingredi auſi fuerint & cœtui fidelium ſe immiſcere præſumpſerint, aut alii, qui cum eis familiaritatem, vel interdictam participationem ſpretis eccleſiaſticis monitionibus, habere veriti non fuerint, & per annum in ea perſeveraverint, graviter ab ordinario puniantur, in eoſque uti de hæreſi ſuſpectos procedi poſſit.

CAP. I.

De hoſpitalibus.

Hoſpitalia qui poſſident, etiamſi in commendam retinent, exiſtentem hoſpitalitatem non diminutam juxta eorum fundationem conſervent; dimiſſam vero ſub excommunicationis aliiſque ab epiſcopis auctoritate ſacroſancti concilii Tridentini imponendis poenis reſtituant. Ubi autem hoſpitalitas ſervari non poteſt, eorum bona in alium non diſſimilem uſum pium ex ejusdem ſacroſancti concilii Tridentini decreto convertant epiſcopi.

Seſſ. 25. c. 8. de refor.

CAP. II.

Hoſpitalium bonis adminiſtrandis nemo ære alieno gravatus præficiatur, neque notoriis criminibus maculatus; ſed ille tantum qui uti Deum timenſ, ac rebus familiaribus propriis bene conſulens ab epiſcopo ſuo comprobatus fuerit, eidemque quotannis villicationis ſuæ rationem fideliter reddere promiſerit, ac efficaciter compellatur ſub poenis ſecundum ordinarii arbitrium infligendis; apud quem hoſpitalibus præficien-

ficiendi se fideliter, accurateque hoc munus executuros curent; quod si deinde male administrasse deprehensi fuerint, poena tanto scelere digna afficiantur.

CAP. III.

Hospitalarii munus suum pie exequantur, nihil ab hospitalitatis gratia accipiant, convalescentes, antequam vires receperint, non dimittant; bene se habentes non retineant: circulatores, herbularios, blasphemos, lusores, lenones, meretrices, & id genus hominum (extra necessitatis casum & inconsulto episcopo) non admittant. Mares a mulieribus, lecto & cubili quam fieri poterit, dividant. Peregrinorum concubinas, & juvenes, quos ementito uxoris, & filiorum nomine hospitio convenerint ejiciant, utque debitis afficiantur poenis, episcopis deferant: expositos, & orphanos Christiani enutriant, & cum ad debitam ætatem pervenerint, masculos alicui arti addiscendæ applicent; fœminas vero divitis ac pudicæ dominæ servitio hac lege accommodent, ut cum nubilis ætatis erunt, eas dote constituta nuptui tradant.

CAP. V.

Provideant etiam episcopi, dum corporibus medicina præsto est, ne animarum cura negligatur: propterea sacerdotes non desint, qui missas, saltem diebus festivis in loco infirmis accommodato, celebrent, & sacramenta rite, & opportune languidis administrent, atque infirmantibus ad mortem, ad animæ salutem necessaria commemorent, & charitatis officium, usque ad vitæ exitum in eos exerceant, illorumque nomina, genus, & patriam diligenter notent; defunctos vero ecclesiasticæ sepulturæ, sacris precibus adhibitis, pie, ac religiose tumulari mandent. Ægrotantes vero confiteri, & sacrosanctam Eucharistiam sumere recusantes, medici consilio accedente, expellantur plane indigni charitate hospitalitatis, quippe qui Dominum intra sui cordis hospitium recipere nolunt.

CAP. VI.

Curent autem locorum ordinarii, quod parentes, qui infantes possunt alere, non exponant, nec in hospitali alendos relinquant, sub poenis arbitrio ordinarii infligendis: proinde compellantur eos recipere, & pro expensis factis pretium debitum solvere, & confessarii in foro conscientiæ illos non absolvant, nisi condignum pretium pro educatione suorum filiorum obtulerint.

ANNO CHRISTI 1597.

CAP. I.

De confraternitatibus, & sodalitatibus laicorum.

Confraternitates qua auctoritate erectæ sint, quemque confratres in scholis orandi modum teneant, & an missis, & aliis ex pia alicujus dispositione injunctis satisfaciant, & processionibus interfint, videant episcopi; statuta si quæ habent, vel capitula examinent, rationabilia approbent, superstitiosa etiam jurata tollant, eosque a juramento absolvant; redditus quot & quales sint, & quomodo distribuantur perquirant. Eleemosynas in reparatione ecclesiæ converti faciant, ac aliis piis usibus applicent: commessationes & choreas ex bonis ecclesiæ fieri solitas penitus prohibeant, sibique ipsis ad normam sacrosancti concilii Tridentini in singulos annos de administratis rationem reddi jubeant, ac novas confraternitates, vel sodalitates erigi sine eorum assensu non permittant; & sic erectarum administrationem, donec assensum præfatum obtinuerint, sub excommunicationis poena interdicant: debitores confraternitatis officium habere prohibeant; qui autem fuit officialis per annum, si fuerit confirmatus per annum sequentem administrare non possit, nisi prioris anni rationem reddiderit, & rectæ administrationis fidem reportaverit.

CAP. II.

Ne autem ferus & humani generis immanis hostis, inter bonum triticum zizania de more suo disseminet, cum magna diligentia episcopi advertant, ut istæ laicorum confraternitates ad magnum animarum fructum institutæ ab illicitis colloquiis, vel parum catholicis, tum propter rerum sacrarum imperitiam, tum propter temeritatem poenitus abstineant; huic vero malo optime consultum ac provisum, si aliquem regularem vel sæcularem ac moribus probatum illis episcopus præfecerit, quem in rebus dubiis consulere teneantur.

CAP. I.

De rebus ecclesiæ non alienandis.

Non sine maximo animi nostri mœrore comperimus bonorum ecclesiasticorum alienationes, absque debitis solemnitatibus in grave animarum contrahentium periculum hucusque factas, causas fuisse, ut omnes fere hujusce provinciæ ecclesiæ in maximam inciderint paupertatem, ut vix cum vacent, qui præesse velint reperiantur. Cupientesque, quantum in nobis est, providere, ne de cetero hæ fiant, statuimus ac sub excommunicationis sententia ipso facto incurrenda, aliisque juris poenis, omnibus clericis, & quibuscumque bona ecclesiastica, & piorum locorum quovis titulo possidentibus administrantibusque mandamus, ne imposterum dicta bona seu jura canones atque prædia, absque sedis Apostolicæ licen-

ANNO CHRISTI 1597.

Sess. 25. c. 11. de refor.

la prius obtenta, & proceſſu cauſæque cognitione, quod in evidentem utilitatem ecclesiæ piique loci cedat præcedente, ac etiam ſententia ſubſecuta, alienare permutare, aut alio titulo in alium transferre audeant. In quam excommunicationem volumus etiam incidere notarius, qui hujuſmodi contractus, etiam juratos, his minime præcedentibus, receperint; quos ex tunc irritos & nullos & canonibus & Apoſtolicis decretis repugnantes eſſe declaramus: locationes propterea ultra triennium & contra canones, & decretum ſacroſancti concilii Tridentini factas pariter annullamus.

CAP. I.

De decretis præſentibus publicandis, atque obſervandis.

Et quia fruſtatorium eſſet decreta condere, niſi ad omnium notitiam obſervanda deducerentur, ac etiam executioni demandarentur; ideo quæ de reverendiſſimorum noſtrorum coepiſcoporum conſilio, & aſſenſu definita, atque ſtatuta ſunt publicari, & ab omnibus tam laicis, quam eccleſiaſticis perſonis in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub aliis arbitrariis poenis inviolabiliter obſervari mandamus atque præcipimus, quacunque conſuetudine, vel diſſuetudine non obſtante.

CAP. II.

Cum in hac provincia cathedrales eccleſiæ ita anguſtæ, ac tenuis redditus ſunt, ut dignitas epiſcopalis ab antiſtitibus minime conſervari poſſit, ſed quotidie propter populi contemptum magis vileſcat, decretis ſacroſancti concilii Tridentini parentes rationem, qua epiſcoporum mendicitati modeſte conſuli poſſit, inivimus, eamque nomine Synodi ad ſanctiſſimum D. N. referendam fore curabit Metropolitanus, qui beatitudinem ſuam humiliter ſupplicabit, ut eccleſiarum, & epiſcoporum cognita egeſtate eis pro ſua religione & prudentia providere dignetur.

A

B

C

D

Decretum generale.

Denique non ſolum omnia, & ſingula, quæ in his decretis comprehenſa ſunt, ſed omnia alia quæcunque tam a ſacris canonibus, quam a generalibus quibuſcunque conciliis, præſertim a ſacroſancta Tridentina ſynodo ſtatuta & definita ſunt, ſive dogmata ſive reformationem & morum correctionem reſpiciant, plane atque integre ab omnibus comprovincialibus epiſcopis, abbatibus, capitulis, & aliis eccleſiaſticis perſonis, quæ vel per ſe vel per eorum idoneos procuratores interfuerunt aut intereſſe debuerunt, ac etiam laicis quibuſcumque, quo ad eos attinet, ſervari debere decernimus & mandamus, ſalvis tamen omnibus conſtitutionibus eccleſiarum arctioribus & laudabilioribus; injungentes epiſcopis, ut hæc ipſa decreta poſt ſex menſium ſpatium in eorum civitatibus & dioeceſibus publicari & ab omnibus obſervari curent. Decernentes etiam omnes, & ſingulas admonitiones, ſtatuta, decreta, mandata in hac ſynodo facta, ordinata, & geſta, ac eorum promulgationem, ita omnes & ſingulos quos tangit afficere, ac ſi perſonaliter, & ſingulariter ſingulis ipſa notificata & intimata fuiſſent; eisdem notificamus, quod ſi quidquam contra admiſerint, poenis ac mulctis in eis conſtitutis & aliis epiſcoporum arbitrio imponendis conſtringentur. Quæcunque vero in hac Metropolitana ſynodo acta, decretaque fuere, omni (qua decet) humilitate, reverentia, & obedientia, prudentiæ judicio, & authoritati SS. domini noſtri papæ, atque ſanctæ ſedis apoſtolicæ conſtitutioni, & confirmationi ſupponimus.

Julius archiep. Amalph.

Ego Jo. L. epiſcopus Literenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Don Florianus ex can. reg. Lateranen. epiſc. Scalen. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Thomas epiſcopus Minorenſis

DIAMPERITANA SYNODUS IN MALABRIA,

Qua Christiani S. Thomæ, vulgo dicti, fidem catholicam amplexi sunt, & disciplina in tota Malabria instituta.

Anno 1599. habita.

COLLECTORIS PRÆMONITIO.

Quanquam humilem diœcesanæ synodi appellationem non superat Diamperitanum illud concilium, cujus modo tractationem instituo; cum tamen Malabrica omnis Christianorum natio in eam convenerit, habendæque coitioni illi destinatus fuerit a pontifice totius Indiæ orientalis primas Goensis archiepiscopus (Alexius Menesius ex ord. S. Augustini, idem qui postea Brachinonensem summam cathedram ascendit) qui & summi præsidis ibidem munus exercuit, multo potiorem obtinet dignitatem, quam ut in classem dioecesanorum conciliorum referatur. Quare non abs re Labbeus, a consilio suo negligendi dioecesanas synodos in hujus gratiam censuit recedendum, facta diligenter lectoribus suis copia epistolæ cujusdam, in qua concilii hujus adumbratio quædam, levis licet & summis tantum lineis indicata, continebatur. Nec ultra viro docto licuit, nondum vulgatis latino sermone integris actis concilii, quæ Lusitanice tantummodo excusa habebantur Conimbriæ anno 1606. curante Antonio de Gouvea, patriarcha Armeniæ, & episcopo Cyrenensi ex ord. S. Augustini. Quæ demum acta cum ante annos sex latinis literis tradiderit P. Jo. Facundus Raulin Cæsarauguſtanus, ex ord. S. Augustini, Romæque vulgaverit eodem ipso anno 1745. typis Mainardi; materiam mihi suffecerunt aptissimam, ut meam collectionem integris ejus concilii actis ditarem; quod statim præstabo postquam de synodi hujus historia aliquid attigero.

In Malabrico tractu sita regio est Diamperitana, cui ejusdem nominis urbs imperat regni caput & metropolis. Sedes ibi suas habent per oppida montana dispersi Christiani, S. Thomæ, quos ut ab apostolo Thoma appellationem traxisse concesserim, religionem tamen ab apostolica longe diversam, utpote Nestorianam, ad ætatem usque concilii professos constat. Suos habebant episcopos totius Indiæ primates, Amalgalæ, quæ montium Malabriæ urbs est, residentes, a Chaldaeorum patriarcha datos, Nestorianis dogmatibus vel palam vel occulte faventes. Postremi omnium per hæc tempora sacram illam dignitatem gesserant Josephus III. Abraham & Simeon. Prior ille quod hæresim divulgasset, Lusitanos, penes quos summum erat civitatis imperium, offendit, a quibus exulare diutius in Lusitania coactus est. Tum rediit ad suos, sed brevi post iterum pulsus in exilium in Lusitania decessit. Vacuam absentia episcopi sedem occuparunt duo, Abraham & Simon; divisa enim schismate Chaldaeorum ecclesia, sicuti in duos scindebatur Patriarchas, ita & duobus episcopis India commissa est. Porro Simeon ab æmulo vexatus, a Romano Pontifice opem imploraturus ad urbem contendit; ibi tamen deprehensus, nullis initiatum ordinibus episcopum agere, actutum secedere jussus est, venitque profugus in Lusitaniam, ubi mortem obivit. Biennio ante ejus decessum, anno scilicet 1597. obierat & Abraham, quem diximus Simeoni aversatum; atque sic utroque sublato, ecclesiam aliquandiu gubernavit Georgius archidiaconus, cui Abraham moriturus regimen illud commendaverat. Sed Romanus Pontifex de ecclesia illa sollicitus Menesio Goensi archiepiscopo administrationis nomine curare illam jussit. Instituta tunc ab eo totius dioecesis visitatio, & post varias cum Georgio concertationes

ANNO CHRISTI 1599.

tiones, tandem illum pervicit persuasitque ut victas manus catholicæ fidei daret, eidemque stabiliendæ concilium indiceretur. Diamperis urbs commoda electa est ad eam congressionem, quo per singula oppida variis subjecta regibus dispersi christiani S. Thomæ e cœtu suo legatos destinarunt. Condicta est dies 20. Junii anni 1599. Ad statum illud tempus convenerunt omnes; sessionibus, quas actiones vocant, novem res tota peracta est, fructusque coctionis hujus extitit christianorum S. Thomæ saltem plurium ad catholicam fidem reductio. His obiter indicatis, acta demum recitemus, servatis hic pariter notis; quas idem Romanæ editioni subjecit idem P. Raulis e quo versionem hanc Latinam actorum adornatam supra animadvertimus.

SYNODUS

Diœcesana ecclesiæ, & episcopatus Angamalensis antiquorum christianorum sancti Thomæ in Montanis de Malabar Indiæ Orientalis,

A REVERENDISSIMO DOMINO

F. ALEXIO DE MENESSES

Archiepiscopo metropolitano Goensi, Indiæ, ac partium orientalium primate celebrata auctoritate sanctissimi domini Clementis PP. VIII. tertia die Dominica post Pentecost. 20. Junii anno 1599. quo tempore sedes episcopalis vacabat, cujus synodi sessiones habitæ sunt in ecclesia omnibus SS. dicata, in oppido & regno de Diamper sub ditione regis Ethnici de Cochim; ibique summo pontifici Romano obedientia exhibita fuit, & omnes illius dioeceseos christiani Romanæ ecclesiæ primatum, ac potestatem professi sunt (a).

PUBLICATIO

Et indictio Diamperitanæ synodi.

DOn frater Alexius de Menesses Dei, & sanctæ Rom. ecclesiæ gratia archiepiscopus Metropolitanus Goæ Indiæ & partium Orientalium primas &c. rev. in Christo patri Georgio archidiacono episcopatus regnorum de Malabar ad Montana christianorum Sancti Thomæ, & omnibus aliis sacerdotibus, Cassanariis, diaconis, & subdiaconis cunctisque populis, Pagis, oppidis, & locis, & omnibus Christianis dicti episcopatus, salutem in Jesu Christo domino nostro. Notum sit omnibus & singulis, qualiter SS. pater Clemens PP. VIII. pontifex Romanus, & Jesu Christi Domini nostri in terris vicarius, & modo Dei ecclesiæ præsidens, binas ad nos direxit literas in forma brevis, quarum una sub die 27. Januarii an. 1594. altera vero 21. Januarii anni proxime præteriti 1597. subscripta fuerat, quibus & munere pastoralis officii, & universalis potestatis, quam super omnes mundi ecclesias a Christo Domino, illa suprema sancta, & apostolica divi Petri Cathedra accepit, nobis præcipiebat, ut hujus ecclesiæ vacantis ob mortem archiepiscopi Mar-Abrahami curam gereremus; utque nullo umquam pacto, episcopum aut præsulem a Babylonica sede tali ecclesiæ designatum, prout huc usque factum fuerat, reciperemus, eo quod omnes schismatici, hæretici Nestoriani, & extra obedientiam sanctæ Romanæ ecclesiæ, babylonico patriarchæ ejusdem hæresis antesignano subjecti. Insuper ut in eadem episcopali sede gubernatorem, & vicarium apostolicum institueremus, qui rebus spiritualibus, ac temporalibus præesset, quousque sancta Romana ecclesia prædictæ episcopali sedi proprium pastorem designaret. Quæ munera nobis, apostolica auctoritate demandata, ut debita submissione, & obedientia exequeremur, statim ac fuit vita functus prædictus archiepiscopus Mar-Abrahamus, curavimus gubernatorem illius ecclesiæ virtute literarum apostolicarum instituere, eumque mittere ad dictæ ecclesiæ possessionem capiendam. Id quod aliis titulis nostri muneris erat: primo quia talis ecclesia capitulo (quod sede vacante ipsam regeret) destituta erat; deinde quia ea res ad metropolitam Indiæ, & omnium ecclesiarum in partibus orientalibus primatem attinere videbatur. Verum tamen cura, & labor omnis fructu caruit; & quamvis multis variisque tentatis viis hac in re per integrum biennium laboraverimus, omnia quæ nos decrevimus, etiamsi illis mandatum sanctissimi patris Romani pontificis multum ponderis adderet, optatum exitum sortita minime fuerunt. Altas enim vero in ea dioeceſi schisma, & contumacia adversus apostolicam sedem radices egerat: itaut nec nostris; nec pontificis præceptis ullo pacto obedirent; immo plura indies contra S. Rom. ecclesiæ obedien-

(a) Synodus hæc typis excusa fuit Conimbriæ apud Didacum Gomez Lourevro universitatis Typog. cum permiss. S. Officii & ordinarii, anno 1606. Lusitano idiomate.

ANNO CHRISTI 1599.

dientiam debitam non levia faeinora perpetrarent. Poſtquam vero cauſam hanc adeo implicitam, totque impedimentis involutam Deo enixe commendavimus, idque ab omnibus pariter hujus dioeceſis incolis fieri juſſimus, diu deliberavimus & mature perpendimus, quanam via executio mandatorum apoſtolicorum obtineri poſſet. Vehementer nos commovebat commiſeratio gentis illius, cujus magna pars a tempore, quo ipſi S. apoſtolus Thomas evangelium promulgaverat, ad hæc uſque tempora in Chriſti Domini fide conſtans perſeverabat, in ipſo infidelitatis gremio, & in tanta Chriſtianorum illorum diſperſione, cum diverſas regiones incolerent, & eas quidem ditioni regum idololatrarum ſubjectas, quodque cumulum addebat ſine ulla cum reliquis Chriſtianis communicatione, quæ plane a primis illis temporibus interrupta fuit, uſque dum Luſitani huc pervenerunt.

Poſt diuturnam deliberationem tandem, ne quos gloriofus Apoſtolus Thomas ſuis ſudoribus irrigaverat fructus Catholicæ doctrinæ, deficiente alimento penitus areſcerent, utque Apoſtolicæ S. Sedis mandata executionem haberent, decrevimus a noſtra eccleſia diſcedere, relictis ibi idoneis Miniſtris, qui vices noſtras ſupplerent, & dictam diœceſim adire, ut de rebus ad Montenſem illam eccleſiam pertinentibus cognoſceremus: ratio ſic decernendi nobis fuit, ut experiremur an per nos præſentes, aſpirante divina gratia, fieri poſſet, ut gens illa ad obedientiam S. Romanæ Eccleſiæ redigeretur, hæreſeſque, ac falſæ doctrinæ, quas Præſules Schiſmatici ab eorum anteſignano Patriarcha Babylonenſi illuc miſſi ſuperſeminaverant, penitus eradicarentur, libri pariter erroribus pleni, qui circumferebantur eliminarentur, quæ omnia facilius nos conſecuturos eſſe ſperabamus, ſi per nos ipſos paſtoralia munera exercentes, viribus divinæ gratiæ, & divina ope adjuti, populis illis veritates Catholicas inculcaremus, eoſque veræ, ac ſalutaris doctrinæ pabulo, quo maxime carebant, nutriremus.

Acceſſimus ergo ad dictam dioceſim, rerum omnium ad Chriſtianos illos pertinentium inſpectores, & cognitores fuimus. Nihil vero non movit Dæmon ſalutis noſtrarum animarum hoſtis infeſtiſſimus, ut noſtros pios conatus, laboreſque eluderet. Maximas turbas, contentiones, tumultus excitavit, & eo redacta res fuit, ut quamplures a nobis diſceſſerint, & ſancta eccleſia Romana novo ſchiſmate proſciſſa fuerit. At Deus ſuæ bonitatiſ memor, noſtrorumque criminum immemor, nos, poſt multos toleratos labores a periculis omnibus liberavit, ſuaque bonitate, & clementia, qua non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, tum etiam intuitu meritorum ſancti apoſtoli Thomæ primi horum Chriſtianorum magiſtri, & protectoris, tempeſtatem illam in pacatiſſimam vertit tranquillitatem. Omnibus itaque lux veritatis affulſit: quamobrem nobis adhæſerunt, fidem Carholicam profeſſi ſunt, nobiſque morem gerentes, ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ gremium redierunt.

Ob quæ beneficia, maximas, ut par erat, Deo gratias egimus, utque iis diu Chriſtiani illi fruerentur, & ea quæ ad Dei gloriam peracta fuerant, rata, & firma permanerent, nobis maxime ſalutare, & opportunum viſum fuit, Synodum Dioeceſanam commodiori in loco, atque adeo in meditullio dioeceſis quamprimum indicere, ubi quæ ad Dei honorem, fidei catholicæ augmentum, vitiorum ſcelerumque extirpationem, Chriſtianorum quoad mores reformationem, animarum denique utilitatem, & pacem opportuna forent, pertractarentur. Ne igitur conſilium adeo ſalutare differamus, eccleſiam, & locum de Diamper præeligentes, omnibus & ſingulis Chriſtianis hujus dioeceſeos, tam eccleſiaſticis, quam Laicis cujusvis ſtatus, & conditionis exiſtant, notam facimus indictionem, & convocationem hujuſmodi ſynodi in dicto loco de Diamper peragendæ die 20. proximi menſis Junii currentis anni 1599. quæ erit Dominica tertia poſt Pentecoſten. Inſuper præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub poena excommunicationis latæ ſententiæ Rev. hujus epiſcopatus archidiacono, & omnibus aliis ſacerdotibus ejusdem, legitime ob valetudinem, ætatem, vel alio inevitabili officio non impeditis, ut die 20. Junii adſint, ut ab iis nobiſcum congregatis prædicta ſynodus dioeceſana, juxta ſacros Canones celebretur. Et quia ex conſuetudine immemorabili, a primis uſque temporibus inducta, & ab ipſis Ethnicorum Malabaricis regibus permiſſa, etiam ea omnia, quæ propria ſunt regiminis temporalis, & cauſæ ipſæ etiam (a) Civiles, ad eccleſiam, ejuſque Præſulem pertinent: & quia non minus antiqua viget conſuetudo notificandi Populo, quæ eccleſia decre-

ANNO CHRISTI 1599.

(a) Quoniam plures Acatholici, cum quibus Juſtus Henningius Bohemer *De Jure Proteſtan.* & Petrus Giannone *Hiſt. Civil. Reg. Neapol. tom.* 1. *pluribus in locis*, ſæcularium litium cognitionem Epiſcopis priorum ſæculorum præfracte abjudicant, ut Romanam præſertim Curiam de uſurpatione coarguant, opportune eccleſiæ Angamalenſis immemorabilem, quæ hic laudatur, conſuetudinem ab uſque priſcis temporibus obiicimus; & quidem ineluctabili Auguſtini teſtimonio & exemplo. Teſtimonio: etenim locum 1. *Corin.* 6. de judiciis primorum Chriſtianorum ita interpretatur. *Pſal.* 118 *Sermo* 24. *dicere non audemus, die homo quis me conſtituit Judicem inter vos? Conſtituit enim talibus cauſis, eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores; in foro prohibens jurgare Chriſtianos. Et de opere Monac.* c. 29. hæc ſcribit: *Quibus nos moleſtiis* (cauſæ ſecularium dirimendi) *idem affixit Apoſtolus non utique ſuo, ſed ejus qui per eum loquebatur arbitrio* (id juris a Deo legislatore derivat). Quod etiam exemplo ſuo roboravit S. Doctor aſſerens ibidem iſta: *Quantum attinet ad meum commodum, mallem*, in Monaſterio) *manibus operari, quam tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotiis ſecularibus*,

ANNO CHRISTI 1599.

crevit, ut ea melius exequantur sub eodem præcepto, & censuris omnibus Christianis locorum, & pagorum, vel ubi loca hujusmodi circumscripta, & suis limitibus definita non existunt, omnibus, qui in aliqua ecclesia convenire solent, tamquam ad ipsam pertinentes, præcipimus, & mandamus, ut statim ac hoc nostrum mandatum ad eorum notitiam pervenerit, quilibet Pagus, vel communitas quatuor ex honestioribus timoratæ conscientiæ, & rerum gerendarum experientia aptioribus eligat, ut populi sui nomine, synodo intersint, & facultatibus sufficientibus instructi, omnium nomine acceptare, subscribere, consulere, obligarique possint ad ea, quæ synodus statuerit adimplenda: præterea exposcere, & proponere valeant quidquid ad Dei synodum, & rerum spiritualium, & temporalium profectum erga populos, & Christianitatem expedire judicaverint.

Per has easdem nostras literas facultatem concedimus omnibus & singulis, tam ecclesiasticis, quam sæcularibus, qui lites, querelas, dissensiones, competentias, petitiones, vel res alias contentiosas præ manibus habent, quæ per præsulem, aut Christianos determinari debent, ut eas synodo proponant, & coram ipsa libere possint, quod sibi visum fuerit, postulare; in omnibus enim audiendis facilem se præbebit synodus, & juxta sacros canones & consuetudines, quæ in singulis territoriis vigent, quod æquum justumque fuerit, decernet. Et quia nobis constat, plura litigia in dicta dioecesi in dies excitari, quæ sunt frequentium discordiarum semina; non tantum facultatem facimus; verum etiam præcipimus, & mandamus omnibus, qui in hisce controversiis versantur, ut aliis prætermissis recursibus, qui plerumque in christianorum præjudicium cedunt, interea temporis hanc viam sanctam, & justam ineant. Ut tamen omnia ad optatum finem perducantur, illud in primis opus est, nempe divinam gratiam, & auxilium implorare à Deo, a quo bona cuncta procedunt, & sine quo nihil boni possumus, utque multorum precibus clementissimus Deus reddatur nobis propitius, laudabilem sanctorum patrum, veterumque conciliorum consuetudinem sectantes, monemus; plurimumque in Domino commendamus cunctis Christifidelibus istius dioecesis, ut a tempore potissimum, quo synodus exordium sumet, quousque finiatur, jugiter, corde puro, & mundo, in jejuniis, eleemosynis, orationibus aliisque pietatis operibus sese exerceant, dominum instantissime deprecantes, ut omnium mentes congregandorum illuminet, & nostras suo amore voluntates inflammet, ut in nullo ex agendis deviemus a vero, & quæ fuerint decreta efficaciter executioni mandentur, & custodiantur per A intercessionem sanctissimæ virginis Mariæ dominæ nostræ, de cujus honore & gloria (*a*) singulariter tractaturi sumus, & glorioſi apostoli divi Thomæ, institutoris, patroni, & protectoris Christianitatis hujus, omniumque cœlicolarum, ut cunctorum pace, & concordia incipiat, & progrediatur synodus, & ad Dei æternam gloriam honorem, & laudem finiatur. Postremo jubemus hoc nostrum mandatum, & convocationem synodi dioecesanæ promulgari coram populo in singulis istius episcopatus ecclesiis prima Dominica, quæ proxime sequitur, postquam notificatum fuerit omnibus Cassanatiis ipsarum, ulterius valvis ipsarum ecB clesiarum affigi, & manere affixum, ut ad omnium notitiam perveniat, & debitam executionem sortiatur. Datum Chanottæ die 14. Maii sub nostro, & publico sigillo nostræ cancellariæ. Andreas Cerqueira notarius cameræ illustrissimi domini archiepiscopi primatis scripsit anno æræ 1599.

Frater Alexius archiepiscop. Primas.

ACTIO I.

I. IN nomine sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: anno à nativitate Domini nostri Jesu Christi MDXCIX. die XX. mensis Junii C Dominica III post Pentecosten. pontificatus sanctissimi domini nostri Clementis papæ VIII. anno VII. regnante in Lusitania ejusque dominiis rege catholico D. Philippo II. Portugalliæ, Algarviorum, & Mallucarum rege ejusque regni anno I. moderante Indiæ Orientalis statum ipsi regi subjectum, illustrissimo DD Francisco de Gama, comite de Vidigueira, classis præfecto Indiæ, ejusque Prorege, in loco de Diamper, Ethnici regis de Cochin ditioni subjecto in ecclesia omnibus sanctis dicata, episcopatus Angamallensis in montanis Malabaris, ubi degunt fideles, qui Christiani sancti Thomæ D appellantur; sede vacante ob mortem archiepiscopi Mar. Abraham, congregata fuit juxta sacros canones synodus dioecesana, ab illustrissimo, & reverendissimo D. D. fratre Alexio de Menesses archiepiscopo metropolitano Goæ, Indiæ, & partium orientalium primate, cum omnibus presbyteris, & Cassanariis dicti episcopatus, & cum electis populorum, & pagorum ipsius multisque aliis ejusdem Christianitatis ad laudatam synodum, per illustrissimum metropolitanum convocatis; & primum plurimis gratiis Deo actis, eo quod turbæ & contentiones, quas diabolus humani generis hostis, ne synodus celebraretur, excitaverat, amicabili pace & concordia compositæ fuissent; cunctis etiam præ

bus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis. Quo liquet contra quod ajebat Giannonius, non tantum per arbitros, lites ab episcopis definctas esse. Et *Epist.* 33. blandas litigantium salutationes, & ficta officia depingit: *Et homines quidem causas suas seculares, apud nos finire cupientes, nos sanctos, & Dei servos appellant, ut negotia terræ suæ peragant.* Vide etiam *Epist.* 252. Hoc etiam iterum subjigetur infra, *Act.* 9. *Dec.* 16.

(*a*) Quod eo dicit Alexius, quia adversus errores Nestorianorum illorum, asserenda erat beatissimæ Virg. Mariæ, non solum maternitas Christi, quam ultro fatebantur, sed etiam quod fuerit *Theotocos* seu mater Dei, quod mordicus obstinateque negabant.

ANNO CHRISTI 1599.

præ gaudio exultantibus, quod tandem licuerit ad pertractandum de servitio Dei, sinceritate fidei, & bono Christianitatis, animarumque, eos in unum congregari; illustrissimus archiepiscopus pontificalibus indutus ornamentis, missam *Ad tollendum schisma*, prout in Romano Missali continetur, celebravit; habita deinde concione ad populum, & sacro peracto, cum vestes pontificales reassumpsisset, *Officium ad incipiendum concilium*, juxta præscriptum ceremonialis Romani peregit, quibus finitis, in faldistorio sedit, & considentibus aliis ad Synodum convocatis, tum ecclesiasticis, tum secularibus, & singulorum populorum electis, facultatem a communitate habentibus, coetui universo notum fecit, se præsentem synodum celebrare auctoritate munitum duorum brevium, patris Ss. Clementis PP. VIII. D. N. quibus regimen istiusmodi ecclesiæ ob mortem archiepiscopi Mar-Abrahami, quandiu proprius præsul & pastor non eligeretur, sibi commendaverat. Id etiam alio titulo ad se spectare juxta sanctiones canonicas, cum archiepiscopalis sedes vacaret, & ecclesia ipsa archiepiscopalis, ipsius suffraganea, orbata esset capitulo; atque ipse metropolitanus esset, & totius Indiæ, cunctarumque partium orientalium primas: literis etiam apostolicis, quæ exacte fuerant Malabarice redditæ, lectis, explicatis, & reverenter obsequenterque admissis, iterum dixit dominus metropolitanus, sibi utpote in idiomate Malabarico peregrino, opus esse aliquo viro probato, & in re ecclesiastica versato, qui tam ea, quæ ipse in congregationibus diceret, quam quæ sibi dicerentur, vernaculo sermone utrinque fideliter redderet.

II. Et statim communi omnium consensu electus fuit ad id muneris, Jacobus presbyter, Cassanarius ecclesiæ de Pallurti ejusdem episcopatus, Lusitanica, & Malabarica lingua doctus; cui ad se vocato, & accedenti, commisit dominus metropolitanus, ut officium Interpretis in sacra synodo adamussim impleret: quapropter ab ipso coram omnibus, Sacramentum exegit tactis sanctis Evangeliis, quo Deum adhibens testem promisit, se bene & fideliter munus suum gesturum, itaut sincere referret, & quæ ipse Dominus loqueretur cum adstantibus in synodo; & quæ alii loquerentur cum ipso, nihil addendo, vel detrahendo de substantia, & veritate dicendorum: insuper se fideliter, quod pariter sui muneris erat, lecturum decreta, & sanctiones synodi in congregationibus: quæ omnia lingua Malabarica scripta erant, & quia *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*, ut ipsa testatur (*a*) veritas, ipsi Jacobo Cassanario interpreti pro ampliori securitate, adjuncti fuere ab ipso Rev. Metropolitano RR. PP. Franciscus Roz, & Antonius Toscano e Soc. Jesu, collegii de Vaipicota ejusdem episcopatus Alumni, qui utpote Malabaricæ linguæ peritissimi, exponenda ab Interprete perpenderent: & si quid minus apte Malabarice fuisset redditum, simul cum aliis extra consessum præsentibus, tum Indigenis, tum Lusitanis, utraque pollentibus lingua, ubi opus esset, corrigerent e vestigio, & emendarent.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM I.

III. Cunctis igitur congregatis, Illustrissim. Metropolitanus sedens in Faldistorio, una cum ceteris, ad latera, ordine suo considentibus, dixit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, trium Personarum, & unici vere Dei: Amen. Placet ne vobis Fratres carissimi, & Ven. Sacerdotes filii mei, in Christo dilectissimi, electi & procuratores populorum, ad ludem, & gloriam SS. & Individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus sancti, ad augmentum, & exaltationem Fidei Catholicæ, religionis Christianæ, in hoc episcopatu Montensi, ad destructionem hæresum, & errorum, quos in eo Hæreticorum, & Schismaticorum aliqui seminaverunt: librorumque a falsis doctrinis, quæ ab illis in hujusmodi libris scriptæ sunt, expurgationem: ad restaurandam perfectam istius ecclesiæ, cum Catholica, & universali unionem: ad redintegrandam obedientiam debitam summo pontifici Romano, Universalis ecclesiæ Pastori, D. Petri in ejus Cathedra successori, & Christi in terris Vicario, a quo jam dudum ipsa discessit, ad simoniacam labem, quæ in hac diœcesi invaluit eradicandam: ad rectam administrationem Sacramentorum, & ipsorum usum necessarium in ecclesia, in posterum restituendum; ad rerum ecclesiasticarum, Cleri, & morum totius populi Christiani hujus diœcesis reformationem, synodum diœcesanam in Montanis celebrari?* Et dicto ab omnibus, auditoque, *Placet*, iterum *dixit* Reverendissimus Metropolitanus.

IV. *Dum ergo vobis placet, Ven. Fratres, & filii in Christo dilectissimi, synodum incipere, deprecantes Deum, a quo bona cuncta proceduut, oportet, ut ea quæ sunt pertractanda, tum de pertinentibus ad Catoblicam fidem, tum etiam ad ecclesias, Officia divina, sanctorum Sacramentorum usum, & totius Populi in moribus profectum, peramanter, benigneque accipiatis, & deinceps auxilio divino obsequenter adimpleatis; & quæ emendatione digna videbuntur, fideliter unusquisque vestrum, synodo aperiatis: quod si præsentium alicui, quæ dicentur, vel tractabuntur displicuerint, procul ab omni contentionis umbra, personaliter coram omnibus mentem suam explicet; ut ita mediante gratia Divina, res discuti possint (quod unice præ oculis habere debemus) & in pristinum, rectumque statum restituantur. Ita tamen ut in vobis nullum habeat locum contentio, & discordia, ad justitiam & veritatem pervertendam, neque Christianus vigor, & solicitudo inquirendi, complectendive saniora consilia, languescat.*

DE-

(a) Matth. *cap.* 18. *v.* 16.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM II.

V. Præcipit ſynodus in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ne ullus eccleſiaſticorum, vel ſecularium, ex vocatis ad ſynodum, & in ea exiſtentibus, e loco Diamperitano, ubi ſynodus celebratur, abſque expreſſa Illuſtriſſimi Metropolitani facultate diſcedat; neque id fiat, niſi poſt celebrationem ſynodi, decretis propria manu ſubſcriptis, cunctiſque licentia recedendi facta. Illud inſuper præcipit, & enixe commendat, ut ſi quis ad laudem Domini noſtri, & in commune bonum Chriſtianorum hujus diœceſeos aliquid dignum, de quo in ſynodo agatur, animo præconceperit, illud Domino Metropolitano, verbo, vel ſcripto, per interpoſitam perſonam proponat, ut quod expedire videatur, decerni poſſit.

DECRETUM III.

VI. Cunctis præſentibus, & abſentibus notum, manifeſtumque ſit, nulli Populo ſive Pago præjudicium futurum, quantum ad loci præeminentiam, eo quod ſynodus in hoc loco de Diamper celebretur: nec eccleſiæ, aut perſonæ alicui ex ordine conſedendi in ſynodo: immo omnia jura, & privilegia, ſicut antea, cuivis integra, & in ſuo robore permanſura: quod ſi ſuper iis aut alia re conſimili, aliquod ſuboriatur dubium, Dom. Metropolitano exhibeatur, ut partibus auditis, pro juſtitia decernat.

DECRETUM IV.

VII. Cum præ oculis habeat hæc ſynodus. (*a*) *quodlibet donum eſſe a Deo, & omne donum perfectum deſcendere a Patre luminum*, qui perfectam tribuit ſapientiam, cum cordis humilitate eam poſtulantibus: & præterea *quod* (*b*) *initium ſapientiæ eſt timor Domini*, monemus, & mandamus omnibus fidelibus Chriſtianis, tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus hic congregatis, ut ſua peccata cum animi dolore confiteantur, & ſacerdotes ſacrum celebrent: qui vero ſacerdotes non fuerint, ſanctiſſimam Euchariſtiam ſuſcipiant: a Domino devoto, & humili corde petentes optimum exitum rerum in ſynodo pertractandarum. Ad eundem finem quotidie, durante ſynodo duæ Miſſæ ſolemniter in eccleſia cantentur; a Latinis una de Spiritu ſancto, altera a Syris de B. Virgine Maria Domina noſtra, de cujus honore & gloria peculiariter agendum eſt. Hæ Miſſæ celebrandæ erunt horis, quæ congregationem non impediant; quæ congregatio quotidie hora ſeptima matutina inchoabitur. Inſuper quotidie etiam poſt occaſum Solis in eccleſia ſolemniter, tum a Latinis, tum a Syris cantabuntur Litaniæ B. Virginis, cum ejuſdem commemoratione.

DECRETUM V.

VIII. Ad vitandas perturbationes, quæ excitari poſſent; neve detur locus contentionibus non neceſſariis, & præjudicialibus; præcipit ſynodus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub poena excommunicationis ipſo facto incurrenda, ut dum fiunt congregationes, & ſynodales conventus, nullus ſive ſecularis, ſive eccleſiaſticus audeat ſimul cum aliis, vel ſecularibus, vel eccleſiaſticis convenire ad diſcutiendas res ad hanc ſynodum, vel ad iſtam *Chriſtianitatem* pertinentes, abſque expreſſa Illuſtriſſimi metropolitani facultate: verum omnia, quæ pertractanda cenſuerint, palam, & in congregatione proponant: excipimus autem illos conventus a populo fieri ſolitos, dum aliquid, de quo commune conſilium audiri debet, occurrit, vel quæ fiunt ex mandato ejusdem Domini metropolitani.

ACTIO II.

IX. Die ſecunda, decantatis Antiphona, Pſalmo, orationibus, & Hymno, prout in Pontificali Romano habetur: Illuſtriſſimus metropolitanus in ſuo faldiſtorio ſedens dixit: *Venerabiles & dilecti fratres presbyteri: filii in Chriſto cariſſimi procuratores, & electi populorum: cum heſterna die vix nobis per tempus licuerit alia peragere, quam divinis precibus, & concioni habendæ ad populum, incumbere, oportet hodie exordium ſumere a rebus ad ipſam ſynodum pertinentibus: & ab iis primum, quæ ad integritatem, & veritatem noſtræ Sanctæ Fidei Catholicæ, ejuſdemque profeſſionem ſpectant: ſed prius vos iterum monemus in Domino, ut omnia, quæ vobis vel reſtauranda, vel emendanda, vel in toto epiſcopatu, vel in aliqua ejus parte, viſa fuerint, nobis, vel congregationi iſtiuſmodi proponatis, ut omnia cum auxilio, & gratia Divina, vobis adnitentibus, ad optimum, quem optamus, ſtatum perducantur, ad laudem Domini Noſtri Jeſu Chriſti.*

DECRETUM I.

X. Ut quoad omnia ſynodus ſacrorum Canonum regulas teneat, & ſanctorum conciliorum generalium, ſacri potiſſimum concilii Tridentini veſtigiis inhæreat: ac probe cognoſcens, id ab hac eccleſia merito exigi, utpote in qua variæ opiniones adverſus noſtram ſanctam Fidem Catholicam inſurrexerunt, variique errores ab Hæreticis, & Schiſmaticis fuerunt diſſeminati, præcipit omnibus, tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus ad ipſam vocatis, ut nomine non ſolum proprio, ſed etiam totius cleri, ac populi profeſſionem Fidei, & juramentum per formulam hic adnexam in manibus Illuſtriſſimi metropolitani hujus concilii præſidentis, omnino præſtent.

XI. Et ſtatim in executionem hujus decre-

(*a*) Jacobi 1. v. 17. (*b*) Eccleſiaſtici 1. v. 16.

ANNO CHRISTI 1599.

creti, utque exemplo se invicem accenderent, & alter alteri incitamento esset, Illustrissimus metropolitanus vestibus pontificalibus indutus, Mitra deposita, & ante Altare genuflexus, habensque ante oculos sancta Evangelia, & crucem, iisque tactis, proprio nomine, tamquam præsul hujus ecclesiæ hoc tempore Sedis vacantis, & metropolitanus ejusdem: nomine præterea totius Populi Christiani istius dioecesis, & singulorum omnium, tam ecclesiasticorum, quam secularium, sequens juramentum, & professionem fidei, quæ subinde cunctis adstantibus, fuit declarata, emisit.

Professio, & Juramentum Fidei.

XII. *In nomine sanctissimæ, & individuæ Trinitatis Patris, Filii, & Spiritus Sancti trium Personarum, & untus veri Dei. Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1599. sub Pontificatu Sanctiss. D. N. Clementis PP. VIII. ejusdemque anno septimo, en loco de Diamper regnorum de Malabar indiæ Orientalis, in ecclesia omnibus sanctis dicata, die 21. mensis Junii in synodo dioecesana hujus episcopatus ad Montana, ab Illustrissimo, & reverendissimo DD. Fratre Alexio de Menesses archiepiscopo metropolitano Goensi, Primate Indiarum, & partium Orientalium, sede vacante ejusdem episcopatus. Ego N. libere, & spontanee, nec aliqua violentia adstrictus, sed mero meo arbitrio, & pro Animæ meæ salute, & quia ita ex corde credo, profestor, me firma fide credere, & confiteri omnia & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo utitur sancta Mater Ecclesia Romana. Videlicet.*

XIII. *Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem &c.* Deinde sequitur totidem verbis, fidei professio, ut habetur in Bulla Pii IV. *Injunctum nobis.* Dat. Romæ Id. Nov. An. 1564. usque ad illa verba inclusive: *Animasque inibi detentas fidelium suffragiis juvari.* Deinceps ita habet.

XIV. *Pariter affirmo fidelium justorum Animas ex hac vita migrantes, quæ hic pro pœnis, ob peccata debitis, jam satisfecere, & quæ purgatorium tormentum, juxta beneplacitum & ordinationem Dei plenam satisfactionem exhibuere, & pariter, quæ post Baptismum nullum peccatum commiserunt, statim post mortem pergere in Cœlum, ubi vident Deum sicuti est. Exinde condemno, & anathematizo hæresim dicentium, justorum animas esse in Paradiso terreno usque in diem Judicii: Animasque damnatorum, non aliter torqueri, quam ex scientia tormentorum, quibus post judicii diem punientur. Similiter confiteor, & affirmo, sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, & eorum Corpora, & Reliquias esse in terris venerandas: insuper Imagines Christi & Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac veneracionem impertiendam.*

XV. *Similiter sacratissimam Virginem Mariam esse proprie, & vere Dei Matrem, & ita vocari debere a fidelibus, quia realiter, & vere peperit secundum Carnem, ac sine dolore, aut angore aliquo, verum Dei Filium, verum hominem factum, ipsa Virgine permanente ante partum, in partu, & post partum, atque ipsam, nullam peccati actualis maculam contraxisse affirmo.*

ANNO CHRISTI 1599.

Confiteor etiam indulgentiarum potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse.

Sanctam catholicam, & apostolicam Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem, & magistram agnosco; & omnes quotquot ipsi non obediunt, hæreticas esse ecclesias, schismaticas, atque inobedientes Jesu Christo, ejusque mandatis, nec non Hierarchiæ ecclesiasticæ ab ipso institutæ, ac demum extra æternam esse salutem.

Promitto, & juro veram obedientiam papæ, seu Romano Pontifici, B. Petri apostolorum principis successori, & Christi in terris vicario, totius ecclesiæ capiti, ipsius doctori, & magistro, patri, prælato, & pastori omnium fidelium: necnon confiteor, omnes quotquot Romano pontifici Christi in terris vicario non obediunt, tamquam inobedientes mandatis ipsius Christi, ab æterna salute excludendos.

XVI. Recipio, approbo, & confiteor, omni hæsitatione remota, omnes determinationes, diffinitiones, & declarationes in sacris canonibus, & conciliis generalibus, ac præsertim in sacrosancto concilio Tridentino contentas. Pariter damno, rejicio, & anathematizo omnia ipsis contraria; atque hæreses quascumque, ab ipsis damnatas, rejectas, & anathematizatas, una cum ecclesia damno, rejicio, & anathematizo; ac potissimum diabolicam, & perversam hæresim Nestorianorum, cum ipsorum perfido Duce Nestorio, ipsiusque pravis magistris Theodoro, & Diodoro, cum omnibus, sequentibus, præteritis, & præsentibus, qui a Satana seducti, & persuasi, duos in Christo personas, & duo supposita impie asserebant; affirmantes, verbum divinum non assumpsisse carnem in unitatem personæ, sed tantummodo per inhabitationem, & mansionem in ea fuisse tamquam in templo; nec dicendum esse, Deum fuisse incarnatum; nec Virginem Mariam vocandam esse matrem Dei, sed tantum matrem Christi; quæ omnia rejicio, condemno & anathematizo, tamquam diabolicas hæreses; immo credo, amplector, & approbo, quæ circa hæc sacrum concilium Ephesinum I. ducentorum patrum decrevit, & in quo ex mandato Romani Pontificis Cœlestini I. præsedit B. Cyrillus patriarcha Alexandrinus, quem fuisse justum, & sanctum, Deoque gaudere omnino confiteor, quique eum blasphemant, extra æternam fore salutem.

Similiter damno dicentes, de Christi passione agendum non esse, nec de illo loquendum; immo id facere esse injuriam Christo irrogare, sed credo, & confiteor, meditationes, & colloquia de Passione Christi maximum fidelibus afferre proventum.

Pariter confiteor & credo, quod sicut unus est Deus, una fides, & unum baptisma, ita una tantum est vera lex in tota, atque integra Christiana ecclesia, quæ est lex Jesu Christi

ANNO CHRISTI 1599.

sti Domini nostri, veri Dei, & veri hominis: quam unam legem omnes Apostoli, eorumque discipuli, & successores unanimiter, & uniformiter prædicaverunt, & prædicamus, & confitemur in totò orbe: & damno, ac rejicio inepte dicentes, aliam esse legem sancti Thomæ, & aliam divi Petri, atque esse omnino diversas: & nulla ratione inter se convenire; cum aliis omnibus erroribus, & hæresibus ab ecclesia matre rejectis.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam &c. sequitur prout in laudata formula Piana usque ad ultima verba: quibus professio Diamperitana adjunxit sequentia.

XVII. Spondeo itaque, voveo, & juro Deo, Cruci, & sanctis evangeliis, nullum me in præsens, vel in posterum in hac ecclesia, & episcopatu Montensi, episcopum, archiepiscopum, prælatum, pastorem, vel gubernatorem admissurum, præter illum, qui a sancta sede apostolica, per papam, & pontificem Romanum fuerit immediate constitutus; atque ipsi ita constituto, tamquam proprio, & vero pastori, obedientiam præstiturum, omnino independenter, nulloque expectato consensu, aut nominatione a patriarcha Babylonico, quem rejicio, damno, & anathematizo, tamquam hæreticum, Nestorianum, schismaticum, & extra obedientiam sanctæ Romanæ ecclesiæ, & idcirco extra æternam salutem; necnon juro, & promitto, ipsi nunquam obedire nec in aliquo cum eo communicare. Igitur omnia dicta, & promissa spondeo, voveo, juro, & consecro Deo omnipotenti, & huic sacrosanctæ Christi Cruci. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta evangelia. Amen.

XXVIII. Qua protestatione, ac fidei professione peracta, reverendissimus metropolitanus surrexit, & mitra capiti imposita, in faldistorio sedit, accepitque evangeliorum codicem, quem cruci suppositi. Ad eum primus accessit reverendus Georgius archidiaconus illius Montensis episcopatus, & coram eo genibus flexis, & clara, & intelligibili voce proprio Malabarico idiomate, eandem fidei professionem emisit, sacramento præstito in ejusdem Metropolitani manibus. Deinde cunctis presbyteris, diaconis, & subdiaconis, & aliis Chamaziis inibi genuflexis, Jacobus Cassanarius de Pallurti synodi interpres vernacula lingua Malabrica eam fidei formulam protulit, eandem singulis de verbo ad verbum repetentibus. Qua formula absoluta, omnes singillatim in manibus Metropolitani juramentum præstitere; qui ab unoquoque eorum quæsivit, num firmiter crederet omnia, quæ in ea formula continebantur; & insuper quidquid sancta mater ecclesia Romana credebat, & confitebatur, & num rejiceret quidquid ipsa rejiciebat? an etiam anathematizaret perversam Nestorianorum hæresim, cum eorum erroribus, ejusque authores, & fautores, Nestorium, Theodorum, & Diodorum, cum ipsorum assectis; insuper num sanctam Romanam ecclesiam, ut matrem, & magistram agnosceret, omniumque mundi ecclesiarum caput; ac confiteretur, quod ecclesiæ ipsi rebelles ab æterna excluderentur salute. An promitteret, & jurarent veram obedientiam, & subjectionem sanctissimo patri papæ, & pontifici Romano, tamquam universali ecclesiæ pastori, apostolorum principis D. Petri successori, & Christi in terris vicario, excluſa omni communicatione cum patriarcha Babylonico, schismatis anteſignano, cui injuste usque ad hæc tempora subjecti fuerant? An sponderent, & jurarent, nullum alium in episcopum nunc, & in posterum accepturos præter illum, qui ab ecclesia Romana fuerit institutus, & a papa missus, & cuilibet hujusmodi, animo sincero, obedientiam præstituros, & recepturos tamquam proprium pastorem, quod proprium eorum est, qui sunt veri catholici, & ecclesiæ filii; demum se execraturos patriarcham Babylonicum, tamquam hæreticum Nestorianum, & a gremio sanctæ matris ecclesiæ rejectum, nec unquam fore, ut illi pareant, aut cum illo in rebus ecclesiasticis communicent? Quibus omnibus articulis, & ipsorum cuilibet, omnes, & singuli, positis supra evangelia, & crucem manibus, responderunt, se ita credere, jurare, Deoque spondere per evangelia, & Christi crucem ipsis superpositam. Postea ecclesiastici eandem professionem, & juramentum præstiterunt; & subinde electi, & procuratores populorum, ceterorumque ejusdem dioeceseos locorum, nomine communitatum, a quibus facultatem ad hoc munus acceperant. Id quod ab aliis etiam omnibus Christianis, qui aderant, præstitum fuit.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM I.

XIX. Præcipit synodus, ut cuncti sacerdotes, diaconi, & subdiaconi præsentis dioeceseos, qui non interfunt synodo, eandem fidei professionem, & juramentum in manibus illustrissimi metropolitani in visitatione episcopatus, quam aggredi proposuit, præstare debeant; quique visitationis tempore abfuerint, id ipsum præstare debebunt in manibus illius, qui ab eo deputabitur: itaut nemo in sacris constitutus in toto inveniatur episcopatu, qui hujusmodi possessionem, prout hic continetur, non emiserit. Præterea jubet, nullum ex Cassanariis in vicarium, vel curatum cujuslibet ecclesiæ, ullo tempore eligi, quin ante possessionem initam, prædictam professionem faciat, vel in manibus præsulis, aut alterius ad id muneris designati: quod pariter de his, qui ad ordines sacros promoveri debent, eodem modo decernitur. Quod si prædictorum aliquis id facere renuerit (quod Deus avertat) excommunicatus declaretur, & ut talis ab omnibus habeatur, & tamquam vehementer suspectus de fide, juxta sacros canones puniatur.

ACTIO

ANNO CHRISTI 1599.

ACTIO III.

De rebus ad catholicam fidem spectantibus.

DECRETUM I.

XX. QUia *sine fide impossibile est placere Deo* (*a*), fides autem hujusmodi, est sancta fides catholica, quæ est veræ vitæ principium, & cujus puritate populus christianus, & catholicus ab eo, qui ejusmodi non est, discernitur; cumque synodo compertum sit, a pluribus hominibus ab hac vera fide errantibus, necnon mediantibus pluribus libris falsas, & erroneas doctrinas continentibus, errores non paucos in hac dioeceſi fuisse disseminatos, eisque plures fuisse miserrime infectos, & in posterum multo plures infici posse, eidem synodo opportunum visum fuit, ultra professionem fidei jam factam, singillatim exponere præcipua nostræ fidei capita, & qui sunt contra illam errores in dictis libris, indicare, ut hujus dioeceseos incolæ, eorum malitiam, ac falsitatem agnoscant, eosque declinent, ac fugiant.

CAP. I.

Doctrina fidei.

XXI. Quæ nostra sancta fides, cum ecclesia catholica per totum orbem diffusa, ab initio credidit, tenet, & unanimiter profitetur, hæc sunt: credimus in unum verum Deum omnipotentem, incommutabilem, incomprehensibilem, ineffabilem, æternum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: unum in essentia, trinum in personis; patrem ingenitum; filium genitum a solo patre, ipsi consubstantialem, & æqualem; Spiritum Sanctum ab æterno procedentem a Patre, & Filio; non tamquam a duobus principiis, aut duplici spiratione, sed ab utroque, tamquam ab unico principio, & unica spiratione. Pater non est Filius, nec Spiritus Sanctus; Spiritus Sanctus non est Pater, nec Filius; sed Pater est Pater tantum, Filius est tantum Filius; Spiritus Sanctus tantum est Spiritus Sanctus: nulla persona aliam æternitate præcedit, aut excellit magnitudine, aut superat potestate, sed semper est absque principio, & fine. Pater est qui generat: Filius qui generatur; Spiritus Sanctus qui procedit; consubstantiales pariter, & æquales, æque potentes, æque æterni. Tres istæ personæ sunt unus Deus, & non tres Dii, una essentia, una substantia, una natura, una immensitas; unum principium, unus creator omnium rerum, visibilium, & invisibilium, corporalium, & spiritualium, qui cum voluit omnia sua bonitate creavit, & omnia quæ creavit, voluit esse valde bona.

CAP. II.

XXII. Præterea unigenitus filius Dei, qui semper est cum Patre, & cum Spiritu Sancto, patrique consubstantialis, tempore a Divina misericordia præordinato, ut homines liberaret a peccato Adam, ceterisque culpis, incarnatus fuit vere Spiritus Sancti virtute, in illibato ventre Sacratissimæ Virginis Mariæ dominæ nostræ, atque in ea accepit veram, & integram naturam nostram humanam, corpus scilicet, & animam rationalem in unitatem personæ Divinæ, tali unione, ut per illam unus idemque Jesus Christus sit Deus, & Homo; Filius Dei, & Filius hominis, nempe Virginis; quin una natura cum alia confusa sit; nec una in alia n mutata, vel una mixta cum alia; vel earum alterutra perierit, & in nihilum fuerit redacta. Quamobrem in una persona, & in uno supposito divino, duplex est natura perfecta; divina, & humana; salvis semper utriusque proprietatibus, duplici videlicet voluntate, divina, & humana; & duplici operatione in uno tantum Christo; & sicut forma Dei formam servi non tollit, ita forma servi Dei formam non minuit, quia ipse, qui est verus Deus, idem est, & verus homo: Deus per illud, *quod in* (*b*) *principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: Homo per illud, *quod Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis*: Deus per illud, per quod propria virtute, de quinque panibus satiavit quinque millia hominum, per quod aquam vitæ æternæ, Samaritanæ promisit; Lazarum quatriduanum in monumento suscitavit; visum cæcis restituit; infirmos sanavit, & imperavit ventis, & mari; homo, per illud per quod sitivit, & esurivit, fatigatus fuit ex itinere, crucis arbori fuit clavis confixus & in ea expiravit: denique idem secundum Divinitatem æterno Patri æqualis, immortalis, & impassibilis, & secundum humanitatem minor patre, mortalis, atque passibilis.

CAP. III.

XXXIII. pariter, quod ipse Dei filius incarnatus, vere fuit natus ex Maria Virgine, & ejus corpus ex hujus purissimo sanguine fuit formatum, & ipsius est vere Filius; quapropter confitemur ipsam esse vere Matrem Dei, & ita ab universa catholica ecclesia appellandam esse, & invocandam, eo quod vere, & realiter absque doloribus, aliisve passionibus, peperit secundum carnem verum Dei Filium, hominem factum: & ipse Dei filius incarnatus vere fuit pro nobis passus; vere mortuus, & sepultus; vere cum anima ad inferos Limbi descendit ad liberandas sanctorum patrum animas ibi existentes; & die tertia vere a mortuis surrexit; & per quadraginta dies docuit apostolos, locutusque est de regno Dei, & postea virtute propria in coelum ascendit, ubi sedet ad dexteram majestatis gloriæ, & potentiæ patris, unde venturus est

(*a*) Epist. ad Heb. c. 11. v. 6. (*b*) Joann. 1. v. 1. & 14.

ANNO CHRISTI 1599.

est ad judicandum vivos, & mortuos, & dandum unicuique præmium, vel poenam secundum opera sua.

CAP. IV.

XXIV. Similiter profitetur neminem ab Adamo descendentem, conceptum, & natum, aliquo tempore salvum fuisse, aut salvandum esse, aliter quam per fidem mediatoris Dei, & hominum, Jesu Christi Filii Dei, & per ejus sanguinem, ac mortem, qua nos æterno patri reconciliavit, & nostrarum iniquitatum chirographum solvit, quæ quidem fides ante adventum Christi, erat de ipso venturo, & redempturo; & post ejus adventum, est fides, qua creditur ipsum advenisse, & nos sua morte, & Sanguine suo redemisse.

CAP. V.

XXV. Insuper omnes, quotquot naturali generationis modo ex Adamo nascimur, filios iræ, & peccati originalis macula infectos, nasci; quam contraximus ob culpam inobedientiæ Adami, in quo nos omnes peccavimus. Adamus enim peccando, & sibi & nobis sanctitatem, & justitiam perdidit, & peccatum proprium, & personale ipsius, in nos omnes generatione pertransivit, dicente apostolo: (*a*) *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt.* Quod licet verum sit, & firma fide tenendum, peccatum illud in nos generatione pertransire, non tamen animæ nostræ fiunt ex traduce, aut sicut corpora generantur, aut educuntur de potentia materiæ, velut animæ Brutorum, sed ex nihilo a Deo creantur, & divina dispensatione, dum corpora perfecte formantur, & *organizantur*, ipsis infunduntur, & in quo infusionis instanti maculam originalis peccati, quod in Adamo commisimus, animæ contrahunt, per quod a cœlo excludimur, Deoque in æternum privamur: quod tamen peccatum deletur baptismate; quo mediante, anima a culpæ noxa abluitur, & nos, qui per peccatum eramus filii iræ & a coelesti patria, regnoque cœlorum exules, constituimur filii Deo cari & cœlorum hæredes; insuper virtute ejusdem baptismatis reliquæ noxæ, & peccata actualia illis, qui talia perpetraverunt, cum omnibus poenis pro ipsis debitis remittuntur.

CAP. VI.

XXVI. Ulterius animas eorum, qui post baptismi susceptionem nullum admisere peccatum vel de admissis condignam poenitentiam cum æqua, & integra satisfactione egerunt, statim in cœlum duci, & ipsum videre Deum trinum, & unum, clare, sicuti est, divina gaudentes visione; alios aliis perfectiori modo, pro meritorum diversitate; & parirer, qui in mortali actuali absque condigna poenitentia decedunt, vel etiam cum solo originali illico ad inferna descendere, poenis æternis inæqualibus tamen, juxta demeritorum inæqualitatem, in æternum puniendos.

CAP. VII.

XXVII. Sicuti etiam, quod ii, qui ex fidelibus christianis, ex hac vita in caritate decesserint, vera pro peccatis poenitentia peracta, sed nondum plena Divinæ justitiæ satisfactione pro ipsis exhibita, mox ad locum, & poenas purgatorii ducuntur, ubi per ignem, aliasque poenas, toto tempore, quo Deo, juxta peccatorum qualitatem, & quousque plene pro illis satisfecerint, visum fuerit, ab ipsorum sordibus abluuntur; postquam vero fuerint ablutæ, ad gloriam, Deique gaudium recipiuntur; quo in purgatorii *loco*, animabus ibi detentis maxime prosunt suffragia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ viventes pro defunctis facere consueverunt, potissimum vero sacrosanctum missæ sacrificium, quo poenæ leviores reddantur, & citius in cœlum deportentur.

CAP. VIII.

XXVIII. Similiter quod die judicii, nostra corpora in cinerem, pulveremque redacta, resuscitabuntur, eademque nostris animabus, unumquodque suæ, iterum unientur: aliter tamen, & aliter resurgemus, boni quidem, ut circumdati gloria, immortales, & impassibiles regnent cum Christo in coelis; mali autem ut in dæmonum consortio in inferno, æterno, & vero igne perpetuo crucientur.

CAP. IX.

XXIX. Pariter quod in principio, & in tempore, creavit Deus omnia visibilia, & invisibilia, corporalia, & spiritualia, cœlumque Empyreum Angelis replevit, e quibus Deo obedientes, in gratia fuere confirmati, & retinentes dotes, ac perfectiones, quibus Deus eos in ipsa creatione decoravit, fuerunt ad æterna gaudia evecti: rebelles vero in infernum, quem Deus, dum peccarent, creavit, detrusi sunt, ubi divinæ justitiæ rigore, non tantum poena damni, qua divina visione privantur, ad quam creati fuerunt, sed & simul vero igne, aliisque poenis in æternum torquentur: Qua de caussa tanti boni quod justos manet, et quo ipsi ob propria peccata carent, invidia ducti, odio insuper acti erga Deum, ejusque opera, *intrinseca* demum, qua obdurati sunt malitia, impulsi, homines tentant & ad malum solicitant.

CAP.

(*a*) Ad Rom. 5. v. 12.

ANNO CHRISTI 1599.

CAP. X.

XXX. Præterea profitetur Angelos beatos, alioſque ſanctos, cum Chriſto in Coelis regnantes, (*a*) a fidelibus colendos, ac venerandos eſſe, a Deo per ipſorum interceſſionem, noſtris neceſſitatibus remedia poſtulando, utque pro nobis Deum deprecentur: quod quidem præſtant, dum Deo offerunt pro noſtris malis preces, ſupplicationeſque: Corpora etiam, & Reliquias ipſorum maxima cura, & veneratione in terris cuſtodiendas, oſculandas, & colendas, ac in Altaribus, aliiſque peculiaribus locis collocandas: quippe quæ fuere viva Chriſti membra, ac Templum Spiritus ſancti: nec non judicii die talia Corpora reſuſcitanda eſſe, & æterna gloria in Coelo induenda; per quæ in terris, plurima nobis Deus beneficia confert.

CAP. XI.

XXXI. Itidem Chriſti Domini, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ Imagines, necnon ſanctorum Angelorum, qui aliqualiter depingi valent, ſicut & aliorum ſanctorum, quos eſſe Coeli incolas eccleſia credit, retinendas eſſe, & decentibus in locis habendas, non tantum in domibus fidelium, verum & in templis, ariſque potiſſimum: quæ quidem venerari colique debent, debito ipſis cultu, eo ſcilicet, quo ſanctos, vel aliud quodcumque cultu dignum, quod per ipſas repreſentatum veneramur: non quod ipſis aliquam ineſſe virtutem, ſeu divinitatem, ob quam debeant coli, credamus, vel in eis ſpem, fiduciamve noſtram ut Gentiles in Idolis, collocemus, ſed quia honor ipſis a nobis exhibitus, ad prototypum per ipſas repreſentatum referatur, ita ut per Imagines, ante quas in genua procumbimus, vel alios actus religionis exercemus, adoremus Chriſtum, & Sanctos. Quamobrem ſignum Crucis adoratione latriæ ſoli Deo debita adoramus, eo quod Filium Dei Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro nobis in ipſa paſſum exhibet, & quia ut ipſe dixit: (*b*) *hoc in die Judicii apparebit ſignum Filii hominis*: eademque latriæ adoratione ex eodem motivo, colimus ceteras Chriſti Imagines.

CAP. XII.

XXXII. Pariter Catholica confitetur eccleſia, hominum unicuique ab ortu ſuo, Angelum a Deo in illius cuſtodiam deputari, ut ipſum ad bonum incitet, & a malis, in quæ ſecluſa cuſtodia ſolicita caſurus eſſet, eruat: quem inſuper Angelus in illius cuſtodiam accipit, quandiu vixerit: itaut eum continuo comitetur, & quantum in ſe eſt a malis, & peccatis abducat, eumque ad vitam æternam dirigat: atque adeo ejus libero arbitrio quæ recta ſunt proponit, a quo bona quamplurima, tum temporalia, tum ſpiritualia accipimus, etiam nihil tale cogitantes: Angelum vero hæc munia obeuntem, noſtrum Angelum Cuſtodem appellari.

CAP. XIII.

XXXIII. Unam pariter eſſe eccleſiam Catholicam toto Orbe diffuſam, & cujus eſt paſtor ſummus pontifex Romanus, Beati Petri Apoſtolorum Principis in ea ſede ſucceſſor, cui, & per quem ſucceſſoribus ſuis, plenam poteſtatem regendi, & gubernandi totam eccleſiam, Chriſtus contulit; & unde eccleſia Romana (*c*) eſt Caput, Mater, & Magiſtra omnium Orbis eccleſiarum, ſicut & pontifex Romanus, Caput totius eccleſiæ, Pater, Magiſter, omniumque Chriſtianorum doctor, omnium in univerſum Præſul, cunctorumque Sacerdotum, epiſcoporum, primatum, Patriarcharum, eccleſiarum quarumcumque; omnium Imperatorum, Regum, Principum, & dominorum Paſtor, omnium denique, (dummodo ſint Chriſtiani, totiuſque Populi fidelis) ex quo ipſi pontifici Romano, & Chriſti Vicario obedire in terris renuentes extra viam exiſtunt ſalutis æternæ, & in Infernum detrudentur, tamquam Hæretici Schiſmatici, inobedientes mandato Jeſu Chriſti, Dei Filii Domini noſtri, ac Hierarchiæ ab ipſo in ſua eccleſia conſtitutæ

CAP. XIV.

XXXIV. Unum ſimiliter, eumdemque Deum auctorem fuiſſe veteris, novique Teſtamenti, id eſt Prophetarum, & Evangelii; nam

(*a*) Circa ritum venerationis Sanctorum poſt immenſa propemodum eccleſiaſticæ eruditionis volumina a SS. D. N. Benedicto XIV. edita conſulere juvabit *Diſſertation. De ritu oſtenſ. Sac. Reliquiar. evulgatam anno 1721.* a Petro Moretto Viro eruditiſſimo; & ſupplementum Diſſertationis ad calcem Libelli, *De ritu variandi chorale indument.* ab eodem auctore editi *Romæ anno 1732.*; & noviſſime Johann. Cryſoſt. Trombelli Opus *De cult. SS.* typis Bononiæ excuſum *anno 1743.*

(*b*) Locus indicatur Matt. 24. *v.* 30. ubi legitur *Tunc apparebit ſignum Filii hominis in Cœlo.* Veteres Patres & plerique Interpetres, hoc ſignum Filii hominis, Crucem aſſerunt; quam ſententiam adoptavit Eccleſia dum concinit in ejus officio: *Hoc ſignum Crucis erit in Coelo &c.*

(*c*) Quoniam privilegium iſtud, quo Romana ſuper ceteras Orbis eccleſias jure præeminet, atque extollitur, deſumitur ex itinere Romano Divi Petri, ejuſque in Urbe epiſcopatu, legendus omnino eſt liber de hoc argumento editus Florentiæ anno 1741. a Petro Fogginio, in quo accuratiſſimus auctor, Romana momenta aſſerit, atque heterodoxorum cavillationes Invictiſſime reſolvit; eo vel maxime, quod cum huic veritati acquieverint infenſiſſimi eccleſiæ hoſtes, Montanus, Arius, Pelagius, &c. alii demum per decem, & tria ſæcula ſiluerint, venales tantum calami Marſilii Patavini, & Joannis de Janduno, pro Ludovico Bavaro ſcribentes, circa factum illud hiſtoricum, omnium primi, ut apparet, iſtam camarinam mogerint.

ANNO CHRISTI 1599.

nam Testamenti utriusque scriptores, afflati Spiritu sancto scripserunt. Itaque recipit ecclesia omnes libros Canonicos (*a*) Testamenti utriusque, infallibilem in se veritatem continentes, atque a Spiritu sancto dictatos: videlicet e Testamento veteri quinque Moysis libros: Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium: pariter libros Josue, & Judicum, & Ruth: quatuor Regum: duo Paralipomenon, & primum Esdræ, & ejus secundum, qui dicitur Nehemias: Libros Tobiæ, Judith, Esther, Job: Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmos continens: Parabolas, Ecclesiasten, Canticum canticorum, sapientiam, Ecclesiasticum: quatuor Prophetas majores, Isaiam scilicet, Hieremiam, cum Baruch, Ezechielem, Danielem, duodecim item minores, nimirum Oseam, Joelem, Amos, Abdiam, Jonam, Michæam, Nahum, Abacuch, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, Malachiam, & primum, & secundum Machabæorum. Testamenti novi quatuor Evangelistas, scilicet Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem: Acta Apostolorum a D. Luca conscripta: quatuordecim Divi Pauli epistolas, nimirum unam ad Romanos, duas ad Corinthios, unam ad Galatas, unam ad Ephesios, unam ad Philippenses, unam ad Colossenses, duas ad Thessalonicenses, duas ad Timotheum: deinde unam singulis: nempe ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri apostoli duas: Joannis apostoli tres: Jacobi apostoli unam: Judæ apostoli unam, & Joannis apostoli Apocalypsim; qui libri cum omnibus suis partibus sunt Canonici, & infallibilem in se continent veritatem.

DECRETUM II.

XXXV. Declarat synodus, in libris novi foederis, qui sunt in usu in hac dioecesi (*b*) Soriana, vel Syriaca lingua scriptis, desiderari Evangelio S. Joanni initium *capitis octavi* de muliere in adulterio deprehensa, & ad Christum Dominum adducta: pariter in *capite decimo Lucæ*, ubi dicitur, Christum misisse septuaginta duos Discipulos, poni *Septuaginta* tantum: similiter Matthæi 6. in Oratione *Pater noster*, post ultima verba: *Sed libera nos a malo*: hæc addi: *quoniam tuum est Regnum, virtus, & Imperium in secula seculorum*. Sed nec in dictis libris legi *secundam epistolam Divi Petri*, *secundam*, *& tertiam Divi Joannis*, *epistolam Judæ*, nec *Apocalypsim Joannis*. Præterea *e cap.* 4. *epist.* 1. *B. Joannis* impie fuisse expunctum versiculum illum: *Qui solvit Jesum non est ex Deo*, & ejusdem epistolæ illum alium: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*. Et in veteri Testamento desiderari libros *Esther*, *Tobiæ*, *& Sapientiæ*. Quos libros, & versiculos jubet transcribi & partes ablatas restitui, per emendatos Chaldaicos Codices, & conformiter ad editionem latinam, & vulgatam, qua sancta Mater Ecclesia utitur: ut præsens ecclesia scripturas integras habeat: ipsisque nulla, ne minima quidem parte imminutis, & immutatis sacris libris, prout scripti fuerunt, & in universali leguntur ecclesia, utatur: Quod munus præstari expetit synodus a R. P. Francisco Roz Societatis Jesu, & Syriacæ linguæ professore in Collegio de Vaipicota, ob eam qua pollet in illorum Idiomatum, & divinarum scripturarum cognitione.

DECRETUM III.

XXXVI. Cum sacra Biblia, columnæ sint, quibus nostra Catholica Fides innititur, baseque, & fundamenta, in quibus consistit, & ubi veritas, puritasque illius perspicitur, quotquot hæretici fidem destruere machinati sunt, iidem divinarum scripturarum textum corrumpere, & quædam ipsorum erroribus adversantia intercipere, sicuti & nonnulla, quæ ipsis favere possent, assuere non destiterunt: & quod in præsenti quoque episcopatu accidit, dum per episcopos Hæreticos Nestorianos regebatur, qui in sacris libris, quibus utebantur, loca Nestorii erroribus contraria, similiter depravarunt.

Videlicet *actuum apost. cap.* 20. ubi Paulus dicit: *attendite vobis, & universæ ecclesiæ, in qua vos Spiritus sanctus episcopos posuit, ad regendam ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*, mutaverunt impie nomen *Dei* & posuerunt *Christi*, ut sensus sit: *in qua vos posuit Christus ad regendam suam ecclesiam, quam acquisivit suo sanguine*: Nam ipsi Nestoriani a Diabolo acti, veritatem Catholicam, scilicet Deum pro nobis passum, sanguinemque fudisse, fateri nolunt.

Ex cap. 4. *epist.* 1. *Joannis* abstulerunt versum: *qui solvit Jesum non est ex Deo*, quippe qui contra Nestorium facit, impie dividentem Christum in duo supposita.

Ea-

(*a*) Theodorus Mopsuestenus Magister Nestorii, expunxit a sacrorum Librorum Canone, ut constat ex Quinta Synodo Gen. *Collat.* 4. *a num.* 63. *ad* 71. & ex Leontio Byzantino *Lib. de Nesterian. Impiet. num.* 14. *&* 17. sequentes Libros: nimirum *Job*, *Paralipomenon primum & secundum*; *Esdram*, *Canticum Canticorum*, *Epistolam Jacobi*, *& alias aliorum Catholicas*; qui tamen alias, in eos libros commentaria scripsisse perhibetur. Verum a Nestorianis laudati libri pro Canonicis habentur, ut ex Catalogo Sobensis *Cap.* 1. liquet apud Asseman. *Tom.* 3. *Bibl. Orient. pag.* 5. *& Tom.* 4 *pag.* 236.

(*b*) Etiamsi omnia ista loca novi Testamenti, depravata asserantur a Nestorianis, ut notat nostra Synodus, & ex ipsa Possevinus *Tom.* 2. *Apparat. pag.* 468. & Thomas a Jesu *in Lib. De Convers omn. Gent. procur. pag.* 355. tamen legenti ipsa loca apud Calmetum *in Evang. & Epist.* & quæ habet Assemanus *Tom.* 4. *Biblioth. Orient. pag.* 238. *& seq.* facile constabit ea omnia, ante exortam Nestorii hæresim ita legi in Vulgata Syriaca versione, ut liquet *ex MS. Codd.* apud Syros Orthodoxos extantibus, & ex *Nov. Testam. Syriaco* edito Romæ, Parisiis, & Londini.

ANNO CHRISTI 599.

Eadem epist. (*a*) cap. 3. ubi dicit, *in hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*, prorsus ex malitia pro *Dei* vocem *Christi* supponunt, dicentes: *in hoc cognovimus caritatem Christi, quoniam ille &c.*, ut pariter cum Nestorio negent, Deum pro nobis mortuum.

In epist. *ad Hebræos cap. 2.* ubi dicit Apostolus: *videmus Jesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*, scribit, ut distinctionem duorum suppositorum cum Nestorio asserat, ita superaddendo (*b*) *videmus Jesum propter Passionem Mortis, gloria, & honore coronatum, ut gratia Dei PRÆTER DEUM pro omnibus gustaret mortem*: id est, ut gratia Dei, sed a Deo divisus, & extra Deum pro omnibus moreretur.

In cap. 6. Lucæ, ubi Christus dixit: (*c*) *mutuum date, nihil inde sperantes*, ut usuras, quibus alebantur, & quas tamquam justitiæ consonas probabant, defenderent, posuerunt ita: *mutuum date, & inde sperate*: quasi diceret, mutuum date & lucrum inde expectate. Quæ omnia loca, ut depravata, & corrupta ab Hæreticis, præcipit synodus in cunctis codicibus expurgentur, & castigentur, ac puritati pristinæ, juxta veritatem editionis vulgatæ, qua sancta Mater ecclesia utitur, restituantur, idque sine mora cupit ab Illustrissimo metropolitano in hujus dioeceseos visitatione fieri, vel per semetipsum, vel per viros Syriace doctos, quos ipse ad hoc munus deputaverit.

DECRETUM IV.

XXXVII. Comperit synodus ob communicationem, quam in hac dioecesi habent Christiani cum Infidelibus, aliquos ipsorum animis adhæsisse ineptos errores, eosque ab hebetibus, & rudibus hominibus mordicus teneri, & potissimum quidem tres hisce Infidelibus familiares: nempe animas post mortem in alia corpora transmigrare, sive animalium, sive aliorum hominum, quod & ineptissime asseritur, & est error, & hæresis manifesta, nostræ Catholicæ fidei opposita, docenti, animas post mortem, in Coelum, Infernum, Purgatorium, vel Limbum, pro meritis uniuscujusque duci, absque tali transmigratione, falsa, & inter fabulas numeranda.

XXXVIII. Secundo: omnia fieri necessitate, fato, aut fortuna, quod ipsi appellare solent nascentiam hominum: asserentes, res, velint nolint homines, ita debere contingere, ut de facto contingunt, quod est apertus error ab Ecclesia damnatus, tollens de medio libertatem arbitrii, qua Deus nos præditos esse voluit, in nostra relinquens libera potestate bene, vel male agere, itaut nostræ electionis sit obedire sanctis inspirationibus, & internis motibus, quibus ad amplectendum bonum, repudiandumque malum allicimur, & provocamur; quamobrem sicuti a sua Divina misericordia, ac bonitate sunt motus, & incitamentum ad bonum, ita a nostro libero arbitrio, Divinis auxiliis adjuto, est motibus illis, & incitamentis vel obtemperare, vel contumaciter obsistere, & uno verbo, bene, vel male operari; atque adeo unice nostra libera voluntas in causa est peccatorum, ac nostræ perditionis, ut docet Catholica Fides; nascentiæ vero fatum, quam Infideles impie docent, mera fatuitas est.

XXXIX. Tertio: unumquemque sua [*d*] in lege salvari posse, legesque omnes esse rectas; quod plane erroneum est, ac hæresis turpissima: nulla enim est lex, in qua salvi fieri valeamus, præter legem Christi Salvatoris nostri; una quippe ipsa veritatem docet, & homines quotquot sectas alias profitentur, a veritate turpiter aberrant, & penitus extra salutis æternæ viam miserrime vagantur; atque adeo ad Inferni pœnas damnabuntur, nec enim aliud nomen datum est hominibus, præter nomen Jesu Christi Dei Filii pro nobis crucifixi, in quo oporteat nos salvos fieri. Horum errorum fugam ab omnibus Ecclesiarum Vicariis, & Concionatoribus sæpissime rudi Populo inculcari Synodus jubet. Id quod privatim præstari vult ab iis, qui Confessiones audiunt, qui si pœnitentes suos erroribus hisce

(*a*) Omnibus quidem iis locis, eo modo quo leguntur in plerisque Orientalibus versionibus, utebantur Nestoriani, ut Christum in duo supposita divisum adstruerent; qui valde impugnantur illo textu nostræ vulgatæ latinæ: *Qui solvit Jesum non est ex Deo*; ideft qui discindit, & dividit Christum in plures personas, aut in plura supppsita, vel ut commentatur Calmetus: *Qui dividit quidquid in ejus persona unum tantummodo est*. Hic autem versus. *ex cap. 4. epist. 2. Joann.* non fuit ablatus a Nestorianis, ut PP. Diamperitani putarunt; sed cum Malabarenses versionibus Orientalibus uterentur, illum versum legebant sic: *Omnis spiritus qui non confitetur, Jesum Christum in carne venisse, non est ex Deo*; quæ lectio uniformis videtur, in Græcis omnibus exemplaribus Syriaco, Arabico, & Æthiopico.

(*b*) Quatenus ad hunc textum Pauli *ad Heb. 2. v. 9.* traducuntur Nestoriani, tamquam illius depravatores; quo circa consule Cl. Asseman. *tom. 4. pag. 2. 9.* Ceterum liquet utramque lectionem antiquissimam esse: & illa quidem quæ Nestorianis tribuitur, ubi pro: *Gratia Dei*, legitur. *Prater Deum*, vel: *absque Deo*, recensetur non modo a D. Fulgent. Theodoret. & Vigilio Tapsensi, verum etiam ab Ambrosio, Hieron. & Origene; a qua iste delirando intulit, Christum mortuum esse pro omnibus hominibus, & Doemonibus, eo quia pro omnibus excepto Deo, aut *prater Deum*, salvandis, mortuus fuerit. Unde etiam Nestorio antiquior evincitur modus ille legendi. Vide Calmet *hic*.

(*c*) Neque locus iste Lucæ depravatus est a Nestorianis: nec ex ejus lectione, & genuino sensu educi potest, nisi ineptiendo, licitum esse usuras accipere. Vide inferius *action. 8. Decret. 9. in Not.*

(*d*) Politicorum & Tolerantium in hoc est perversum Dogma, in solo enim Christo Jesu oporet nos salvos fieri: unde *indifferentes*, quam longissime a via veritatis aberrant.

ANNO CHRISTI 1599.

sce irretitos inveniant, omni ope contendant, ut eos ab hisce deliriis, ad Catholicæ veritatis professionem revocent.

DECRETUM V.

XL. Ad. notitiam pervenit synodi fuisse in hac Diœcesi etiam e suggestu divulgatam hæresim valde noxiam, nimirum iujuriam Christo irrogare, [*a*] qui ejus Sacram Passionem meditetur, vel de ea loquatur, idque peccatum esse gravissimum (quod insuper impiis censuris non sine incredibili audacia fuit prohibitum) & etiam nunc plurimi miserrime decepti tenent. Hic manifestus terror, & opponitur fidei, & fidelibus maximum animarum detrimentum affert, cum ex dictis meditationibus, & colloquiis ingentes capiantur fructus amoris, & dilectionis erga Dominum, qui talia passus est, ut nos redimeret, tum & imitationis earum virtutum, quæ in ejus Passione magis resplendent; concipitur etiam odium peccatorum, propter quæ delenda fuit passus, timor divinæ Justitiæ, cui adeo rigorose satisfecit, fiducia salutis, pro qua nobis obtinenda, tam copiosum redemptionis pretium impendit; desiderium frequentandi Sacramenta, quibus Passionis virtus applicatur, ultra alia quamplurima emolumenta inde provenientia. Pernicioſissimus error hujusmodi, ad alium in Nestoriana secta viam stravit; reprobationis scilicet sacrarum Imaginum; si etenim impium est de Passione Christi cogitare, ejusmodi etiam erit quidquid illius memoriam excitat inter fideles, & promover, cujusmodi est signum Sanctæ Crucis, & Sacræ Passionis Imagines: Quæ omnia cum sint inanifestæ hæreses, & stultissima Nestorianorum deliria, maximopere commendat Synodus Concionatoribus, Sacerdotibus ad audiendas Confessiones deputatis, & Rectoribus Ecclesiarum, ut sæpissime mysteriorum adeo Divinorum, & sublimium meditationem, Populo persuadeant. Qua occasione devotionem erga Rosarium Virginis Mariæ Populo instillent, quippe in eo præcipua Vitæ, & Passionis, ac Mortis Christi Mysteria recoluntur.

DECRETUM VI.

ANNO CHRISTI 1599.

XLI. Inter plures errores a perfidis Nestorianis disseminatos in hac dioecesi, quosque usitatis libris inseruerunt, plerique leguntur adversus B. B. Virginem Mariam Dei matrem, præsentissimum in nostris calamitatibus remedium, misericordiæ matrem, peccatorum advocatam, Angelorum reginam; quapropter declarat synodus, catholicam docere fidem, beatissimam Virginem numquam actualis peccati maculam incurrisse; immo pie credi eam (*b*) fuisse a peccato originali præservatam, quod sane matris Dei dignitatem maxime decet; etsi quoad hoc nihil adhuc sancta mater ecclesia definierit. Insuper eadem fides docet catholica, Virginem extitisse semper illibatissimam ante partum, in partu, & post partum, peperisse absque doloribus, aliisve anxietatibus, verum Dei Filium, Hominem factum, nec emisisse (*c*) Secundas, vel subjectam fuisse purgationibus, aliisque incommodis, quibus mulieres aliæ subjacent in partu, Quin etiam nec in partu, nec post, alicujus (*d*) obstetricis, vel alterius ope indiguisse, nam salva virginei claustri integritate, hora & tempore a Sanctissima Triade præfinito, non sine ejusdem Virginis ingenti lætitia, & spirituali gaudio, æternum Verbum caro factum, e purissimis visceribus prodiit: unde appellanda est vera Dei Mater, & non Mater tantum Christi; quæ postquam ex hac vita migravit, assumpta fuit in coelum, quo anima, simul cum purissimo Corpore commigravit, singulari quidem privilegio dignitati, ac peculiaribus ipsius meritis debito. Nec enim congruum erat, quod Corpus illud, e quo Sanctissima Caro Filii Dei Hominis facti, efformata fuerat, in pulverem, cineremque, more aliorum abiret; sed par erat, ut non expectata universæ resurrectionis die glorificaretur, & exaltaretur super omnes choros Angelorum, ut canit, & confitetur ecclesia; circa quæ omnia impii hæretici Nestoriani plurimas posuerunt blasphemias et hæreses, quas

(*a*) Hic error damnatus fuit a concilio Viennensi, inter alios Beguardorum; quorum ultimus recensetur ab Harduino, *Collect. tom. 7. col. 1339. Quod esset imperfectionis, si a puritate & altitudine contemplationis, tantum descenderent, quod circa Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.* Attamen meditari in Christo laudabile est, immo initium ad supremam contemplationem ex S. Theresia a Jesu *in Castell. Mansio. 7. cap. 2.* quam sequitur P. Godinez, hoc tempore illustratus a P. Emmanuele Ignatio de la Reguera *tom. 2. Praxis. Theol. Mystic. lib. 5. Schol. 20. & 21. ad caput 5.* Viro pietate, ac mystica oeconomia conspicuo.

(*b*) In hanc rem plurimum juvabit, perlegere, quæ hoc ævo scripta sunt pro *voto profudendi sanguinem* in defensionem istius opinionis, a Parthenotimo, P. Attardi Augustinensi, P. Luca Minorita, aliisque; & quæ ex adverso sub nomine Antonii Lampridii, & Ferdinandi Valdesii edidit eximius atque præclarissimus toto orbe literario Scriptor Ludovicus Antonius Muratori, qui unus Immaculatæ Conceptionis gloriam, præ omnibus, quasi ex repercussione luminis, splendidiorem reddidit, atque augustiorem.

(*c*) Ita sensisse antiquos Patres apparet ex S. Cypriano seu auctore *Serm. de Nativ. Christi* dicente: *Nec locus ibi erat lavacris, qua solent puerperis præparari; quippe nec aliqua natura injuria, Matrem Domini laserat.*

(*d*) Nullam in partu Virgineo interveniſſe obstetricem affirmavit Cyprianus, ubi supra: *Genitrix est* (Maria) *& obstetrix: ultro maturus ab arbore bajula, fructus elapsus est; nec oportuit vellicari quod sponte prodibat.* Consonant Nazian. *de Christ. patien.* Nyssen. *Ser. de Resur.* Hieronym. *Contra Elvidium:* Fulgent. *De laud. V. Mariæ*, & Bernardus *Ser. 4. in vig. Nat. Domini* Apage ergo puditissimam fabulam Nestorianam, quod nimirum S. Anastasia obstetricis obsequia V Mariæ præstiterit, atque idcirco de ea fieri commemorationem in secunda Missa Nativitatis Domini: vide Lami *de erudit. Apostol. pag.* 184.

ANNO CHRISTI 1599.

quas vel in Breviariis hujus episcopatus ediderunt.

DECRETUM VII.

XLII. Non sine ingenti dolore audivit synodus hæresim, perversumque errorem, fidelibus hujus dioeceseos pernicioſissimum, per schismaticos disseminatum, asserentes, unam esse legem sancti Thomæ, aliam vero divi Petri, ambas a Christo *immediate* latas, quæ tamen constituebant duas ecclesias diversas atque invicem distinctas, et alteram ab altera independentem, nec pastorem unius debere pastori alterius obedire. Profitentes vero legem divi Petri, conari in destructionem legis sancti Thomæ, eosque ob tale crimen a sancto Thoma puniri. Quæ omnia errores sunt notissimi, apertum Schisma, hæresisque perversa; cum lex Christianorum sit unica a Jesu Christo Filio Dei data, et explicata, et per ipsius apostolos sub una fide, et uno baptismate per universum mundum promulgata; quo circa una tantum est ecclesia catholica, et apostolica, cujus unus est Sponsus Christus Deus, et homo, qui eam fundavit, unus tantum pastor universalis, qui ea regit, et cui alii omnes prælati obedire tenentur, Papa pontifex Romanus, divi Petri apostolorum principis in cathedra successor, quam illi Christus ipse, et in eo ceteris illius successoribus tradidit: quam doctrinam catholicam, utpote ad salutem æternam necessariam jubet Synodus a parochis, concionatoribus, quampluries populo proponi, ut de re adeo necessaria plenius instruantur.

DECRETUM VIII.

XLIII. Quoniam ante adventum illustrissimi Metropolitani in hanc dioecesim, frequentissimo quædam præferebatur hæresis semel, et iterum in sancto Missæ sacrificio, etiamque bis in divino officio, patriarcham Babylonicum vocando pastorem universalem, et caput ecclesiæ catholicæ, eoque decorabatur titulo soli pontifici Romano, principis apostolorum, Divi Petri successori, Christique in terris vicario debito, quoties ipsius nomen proferendum esset; præcipit Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, et sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, ut nullus in hac dioecesi, sive secularis, sive ecclesiasticus, hujusmodi titulo audeat verbo, vel scripto, tam in divino sacrificio, et officio divino, quam extra, patriarcham Babylonicum, aut quemlibet alterum *Prælatum* donare, præterquam pontificem Romanum dominum nostrum; qui vero contra fecerit, pro excommunicato, schismatico, et hæretico denuntietur, et ut talis juxta sacros canones puniatur; tum quia patriarchæ babylonici, quibus ecclesia præsens erat subjecta, sunt hæretici Nestoriani, et hujus maledictæ sectæ duces, schismatici, extra obedientiam sanctæ Romanæ ecclesiæ, a nostra fide catholica alieni, atque adeo excommunicati, et non licet in ecclesia publice pro excommunicatis orare; tum quia ista ecclesia nunc nulla ratione subjecta est dicto patriarchæ Babylonico, neque reipsa, neque quoad speciem; cum obedientiam præstiterit sanctissimo patri papæ domino nostro, christi in terris vicario; quam præstare, et jure divino, et sub interminatione damnationis æternæ tenentur: præcipit ergo synodus sub eodem præcepto obedientiæ, et excommunicationis ipso facto incurrendæ, ut nullus Cassanarius aut Chamazius audeat in posterum in recitatione officii divini, aut in missæ sacrificio, in ecclesiæ precibus talem patriarcham nominare, etiam sine falso titulo pastoris universalis; sed in ipsius locum substituatur nomen domini nostri papæ, tamquam veri, et universalis totius ecclesiæ pastoris, et post illum, nomen domini episcopi hujus dioecesis pro tempore: qui contra vero malitiose, et scienter fecerit, excommunicatus declaretur, et subjiciatur aliis poenis, quæ visæ fuerint præsuli, juxta ipsius contumaciam eidem infligendæ.

DECRETUM IX.

XLIV. Cum breviaria omnia, quibus hæc ecclesia utitur, Nestoriana sint, et ex præscripto præsulum ejusdem sectæ, qui ipsam rexere, quotannis præfinita die, quæ tamquam festa habebatur, recitaretur officium de impio ac perverso hæresiarca Nestorio; pariterque in aliis de Theodoro, Diodoro, (*a*) Abbacathocha, Abraham, Narsai, (*b*) Barchauma, Johanan, Hormisda, (*c*) Michaol, hæreticis omnibus Nestorianis; et etiam feria sexta post nativitatem recitaretur de Nestorio, Theodoro, et Diodoro: et septima sexta feria post ipsam de Abrahamo, Narsai, aliisque supra nominatis; et qualibet feria quinta per totum annum memoria celebraretur illorum omnium simul juxta officium Nestorianorum; nec non quotidie in Missæ sacrificio, et in officio divino fieret commemoratio de Nestorio, et aliis; et ea quidem licet alicubi non fieret de Nestorio, Theodoro, et Diodoro, fieret tamen universaliter de Abrahamo, Narsai, Barsauma, Johanan, Hormisda, Michael, et in fine Missæ sacerdos populo benediceret per hæc verba: *Hormisda vos custodiat a malis, cujus estis discipuli:* (*d*) Hormisdæ, Michael, Johanan, Barchauma, Bariauda, Raban, Hedsa, Mathai, Hixojau, Caurixo, Avahixo, Lixo, Barmmun, Lixo, Betidar, Cagada, Israel, Ezechia Lixo, Davi Lixo Xualixo, Bavai Iraol, Juliavuis, Haudixo, Eulogio, Abba, Martevvem, Cuada, Joanenaudeos, Abraham, Marsai Ma-

(*a*) Lege *Abba Catholico*. (*b*) Lege *Barsaumæ*. (*c*) Lege *Michael*.
(*d*) Synodi nostræ inversor ac perturbator Crezæus, quo religionis suæ reformatæ, Caculam ageret strenuum, acerrime debacchatur in Menesium, Lusitanum hominem, quasi universa Nesto-

ANNO CHRISTI 1599.

rabba, Catholicaxhelito, Galara, Jonan-Caldon, omnium Hæreticorum Neſtorianorum, atque præcipuorum illius ſectæ ducum, ut conſtat ex ipſorum officio, vitis, et commemorationibus, et exelogiis quibus eos extollebant: propterea præcipit ſynodus in virtute S. obedientiæ, et ſub poena excommunicationis ipſo facto incurrendæ omnibus Caſſanariis, Chamazibus, aliiſque ſæcularibus, et eccleſiaſticis hujus dioeceſeos, ut de ipſis hæreticis nullo unquam die officium recitetur, neque ipſorum feſta ſerventur, neque ſolennitas ulla in illorum honorem celebretur, vel de ipſis commemoratio ulla aut Nercha habeatur in officio divino, aut in Miſſa, nec extra, preces ullius generis ad illos in commune, vel in particulari; neque vota, promiſſiones, oblationes dirigantur; immo ipſorum imagines neque in eccleſiis, neque in propriis domibus habeantur, et paucis verbis, nulla ratione ipſis cultus, et veneratio tamquam ſanctis exhibeatur; præterea præcipit, ut eorum nomina e libris calendariis, et officiis expungantur, miſſæ, et officia de ipſis a breviariis, et miſſalibus abraſa, igni tradantur: eorum commemorationes, et memoria omnis aboleatur a fidelibus indigni enim ſunt his honoribus, utpote hæretici maledicti excommunicati, ab eccleſia damnati, æternoque igni ob ſua crimina, ſuasque hæreſes addicti: præcipit inſuper ſynodus, ut in poſterum, rejectis officiis hæreticorum, vice ipſorum recitetur feria ſexta poſt nativitatem de SS. Athanaſio, Gregorio Nazianzeno, Baſilio, Joanne Chryſoſtomo, et Cyrillo Alexandrino: et ſeptima ſexta feria poſt ipſam, celebretur memoria de Sancto Auguſtino, Ambroſio, Gregorio papa, et S. Ephrem, de quo etiam inter hæreticos fiebat commemoratio: et qualibet feria quarta de omnibus laudatis ſanctis confeſſoribus ſimul recitetur, ac in commemorationibus officii divini, et miſſæ, idem ſancti nominentur, illorum hæreticorum loco: quod ſi quis contra fecerit, et auſus fuerit, vel ad eos preces fundere, abſolutionem a cenſura, quam incurriſſe declarabitur, non obtinebit, quouſque dignam ad arbitrium præſulis poenitentiam non egerit, ipſiſque hæreticis, eorumque pravis ſectis ejuratis, publicum fidei juramentum non emiſerit, aliaſque poenas juxta ſuæ rebellionis meritum non ſuſtinuerit; quod ſi fuerit eccleſiaſticus, perpetuo manebit ſuſpenſus ab ordinibus, et emolumentis, necnon ad ſacrorum canonum normam punietur.

DECRETUM X.

XLV. Cum eccleſia loci de Angámalle, quam archiepiſcopi vocant, a Mar-Abrahamo fabricata, dedicata fuerit Hormiſdæ abati, qui vulgo in hoc epiſcopatu appellatur S. Hormuſius, indignus penitus hoc titulo ſancti, quippe qui fuit hæreticus Neſtorianus, & Neſtorianorum dux, eaque de cauſa catholicis inviſus, ſive ut in ejus vita habetur, inviſus Romanis, prout ex ejus actis conſtat Syriace ſcriptis, continentibus plures hæreſes, blaſphemias, & falſa miracula in confirmationem Neſtorianæ ſectæ; ideoque juſſu illuſtriſſimi Metropolitani igni traditis, præcipit ſynodus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub poena excommunicationis ipſo facto incurrenda, ut duo feſta in ejus honorem celebrari ſolita, alterum die prima Septembris, & alterum decima ſexta poſt Reſurrectionem, nulla ratione in poſterum celebrentur, nec aliqua ipſi dedicentur, nec in illis detur ſolita Nercha (*a*); inſuper ut ipſa eccleſia dedicetur S. Hormiſdæ martyri etiam in perſide nato; ac in altari, quod fiet, imago hujus collocetur, et quatenus liceat, ejus paſſio depingatur, quo fidelium populus, cui ſanctorum dicata ſit eccleſia, probe noſcat: ſicuti & ad quem ſuas preces, ac petitiones, et obſequia dirigat; feſtumque, et Nercha, quæ illis diebus fiebat ex more, Hormiſdæ abati hæretico, fiant deinceps in die, quo celebratur memoria hujus ſancti, et in ipſius honorem.

ANNO CHRISTI 1599.

DCRETUM XI.

XLVI. Cum in ſymbolo fidei, vel *Credo*, quod in Miſſa canitur, a SS. Apoſtolis digeſto, necnon in ſacris Conciliis generalibus explicato, præcipua myſteria, ac noſtræ fidei articuli contineantur, æquum non eſt, aliquod ipſi verbum addi, vel detrahi, ſed ſicuti in eccleſia univerſa, & ubique terrarum canitur, ita nulla ratione auctum, vel imminutum cani debet in hac eccleſia, & dioeceſi: quamobrem præcipit ſynodus, ut quæ deſunt verba, reſtituantur, atque adeo, ubi de Chriſto Domino habetur a *Patre natum, ante omnia ſecula*, addantur illa verba, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*; ulterius ponantur illa verba: *Conſubſtantialem Patri*, ac deleantur illa, quæ fuerunt ſubrogata: *Filius eſſentiæ Patris*; qua ratione fiet, ut Symbolum, quod in hac dioeceſi canitur in Miſſis ſolemnibus, penitus conformetur cum Symbolo, quod in tota eccleſia Catholica cani ſolet.

DE-

ſtorianorum nomina corrupte ſcripſerit. Tantum ne crimen eſt, Luſitanum Luſitana Syriacorum nominum prolatione uti? ipſius ergo fuerit, hominis loquatiſſimi, ea nomina, hoc in loco, & *Act. 3. Dec. 14.* ubi liber *Flos Sanctorum* prohibetur a ſynodo, ea omnia integra reſtituere atque emendare; at hic, loquax Cicada hæſit, & induit ſpeciem taciturnæ Ranæ Scripihæ. Igitur ex Syriacis codicibus, & Bibliot. Orient. Aſſeman, cujus eruditioni plurimum hac in parte obſtricti ſumus, hæc Neſtorianorum nomina, ita ſunt emendanda; *Hormiſda, Michael, Johanan, Barſauma, Bar Sabada, Rabban Iſa, Matthai, Jeſujab, Sabarjeſu, Ananjeſu, Jeſu Barnun, Jeſumetidar, Sabada, Iſrael Ezechiel, David, Jeſu Salicha, Babai, Abba Juliani, Abdjeſu, Eulogii, Abba Maratken, Chodai, Johanan Abdeos, Abraham, Narſai, Maraba Catholici, Scialita, Gabara Johanan, Chaldon.*

(*a*) Ideſt convivium; Vide Syllab. *Voc. Exot.*

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XII.

Quamquam sacris canonibus sit adversum, pueros Christianorum, Ludimagistris paganis in eorum scholis erudiendos tradere: nihilominus cum hæc dioecesis tot subjecta sit regibus Idololatris, qui plerumque præceptores alios, quam paganos non patiuntur: præcipit, & declarat synodus, non licere Christianis adolescentibus, eas adire scholas, sive addiscendi causa artem legendi, & scribendi, sive arma tractandi, in quibus præceptores, vel Panicales (*a*), habent Pagodes (*b*), & coguntur illuc ingressi Juvenes, juxta consuetum morem, illis Sumbayam (*c*) exhibere: nec eos, quorum curæ commissi sunt, id permittere posse, sub poena incurrendi crimen Idololatriæ. Sicubi vero Ludimagistri, sive Panicales ad ejusmodi Sumbayam, Pagodi exhibendam, Juvenes non cogant Christianorum, vel ad alias Idololatricas ceremonias exercendas, adire posse adolescentes Christianos scholas hujusmodi; dummodo tamen nullus existat in Pago præceptor, vel Panicalis Christianus: & parentes, vel alii in quorum custodia fuerint, præmoneant adolescentes, ut nulli obsequium exhibeant, nisi præceptori: nec honoris significationem ullam, ut alii adolescentes Ethnicorum exhibeant; quod diligenter caveri debet, ne in illa tenera ætate, simul cum educationis lacte, Idololatriam combibant: plurimum etiam inculcat synodus sanctis populis Pagorum, & cujuscumque loci, ut omni diligentia sibi comparent, præceptorem aliquem, vel Panicalem Christianum, qui Christianorum pueros instruat; & quod attinet ad imbuendos pueros in arte legendi, vel scribendi, poterunt id præstare Cassanarii suis in domibus. Quod si constiterit, præceptorem aliquem, seu Panicalem cogere pueros ad exhibendam Sumbayam Pagodi, præcipit synodus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ, cunctis Patribusfamilias, aliisve, qui Juvenes in sua cura habuerint, ut nullo pacto eos dictas sinant scholas adire: si vero contrafecerint, excommunicati declarentur, & cum rigore a præsulibus puniantur: & ipsos Juvenes ab ingressu ecclesiæ arceant: in quibus plurimum Vicarii, ceteriique sacerdotes invigilent, ne juvenes Idololatricis moribus, ac ritibus assuescant: si autem in pago, aut in vicinia, Panicalis extitetit Christianus, omnino prohibet synodus, fidelium adolescentes, scholas Infidelium frequentare.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XIII.

XLVIII. Quoniam synodo constitit, nonnullos Panicales Christianos in suis habere scholis, Pagodes, & Idola, quibus, ut moris est, exhibeant pueri Infidelium Sumbayam, quod faciunt, ut aliarum scholarum consuetudini se conforment, nec di-Panicales, frequentia minuatur: jubet ipsos scipulorum statim ac de hoc ipsis constiterit, sub poena excommunicationis latæ sententiæ, tales Pagodes & Idola, ipsorumque cultum a suis domibus auferre, nec pueris permittere Ethnicorum, in ipsis ejusmodi adorationem exhibere: qui vero contra fecerit, talesque Pagodes habuerit, excommunicati declarentur; nec aliquo pacto cum Ecclesia, vel Christianis communicent: nec in casu mortis in loco sacro sepeliantur, & sepultura careant ecclesiastica, neque pro ipsis Christi fideles publice orent: hujusmodi vero decretum per vicarios ecclesiarum, ad quas dicti præceptores pertineant, ipsis innotescat.

DECRETUM XIV.

XLIX. Cum fidei candor, libris bonæ sanctæque doctrinæ plurimum conservetur, sicuti ex adverso, suspectæ & hæreticæ doctrinæ libris, quibus corda rudium eos legentium, vel audientium errores ebibunt, populi corrumpantur: cumque fuerit synodo compertum, hanc dioecesim libris refertam esse Syriacis, Hæreticorum Nestorianorum, aliarumque sectarum diabolicarum, hæresum quamplurium, blasphemiarum, falsæque doctrinæ plenis: præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ut nemo, cujuscumque conditionis, aut qualitatis extiterit, penes se habeat, scribat, vel legat, vel legentes audiat sequentes libros. Videlicet.

L. Librum vocatum *de Infantia Salvatoris* (*d*) vel *Historia Dominæ nostræ*, olim ab antiquis sanctis damnatum, cum plurimas blasphemias, multasque fabulas contineat: quas inter ait, Annuntiationem fuisse peractam ab Angelo, in Templo Hierosolymitano, ubi aderat Virgo: contra Lucam

(*a*) *Panicales* sunt laniflæ, qui arma tractandi artem alios docent

(*b*) Id est Idola.

(*c*) *Sumbaya* fortasse est obsequii, ac venerationis signum, quo ingressi ludum, Juvenes Indi, venerantur, *Paranni*, sive ut alii vocant, *Saraspeti* Deam scientiarum; ac subinde Panicali *Sumbayam* exhibent; pari enim cultu Malabares, Deos & præceptorem colunt: manus nimirum fronti admovendo, quas postea tendunt supplices, caput una inclinantes ipsi, Deam illam in rebus dubiis consulunt: eamque filiam *Visnu* asserunt, Deorum præcipui, ab ipsius pectore aut capite natam: ipsam effingunt, corpore nudo, cujus dextram lancea, sinistram libro, *Ollis* seu palmæ foliis compaginato instruunt, non secus ac Minervam aut Palladem Mythologi. Consule Vinc. Mari. a S. Cath. *lib.* 3. *cap.*20. *Viag. all' Ind.* De obsequio Magistris & Præceptoribus deferendo consule Novarin. *in Sebediasm.*

(*d*) De hoc libro, alias inscripto, *Evangelium infantiæ Salvatoris*, vide Calmet. *tom.*7 *pag.* 48. & infra, ubi rursus de hoc libro sermo instituetur; de quo sicuti de aliis libris Apocryphis, videndus omnino Albertus Fabricius *De Apocryph. N. T.*

ANNO CHRISTI 1599.

cam dicentem, factam fuisse in Nazareth: sicuti etiam Joseph aliam tunc Conjugem, filiosque habuisse, dum desponsatus fuit Beatæ Virgini: insuper quampluries ab eodem sancto puerum Jesum fuisse reprehensum, eo quod non bona ageret, lusibusque pravis, ac odio dignis oblectaretur: insuper puerum Jesum didicisse in scholis Rabbinorum, & ab ipsis fuisse instructum; & alia hujusmodi blasphema, Christoque indecentissima: cum ex Evangelio constet, ejus sapientiam Judæos fuisse miratos, dum dicebant: *quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Christum fuisse tentatum a Diabolo in deserto, ante quadraginta jejunii dies; contra Evangelistas: Joseph ut exploraret, an virgo admisisset adulterium, eam ad sacerdotes adduxisse, & juxta morem a lege præscriptum, Virginem, probationis aquam bibisse. Imminente vero partu, Dominam nostram cum doloribus, & anxietatibus peperisse, itaut iis adacta, se in Bethleemiticum præsepe receperit: demum nec ipsam Virginem, aut alium sanctorum, Deo adhuc in Cœlo gaudere, sed in Paradiso terreno, usque ad diem Judicii: alios præterea quamplurimos errores continet: hic brevitatis gratia omissos; nonnullos enim, & præcipuos solum, in hoc libro, sicuti in ceteris aliis, indicat synodus: ut omnibus clare pateat, quam juste, & utiliter ipsos prohibeat, & sententia excommunicationis in legentes, vel habentes prædictos libros animadvertat, atque unusquisque illos magis horreat, & vitet, atque comburat: postremo suppetunt synodo rationes aliæ, sibi bene visæ, quæ prohibitionem hujusmodi reddunt valde utilem, & necessariam.

LI. Item librum *Joannis Brialdon* (*a*), ubi sæpius scribitur, duo in Christo fuisse supposita, divinum scilicet, & humanum, contra veritatem Catholicæ Fidei, agnoscentis in ipso, unum tantum suppositum Divinum: ex quo errore infertur, in eodem libro nomina *Jesu*, & *Emmanuel*, nomina esse suppositi tantum humani; ideoque venerandum non esse dulcissimum nomen *JESU:* scribitur etiam tres divinas Personas, eadem Incarnationis unione fuisse incarnatas: Christum Dominum nostrum esse Filium adoptivum, non vero naturalem Dei: Unionem Incarnationis esse accidentalem, & tantum ex amore, inter duo supposita, Divinum, & humanum.

Item librum scriptum *De Processione spiritus Sancti*, in quo per totum diffuse probatur, Spiritum Sanctum non procedere nisi a solo Patre, non vero a Filio, adversus Catholicam veritatem docentem, a Patre, Filioque procedere.

LII. Item librum, cui titulus: *Margarita Fidei*, ubi multis fallacibus rationibus, ac ineptis argumentis probatur, Beatissimam Virginem, [*b*] nec esse, neque vocari debere *Matrem Dei*, sed *Matrem Christi*: duplex etiam in Christo distinguendum supposítum, alterum *Verbi*, alterum *Jesu:* Unionem Incarnationis accidentalem esse amoris, & potentiæ, non vero substantialem; tres insuper esse Fides, & diversas *credentias;* fidemque esse divisam in tres Confessiones, Nestorianorum, Jacobitarum, & Romanorum; quæ autem Nestorianorum est, ipsam esse veram, atque ab Apostolis traditam: Romanorum vero hæreticam, falsam, atque armorum vi, necnon Decretis Imperatorum, quoad majorem Orbis partem introductam; Idemque esse Nestorium Excommunicationi subjicere, ac excommunicare Apostolos, Prophetas, & totam Scripturam: eum qui eorum doctrinam non credit, vita æterna privandum: qui Nestorium sequuntur, hanc Apostolorum Fidem accepturos, quam usque in præsens Ecclesia Babylonica Syrorum conservat: Matrimonium non esse Sacramentum, sed nec esse posse: Crucis signum unum esse ex Sacramentis, in Ecclesia a Christo institutis: Inferni ignem metaphoricum esse, & non verum ignem: Ecclesiam Romanam a Fide excidisse, contra quam, illud etiam militare, quod in fermentato non celebrat; cum id Ecclesia ab Apostolis acceperit; & contrarium tamquam hæresim habendum esse.

LIII. Item librum, qui dicitur *Patrum*, in quo habetur, B. Virginem non esse, nec appellari debere Matrem Dei: Patriarcham Babylonicum Nestorianorum, caput esse universalis Ecclesiæ, a Christo institutum: Ignem Inferni non esse verum, sed spiritualem; Hæreticum esse dicere, Deum natum fuisse, aut mortuum: in Christo duplex esse suppositum; & non tantum unum.

Item librum *Vitæ Abbatis Isaiæ*, a quodam Nestoriano commentariis aucto, ubi dicitur, unionem fuisse tribus Personis communem; ac S. Cyrillum Alexandrinum, qui Nestorium anathematizavit, esse impium Hæreticum, & in

(*a*) Ebedsejus Sobsensis *in Catal. lib Syr. c.* 12. recenset scripta *Joannis Bar Chaldon*, revera Nestoriani, & cujus opera ait Thomas a Jesu *Lib. de Convers. omn. Gent. pag.* 354. *damnata fuere in synodo Diamperensi:* unde putamus ipsum esse, qui in nostro autographo, depravata voce *Brialdon* dicitur. Liber ipsius, de quo hic loquitur synodus, putat clariss. Asseman. *Tomo* 3. *Bibliot. pag.* 266. esse illum, qui inscribitur: *Magnus liber Quæstionum.*

(*b*) Cum in concilio Ephesino *anni* 431. asserta fuisset contra Nestorium V. Mariæ *Maternitas Dei*, excepti fuerunt illi patres a populo lætis acclamationibus, & eisdem Jo, Pæana canentes cuncti eos ad proprias ædes cum lampadibus comitati sunt; qua occasione, agente S. Cyrillo, salutationi Angelicæ, addita fuere verba illa: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis &c.* atque Theodosius & Pulcheria ipsius Soror, erigi curarunt, titulo *Matris Dei* augustissimum CPoli templum in *Blachernis*, aut Suburbio *Blachernis* dicto (aliqui autem id Leoni imperatori tribuunt) & Sixtus III. in ejusdem rei monumentum, Arcum erexit triumphalem, qui adhuc hoc tempore visitur, ante aram maximam sanctæ Mariæ Majoris in urbe; consule eruditissimum Marangonium pluribus lucubrationibus notissimum, in perpolito volumine: *Delle cose Gentilesche &c.* hoc anno 1744. Romæ edito *cap.* 25. *pag.* 96. & corrige erratum typum *Balchermis*. At neque additionem illam *sancta Maria &c.* tempore concilii illius Ephesini factam fuisse sustinemus, sed seculo XV. labente, cum Grancolasio *in Breviar.*

& in Inferno exiſtere; eo quod unicum in Chriſto ſuppoſitum aſſeruit; ubi etiam, quoties de Neſtorio, Theodoro, ac Diodoro ſermo inſtituitur, iidem Sancti, ac Beati appellantur; & ipſorum teſtimonio contenditur, Sanctos ante diem Judicii Cœlum non adituros, nec Deo gaviſuros: damnatos vero morari in Eden loco aliquo tetebroſo, apud Paradiſum terrenum: inſuper quo aliquis nequior eſt, eo minus a Dœmonibus torquendum fore in Inferno, dum illic erit, ob conformitatem, & amicitiam, quæ interceſſit dum viveret, & quam inibi adhuc colunt: Verbum factum non fuiſſe hominem; qui vero id aſſeruerit, blaſphemum fore: Chriſtum viciſſe peccati affectiones virtute ab extra adveniente ipſi, quam in ſe non habebat, cum non eſſet Deus: Divum Cyrillum hæreticum fuiſſe, quia unum tantum in Chriſto ſuppoſitum agnoſcebat: duplicem in Chriſto naturam, divinam, & humanam, amore tantum, adeoque accidentali unione fuiſſe unitas; totam Trinitatem incarnatam fuiſſe; Deum habitaſſe in Chriſto, tanquam in rationali Templo, cui virtutem contulit, qua ſe omni juſtitiæ uniret, non quod eam haberet: Juſtorum animas in Paradiſo exiſtere terreno uſque in diem Judicii; malorum autem, quæ in mortali decedunt, duci ad locum *Edem*, ubi non alia ratione torquentur, quam conſideratione pœnarum, quas poſt Judicium luent.

LIV. Item librum nominatum *De ſynodis*, (*a*) in quo epiſtola reperitur ſuppoſita Pontifici Cajo, falſis etiam ſubſcriptionibus plurium præſulum Occidentalium munita, atque Babylonis nuncupata: in qua fatentur, eccleſiam Babylonicam nullimode eccleſiæ Romanæ ſubjici debere; & tam ipſam, quam ceteras illi ſubditas *immediate* a Chriſto ſubſiſtere, quin Romanum teneantur reverire Pontificem: atque alio in loco ait, in eccleſia Romana exiſtentes, Fidem abjudicaſſe, ac Apoſtolorum Canones, armata Imperatorum hæreticorum manu, corrupiſſe; hæreticos etiam eſſe, eo quod in fermentato non celebrent, contra inviolatum Eccleſiæ morem, a Chriſto ejusque Apoſtolis acceptum: plurimi faciendos eſſe epiſcopos Neſtorium ſectantes, eorumque adnotationes; quos etiam Sanctos vocat, atque ipſorum Reliquias venerandas: matrimonium non eſſe Sacramentum, eumque ob conjugum aſperitatem diſſolvi poſſe: uſuram non eſſe peccatum, ſed rem licitam.

Item librum, qui dicitur (*b*) *Timothei Patriarchæ*, in quo libro Sanctiſſimam Euchariſtiam nefariis erroribus, ac deliramentis impetunt; idque triplici in capite, impie aſſerendo, in illa Chriſti dumtaxat imaginem, non autem Chriſti verum Corpus exiſtere.

Item epiſtolam appellatam (*c*) *De Dominica*, quam fingunt Cœlo delapſam, in qua eccleſiæ Romanæ filii, tamquam a vera religione transfugæ, & diei Dominicæ violatores traducuntur.

Item librum, cui titulus (*d*) *Maclamatas*, ubi longius, pluribuſque verbis probare conantur diſtinctionem ſuppoſitorum in Chriſto, atque unionem ſolum moralem, & extrinſecam Dei, & Hominis, quem errorem veluti primigenium, aliis falſis ac blaſphemis promovent exemplis.

Item librum, qui vocatur (*e*) *Uguarda*, ſive *Roſa*, qui etiam aſſerit in Chriſto duplex ſuppoſitum, & unionem ſolum extrinſecam, ac moralem, additque filios Divo Joſeph ex alia uxore (*f*) ſuſceptos, obſtetricem advocaſſe ad Virginem parituram, eamque inter dolores, ac anxietates peperiſſe, aliaque id genus commenta penitus fabuloſa, atque blaſphema.

Item librum ſic inſcriptum *Camiz*, ubi dicitur alium fuiſſe Filium Dei, ſive Verbum Divinum, & alium Virginis Filium, & hanc cum doloribus, & angoribus Filium ſuum enixam fuiſſe.

Item epiſtolam (*g*) *Marnacai*, quæ tota eſt in probando, Beatam Virginem non eſſe Matrem Dei, nec ita a fidelibus vocandam.

Item librum, cui titulus (*h*) *Menra*, ubi impie docetur, Chriſtum Dominum eſſe tantummodo Divini Verbi imaginem; Deique ſubſtantiam, ſive id quod hoc nomine ſignificatur habitare in ipſo veluti in templo; deinde Chriſtum, ſecundum tenere locum poſt Divinitatem, Deique ſocium factum fuiſſe.

Item librum *De Ordinibus*, ubi primo docetur per ſolam formam abſque materia Or-

(*a*) Liber hic inſcriptus *de Synodis*, fortaſſe fuerit, qui a Sobenſe *in Catal. cap.* 191. recenſetur, ubi laudantur Synodi Mar Iſaaci, Barſumæ, Abæ, Ezechielis, Jeſujabi, & aliorum: aſt *de Synodis Orientalibus* avide expetimus opus, quod prælo parat exactiſſimus rerum Orientalium ſcriptor Joſeph Simon Aſſemanus.

(*b*) Neſtorianos duos inſignitos hoc nomine invenimus; nempe Timotheum poſt Ananjeſum ſecundum, in patriarcham Syrorum Neſtorianorum electum, circa annum Græcorum 1089. Chriſti 778. alterum hujus nominis patriarcham, ſuffectum legimus loco Jaballahæ anno Chriſti 1317.: cum autem ille inter ea quæ edidit, & videri poſſunt *in Biblioth. Orient.* clariſſ. atque eruditiſſ. Aſſemani *tom.* 3. *pag.* 60. nihil de re ſacramentali protulerit, ut fecit Timotheus iſte II. qui librum edidit *de Sacramentis Eccleſiæ*, cujus apographum anno 613. exaratum, a Joſepho III. Chaldæorum patriarcha ad ſac. Congreg. de Propaganda, nuper fuit tranſmiſſum, huic potius attribuendus videtur iſte Liber; vehementiſſime tamen ſuſpicamur, ne error de Euchariſtica *figure Chriſti*, ab aliquo e Proteſtantibus inductus ſit, cum Aſſemanum ejuſmodi errorem in illo neutiquam comperiſſe appareat, dum ejus capita & Sectiones percurrit *tom.* 3. *a pag.* 572.

(*c*) De hac Epiſtola vide *Hiſtor. Synod. Diamper. cap.* 2. §. 2. *in Notat.*

(*d*) Legendum *Machamatas librum Rhythmorum*.

(*e*) Lege *Varda*, ſive *Roſa*.

(*f*) A Thoma apoſtolo quartum, ſedem Seleucienſem tenuiſſe *Abrim* Hebræum, divi Joſephi filium illi appingit *Jacobum Adelphoteum*, Vide Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 611.

(*g*) Legi debet Mar Narſai.

(*h*) Lege *Memra*, ideſt *Liber Orationum*, ſeu *Sermonum*.

ANNO CHRISTI 1599.

Ordines conferri. Secundo asseruntur formæ commentitiæ, & errorum plenæ. Docetur insuper, nullum haberi Ordinem in Ecclesia præter Diaconatum, & Presbyteratum: Additur (*a*) Altaria lignea, & non lapidea consecranda esse. Postremo adjungitur deprecatio quædam, qua absolvi debent ab Anathemate, cui subjacent, qui doctrinam Nestorii insectantur, & rursus conciliari cum Ecclesia, qui ab aliis sectis ad Nestorii partes accedunt.

Item librum *Homiliarum*, ubi legitur sacram Eucharistiam esse tantum (*b*) Imaginem Christi, & ab eo distingui, non secus ac imago ab homine vero, nec in illa esse Christi Corpus, quod solum in Coelo existit. Præterea totam Trinitatem fuisse cum humana natura copulatam, (*c*) & Christum solum esse Templum Divinitatis, & Deum non reapse, sed specie tantum: ulterius Christi animam non descendisse ad inferos, sed tantummodo ad Edem Paradisum ductam fuisse, nec posse citra errorem contrarium asseri: atque adeo nos in Symbolo errare: nonnullæ etiam habentur in eodem libro epistolæ synodorum hæreticorum, docentes patriarcham Babylonicum subjectum non esse Romano pontifici. Postremo adjungitur juramenti formula, qua eidem soli patriarchæ tamquam totius ecclesiæ capiti, fides, & obedientia promittatur, non vero Romano pontifici.

Item librum, qui inscribitur: *Expositio Evangeliorum*. In hoc libro passim duo suppositа asseruntur in Christo. Insuper asseritur Christum utpote purum hominem, ex necessitate Deum adorare debuisse, nec ab necessitate orandi fuisse immunem; eumdem fuisse templum sanctissimæ Trinitatis: non descendisse post mortem ad inferos: sed in Paradisum asportatum fuisse; eamdemque Paradisi sedem, latroni in cruce promisisse: præterea impie docetur, Beatam Virginem reprehensione fuisse dignam, eo quod superbe putaret se Matrem magni Regis terreni, atque adeo Christum esse purum hominem, ejusque regnum temporale, quo in errore cum Judæis consentiebat. Additur insuper, Evangelistas non scripsisse omnia, prout vere contigerunt, cum ceteroqui plerisque ex rebus gestis, quas narrant, non interfuerint, atque inde ortam esse Evangelistarum dissensionem in iis, quæ posteriorum memoriæ tradiderunt: Magos insuper, qui ab Oriente venerunt, nullam mercedem accepisse a Deo, nec in Christum credidisse: Christum vero fuisse Filium Dei adoptivum, nec ulla ratione fieri potuisse, ut esset Filius Dei naturalis, ea ferme ratione, qua impossibile est homines justos fieri naturales Dei Filios: quamobrem illam accepisse per baptismum gratiam, quam antea non habebat, eumdemque fuisse tantummodo imaginem Divini Verbi, Spiritus sancti templum: Ulterius sacram Eucharistiam solum specie tenus, & non revera esse Corpus Christi, quod in illa non existit, sed solum in Coelo ad dexteram Dei Patris. Multa de Christo ipso subnectuntur prorsus fabulosa, & sacrilega: cum nempe utpote purum hominem, quænam futura esset finalis judicii dies, ignorasse: Thomam apostolum, cum mittens manum in Christi latus dixit (*d*) *Dominus meus, & Deus meus*, non locutum fuisse de Christo, sed in eam (*e*) exclamationem erupisse admiratione raptum, ut fieri solet, ad aspectum rei mirabilis, & inopinæ: potestatem a Christo Petro relictam in ecclesiam nihil omnino differre ab ea quam sacerdotibus aliis contulit: Quamobrem Petri successores non excedere in jurisdictione episcopos alios. B. Virginem non esse Dei Matrem: demum primam epistolam Divi Joannis & epist. Jacobi non fuisse ab ipsis scriptas, sed ab aliis, qui eodem nomine appellabantur, atque adeo non esse canonicas.

LVII. Item librum (*f*) *Hormisdæ Raban*, cui nomen sancti falso tribuitur, in quo libro, Nestorium sanctum, & martyrem, ac pro veritate passum fuisse asseveratur: Rursus divum Cyrillum Nestorii insectatorem, Doemoniorum fuisse sacerdotem, & Diaboli ministrum, atque inferni poenis addictum: imagines venerandas non esse, utpote idola turpia, & immunda, (*g*) easque Divum Cyrillum hæreticum (ut ipsi calumnioſe dictitant) adinveniſſe, atque introduxiſſe. Plura in eodem libro narrantur falsa, & commentitia miracula, quæ ab Hormisda illo, ut comprobaret veram esse Sectam Nestorii, patratæ dicuntur. Recen-

(*a*) Utrumque hoc, ut disciplinæ ecclesiæ Orientalis firmatum caput, sustinendum esset in Indis Chaldæi ritus.

(*b*) Errorem istum de figura Eucharistiæ adscitis, non nativis Nestorianorum deliramentis tribuimus; cum enim veteres Nestoriani, nihil simile asseruerint, non est cur de antiquitate Illius Pseudo-Dogmatis, authoritatem illi conciliare conentur Protestantes cum Crozæo: videbis nostram *Diss.* 4. *num.* 90.

(*c*) Totam Trinitatem non fuisse cum humanitate copulatam, sive ut dicitur *Incarnatam* copulata natura Divina, illud est mirabile Mysterium, quod varie a Theologis explicatur; præ omnibus placet Augustinus: utinam non fuisset Concil. Ephesino præmortuus! *Ser.* 224. alias 17. ex Sirmondianis *num.* 3. *Deus Christus* (ait) *hoc est quod ille* Pater *non hic est, qui ille; quia ille Pater, hic Filius*: Si ergo hic non est qui ille, potest hic incarnari, non incarnato illo.

(*d*) Joann. *cap.* 20. *v.* 28.

(*e*) Nunc primum, ut notat Calmetus, *Dei* nomen explicite, Jesu Christo in Evangelio tribuitur; unde Nestoriani validissime confutabantur, cujus vim textus ut eluderet Theodorus Mopsuestenſis, istam novitiam excogitavit explicationem, nimirum Thomam non fuisse confessum Divinitatem Christi, sed *Deus* ad Patrem intendisse, exclamans præ miraculi magnitudine. *Heu Domine Deus meus quodnam miraculum!* quæ tamen confixa fuit in Synodo V. œcumenica Constantinopolitana II. *Can.* 12.

(*f*) *Raban.* idem est ac Magister noster, quo titulo Chaldæi Monachos proprie appellant.

(*g*) Adversarius Synodi nostræ Crozæus, cum ingenti plausu excipit novum inventorem-

ima-

ANNO CHRISTI 1599.

cenſentur poſtremo ea, quæ Catholici in Hormiſdam egerunt, ad frangendam illius contumaciam, quæ omnia, injuſtis perſecutionibus, quas ipſe in comprobationem veritatis ſuæ ſectæ paſſus fuit, falſo annumerantur.

Item librum *Sortium*, cui adjungitur *annulus*, qui dicitur Salomonis. Liber hujuſmodi ſuperſtitioſas continent dierum fauſtorum electiones pro matrimoniis ineundis, aliiſque rebus bene gerendis, aliaque plura ſacrilega, atque ex ethnicorum ritibus petita, quem librum, & alios quoſcumque de ſortibus, vel de dierum electione tractantes, ſub eadem cenſura ſynodus prohibet.

Item librum alium, qui ſe habet inſtar libri illius, qui apud Catholicos ſic inſcribitur: *Flor Sanctorum*; deſcribuntur enim

A in illo acta aliquorum Neſtorianorum, quos Sanctos appellant. Eadem damnatione comprehenduntur libri alii, qui acta alicujus Neſtoriani peculiariter narrant, & nominatim ii, in quibus deſcribuntur (*a*) vitæ Abrahami cognomento *Magni* (1), Georgii Abbatis (2) Cardeg (3), quem Martyrem dicunt; Jacobi Abba (4), Saurixo (5), Johanan (6), Ganri (7), Raban Sabacat (8), Ocama (9), Daniel, Barcaula (10), Raban Nuna [11], Jacob, Rabai (12) Magni, Dadixo (13), Jomaruſia (14), Schalita (15), Ihab, Abimelec expoſitoris (16), Abraham (17) Alterius Abraham Natpraya (18), Jobcarder (19), Joannis, Ircaſca (20), Neſtorii (21), Jaunam (22), Barcurra (23), Raban Gabarona (24), Schabibi (25), Barcima (26), Titi (27), Raban Saporis (28), Gregorii Metropolitæ (29), Georgii Mo-

ANNO CHRISTI 1599.

imaginum Cyrillum, cum Elmaſino hæretico Jacobita; atque hujus teſtimonio, & Hormiſdæ confiſus, rem quaſi certam ſupponit; refragatur tamen illi conſenſus Patrum, in traditione fundatus, & antiquiſſima ante Cyrillum *Paſtoris* imago. Vide *Epiſt.* Bachin. & Cl. Aſſem. *tom.* 4. *pag.* 504.

(*a*) Longum ac permoleſtum eſſet de his ſermonem inſtituere; iſtorum plures memorat Aſſeman in Bibliot. tom. 3. ubi de Scriptoribus Syris Neſtorianis agit: pene impoſſibile autem, orthographicos caſtigare defectus, apographi Luſitani, quo uſi ſumus, quod nomina cognominibus confundit, diſiungit, temere interpungit, aut erronce exarat: adeo ut maleficio orthographiæ Luſitanæ Renaudotio teſte, ut notat Crozæus, pag. 244., nomina iſta orieantalium, reddita ſunt cimeriis obſcuriora tenebris. Ex hiſtoria tamen Thomæ Margenſis, & ex aliis Neſtorianorum documentis, quæ idem Aſſemanus *tomo* 3. *citato* producit, præter ea quæ in adnotatione ad *Dec. IX. hujus actionis* dedimus ſupra, ſic iſta nomina corrigenda cenſemus, quæ ſuis cuncta numeris reſpondent, & cunctis etiam codex, e quo illa caſtigamus; nimirum:

(1) *Abrahami* cognomento Magni: ex Thoma Margen. *in Hiſtor. Monaſtic. lib.* 1. *cap.* 4.

(2) *Georgii abbatis* idem *lib.* 2. *cap.* 12.

(3) *Cardag.* idem *lib.* 5. *c.* 6.

(4) *Jacobi abbatis.* Idem *lib.* 1. *cap.*

(5) *Sabarjeſu.* Idem *lib.* 1. *c.* 14.

(6) *Johanan.* Idem *& ibidem.*

(7) *Gabrielis.* Idem *lib.* 2. *c.* 18.

[8] *Rabban Sabocht.* Idem *lib.* 1. *cap.* 24.

(9) *Uchama.* Idem *& ibidem.*

(10) *Danielis Bar Caula*: Sobenſis *in Catalogo cap.* 105. apud Aſſeman. *tom.* 3. *pag.* 174. ubi dicitur, *Daniel Tobonita*

(11) *Rabban Jonæ.* Thom. Margen. *lib c.* 17.

(12) *Rabban Jacobi.* Idem *lib.* 1. *cap.* 14.

(13) *Dadjeſu Magni.* Idem *lib.* 1. *cap.* 5.

(14) *Marjabi.* Idem *lib.* 1. *cap.* 19.

(15) *Scialitæ.* Sobenſ. in *Catal. cap.* 109. apud Aſſeman. *tom.* 3. *pag.* 176. Eſt & alius Scialita, quem Neſtoriani ſocium S. Eugenii faciunt, de quo in eodem *tom.* 3 *pag.* 302.

(16) *Rabban Abibi Expoſitoris* Soben. *in Catal. cap.* 112. apud. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 177. de quo & Thomas Margen. *lib.* 6. *cap.* 8.

(17) *Abraham.* Soben. in *Catal. cap.* 126. apud Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 194. de quo etiam Margenſ. *lib.* 3. *cap.* 3.

(18) *Alterius Abraham Netpharajæ.* Soben. in Catal. *cap* 122. ap. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 191. & Thomas Margen. *lib.* 2. *cap.* 17.

(19) *Job Catarei.* Sobenſ. *in Catalogo cap.* 107. ap. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 175.

(20) *Jarnis Azrach.* ſive *Azrach* Sobenſ. *in Catal. cap.* 115. ap. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 122.

(21) *Neſtorii.* Soben. in Catal. *cap.* 20. ap. Aſſem. *tom* 3. *pag.* 35. Hic eſt a quo Sectarii ejusdem dicti ſunt Neſtoriani.

(22) *Johanan* id eſt *Joannis* de quo Soben. *in Catal. cap.* 56. apud Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 72. cognomento *Beth. Raban.* Abrahæ, & Narſetis ſocius fuit.

(23) *Barcura* Thomas Margen. *Hiſtor. Monaſt. lib.* 1. *cap.* 18. Barturæ coenobium memorat: *& lib.* 6. *cap.* 8. eidem Cœnobio præfuiſſe Marcum ſcribit. Vide Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 459. 470. 501. *& pag.* 344. ubi inter Coenobia exemta numeratur.

(24) *Rabban Gabruna*: *Gabruna* autem idem eſt ac *Gabriel.*: de quo Margenſis *lib.* 6. *cap.* 1. *& ſeqq.*

(25) *Habibi*: de Habibo & Jacobo fratre monachis Margen. *lib.* 6. *cap.* 8.

(26) *Barſaumæ.* Soben in Catal. *cap.* 54. ap. Aſſem. *tom.* 3. *pag. alias Barſumas.*

[27] *Titi*, Amrus *in vita Eliæ III. patriarchæ*, Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 558.

(28) *Rabban Saporis*: Saporis Coenobium vide *tom.* 3. Aſſem. *pag.* 615.

(29) *Gregorii Metropolitæ*: Margen. *lib.* 2. *Hiſt. Monaſt. cap.* 25. ap. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 411. ubi fuſe de Gregorio Metropolita Niſibis.

ANNO CHRISTI 1599.

nachi (30), Xahucalmaran (31), Joſephi (32), Nathanaelis (33), Simonis (34) Abbatis Chabita (35), Zinai Abbatis, Audixo (36), Joannis Craſcaya (37) Barcahade, (38) Italaah (39), Joannis Sahadui (40) Aha (41), Xalita (42), Jonacoreta, Xari, alterius Joannis, Eliæ Joadarmah (43), Annanixo (44), alterius Joannis (45), Barhetta (46), Rabai Simeonis, (47), Narſai Naban (48), Raban Theodori, Rabai doctoris (49), Abda (50), Abolaminer (51), Rabantarſahar (52), de Cardarvi (53), Juveal Maran, Sergiududa (54). Xuvealmaran, Dadixo, alterius Abraham, & Ezequieldoſa (55) Rabai Perca, David Barnutar, Hormiſdæ (56), Pition (57), Salamonis abbatis (58), Raban Machixo (59), alterius Georgii, Muchiqua alterius (60) Abraham Apnimacan (61), Xaurixo, Ixoſauran (62), Joſedec, Raban camixo (63), Bardirtæ abbatis (64), Abraham Barmaharait Georgii Raban, Zlivæ Abbatis (65), Guiriaco (66) Rabambaut (67), Joſephi abbatis, Zaca, Nosbian, Jeſus (68) Abbatis, Haronis (69) Bucatixo, Atcan (70), alterius Abrahami Xonxæ abbatis, Amanixo Gafraya, Sahedonæ epiſcopi (71), Joſeph Azaya (72) Iſahaha epiſcopi (73), Jacob appellati prophetæ, Iſajahu, Eunuchi Ramani, Jobar Malchi, qui omnes ſunt hæretici Neſtoriani.

ANNO CHRISTI 1599.

(30) *Georgii Monachi*. Idem Margen. *lib.* 1. *cap.* 28. ap. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 218.
(31) *Sciubchalmarani*: Idem *lib.* 2. *cap.* 34. apud Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 479.
(32) *Joſephi*. Margen. *lib.* 2. *cap.* 26. ap. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 477.
(33) *Nathanaelis*: Idem *lib.* 2. *cap.* 20. & Soben. *in Catal. cap.* 154. apud Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 224. & 476.
(34) *Simeonis*: Margen. *lib.* 5. *cap.* 12. & Soben. *in Catal. cap.* 157. apud Aſſem. *tom.* 3. *pa.* 225.
(35) *Abbatis Scialita*: Mares & Amrus in vita S. Simeonis, & Barbaſima epiſcoporum Seleuciæ, mentionem faciunt Scialitæ & ſociorum monachorum: vide Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 306. Alter *Scialita* idemque recentior extitit Rheſinæ epiſcopus, de quo Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 176. & 294. is floruit anno Chriſti 740.
(36) *Zyna abbatis Abdjeſu*. Soben. *in Cat. cap.* 124. apud Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 191.
(37) *Joannis Caſcarenſis* vulgo *Abbas Caſcarenſis*, alius ab Araham Caſcarenſe, de quo Margen. *lib.* 1. *cap.* 4. De abbate vero Caſcarenſe, agit Soben. *in Catal. cap.* 83.
(38) *Barſabeda* ejus meminit Jeſujabus Adjabenus: vide Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 142.
(39) *Aitallaha*: ejus Cœnobium ſupra pagum Laghes: vide *Hiſt. Monaſt.* Margen. *lib.* 8. *cap.* 1. ap. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 496.
(40) *Joannis Saharoe*: Margen. *lib.* 1. *cap.* 14. ap. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 469.
(41) *Aeha*. Acha & Joannes fratres: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 147. 180.
(42) *Scialita*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 306. & 176.
(43) *Joannis Carturi*, alterius *Joannis*; *Eliæ*; *Joannis Adrama*. Margen. *lib.* 1. *cap.* 14. apud Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 469.
[44] *Ananjeſu*: ibidem nempe *pag.* 469.
(45) *Alterius Joannis*: Ibidem.
(46) *Baritæ*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 218. 224. 458. 471. 473. & 500.
(47) *Rabban Simeonis* Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 184. 185. 476. & 477.
(48) *Rabban Narſai* Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 63. 64. & *ſeqq.*
(49) *Rabban Theodori doctoris*: hic eſt ille Theodorus Mopſueſtenus Neſtorii præceptor; Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 30: & *ſeqq.*
(50) *Abda*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 368. & *ſeqq.*
(51) *Abda* alterius: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 369. & *ſeqq.*
(52) *Rabban Iſai*: Margen. *lib.* 1. *cap.* 14. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 469.
(53) *Codahua*: Rabban Codahua fuit Coenobii Beth-Halenſis Archimandrita: Ebedjeſus Soben. ap. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 152 204 & 184.
(54) *Jubalmarani*, *Sergii Dudæ* Soben. *in* Catal. *cap.* 82. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 154.
(55) *Sciubchalmarani*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 104. 474. & 631. *Dadjeſu*: alterius *Abraham*. *Ezechielis* ibidem.
(56) *Rabbam Pharchæ*; *Davidis Barnutar*; *Hormiſdæ*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 176. 284. 368. & 553.
(57) *Phetionis*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 156. 160. 397. 490. & 506.
(58) *Salomonis Abbatis* Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 186. 459. & *ſeq.*
(59) *Rabban Machichæ*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 549. & *ſeq.*
(60) *Alterius Georgii*: Machichæ alterius: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 620.
(61) *Abrahæ Aphnimarani*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 141. 148. & *ſeqq.*
(62) *Sabarjeſu*, *Jeſuſabran*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 285. 633.
[63] *Joſedec Raban Chamiſii*: Joannes Bar Chamis: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 256. & 566.
(64) *Bardirtæ Abbatis*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 187. 501.
(65) *Abraban Barmarait*. *Raban Georgii*. *Saliba Abbatis*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 140. 218. 473.
(66) *Cyriaci*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 487. 489. 490. & 511.
(67) *Rabban Bautha*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 439. 488. 557.
(68) *Joſephi Abbatis*. *Raban Zachajeſu*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 255. 455. 469.
(69) *Abbatis Aaronis*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 207. 209. 211. 490.
(70) *Bochtjeſu*: *Atkenio*: Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 216. 217.
(71) *Abrahami alterius*. *Sciubchaljeſu Abbatis*. *Ananjeſu*. *Caſcarenſis Sahaduna Epiſcopi*. Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 81. 107. 113. 142. 453. & 474.
(72) *Joſephi Huzaja*. ſeu *Huzita*, aut *Hazaja*, id eſt *videntis*. idem *pag.* 23. 81. 100. & *ſeqq.*
(73) *Iſaiæ Epiſcopi*; *Jacob appellati Prophetæ*; *Iſaiæ*; *Eunuchi Romani*. *Job*, & *Malachiæ qui omnes ſunt hæretici &c.* Aſſem. *tom.* 3. *pag.* 104. & in indice Scriptor. Neſtorian.

ANNO CHRISTI 1599.

ni, & perfidi sequaces illius execrabilis sectæ, ut aperte colligitur, ex libris eorum acta continentibus, qui scatent undique multis hæresibus, blasphemiis, ac fabulosis, falsisque miraculis, quibus Nestoriani sectæ suæ fidem conciliare frustra conantur.

LVIII. Item librum appellatum Panisman, sive Medicina Persica veneficiis refertum, & qui plura docet verba ad nocendum inimicis, ad seducendas, allicindasque fœminas, & ad alia turpia, & prohibita; plura insuper nomina dæmoniorum penitus incognita recenset, promissione adjecta, qua spondetur certo futurum, ut qui ex eorum Dæmonum nominibus saltem septem chartæ inscripta secum tulerit, quæcumque mala, & pericula evadat. Plures etiam continet superstitiosos exorcismos ad ejiciendos Dæmones; aliqua simul verba sacra, aliaque ignotæ significationis, obsecrationesque plures, quin & ipsam invocationem sanctissimæ Trinitatis, quibus, ut sacrilege ajunt, sternitur via ad turpia, & pudenda peccata: continet pariter deprecationes plures, in quibus merita Nestorii, ejusque Assectarum cum meritis Beatæ Virginis promiscue copulantur, & Angelorum sanctorum merita cum turpium Dæmonum meritis, quod quidem in hac dioecesi frequentissimum est, & apud omnes ferme Cassanarios ad hanc usque diem usitatissimum. Prædictos libros omnes sub eadem censura superius lata Synodus prohibet. Qui vero aliquem ex libris prædictis apud se habere compertum fuerit, ultra memoratam censuram, poenis aliis graviter a præsule punientur.

DECRETUM XV.

LIX. Verum non in recensitis tantum libris, flagitiosæ Nestorianorum hæreses leguntur; sed quod detestabilius est, in ipsis breviariis, & sacrarum precum libris adhiberi solitis in ecclesia: cum enim a Nestorianis editi fuerint; pluribus blasphemiis, hæresibus, fabulis, ac narrationibus apocryphis scatent: ita ut in solemnitatibus sacris divinisque officiis, Deum, quem laudare debent, blasphemiis, atque conviciis indesinenter afficiant.

Itaque *in Breviario Magno* legitur, Verbum Divinum carnem non assumpsisse, quod ineptissime inferunt ex eo quod, si ita factum fuisset, superflua fuisset obumbratio Spiritus Sancti. In illo eodem Breviario, *Officium in Adventu* est ex omni parte hæreticum, cum in illo passim duo supposita in Christo asserantur, & Christus assidue appelletur Templum dumtaxat Dei: officium vero in festo Nativitatis ultra prædictos errores continet solennem Antiphonam, in qua legitur hæc propositio verbis Divi Joannis aperte contradicens; nimirum *Nec Verbum Caro factum est*. Illud insuper accedit, quod qui dictæ propositioni impiæ, & hæreticæ refragantur, inobedientes appellantur, rebelles, ac tardi corde ad credendum. Quamobrem officia adventus, & Nativitatis nihil aliud esse videntur, quam nefaria hæresum, & blasphemiarum congeries.

ANNO CHRISTI 1599.

In libro *Precum jejunii magni* sæpenumero duo supposita divinum, & humanum ponuntur. Atque etiam divina officia in cultum, & honorem Nestorii, aliorumque plurium ejusdem Nestorii Assectarum, pluresque commemorationes, de ipso Nestorio sæpius fieri præcipitur. Illud etiam additur, nempe (*a*) Marndeay, Theodorum (*b*), Deodorum, aliosque hæreticos Nestorianos, Divum Ephrem sectatos fuisse.

LX. In Breviario majori, quod vocant *Hudræ*, & *Gaza*, sive *Thesaurum recitandi*, sæpissime in Christo duo supposita asserunt, necnon impie docetur, Christum esse Filii Dei repræsentationem, & Divi Verbi imaginem, ejusdemque templum: suppositum divinum illuminasse suppositum humanum: Christum tractu temporis, & paulatim divina gratia, & scientia infusa profecisse: Virginem non generasse, nec in utero gestasse Deum, sed Christum ceteris hominibus parem; atque adeo illam non esse dicendam Matrem Dei, sed Matrem secundi Adam: Trinitatem totam, humanitatem assumpsisse; idque edoctos fuisse Hebræos a Sancto Matthæo: Deum factum non fuisse carnem, sed hanc fuisse veluti umbraculum, & quoddam habitaculi genus, quo suam gloriam tegeret: Deum se tantummodo addidisse socium Christo, cum duceretur ad Crucem, nec in Cruce ipsa quidquam fuisse passum; quippe qui humanitatem non assumpserat; verbum patris fuisse in humanitatem (*c*) mutatum, ac per filium Mariæ genus hominum redemisse: patrem æternum etiam carnem accepisse eodem pacto, quo Filius: Angelum missum fuisse nuncium ad Virginem morantem in Templo, non vero in Domo Nazareth; eamque non sine dolore peperisse non secus ac feminæ, & matres ceteræ: in Eucharistia non existere verum Christi Corpus, pluraque alia prorsus impia, & a recta fide abhorrentia, contra illam adduntur: Nestorium fuisse veracem veritatis præconem. Plures insuper ibidem gratiæ Deo aguntur, eo quod veritatem revelaverit Theodoro, ac Deodoro, Nestorii magistro. Pluribus etiam precibus oratur Deus, ut ab omni malo nos eruat, propter merita Nestorii martyris, qui passus fuit a filiis iniquitatis, atque erroris, &

(*a*) Legendum fortasse *Mar Adai*, id est sanctum Adæum.

(*b*) Lege *Diodorum*.

(*c*) Quia vix percipi valet, ista naturarum mutatio, sine aliqua unione, quæ habitaculi modum excedat, duplicem ex Joan. Pinchensi *Bib. Orien. tom. 3. pag. 355.* adinvenerunt unionem Heterodoxi: *unionem* nempe *commistionis*; ut si Christi nomen atramento & minio commistis exaretur: *En* (ait) *corruptio, en confusio, neque atramentum est, neque minium.* Altera est *unio adhærentiæ*, si nempe idem nomen *atramento exaretur in charta minio tincta*; *en venustas, en lux*; *& atramentum est, & minium*. Illam unionem asserunt Jacobitæ, istam vero Nestoriani: unde illa potius in textu exprimitur, ut apparet.

ANNO CHRISTI 1599.

præsertim Divi Cyrilli invidia, qui fuit (*a*) iniquitatis magister, necnon ut puniat alirer credentes, dissidentesque a Nestorio, ejusque Assecliis, quorum fides ibidem asseritur fundata super fidem Divi Petri, aliorumque apostolorum; beatam insuper Virginem, ejusque sponsum divum Joseph eodem in libro venisse fingitur ad sacerdotes, qui nesciebant unde conceperat: Imagines ulterius idola esse impie docetur, nec venerandas in ecclesiis, vel privatis fidelium domibus. Adduntur postremo Officia de Nestorio, aliisque ipsius assecliis, & commemorationes aliorum plurium hæreticorum.

LXI. In libro (*b*) *Officii Sacerdotum Defunctorum* habetur: in Eucharistia tantummodo Christi virtutem, non autem verum Corpus, & Sanguinem contineri. Quos libros omnes, & breviaria, licet digna sint quæ igni tradantur, cum ultra enumeratos plurimos alios errores contineant; attamen Synodus emendari præcipit, eo quod in hac Diœcesi alii sacri libri non suppetant, quibus Sacerdotes utantur in celebrandis divinis officiis, donec novi sacrarum precum libri procurentur, & a Romano pontifice petantur, atque impetrentur. Itaque synodus præscribit, ut primum errores, & commemorationes de hæreticis deleantur, deinde quæ habentur integra in ipsorum cultum officia, simul cum officiis de Adventu, & Christi Nativitate, a breviariis revulsa, & in frustra discerpta comburantur. Supplicat insuper synodus illustrissimo Metropolitæ, ut mandato suo in hac secunda, quam parat dioecesis visitatione, prædictorum omnium executionem urgeat. Demum præcipit in virtute sanctæ obedientiæ cunctis Cassanariis, atque Chamazibus, ut dictos libros proferant, & alios quoslibet, tum quorum usus communis est in ecclesia, tum qui privatis in domibus sunt in usu; rursus tum pertinentes ad horarias preces, tum ad missarum celebrationem, eosque Metropolitæ, in hac quam adornat visitatione, ad eum finem tradant, ut illos omnes, una cum doctis viris, quibus hanc curam commiserit emendet, juxta emendationes alias ab ipso institutas, & executioni mandatas.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XVI.

LXII. Ad Fidei puritatem conservandam præcipit etiam synodus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub anathematis poena Cassanaris omnibus, & Chamazibus, aliisque quibuslibet cuiuscumque dignitatis, & conditionis in hac dioecesi, ut intra bimestre a publicatione hujus decreti, ad ipsorum notitiam perlati, omnes, & quoslibet libros syriace scriptos, Illustrissimo Metropolitæ vel per se ipsos, vel per interpositam personam, tradant eo tempore, quo, hujus Dioeceseos ecclesias visitaverit; vel nisi ipsi, saltem patri Francisco Roz societatis Jesu, syriacæ linguæ professori in collegio Vaipicotæ; vel ad minimum ad ipsum collegium deferant, ut ab erroribus, si quos continuerint, expurgentur: vel si opus fuerit, penitus prohibeantur, exceptis libris, in quibus continentur horariæ preces quotidie ex lege ecclesiæ recitandæ: namque ii, juxta formam superius præscriptam, corrigi debent. Sub eodem pariter obedientiæ præcepto, & anathemate præcipit, ut nemo ex hac dioecesi, cujuscumque conditionis fuerit, librum aliquem syriace transcribere audeat; nisi ad id præsul facultatem ipsi scripto concesserit, facta expressa mentione libri, ad quem transcribendum facultatem concedit, sacris Bibliis exceptis atque Psalmis. Sede autem vacante, & quamdiu hæc ecclesia suo Pastore orbata fuerit, has vices committit R. P. Francisco Roz societatis Jesu, utpote diu versato in horum librorum versione, & linguæ tum chaldaicæ tum syriacæ peritissimo; atque adeo qui optime callet hujusmodi librorum qualitatem.

DE

(*a*) Nemo pene dixerim, e sanctis Patribus ita acriter adversariorum obloquutionibus atque calumniis divexatus fuit, uti S. Cyrillus Alexandrinus, Nestorius enim criminabatur, confusas esse a Cyrillo duas Christi naturas, atque hujus anathematismis suos anathematismos opponebat: Joann. Antiochenus, ut ipse Cyrillus in Apologetico scribit, asserebat eum cum impio Apollinari sentire, & execranda impiaque Arii & Eunomii dogmata approbare: omnia denique opera Cyrilli aboleri contendebant orientales: immo & recens scriptor quidam insimulavit Cyrillum quasi factionarium perturbatorem, qui tamen a Parisiensi Archiepiscopo Harlæo, gravi censura repressus fuit, atque ad palinodiam compulsus *die 16. Aprilis anni* 1695. Ast uti Joannes ille cum suis, fervente disputationis æstu, se illi infensissimum præbuit, ita defervescente ardore, ad mutuam amicitiam sincere redit. Verum ni fallor occultum fomitem detexit simultatis in *lib. Margaritar. Sobensis par. 3. cap. 4.* nempe quod Nestoriani eum inter suos cum adnumerassent, eo delusi quod Theodorus Mopsuestenus Nestorii præceptor, atque erroris præcursor, ipsi nuncupaverit Cyrillo, duos in Jobum tomos, ægerrime ferebant ab eodem ut transfuga impugnari; adeo ut per contemptum non Cyrillus, sed modo diminutivo & nominis, & famæ ab illis *Cyrillulus* appellitaretur. Vide Assemani. *tom. 3. Bibliot. pag.* 31. Quin & hoc etiam tempore Marchio de Argens *tom. 1. Epist. Indicarum*, quæ iis diebus jussu Tribunalis S. Officii Romanæ inquisitionis, præ foribus Templi S. Mariæ super Minervam manu carnificis, fuere traditæ flammis, Cyrillum, Cardinale Retz componit.

(*b*) Crozæus legit; *Antistitum defunctorum*.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XVII.

LXIII. Quoniam doctrina, quæ populo publicis in concionibus insinuatur ad fidei, morumque puritatem servandam augendamque plurimum confert, synodus, cui compertum est aliquos ex Cassanariis sufficienti scientia destitutos ad populum verba facere, & non raro errores, atque hæreses publice proferre, plura insuper fabulosa, & commentitia, quæ ex libris hæreticis, & apocryphis, præcipue ex libro *de Infantia* (*a*) *Salvatoris*, aliisque id genus decerpunt, præcipit, ut nullus imposterum conciones, & sermonem ad populum habere audeat; nisi ad id facultatem a suo præsule habuerit, eamque scripto traditam, præmisso insuper ad eam obtinendam examine de sufficienti doctrina, juxta Concilii Tridentini præscriptum: at quia sedes episcopalis vacat, Illustrissimus Metropolita examen hujusmodi committit R. P. Rectori Collegii de Vaipicota Societatis Jesu in hac ipsa Diœcesi existentis, qui cum PP. ejusdem Societatis ab eo deputandis, de sufficientia cujuslibet, qui examen subierit, judicium ferat, eidemque literas obsignatas tradat, quibus Præsul de sufficientia, vel insufficientia literas exhibentis certior fiat. Illustrissimus vero Metropolita, dum obeundo hanc Diœcesim de rerum communium statu cognoscet, viros deputabit idoneos, qui populum, prout necessitas postulaverit, instruant. Omnes autem, qui concionem, & sermonem ad populum habere, absque facultate, a suo Præsule in scriptis habita, ausus fuerit, incurrat ad annum pœnam suspensionis ab exercitio ordinum, & ecclesiasticorum emolumentorum perceptione. Liceat tamen Vicariis in propriis Ecclesiis conciones, prout opus fuerit, coram populo habere, eumque salutari doctrina ex Sacra Scriptura, aliisque probatis libris deprompta pascere: ad quem finem Synodus vehementer optat, Catechismum Malabarico idiomate conscribi, cujus Catechismi die quolibet Dominico caput aliquod coram populo publice legatur, cumque non ignoret Synodus, id operis per Illustrissimum Metropolitam inceptum, futurum esse in promptu, tempore primæ visitationis, præcipit, ut postquam fuerit absolutum, atque in lucem editum, Vicarii omnes diebus Dominicis, vel tempore oblationis, vel si ipsis libuerit ante, aut post missam, ex ipso saltem caput unum elata voce, cum populus ibidem convenerit, legant.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XVIII.

LXIV. Cum ex ignorantia Sacerdotum hujus Diœceseos, & ex prava doctrina, qua hactenus longo usu legendi hæreticos, & apocryphos libros, sæpissimè contingat, ut ii errores, & acta fabulosa in colloquiis, & inter concionandum populo incaute proponant; ne aliquid erroneum, ac falsum animis auditorum infigatur, atque ita fiat, ut sensim vel recta fides corrumpatur, vel saltem morum integritas; præcipit Synodus, ut si Præsul certo sciat id contigisse, quidquid erronee dictum fuit, scripto consignetur, & Cassanarius, vel alius quicumque id protulerit, auctoritate superioris cogatur errorem suum reprobare; quam reprobationem, vel oretenus, vel si consultius fuerit de scripto coram populo recitet, eique sanam doctrinam, errori, vel falsitati contrariam exponat. Verum si id (quod Deus avertat) exequi recusaverit, habeatur tanquam sejunctus per anathematis censuram a communione fidelium, & juxta sacros canones, ac majorem, vel minorem erroris gravitatem puniatur: quod quidem severius fiat, si id scienter, & dolo malo pronuntiaverit; sin minus, atque adeo ex ignorantia, vel ex incauta loquendi facilitate, mitius cum ipso agendum erit; quamobrem satis erit, si moneatur, cogaturque publice improbare, quod incaute protulit; qua in re, si, ut par est, prompte paruerit, non ultra est progrediendum.

DECRETUM XIX.

LXV. Cum Synodo compertum fuerit, nonnulla celebrata esse seditiosa conventicula in hac episcopali sede, post mortem Episcopi Mar-Abrahami, in quibus & publico, & secreto interposito juramento, contra jus & obedientiam Sanctæ Romanæ ecclesiæ debitam, aliqui ex Cassanariis, aliique plures polliciti sunt unanimiter consentientes, se in rebus, tum quæ ad religionem, tum quæ ad hujus ecclesiæ regimen spectant, nihil amplexuros; nisi id ceteri omnes approbaverint, nec recepturos quemquam episcopum a sancta sede apostolica electum, & renunciatum, nisi ex præscripto patriarchæ Babylonici: qui quidem

est

(*a*) Liber *de infantia Salvatoris*, opus est tota antiquitate notissimum, etiam sub titulo *Evangelii infantiæ Salvatoris*, cujus auctorem crediderunt nonnulli S. Petrum, alii sanctum Thomam Apostolum, ut Origenes, Ambrosius, & Hieronymus; sanctus autem Cyrillus Hierosol. *Catech. 6.* illum Thomæ Manetis discipulo adjudicat. Sanc Gelasius, & Timotheus presbyt. Constantinop. *Lib. de his, qui ad Ecclesiam accedunt*, edito a Meursio, perspicue distinguunt, duo hæc scripta *Evangelium Thomæ*, & *Lib. de infantia*. Adesis Calmet. *Dissert. in Evang. apotryphæ num.* 8. Extat liber hic sermone Arabico exaratus, in *Bibliot. Palatin. Medic.* recens edita, ab Evodio Assemano Archiep. Apameense, in orientali eruditione vexatissimo.

ANNO CHRISTI 1599.

est Schismaticus, & hæreticus Nestorianus; rursus alia quædam juratse, eaque omnia adversus sacros canones, & obedientiam sanctissimo pontifici Romano debitam; declarat Synodus, juramenta hujusmodi, & alia similia interposita, vel in posterum interponenda, nulla prorsus, & irrita, eaque tam longe abesse ab obligatione ulla inducenda, impediendisque religione animis, ut potius, utpote temere, & impie interposita, non nisi pari temeritate,, atque impietate impleri valeant. Sententiam præterea pronunciat, qua a fidelium societate, & communione segregat eos omnes, qui tam flagitiosa juramenta acceptaverint, vel præstiterint: immo tota Synodus jurat, ac spondet obedientiam quoad omnia, mandatis papæ sanctæque sedis apostolicæ, juxta sacros canones, seque neque nunc, neque posthac unquam accepturam episcopum ullum, vel alium quempiam præsulem, qui non mittatur a S. matre ecclesia Romana, cujus est, præsules, & episcopos cunctis orbis ecclesiis præficere; contra vero se absque ulla mora, & æquo, libentique animo acceptura quemcumque Romanus pontifex elegerit, eique promptam obedientiam, tamquam legitimo animarum pastori, non expectato cujuscumque alterius jussu, nec obstante quolibet juramento, impie in contrarium interposito, protinus delaturam.

DECRETUM XX.

LXVI. Synodus una cum omnibus sacerdotibus, & populo fideli hujus dioeceseos amplectitur ea, qua par est, veneratione, concilia omnia generalia ab ecclesia universa recepta, & quidquid in eorum decretis credendum proponitur, credit, & confitetur. Rejicit insuper, damnat, & anathematizat, quidquid ab aliis fuit rejectum & anathematizatum. Præsertim obsequenti animo amplectitur, & recipit sanctum concilium Ephesinum (*a*) primum, a ducentis patribus celebratum, ac firmiter credit, quidquid in eo decretum fuit; necnon rejicit, & damnat quæ in eo damnantur, ac potissimum diabolicam Nestorianorum hæresim, quæ longo tempore in hac dioecesi promulgata fuit, & recepta. Diris insuper omnibus execratur ejus auctorem Nestorium, & Nestorii assecias, qui Diabolo suadente duas in Christo personas adstruebant; ex quo tamquam primario errore, consectarios alios colligebant: & primo quidem Verbum Divinum carnem non assumpsisse; sed eam tantummodo tamquam sui habitaculum, instar templi sanctificasse. Secundo nec Deum incarnatum, & mortuum fuisse, nec beatissimam Virginem Dei matrem, sed dumtaxat Christi matrem esse appellandam. Tertio diabolicas alias hæreses propemodum innumeras; quas omnes synodus damnat, rejicit, & anathematizat, & in omnibus sanctam Fidem catholicam amplectitur, ea puritate, animique sinceritate, qua eam tenet, ac profitetur ecclesia Romana, omnium ecclesiarum magistra, cui in omnibus se subjicit, ut supra jurisjurandi religione interposita promisit. Profitetur insuper glorioSum Cyrillum archiepiscopum, & patriarcham Alexandrinum, qui a pontifice Romano in sancto concilio Ephesino legatus præsedit, sanctum esse, beatum, Deoque in coelo gaudere, ejusque doctrinam adversus Nestorianos in eo concilio approbatam, sanctam esse, atque universaliter ab ecclesia catholica receptam; fatetur demum ipsam impugnantes hæreticos esse, & anathemati subjectos.

DECRETUM XXI.

LXVII. Admittit etiam synodus una cum omnibus sacerdotibus, & populo fideli hujus dioeceseos, sacrosanctum concilium Tridentinum, ultimum ex oecumenicis in ecclesia Dei celebratis: cæterum non solum credit, & confitetur, quæ in illo decreta, & approbata fuere, ac rejicit, & anathematizat, ab illo rejecta, & condemnata, verum etiam cuncta de reformatione ecclesiæ, & populi Christiani in eo concilio statuta, amplectitur, eaque omnia servare, & custodire spondet, & jurat, ea ratione, qua servantur, & custodiuntur in aliis ecclesiæ catholicæ diœcesibus, & in iis ipsis propinquioribus, quæ subjectæ sunt episcopis provincialibus, & suffraganeis Goensis Metropolitæ: Quapropter quascumque malas consuetudines dicti concilii decretis contrarias, omnino tollendas decernit: neque inposterum permittet unquam, ut aliter quam juxta reformationem morum, & ecclesiæ Regimen a concilio Tridentino præscriptum populi fideles & catholici gubernentur, non obstante quacumque in contrarium consuetudine, etiam immemorabili præsentis dioeceseos.

DECRETUM XXII.

LXVIII. Venerabundo, atque obsequenti animo, una cum omnibus sacerdotibus, ac fideli populo hujus dioeceseos se subjicit hæc syno-

(*a*) Non ingratam rem putamus lectori facturos, proferendo quo modo Nestoriani, diversos sentiendi modos de Incarnatione Domini in Synodis Ephesina & Chalcedonensi, depingant: *Inde factum est* (ait Ebedjesus Metropolita Sobensis tom. 3. Bibl. Orient. pag. 355.) *ut Christianorum catus in tres sectas divisus fuerit. Primam quidem unam naturam & unam personam in Christo confitetur; quam Copti & Aegyptii atque Aethiopes ex traditione Cyrilli sui Patriarchæ tenent: Altera qua duas naturas & unam personam asserit, Melchitarum dicitur, quippe ab Imperatorevi* (immo fide vera cogente) *stabilita est*; *& hanc susceperc Romani, qui Franci appellantur, & Constantinopolitani Graci, & omnes populi boreales, Ratheni scilicet, Alani, Circassi, Asiani Georgiani, & reliqui ipsis finitimi. Franci vero ab illis discedunt in eo, quod Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere dicunt & axyma ad sacrificium usurpant. Et gemina quidem predicta secta illam vocem Deipara susceperunt. Tertia autem secta, qua duas naturas & duas personas in Christo confitetur, Nestorianorum appellatur: qui ita per injuriam & immerito nuncupati sunt: etenim Nestorius eos* (antiquos) *sequutus est, non ipsi Nestorium.* Plura hic lectori observanda erunt, circa Historiam sectarum. Porro Sobensis floruit *anno Christi* 1285. qui ad Metropolim Sobæ seu Nisibis evectus est *anno* 1290.

ANNO CHRISTI 1599.

synodus sancto, integro, justo, & necessario inquisitionis (*a*) sancti officii Tribunali, in his partibus existenti; quippe probe nôscit, quantum ex illo integritas, puritasque Fidei dependeat: unde jurat, ac spondet ipsius mandatis in rebus fidei obedire, ut fit in aliis hujus provinciæ sedibus episcopalibus: vult insuper circa res fidei a laudato tribunali, vel ab ipsius commissariis, ut cæteri fideles, judicari; licet hoc sacrosanctum tribunal in hac dioecesi, ob hujus ecclesiæ distantiam ab aliis, sanctæ sedi apostolicæ, & ecclesiæ Romanæ subjectis, nec non ob defectum communicationis cum illis, id hactenus non præstiterit: supplicat etiam dominis inquisitoribus, ut velint, ne opportunum remedium animabus desit, commissarios suos instituere in hac dioecesi viros aliquos doctos; vel etiam patres societatis collegii de Vaipicota, & aliarum residentiarum eorumdem religiosorum, qui possint, ut opus fuerit, absolvere a casibus eidem sacro tribunali reservatis, limitationibus, ac restrictionibus adjectis, quas ipsi opportunas judicaverint. Ratio sic supplicandi est difficultas confugiendi ad Goense Tribunal, quam patiuntur montium Incolæ; tanto magis quod sæpe sæpius casus contingunt urgentes, eo quod inter Ethnicos degunt, suntque ipsis commixti, unde oritur, ut ex eorum commercio pluries, etiam in iis, quæ ad religionem pertinent, insci & rudes homines delinquant.

DECRETUM XXIII.

LXIX. Cum in rebus fidei, maximam oporteat puritatem servare, nec non plurimum vigilandum sit, ne populum corrumpant doctrinæ falsæ, & peregrinæ; præcipit Synodus omnibus huic sedi episcopali subjectis, cujuscumque qualitatis, & conditionis, ut sibi ipsis constiterit, quemquam credere, facere, vel promere, verbo, vel scripto aliquid contrarium fidei catholicæ, vel hujus rei esse auxiliatorem, aut fautorem, majori qua possit celeritate, & secreto, id præsuli deferat, quod si huic non valeat, vicariis ecclesiarum id aperiat, aliisque fidelibus viris, qui de hoc per literas quamprimum rationem reddant, ut juxta causæ necessitatem provideatur: præcipit etiam in virtute sanctæ obedientiæ ipsis vicariis, ceterisque, quibus ejusmodi res delatæ fuerint, ut eas cito citius denuntient.

ANNO CHRISTI 1599.

ACTIO IV.

De sacramentis Baptismi, & Confirmationis.

Doctrina de sacramentis in genere.

LXX. NOvæ legis sacramenta, per Jesum Christum Dei Filium, redemptorem (*a*) ac Salvatorem nostrum, in sua ecclesia ad medelam, & salutem hominum instituta, quibus suæ sacræ passionis, & mortis infinita merita in animarum nostrarum fructum impenduntur; per quæ etiam omnis vera justitia incipit, coepta augetur, & amissa recuperatur, sunt septem: videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium; quæ quidem a veteris legis sacramentis plurimum differunt; illa enim gratiam non conferebant, sed eam, quæ per Christi passionem, conferenda erat, præfigurabant: nostra vero Sacramenta & gratiam in se continent, & ipsam digne illa recipientibus conferunt. Quorum priora quinque ad bonum spirituale cujuscumque proprium spectant: posteriora duo ad ecclesiæ regimen augendumque fidelium numerum. Per baptismum ergo Deo spiritaliter renascimur; per confirmationem gratia eresormus, ac in fide roboramur: renati autem, & roborati divino Eucharistiæ, & sacramenti altaris enutrimur pabulo: quod si ex peccato, animæ contrahimus ægritudinem, per poenitentiam spiritaliter sanamur; per extremam denique Unctionem salutem animæ, & corporis, si ita expediat, obtinemus. Deinde sacramento ordinis ecclesia regitur, ac spiritualiter multiplicatur; matrimonio demum corporaliter augetur. Omnia isthæc sacramenta tribus perficiuntur: rebus ut materia; verbis tanquam forma; & ministro, qui

(*a*) Inquisitorum munus, atque nomen, a primis Ecclesiæ seculis repetenda sunt; adeo ut vel ipse Petrus Giannone *Histor. Neapol. lib. 15. cap. ult.* homo alias in hoc Sanctum Officium non admodum officiosus, immo hostis infensus agnoscat cum Gottofredo *in l. Quisquis 9. C. Th. de Haret.* eorum institutionem primam, a Theodosio Magno profluxisse, quod postea æmulati sunt Impp. Arcadius & Honorius: primordia vero specialis *Tribunalis* S. Officii ad tempora revocat Innoc. IIII. tametsi asserat, Inquisitoris Generalis munus, tempore Innoc. III. S. Dominico Hispano ex Civitate *Calagorra*, collatum fuisse: in quo castigandus est chorographicus palmaris error laudati auctoris, qui suapte indole ac ingenio quoscumque sequitur errantes; Dominicus enim natus est *Calaroga*, Hispanice *Caleruega*, non vero Calagurri, aut *Calagorra*, ut ipse post Tarapham & alios scripsit: de quo vide pietate ac eruditione conspicuum P. Antonin. Bremondum *De Guzmana stirp. S. Dom. cap. 1. Romæ edit. an.* 1740. Igitur Inquisitoribus opportuna exhibuere documenta *anno* 1235. Concil. Narbonen. *Capitulis* 29. & Biterren. *an.* 1246. alia dedit monita ipsis 37. *Capitulis* comprehensa, quæ legisse nullum Inquisitorum pigebit.

(*b*) Septenarium Sacramentorum numerum agnoscunt Nestoriani: at mirum quantum in iis recensendis dissentiant. Ebedjesus Sobæ *lib. Margar. par. 4. cap. 1.* ponit 1. *Sacerdotium* 2. *Baptisma*. 3. *Oleum unctionis*. 4. *Oblationem corporis & sanguinis Christi*. 5. *Remissionem peccatorum*. 6. *Sacrum fermentum* (quid illud sit, dum de Eucharistia agetur explicabimus) 7. *Signum Crucis*. Timotheus II. lib. *de Sacram.* inter Sacramenta censet *Consecrationem Ecclesiæ & Altaris*, *Benedictionem Monachorum*, *& Officium pro defunctis*, & ad calcem libri meminit de *Indulgentia* seu *Poenitentia*; Christiani Divi Thomæ, Sacramenta tantum Baptismi, Eucharistiæ & Ordinis colebant; ast id ex ignoratione Cassanariorum recentiorum proveniebat: evincitur enim ex antiquis ecclesiæ Malabarensis Ritualibus, septem eos Sacramenta cum ecclesia Catholica agnovisse: videsis infra *Dissert. 4. num. 88.*

ANNO CHRISTI 1599.

qui sacramenta peragat, cum intentione faciendi quod facit ecclesia: ex quibus si vel unum deficiat, non perficitur sacramentum: omnes vero ceremoniæ, ac approbati ritus, quibus in ipsorum administratione utitur sancta mater ecclesia, sancti sunt; neque contemni, omitti, vel in alios mutari valent; licet ad integritatem, & essentiam sacramenti non pertineant; absque gravissimo peccato. Tria etiam ex ipsis, spirituale quoddam signaculum animæ imprimunt, omnino indelebile, ab aliis distinctum, quod appellatur character, atque idcirco a nullo iterari possunt; & sunt baptismus, confirmatio, & ordo: quatuor alia, nimirum poenitentia, eucharistia, extrema unctio, matrimonium, hujusmodi signum minime imprimunt, unde debito modo reiterari valent. Etsi tamen omnia septem sacramenta sint divina, & gratiam in se contineant, & digne accedentibus eam conferant, atque omni veneratione digna sint, & cultu, tum quia id exigit authoris excellentia, qui est Jesus Christus Filius Dei, necnon assistentia Spiritus Sancti, qui in illis operatur, tum etiam ob virtutem, quæ illis inest, ad sanandas animas, & quia in ipsis depositus est thesaurus passionis Christi, quæ per ipsa nobis communicatur: nihilominus id non officit quominus alia aliis digniora habeantur, ampliorique veneratione, cultu, ac reverentia pertractari debeant. Hæc Jesus Christus ante suam in coelum ascensionem instituit, quo per ea suis fidelibus gratiam, ac cetera bona, quæ nobis passione sua, & morte acquisivit, communicaret: ipsa suo verbo firmavit, ac promissionibus, ut nos redderet securos de suimet, suæque passionis fructus communicatione, dummodo ipsis, legitime, ac præmissa debita præparatione, juxta uniuscujusque sacramenti modum, & Christi institutionem uteremur.

DOCTRINA.

De sancto sacramento Baptismi.

LXXI. Primum inter alia sacramenta locum obtinet baptismus; est enim spiritalis vitæ janua; ac per ipsum aliorum sacramentorum capaces reddimur, ad quæ sine illo inepti essemus; etenim sicuti nequit homo, antequam sit natus bonis gaudere vitæ naturalis; ita neque bonis spiritualibus supernaturalis vitæ, priusquam per baptismum sit ad illam renatus, & per illam membra Christi simus, atque Christianæ reipublicæ, necnon ecclesiæ corpori mystico copulemur. Et quia (*a*) *per primum hominem mors pertransiit* in alios homines, ob peccatum inobedientiæ, quod ipse, & nos in ipso commisimus, ac propterea a regno coelorum excludimur, & nascimur filii iræ, atque a Deo separati, si denuo non (*b*) *renascimur ex aqua, & Spiritu Sancto, non possumus introire in regnum Dei*, prout ipsa veritas, Christus, nos docuit. Itaque nascimur ex utero matris filii iræ, & per baptismum renascimur filii gratiæ: nascimur in peccato hominum filii, ut in baptismate nascimur filii Dei, quia Christo inserimur, juxta Paulum dicentem, (*c*) *quicumque baptizati estis in Christo, Christum induistis*. Sacramenti istius materia est aqua, vera, naturalis & communis, maris scilicet, fluminum, fontium, lacuum, & pluviæ, & nulla alia, quantumlibet munda, & pura, cum reliquæ sint potius liquores, quam naturalis aqua. Forma est hæc: *Ego te* (*d*) *baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Minister ordinarius est sacerdos, ad cujus munus pertinet baptismum conferre; ceterum in casu necessitatis quilibet, vel sacerdos, vel diaconus: immo etiam laicus, aut etiam femina: Ethnicus insuper, Turca, hæreticus, vel judæus, demum hominum quicumque baptizare potest, servata tamen ecclesiæ *Forma*, cum intentione faciendi, quod ipsa facit; cum etenim nullus salutem assequi valeat, non baptizatus, eadem causa, qua Christus hujus sacramenti materiam, aquam esse voluit, qua nihil communius, voluit etiam omnes, nullo excluso, hujus sacramenti ministros esse. Hujus sacramenti vis, & effectus, venia est, & remissio omnium peccatorum, tam originalis, quam actualis ante baptismum commissi, totiusque reatus poenæ per ipsum contracti: quapropter nulla debet baptizatis poenitentia imponi, pro peccatis ante baptismum commissis: immo si baptismate susceptо, absque novo crimine moriantur, salutem assequuntur, ac Dei visione in æternum fruuntur.

DECRETUM I.

LXXII. Cum deprehenderit synodus, varias in hac dioecesi fuisse inductas formulas abluendi sacro fonte a præsulibus schismaticis, aut ab hominibus rudibus, & indoctis, earumque formularum plures irritas esse ac nullius efficaciæ in sacramento per-

(*a*) Paul. *Ep. ad Rom cap.* 5. *v.* 12.
(*b*) Evang. Joan. *cap.* 3. *v.* 5.
(*c*) Paul. *Epist ad Galat. cap.* 3 *v.* 27.
(*d*) Cum *Baptisma* nihil aliud significet nisi ablutionem, septem Baptismatis seu ablutionum species enumerant Orientales cum Ebedjesu *lib. Margarit. Par.* 4. *cap.* 3. nimirum 1. Baptisma commune. 2. legale. 3. Baptisma ex traditione seniorum, dum sacra vasa abluuntur, calices &c. 4. Baptisma Joannis. 5. Baptisma Christi. 6. Baptismus sanguinis ex illo Christi *Baptismum habeo, quo baptizer, & multum coarctor, donec perficiatur.* 7. denique Baptisma lacrymarum. Ex iis videre licet antiquam traditionem Ecclesiæ de tribus Baptismi speciebus fluminis, sanguinis & flaminis: ne omnia Acatholici vanis Scholasticorum insomniis tribuant. Timotheus vero II. *lib. de Sacram. cap.* 3. *sect.* 4. *de modis Bap.* octonarium celebrat numerum, nam ab eo recensetur 1. *Baptismus Diluvii*. 2. *Baptismus in mari & in nube*. 3. *Baptismus legalis per Moysen*. 4. *Baptismus Joannis per aquas tantum, nimirum poenitentiæ* 5. *Baptismus Domini nostri, qui est adoptionis filiorum per aquam, & Spiritum*. 6. *Bapt. Martyrum*. 7. *Lacrymarum*. 8. *Baptismus alter perquam difficilis, quo baptizantur per ignem*. Et forsitan isto intelligebat baptismate, purgatorium ignem.

perficiendo, ut diligenti examine illis discussis, illustrissimus Metropolitanus judicavit; alias vero incertas, ac dubias: plurimum commendat fidelibus omnibus christianis hujus dioeceseos, immo etiam præcipit, in virtute Spiritus Sancti, ut illustrissimo Metropolitæ, dioecesim quamprimum obituro, vel aliis ab ipso deputandis, sincere exponant cuncti tempus, quo fuere sacro fonte abluti, ut facta collatione temporum, dignosci possit, an verbis ratis, ac data a Christo forma abluti fuerint, an secus. Quod si secus, possint opportuna adhiberi remedia, quibus eorum spiritali saluti consulatur, prout illustrissimus dominus decreverit, cui omnes obedire teneantur, & quidquid jusserit executioni mandare.

DECRETUM II.

LXXIII. Quoniam post diligentem disquisitionem, a reverendissimo Metropolitano peractam, in ecclesiarum hujus dioeceseos nupera visitatione circa modum administrandi sacramenta, alicubi compertæ sunt aliquæ dissentaneæ formæ in baptisteriis scriptæ. Compertum est etiam plures Cassanarios sacramentum baptismi conferre per hanc formam. (*a*) *Baptizatus est, & perfectus est, N. in nomine Patris, Amen; in nomine Filii, Amen: in nomine Spiritus Sancti, Amen.* Alibi vero in usu esse Græcorum formam cum hac additione *in nomine, & Amen;* dicendo: (*b*) *Baptizetur servus Christi, in nomine Patris Amen: in nomine Filii Amen: in nomine Spiritus Sancti Amen:* jubet synodus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub anathematis poena ipso facto incurrenda, ut nullus his, aliisve formis uti audeat, sed eam tantum adhibeat, quam approbat, & adhibet sancta ecclesia Romana; nimirum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* utque aliæ quæcumque a baptisteriis, & libris, in quibus scriptæ inveniuntur, deleantur, penitusque oblitterentur, quarum loco hæc sola scribatur.

DECRETUM III.

LXXIV. Quum ad synodi notitiam pervenerit, quamplures ex hac dioecesi Silvicolas, præsertim longe ab ecclesiis distantes, sacro fonte ablutos non esse, interim tamen se christianos reputare, eo quod ex iis originem trahant: immo ad ecclesias accedere ad participandum de sacramentis aliis: causam verò cur a baptismo suscipiendo abstineant duplicem esse, erubescentiam nimirum, & paupertatem: ipsos enimvero pudet fateri se non esse baptizatos: piget etiam solvere pretium illud, quod antehac simoniace exigebatur: præcipit synodus ecclesiarum vicariis, ut singuli in parœciæ suæ territorio, diligenti examine, ultra id quod, cum dioecesim obiret, ab illustrissimo Metropolita institutum fuit, & in ea, quam parat nova visitatione propediem instituetur, accurate perscrutentur, an aliquis in Silvis, quas plures incolunt, sacro fonte non ablutus inveniatur, insuper diebus festis, quo tempore Silvicolæ in ecclesiis conveniunt, omnes de hac re in communi admoneant. Quod si eorum aliquis non sit ablutus, vel de suo baptismo prudenter dubitet, ei secreto necessitatem suscipiendi baptismum denuntient, eidemque baptismum secreto conferant, doceantque nihil solvendum esse, juxta id quod synodus alibi constituit, ac declaravit: palam etiam insinuent non baptizatis, non esse christianos, nec æternam posse adipisci (*c*) salutem, nec sanctorum sacramentorum participes futuros, nisi prius per baptismum fuerint inter christianos cooptati; eandem insuper veritatem sæpe sæpius inculcent concionatores: deputati etiam ad confessiones excipiendas rudes istos Silvicolas interrogent; an baptismi sacramentum susceperint: si vero occurrat de illius susceptione prudens dubium, eos secreto abluere possunt; ad quod facultatem synodus impertitur sacerdotibus quibuslibet tum hujus, tum alterius

(*a*) Ista non erat revera (uti putabant PP. Diamperitani) baptismi forma ab illis Cassanariis usurpata, sed proclamatio illius, jam celebrati; quod perspicue constat ex ordine Baptismi Chaldæorum Cod. *Syr. Vatic.* 16. & habetur *tom.* 4. *Bibl. orient. pag.* 241. Si vero Ritualis verba perpendantur, formam potius confirmationis ea exhibent.

(*b*) In Rituali nuper laudato Syriaco ponitur hæc forma, at in præsenti indicativi modi: *baptizatur*. Anno 1630. deputata fuit Romæ congregatio Theologorum super validitate Baptismi Chaldæorum, qui utebantur verbo *Eemad* pro masculis & *Eemdad*, pro feminis id est *Baptizatus aut baptizata est talis in nomine Patris &c* forma de præterito; quamquam ex actione baotizandi ad significandum de præsenti contraheretur, ut aliqui contendebant: decrevit tamen Congregatio quod ad tollendam omnem erroris occasionem in Sacramento adeo necessario, uterentur in posterum Chaldæi, vel verbo præsentis indicativi, aut imperativi; si vero vellent uti verbo indifferenti ad Præteritum & præsens, illud usurparent in significatione de præsenti. Recentiores autem Chaldæi tutius duxerunt, verbo uti de præsenti: *Ego te baptizo serve Christi talis &c* alii etiam Syriacam & Græcam formam usurparunt dicentes: *Baptizatur talis &c.* quæ quidem usitata est Græcorum forma, quidquid dicant aliqui Scholastici, de quo vide inter alios Anonymum de re Sacramentaria; & nostrum Berti in perpurgato & eximio opere *de Theol. Discipl. lib.* 31. *cap.* 8. *prop.* 2.

(*c*) Nestoriani negant peccatum originale; infantes vero & potissimum ex Parentibus Christianis progenitos asserunt nulla labe teneri; ista hæresis Pelagianorum a Theodoro Mopsuesteno pariter propugnata est; unde Nestorius istius discipulus eam arripere potuit; attamen secum pugnantes, (qui heterodoxorum est character) iidem docent, omnes etiam parvulos, e Christianis natos, baptismo indigere; quia ex peccato primi parentis, nati sunt filii iræ & servi peccati; adeo ut si infans morti proximus aquis baptizari non possit, eum oleo cathechumenorum. signent; quod loco aquæ, assumere ad baptizandum possunt, & debent, ex Timoth. II. patriarc. & Gorgio Arbelensi *de Baptis. quæsito* 20.

ANNO CHRISTI 1599.

rius dioeceſeos. Siquem ergo repererint ex rudibus hiſce hominibus, ſacro fonte non ablutum, ubique locorum eum poſſunt abluere.

DECRETUM IV.

LXXV. Cum ſynodo certa ſcientia compertum ſit, aliqua eſſe in hac dioeceſi loca exigua, ubi incolæ, & propter præſulum, ac ſacerdotum negligentiam, & quia loca hujuſmodi longo intervallo ab eccleſiis diſtant, nondum ſunt initiati baptiſmate, & chriſtianorum vix aliquid præter nomen habent, quamvis chriſtiani Divi Thomæ communi nomine appellentur, & ab eorum ſtirpe deſcendant, præcipit in hanc rem diligenter inquiri, quam curam primo reverendiſſimo Metropolitæ committit, deinde eccleſiarum vicariis. Excurrant ergo hi loca omnia ſuis paroeciis adjacentia, & incolas inducant ad ſuſcipiendum baptiſmum, eccleſias inſuper ædificari curent in pagis hujusmodi, vel ſaltem in locis finitimis: vicarios etiam ibi conſtituant, a quibus rudes in rebus ad religionem pertinentibus inſtruantur: ita ut nullus inpoſterum pagus relinquatur, cujus incolæ baptiſmi ſint expertes, & eccleſia, ac vicario careant. Quod ſi aliter fieri nequeat, pagos prædictos alteri territorio adnectant, cujus vicarius ſacramenta illorum incolis adminiſtret.

DECRETUM V.

LXXVI. Quia plurimum negligunt chriſtiani hujus dioeceſeos, ſuos parvulos intra (*a*) octo dies ab ipſorum ortu, juxta eccleſiæ morem, baptizandos adducere: præſertim pagorum incolæ, quorum plerumque Infantes (*b*) poſt menſes plures, immo aliquando etiam poſt plures annos baptizantur, ſynodus ſeveriſſime jubet baptizari omnes intra octiduum a nativitate, ut mos eſt univerſalis eccleſiæ: quod ſi periculum mortis inſtet, vel prævideatur impedimentum, per quod baptiſmus, ultra quam par eſt, differri debeat, jubet baptizari vel nulla mora interpoſita, vel ſtatim ac baptiſmi opportunitas, ſe obtulerit. Qui vero in Silvis, & longe ab eccleſiis degunt, ſi infantes ſuos intra octiduum aſportare nequiverint, terminum tamen quindecim, aut viginti dierum non prætergrediantur; ſi qui autem negligentes fuerint, graviter puniantur; quod ſi eorum tanta ſit negligentia, ut ſuos filios, vel parvulos ſibi commiſſos, etiam captivitate acquiſitos, ultra menſem, ad baptiſmum non duxerint, ab eccleſia ſeparentur, nec ſacerdotes domos ipſorum ingrediantur, nec ipſi Caſturim exhibeant, donec eos ad baptiſmatis fontem perduxerint: ceterum dum probabiliter timetur parvulo mortis diſcrimen ex longinquitate itineris, ipſius pater, vel ejus curam gerens, vicarium propriæ eccleſiæ certiorem reddat, ut ipſi ſalutare conferat remedium, nec periclitanti puero baptiſmi beneficium retardetur: jubet inſuper ſynodus vicariis, quamprimum eo loci per ſe, vel per ſacerdotem, diligenter accedere, cum id ad ipſorum munus quammaxime pertineat.

DECRETUM VI.

LXXVII. Improbat ſynodus pravam conſuetudinem, quæ uſque in præſens in hac invaluit diœceſi, non baptizandi parvulos ex Parentibus excommunicatis natos, ne baptiſmum conferentes cum illis communicarent, unde non raro factum eſt, ut pueri per plures annos baptiſmo caruerint, nec ſalutari hoc remedio ipſis conſultum fuerit, ne in ipſo quidem mortis periculo: qua de cauſa ſynodus contrarium decernendo præcipit, ut hujuſmodi excommunicatorum filii, vel alii apud ipſos nati, non ſecus, nec alio tempore, quam ceteri, baptizentur: declarando ulterius, nullam incurrere cenſuram, aut poenam, qui tales parvulos aſportaturi eorum domos ingrediuntur, eoſve conducunt, levant, vel de eccleſia reducunt; cæterum hæc agentes, non ſe aſſocient excommunicatis, neque ipſorum conviviis, vel celebritatibus, etiam ob hunc finem inſtitutis, in eorum domibus interſint, quod plane ipſis non licet.

DECRETUM VII.

LXXVIII. Hortatur, atque commonefacit ſynodus patres, & matres, & alios quoscumque, qui feminarum partui interfuerint, ut maximam curam, ac diligentiam adhibeant, ne parvuli ſine baptiſmo moriantur: unde ſi ipſos viribus deſtitutos, aut vita periclitari compererint, illico, ſi fas ſit, vicarium, aut etiam quemlibet alium ſacerdotem, eo abſente, quærant, & arceſſant, ut eos baptizet: quod ſi tale fuerit vitæ diſcrimen, ut ne brevem quidem moram patia-

(*a*) Perperam ait Crozæus octiduum iſtud ritum eſſe Judaicum Luſitanorum. Vide infra *Vindiciæ ſynodi num* 86.

(*b*) Nec recens nec Malabaricæ religionis propria putanda eſt iſta conſuetudo, aut abuſus protrahendi baptiſmi tempus; is enim fuit Babyloniorum mos, adeoque vetus, ut a ſeculo 8. aut ſequenti repetendus ſit. Etenim cum apud Neſtorianos ea viguerit diſciplina, ut ſi eorum filii abſque baptiſmo decederent, in poenam admiſſæ incuriæ quinquaginta dierum continentia in ipſos animadverterent, rogatus ſuper hoc Georgius Arbelæ Metropolita, quare id obſervandum eſſet, cum nullo canone, aut SS. Patrum præſcripto id conſtaret; ita reſpondit *lib. de Sacram. Quæſt.* 31. *Reſpondeo, antiquis temporibus filios ſuos per annum, duos tresve relinquebant parentes, & maxime montium pagorumque incolæ, ac præſertim in locis, ubii neque eccleſia, neque presbyteri erant, eorumque baptiſmum negligebant: ut ſine illo decederent; ideò decretum fuit ut parentes continentiam obſervarent &c.* Nec diſſimilis eſt caſus noſtræ ſynodi. Florebat autem Arbelenſis anno Chriſti 945.

tiatur, tunc cuique ex (*a*) Astantibus eum baptizari liceat, servata ecclesiæ forma, atque adeo capiti ipsius aqu am fundendo, atque uno, eodemque tempore proferendo hæc verba: *ego te baptizo in nomi ne Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*: Servari tamen hic ordo debet, ut ecclesi astici secularibus, & viri feminis præferan tur, dum tamen omnes formam sciant baptis matis: si vero alii nesciant, ille solum, qui sc it, baptismum conferat. At si dum nascuntu r parvuli, vita periclitari videantur, dummodo caput, vel ex potioribus membris aliud ex materna alvo eruperit, eos baptizent, etiam si ex integro corpus foras non prodierit, aquam tali membro affundendo, ac formam proferendo.

LXXIX. Ita vero baptizati, si supervixerint; dummodo caput, vel potior aliqua corporis pars abluta fuerit, & servata fuerit forma, non aaptizentur iterum, sed unice ad ecclesiam asportentur, ut ibi sancto oleo inungantur: si vero pars alia corporis minor abluta fuerit, sub conditione postea baptizentur, per hæc verba: (*b*) *Si es baptizatus non te baptizo; sin aliter, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.* Et ita se gerant sacerdotes, aut quilibet altus, cum illis, de quorum baptismo probabile, prudensque dubium occurrat; caveant tamen ne parvulum periclitannem in ortu, si alii adfuerint, Pater, aut Mater baptizent, idque caveant ad evitandam inter conjuges spiritualem cognationem: quod si nullus alius adsit, & instet probabile mortis periculum, poterunt pater vel mater eum baptizare, ne puero extrema laboranti necessitate remedium desit.

DECRETUM VIII.

LXXX. Cunctis populis inculcat synodus, ut suis in pagis feminas habeant christianas, quæ (*c*) obstetricandi munus exerceant, formamque baptismi calleant, atque adeo parvulis periclitantibus in casu necessitatis succurrere valeant. Quia tamen Obstetrices ethnicæ, ac præsertimque Turcarum sectam profitentur, multas superstitiosas ceremonias a puritate, & sanctitate Christianæ religionis abhorrentes erga infantes recenter natos exercent, vicariorum frequens cura sit, populum, ac præsertim Obstetrices hac in re instruere, itaut omnes sciant, parvulis in discrimine versantibus succurrere: sacerdotes etiam Obstetricum confessiones excipientes, de hoc eas interrogent: an formam baptismi sciant & ignaras erudiant, iisque exponant, quantum earum interfit, id non ignorare.

DECRETNM IX.

Anno Christi 1599.

LXXXI. Præcipit Synodus, ut nullus Christianorum apud se habeat famulum captivum non baptizatum; si quos ergo habuerint inferioris ætatis; illico illos baptizari curent; si vero fuerint adulti, eos ad fidem, ac Baptismum alliciant, sine vi, frequenti tamen suasione. Quod si quis inveniatur, suos inter famulos habere vel puerum teneræ ætatis, vel adultum non baptizatum, qui tamen baptizari velit, graviter per Præsulem puniatur, illi vero baptizentur; cui rei plurimum Vicarii invigilent, tempore præsertim, quo in album referunt, ut moris est, qui præcepto annuæ confessionis satisfecerunt, qua occasione singulas Paroeciæ domos perscrutantes inquirant, an ibi aliqui sint nondum baptizati, & si qui sunt, baptismum qua de causa non sceperunt, probe, & accurate noscant.

DECRETUM X.

LXXXII. Quoniam Christianorum aliqui, suæ professionis obliti, contra sacros Canones turpi lucrandi cupiditate impulsi, christianos juvenes ethnicis vendunt, qui juvenes, utpote inexperti, & dominorum suorum metu coacti, plerumque christianam religionem abnegant: præcipit Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis a Jure lata, quam ipsos incurrisse statim declarabit, ne aliquis ex Christi fidelibus, contra tus hujusmodi cum Infidelibus exercere audeat: quod siqui hac in re delinquentes inveniantur, statum a communione Fidelium segregati declarentur, nec unquam absolvantur, donec, quem vendiderunt, redemerint, etiam majori pretio, si opus fuerit, vel saltem Vicario Ecclesiæ, & ceteris Cassanariis, ac Populo, se feciſſe pro redemptione quantum potuerunt, constiterit. Quo in casu antequam absolvantur, solvere debeant in pœnam, id pretii quo illum vendiderunt; quo pretio Vicarius, & OEconomi Ecclesiæ, alium emant juvenem ethnicum (frequentes enim in Malabare sunt venditiones hujusmodi) quem baptizari curet, & statim ac christianam religionem professus fuerit, manumittatur, ac libertate donetur; alicui insuper ex ditioribus, & bene moratis Christianis dono detur, qui ipsum pietate in Deum, bonisque moribus imbuat. Jubet præterea Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, nequis aliquem adolescentem, aut ado-

(*a*) Nestoriani cum asserant solum Presbyterum ministrum esse Baptismi, consequenter, id denegant Laicis; nec in quocumque necessitatis eventu eis baptizare permittunt; quod etiam tenent recen iores Græci ex Arcud. *de Concord. lib.* 1. *cap.* 11.

(*b*) Conditionalem hanc formulam ex Alexandri III. Constit. præscribit Catechismus Concilii Trident. cujus etiam meminit Concil. Cameracen. *anni* 1586. *Tit.* 6. *de Baptis. n.* 8.

(*c*) Concilium Cameracen. inculcat, *Tit.* 6. *de Bapt. num.* 11. quod obstetrices *per Pastorem loci sint examinata, & si opus sit instructa.* Adstringuntur etiam jurejurando ut qui baptizandi sint pueri, *ante diem a nativitate eorum tertium, omnino Parochis denuntient.* Et in Concil. Mediolanen. 5. sub S. Carolo Borromæo præcipitur §. 7. ut adsint aliæ mulieres testes, quæ audiant obstetricis verba, utque *Parochus postea diligenter obstetrices & testes, de verbis prolatis interroget.*

ANNO CHRISTI 1599.

adoleſcentulam, etiam non baptizatos, Turcæ, Judæo, vel Gentili vendat: ob immi- A nens perverſionis periculum, quæ certo continget, ſi infidelibus vendantur, ut frequens experientia docuit. Poterunt tamen eos, ſi opus fuerit, Chriſtianis vendere; dummodo jure capti ſint; qui autem contra fecerit, graviter puniatur; excipe tamen, ſi is, qui veniit, adultus fuerit, ac vigeſimum annum exceſſerit, atque ante venditionem ad Vicarium adductus fuerit, cui compertum fiat, eum nolle baptiſmum ſuſcipere.

DECRETUM XI.

LXXXIII. Quoniam iſtarum partium Ethnici, utpote plurimum auguriis, ac ſuper- B ſtitionibus dediti, ſi dies nativitatis filiorum, inani conjectura ducta ex ſuperſtitionis auguriis nefaſti habeantur, eos aliquando perimunt, ne vitam, utputant, agant miſerrimam; ſæpe etiam ipſorum Matres, ne proprias manus filiorum ſanguine cruentent, eos in Silvis ſub arboribus, vel inter virgulta deſerunt, (*a*) ut ibi moriantur, pereantque: præcipit Synodus omnibus fidelibus Chriſtianis hujus Diœceſeos, quippe cum ipſis ethnicis commixti, aut in viciniis commorantes, quæ apud ipſos fiunt, ſcire facile poſſunt, ut in re tanti momenti plurimum invigilent; & ſi qui pueri in Silvas transferantur, ibi deſerendi, eos quærant, C aut quovis modo in Silvis repertos, chriſtiana charitate excipiant, eoſque vel per ſe ipſos baptizent, vel ab alio baptizari curent, ſi eos in mortis periculo conſtitutos inveniant, etiamſi ipſorum parentes cognoſcant, ſciantque id ægre laturos, nam eorum dominio ſe privaſſe parentes videntur, dum eos procul a ſe abjectos, morti expoſuerunt; quamobrem in parentum locum eccleſia tamquam pia mater ſuccedit; atque adeo ipſi incumbit onus eos ſuſcipiendi; quod ſi illos alere nequiverint, eosdem ad vicarium, & ceteros eccleſiæ Caſſanarios adducant; quibus in Domino præcipimus, ut primoribus ſui pagi congregatis, eos vehemen- D ter, & efficaciter hortentur ad parvulorum hujuſmodi curam ſuſcipiendam, eiſque Nutricem, ac reliqua omnia ad eorum vitam conſervandam neceſſaria, comparanda: Si autem aliter hoc fieri nequeat, & nullus inveniatur, qui id oneris pro Dei amore ſubire velit, de eleemoſynis eccleſiæ, & depoſito fabricæ, quantum opus fuerit, detrahatur

DECRETUM XXII.

LXXXIV. Præcipit ſynodus, ut parvuli ante fores eccleſiæ vel in aliis locis quibuſcumque expoſiti; niſi ipſos eſſe jam baptizatos certo certius conſtiterit, baptizentur, atque ipſorum educatio procuretur, eo prorſus modo, quo de Ethnicorum filiis in Silvis repertis dictum eſt: & inceſſanter Vicarius, & Caſſanarii inſiſtant, ut aliqui, apud ſe enutriendos, ac edocendos ipſos, pro Dei amore ſuſcipiant.

DECRETUM XIII.

LXXXV. Qui ab Ethnicorum ſecta ad Chriſtianam religionem adulti accedunt, in rebus fidei, antequam baptizentur, bene inſtruantur: itaut ſciant ſe ſalutari crucis ſigno munire, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum, præcepta Decalogi, & quidquid addiſcere potuerint; qua in re uſque ad præſens, maxima negligentia laboratum eſt: vicarii præterea ante baptiſmum, eos de rebus ad Chriſtianam religionem ſpectantibus interrogent, ut experimento deprehendant, an ſint ſufficienter inſtructi. Si vero mortis periculum immineat, etiam talia neſcientes dummodo fidem confiteantur, ejuſque præcipua myſteria, ac ſe baptizari velle quocumque modo ſignificent, illico baptizentur. Et quia non ignorat ſynodus, ſæpius contingere, ut plures Ethnici paucis ab hinc annis ad chriſtianos accedant, eiſque manifeſtent deſiderium, quod habent ſuſcipiendi baptiſmum, ſegnitia autem, & incuria ſacerdotum, & chriſtianorum, eorum inſtructionem vel permitti, vel diu, multumque differri: plurimum hac in re vicariorum conſcientiam onerat, eiſque injungit, ut quam primum, pro maximo, quo poſtulant, animi fervore, baptiſmum, eos per ſe, vel per alios inſtruant, ac ad fontem baptiſmatis perducant; miniſtroſque omnes eccleſiaſticos, alioſque, ſi opus fuerit Chriſtianos, ardorem non mediocrem animi, ac diligentiam quam maximam impendere, peroptat, ac rogat.

DE-

[*a*] Quam hic horrori ducimus barbariem crudeliſſimam, e vanis auguriis deſcendentem, non abſimilis ſecuta eſt impietas, noſtrarum regionum ſeculo 5. canibus enim exponebant infantes, nec ipſos calumniarum metu, colligere ullus audebat; juſſit autem Concilium Vaſenſe *anno* 442. *can.* 9. eos colligere, & de altari, Dominica die, collectos annuntiare; *ut infra decem dies*, qui ipſos agnoviſſet accipere poſſet; & *Can.* 10. ſtatuit, ut qui poſtea repetitor, aut calumniator extiterit, *homicida eccleſiaſtica diſtrictione feriatur*. Quod confirmavit Concil. *Arelaten. II. anno* 452. *Can.* 51. qui laudatur 9. *Diſtinct.* 87. *ſi expoſitus.*

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XIV.

LXXXVI. Quoniam Sacri Olei (*a*) uſus in Sacramentis, huc uſque in hac Epiſcopali Sede, (*b*) aut nullus fuit, aut ſi aliquis hic certe fuit, Eccleſiæ Catholicæ ritibus minime conſentaneus. Uſi enim ſunt oleo communi, & quem Epiſcopus ſacris precibus, & benedictionibus non expiaverat: Quamobrem Illuſtriſſimus Metropolita dum in hac Diœceſi, Eccleſiæ univerſæ diſciplinam reſtitueret, ac renovaret, Oleum de more benedixit, cujus portionem aliquam Eccleſiis omnibus impertiit, ejuſque uſum maxime commendavit explanavitque: præcipit Synodus Vicariis omnibus, atque Caſſanariis, in virtute Sanctæ obedientiæ, ut Sancto oleo in baptiſmo utantur. Itaut oleo Cathecumenorum pectus, & ſcapulas baptizandorum ante baptiſmum inungant; poſt baptiſmum vero, caput jam baptizatorum Sacro Chriſmate ſignent: pollice ergo Sancto oleo delibuto, vel ſignent ſuper caput Crucis formam, vel id agant penna, ad tale munus in ipſis vaſis ſervata, deinde Sancti olei reliquias abſtergant lino, aut goſſypio ad hunc finem ipſis pyxidibus impoſito. Eodem præcepto jubet inſuper Synodus, ut omnes Caſſanarii, & Vicarii hoc conferant Sacramentum, cum ritibus, ceremoniis, exorciſmis, & orationibus, quæ in Rituali Romano continentur, Illuſtriſſimi Metropolitani juſſu Syriace exſcripto, pro omnium adminiſtratione Sacramentorum, quod in omnibus haberi debet Eccleſiis: Sacerdotes vero dum ſolenniter in Eccleſiis baptizaverint, ſuperpellicio, ac ſtola e collo ſuſpenſa utantur, ut Sacramentum decet, quod conferunt; neutiquam vero illud, ut huc uſque non ſine indecentia factum eſt, conſuetis, & quotidianis veſtibus induti, adminiſtrent.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XV.

LXXXVII. Quia uſque in præſens laudabilis, & antiqua Eccleſiæ conſuetudo aſſumendi Patrinos (*c*) in Baptiſmo in hac Diœceſi nulla fuit, & ſpiritualis cognatio inde orta inter Patrinum, & baptizatum, ejuſque Patrem, & Matrem fuit penitus ignota, (*d*) præcipit Synodus, ut baptizandi omnes aſſocientur unico Patrino, & ad ſummum duobus, aut etiam, ut uſus obtinuit, uno tantum Patrino, & una tantum Matrina, qui eos Eccleſiæ præſentent, eorumque caput, ante baptiſmum tangant, atque a ſacro fonte abducant. Ad Patrini autem munus non admittantur, niſi homines, qui decimumquartum ætatis ſuæ annum exceſſerint, & ad Matrinæ munus, niſi feminæ, quæ duodecimum. Declarat inſuper Synodus inter Patrinum cognationem ſpiritualem oriri, quæ vocatur *Patrini*, & ſpiritualis *filii*, aut *ſuſceptoris* e ſacro Fonte, *& ſuſcepti:* atque inter ipſos ſpiritualis filii Patrinos, & Matrinas, ac ejus Patrem, & Matrem. Pariter inter ipſos ſpiritualis filii Patrinos, & Matrinas invicem comparatos, & inter ipſos, & filii ſpiritualis Patrem, & Matrem aliud cognationis ſpiritualis genus conſurgere, quod appellatur *Compatris*, & *Commatris:* ita ut Patrini, vel Matrinæ, nullo tempore contrahere poſſint matrimonium cum ſuis filiis, aut filiabus ſpiritualibus, vel cum ipſorum Patre, & Matre, abſque Papæ, vel ejus vices gerentis diſ-

(*a*) De ſacris oleis plurimum juvabit legere Fortunatum Scacchum, noſtri Auguſtinenſis inſtituti virum eximium, in elegantiſſimo opere *Elaochriſmaton* politiſſimis typis Hagæ Comiti. excuſo, anno 1725.

(*b*) Ex mera calumnia colligit ex hoc decreto Crozæus novitium eſſe inventum Eccleſiæ Romanæ ſacris uti oleis; propterea quia antiqua iſtorum Chriſtianorum Eccleſia, illorum uſum non agnoſcebat: verum iſta deſuetudo Neſtorianorum inſcitiæ & Caſſanariorum ignorationi tribuenda eſt, non vero traditioni; etenim Ritualis liber illorum *Cod. Syr. Vatic.* 16. meminit unctionis; eamque præſcribit, cum in Sacerdotis verbis. *Ungitur talis &c.* deinde aqua tingitur ille, & deductus extra cancellos, confirmationem ſuſcipit, per manus impoſitionem, & unctionem chriſmatis, ſignatque eum *Sacerdos pollice ſuo in fronte, dicens: Baptizatus eſt, & perfectus eſt talis &c.* Unde quod illi Chriſtiani, vel id non præſtarent, aut certe id præſtarent oleo nucis Indice vulgo *Azeyte de Cocos*, exiguum afferre poteſt errori heterodoxorum ſolamen, nullumque ſubſidium. Vide in *Differt. num.* 88., & Timothei II. *Lib. de Sacram.* qui *cap.* 3. *ſect.* 6 inter partes eſſentiales Baptiſmi oleum enumerat: *Aquam oleum, Sacerdotem.*

(*c*) Pium patrinorum officium, inter antiquos Baptiſmi ritus recenſet Auguſtinus pluribus in locis: & præſertim *Epiſt.* 194. *num.* 43. *Antiquitus tradito & retento firmo Eccleſiæ, ritu infantes & cum exorcizantur, & cum ei per eos,* (Patrinos) *a quibus geſtantur, renuntiare reſpondent, a Diaboli dominatione liberantur.* Et ex illo ejus effato *lib.* 1. *oper. Imper. num.* 56. ſcimus propterea Patrinos intervenire, *ut per alios credant, qui per alium peccaverunt.* Vocantur etiam *Sponſores & ſuſceptores.* Ebedjeſus & Neſtoriani frequentius *fidejuſſores* appellant eosdem. Auguſtinus eos vocat *Fidedictores* ex Bonifacio *Ep.* 98. alias 23. *ad Bonif. ipſum num.* 7. jure ergo merito ritus iſte inter antiquiores recenſetur, cujus meminit *Paſſio SS. Victor. Alexander &c. anno* 290. ap. Theodor Ruinart. *Act. Mm. p.* 303. Tertull. memorat. *Sponſores .cap.* 18. *de Bapt.* & Dionyſ. Areop. aut auctor *de Eccleſ Hierarc. cap.* 2.

(*d*) Nulla erat iſtiuſmodi cognatio apud Neſtorianos; nec minimam illius mentionem fecere, qui hactenus Neſtoriani ſcripſere; nimirum in hac re antiquam primævæ eccleſiæ diſciplinam ſequuti ſunt, de qua, ſi fides eſt Juenino per tria ſecula nihil habetur: Vide Juenin. *de Sacram.* . Quod autem ſcribit Gianonius *Hiſt. Civil. lib.* 7. *cap. ult.* tempore Joannis X. nempe anno 913. circiter. *Per far correre in Roma piu gente, s'introduſſe l'affinita ſpirituale, fra il Compare e la Commare;* turpis eſt impoſtura: etenim ultra mox dicta, in Synodo etiam Metenſe anno 753. celebrata; *Cap.* 1. habetur: *Si homo inceſtum commiſerit de iſtis cauſis; de Deo ſacrata, aut commatre ſua, aut cum matrina ſpirituali de fonte, & confirmatione ſpiritali epiſcopi: pecuniam ſuam perdat &c.*

ANNO CHRISTI 1599.

dispensatione, quæ raro, nec sine urgenti motivo obtinetur, si autem ista non habita, celebretur matrimonium irritum est, ac nullius effectus. Insuper declarat Synodus cognationem hanc spiritualem non extendi ad plures Patrinos, quam duos (*a*) vel ad unum dumtaxat Patrinum, & Matrinam unam dumtaxat, qui ad hoc gerendum munus vocati sint; etiamsi alii plures parvulorum (*b*) capita contigerint, nec a Sacerdotibus permittendum, ut alii, ultra duos hoc munus gerant.

DECRETUM XVI.

LXXXVIII. Cum per Jesum Christum Dominum nostrum, ejusque mortem, a lege veteri, & scripta, ad novam, & gratiæ translati fuerimus, recta exigit ratio, ut hæc in cunctis rebus eluceat. Dissimulare itaque nequit synodus id quod in hac diœcesi frequenter accidit, ut nempe sanctorum veteris legis, vel etiam indigenarum nomina Christianis imponantur, adeo ut pauci sint, qui sanctorum Legis gratiæ nominibus appellentur. Præcipit ergo synodus, ut sacerdotes curent inveteratam hanc consuetudinem abolere, atque adeo e sanctorum, sanctarumque Catholicæ ecclesiæ catalogo nomina desumant baptizatis imponenda, ac præcipue sanctorum Apostolorum, & sanctorum, vel sanctarum in ecclesia celebriorum: nec propterea mens synodi est, ut sanctorum veteris legis nomina nunquam usurpentur, sed ut si præ devotione usurpentur nomina sanctorum veteris legis, ea solum adhibeantur, quæ celebriora sunt, & frequentius usitata in hac diœcesi, ut Abraham, Jacob, Zachariæ, aut alia id genus. Cæterum nomen Filii, quod est in hac diœcesi usitatissimum, non liceat in posterum alicui imponere, nec id sacerdotes patiantur: cum illud sit dulcissimum (*c*) Jesu nomen, nec nisi irreverenter, ac penitus prætermissa veneratione, tanto nomini debita, id fieri videatur: dum ad hujusmodi nomen, (*d*) *omne genu debeat flecti, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteri*, quia per hoc nomen, cuncta nobis bona, in terris proveniunt: Immo severe prohibet, ne qui tale nomen sortiti sunt, eo utantur, sed aliud assumant: præsertim dum Sacramentum confirmationis suscipiunt: indigenarum vero nominibus uti poterunt: dummodo sint ex usitatis inter Christianos; abstineant tamen (*e*) a nominibus Ethnicorum propriis, vel ab Ethnicis frequenter usurpatis, vel quæ sint illis affinia; immo vel Ethnicorum nomina inter Christianos nota, imponi imposterum in Baptismate synodus prohibet, & Vicarios, ac sacerdotes baptismum ministrantes monet, ut ab iis imponendis caveant.

DECRETUM XVII.

LXXXIX. Ad synodi notitiam pervenit, Christianorum plures suæ professionis oblitos post baptismum a filiis in ecclesia susceptum, eisque nomen Christianorum proprium, in baptismate impositum, iisdem privatim domi nomen aliud inter Christianos non usitatum, pro libito imponere, quo deinde, priori relicto, communiter appellantur. Quamobrem severe prohibet, ne Christianorum ullus nomina alia parvulis suis imponere, vel ea adhibere audeat, præter illa, quæ fuerunt in Baptismate imposita. Quod si justa aliqua de causa, nomen hujusmodi in aliud commutare optaverint, id non aliter faciant, quam dum parvuli sacro Chrismate inunguntur, & Sacramentum confirmationis suscipiunt. Qui vero contrarium fecerint, graviter a Præsule puniantur, de qua re sæpius Vicarii populum admoneant.

DECRETUM XVIII.

XC. Cum sæpe accidat, ut plures simul parvuli ad baptismalem fontem abluendi adducantur, qua occasione inter Christianos non leves excitantur contentiones, præeligi enim parvulum suum quisque optat, prius ablui, unde, & jurgia inter contendentes, & non levium summarum oblationes, quæ Cassanariis fiunt, ut unus præ aliis primas habeat, quæ plane sunt pravæ consuetudines, quas ecclesia pati non debet, & ad quas facile evitandas satis profecto esset, ut non differretur ultra octiduum baptismus, & parvuli intra dies octo baptizarentur; qua ratione fieret, ut raro admodum, vel fere nunquam simul parvuli ad sacrum fontem adducerentur. Quapropter jubet synodus ejusmodi contentiones ab ecclesiæ

(*a*) Concil. Moguntinum inter alia *anno* 1549. *Capitul.* 19. præcipit unum tantum patrinum adhibere.

(*b*) Hujus antiquissimi ritus meminit auctor *lib. de Ecclesias. Hierarc. cap.* 2. *Cum promisit* (baptizandus) *manum ejus capiti admovet* (susceptor).

[*c*] Usitatissimum fuit inter Syros præcipue Nestorianos, nomine Jesu insigniri: adeout septem supra viginti memorentur Scriptores Orientales hoc ornati nomine, *in* 2. *tom. Bibliot. Orien.* Assemani, & undecim *in* 3. *tomo*. Vide *Act.* 8. *Dec.* 20.

(*d*) Philip. 2. 10.

(*e*) Opportune adest Chrysostomus *in cap.* 5. *Geneseos*, *Hom.* 21. *pag.* 235. *Nunc fortuito & absque causa nomina fiunt. Dicunt enim, juxta nomen avi vel proavi nominetur puer; at prisci* (loquitur de Setho, qui filio imposuit nomen Enos) *omnem operam adhibebant, ut talia natis imponerent nomina, quæ nullam non sapientiam docerent. Igitur nos, neque quævis nomina pueris indamus, neque avorum, & proavorum, & eorum, qui clari genere fuerunt, nomina tribuamus, sed sanctorum virorum: neque in appellatione sublime sapere &c.*

ANNO CHRISTI 1599.

cleſia arceri (*a*), pueroſque vel prius, vel poſtea indiſcriminatim, & prout ſors tulerit, baptizari; quamobrem ſacerdotes curent, ut hæc conſuetudo baptizandi indiſcriminatim hos, vel illos, nulla habita ratione, vel ditiorum, vel pauperiorum, quantum in ipſis eſt, inducatur: nulluſque ſacerdos, aut vicarius, ſive ante, ſive poſt baptiſmum ſummam ullam, immo nihil omnino, etiam ultro oblatum, etſi valoris exigui, immo etiamſi munuſculum ſit comeſtibilium accipiat: & ſi ſecus fecerit, tanquam Simoniacus, pœnis a jure, & aliis ab hac ſynodo imponendis plectatur.

DECRETUM XIX.

XCI. In cunctis eccleſiis parochialibus fons baptismalis quam primum extruatur ex fabricæ depoſito, vel ex eleemoſynis eccleſiæ, vel ex iis, quas populus ad hunc finem exhibuerit. Fons hic in angulo eccleſiæ decenter collocetur, ſubtus parva ſcrobs aperiatur, in quam aqua decidens fluat, ne pedibus irreverenter conculcari poſſit: ipſe vero fons ligneo operculo clave obſerato contegatur. Vas interim æneum, vel cupreum ad hunc ſolum uſum deſtinatum decenti in loco, in eccleſia, vel Sacello aſſervetur: non adhibeantur ergo, prout hactenus factum eſt, vaſa alia indiſcriminatim, quod plane quam deceat, nemo ignorat. Deinde aqua, qua fuerit collatum baptiſma, in Eccleſiæ piſcinam projiciatur, vel in locum alium ad uſum hujuſmodi deputatum, vel etiam in cœmeterium, ne pedibus conculcetur; demum aqua ad conferendum baptiſma ſive in fonte, ſive in alio vaſe contineatur. Sancto Chriſmate, prout in Rituali Romano, quo uti debent, continetur, ſacris precibus & benedictionibus expietur.

DECRETUM XX.

XCII. Præcipit ſynodus juxta decreta concilii Tridentini, ac univerſalem eccleſiæ uſum, ut in qualibet parochiali eccleſia, liber habeatur, cujus paginæ notis numeralibus diſtinguantur, in quo vicarius nomina ſcribat baptizatorum, Patrum, ac Matrum: loci etiam, in quo ortum duxerint, Patrinorum inſuper, qui eos e ſacro fonte ſuſceperint. Demum notentur locus, in quo baptiſmus confertur, dies, menſis, & Æra hac forma; *tali die menſis N. Æræ N. ego N. Vicarius eccleſiæ de N. baptizavi in ipſa, vel in tali parte N. filium N. & N.* (declarando nomen Patris, & Matris, talis loci naturalium) *& fuere Patrini N., & N.* (ipſos nominando) & ad calcem ipſe ſuum nomen ſubſcribat. Si vero ſacerdos aliquis non vicarius baptizaverit infantem, (quod non niſi obtenta a vicario facultatem facere poterit) ita ſcribat: *Ego N. Caſſanarius, de licentia N. Vicarii talis eccleſiæ* (nomen vicarii eccleſiæ apponat) *baptizavi N.* & reliqua ut ſupra, annotato die, Menſe & Æra, ſuumque nomen ad calcem ſubſcribat. Hic liber ſemper ſit in eccleſia, ac de illo vicarii rationem reddant, & Præſul in viſitatione eum videat, & conſideret, an in eo accurate adnotentur ea, quæ adnotari debent; ex ipſo etiam vicarius certior fiet de uniuſcujuſque ætate, atque adeo poterit de hac fidem facere, ubi ageretur de matrimoniis contrahendis, vel ſuſcipiendis ordinibus, neque hæc cæco modo fient, ut uſque adeo factum eſt, dum nulla de ætate matrimonio conjungendorum, vel promovendorum ad ordines, certitudo haberi poterat; id quod conjugibus, & promotis ad ordines non raro ſcrupulum injiciebat.

ANNO CHRISTI 1599.

DOCTRINA

De Sacramento Confirmationis.

XCIII. SAcramentum (*b*) ſecundum, dicitur confirmatio, quod Chriſtus Dominus noſter inſtituit, ut per illud Chriſtiani amplius confirmarentur, & eo roborati evaderent fortes in fide, ita ut nulla re ab ea divellerentur. Idque virtute Spiritus Sancti, quæ ad hunc effectum, ultra gratiam ſanctificantem, quæ eſt effectus etiam aliorum Sacramentorum, ſpecialiter confertur. Materia hujus Sacramenti eſt Sanctum Chriſmatis Oleum, de olivis expreſſum, quo ſplendor, & puritas ſignificatur conſcientiæ; Oleo admiſceri debet balſamum, quo bonæ famæ odor deſignatur. Chriſma debet ab Epiſcopo ſacris precibus, & benedictionibus expiari. Forma ea ſunt verba, quæ Epiſcopus profert, dum pollice Chriſmate tincto, ſignum Crucis capiti confirmandi imprimit, dicens; *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* tres illico ſacras, & ſalutiferas orationes adjungens, quibus Deum precatur, ut ſuo Divino Spiritu ipſos repleat confirmatos. Miniſter ordinarius hujus Sacramenti eſt Epiſcopus; & quamvis Sacerdotes poſſint Ægrotos, vel baptizatos inungere, hæc tamen

(*a*) S. Carolus Borromæus in *Concil. 5. Mediolanen. Par. 1. §. 7.* præſcripſit, ut hujuſmodi contentiones vitari poſſent: *Is ordo ſervetur, qui ant quiſſimi ritus eſt, ut mari primum, deinde femina miniſtretur* (Baptiſmus) *niſi neceſſitas aliter cogat. Idemque ſervetur, ſi plures offerantur, partim mares, partim femina.*

(*b*) Plerique baptiſmum & confirmationem unum Sacramentum eſſe idemque putarunt, eo quod continuo poſt ablutionem baptiſmalem conferretur, ab orientalibus & occidentalibus; diverſa tamen ſunt ſacramenta; per illud enim efficimur *filii Dei*, per iſtud *Milites Chriſti* conſtituimur. Neſtoriani vocant hoc ſacramentum *Perfectionem*, atque dum ungitur Chriſmate, qui eum ſuſcipit, proclamat Miniſter: *Baptizatus eſt & perfectus eſt talis &c.* Quia ut ait Arbelenſis *lib. Declar. Offic. tract. 5. de Bapt. cap. 5. in perfectione deſignat* (Miniſter) *Spiritum deſcendere tanquam linguas ignis, & ſedere ſuper unumquemque eorum.*

ANNO CHRISTI 1599.

men unctio ſoli Epiſcopo reſervatur, cum epiſcopi in Apoſtolorum locum ſucceſſerint, qui per manuum impoſitionem dabant Spiritum Sanctum; cui veteri manuum impoſitioni ſubrogata eſt in Eccleſia, ex Chriſti conceſſione, (*a*) Confirmatio, qua etiam Spiritus Sanctus donatur. Ceterum ex communis legis relaxatione, a Sede Apoſtolica obtenta, & non aliter, ſi cauſa urgens, & neceſſitas id poſtulet, etiam ſimplex Sacerdos confirmare poteſt, chriſmate tamen ab Epiſcopo, ut ſupra, conſecrato. Effectus hujus Sacramenti eſt conferre Spiritum Sanctum, animæque per ipſum, vires, & fortitudinem, ſicut in die Pentecoſtes Spiritus Sanctus collatus fuit Apoſtolis, ut conſtanter, & intrepide nomen Chriſti, ejuſque fidem catholicam profiteatur Chriſtianus; ac idcirco dum confirmatur, fronti ejus ſignum Crucis imprimitur, & ſacro oleo deſcribitur, quippe frons eſt pars hominis apertior, nec non verecundiæ, atque audaciæ ſedes: & cum baptizati ſignentur in capite, confirmati ſignantur in fronte, ut nempe non erubeſcant, nec eos pudeat nomen Chriſti, ejuſque Crucem confiteri, quæ quidem ex (*b*) Apoſtolo, *Judæis eſt ſcandalum, Paganis vero ſtultitia*, ac dementia. Plurimum differt hoc Sacramentum a Baptiſmate, dum per hoc fidei naſcimur, per illud vero in fide confirmamur; ac ſicuti vitam naturalem accipere, differt a progreſſu in ætate, ac virium firmitate, ita gratiæ, fideique naſci, quod fit per Baptiſmum, differt ab incremento, & augmento ſpiritalium virium ad eandem fidem conſtanter ſervandam, quod fit per Confirmationem: Unde per Baptiſmum vitæ ſpirituali naſcimur, poſtea vero munimur, & confirmamur ad prælium, vireſque accipimus, ut nullo ex eventu, diſcrimine, aut timore pœnarum, bonorum jacturæ, tormentorum, aut mortis, ſeparemur a confeſſione nominis Domini noſtri Jeſu Chriſti fideique veræ, quam profeſſi ſuimus.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM I.

XCIV. Cum hactenus, Confirmationis uſu (*c*), notitiaque, Populus Chriſtianus hujus Diœceſeos caruerit, quippe qui Præſulum hæreticorum regimini ſuberat, quamobrem catholicæ doctrinæ veritatibus minus apte inſtruebatur, declarat Synodus oportere quemcumque, poſtquam ad rationis uſum pervenerit, dum copia fuerit Epiſcopi ad hoc parati, iſtiuſmodi ſacramentum recipere; inſuper patresfamilias, cæteroſque aliorum curam gerentes, ſuos debere mittere filios, ac ſervos ad confirmationem ſuſcipiendam. Siqui vero ex contemptu, ſacrilegave contumacia, id renuerint, aut ſuos mittere prætermiſerint, ſe lethaliter, graviſſimeque peccaturos ſciant: quod ſi id renuant, aut prætermittant, eo quod tale ſacramentum negent, vel agnoſcere tamquam verum ſacramentum a Chriſto inſtitutum negligant, ut hæretici, ac a veritate fidei catholicæ alieni habeantur. Præcipit itaque ſynodus, ut in viſitatione eccleſiarum, populorumque, ab illuſtriſſimo Metropolitano peragenda, omnes ſive viri, ſive feminæ (*d*) ſeptennem ætatem excedentes, ad Chriſma, & Confirmationem concurrant: exceptis tamen, qui in prima viſitatione, vel quomodocumque ab alio epiſcopo fuerint confirmati. Hoc etenim ſacramentum, non ſecus ac Baptiſma, ſemel

(*a*) Cum temporibus apoſtolicis ſola impoſitione manus, hoc Sacramentum conferretur, ſatius eſſet dicere, illi ſubrogatam eſſe *unctionem* chriſmatis, non vero *confirmationem*; alias diceretur confirmationi ſubrogatam eſſe confirmationem; conſultius ergo dixerimus, ſphalma ſubrepſiſſe in apographo; patres autem Diamperitanos intendiſſe ad concil. *Moguntinum an* 1549. quod in *cap.* 18. illius ſubrogationis hanc exhibet cauſam: *Cum adulta eccleſia, & ſtabilita fide, ſigna externa* (quæ ſuper confirmatos apparebant) *apparere ceſſaverunt, nec jam amplius Spiritus S. viſibiliter deſcenderet, mox in locum viſibilis ſigni, unctio chriſmatis adhiberi coepit.* Unde hæc ſignis ſubrogata fuit, non impoſitioni manus, quæ etiam fieri debet: adeas CL. Berti *tom.* 7. *p.* 40.

(*b*) 1. Corint. 23.

(*c*) Sane eo devenerunt ignorantiæ Neſtoriani ſeculo 16., ut hoc Sacramentum non agnoſcerent, ut ait ſynodus; Joan: etiam Sulaka dum profeſſionem fidei Romæ emitteret anno, 1560. aut circiter, dixit: *Confirmatione vero, an veteres uſi ſint ignoro. Monachus enim ſum; & quis me id docuiſſet;* Joſephus II. Patriarcha *cap.* 4. *ſpeculi Sect.* 4. invehitur adverſus Neſtorianos, eo quod Sacro Chriſmate non uterentur. Sed quidquid ſit de recentioribus Neſtorianis, antiqui certiſſime eo uſi ſint, & chriſma agnoverunt; ut conſtat ex Rituali *Cod. Vat. Syr.* 16. ex Timoth. II. *lib. de Sacram. cap.* 3. *ſec.* 9. Georgio Arbelen. *de Bäptiſ. Quæſit.* 42. *& ſeqq.* Igitur in hoc receſſerunt recentiores, non modo a doctrina univerſalis eccleſiæ, verum etiam ab antiquis eorum magiſtris.

(*d*) Hoc ſanxit ſynodus omnino ad mentem Cathec. concil. Trid. *De Confirm. num.* 18. dicentis: *Minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint. Quare ſi duodecimus annus expectandus non videatur, uſque ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differre, maxime convenit.* Quare immerito nonnulli Antiſtites, non recto zelo abrepti, reprehendunt Parentes, qui tempus producunt confirmationis filiorum; quamquam fateamur, aliam fuiſſe olim eccleſiæ diſciplinam.

ANNO CHRISTI 1599.

mel tantum in vita ſuſcipi valet: qui vero ſcienter id iterare tentaverint, præterquamquod ſacramentum non accipiunt, graviſſimum ſacrilegium committunt. Qui vero dubitaverint, num aliquando ipſum receperint, nec ne? vel hujus rei fuerint penitus obliti, prædicto domino, aut epiſcopo id aperiant, ut juxta qualitatem dubii ejuſque pondus, quod expediens apparuerit, decernat. Si quis autem (quod Deus avertat) ſacrilega pertinacia, contemptuque ſacramenti, ipſum recipere noluerit, dummodo de hac pertinacia conſtet, anathemati ſubjaceat, aliiſque poenis ſevere puniatur, quouſque præſuli videatur condignum poenitentiam egiſſe.

DECRETUM II.

XLVI. Non ſine ingenti dolore accepit ſynodus, complures rerum ſacrarum, ac doctrinæ de ſacramentis ignaros, aut diaboli inſtigatione, ſuo in Schiſmate contumaciter perſiſtentes, nonnullis in locis, tempore viſitationis ab Illuſtriſſimo Metropolitano peractæ, palam illi reſtitiſſe, & confirmationem ſuſcipere noluiſſe, & ex iis alios, eo quod rem ſuperfluam, nec neceſſariam, hactenus ignotam, & non viſam dicerent: alios vero eo quod levem alapam, juxta (*a*) S. Romanæ eccleſiæ ritum, a Præſule inpaciam, tolerare renuerent, idque pati erubeſcerent, quodque deteſtabilius eſt, homines hujuſmodi, contumeliis, atque injuriis affeciſſe Sacramentum hujuſmodi ſuſcipientes, & tam contra ipſum, quam ſuſcipientes, quaſi alapa dehoneſtari ſtolide paterentur, verba ſacrilega, atque hæreſim redolentia protuliſſe, atque adeo vetus Schiſma renovare ſacrilege pertentaſſe, etiam pagis commotis integris, quorum animus, qualis eſſet erga fidem Metropolitæ, ex deſpicientia vel obſervantia Sacramenti hujus dignoſcebatur procul dubio, ea qua par eſt ſeveritate in illos ſynodus animadverteret, niſi conſtaret, compertumque eſſet, eos poenituiſſe, ſuoſque errores retractaſſe, rurſuſque obedientiæ S. Romanæ eccleſiæ ſe ſubmittentes, veniam, quam ſupplices petierunt, ab Illuſtriſſimo Metropolita obtinuiſſe. Nihilominus, ut nullus inpoſterum ſimilia audeat, præcipit ſynodus, ut ſi aliquis (quod Deus avertat) fecerit, vel dixerit talia contra hoc Sacramentum, ritus, ac ceremonias ſacras, quibus fideli populo confertur, ab eccleſia, & Fidelium communione ſeparatus cenſeatur, & declaretur quouſque condignam, Præſulis judicio egerit poenitentiam, debitamque ſubjecti onem ſanctæ eccleſiæ oſtenderit, nec non fidei juramentum ſub forma in ſynodo præſcripta, præſtiterit: declarat inſuper, reiicientem, vel contemnentem, quaſi inutiles ritus, ac ceremonias in adminiſtratione ſolenni, tam iſtius, quam aliorum ſacramentorum, per eccleſiam approbatas & receptas, hæreticum eſſe, & apoſtatam, a noſtra ſancta fide catholica, juxta decreta ſacri concilii Tridentini, nec non ut talem ad ſacrorum canonum normam puniendum eſſe.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM III.

XLVI. Declarat ſynodus in hoc confirmationis, aut chriſmatis ſacramento, non ſecus ac in baptiſmate, patrinum locum habere, qui ex antiquo ſanctæ matris eccleſiæ more, confirmandum præſentet: non plures tamen præter unum admitti poſſe, cui pariter adjungi poteſt matrina pariter una tantum. Qui munus hoc patrini, & matrinæ gerunt, debebunt, & ipſi fuiſſe antea confirmati: nec enim decet eccleſiæ aliquem præſentari confirmandum ab iis, qui nondum confirmationem acceperint. Vir autem, qui patrini munus ſuſcepit, debet decimumquartum annum exceſſiſſe, mulier vero, ſive matrina duodecimum; qui præſcriptam ætatem nondum impleverit, non admittatur. In confirmatione eadem ſpiritalis cognatio contrahitur patrinum inter, ſive Matrinam, & filium Spiritualem, ſimiliter patris, & commatris erga patrem, & matrem confirmati, atque adeo quantum ad cognationem hujusmodi, & matrimonii impedimentum perinde ſe habent ſacramentum Baptiſmi, & Sacramentum confirmationis. (*b*)

ACTIO V.

De Sancto Sacramento Euchariſtiæ, ac de Sacrificio Miſſæ.

Doctrina de Sancto Sacramento Euchariſtiæ.

XCVII. IN ſpiritali vita Sacramentum Euchariſtiæ eſt ordine tertium, cultu tamen, ſanctitate, ac dignitate primum, atque excellentius; quippe quod in ſe continet vere, realiter, ac ſubſtantialiter corpus ſimul, & ſanguinem cum anima, ac Divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii Dei, qui verus eſt Deus, veruſque homo, Salvator & Redemptor noſter, a quo

(*a*) Alapæ infligendæ ritum non perantiquum eſſe, teſtantur cum Alexand. Juenin & Vaneſpen. CL. Catalani *tom.* 1. *Pontif. Rom.* pag. 19. & Bertius noſter *tom.* 7. *p.* 143. illius tamen ritus meminit *Pontif. MS.* noſtræ Angelicæ ante annos 500. ſcriptum; placet inſtitutionis ratio, quam ponit *Catech. Rom.* ut. nempe meminerit confirmatus ſe *ut Athletam Chriſti* ad omnia perferenda exhibere paratum; eo vel maxime quod ante Sec. 13. *alapa militari* promovebantur milites etiam ſeculi: de quo vide Catalan. *ibidem pag.* 423. Altiorem autem cauſam deſumimus ex conc. Mogunt. ſupra laudato *num.* 93. quod ſcilicet ſicut *ceſſantibus ſignis viſibilibus* ſubrogatum eſt chriſma, ita ceſſantibus perſecutionibus ſequuta eſt alapa.

(*b*) Aequa ratio exigit, ut non ſecus ac in Baptiſmo, conſtituantur Patrini in Confirmatione: qui enim Milites deliguntur, ad pugnam inſtrui debent a veteranis qui ritus antiquiſſimus conſtat ex capite *In Catechiſmo*, quod ex Hygino dedit ſecul. 7. Theodorus *in Pœnitentiali num.* 4. De cognatione ex hoc Sacram. vide, quæ de ipſa diximus *ſupra num.* 87. *Not.*

ANNO CHRISTI 1599.

fuit inſtitutum, pridie quam pro nobis pateretur, tanquam omnium ſuorum operum complementum dulciſſimum, *ſuæ* (*a*) *paſſionis memoriale*, *veterum omnium figurarum adimpletio*, *miraculorum ab ipſo factorum maximum*, *ac de ſua contriſtatis fidelibus abſentia*, *ſolatium ſingulare*. Materia hujus Sacramenti eſt triticeus panis, & vinum ex vite tantum: unde qui panem ex oryza, aut alia re ſimili, quæ frumentum non ſit, conſecraverit, aut vinum, quod ex uvis maturis, iiſque vitigineis, ſive quæ ſint fructus vitis non fuerit expreſſum, Sacramentum non conficit: Cum vino autem, conſecrationem parum aquæ miſceri debet, cujus quantitas ſit longe (*b*) minor, quam vini, cum quo admiſcetur; ut facilius modica illa aqua, ante conſecrationem in vinum converti poſſit. Hæc commixtio præcipitur ab Eccleſia, quæ ex SS. Patrum teſtimonio credit, Chriſtum cum vino, quod conſecravit aquam miſcuiſſe; quamobrem citra peccatum omitti non poteſt: Significat hæc commixtio ſanguinem, & aquam, quibus manavit transfixum latus Chriſti Domini in Cruce pendentis: ſignificat etiam ſpecialem unionem Populi Chriſtiani cum Chriſto, quæ unio eſt hujus Sacramenti effectus. Per aquam enim ſignificantur Populi, per vinum Chriſtus, per commixtionem vero, converſionemque aquæ in vinum, unio noſtrarum animarum cum Chriſto, quæ fit per hujus divini Sacramenti ſuſceptionem, juxta ipſius Chriſti Domini verba: (*c*) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*. Forma Sacramenti hujus ſunt verba Salvatoris, quibus Sacerdos conſecrat: licet enim plura, (*d*) ac varia in Miſſa proferat, plurimaſque preces, ac petitiones Deo offerat, verba hujuſmodi ad ſubſtantiam conſecrationis minime pertinent; ſolum ergo dum utitur verbis Chriſti, & nomine illius loquitur, Sacramentum conficit; talium verborum vi, & efficacitate convertitur tota ſubſtantia panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti; tota item vini ſubſtantia in ipſius ſanguinem; nihilque panis, & vini remanet, præter accidentia, & ſpecies. Totus Chriſtus, adeoque corpus, ſanguis, anima, ac divinitas, ſub qualibet particula diviſa, etiam minima, continentur, ac diviſione facta, in quolibet ſpecierum panis fragmento, in qualibet ſpecierum vini guttula, totus eſt, & integer Chriſtus, ac proinde a ſumente alterutram è prædictis ſpeciebus totus, & integer Chriſtus, verumque Sacramentum ſuſcipitur. Eaque de cauſa inducta eſt conſuetudo in Eccleſia accipiendi Euchariſtiam ſub una tantum ſpecie; nam qui ſic ſuſcipiunt, totum Chriſtum ſuſcipiunt, ac verum Sacramentum. Huic divino Sacramento debetur cultus, veneratio, & adoratio latriæ, ac eadem, quæ Deo debetur, cum Chriſtum contineat, qui Deus eſt, quique in eo realiter eſt præſens. Effectus quem in anima digne ſuſcipientium hoc operatur Sacramentum, eſt unio ſuſcipientis cum Chriſto & quoniam homo per gratiam unitur cum Chriſto ejuſque membris, conſequens eſt, ut hujus Sacramenti virtute augeatur gratia in iis, qui digne ſumunt; & quidquid cibus, & potus materialis quoad vitam corporalem hominibus præſtat, præſtat etiam, & operatur hoc Sacramentum quantum ad vitam ſpiritualem.

ANN CHRISTI 1599

DECRETUM I.

XCVII. Cum nihil Chriſtianum populum deceat magis, quam aſſidua obſequentis animi ſignificatione Euchariſtici Sacramenti inſtitutionem recolere, & quotidie Chriſto Domino gratias agere ob effuſiſſimam liberalitatem, qua nobis ſeipſum ſub ſpeciebus Sacramentalibus reliquit, eo ſui Divini amoris conſilio, ut Divinum nobis ſuppeteret alimentum, quo noſtra ſpiritualis vita aleretur, utque inter ærumnas, quibus premimur, lenimentum aliquod, & ſolatium haberemus: par eſt nos omnes, in hujus divini Myſterii cultum operam omnem impendere. Qua de cauſa ſancta Mater eccleſia non ſolum perennem huic Sacramento venerationem exhibet, ſed inſuper præfinito anni die impenſius, & ſolennius tanti beneficii memoriam celebrat: quod cum in hac dioeceſi uſu receptum non ſit, ſynodus volens, eccleſiam hanc particularem in tam laudabili conſuetudine cum S. Romana eccleſia, ſicuti in cæteris aliis, quantum fieri poteſt conformare, præcipit, ut feria quinta poſt octavam Paſchæ, juxta morem harum partium, Feſtum ſanctiſſimi Sacramenti in omnibus dioeceſeos eccleſiis (*e*) celebretur; quodque hic dies ab omni populo tamquam feſtus habeatur, eodemque die vel ante, vel poſt miſſam publica ſupplicatio per pagum, vel locum, majori, qua poteſt, celebritate inſtituatur, non aliter ac fieri ſolet die Paſchatis.

DE-

(*a*) S. Thom. Aquin. *Opuſc.* 57 (*b*) Cum certiſſimum, ac tantum non fidei ſit, etiam aquam vino permixtam, in Chriſti ſanguinem converti, quam hic Synodus exhibet, cautelam & quod prius aqua convertatur in vinum, exilitates putamus Theologorum, & tenebras Philoſophicas circa particulas rerum miſcibilium, & athomorum conflictum. Semper tamen minor aquæ quantitas infundatur, ut ſit vinum uſuale.

(*c*) Joann. 6. v. 57.

(*d*) Precibus etiam, & invocatione Spiritus Sancti conſecrationem fieri juxta Græcos, ſtatuentes in illis formam conſecrationis: Syros etiam in ſuis anaphoris, & aliis Eccleſiaſticis libris, illis adſtipulari, immo & S. Ephræmum, aſſeruerunt Renaudotius, & Le Brun; quos tamen valida manu confutat præter P. Bugeantium Soc. Jeſu, noviſſime P. Petrus Benedictus *in Antirrethico altero* ad *calcem Tomi* 2. *Oper. Syro Lat.* S. Ephræm. Vide etiam infra ubi de Liturgia Malabarica: & in *Diſſertat. n. 91.*

(*e*) Vide Diſſert. n. 91.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM II.

XCIX. Declarat ſynodus, quemlibet fidelem Chriſtianum, dum ad uſum rationis pervenerit, atque adeo mares ad annum (*a*) circiter decimumquartum, feminas vero ad duodecimum, debere ſemel in anno in Quadrageſima, aut Paſchate, ſanctiſſimum euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere a Vicario, & Parocho proprio ſuæ eccleſiæ, aut ab alio, qui ab ipſo facultatem habeat; qui vero, cum ceteroquin capax ſit, (in qua re decidenda, ſtandum eſt judicio Confeſſarii) ab initio Quadrageſimæ uſque ad diem dominicum ſecundum poſt Paſcha Euchariſtiam non ſuſceperit; proxima die dominica, tertia nempe poſt Paſcha declarabitur anathemati ſubjectus, & ab omnibus habebitur tamquam ſegregatus a communione fidelium, quouſque confeſſionem faciat, Euchariſtiam ſuſcipiat. Facultatem tamen dat ſynodus Vicariis, ut ſi viderint aliquos ſuæ Parœciæ, non poſſe intra tale tempus paſchale præceptum implere, eos uſque ad Feſtum ſpiritus Sancti expectent; quo tempore elapſo ipſos a communione Fidelium ſejunctos declarent; prius tamen eos, præcipue in Silvis degentes, admoneant, vel per ſe ipſos, vel per alios fide dignos, ut accedant ad eccleſiam implendi cauſa urgens præceptum; ſin minus declarandos eſſe cenſuræ anathematis ſubjectos. Curabunt etiam Vicarii ſcire, quinam præceptum adimpleverint, eorumque nomina in album referre, uti præcipitur, quantum ad annuam confeſſionem: & quamvis Sacri canones, ſemel tantum in anno, Confeſſionem, & Communionem præceperiut, ſuadeant tamen Vicarii ſuis ovibus, ut pluries intra annum, utrumque Sacramentum ſuſcipiant; præſertim in Feſto Nativitatis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Delparæ; quamobrem die dominica præcedente ad has ſolemnitates, eos de hoc ipſo admoneant.

DECRETUM III.

C. Declarat, docetque ſynodus, nulli Chriſtianorum, quantumvis dolorem (*b*) habeat de ſuis peccatis, licere divinum altaris Sacramentum ſuſcipere abſque prævia omnium peccatorum confeſſione, & abſolutione habita a Sacerdote approbato, & qui debita juriſdictione polleat: hæc enim eſt probatio, quam apoſtolus Paulus requirit in eo, qui de pane iſto Euchariſtico edit, & de Calice bibit, ſecus facientibus æternam damnationem præ oculis ponens: (*c*) *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit.* Idcirco nec publicis peccatoribus hoc Sacramentum dare licet, quouſque peccata reliquerint, ut ſunt publici venefici, & meretrices, concubinarii publici, & qui publice odia ſine reconciliatione profitentur; quicumque demum publici peccatores: cui rei plurimum Vicarii invigilabunt, ſcientes, quod ſicuti illi in peſſimo, in quo ſunt ſtatu, ad hoc Sacramentum ſumendum accedentes graviſſime peccant, ita ipſi non ſine graviſſimo crimine, illud exhibent ſumendum, hujuſmodi publicis peccatoribus: & idem ſervari debet, etiamſi publici hi peccatores ſchedam afferant, in qua Sacerdos teſtimonium ferat de eorum confeſſione, & abſolutione obtenta, ſi interim proximas occaſiones publicas non relinquunt, & peccare non deſinunt. Qua in re vicariorum conſcientias urgemus, ob maximam diſſolutionem hujus dioeceſeos, in qua peccatores publici Euchariſtiam ſumere audent: præſertim concubinarii, & qui non expectata eccleſiæ ſententia cum uxoribus non cohabitant, ac alii inimicitias publice habentes; quin ſit, qui eos abſterreat, de quo rigidam Deo rationem Vicarii reddent: cæterum in mortis articulo, etiam publicis peccatoribus, hoc divinum conferre Sacramentum poterunt, dummodo eos poenitere deprehendant.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM IV.

CI. Docet ſynodus, divinum hoc Sacramentum a jejunis tantum, ut ſancta Mater eccleſia præcipit, ſumendum eſſe; quod jejunium tale debet eſſe, ut a media nocte nihil potus, aut cibi, ne minimum quidem ſumatur ab eo, qui ſequenti mane Euchariſticum Sacramentum ſumere vult; quod ſi non jejunus accederet, graviſſimum ſacrilegium committeret; iis exceptis, qui gravi laborant ægritudine, ex qua imbecilles redditi

(*a*) Quamquam olim communio Euchariſtica daretur infantibus poſtquam Baptiſmum ſuſcipiebant, & quidem jejunis tantum, ex *I. Ord. Rom.* Mabillonii dicente: *Nullum cibum accipiant, nec lactentur antequam communicent*; tamen diverſa hodie in Eccleſia diſciplina viget, nec pueris hoc Sacramentum datur, quouſque inter cibum profanum, & ſacrum diſcernere noverint; id quod præſcribunt Rituales omnes, quos conſulere poteris. Erat inſuper Euchariſtia teſſera eorum, qui in eccleſiæ pace obibant; atque hac de cauſa, etiam defunctis tradebatur; de quo ritu inter alios conſule Franci ſcum Berlendis in eruditiſſima *Diſſer. de Oblation.* §. 3. *n.* 10. *pag.* 80. *Edit. Veneta* 1743.

(*b*) Solam fidem eſſe præparationem requiſitam, atque ſufficientem ad hoc divinum cibum ſumendum, error eſt damnatus a Trident. Concil. *Seſſ.* 13. *Can.* 11. ſtatuit etiam atque declarat, illis, quos peccati lethalis conſcientia gravat, quantumcumque dolorem habeant, & ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem. Nemo igitur ſibi blandiatur, qui antea D. Joan. Chryſoſt. verba *Hom.* 3. *in Ep. ad Epheſ* penſitaverit: *Multos video temere quomodocunque, & ex conſuetudine magis quam legitime communicantes.* (*c*) 1. Cor. 11. 27.

ANNO CHRISTI 1599.

diti ſunt; iſti enim electuaria ſumere, (*a*) aut quid leve pro reficiendis viribus, prout judicaverit confeſſarius, poterunt, ne morbus ingraveſcat.

DECRETUM V.

CII. Non ſemel tantum ſingulis annis, nempe tempore Paſchatis Reſurrectionis urget præceptum ſumendi Euchariſtiam, ſed etiam quotieſcumque Chriſtifideles in probabili mortis periculo verſantur, ac præſertim ſi quis graviter ægrotet, quamobrem hoc Sacramentum dicitur *Viaticum*: nimirum commeatus pro itinere ex hac mortali ad æternam, immortalemque vitam: Idcirco præcipit ſynodus, ut omnes graviter decumbentes, aut in vitæ diſcrimine conſtituti maxima cum reverentia illud ſuſcipiant. Quibus autem cura infirmorum incumbit, Vicarios tempore apto accerſant, ut eos pane Euchariſtico reficiant: diligenter etiam Vicarii inquirant, quinam, et quot ſint infirmi in ſua Parœcia, eoſque, antequam imbecilliores reddantur, vel ex itinere nocumentum recipiant, lectica a bajulis, ſive alio quocumque modo jacentes, in eccleſiam aſportari curent, ut ſanctiſſimum ſumant ſacramentum; cujus rei gratia, eccleſia quælibet, lecticam, vel reticulum pulvinaribus inſtructum habeat, quibus commode aſportentur; id vero poſt menſem ab hujus Decreti publicatione executioni mandent, & quidquid erogandum erit, accipiant e pecuniarum ſumma, depoſita ad eccleſiæ inſtaurationem, vel ornatum. Quod ſi aliquis adeo negligens fuerit, ut ipſius incuria aliquis e paroecia abſque viatico ex hac vita diſceſſerit, per cenſuram ſuſpenſionis per ſemeſtre ab ordinum exercitio, & emolumentorum eccleſiaſticorum perceptione prohibeatur. Si autem id contingat ex incuria aliorum, qui ægrotis aſſiſtunt, eo quod neglexerint vicarium arceſſere, a præſule pro ſuo arbitrio graviter puniantur. Sciant interim vicarii ſedulitatem omnem in hanc rem impendere, præcipuam eſſe ſui muneris partem, quam ipſis ſynodus, ipſorum conſcientias obſtringendo, ſummopere commendat.

DECRETUM VI.

ANNO CHRISTI 1599.

CIII. Quia ſæpius in puerperiis Mulieres vita periclitantur, & non raro pereunt, declarat ſynodus, eas imminente partu (*b*) ſacramentum pœnitentiæ, ac euchariſtiæ ſuſcipere debere, quibus ſuæ æternæ ſaluti conſulant: idque præſertim fieri oportere, ſi partus ſit primus, in quo vitæ periculum majus eſt, ut experientia conſtat; quapropter ipſis commendat, ut opportuno tempore id executioni mandent, & priuſquam doloribus oppreſſæ, ad eccleſiam venire nequeant. Id etiam declarat faciendum eſſe ab iis, qui diuturnam, & periculoſam navigationem aggrediuntur, eandemque ſuæ æternæ ſalutis curam etiam ipſis præcipit, ac ſummopere commendat.

DECRETUM VII.

CIV. Cum in hac diœceſi quamplures ſacerdotes, & Caſſanarii ſacrum non celebrent, vel quia impediti, vel quia ante præſcriptum a ſacris canonibus tempus ad ſacerdotium promoti, requiſitam ad celebrandum ætatem nondum attingunt: præcipit ſynodus, ut Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumant in feſtis ſolennibus, & ad minus ſemel in menſe: optaret inſuper ſynodus id ab ipſis ſingulis diebus dominicis reverenter, & cum debita animi præparatione fieri. Quoties autem ſacerdos quilibet a manu celebrantis Euchariſtiam ſuſcipit, indutus ſit ſuperpelliceo, & ſtola e collo ante pectus in modum crucis coaptata, ut a reliquo populo diſtinguatur, prout exigit decentia, ac dignitas gradus ſacerdotalis.

DECRETUM VIII.

CV. Quoniam, ut ſupra dictum eſt, non licet aliquem peccati lethalis conſcium ad Sacramentum Altaris accedere, quin peccata ſacramentali confeſſione prius expiaverit, declarat ſynodus id nec ipſis ſacerdotibus licere. Nemo itaque, quem remordet peccati lethalis conſcientia ſacrum celebrare audeat, quin ſi opportunitas detur, & non deſit, qui ejus confeſſionem excipiat, peccaca-

(*a*) Id quidem eſt contra Eccleſiæ diſciplinam, quæ etiam in infantibus jejunium olim exigebat, *ut ſupra in Not. ad num. 99* diximus, ſed fortaſſe hæc relaxatio fuit neceſſaria ad promovendam ſacræ Communionis frequentiam in iis regionibus, in quibus Euchariſtia non defertur ad infirmos, ſed infirmi etiam Viatico muniendi ad eam ſumendam deferuntur ad Eccleſiam, ut præſcribitur *in ſequenti Decreto*. Mos deferendi ægros ad Eccleſias ſeu Monaſteria, ut ſuſciperent Sacramentum Unctionis extremæ, vigebat anno 1597. in India Occidentali, *in Concilio autem Mexicano* ejusdem anni abrogatus eſt: & *lib. 1. tit. 5 §. 6.* ſtatutum: *Ut tam immanis ac barbara conſuetudo ... radicitus extirpetur ... externus enim impulſus* (portitorum) *aut mortem conciliat, aut ſaltem accelerat*. Conſule Goar in *Euchologio* de ritu deferendi ægrotos ad Eccleſiam, ad Sacramenta ſuſcipienda. Ceterum Malabarenſes ægros ad Eccleſiam aſportabant, ut communicarent, ne ſi Euchariſtiam per vicos deferrent ad infirmos, ab Ethnicis ſacra Myſteria illiberaliter tractarentur: vide Vinc. Mar. *lib. 1. cap. 6.*

(*b*) Sanctus Carolus Borromæus cum *concilio Mediolan. 6. §. 10.* ſtatuit, ut non ſolum qui profecturus eſt ad locum, ubi ſit peſtis, aut hæreſis, aut iturus ad bellum, aut ubi nullam confeſſarii copiam habere poteſt, aut iter infeſtum, aut navigationem aggreſſurus peccata confiteatur, ſed etiam quod *idem officium præſtet* (Parochus) *de mulieribus proxime parituris: mulier item proxime paritura frequentius ſumat ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum*.

ANNO CHRISTI 1599.

cata ſua confiteatur, quod ſervandum eſt etiam ab iis ſacerdotibus, quos munus, quo funguntur, vel ſæpius, vel etiam quotidie celebrare cogit: & quamvis hac obligatione obſtringantur ſacerdotes peccati lethalis conſcii: nihilominus etiam non conſciis ſynodus præcipit, ut ad augendam animæ puritatem, ſemel ad minus ſingulis hebdomadis confiteantur.

DECRETUM IX.

CVI. Præcipit inſuper ſynodus, ut diaconi, & ſubdiaconi, qui diebus dominicis, (*a*) in Miſſa ſolenni ſacerdoti inſerviunt, in eadem Miſſa cibum Euchariſticum ſumant, & in ſolennioribus feſtis Chriſti Domini, Deiparæ, ac SS. Apoſtolorum omnes omnino Chamazes ad Euchariſticam menſam accedant: idque curent Vicarii, nec non præſul, dum diœceſim peragrans de ſtatu rerum cognoſcet, diligenter inquirat, an hæc laudabilis conſuetudo vigeat.

DOCTRINA

De Sancto Miſſæ Sacrificio.

CVII. TAntus fuit amor Dei erga nos in inſtituendo Euchariſtiæ Sacramento, ut non ſolum Corpus ſuum, & Sanguinem ſub ſpeciebus Sacramentalibus nobis exhibuerit, tamquam cœleſtem cibum, quo noſtrarum animarum ſpiritalem vitam tueri, conſervareque poſſemus; verum etiam illud inſtituerit, ut militans catholica eccleſia, viſibile, ac juge ſacrificium (*b*) apud ſe haberet, quo mundaremur a peccatis, & pater cœleſtis a nobis innumeris ſceleribus offenſus, a rigore juſtitiæ ad lenitatem, & miſericordiam revocaretur. Itaque in Miſſa offertur Deo verum, & proprium remiſſionis ſacrificium, tam pro vivis, quam pro defunctis; hujuſque oblatione ſacrificii redditur Deus propitius, gratiamque, ac donum pœnitentiæ peccatoribus impertit, vi cujus veniam peccatorum, quantumvis enormium obtinent. Una enim, eademque eſt hoſtia, quæ ſacerdotum miniſterio in altari offertur, ac ea, quæ in ara Crucis fuit oblata; offerendi tantum ratione, diſcreta. Unde non ſolum offertur pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, aliiſque neceſſitatibus viventium fidelium, ſed etiam pro iis, qui in Chriſto mortui, & in pœnis purgatorii exiſtentes, nondum plene a peccatis purgati ſunt, aut pro pœnis ob peccata debitis non ſatisfecere: æquum enim, juſtumque erat, ut ſacrificium in omnium ſalutem inſtitutum, omnibus prodeſſet. Hæc inſuper eſt illa oblatio (*c*) munda, ac pura, quæ nulla offerentium (*d*) pravitate, nec indignitate inquinari valet: unde ejuſdem eſt pretii, quoad ſubſtantiam, valor, & acceptatio ſacrificii, ſive offeratur a ſacerdote mundo, puro, ac inculpatæ vitæ, ſive a peccatore immundo, ac vitæ contaminatæ; nec enim ſuam ab offerente accipit dignitatem, ſed ab ejus, qui offertur excellentia, ac magnitudine; neque Pater æternus illud acceptat ob merita, & virtutes offerentis ſacerdotis, ſed propter valorem ejuſdem ſacrificii, & merita infinita Domini per illud oblati. Unde cum Dominus Salvator noſter eſſet ſe ipſum cruente oblaturus in ara Crucis, excellentius ſuæ immenſæ charitatis erga nos ſignum exhibere non potuit, quam inſtituendo hoc viſibile ſacrificium in eccleſia, quo cruentum illud mox offerendum ſemel in ara Crucis, quotidie, & pluries diebus ſingulis in eccleſiæ altari, uſque ad mundi finem non ſine maximo totius humani generis proventu renovaretur. Quod quidem divinum ſacrificium ſoli offertur Deo, etiamſi quandoque in honorem, ac memoriam martyrum, aliorumque ſanctorum, cum Deo regnantium, celebretur: nec enim ſanctis, ſed Deo (*e*) ſoli, qui dignatus eſt ipſos immortali gloria donare, ſacrificium offertur, in gratiarum actionem ob ſtrenuam martyrum victoriam, ac illuſtria dona, & bona aliis ſanctis collata, nec non ob triumphum, quem per talia dona a Mundo, carne, & Diabolo reportarunt; ipſos etiam ſanctos deprecando, ut dignentur pro nobis intercedere in coelis, quorum memoriam

(*a*) agi-

(*a*) Laudabilis iſta conſuetudo multis in locis viget, præcipue in Hiſpania inter Auguſtinenſes ad præſcriptum Conſtitution. Ord. *part.* 1. *cap.* 9. *n.* 3. iis verbis: *Inſuper jubemus, ut in Dominicis, ac ſolemnibus diebus Diaconus ac Subdiaconus, vel alter eorum, qui non fuerit Sacerdos communionem percipiat.* Quod etiam non ſemel fieri vidi Romæ in Sacroſancta Baſilica Vaticana, ubi illis diebus Altaris Miniſtri Diaconus & Subdiaconus, etiamſi ſint Sacerdotes, Corpus Domini ſuſcipiunt e celebrantis manu.

(*b*) Quam vocamus *Miſſam*, verum eſſe Sacrificium, ex Scriptura, & traditione perſpicue deſcendit; de quo inter alios vide Pouget *Inſtit. Cath. tom.* 2. *pag.* 639. *Edit. Veneta anni* 1742. Quod Sacrificium varias appellationes ſortitum eſt; Patres enim Orientales illud vocant *Liturgiam*, ſeu publicum miniſterium, aut munus; *Myſtagogiam* actionem myſticam, vel introductionem ad myſteria: *Synaxim*: Fidelium congregationem ad myſteria: *Anaphoram*, ſurſum elationem; demum *Proſphoram*, id eſt oblationem. Latini vero Patres, & Concilia hoc vocaverunt *Collectam* eodem ſenſu, quo Græci Synaxim; *Dominicum*, id eſt Domini ſacrificium: *Agendam* hoc eſt ſacram actionem, *Oblationem* denique aut *Communionem* & *Miſſam*; mos tamen invaluit, ut apud Græcos *Liturgia*, & apud Latinos *Miſſa*, aliis appellationibus omiſſis vocitaretur.

(*c*) Malach. 1. *v.* 10. & 11. *In omni loco* (juxta Hebræum) *ſuffimentum efferetur nomini meo, & Mincha* (oblatio munda, aut condimentum Sacrificii) *quia magnum nomen meum in gentibus.*

(*d*) *Articul.* 18. *Proceſſus Cont. Joann. Hus* in Concil. Conſtant. anno 1415. ejus receuſet errorem, nempe quod *Magiſter Joannes Hus dixit: hoc teneatis, quod ſi Sacerdos eſt in peccato mortali, nihil facit, neque conſecrat, nec fit ibi Corpus Chriſti, ſed manet ibi ſubſtantia panis ſicut ante.*

(*e*) Ita etiam a Concilio Trid. declaratur *Seſſio.* 22. *cap.* 3. *de Sacrif. Miſſæ: Non tamen Sanctis Sacrificium offerri docet* (Eccleſia) *ſed ſoli Deo, qui illos coronavit.*

ANNO CHRISTI 1599.

(*a*) agimus in terris. Postremo animadvertendum, quod quamvis eucharistia semper sit sacramentum, non est tamen sacrificium, nisi dum offertur.

DECRETUM I.

CVIII. Cum ecclesia hæc per mille ducentos annos, sanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ est magistra ecclesiarum omnium, & in alias omnes sinceram doctrinam, & ecclesiasticæ disciplinæ leges, modumque derivat, minime subjecta fuerit, factum est, ut ea quæ ad Sanctum missæ sacrificium pertinent, servata non fuerint, ea qua par est integritate, ac puritate; episcopi enim e Babylonia missi, utpote schismatici, ac hæretici ea omnia per summam licentiam, quidquid ipsis visum fuit Missæ addentes, vel detrahentes, magna ex parte labefactarunt: quamobrem in missa Syriaca, quæ in hac dioecesi recitatur, nonnulla inconsiderate efferuntur, quæ errores inducere, & fovere videntur; pleraque etiam impia penitus, & hæretica; qua de causa libri omnes sacrificii rituales, sive missales, quippe qui fuerunt ab hæreticis Nestorianis depravati in ignem projici deberent. Verum cum aliorum copia desit, quibus celebrari possit, quandiu Dominus noster papa, quid agere oporteat non decreverit, aut missalia Chaldaice conscripta, prout instanter, ac humillime synodus supplicat, non miserit: præcipit synodus illa expurgari, & quæ sequuntur (*b*) interseri: ceterum ante expurgationem, quam illustrissimus Metropolitanus in visitatione, simul cum doctis viris, & Chaldaicæ linguæ peritis, quos ad id deputaverit, perficiet, sacerdotum nullus iis utatur.

CIX. Primum cum ex doctrina supra tradita de hoc Sacramento, constiterit, Sacerdotem non propriis ipsius verbis, sed verbis tantum Christi Domini nostri, authoris, ac institutoris ejusdem sacramenti, consecrare: non licet addere in forma consecrationis verba aliqua quantumvis optima, verbis iis, quæ Christus protulit, excepto verbo *enim* quod ecclesia Romana formulæ consecrationis corporis & sanguinis adjunxit: quia præterquamquod ex apostolica tenet traditione, id Christum in Corporis consecratione protulisse, & Matthæus in Calicis consecratione posuit: Verbum illud non immutat sensum, sed unice copulat præcedentia verba cum sequentibus. Excipienda pariter sunt verba hæc; *æterni*, & *Mysterium fidei*, quæ licet apud Evangelistas non reperiantur, ex eadem apostolica traditione constat, Christum ea in consecratione Calicis adhibuisse, quamobrem ipsis ecclesia utitur. Verba igitur illa, quæ missæ Syriacæ adduntur in Calicis consecratione: *& hoc erit vobis pignus, in sæcula sæculorum*: quippe quæ in nullo ex quatuor Evangelistis, aut aliquo novi testamenti libro habentur, nec quod ea Christus dixerit inter consecrandum, ex apostolica traditione accepit ecclesia, præcipit synodus in formula consecrationis non proferri. Nihilominus cum talia verba in se pium, ac laudabilem sensum contineant, eumque conformem appellationi, qua ecclesia Eucharistiam, futuræ gloriæ pignus vocat, utque antiquus ritus, quantum patitur Fidei sinceritas, ac doctrinæ puritas, servetur, ea sacerdos dicat, elevato jam Calice, ac profunda inclinatione peracta; ita ut sequentes orationes ab illis verbis incipiant, permutato tamen verbo *vobis*, quod tanquam ex persona Christi dicebatur, in *nobis*, ac proinde nomine suo loquatur sacerdos dicens: *hoc erit nobis pignus*. Cum autem ea, quæ sequuntur *in sæcula sæculorum*, prout veritas ipsa, & ecclesiæ consuetudo postulat, tantum dicantur de iis rebus, quas ipsa futuras expectat, & poscit, & quidem tanquam semper duraturas: quod huic sacramento non bene convenit, cujus usus, sicuti & aliorum Sacramentorum dumtaxat est pro hac vita, & usque ad consummationem Mundi, quippe in medelam spiritualium ægritudinum hujus vitæ tantum, instituta fuere; in futura enim vita videbimus Dominum, non speciebus Sacramentalibus velatum, sed perspicue sicuti est: neque manducabimus hunc divinum panem Angelorum sacramentaliter, sed eo modo, quo Angeli eum manducant; atque adeo per visionem Divini Verbi, quod sub speciebus panis continetur, longe plenius satiantur; ea propter expungantur illa verba: *in sæcula sæculorum*: quorum loco ponatur: *usque ad consummationem sæculi*, dicendo: *hoc erit nobis pignus, usque ad consummationem sæculi*. Tandiu enim est pignus, quamdiu peregrinamur a Domino, juxta id quod Christus ecclesiæ suæ promisit; se nempe cum nobis mansurum ad finem usque seculi, ad quem usque sacramenta ad nostrum remedium ab eo instituta non deficient. Post illa autem verba, pergat Sacerdos immediate prout in Missa habetur, *Gloria tibi Domine mi, Gloria tibi &c.*

CX. Item in consecratione Calicis, dum dicitur: *novi testamenti, qui pro vobis*, addantur Christi verba: *novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis &c.* Itaque verba consecrationis tam Corporis, quam Sanguinis reformentur, ac in omnibus apponantur Missalibus, juxta canonem, quo utitur ecclesia Romana, & universalis; itaut nihil addatur, vel demator; nec non eædem adorationes, inclinationes, & ceremoniæ fiant, quæ in missali Romano præscribuntur.

Item, dum Sacerdos dicit; *Domine Deus noster, quando spirabit in nobis odor suavissimus*, eo loco ubi dicitur: *& cum animæ nostræ veritatis tuæ scientia fuerint illustratæ, tunc occurremus dilecto Filio tuo &c.*, loquendo de die judicii, dici debet: *& tum corpora nostra veritatis tuæ splendore fuerint*

(*a*) In more positum est, ex Apostolica traditione, ut agatur in Sacrificio Missæ memoria Sanctorum; & patet ex antiquissimis Liturgiis, & ex PP. qui primis seculis floruere, Justino nimirum, Cypriano, Cyrillo Hieros., Chrysost., Augustino tandem quem adeas *lib.8. de Civit. Dei cap.27. & lib.22. cap.10.*

(*b*) Plura hic adnotanda essent circa ea loca, quæ Synodus castigavit; ast ne actum agamus, ea omnia rejecimus ad Liturgiam Malabaricam ad calcem Synodi positam.

ANNO CHRISTI 1599.

rint illuſtrata ; tunc occurremus &c. ; quia juſtorum animæ ante diem judicii illuſtrantur, & glorificantur in Cœlo ; tunc enim tantum corpora glorificabuntur : videntur autem prædicta verba alludere ad Neſtorianorum hæreſim, dicentium, Juſtorum animas, ante diem judicii, Deum non videre, nec gloria, & beatitudine gaudere.

CXI. Item ubi Diaconus dicit : *orando pro Sanctis Patribus noſtris Patriarcha noſtro, Paſtore univerſali totius Eccleſiæ Catholicæ;* id intelligendo de Patriarcha Babylonico Schiſmatico, *& Epiſcopo hujus Metropolis*, dicatur : *pro Sanctis Patribus noſtris, Beatiſſimo Papa noſtro, totius Eccleſiæ Catholicæ Paſtore*, ipſum nomine proprio deſignando : *& Epiſcopo hujus Metropolis*, ejus quoque nomine expreſſo ; *& Miniſtris ipſorum.*

Item : paulo infra dum Diaconus iterum orando dicit : *præcipue nos oportet orare, pro incolumitate Patrum noſtrorum Sanctorum D. Patriarchæ totius eccleſiæ catholicæ paſtoris*, nomen Babylonici patriarchæ proferendo, verba reformentur ſic : *præcipue oportet nos orare, pro incolumitate Patrum noſtrorum, Domini Papæ*, & apponatur nomen ipſius, *& Epiſcopi hujus Metropolis*, proprio ejus nomine appoſito.

Item : dum Diaconus poſtea dicit : *commemoramus autem Beatiſſimam Mariam Virginem, Matrem Chriſti, & Salvatoris*, ſcribatur : *Sanctam Matrem Dei vivi, & veri, & Redemptoris, & Salvatoris noſtri &c.* perverſi etenim Neſtoriani, impie negant, vocandam eſſe Sanctiſſimam Virginem Mariam *Dei Matrem*, ut in ſuperioribus dictum manet.

CXII. Item quæ paulo infra idem Diaconus dicit : *commemoramus quoque Patres noſtros Sanctos, & veritatis Doctores ; Dominum, & Sanctum Neſtorium, S. Diodorum, S. Theodorum, S. Ephræm, S. Abraham, S. Narciſum ; omnes quoque Doctores, & Presbyteros, veritatis cultores : Oremus, ut ipſorum orationibus, veritas pura, ac ſincera doctrina, quam docuerunt, & profeſſi ſunt, in omni Eccleſia ſancta cuſtodiatur, uſque ad conſummationem ſæculi* : quæ omnia hæretica ſunt ; impia inſuper deprecatio, qua Deus oratur ſacrilege, ut Neſtorii precibus, & reliquorum hæreticorum aſſeclarum ejus (a quorum numero excipiendus eſt S. Ephræm) doctrinam in Eccleſia cuſtodiat ; prorſus deleantur, ac ſubrogentur hæc alia verba. *Commemoramus quoque Patres noſtros Sanctos, & veritatis Doctores, Sanctum Cyrillum, S. Athanaſium, S. Baſilium, S. Ephræm, S. Auguſtinum, S. Leonem, S. Gregorium, omnes quoque Doctores, & Presbyteros &c.*

CXIII. Qua in re caute procedendum eſt. Nam licet in nonnullis Miſſalibus nomina Neſtorii, Theodori, & Diodori jam ſint deleta ; in aliis tamen leguntur ; in omnibus habentur nomina Abrahami, & Narciſi, qui fuerunt maledictæ illius Sectæ Duces : etiamſi ergo in paucis illis Miſſalibus priora nomina deleri non debeant, cum jam deleta ſint, poſteriora tamen, non minus execranda, quam illa, deleri opus eſt.

Item ; in fine hujus orationis, quam diaconus dicit ; ad illud : *oportet nos orare, & exaltare unum Deum Patrem, Dominum omnium, adoratione digniſſimum, qui per Chriſtum fecit nobis ſpem bonam* ; dicendum eſt : *qui per Jeſum Chriſtum Filium ſuum, Dominum noſtrum fecit nobis ſpem bonam &c.*

ANNO CHRISTI 1599.

Item ; dum ſacerdos calici vinum infundendo dicit : *miſceatur pretioſus ſanguis, in Calice Domini noſtri Jeſu Chriſti* ; dicatur : *miſceatur vinum in Calice Domini noſtri* ; ne verba illa, quibus vinum nondum conſecratum vocatur pretioſus Sanguis, præbeant occaſionem errandi, & videantur alludere ad damnatum Græcorum morem, qui offerentes panem, & vinum ante conſecrationem, ea adorant, dicentes, ſe ita facere propter id, in quod poſtea convertenda ſunt.

Item mox, infra cum Sacerdos ait : *expectans expectavi Dominum, Corpus Chriſti, & Sanguinem ejus pretioſum, ſuper ſanctum altare offeramus* ; dicendum eſt ob eandem rationem ; *panem ſanctum, & calicem pretioſum offeramus.*

CXIV. Item paulo etiam infra, ubi dicit Diaconus : *edent pauperes, & ſaturabuntur, Corpus Chriſti, & ſanguinem ejus pretioſum, ſuper Sanctum altare offeramus* ; cum nondum panis, & vinum conſecrata ſint, dicatur potius : *Edent pauperes, & ſaturabuntur, panem Sanctum, & Calicem pretioſum, ſuper Sanctum altare offeramus.*

Item infra, dum Sacerdos ſub ſilentio dicit orationem, quæ incipit : *offeratur, & gloriæ immoletur* ; ubi dicitur : *& Chriſtus, qui oblatus eſt pro ſalute noſtra* ; dicatur : *Jeſus Chriſtus Dominus noſter Dei Filius, qui oblatus eſt &c.*

Item dum Sacerdos elevans vocem dicit : *Gloria Patri &c. commemoratio Virginis Mariæ, matris Chriſti* ; dicendum eſt. *fiat commemoratio Virginis Mariæ, matris ipſius Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Item mox quando Diaconus dicit : *a ſæculo uſque in ſæculum Amen, & Amen Apoſtoli ipſius filii, & amici Unigeniti* ; dicendum eſt : *Apoſtoli ipſius filii Dei, & amici &c.*

Item cum ſacerdos incipit : *puſilli cum majoribus &c.* ubi dicit, *& reſurrectione tua, ſuperglorioſa, reſuſcitabis eos ad gloriam tuam* : dicatur : *& per Reſurrectionem tuam ſuperglorioſam, ſuſcitabis eos.*

CXV. Item cum Diaconus dicit ; *effundite coram illo corda veſtra jejunio, oratione, & pœnitentia, placauerunt Chriſtum, Patrem quoque, & Spiritum ejus.* dicendum eſt : *placaverunt Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum :* prædicta ſiquidem verba *Patrem, & Spiritum ejus*, videntur alludere ad errorem Græcorum impie docentium, Spiritum ſanctum procedere tantummodo a Patre, non vero a Patre, & Filio, tanquam ab uno principio, quod fides Catholica tenet : neque mirum videri debet, quod in Regionibus hiſce, Neſtoriani ex aſſidua cum Græcis conſuetudine, aliquos illorum errores ſibi adoptaverint : ut itaque ulterius errandi occaſio omnis de medio tollatur, citata verba prædicto modo emendentur.

Item

ANNO CHRISTI 1599.

Item in oratione, quam Sacerdos dicit: *Dominus Deus (a) fortis, tua est ecclesia sancta Catholica, quæ admirabili Christi tui passione empta est*: dicatur. *quæ admirabili Christi Filii tui passione empta est.*

Item prope Evangelii finem e capite quodam D. Joannis desumpti, juxta versionem Syriacam, quæ aliquibus est in locis depravata, in exemplaribus illius, quæ habentur in hac dioecesi, ut supra fuit dictum: ubi legitur: *quoniam venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ipsius*: dicendum est: *audient vocem Filii Dei*; prout habet Evangelista.

CXVI. Item in Symbolo, quod in solennioribus missis cantatur, desiderantur plura verba, ea quidem magni momenti, & non sine dolo malo suppressa: nam cum de Christo Domino nostro dicitur: *a Patre natum ante omnia secula*: Deficiunt ea, quæ sequuntur: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*: quæ adjungi debent; sicut & hæc alia: *Consubstantialem Patri*: quorum loco Syriace habetur: *Filius essentiæ Patris*; quæ expungi debent, ac subrogari: *Consubstantialem Patri*: Itaut symbolum prorsus tale sit, quale cantatur a tota ecclesia, & in Missali Romano continetur.

Item dum immediate post Symbolum diaconus orat, & commemorat SS. Apostolos, Martyres, Confessores, præter ecclesiæ morem pro illis Deum orat, ut eos resuscitet, & corona Resurrectionis mortuorum coronet, his verbis: *Oremus inquam ut Resurrectione, quæ est ex mortuis, a Deo corona donentur*: alienum autem est a sensu ecclesiæ pro sanctis Apostolis, Martyribus, & Confessoribus orare, aut pro illis bona aliqua postulare, cum ex fide, quam profitemur, certum sit eos omnium bonorum possessione gaudere. Non pro ipsis ergo, sed ipsos orare debemus, ut orent pro nobis, & a Deo tanquam domestici, & amici ipsius, necessaria, & opportuna spiritualia bona, aut temporalia, quæ expediunt, nobis impetrent: Quid quod ea verba alludere videntur ad Nestorianum errorem: nimirum Beatorum animas Deum non videre, usque ad diem judicii, & post resurrectionem corporum; morari vero interim in Paradiso terreno, quod impium est, & hæreticum: quamobrem præcipit synodus, cum in ecclesia usitatum non sit, hujusmodi orationes pro Sanctis fundere, etsi in Apocalysi id pro se ipsis præstent, ut illa deleantur verba, & cum præcedentibus sequentia conjungantur, dicendo: *& Confessores hujus loci, & omnium Regionum: oramus inquam, ut det nobis, ut efficiamur socii eorum &c.* & omittendo verba illa: nec non in fine orationis, ubi dicitur; *per gratiam Christi*, dicatur *per gratiam Dei, & Domini nostri Jesu Christi.*

Item cum Sacerdos incipit: *Confitemur, & laudamus Dominum (b) Deus noster &c.* & mox: *dignos nos fecisti dispensatione Sacramentorum Sanctorum, Corporis, & Sanguinis Christi*, legendum est. *Christi Filii tui.*

CXVII. Item, infra dum sacerdos loquitur ad eos, qui sunt ad Altaris dexteram, ipsique cum Diacono respondent: *Christus exaudiat orationes tuas*: in eo loco ubi legitur: *hoc Sacrificium, quod tu offers pro te, pro nobis, & pro toto Orbe a minimo usque ad maximum*; auferantur: quum enim Missa publica sit oratio, pro ecclesia, in illa non oramus pro Paganis, Hæreticis, Schismaticis, ac excommunicatis, nec pro illis offertur; sed pro fidelibus tantum catholicis, qui sunt ecclesiæ membra: illorum ergo loco dicendum: *quod tu offers pro te, nobis, & pro universa ecclesia Catholica, pro & omnibus Orthodoxis, atque catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus.*

Item ubi Sacerdos incipit etiam: *Domine Deus exercituum*, & dicit: *pro Sacerdotibus, Regibus, & Principibus*; legatur ita *& pro Regibus, & Principibus Catholicis.* Christiani etenim ecclesiæ hujus, sub principibus degunt infidelibus.

Item infra, ubi Sacerdos incipit: *Tu Domine mi propter &c.* ubi dicitur: *recordationis Corporis, & Sanguinis Christi tui*, dicendum est: *Christi Filii tui.*

Item mox in eadem oratione prope finem, cum dicitur: *laudemus, & glorificemus te, absque cessatione, in ecclesia tua, Sanguine Christi redempta*, legatur *Sanguine Christi Filii tui redempta.*

Item paulo inferius, ubi dicunt diaconus, & clerus: *orando, & pro omnibus patriarchis, episcopis, & presbyteris &c.* addatur, *& pro beatiss. papa nostro N.* eum nominando, *& pro omnibus patriarchis, & episcopis.*

CXVIII. Item in Hymno, qui a clero, & diacono alternatim dicitur, post elevationem SS. Sacramenti, in versu ubi dicitur, *Sacerdos quando ad sanctum Altare ingreditur, manus suas, pure protendit in Coelum, & invitat spiritum, qui de superis descendit, & consecrat Corpus, & Sanguinem Christi*: ubi innui videtur, Sacerdotem evocare de Coelo spiritum, qui consecrare debet, quasi id non præstet ipse sacerdos; cum itaque sacerdotis sit, vere consecrare, etsi Christi verbis tantum, & non suis, ut omnis errandi tollatur occasio, legendum est: *manus suas pure protendit in Coelum, & consecrat Corpus, & sanguinem Christi*, illa omittendo verba; *& invitat spiritum, qui de superis descendit &c.* & illa alia nimirum: *a sæculo, & usque in sæculum.*

Item in Oratione, quæ a diacono dicitur, & incipit: *Omnes timore pariter, & amore accedamus*: ubi dicitur: *Unigenitus Dei mortale corpus, & spiritualem rationem, immortalemque animam, ex filiis hominum suscepit*: ne aliquorum, & maxime Nestorianorum incurratur in errorem, docentium animam scilicet fieri per traducem more corporum, & a parentibus non secus ac corpo

ra

(a) Legendum videtur *Domine Deus &c.*
(b) Error fortasse Typographi, & scribendum *Domine Deus.*

ra generari, cum revera a Deo creetur ex nihilo, & corporibus integre efformatis infundatur: dicendum est: *Unigenitus Dei mortale corpus, ex filiis hominum, & spirituale, rationale, immortalemque animam susceptit.*

CXIX. Item: dum diaconus post communionem Sacerdotis, populum ad communionem invitando dicit, *fratres mei susciptite corpus ipsius filii*: dicatur *ipsius filii Dei.*

Item ad primum verbum Benedictionis ad populum: ubi dicitur: *ille qui benedicit nos in Cælis, per Filium humanitatis*: dicatur; *Filium suum*, omisso *humanitatis.*

Item; in prima Benedict. quam dat sacerdos Populo in fine Missæ, in qua dicit: benedicatur *Cathedra gloriosa Catholicorum Orientalium*: quod de Schismatica Babyloniæ intelligitur; dicendum est: *Benedicatur Cathedra gloriosa Romana.*

Item; versu sequenti ipsius benedictionis, ubi loquendo de episcopo dioecesano dicitur: *Dominus totius gregis episcopus, plenus sobrietate, custodiatur a malo &c.* addendum est nomen SS. Domini Papæ dicendo: *Dominus totius gregis catholici, Papa N. plenus sobrietate, custodiatur a malo, una cum bono Doctore, & episcopo nostro N.* cum suo nomine appellando.

Item in eadem Benedictione post pauca, ubi dicitur: *Illustris in congregatione Sanctorum, religiosus Hormisda sanctitas sanctitatum &c.* nomen *Hormisdæ* deleatur, quippe hæretici Nestoriani, ut superius est dictum, & ejus in loco dicatur: *Illustris in Congregatione sanctorum sanctissimus Apostolus Thomas, sanctitas sanctitatum*: deinde addantur alia quæ sequuntur, quippe quæ Apostolo glorioso, qui Magister in his partibus edocuit evangelium apprime conveniunt: neutiquam vero perverso hæretico.

CXX. Item in primo versu Benedictionis festorum solennium, ubi de Divino Verbo dicitur: *qui factus est homo, & operuit speciem suam, in filio hominis*; ad procul amovendam, quantum fieri potest, umbram omnem, vel leviſſimam doctrinæ Nestoriænæ dicatur: *qui factus est homo, & operuit divinitatem suam humilitate nostra.*

Item infra, dum dicitur. *Benedic ecclesiam tuam, quæ patitur, & in ovili pessimi Dæmonis ecce comprehenditur*: dicendum est: *quæ patitur infestationes a pessimo Dæmone, libera illam &c*: Ecclesiæ enim Catholicæ, licet infestus persecutor sit Diabolus, non tamen eam possidet, nec unquam illam ditioni suæ subiget, cum de illa dictum sit a Christo Domino, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Item ubi mox dicitur: *Benedic dextera tua Christe, Congregationem hanc*: dicendum est: *benedic dextera tua Domine Jesu Christe, Congregationem hanc.*

Item in eadem benedictione dum dicitur: *Salva Reges nostros, & Duces nostros*; legendum est: *Salva Reges nostros fideles, & Duces nostros Catholicos*; cuncti etenim reges, Dominique, in quorum ditione sunt horum Christianorum ecclesiæ, ethnici sunt, pro quibus publice orare in Missa non licet.

Etiam infra in eadem benedictione, ubi dicitur; *sicut decet coram ipso Jesu Salvatore*; dicatur: *coram ipso Jesu Deo Salvatore*: ad vitandum Nestorianorum errorem.

Item in penultimo hujus benedictionis versu dum dicitur, *& semper dico vobis, qui comedit Corpus meum, & bibit ex Sanguine meo sanctificantem, liberabitur ab Inferno per me*: dicantur verba ipsius Christi, loco eorum: *liberabitur ab Inferno; & bibit ex Sanguine sanctificante habet vitam æternam.*

Denique ad finem tertiæ benedictionis ubi dicitur: *Gloria illi ex omni ore Jesu Domino*: ob eamdem rationem dicatur: *Gloria illi ex omni ore Jesu Domino Deo*: quoniam Nestoriani impie dicunt, nomen *Jesu* nomen esse suppositi humani, Deique nomen non convenire ipsi. Itaque prædicta omnia præcipit synodus emendari forma hic stabilita; propter cautelam, qua in hoc episcopatu, ob prædicta incedendum est, ubi maledicti hæretici Nestoriani tot errores seminaverant.

DECRETUM II.

CXXI. Cum in Missalibus hujus episcopatus nonnullæ existant Missæ, quæ Nestorium, aliæ quæ Theodorum, (*a*) aliæ vero quæ Diodorum, ipsius magistros authores habent; quasque Cassanarii certis diebus recitare jubentur, prædictorum authorum titulum præseferentes, & in quibus plurimi errores, atque hæreses reperiuntur: præcipit Synodus, ut omnes, prout jacent, integræ proscindantur a missalibus, & comburantur. Itaque jubet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub poena excommunicationis latæ sententiæ, ut Cassanariorum nullus in posterum iis utatur, sed eas omnes a missalibus avellant, aut ipsas illustrissimo Metropolitano tempore visitationis, aliisve, quibus ab illo commissa fuerit cura sacros Libros emendandi, tradant; iique idem faciant, quod paulo supra præscriptum fuit.

(*a*) Abraham Ecchellensis *in Not. in Catalog. Ebedjesu* testatur se legisse Syriace Liturgiam Diodori, quam merito Synodus memorat, licet Renaudot *tom.* 2 *Liturgi. pag.* 622. nullam fuisse dicat Diodori Liturgiam. Theodori Liturgia habetur in Bibl. Vatic. *Cod. Syriaci Vat.* 28. & in Bibl. Orient. Asseman. *tom.* 1. *pag.* 581. *& tom.* 2. Liturg. Renaudot. *pag.* 616.; cujus initium: *Domine Deus fortis*. Nestorius suam etiam condidit Liturgiam, ut testatur Sobensis; & Leo Byzantinus *lib.* 3. adversus eum ait: *Audet & aliud malum: aliam enim Missam effutivit: in qua Missa blasphemiis, non precationibus Eucharistiæ Misterium opplevit.* Aliæ extant apud Nestorianos Liturgiæ Narsetis, Barsumæ & aliorum, quarum rarus, aut nullus est usus.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM III.

CXXII. Quoniam in Miſſalibus Syriacis iſtius epiſcopatus, quædam ceremonia impia, & ſacrilega præſcribitur, qua nempe Sacerdos tenens dextera manu poſt fractionem Hoſtiæ, particulam Sanguine imbutam, dum ea intincta ſignum crucis facit, ſuper aliam exiſtentem in patena, dextri pollicis ungue findat iſtam, ſtulta ea opinione, (*a*) ut ita ſanguis penetret corpus, unde corpus, & ſanguis inter ſe miſceantur: quæ opinio, & ceremonia conſentanea eſt hæreſi Neſtorii, ejuſque ſectariorum, impie aſſerentium, ſub ſpecie panis corpus tantum Chriſti, ſine Sanguine exiſtere, atque ſub ſpecie vini ſanguinem ſine Corpore: præcipit ſynodus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub poena excommunicationis ipſo facto incurrenda, ut nullus e Caſſanariis hujuſmodi ritum peragat, & in miſſalibus deleatur: Quia & impius hic ritus ad prædictam hæreſim alludit, & ſtulta eſt eorum perſuaſio, quod per ſpecies detur penetratio, & commixtio Corporis, & Sanguinis.

DECRETUM IV.

CXXIII. Quia Miſſa Syriaca nimis videtur prolixa pro ſacerdotibus, qui quotidie celebrare voluerint, facultatem concedit ſynodus, ut miſſa Romana (*b*) vertatur Syriace, petitque a P. Franciſco Rox ſociet. Jeſu, ut dictam verſionem adornet, quam quidem Miſſam poterunt ſacerdotes privatim, cum Romanis ceremoniis recitare: ceterum miſſæ cum cantu, & ſolennes, juxta Syriacam, emendatam per reverendiſſimum Metropolitanum, recitentur: ſacerdotes vero qui Latine, & Syriace miſſam legere noverint, in eccleſiis aliorum epiſcopatuum, poſſint eas latine recitare: in iis autem quæ ſunt hujus epiſcopatus, Syriace tantum, ne confuſio oriatur, eas recitabunt. Supplicat itaque ſynodus Dominis epiſcopis harum partium, ut ſacerdotibus hujus epiſcopatus, præſulis ſui legitimis dimiſſoriis munitis, ſi latine legere neſciant, facultatem faciant, vel miſſam Syriacam recitandi, vel Romanam in linguam Syriacam tranſlatam, inque ea Romanum ritum ſervandi, quandoquidem finitum videtur eſſe ſchiſma, Dei clementia, quod hactenus eccleſiam hanc dilacerabat: itaque orat illuſtriſſimum Metropolitanum Synodo huic præſidentem, ut hanc petitionem pro ſacerdotibus hujus epiſcopatus, in primo concilio provinciali, quod in hac provincia forte celebrabitur, ipſe proponat, ut ſi patribus viſum fuerit, ita decernatur.

DECRETUM V.

CXXIV. Quoniam poteſtas ſacra contrectandi vaſa, potiſſimum in ſubdiaconatus ordine confertur: præcipit ſynodus, ut in poſterum ſacerdos in patenam non ducat manum miniſtri Miſſæ juxta Syriacum ritum, itaut eam attrectare poſſit, niſi ille in ſubdiaconatu conſtitutus fuerit, cum aliter ad hujuſmodi contactum non habeat poteſtatem, ſed tantum ejus manum ad Aram lapideam, vel altaris labrum adducet, ubi patenam non tangat: cum iis vero, qui in ſacris fuerint conſtituti, ceremoniæ prout in miſſali præſcribitur, obſerventur, quod videtur in rubricis ſatis inſinuari per ea verba: *Sacerdos manum Diaconi ſupra Patenam apponat.*

DECRETUM VI.

CXXV. Cum ſit ſpeciale diaconatus inſigne, humero impoſita ſtola, nulli non diacono licet ea ſic uti in publicis eccleſiæ ceremoniis, id quod hactenus Chamazes omnes fecerunt, qui non ſolum in minoribus tantum conſtituti, verum-etiam omni eccleſiaſtico gradu carentes, ſtolam ad hæc uſque tempora, diaconorum more, ſupra humerum geſtarunt, altari miniſtrantes. Cum vero id ritualibus libris adverſetur, qui de miniſtro diacono aperte loquuntur, præcipit ſynodus ut Chamazes miniſtrantes, qui non fuerint diaconi ſtola in forma ſupradicta non utantur, imo & diaconi ea decenter utantur, atque adeo non vulgari veſte, ut hactenus conſueverunt: ſed non aliter quam alba induti, & manipulo, ut moris eſt, brachio ſiniſtro illigato.

DECRETUM VII.

CXXVI. Præcipit Synodus, ut ſingulis eccleſiis ferreæ habeantur formæ ad rotundanda, atque obſignanda triticea cruſtula, ſive ut,

(*a*) Hic ritus revera tolerari poſſet, cum etiam Eccleſia Romana præcipiat miſcere particulam cum ſanguine dicendo: *Hæc commixtio & conſecratio &c.* De ritu hujus intinctionis Scheleſtrate agit in Act. Orient. (etiam extra Miſſam) *pag.* 829, qui paulo antea ſcribit, quod in aliquibus Eccleſiis Orientis, etiam in Miſſis Præſanctificatorum, in quibus Sanguis non conſecratur, tamen Crucem ducebant ſuper hoſtiam cum cochleari ſanguine intincto. Eccleſia tamen C. P. id omittebat, quod ſanguinis intinctionem minus neceſſariam judicaret. Quod autem ea ſit non tantum *commixtio*, verum & *conſecratio*, quomodo vide ap. Mabillon. *tom.* 1. *Muſ. Ital. pag.* LXXVI.

(*b*) Miſſas exotica lingua facere conceſſerunt Hadrianus II., Joan. VIII. Et Innoc. IV. confirmavit facultatem celebrandi Miſſam, & Officium Divinum lingua Sclavonica. Hic tamen non vernacula Malabarica, ſed Syriaca permittitur in Miſſæ celebratione: quamquam etiam ipſi polleant alio Idiomate, quod vocant Sapientum, ut etiam fit inter Græcos, quodque vocari dicitur *Samoſcardam*: ut ut res ſit, Majeſtas myſteriorum non apte vulgari lingua ſervatur; cum Ethnici quique rem myſticam, vel particulari Idiomate, vel vocum involucris, a profano vulgo, abſtruſerint. Quomodo autem ſe geſſerit Eccleſia Romana, cum Idiona latinum erat vulgare, & qualiter voces præter communem captum invenerit, vocando Euchariſtiam *fermentum*; habetur in Tract. Scheleſtrati *De Diſcipl. Arcani.*

ANNO CHRISTI 1599.

ut vulgo dicitur, hostias, (*a*) quæ instrumenta citocitius unaquæque ecclesia sibi comparet, vel ex depositо pro ecclesiæ fabrica, vel ex eleemosynis aliis, quæ ex Christi fidelium beneficentia collectæ, in capsulis inveniantur. Curabunt insuper vicarii, penes se farinam triticeam perpetuo asservare, e qua hostiæ conficiantur, omnique sedulitate caveant, ne farina cum alia quacumque re sit admixta, ut assolet etiam cum pane usuali; ne se vel alios exponant non consecrandi periculo, sed nec quibuscumque triticeos orbes conficiendi curam committant, eosque vel per se ipsos, vel per probatæ fidei administros, hujusque rei peritos conficiant. Ob idem periculum diligenter curent, ut vinum sit Lusitanum, & non ex uvis passis expressum, vel cum vinis indigenis, & patriis commixtum.

DECRETUM VIII.

CXXVII. Summopere inculcat synodus hujus dioeceseos sacerdotibus diligentiam in custodiendo vino, quo ad sacrum peragendum uti debent; neque enim ignorat, ecclesias ob earum indigentiam. Lusitanici vini penuria laborare; cujus quidem inopia non tanta esset, nisi id quod sacerdotes habent, in vitreis phialis asservarent, ex quo sæpe fit, ut cum in modica quantitate sit, & diu ob sacrorum infrequentiam in phialis contineatur, acescat, & corrumpatur; cumque sacerdotes illo in sacro peragendo utantur, & plerumque non advertentes, vinum esse immutatum, periculo non consecrandi se exponant: cui malo, ut synodus quoquomodo obviam eat, mandat, ut ecclesia quælibet, apud vicarium doliolum ligneum habeat, vel lagendam, ubi vinum missarum celebrationi destinatum conservetur, ac diligenter caveatur, ne fœculentum evadat, nativo suo calore immutato, acidum, corruptumque fiat; quod si contigerit & substantiam illius fuisse immutatam, periti de hac re, si opus fuerit, consulti judicaverint, sacerdotes illo non utantur; nam si secus fecerint, & consecratio erit irrita, & ipsi se sacrilegii reos facient.

DECRETUM IX.

CXXVIII. Cum ex defectu vini Lusitani, maximo fidelium istius episcopatus nocumento, cesset sæpius celebratio Missarum: itaut per non paucos menses in plurimis ecclesiis sacrum audire non possint, nec Eucharistici panis participes fieri; immo neque extremo vitæ tempore, sacro refici Viatico, supplicat Synodus Serenissimo Lusitaniæ Regi, ut pro ea, qua est in omnes humanitate, atque beneficentia, cuilibet hujus episcopatus ecclesiæ in singulos annos tribuat, vel duo dolia, vel unum cum dimidio e vino Lusitano muscato, non ita corruptioni obnoxio, prout ab illo erga alias Indiæ ecclesias fieri solet. Hujusmodi vero vini largitio quandiu a Rege non exoratur, fiet ab illustrissimo D. Archiepiscopo Goensi Dom. Fratre Alexio de Menesses, hujus ecclesiæ Metropolitano, Indiæ Primate, & hujus synodi Præsidente. Præsulis autem erit juxta cujusque ecclesiæ indigentiam vinum distribuere: quia tamen vita hominum brevis est, & incerta, si subsidium hoc quacumque de causa ecclesiis desit, ex earum capsulis Præsul, tempore visitationis possit accipere, quantum ad vini emptionem sufficere judicaverit, vel aliunde quoquomodo collectas pecunias in hunc usum impendere. Caveant Vicarii, ne quæ tribuuntur ecclesiæ, sibi solum attribuant, sed ex iis Missas in ecclesia celebrari curent, itaut juxta præcipuam ecclesiæ obligationem, sacrificium, quod pro populo offertur, ea die non desit.

DECRETUM X.

CXXIX. Quia maxima angitur dubitatione synodus, an aræ lapideæ, super quas Missæ celebrantur, in majori parte ecclesiarum hujus episcopatus consecratæ sint oleo sacro, veraque consecratione, propter ignorantiam (*b*), negligentiamque in rebus hisce prædecessorum antistitum, quippe qui in has dioeceses e Babylone venerant, præcipit, ut illæ, quas rite fuisse consecratas constare nequit, ad illustrissimum Metropolita-

(*a*) De nebulis seu hostiis faciendis vide eruditissimum Catalani *tom.* 1. *in Pontifical. pag.* 304. *&* 1. *Martene tom.* 1. *Anecdot. in Præfat. §. Non ofcitantes;* & lib. 1. de Ritibus antiq. col. 321. quique magis instituto nostro accedit Asseman. *tom.* 4. *pag.* 198. ubi pulcra de modo, quo Nestoriani fermentum, in usum Eucharistiæ subigunt. Qui autem in Ecclesia nostra Occidentali tenuissimi orbes conficiuntur, appellantur *Formæ*; ipsa etiam Eucharistia vocata fuit olim *Formata*, eo quod in trustulis efformatæ conspicerentur imagines Christi, vel Crucis; aut etiam illius nominis Monogramma, figla, aut quid simile; de quo vide Scipion. Maffei *Introduc. ad Hist. critic. pag.* 89. & Maurocen. *in Via Fidei pag.* 365.

(*b*) In orientis ecclesiis usus erat celebrandi super Antimensiis; & in horum defectu super manibus Diaconorum: celebre est illud Theodoriti Cyrensis episcopi in Cella Maris Monachi reclusi, super manibus diaconorum celebrantis: rarissimum illud Luciani martyris Antiocheni, qui vinculis constrictus, cum aliter celebrare non posset, pectore suo pro altari usus fuit; si tamen copia erat altaris consecrati, non super antimensiis, sed super illud celebrabant. vide Catalan. *to.* 2. *Pont. Rom. pag.* 280.

ANNO CHRISTI 1599.

litanum apportentur consecrandæ, atque ab ipso petit, ut ecclesiis, quæ Aras lapideas non habuerint, eas comparari curet. Præterea præcipit, ut si qui inveniantur Calices, (*a*) qui non sint ex auro, argento, stanno, vel communi, vel Indico, liquefiant, aut fragantur, nec unquam in posterum fiant ex aliis metallis, quam ex quatuor supra assignatis, nec sacerdos ullus aliquo ex calicibus fractis utatur ad sacrum celebrandum: quia vero apud plures ecclesias desunt calices, ex quo defectu Missæ celebrari non possunt, postulat ab illustrissimo, ut huic indigentiæ provide succurrat.

DECRETUM XI.

CXXX. Quoniam plures hujus episcopatus ecclesiæ, potissimum silvestres sacris indumentis, & supellectili ad sacrum conficiendum necessaria destitutæ sunt, eaque de causa cum aliunde asportari debeat, sæpe sacrum non celebratur, non sine notabili fidelium in hisce Parochiis habitantium damno, præcipit synodus, ut ex collecta stipe, quæ in ecclesiæ capsulis inventa fuerit, illustrissimus Metropolitanus sacram supellectilem comparari jubeat, qua nulla ex prædictis ecclesiis careat, ne ex illius defectu fideles diebus Dominicis, aliisque festis Missa priventur, quod si pecuniæ ibi inventæ insufficientes sint, alia ratione, quam opportuniorem judicaverit, huic indigentiæ prospiciat.

DECRETUM XII.

CXXXI. Cum hactenus Christiani non ita Missam audierint, ut se ad illam audiendam, aliquot præsertim diebus festis præcepto obstringi putarent, & hac falsa opinione ducti, plures illam omiserint, plures vero audierint dumtaxat partem, neque id religioni habuerint, declarat synodus, præceptum esse ecclesiæ universalis, & quidem sub mortali, quod omnes fideles, tam viri, quam feminæ, qui alias non fuerint legitime impediti, tenentur Missam audire integram cunctis Dominicis, & designatis diebus festis Sanctorum, dum copiam habuerint ecclesiæ, & sacerdotis celebrantis: eodem etiam obligari præcepto Patresfamilias, ad curandum ut filii, servi, & captivi christiani, cæterique ex sua familia prædictis diebus sacrum audiant in ecclesia, & in ea quidem (idque quantum fieri potest) quæ exstitit vel in propria Parochia, vel in Parochia loci illius, in quo hic, & nunc morantur. Quia vero multi longe ab ecclesiis in silvis degentes, domum sine custodia relinquere verentur, ita se gerere debent, ut aliquos e familia mittant ad audiendam Missam una die Dominica, alia vero Dominica mittant alios, qui tunc domi manserunt, & sic deinceps alternatim. Vicarius insuper diligenter notet si quos in hoc negligentes compererit, in eosque animadvertat, moneat, ac ipsos, si opus fuerit, pro suo arbitrio puniat. Itaque in ecclesiis, ubi plures fuerint Cassanarii, & Chamazes, cantentur Missæ in diebus Dominicis, ceterisque Sanctorum festis; sin autem, opportunis horis sine cantu recitentur, quibus omnis populus assistat; quo etiam tempore fieri possunt conciones, ac monitiones, necnon legi schedulæ eorum, qui matrimonia contrahere volunt; alia demum ecclesiæ necessaria pertractari.

DECRETUM XIII.

CXXXII. Cum constet synodo, christianos ut plurimum extra populorum frequentiam, & pagos degere in silvis, nec ad ecclesiam accedere, nisi semel in anno per tres scilicet dies jejunii ante quadragesimam, quos vocant (*b*) *Mononorbo*, idque gula potius ductos, ob ea quæ tunc parantur christianis obsonia, quam Missæ causa; alii vero non amplius quam bis, terve in anno Missam audiunt: unde in rebus fidei, & ad christianam religionem pertinentibus instrui, ut oportet, non possunt, neque ecclesiæ præcepta adimplere, præcipit, ut omnes christiani, qui per binas, vel plures leucas ab ecclesiis sint remoti, teneantur ad sacrum accedere saltem semel in mense, in majoribus solemnitatibus Christi Domini, ac Deiparæ: vicarii etiam ad hoc ipsos cogant: distantes vero per leucam tantum, decimaquinta quaque die accedant: qui autem minori spatio distaverint, qualibet die Dominica, & die festo ad id teneantur; si qui autem contra fecerint, ac in eo fuerint contumaces, post trinam monitionem Vicarii, aut de ejus mandato factam, ab ecclesia, cum accesserint, ejiciantur, nec eorum domos sacerdotes ingrediantur: nec ipsis exhibeant *Casture*, quousque juxta ea, quæ fuerunt præscripta, ecclesiam, ubi sacro interfint, frequentaverint, ulterius ad Præsulis arbitrium puniantur.

DE-

(*a*) Calices primo seculo vitrei erant, lapidei & lignei; *anno 1706.* concilium VVintonienſe prohibuit calices æreos vel ligneos, uti etiam vetuerat concilium Triburiense *anno 895.* lignea vascula in Missæ sacrificio *Canon. XVIII.* in quo dicitur S. Zephyrinum jussisse patenas vitreas habere: & Urbanum I. initio Sec. 2. argenteos & aureos calices fecisse: extat & terrificum illud martyris Bonifacii, qui rogatus, num liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere? respondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc e contra, lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus.*

(*b*) Potius scribendum erat *Munnanonbo*; etenim lingua Malabarica *Munnanonba* est *jejunium triduanum*. Componitur enim ea vox ex *Munna*, qui est numerus ternarius, & *Noierba*, quod est jejunium: vox autem illa, qua utitur synodus est Malabarico-Lusitana. Hoc triduanum jejunium, appellant Nestoriani *Jona jejunium*, seu *Jejunium Ninivitarum*: quod observant Orientales a feria illa 2. usque ad matutinum feriæ 5. Occidentales vero usque ad Sabbati matutinum.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XIV.

CXXXIII. Quoniam in pluribus ecclesiarum solenniis conducuntur musici (*a*) pro more regionis, qui cum semper sint ex Paganis, plurimum negligitur, quo in loco ecclesiæ collocentur, ut sonum eliciant; ex quo etiam fit, ut sæpe Missæ intersint; cum vero id nulli Infideli, & excommunicato concedatur, præcipit synodus ne illis permittatur aliquo in loco commorari, unde sacrificium Missæ, & Sanctissimum Sacramentum conspicere possint, qua in re curam omnem adhibeant Vicarii, sicuti & in propulsandis aliis Paganis, qui sub id temporis ad januas, vel fenestras Ecclesiæ, Missam prospecturi solent accedere.

DECRETUM XV.

CXXXIV. Cum nihil utilius esse possit animabus defunctorum, quæ igne purgantur quam sanctum Missæ sacrificium, quod in salutem, & remedium, tam pro vivis, quam defunctis institutum est, & cum illorum in hoc episcopatu nulla habeatur recordatio: (*b*) hortatur synodus fidelem istius episcopatus populum ad hanc opem ferendam, tum animabus suorum defunctorum, tum sibimetipsis testamento summam aliquam relinquendo, quæ in hunc ipsis salutarem usum impendatur; id enim multo sanius fuerit, quam si juxta morem ingluviei consanguineorum, aliorumque invitatorum, tunc temporis occasione funeris indulgeatur: optaret etiam synodus eam consuetudinem, in commendabilem aliam, maximeque proficuam commutari; qua alimenta diebus illis pauperibus tribuantur, quod impendiosæ misericordiæ officium in bonum animarum proculdubio cedet. Itaque ut præsens decretum quoad Missas effectum sortiri possit, præcipit ipsa synodus, ut pro defunctis, qui nullum Missarum numerum reliquerint pro semetipsis, dum eorum facultates sint ultra bis mille Fanones (*c*), e toto asse hæreditario, antequam ad hæredes perveniat, extrahatur summa ad quinque Missarum pro animabus ipsorum celebrationem sufficiens, quæ ceteris emolumentis adjuncta apud œconomum ecclesiæ deponatur. Missæ celebrandæ inter Cassanarios illius Terræ hac lege distribuantur, ut singuli unam celebrent, atque adeo citius mortuorum animabus suffragentur. Si vero Cassanarii numerum quinarium excedant, quamobrem numerus Missarum ad omnes non extendatur, distributio fiat inter seniores; quod si præter vicarium nemo alius sit in ecclesia, omnes ipsi assignabuntur: Laudabilem hanc consuetudinem Missas celebrandi pro defunctis relictas, juxta morem totius universalis ecclesiæ, vehementer optat synodus, ut per totam dioecesim, in qua nondum laudabilis hic usus invaluit, late propagetur, plurimumque inculcat concionatoribus, & confessariis, ut inter concionandum, & excipiendum confessiones, id ipsum persuadeant christianis, vicarii etiam in suis adhortationibus idem præstent.

ANNO CHRISTI 1599.

ACTIO VI.

De Sanctis Sacramentis poenitentiæ, & Extremæ Unctionis.

Doctrina de sacramento pœnitentiæ.

CXXXV. QUartum sacramentum poenitentia est, cujus quasi materia actus dunt poenitentis (*d*); nempe cordis contritio oris confessio, & operis satisfactio, ad arbitrium confessarii injungenda. Cordis contritio includit animi dolorem, peccatorum detestationem, ac firmum propositum non amplius peccandi: & licet quandoque contingat, hanc contritionem cordis per charitatem perfici, hominemque Deo reconciliare, antequam reipsa sacramentum poenitentiæ recipiat: nihilominus perfecta esse non poterit, nec per illam cum Deo reconciliatio fieri, nisi contineat propositum confitendi peccata, de quibus, dolemus; quamobrem hæc manent subjecta clavibus, & aperienda sunt in confessione. Confessio oris debet esse integra, per quam nempe aperiantur proprio sacerdoti omnia peccata, quorum poenitens, post diligentem conscientiæ suæ discussionem, meminerit, detegatque a se post ultimam, eamque validam confessionem, fuisse perpetrata, neque peccata quodammodo generatim, & confuse aperiri debent, sed singillatim; horum singulas species,

(*a*) Etiam Musici, Histriones & Mimi arcentur ab ecclesia in concilio *Senonensi anno* 1528. in Decret. morum. *Decret.* 16. per hæc verba: *Prohibemus ne Histriones aut Mimi intrent ecclesiam ad pulsandum tympano, cithara &c.: nec juxta ecclesiam, juris pulsent instrumentis*: æquius multo Idolorum musicis prohibet nostra synodus, inter tremenda veri Dei mysteria sonare, uti & musicis christianis interdixit Card. Turronius in solenniis idolorum ludere; quod confirmavit Clem. XII. anno 1734. & Benedict. XIV. sel. reg. anno 1744.

(*b*) Non nisi ineptissimi Heterodoxi hinc conficere satagunt, Purgatorium ab ista ecclesia non agnosci, cum id asserat synodus taxando novissimorum prælulum socordiam; alias quantum Nestoriani defunctorum curarent suffragia videri potest apud Asseman. *Diss. de Nest.* in vindiciis adversus Crozæum.

(*c*) *Fanon.* est vox composita ex Lusitano & Malabarico, *F.* illud non habet lingua Malabarica; videtur autem *Fanon* derivari a *Pannam* quod genus est parvæ monetæ argenteæ, (quæ pene æquivalet Regali Hispano, & Julio Romano) posito *F.* Lusitano quo carent Malabarici, pro *P.* Ludovicus Romanus Navigat. *lib.* 4. *cap.* 11. ait loquendo de Rege Calecut in Malabaria: *Monetam cudit quam Pardios appellant, & item minoris valoris monetam aliam, qua Fano dicitur: hanc efficiunt* 16. *minutiores denarii*. Alias vocantur *Pardaos*.

(*d*) A Gabriele Philadelphiensi, *Lib. de Sacram.* ut habetur in actis Orient. eccl. contra Luther. *apud Scheleſtrate p.* 239. sic per bene explicatur materia poenitentiæ: *Materia pœnitentiæ remotissima, secundum multorum sententiam sunt peccata; remota vero peccator pœnitens: propinqua denique confessio, & cordis contritio & satisfactio*: quibus ecclesia orientalis optime nostræ consonat.

ANNO CHRISTI 1599.

cies, eorumque numerum, circumstantias (a) aggravantes, eorumque speciem immutantes, atque adeo etiam occulta, cogitationes insuper, ac desideria prava, culpasque omnes adversus duo ultima decalogi præcepta; nempe: *Non concupisces uxorem proximi: nec alienа concupisces*; peccata enim id genus sæpius animam gravius sauciant, suntque publicis periculosiora; quorum omnium peccatorum confessio est nobis jure Divino injuncta, dum ascendens Christus Dominus noster in Coelum sui vicarios (b) sacerdotes reliquit, & tanquam judices, ad quos cuncta peccata mortalia a fidelibus christianis commissa deferrentur, ut virtute clavium, quas ipsis reliquerat, facultatisque absolvendi, ac retinendi peccata, de iis sententiam ferrent, quæ quidem non poterit esse justa, nec poena æqua peccatis, nisi plena de ipsis habeatur cognitio; nequit enim rectum fieri judicium, causa incognita: Ad cognitionem vero causæ, opus est, ut poenitens, qui est sui accusator, aperiat omnia, & singula peccata lethalia, non solum confuse, & generatim, sed in particulari, & singillatim, distinguendo species, numerum, & necessarias circumstantias, quas nisi compertas habeat sacerdos, nequit exacte de illis judicare, & æquam vel retentionis, vel absolutionis ferre sententiam.

CXXXVI. Confessio potest etiam esse peccatorum venialium, in quæ frequenter labimur; quibus tamen gratia Divina non amittitur, & quamquam non sine magno spiritali profectu, ea confiteri quis possit; & ab iis absolvi, nulla tamen nos urget obligatio ea confitendi, ac sine culpa omitti possunt, alia ratione, pluribusque aliis mediis remitti. Tertius poenitentis actus est satisfactio pro peccatis juxta sententiam Confessarii: quæ satisfactio potissimum exhibetur per orationes, jejunia, & eleemosynas; unde tenetur poenitens adimplere impositam a Sacerdote poenitentiam, qui veluti Judex Dei vice eam imponere debet, quam necessariam judicaverit, eamque non solum salutarem, cujus ope poenitens in posterum caveat a peccatis, verum etiam, qua præterea expiet, & statutas a judice suæ conscientiæ poenas Deo persolvat. Quod poenitentiæ genus præcipuum est in hoc, de quo agimus, Sacramentali judicio. Forma istius Sacramenti hæc est: *Ego te absolvo*: quibus verbis necessariis ad essentiam Sacramenti, hæc alia de more addit Ecclesia, *a peccatis omnibus in Nom. Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* necnon continuo preces aliquas subnectit, quæ licet ad formæ substantiam non pertineant, sunt tamen poenitentibus valde proficuæ & salutares: prolatione itaque formæ peccata remittuntur, tam quæ quis confitetur, quam quæ post diligens examen memoriæ non occurrunt. Hæc tamen ita eadem confessione includuntur, ut superfit onus in poenitente ea aperiendi Sacerdoti, si in memoriam redeant: neque enim sunt adhuc manifestata in confessione: Peccata autem sunt instar catenæ animam ligantis, quæ non aliter solvi potest, quam per legitimam Saerdotis absolutionem; qua fit ut tam de peccatis, quæ vel per Contritionem perfectam cum Voto confessionis adjuncto delentur, vel quæ in prærerita confessione fuerunt citra culpam oblita, & indirecte condonata, quam demum de iis, quæ ad plenius suæ conscientiæ satisfaciendum poenitens iterum, iterumque ut fit, clavibus subiicit, quantumvis jam olim remissa, denuo condonata esse declaretur.

Minister hujus Sacramenti est sacerdos auctoritatem habens absolvendi, sive ordinariam, ut præsules, sive a superiore delegatam, ut ii qui ab illis sunt approbati. Effectus Sacramenti est absolutio, ac remissio peccatorum commissorum post Baptismum, quamobrem aptissime Sacramentum Poenitentiæ a sanctis doctoribus vocatur secunda tabula post naufragium: quia amissa gratia quæ nobis in Baptismo confertur ob mortale peccatum, & post factum gratiæ, virtutumque omnium, ac donorum, quæ ipsam comitantur, infelicissimum naufragium, unum tantum superest remedium ad salutem, tabula nempe poenitentiæ, & Sacramenti Confessionis; etenim sine illo, aut in re accepto, aut in voto, & ex contritione, quam includit cum proposito confitendi peccata, cum præcipit sancta Mater Ecclesia, non possumus æternam salutem adipisci, nec intrare in Regnum Coelorum. Ex quibus fit hoc Sacramentum, tanquam unicum remedium, quod suppetit lapsis post Baptismum, & in pretio habendum esse, & magna cum reverentia frequentandum.

DECRETUM I.

CXXXVII. Cum integra peccatorum omnium sacramentalis confessio necessaria sit Jure Divino omnibus, qui post Baptismum peccatum lethale commiserunt, obligat sancta mater Ecclesia cunctos fideles christianos sub peccato mortali, ut dum ad rationis usum pervenerint, saltem singulis annis semel confiteantur tempore quadragesimæ, & Paschatis Resurrectionis, necnon Eucharistiam suscipiant, si ad illius susceptionem fuerint idonei: a piorum communione, & societate segregatos declarando, qui huic præcepto contumaciter non pa-

(a) An sit obligatio confitendi circumstantias aggravantes tantum; varie judicant Theologi: tutius tamen id fit.

(b) Quod Joan. Morinus *de Poenit. editionis Paris. an.* 1650. scripsit de confessionibus antiquitus a laicis exceptis, quibus id liceret in extrema necessitate non secus ac baptismum conferre, retractatum & explicatum fuit ab ipso. Joinvillæus refert in Vita S. Ludovici Galliæ Regis, quod in regressu a terra Sancta, valida suborta tempestate, sibi mutuo factas confessiones exceperint navigantes. Vide Vigneul. de Maruille *tom.* 1. *Melanges pag.* 345.

parent. Præceptum (*a*) hujuſmodi non fuit adhuc ita in uſu in hoc Epiſcopatu, ut qui ad Pœnitentiæ Tribunal ad hanc uſque diem acceſſerunt, putaverint ſe annuæ confeſſionis præcepto aſtringi, imo plurimi ab ea ſe prorſus abſtinuerint; quæ duo, defectui neceſſariæ inſtructionis, circa ſalutare hoc Sacramentum, ejuſque neceſſitatem, adſcribi debent: defectus vero hic ortum habuit ab eorum temporum iniquitate; regebatur enim Eccleſia hæc ſchiſmaticis Chaldæis, hæreticis Neſtorianis, juraris hujus ſacramenti hoſtibus. Nil mirum itaque, quod neceſſitas, vis, & efficacia hujus ſacramenti ignoraretur; quodque licet aliqui, iique pauciſſimi, eo uterentur, alios tamen ab illius uſu abſterreret fallaciſſima opinio, qua callidiſſimis tentatoris fraudibus irretiti putabant, ſe poſt confeſſionem ſtatim morituros, quæ omnia conſtiterunt Illuſtriſſimo Metropolitano, qui cum primo ſuas eccleſias peragraret, & in ſuos ſubditos, prout ſui muneris ratio poſtulabat, inquireret, errores tam pernicioſos, ſtygiaſque ſuperſtitiones ut evelleret, ſumma ope contendit, ingentemque multitudinem, tum eorum qui rariſſimè, tum eorum, qui nunquam confeſſione uſi ſunt, ad frequentem illius uſum induxit. Ut ergo prædictis omnibus animarum damnis ſacra Synodus proſpiciat, declarat, quemcumque Chriſtifidelem, rationis uſu pollentem, obligari præcepto eccleſiaſtico annuæ confeſſionis, fundato in ipſo præcepto divino, idemque præceptum ſervari debere tempore ab eccleſia ſtatuto; quamobrem mandat ut omnes fideles Chriſtiani utriuſque ſexus, dummodo ad rationis uſum pervenerint, ſuo proprio vicario, vel ſacerdotibus, qui a ſuo præſule facultatem acceperint, confiteantur tempore quadrageſimæ, & Paſchatis Reſurrectionis; quicumque vero præceptum non adimpleverit, nec confeſſionem fecerit ab initio quadrageſimæ, uſque ad ſecundam Dominicam poſt Paſcha, a chriſtifidelium communicatione ſegregatus declaretur a vicario in Eccleſia abſque alia monitione Præſulis, quouſque revera confiteatur, aliiſque pœnis eorum refrænetur contumacia, quas ipſe opportunas judicaverit. Quod ſi vicariis viſum fuerit graves ob cauſas aliquibus tempus præſcriptum prorogare, poterunt ipſum protendere uſque ad Pentecoſten, prout decretum fuit Actione V. Dec. II. de Sacram. Euchariſtiæ; curent tamen, ut prius omnes admoneant, notumque ſit omnibus, eos, qui tali tempore in ſilvis degerint, vel navigaverint, vel alibi, ubi nulla fuerit eccleſia, & opportunitas ſuſcipiendi ſacramentum pœnitentiæ, negotia geſſerint, ad propria reverſos, quocumque anni tempore, præcepto cogi ad ſacramentum Pœnitentiæ intra menſem ſuſcipiendum.

CXXXVIII. Et quo hæc omnia facilius, & cum effectu executioni mandentur, ut æquum eſt, teneantur eccleſiarum Vicarii per menſem ante Quadrageſimam, eoque amplius, ſi opus fuerit, Pagum integraſque Parochias excurrere, nec non fidelium domos ad eas pertinentes, etiam eorum, qui longe in Silvis degunt, per ſe vel alium Caſſanarium, cujus fidei poſſit munus hoc tuta coſcientia committi, & in codice nomina ſcribere Fidelium omnium, qui nonum ætatis annum expleverint, non ſolum autem Dominorum, ſed etiam Mancipiorum, omniumque, qui ad unamquamque familiam pertinent, immo etiam eorum, qui abſunt, notando, an poſt elapſum tempus præſcriptum ad ſatisfaciendum præcepto, ſint regreſſuri, facto deinde cunctorum catalogo, dum eorum confeſſiones exceperint, illorum nomina ſignent, qua ratione ipſis compertum erit, quinam præceptum impleverint, qui vero ſecus, quos cogent ad illud implendum, & ſi contumaces fuerint, anathemate ferient; ipſique Vicario indicimus, id eſſe ſui muneris, cum paſtor teneatur cognoſcere oves ſuas, ut eas paſcat, & quantum potuerit indigentiis earum, tum ſpiritualibus, tum temporalibus proſpicere, eaſque inſuper in numerato habere debet, ut ſciat quot pereant: poterit catalogus hic commode confici (*b*) ad Mononobio, ubi omnes Chriſtiani eccleſiarum conveniunt: atque ibidem notitiam ſibi comparare eorum, qui in Silvis degunt: qui vero aliis approbatis confeſſariis fuerint confeſſi, ſchedam ferant ab iis ſubſcriptam, qua de confeſſione cum iis peracta conſtet, quamque Vicario exhibeant, ut per ipſam impletionis præcepti certior factus, eos in catalogo noter; at licet aliis valeant confeſſariis, & alibi confiteri, Euchariſtiam tamen, hoc præcepti tempore Quadrageſimali, nuſquam niſi in propria parochia ſuſcipere poſſunt; Præſules autem in viſitatione de hujusmodi Catalogo inquirant, ac de iſtius decreti obſervantia certiores fiant.

DE-

(*a*) Loquitur ſynodus de noviſſimis temporibus; nam antiquiori ævo, & paulo ante ſynodum, confeſſionem in uſu fuiſſe apud illos Chriſtianos dicemus in Diſſert. de moribus Chriſt. S. Thom. de quibus Joſephus Indus Romæ teſtabatur dicens: *confitentur ut nos; Euchariſtiam ſumunt &c.* ſed neque apud Indos omnino deſierat. Etiam apud Neſtorianos conquerebatur eorum patriarcha Sulaka & Joſephus II. fere abrogatam eſſe confeſſionem; agente, ut videtur, Simeone Barmamam; idem fecerant in Aegypto ſæculo duodecimo tres Coptorum patriarchæ, nequidquam reclamantibus eorum doctoribus, & Syris Jacobitis. Recentes autem epiſcopi Chaldæi e Babylonia miſſi ad Indos Malabarenſes, hunc confeſſionis auricularis horrorem illis ingeſſerunt; ceterum apud omnes omnino Chriſtianos, hujus ſacramenti nota fuit fides & diſciplina: immo Chriſtiani noſtri Malabarenſes poſt celebrationem ſynodi, ejuſque Decretorum obſervantiam, luculentiſſimo experimento didicerunt, quam ſalubre atque proficuum ſit pœnitentiæ ſacramentum; cum enim antea plures apud eos eſſent Energumeni, vix jam unus inter illos reperitur, ut teſtatum facit Vincent. Mar. *Viagg. all' Ind. lib. 2. cap. 6.*

(*b*) *Ad Mononoibo* aut *Mononobo* id eſt, per illos dies ante quadrageſimam, ubi omnes Chriſtiani ad eccleſiam etiam e ſilvis accedebant: vide ſupra *Dec.* 13.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM II.

CXXXIX. Cum præceptum confessionis omnes obliget, rationis usum habentes, & conscientiam de peccato mortali; cumque ad rationis usum aliqui citius, aliqui serius perveniant, synodus, cui satis comperta est indoles Malabaricæ gentis, decernit, ut post octavum ætatis annum teneantur pueri præcepto annuæ confessionis, quo tamen decreto non prohibet, ne citius ad salutare poenitentiæ sacramentum accedant: Immo si Vicarii noverint ita rationis usu, ante præstitutum tempus pollere, ut lethalis noxæ capaces videantur, multoque magis, si ipsis de aliqua lethali noxa a puero commissa constiterit, ipsum ad confessionem cogant, quamvis illam nondum ætatem attigerit, nam in tali casu ecclesiæ præcepto obstringuntur, de qua re tamen judicium ferre, sit penes parochorum arbitrium.

DECRETUM III.

CXL. Admonet synodus patresfamilias, & quoscumque de aliis curam gerentes, ut plurimum curæ, ac diligentiæ adhibeant in exigenda præcepti annuæ confessionis observantia a sua familia, ac præsertim a pueris, puellisque captivis, aliisque eorum servitio deputatis. Qua in re satis compertum est, eos antehac deliquisse, nec suos, ut par erat admonuisse. Meminerint, se gravis culpæ reos esse, si id omittant, districtamque Deo rationem reddituros, dicente Apostolo Paulo (*a*): *qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*; quæ verba potissimum locum habent, ubi agitur de necessitatibus spiritualibus suorum domesticorum, rebusque ad eorum salutem æternam pertinentibus. Negligentiam dominorum solertia sua compensent vicarii, & ad confessionem compellant, præfatos captivos, juxta numerum eorum in catalogo descriptorum, & contumaces anathemati subjectos declarent, non secus ac alios; admoneant tamen prius Dominos, ut captivis suis confessionem, ea qua pollent, auctoritate, severe injungant, eosque certiores faciant de censura postea infligenda, nisi accesserint. Qui vero hac in re negligenter se gesserint, ad præsulis arbitrium punientur.

DECRETUM IV.

CXLI. Ceterum non solum debent fideles christiani lethalis culpæ conscii confiteri semel in anno, verum etiam quoties in probabili vitæ discrimine constituti, aut gravi ægritudine correpti fuerint; dum itaque id contigerit, curet æger ipse, ipsique assistentes, sive in pagis, si e in silvis degerint, ut sacerdos approbatus quæratur, qui suam confessionem audiat, atque ecclesiæ propriæ vicarius de hac re certior fiat, qui vel per se ipsum, vel per alium a se deputatum, confessionem ipsius excipiat; meminerint quoque vicarii, sui esse muneris de hujusmodi ægrotantibus inquirere; eorumque confessiones per semetipsos, aut per alios excipere, quocumque locorum vocati fuerint, & quocumque tempore quæsiti, ut nullus absque poenitentiæ sacramento decedat; neve ob eorum criminosam negligentiam, reos se alienæ damnationis apud divinum judicem constituant, si in causa sint, ut oves eorum curæ commissæ pereant: vicarius autem, cujus culpabili negligentia e sua parochia aliquis non confessus decesserit, suspensus ab ordinibus maneat, necnon a perceptione fructuum per annum, sine ulla remissionis spe, aliusque pro eo deserviat: ille vero, cujus curæ æger fuerit commissus, & negligentiæ convictus fuerit in parocho vocando, ad præsulis arbitrium cum rigore puniatur: qui autem, sive in Pagis, aut extra in silvis sine confessione decesserint, eo quod eam eam ipsi non petierint, nec sacerdotem vocaverint, nisi mors ex improviso, aut adeo celeriter eos corripuerit, ut nullum ad id spatium permiserit, ecclesiastica careant sepultura, neque Cassanarii ad ipsorum domum accedant, nec justa funebria, & pia funeris officia, aut *Chata* (*b*) ipsis erogentur.

DECRETUM V.

CXLII. Sed neque sola ægritudine gravi decumbentes, verum & in quolibet alio vitæ discrimine constituti, tenentur fideles Christiani obligatione sua peccata confitendi: Unde cum mulieres vita periclitentur in partu, (*c*) ipso imminenti confiteri debent, & Eucharistiam accipere, si hujus capaces sint, quod potissimum servari debet, si partus fuerit primus, in quo majus est vitæ discrimen; si vero non confessæ moriantur, (dummodo partus celerius, quam cogitabant, non advenerit) aut in præ-

(*a*) Epist. *ad Timot. cap. 5. v. 8.*

(*b*) Quid sit *Catha* vide in Syllabo exoticarum vocum.

(*c*) In constitutionibus Provincialibus S. Edmundi Cantuarienſis *anno circiter* 1236. præcipitur *cap. 37. ast Mulieres ante partum confiteantur, ne subito præoccupata &c.* In Decretis item Concilii Provincialis *Mediolan. 6. num* 10 statuitur, quod *Mulieres proxime paritura confiteantur*; & quod *frequentius* tunc sumant Eucharistiam: optandum sane est, quod Parochi in id incumbant atque satagant.

ANNO CHRISTI 1599.

præsenti periculo constitutæ confessionem non petierint, deque ipsarum negligentia constiterit, maxime si in Pagis degerint, non aliter agendum est cum ipsis, ac cum aliis, qui ob culpabilem incuriam absque confessione obeunt.

DECRETUM VI.

CXLIII. Cum constet synodo, quamplures ex iis, qui Variolarum, vel Pustularum morbo laborant, quamplurimos etiam in Pagis sine confessione, quamvis illam expetant, miserrime decedere, eo quod morbus hic contagiosus, & pestifer censeatur, eaque de causa sacerdotes ad illos accedere vereantur; plurimum commendat, & jubet vicariis, ut quam maxime curent, (a) ne ægroti hujusmodi absque confessione moriantur, sed vel per se, vel per alios eorum confessiones audiant. Interim tamen licet ipsis propriæ incolumitati consulere, audiendo confessiones, vel ex loco aliquantulum distante ab ægroto, vel etiam, si fieri possit, per quem non reflat, sed flat ventus, neque hac ratione tantum, sed alia quacumque possunt sibimet prospicere, dummodo id ipsis in primis cordi sit, ne absque sacramentalis confessionis remedio ægroti moriantur, quod ipsis iterum, iterumque Sacra synodus inculcat.

DECRETUM VII.

XLIV. Hortatur etiam synodus fideles christianos, hujus dioeceseos incolas ad suscipiendum poenitentiæ sacramentum, non solum semel in anno, quando urgentur præcepto ecclesiæ, sed etiam pluries (prout pluries in peccata labimur) præsertim in festis nativitatis Domini, Spiritus Sancti, Assumptionis Dominæ nostræ, & titularis parochiæ, & de suscipiendo hoc sacramento solennioribus hisce diebus, vicarii die Dominica, quæ immediate præcedit hæc festa, populum admoneant.

DECRETUM VIII.

CXLV. Declarat synodus, non omnes Sacerdotes, quamvis potestas remittendi peccata sit ordini sacerdotali annexa, non omnes, inquam, posse confessiones audire, sed eos solum, quibus præsul hanc facultatem in suas oves dederit; cum enim actio absolvendi actus sit jurisdictionis, exercendique judicii, hoc exerceri non potest nisi erga subditos, quos simplices sacerdotes non habent, sed ipsis a præsule assignantur, dum iis audiendi confessionem facultatem impertitur. Quia tamen Præsules in commune ovium suarum bonum restrictiones aliquas concessioni adjungere consueverunt, si sacerdos, vel absque facultate, vel ultra terminos præscriptos absolvit, invalide absolvit, nec poenitenti remittuntur peccata: quamobrem debet poenitens rursus illa confiteri sacerdoti absolvendi facultatem habenti, quod si poenitens fuerit in vitæ discrimine constitutus, & nullus adsit sacerdos ad confessiones approbatus, quicumque sacerdos, etiamsi approbatus non fuerit, confessionem audire, ac absolvere poenitentem potest.

DECRETUM IX.

CXLVI. Cum ad bonum ecclesiæ regimen, populique christiani plurimum conducat, de quibusdam gravioribus criminibus, non a quocumque sacerdote, sed a majoribus, vel etiam pontificibus judicium ferri, non solum, ut juxta gravitatem morbi peritiores, & excellentiores medici adhibeantur, verum etiam, ut fidelis populus ab enormibus sceleribus absterreatur, omni tempore mos fuit in ecclesia, ut præsules, immo summi pontifices judicium de aliquibus criminibus sibi reservarent, atque adeo nullus præter ipsos, aut alius quispiam ab ipsis specialiter delegatus, a prædictis criminibus possit absolvere. Quapropter synodus optime sciens, doctrinam hanc fuisse hactenus ignoratam in hoc episcopatu, ob inscitiam morum ecclesiæ sacrorumque canonum, ut pernicioſam hanc ignorantiam procul amoliatur, declarat ordinarios sacerdotes, ad audiendas confessiones deputatos, absolvere non posse a casibus prælato reservatis, multoque minus a casibus reservatis papæ, ac potissimum ab illis, qui in bulla coenæ continentur, quos probe scire, & præ manibus habere, sui muneris est; sed neque absolvere possunt a crimine hæresis, & casibus ad fidem pertinentibus, cum hæc ad sacræ inquisitionis tribunal pertineant, aut ad alios de ipsius licentia; vel ad episcopum, qui ab iis absolvere poterit ad normam concilii Tridentini, ac juxta sanctorum patrum sanctiones. Itaque, qui communiter sunt ad audiendas confessiones deputati, ab iis absolvere nequeunt, sicuti nec relaxare, aut commutare vota poenitentium, cum hoc pertineat ad præsulem, vel ad alium, cui specialiter commissa fuerit hæc facultas, vel qui ex indulto apostolico illam habeat: ceterum in mortis articulo, non tantum ii, verum etiam alius quilibet simplex sacerdos, deficientibus iis, ad quos vel jure suo, vel ex speciali commissione id pertinet, absolvere poterit ab omnibus casibus, & censuris cuicumque reservatis, cum onere tamen comparendi, si convaluerint, quoad censuras, coram illis, quibus erant reservatæ, ut salutarem poenitentiam sibi bene visam pro eis accipiant.

DE-

(a) Solicitam exigit curam Parochorum contagii tempus: *Sanctissimi Viri* [ait S. Carolus Borromæus] *scripserunt, mortem in obsequio pestiferorum, a martyrii gloria non longe abesse*. Vide Raynaud *Tract. de Martyr. per pestem*. De modo autem, quo se gerere debent Episcopi, Parochi & Consules Reip. omnino videnda sunt statuta *Conc. V. Mediolan. per sanctum Carolum Borrom part. 2.*

DECRETUM X.

ANNO CHRISTI 1599.

CXLVII. Ut vero ſacerdotes noſcant, a quibus caſibus poſſunt, & debent poenitentes abſolvere, ac in quibus jurisdictione carent; jubet ſynodus in cujuſlibet Curialis eccleſiæ Sacello, ac ubi hoc non fuerit, in majori Cappella, Tabellam a vicariis appendi, in qua traſcribantur bulla in Coena Domini, caſuſque reſervati in hoc epiſcopatu, literis Malabaricis, ut ex illa, qui confeſſiones audiunt, ſciant intra quos terminos Jurisdictionem ſuam exercere poſſint: præterea ſynodus veterem diſciplinam hac ſuper re, in meliorem formam redigens, caſus reſervatos hujus epiſcopatus declarat, eſſe hujuſmodi: homicidium voluntarium notorium, etiam quoad complices: manus violentas in perſonas eccleſiaſticas iniicere: Incendium domorum, aut facultatum Chriſtianorum voluntarium; Simoniam formalem tam in dante, quam in accipiente: Matrimonium ſine parochi præſentia, ac duobus teſtibus: Schiſma, ac inobedientiam adverſus Præſides promovere, etiam quoad ſequaces: libros a ſynodo prohibitos apud ſe habere, aut eoſdem legere: ceremonias publicas facere, quas vocant: *Tuliconu* (*a*) *Caliconu*: pagodes, aut Idola domi habere, vel eorum res cultu proſequi: quibus omnibus cenſura excommunicationis eſt annexa, & quamvis eorum aliqui a jure ſint reſervati, adnotantur tamen hic, quo clarius dignoſcantur.

DECRETUM XI.

CXLVIII. Cum excommunicationis ſententia, maxima ſit inter eccleſiaſticas cenſuras, gladiuſque eccleſiæ aliis formidabilior, qui non imprudenter, ſed caute admodum ac prudenter diſtringi debet: reprobat ſynodus nimiam facilitatem, qua ob levia, & futilia quæque, multoties in hoc epiſcopatu ferebatur: necnon jubet, ultra non imponi, niſi ob res graviſſimas, ac maxima cum circumſpectione; nec tantum verſu ſed & ſcripto; unde reiicit, quod mandatum erat in hoc epiſcopatu, nimirum, quod aliquibus in caſibus abſolutio nunquam in toto vitæ ſpatio, immo in aliquibus aliis, nec in Mortis (*a*) articulo conferretur; quod eſt chriſtianæ caritati adverſum, & eccleſiæ regulis, quæ tanquam pleniſſima Mater, omni tempore vere poenitentes ſuſcipit, nec unquam oſtium ſalutis ſuis obſerat filiis. Quantumcumque igitur gravia, ac enormia ſint crimina, Poenitentes quantum in ipſis eſt ad reconciliationem cum Deo, & Eccleſia cupide aſpirantes, exhibenteſque veræ poenitentiæ ſigna, & quidquid ipſis impoſitum fuerit exequentes, benigne ſemper recipiantur, & in foro ſaltem interno, & ſacramentali abſolvantur: ad terrorem tamen aliorum, quia in hoc Epiſcopatu, utpote ſub Regibus Paganis, alia præter excommunicationem, & excluſionem ab eccleſia poena non ſuppetat, cum Sacramentaliter, & in foro interno abſolutis ſe gerant alii, tanquam cum ſegregato a communione fidelium in foro externo; arceantur itaque ab ingreſſu in eccleſiam, nec Sacerdotes eorum domos adeant, aut ipſis exhibeatur *Caſture*, [*b*] quandiu præſuli viſum fuerit: idquæ vel ad longius tempus, juxta majorem criminis gravitatem, ut ita caveri poſſit, & frænum aliquod iniiciatur effrenatæ licentiæ Incolarum hujus dioeceſeos in aliquibus perpetrandis facinoribus, maxime homicidiis, ac ceremoniis *Tuliconù*.

ANNO CHRISTI 159[illegible]

DECRETUM XII.

CXLIX. Quoniam inſcitia eorum, qui confeſſiones excipiunt in cauſa eſt, ut poenitentes ad poenitentiæ Tribunal rarius accedant, ipſiſque in ſui muneris adminiſtratione errantibus, in Chriſtifidelium coetu perturbationes non paucas oriri neceſſe eſt, ſynodus, cui plane conſtat, plures imperitos, & idiotas, confeſſiones audire, præcipit ne in poſterum ullus audeat Sacerdos confeſſiones audire, quin prius a præſule ſuo facultatem ſcriptam obtinuerit; qui eam nullo modo dabit, niſi antea literati viri, qui variis interrogationibus doctrinam ipſius explorent, de illius ſufficientia Judicium ferant; & quandiu præſul hinc eccleſiæ non præficiatur, qui perturbatas illius res apte componat, prout ſibi in Domino videbitur, committit ſynodus examen, ac approbationem eorum, qui Sacras confeſſiones excipere debent, iſtius epiſcopatus, patribus Societatis Jeſu collegii de Vaipicota hujus dioeceſis; quorum examine, & approbatione, accedente inſuper conceſſione Gubernatoris, per illuſtriſſimum Metropolitanum inſtituendi in hoc epiſcopatu, confeſſiones excipere poterunt, cum exceptionibus graviorum criminum, ipſi facultati ſcriptæ apponendis; qui vero in præſentiarum munus excipiendi Sacras confeſſiones exercent, examen ſubeant de mandato ipſius Domini Metropolitani, tempore viſitationis inſtituendæ: Caſſanarii etiam, qui in

(*a*) Peculiares ſunt ritus, quibus Numina Malabarica colebantur; nec ampliorem eorum lucem nacti ſumus. Vide Crozæum *lib. 6.*, & Auctorem elegantiſſimi operis *Ceremonie de toutes les Nations tom. 1. part. 2. Edition. Amſtelodam, anni 1722.*

(*b*) Poenitentes non ſuſcipere Catholicorum non eſt, Innocent. I. *Epiſt. 3.* ait: *Poenitentiam & communicationem, qui in extremo vitæ petunt, poſt vitam omnem in voluptatibus incontinentiæ tranſactam, detur ipſis, inſtar Viatici*; notanda eſt reſtrictio: nec enim ideo ad communionem eccleſiæ admittebantur, ſi convaleſcebant, niſi prius poenitentiam abſolverent; nec extrema unctio illis ante Viaticum miniſtrabatur, ut aliis, ſed poſt: ubi non minus notabilia ſunt verba ejuſdem Innocentii *Epiſt. 1.* dicentis: *Oleum Sanctum genus eſt Sacramenti; idcirco non poteſt infundi poenitentibus*: At eccleſiæ univerſalis mens ea fuit, ut nulli in eo articulo abſolutio denegetur. Adeas *Notific. 22.* Sum. P. Bened. XIV.

(*c*) Vide harum vocum explicationem in Indice Voc. Exotic.

in parochos eligentur, & Vicarios, prius, servata nuper præscripta forma, prævio examine approbentur: ex quibus siqui insufficientes deprehendantur, in vicarios instituti non valent, cum eorum munus sit, suas Oves erudire: omnes vero quotquot prædicto modo approbati non fuerint, a munere audiendi confessiones per synodum suspenduntur, quousque re ipsa examen subeant, & approbentur; si vero aliqui sacerdotum (quod Deus avertat) absque hujusmodi facultate confessiones exceperint, præterquam in mortis articulo, ubi sacerdos approbatus in promptu non sit, ab ordinibus, & emolumentis per annum suspendantur, ac insuper juxta sui delicti contumaciam puniantur; moneanturque poenitentes, ut apud sacerdotem approbatum præteritas iterent confessiones.

DECRETUM XIII.

CL. Ob penuriam sacerdotum, scientia ac sufficientia pollentium in hoc episcopatu, admittit synodus, tamquam approbatos in eodem, omnes, qui in aliis episcopatibus ad confessiones audiendas approbati fuerint, si tamen linguam Malabaricam regionis (*a*) tenuerint; necnon Præsul tempore Quadragesimali iis in subsidium parochorum uti poterit, si opus fuerit, & præsertim sacerdotibus episcopatus ejusdem, in Cochim residentibus.

DECRETUM XIV.

CLI. Vehementer improbat synodus sacrilegam sacerdotum insciti am, qui dum confessiones excipiebant aliquorum de commissione præsulis, aut alterius ejus vices gerentis, aut præsente ipso, post audita poenitentium peccata, eos ad præsulem ipsum adducebant (*b*), quo eos in eodem foro sacramentali absolveret; id quod ipsi illustrissimo Metropolitano contigit, quodque alicubi fieri ipsemet vidit: itaque docendo, declarat, nullum alium absolvere posse poenitentem in sacramentali foro, præter sacerdotem ipsum, qui ejus audivit peccata; cum enim ipse sit Judex, qui in eum sententiam, postquam reus ipse semet accusavit, ferre debet, ejus est solius, absolutionis sententiam pronuntiare; contrarium vero error est supinus, ac manifestus.

DECRETUM XV.

CLII. Quoniam aliqui Confessarii indocti ad legendum Evangelia, ac super ægrotantes christianos precandum, iisque, dum animam agunt, benedicendum vocati, stulte prorsus formam absolutionis Sacramentalis proferunt dicentes: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris &c.* Animadvertit ac monet Synodus, ut in posterum ab hac insipienti adeo consuetudine abstineant, quæ plane gravissimo sacrilegio non vacat, cum per illam, Sacramenti forma indebite applicetur. Itaque legat tantum Evangelia, ac orationes approbatas cum benedictione in fine: *in nomine Patris &c.*

DOCTRINA

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CLIII. QUintum sacramentum est Extrema Unctio, (*c*) cujus materia oleum est olivarum, ab Episcopo benedictum; quæ ita appellatur, quoniam unctionum omnium sacrarum, a Christo Domino nostro in Ecclesia sua institutarum, quas recipit christianus, extrema est. Conferendum est hoc Sacramentum ægro adulto, cui mors imminet, quique in probabili ipsius periculo versatur. Ægrotus inungi debet a Sacerdote, qui solus est hujus sacramenti minister. Unctio fieri debet in organis sensuum præcipuis, quibus Deum offendit; nimirum in oculis ob peccata visus; in utraque aure ob peccata auditus; in manibus propter ea, quæ peccavit per sensum tactus; in ore propter peccaminosas locutiones, & intemperantiam gustus; in utroque pede propter peccaminosum incessum, in lumbis demum, ac renibus, ob sensualis delectationis ibi residentis peccata; singula igitur hæc membra sacerdos ungere debet, signum Crucis efformando pollice, qui sit oleo sancto delibutus, dicendo simul verba formæ; scilicet. *Per istam sanctam unctionem, & suam pissimam misericordiam,*

(*a*) In concilio Mexicano cautum est: *Confessiones Indorum, defectu peritiæ in lingua Indica ne dimidiatæ audiantur*: sub hac tamen limitatione. *Quod si aliquid ad poenitentiæ substantiam necessarium, a poenitente intelligere non possit* (Confessarius) *eum ad alium sacerdotem, in ea lingua peritiorem, remittat.* Concil. Mexic. *a.* 1585. *lib.* 5. *Tit.* 12. §. 5.

(*b*) Non absimilem rem accidisse ferunt P. Francisco Suares doctori eximio, in Hispania: nec aliud exemplum in promptu est, nisi illud forte ab hæreticis Hollandiæ accipiamus, quorum unus in baptismate conferendo aquam infundit, dum alter e suggestu dicit: *Ego te baptizo &c.* quasi ista verba sint tantum concionatoria & ad excitandam fidem instituta. In ecclesia autem orientali, dum feminis conferebantur sacramenta baptismi, & extremæ Unctionis sacerdotes proferebant formam, & diaconissæ peragebant unctiones, & signa; idem inter Græcos, ne accideret in conferenda extrema unctione, ut presbyteris proferentibus formam, alius ungeret ægros, cautum est nuperrime a Bened. XIV. Constitut. *Et si pastoralis anno* 1742. at alia & longe dispar ratio adest in sacramento poenitentiæ, prout indicat synodus, ut unus idemque audiat peccata, & absolvat.

(*c*) Nullum movere debet quod superius *in adnot. ad Dec. XI. ex epist.* 1. *Innoc. I.* dixerit papa: Extremam unctionem *genus esse Sacramenti*; quasi non esset re vera Sacramentum, aut quod ita putaretur illius ævo, nimirum anno 416. quo epistolam dedit; ipse enim mentem suam aperuit, dicendo post illa verba: *Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Unde ut nos genus *Sacramentum* statuimus in septem species distributum, ille genus id fecit universalissimum, divisum in septem genera subalterna.

ANNO CHRISTI 1599.

indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti; & sic deinceps iterando formam, & exprimendo membrum, quod inungitur. Effectus hujus sacramenti salus est, potissimum animæ, & etiam corporis, si expediens fuerit. Peccati etiam reliquias, si quæ fuerint, Sacramentum hujusmodi abstergit, infirmi animam alleviat, ipsamque roborat, excitando ingentem de divina misericordia fiduciam, qua recreatus æger, patientius infirmitatis molestias sustinet, ac facilius Diaboli tentationibus, insidiisque resistit, quas tentator in extremo illo vitæ, ac mortis confinio vehementius urget. Hæc omnia insinuantur in epist. Canonica (*a*) Divi Jacobi Apostoli, ubi dicit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & Dominus alleviabit eum; & si in peccatis fuerit remittentur ei.* Per postrema igitur verba: *Remittentur ei*, indicatur virtus hujus Sacramenti ad conferendam gratiam, qua remittuntur peccata. Per ea verba *infirmatur quis in vobis*, designatur tempus, quo tale sacramentum suscipi debet, nimirum gravis ægritudinis. Per verba sequentia: *Inducat Presbyteros ecclesiæ*, innuitur, solos sacerdotes ministros esse hujus Sacramenti. Per ea quæ immediate subnectuntur: *& orent super eum, ungentes oleo in nomine Domini*, assignatur oleum benedictum tanquam materia; & forma consistens in verbis deprecatoriis. Demum per hæc verba: *Dominus alleviabit eum*, exprimitur effectum hujus Sacramenti esse etiam salutem corporis, si hæc ad salutem animæ sit profutura. Quamobrem, cum sacramentum hujusmodi institutum sit pro infirmis, nullus non graviter ægrotans illud suscipere potest, qui vero semel illud susceperit, si deinde saluti restitutus, rursus in gravem morbum incidat, rursus tali sacramento muniri poterit, eo enim spectat illius institutio a Christo Domino facta, ut per ipsum roboremur, quandocumque nobis instat (*b*) extremum vitæ periculum.

A

B

C

DECRETUM I.

ANNO CHRISTI 1599.

CLIV. Cum hactenus in hoc episcopatu nullus fuerit usus Sacramenti Extremæ Unctionis (*c*), immo ex ignoratione catholicæ doctrinæ, nulla de eo, ejusque effectu, & efficacia, nec de ipsius institutione notitia habita fuit: plurimum commendat synodus cunctis fidelibus hujus sacramenti usum, atque adeo præcipit vicariis, ut diligenter inquirant in ægrotos suæ Paroeciæ, tam Pagos, quam Silvas incolentes, & opportuno tempore, nimirum in supremo vitæ discrimine deferant ad ipsos Sanctissimum Unctionis Sacramentum, illis conferendum, juxta normam ceremonialis Romani, cujus translatio Syriaca in omnibus servetur ecclesiis, & ad manus sit sacrorum ministrorum: ungant itaque ægrotos, describantque oleo sancto signum crucis super ambos oculos clausos, & primo quidem super palpebram dexteri, deinde sinistri, utramque pariter aurem, & nares, & oris clausi labia inungant, itaut oleum tangat utriusque labii confinium. Quod si æger tali morbo decumbat, ut os claudere sine periculo nequeat, ungatur, & signetur labium superius; Ungi, & signari pariter debent manuum volæ, & pedum plantæ, postremo lumbi, versent tamen suavi manu ægrotum, nec partes hujusmodi ungant, plusquam opus fuerit, ad signum crucis in illis sacra unctione describendum; animadvertant etiam sacerdotes, in isto, sicuti in ceteris Sacramentis, necessarium esse applicare simul materiam, & formam, itaut dum membra inungunt, verba formæ proferant; quod si contigerit ægrum exspirare dum ungitur, idque constiterit, non ultra sacerdos progrediatur; vicarius autem, ex cujus negligentia, aliquis ex Paroecia sine hujus Sacramenti præsidio decesserit, suspendatur per semestre ab ordinibus, ac emolumentis

DE-

(*a*) Peropportune institutionem hujus Sacramenti explicavit concil. Senonen. *anno* 1528. *in Decretis Fidei num. IX.* inquiens: *Ad unctionis extremæ Sacramentum Christus manuduxisse primum videtur, cum apostoli oleo ungerent multos infirmos, & sanarentur. Neque enim in suo sensu, sed Præceptoris instituto fecisse, putandi sunt. Sed ne hic noster ungendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen Sacramentum esse videretur si quis infirmatur* (inquit Jacobus) *in vobis &c.* & ponit laudata a nostra synodo verba *ex ep. Canon. Jacobi cap.* 5. Unde ista unctio non fuit a Jacobo instituta, sed a Christo, ejusque tantum ritus, & effectus sollertissime a Jacobo explicata.

(*b*) In aliquibus ecclesiis ministrabatur Unctio extrema ante Eucharistiam; & ita statuitur in Concil. Mogun. *anno* 847. plaudentibus Hincmaro, Riculfo, & novissime Joanne Launoy; & ex nostris Lupo & Farvacquesio, qui morti proximi eam ante communionem suscipere voluerunt, ex testimonio Van-Espen ubi agit *de utilit. antiquor. Capitular.* Id etiam hodie in dioecesi Parisiensi observatur: verum Augustinenses (forte & alii ordines morem servant communem; & quidem ut nobis videtur, consormius id est ejus institutioni, cum docente Tridentino existimetur a Patribus: *Totius Christianæ vitæ consummationem*; de quo alibi, auspice Deo.

(*c*) Sane hoc Sacramentum antiquiori tempore notum erat illis christianis, ut *Dissert. de Relig. Ipsorum* dicemus: quod etiam Nestoriani habebant sub nomine *olei unctionis*. Illius tamen expresse meminit Georg. Arbelen. *in Quæsitis de Bapt.* 42. *& alibi*, dicens in ecclesia asservari pro infirmis, in vase quod vocant: *Cornu gratiæ Sancti*. Sacramento isto, & confirmatione carere eos ad præsens asserunt auctores gravissimi. Loco Extremæ Unctionis signum crucis tanquam Sacramentum obtrudunt; ut apparet ex Ebedjesu Sobensi *Lib. Margaritæ par.* 4 *cap.* 1. Infirmos ungebant oleo olivarum benedicto, aliquas recitantes orationes; nunc autem quamdam massam conficiunt ex reliquiis alicujus Sancti, seu pulvere sepulcri ipsius, oleo & aqua subactam, quam vocant *Gratiam Sancti N.* cujus sunt & reliquiæ. Malabarenses pulverem sepulcri Sancti Thomæ asportabant pro aqua lustrali benedicenda; ut ait Gouvea, & nostra Synodus. *Actio* 8. *Decr.* 17. & pro infirmis; ex M. Paulo Veneto *lib.* 3. *cap.* 17. Quod autem Extremæ Unctionis loco etiam usi fuerint non apparet uspiam.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM II.

CLV. Quoniam ægroti ob ægritudinis molestias, ac instructionis defectum circa res ad salutem æternam pertinentes, multoties de iis non curant: præcipit synodus, plurimumque commendat sacerdotibus, qui ad audiendas eorum confessiones vocantur, ut de dignitate, utilitate, atque efficacia hujus Sacramenti ipsos erudiant, necnon moneant, tum ægrotos, ut hoc Sacramentum (*a*) petant, cum illius opus fuerit, tum domesticos, aliosve ipsis assistentes ægrotis, ut cum viderint ægrotum maxime laborare, antequam sensuum usu destituatur, vocent, vel vocari jubeant vicarium, qui sanctum oleum ad ægrotum deferat. Quod si hac in re negligentes fuerint, præterquam quod Deum offendunt, & ægroto gravem irrogant injuriam, ad arbitrium sui Præsulis severe plectantur.

DECRETUM III.

CLVI. Præcipit synodus sacerdoti in Pagum eunti ad inungendum ægrotum, ut incedat superpelliceo, ac stola indutus, & manibus decenter, ac maxima cum reverentia sustineat Olei Sancti vas, velo serico opertum, ipsumque præcedat Chamazius ecclesiæ, crucem brachiis gestans; ipseque, vel aliis vas aquæ benedictæ asportet, ac noctis tempore laternam, aliudve præferat lumen, ut omnibus innotescat, sacerdotem ad extremam Unctionem ministrandam incedere. Curabit etiam, si æger id possit, ejus denuo confessionem audire, & reconciliare, licet pridie fuerit confessus, ostendens id esse illi necessarium, ut majori cum puritate Sanctum Unctionis Sacramentum recipiat: dum vero longius ad Silvas Sacrum Oleum detulerit, quo decentius potuerit incedat; secum semper superpelliceum, ac stolam gestet, quibus in Sacramento ministrando debita cum decentia uti possit: ad caput etiam infirmi crucem ex quacumque efformatam materia, si eam ipse non habuerit, relinquat: commendando ipsi, ut oculis ac fiducia in eam defixis, mortem sustineat in suorum peccatorum poenam, quorum veniam enixe petat a Christo Domino, qui amore illius in ea exspiravit.

ANNO CHRISTI 1599.

ACTIO VII.

De Sanctis Sacramentis Ordinis, & Matrimonii.

Doctrina de Sacramento Ordinis.

CLVII. SExtum Sacramentum Ordo est, quod Christus instituit feria sexta (*b*) Coenæ, ac pridie quam pro nobis pateretur; post institutum enim ea nocte Eucharistiæ Sacramentum, ut simul Sacrificium, ac Sacerdotes, qui illud offerrent institueret; tunc itaque ad sacerdotalem ordinem promovit Apostolos, conferens ipsis ulterius potestatem consecrandi alios, quo in sua ecclesia, usque ad mundi finem Sacrificium continuaretur, ac sacerdotium. Materia hujus Sacramenti est illud, quod traditur ordinando, ad significandum exercitium ordinis, quem suscipit. Sic sacerdoti traditur Calix cum vino, & Patena cum pane: Diacono Evangeliorum liber; Subdiacono Calix, & Patena vacua: Et similiter quo ad alios ordines minores, qui conferuntur, cum traditur ordinando res illa, qua uti debet in exercendo munere sacro, ad quod initiatur. Forma in Sacerdotio, ceterisque ordinibus sunt verba ab episcopo prolata, dum tradit illa, quæ ad exercitium, & ministerium, ad quod accipit potestatem, attinent. Minister hujus Sacramenti solus est episcopus: illi enim soli concessit Christus presbyteros consecrandi facultatem. Effectus illius sunt character, augmentum sanctificantis gratiæ, & superna auxilia, quibus suscipiens ordinem minister fiat idoneus. Constat itaque Sacramentum hoc, tanquam maxime necessarium ecclesiæ, institutum fuisse a Christo; cum enim Sacrificium, ac sacerdotium, ita inter se cohæreant, ut unum absque alio inveniri non possit, dum in novo foedere sacrificium Eucharistiæ a Christo instituebatur, opus etiam

(*a*) Recte synodus exigit ab infirmis, ut hoc Sacramentum petant; etenim ex eccl. Remen. statutis in ejus Concilio *anno* circiter 630. illud confertur: *laboranti & petenti*. Expressius in canonibus Aelfrici *editis sec.* 11. *Can.* 32. statuitur: *Nemo præsumat ungere, nisi exoratus*. Ceremoniale etiam Augustinianum præscribit admoneri prius ægrotum, ut hoc Sacramentum postulet: at non meram petitionem, sed desiderium illud suscipiendi præscripserant Canones editi sub Edgaro Rege *anno* 967. dum instruendo presbyterum docebant, quod: *Ægrotis, prout opus fuerit, Eucharistiam præbeat, & si desideretur; Unctionem*.

(*b*) Hic Synodi locus subobscurus est: att cum nulla adsit ratio, quæ suadeat synodum in hac re, non tritam tenuisse sententiam: explicandum est ly *Feria sexta*, per to *Pridie*, id est feria quinta ad Vesperam, inchoata jam sexta, prout mos erat Judæis, quorum *Pesach* vel Pascha non incipiebat die prima e septenario azymorum, sed sub Vesperam præcedentis. Vide Maurocenum *in Via Fidei pag.* 541.

ANNO CHRISTI 1599.

tiam erat in ecclesia novo (*a*), visibili, ac æterno sacerdorio (qua in re antiquo veteris legis novum hoc præcellit) simul sacerdotes instituerentur, qui per episcopos consecrati, divinum hoc offerrent sacrificium. Sacerdotibus rite initiatis duplicem contulit Jesus Christus Dominus noster potestatem, alteram nimirum, quæ versatur erga suum verum, ac reale corpus, quæ est potestas illud consecrandi, offerendi, atque administrandi: alteram vero erga mysticum Christi Corpus, nempe ecclesiam, & hæc est potestas solvendi, ac retinendi peccata: ad hanc potestatem, tanquam aliquid consectarium pertinet etiam populum Christianum regere, ac gubernare, atque ad vitam dirigere æternam.

CLVIII. Verum cum sacerdotium res sit adeo sublimis, quo majori cum veneratione, ac honestate exerceretur, oportuit sane plures, ac diversos haberi ministrorum ordines, qui remotius, vel propinquius Sacerdoti inservirent, eosque ita distributos, ut qui clericali tonsura initiati jam essent, per minores ordines ad majores gradum facerent; sunt igitur ordines minores ostiarii, lectoris, exorcistæ, & acolyti: majores vero, quique sacri vocantur, subdiaconi, diaconi, & presbyteri, quibus sacris ordinibus adjungitur (*b*) episcopatus; quippe episcopi in apostolorum locum successerunt, *quos Spiritus Sanctus posuit*, ut ait apostolus, *regere ecclesiam Dei*. Unde altiori præ sacerdotibus gradu provehuntur, quibus solis munus competit conferendi Sacramentum confirmationis, sanctum Chrismatis oleum, aras insuper, & ecclesias consecrandi, demum presbyteros, aliosque episcopos cooptandi, & ad suum respective gradum promovendi. Præcipitur etiam in ecclesia continentia, & castitas perpetuo servanda; iis qui sacris ordinibus addicuntur, quo soluti, ac expediti ab alienis officiis, altaris tantum ministerio vacent: rebusque solum ad Deum, divinumque cultum pertinentibus, impensius devoveantur. Nec promoveri sinit ecclesia ad sacerdotium servos. Divinus etenim cultus exigit liberos (*c*), nec aliis subjectos: nec homicidas, qui humanum sanguinem effuderunt, nec ex legitimo thoro non procreatos; neque mancos, membrisque non integros: nec bigamos, qui nempe fuerunt bis conjugati, aut eos, qui cum vidua alteri prius nupta contraxere; nec minores natu, nimirum, qui ad congruam ætatem nondum pervenerunt. Quæ omnia sancita sunt ob honestissimas, sanctissimasque causas, præsertim ob reverentiam divino, excelsissimoque altaris ministerio debitam.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM I.

CLIX. Quoniam ad hanc usque diem plures adhuc adolescentes, immo etiam impuberes, non solum ad minores ordines in hac dioecesi, verum etiam ad majores & sacros, & ad sacerdotium ipsum promoti fuerunt; quin in ipsorum vitam, & mores inquisitum fuerit, nec de ipsorum ad ecclesiastica ministeria sufficientia experimentum ullum captum, quodque pejus est, pacto pretio, & non sine labe simoniaca. Et quoniam sæpissime etiam una eademque die adversus sacra concilia, ac leges ecclesiasticas, minores, majoresque ordines fuerunt collati: prohibet synodus, ne ullus in posterum ad ordines promoveatur, nisi prius, a Præsule, vel ab aliis probis viris, sacrorumque canonum peritis, quibus id commissum fuerit, & ad præscriptum conc. Trident. prævio examine de illius honestate, ac doctrina judicium feratur. Prohibet insuper ne ullus inter subdiaconos cooptetur, nisi viginti duos suæ (*d*) ætatis annos numeret; inter Diaconos nisi viginti tres; inter sacerdotes nisi quinque supra viginti, juxta ea, quæ ipsa sacrosancta Tridentina Synodus præscripsit, quæ integre, ac inviolabiliter servari synodus jubet; nec non declarat, præsulem nullos posse a prædictis legibus solvere,

(*a*) In editione Lusitana habetur opus fuisse: *Novo invisibili & æterno Sacerdotio*. Porro quod ait *invisibile* Sacerdotium, typorum errorem putamus, Sacerdotium enim visibile esse debet, ut respondeat Sacrificio *visibili* novi testamenti, quod synodus intendit adstruere.

Quatenus vero illud vocat *æternum*; non alia ratione id intelligere possumus (cum fides & velamina in Patria reducenda sint, clara succedente visione, nisi eo quod Christus dicatur *Sacerdos in æternum*; aut quia terminus durationis ipsius indefinitus est, & hac parte perpetuus: certum enim nobis est Christum nobiscum ita permansurum *usque ad consummationem sæculi*.

Rursus de visibilitate sacrificii nostri omnino videndus August. *lib. 10. de Civit. Dei cap. 19.* & notas Ludov. Vives super illum locum: cum enim homo constet non tantum anima invisibili, sed etiam visibili corpore, æquum erat, ut in lege gratiæ, illum ad perfectiora ducente, non solum mente & spiritu, verum & visibili corpore supremam adoraret excellentiam.

(*b*) Octavum ordinem episcopatum dicere, nihil est quod impediat: etenim quamvis in ordine ad consecrandam eucharistiam, pares illis presbyteri habeantur, verum charactere, spirituali auctoritate, & muniis, superiores esse episcopos presbyteris definitum est ab ecclesia sæculo IV. damnando Aerium, qui episcopis æquabat presbyteros: vide S. Epiphan. *Hæsi 35. aut 75. Aerii*, & August. *lib. de Hæres. ad Quod vult de Hæsi 53.* Igitur Auctor lib. *de 7. Ordin.* Hieronymo forsan coævus, in sexto ordine presbyteros, in septimo episcopos recenset: de quo vide recens editas Instit. Cathol. Pougeti *Par. 3. Sect 1. cap. 7. §. 3. linea G.* Hieronymum autem quodammodo cum Aerianis opinasse, plures Critici censent.

(*c*) Quamquam synodus videatur tantum de mancipiis loqui; conforme tamen est ecclesiæ disciplinæ, quod subnectit: *Nec aliis subjectos*: etenim Alexand. III. confirmavit capitula Anglicana, quorum 16. statuit quod: *Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu Domini, de cujus terra nati dignoscuntur*. Ejusmodi autem capitula Anglicana, e potestate violenta Regis profecta, libertatem ecclesiæ vulnerasse, pro comperto habendum est.

(*d*) Abusus id omnino erat Malabarensium; Nestoriani enim ex Sobènsi *Part. 6. cap. 4. in Epitome Canon.* annum 35. aut ultra assignant presbytero; *At vero* (ait) *juxta antiquum mandatum ante annum 30. Presbyter non ordinetur*. Quæ orientalium disciplina maxime cum nostra consonat?

ANNO CHRISTI 1599.

re, nec quidquam ab iis constitutum relaxare, nisi auctoritate apostolica sibi speciali- A liter commissa polleat. Quia vero in hac dioecesi plures sunt jamdiu ad ordines promoti, præscriptam ætatem nondum attingentes, eos omnes, sive presbyteros, sive diaconos, sive subdiaconos, synodus a suorum ordinum exercitio suspensos, atque impeditos esse vult, quousque ad præscriptam ætatem pervenerint; perinde tamen locum suum ab ipsis servari, & ecclesiasticos proventus percipi, ac si re vera suos ordines, & munia ipsis annexa exercerent. Quod attinet ad scientiam, ac doctrinam, tantam syriacæ linguæ peritiam in iis, qui latine nesciunt, synodus exigit, quantam latinæ linguæ exigit Tridentinum, itaut Syrorum nemo, sal- B tem sacris ordinibus initietur, nisi sciat Syriace legere (*a*) & cantare, atque ea, quæ Syriacis characteribus scripta sunt, intelligere; cum valde consentaneum sit, quemlibet mente percipere ea, quæ ore profert in ministerio altaris.

DECRETUM II.

CLV. Quotquot hactenus Ordines susce- C pere in hac dioecesi, omnes simoniace sunt promoti pacto pretio, eoque majori, vel minori, juxta qualitatem ordinis, ad quem promovendi erant, quapropter in gravissimas a jure statutas poenas cuncti incurrerunt: Quia tamen eorum inscitia, cui causam dedere Præsules ipsi, hujuscemodi turpissimorum errorum Magistri, aliquam excusationem habet, ut nobis compertum est. Reverendissim. Metropolita promotos hujusmodi ab omnibus poenis, & censuris, in quas a jure latas inciderunt ob simoniacas Ordinum susceptiones absolvit, præcipiendo ulterius, ne quis adversus illos ob eam culpam quidquam attentet: insuper omnes eximit a vinculo, & impedimento potestatis acceptæ, itaut quilibet libere, ac licite, nisi aliam ob causam ab ipso jure impediantur, possint ordinem suum, & potestatem acceptam exercere.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM III.

CLXI. Quoniam constat synodo, nonnullos Sacerdotes, (*b*) lepra foedatos, ac notabiliter deformes, sacrum facere, non sine nausea Populi, ac periculo salutis aliorum, cum iisdem vasis, & vestibus sacris utantur, jubet hujusmodi indubitanter leprosos sacrum non celebrare, eo quod sint ipso jure irregulares ob corporis defectum, & nauseam, quam sacro astantibus afferunt, tunc præsertim cum ex eorum manibus Eucharisticum panem accipiunt.

DECRETUM IV.

CLXII. Receptissimo in hac dioecesi more inductum est, ut horariis precibus absolutis, antiquior ex Cassanariis in ipso presbyterio, aliis omnibus, qui alternis cecinerunt manum porrigat, & hi vicissim manum ipsius apprehendant, quæ consuetudo, voca-

mat: etenim 30. annum præscripsit etiam presbytero concil. Agath. *an.* 506. Aurelian. 3. *an.* 538. Toletan. 4. *an.* 633. & concil. Trullan. At vero concilium Ravenn. *an.* 1314. permisit ordinari presbyterum anno ætatis 25., & diaconum an. 16. Narbonense autem *an.* 1551. exigit in subdiacono 18., in diacono 20., & in presbytero 25. Tandem Tridentina Synodus ætatis annos præscripsit ordinandis, prout nostra synodus exigit; attamen paulo ante ipsum, idest *anno* 1545. *& 7. Nov.* facultatem fecit provinciali Hispaniæ Hieronymus Seripandus, Trideuti existens, *Promovendi ad Sacerdotium eos, qui annum vigesimum tertium attigerint* Erat tunc Seripandus generalis nostri ordinis; subinde cardinalis, & ejusdem concilii Tridentini præsidens. Quare autem hic mos apud illos Christianos vigeret, facile deducitur ex M. Paulo Venet. ap. le Quien *tom.* 2. *col.* 1089. nempe in causa erat episcoporum raritas: unde ne carerent Ministris, pueros ordinabant, qui tamen non nisi in 25. ætatis anno constituti sacrum peragebant; inde (ait ille) factum est, ut in illis regionibus ipsi reges aliquando presbyteri essent, ut de presbytero Joanne testabatur Guilelmus de Rubraquis ord. Min., qui a S. Ludovico Franciæ rege missus fuit in Tartariam.

(*a*) Jure merito peritiam linguæ Syriacæ exigit synodus ob eamdem rationem, ob quam Tridentina præscripserat ordinandis latinam; quandoquidem ecclesia justissimis de causis Sac. Scripturam, & Liturgiam sermone tantum latino legendam proponit; de quo videndi Emmanuel Navarro, Viva, & omnium uberrime P. Fontana *sup. Prop.* 82. *Quesnelli*. Ex quo etiam novam deducimus rationem, quam Heterodoxis opponamus, pro vernacula lingua pugnantibus; cum ecclesia Augamalensis, non Malabarico, sed Syriaco sermone res sacras perageret. Quod autem in Capitular. Caroli Magni exigatur a parochis peritia linguæ vernaculæ, id, inquam, ut Conciones, Catecheses & Confessiones fieri haberique possent, sancitum fuit; non vero pro scripturis, aliisque ecclesiasticis libris legendis.

(*b*) Hoc in loco Crozæus theologia posita, medicum agit; asseritque non fuisse lepram, quem hic memorat synodus morbum, sed tubera quædam in cruribus illi genti endemia; præstat autem credere tot centenis hominum ibi considentibus, quam novo Medicastro Crozæo. Igitur provide jussit synodus presbyterum leprosum separari vitarique; conformiter etiam ad antiquos canones; Gregorius enim II. *an.* 726. leprosis communionem permisit, at a conviviis arcet: in Capitular. Aquisgran. *anno* 789. statutum est, ne leprosi se intermisceant alii populo, quod omnium primum jusserat concil. Ancyran. *an.* 314. præscribens, quod leprosi cum Energumenis orarent. Accusatus etiam de lepra, debebat canonicam purgationem facere atque subire, ex synodo Pictav. *an.* 1280. mirum autem non est, cum qui a conviviis arcetur profanis, a divini propelli ministratione convivii.

ANNO CHRISTI 1599.

vocabulo illarum regionum proprio (*a*) *Caſture* appellatur. Cum itaque veteſtiſſima hæc ceremonia ſit mutuæ benevolentiæ, fraternique amoris uſitatiſſimum ſignum, ægre fert ſynodus, aliquos ab hac benevolentiæ ſignificatione, non ſine aliorum offenſione abſtinere propter privatas ſimultates, rurſus nec cum aliis colloqui, nec iis bene precari eccleſiaſtica ſalutatione, quam communiter hæc eccleſia uſurpat; ut ergo huic malo occurrat, præcipit, ut tam dexteram non porrigentes, quam non complectentes oblatam, præſul graviter puniat, tanquam læſæ charitatis, & pertinacis in ſuum proximum odii reos; præterea, ut delinquentes, juxta ſalutare Chriſti monitum, accedere ad altare, aut miniſtrare in eccleſia, ſuorumque ordinum propria munera exercere non audeant, nec ii ad quos pertinet, ſacras veſtes illis præbeant, nec eos celebrare ſinant, quouſque fratribus ſuis reconcilientur, iiſque conſuetum benevolentiæ ſignum exhibeant.

DECRETUM V.

CLXIII. Cum clerici ad majores ordines promoti, debeant ex præſcripto eccleſiæ quotidie horarias preces, ſive, ut vulgo dicitur divinum officium integre recitare, in hac autem dioeceſi pauciſſimi domi ſuæ privatim recitent, per errorem putantibus aliis, iiſque plurimis, privatam hanc recitationem non eſſe præceptam; iis vero, qui in presbyterio publice canunt, ſibi falſo ſuadentibus, ad adimplendum præceptum ſatis eſſe, quod ad breve tempus ibi morentur, etiam prope finem, & etiam ſi vix ingreſſi poſt paucos verſiculos ſtatim egrediantur, quin ſoliciti ſint de ſupplendo privatim domi, quod ibi omiſerunt: cumque omnes in excuſationem adducant ultra falſam opinionem ſupradictam, qua laborant, raritatem ſacrorum codicum, qui perpauci ſunt in hac eccleſia, iique calamo exarati, declarat ſynodus, omnes, qui in ſacris ordinibus initiati ſunt, præcepto integræ recitationis divini officii obſtringi, nec poſſe illam citra lethalem culpam omittere, atque adeo, qui publice in eccleſia non canunt, debere ipſum privatim domi (*b*) integre recitare, qui vero publice canunt, ſiquam partem omittunt, eam privatim ſupplere debere, ſi ſacris Libris non careant, quodſi careant, ut certe plurimi carent, pſalterium (*c*) laicum tecitent, ſive ſeriem ex orationibus Dominicis, & Angelicis Salutationibus, piacularibus globulis percurrant, ea lege, ut cum in hac eccleſia non alia ſit partitio publicæ recitationis Divini officii, ſive ſacræ pſalmodiæ, quam in Matutinam, & Veſpertinam, etiam ipſi pro recitatione matutina, exordium ducendo ab invocatione Divini auxilii, ut habetur in Breviario, tricenas tres orationes Dominicas, totidemque recitent Salutationes Angelicas, ac ſingulis addant clauſulam illam addi ſolitam ſingulis pſalmis, nimirum; *Gloria Patri &c.* qua precum ſerie abſoluta, novem recitent orationes Dominicas, & angel cas ſalutationes pro Animabus Fidelium Defunctorum, deinde unam pro papa, & unam pro epiſcopo, quas ſubſtituere debent, publicis illis precibus, quibus oratur Deus pro illis in eccleſia. Eamdem invariatam, & integram precum ſeriem repetent Veſpere, pro Divini Officii recitatione veſpertina, addent tamen novem ſalutationes Angelicas in honorem Deiparæ. Hoc ſupplemento uti non poſſunt, qui ſacros libros habent, ſed ut iterum inculcat ſynodus, divinum officium vel publice, vel privatim recitare debent: ſi vero publice recitent partem, vel matutinam, vel veſpertinam, & ſacris libris careant, eam tantum partem, quam omiſerunt, debent per piaculares globulos ſupplere; juxta methodum nuper præſcriptam.

DE-

(*a*) Ita vocatur a Malabarenſibus genus quoddam pacificæ ſalutationis, & auſpicii liberalis, cum aliquem conveniunt, Caſſanarii chorum ingredientes, ritus autem *Caſture* hujuſmodi eſt, ut ſibi invicem pacem apprecentur, apprehendentes manus, & indicem digitum oſculantes, teſte Vinc. Mar. *lib* 2. *cap.* 6. Crozæus vero *Hiſt. Chriſt. Ind. pag.* 149. ait, ritum *Caſture* importare, quod manus antiquioris Caſſanarii comprehendant alii, atque ſubinde ejus benedictionem accipiant; revera hæc ceremonia ſignum eſt fraternæ caritatis & communionis; ſubjectionem etiam atque fidem fortaſſe indicat: priſci enim vocabant *mancipationem* ſimilem ritum, quo clientes manus ſuas, inter manus ponebant Dominorum, in ſignum fidelitatis & ſubmiſſionis: Vico *Scient. nova lib.* 3. *pag.* 441.

(*b*) Privatam etiam officii recitationem ex obligatione ad primæva eccleſiæ tempora referendam eſſe, videtur; ut Ruthenî aliique non bene morati contrariam corruptelam induxerint; namque non tantum clericos, verum etiam laicos ad id teneri ex decretis Arab. Nicænis apparet, cum jubeant iſta Decret. 17. *orare ſepties in die debent omnes Chriſtifideles.* Neſtoriani etiam teſte Sobenſe, tenentur tam presbyteri, quam laici aut ſæculares ad quatuor horas canonicas, *Matutinas* nempe, *Nocturnas Veſpertinas & Apodipnon*, ante ſomnum, quod ſignificat idem ac *Poſt cœnam.* De quo vide Sanctiones Arabicas Nicænas *Dec.* 17. & 18. Aſſeman *Diſſert. de Syris Neſtor. pag.* 338. cardinalis Thomaſius egregiam Diſſertationem concinnavit *De privato Eccleſiaſticorum officiorum Breviario extra chorum*, omnino legendam, apud Joſephum Blanchinium Congreg. Sancti Filippi Nerii alumnum *Par.* 2. *tom.* 1. Operum laudati Card. *edit. Romæ* 1741. *pag.* 460. & *ſeqq.*

(*c*) Conſtitut. Conventrenſes anno 1237. pro laicis hæc habent: *Præcipimus quod quilibet Chriſtianus & qualibet Chriſtiana omni die dicat ſepties, Pater noſter, Ave Maria, & bis Credo*: & anno 1514. editus fuit Fani liber hoc titulo: *ſeptem horæ canonicæ a laicis hominibus recitandæ*, juxta *ritum Alexandrinorum*; editus Arabice, cujus meminit Evod. Aſſem. *Biblioth. Laur. pag.* 83.

ANNO CHRISTI 99.

DECRETUM VI.

CLXIV. Jubet Synodus in sacrarum precum Breviariis adjungi symbolum S. Athanasii (*a*): *Quicumque vult &c.* quamobrem ejusdem symboli fieri versionem Syriacam, qua peracta, singulis diebus Dominicis post matutinam Divini officii recitationem, publice in ecclesia recitari vult. Illius Syriacam versionem P. Francisco Roz committit. Illud etiam inculcat, ut singuli Cassanarii, & Chamazes, illud memoriter addiscant, & præ oculis habeant; tum quia id per sacros Canones commendatum legitur, quia in illo præcipuorum nostræ Fidei mysteriorum summa continetur, tum demum quia eo utitur universalis ecclesia, & diebus Dominicis publice canit.

DECRETUM VII.

CLXV. Cassanarios, & Chamazes omnes summopere hortatur synodus, ut in ecclesia tam matutino, quam vespertino tempore Divino officio intersint, nec ibi colloquia inter se misceant, vel a rebus cœlestibus ad res terrenas, & nugatorias mentem distrahant. Illud etiam caveant, ne dum alternis canunt, in ecclesia, aliqui versiculum sequentem præpropere incipiant, nondum absoluto ab aliis versiculo præcedente, ex qua festina temporis præoccupatione sacrorum verborum confusio, ac perturbatio oritur, quod plane ipsis iniicere scrupulum debet; in quo frequenter offendunt Cassanarii, & Chamazes dum simul recitant. Postremo hoc etiam admonet, ut quamvis hactenus in more fuerit, a seniore inter Cassanarios præsentes Divino officio exhiberi aliis *Cassure*; nihilominus in posterum, si proprius ecclesiæ vicarius adsit, ipse hac in re aliis omnibus præcedat, quippe qui peculiaris est illius ecclesiæ pastor.

DECRETUM VIII.

CLXVI. Quia æquum non est, quantum ad laborum remunerationem, eodem in numero haberi laborantes, & non laborantes; visum fuit synodo, Cassanarios, & Chamazes, qui diebus Dominicis, vel aliis diebus festis divinis officiis non interfuerint, a vicario, vel eo absente, a seniore inter Cassanarios, adnotandos esse, & in distributione fructuum, habita ratione quantitatis distribuendæ, aliquid ipsis detrahendum, plus minusve, prout pluribus, vel paucioribus vicibus abfuerint; quod ita fiet, dum legitime non fuerint impediti, aut ægroti, vel in rebus ecclesiæ, aut a suo præsule aliter utilius occupati; si enim, qui hac de causa absunt, æqualem cum aliis portionem accipient; quod vero ex absentia aliorum collectum fuerit, æquis portionibus inter alios distribuatur.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM IX.

CLXVII. Non ignorat synodus, quamplures è Cassanariis formulis exorcizandi (*b*) uti superstitiosis, immo etiam ethnicis, verbisque desumptis ex impio, prohibitoque libro: *Parisman*, ad eiiciendos Dæmones: quapropter in virtute Sanctæ obedientiæ præcipit; ut nullus audeat aliis uti exorcismis ad hunc finem, nisi iis, quibus utitur ecclesia Romana, approbatis a Sanctis Patribus, contentisque in libello *De administratione Sacramentorum;* Siquis vero Clericorum aliis utatur, & multo magis, si superstitiosas ceremonias usurpet, & ignotæ significationis verba super energumenos proferat, ab Ordinibus suis exercendis, & proventibus per annum suspendatur; cui censuræ poterit Præsul, juxta majorem, vel minorem criminis gravitatem, pro arbitrio suo pœnas alias adjungere; si vero post admonitionem, & punitionem contumax adhuc persistat, a communione fidelium separetur, & anathemate feriatur. Quod si de aliquo constiterit, prædictis ceremoniis, vel verbis uti (quod Deus avertat) ex pacto aliquo inito cum Dæmone, id quod de nonnullis circumfertur, declaretur ab ecclesiæ communicatione segregatus quousque condignas, a suo Præsule statuendas poenas persolverit, necnon ab exercitio ordinum, & ecclesiasticis emolumentis sine relaxationis spe per totum vitæ spatium suspendatur; insuper sit obnoxius poenis aliis a jure statutis contra eos, qui pactiones hujusmodi cum Dæmone faciunt.

DE-

(*a*) Memoriter recitari *Die Dominico ad horam primam* jubetur in Capitular. Hattonis episc. Basilens. *anno circiter* 821. Et hoc quidem sæculo 9. qui ordinabatur episcopus profiteri tenebatur, se suscipere Athanasii sermonem, qui incipit: *Quicumque vult salvus esse*. Vide Collect. Concil. Hardui. *tom.* 5. *col.* 1445.

(*b*) In aliquibus Orientis ecclesiis, non fit Exorcista ordinatione, sed designatione Antistitis; in aliis est Exorcista ipse qui Ostiarius: Quomodo ordinetur Exorcista habetur in Concil. Carthag. 4. *anno* 398. quod vero exorcismi *nulli fiant pretextu pietatis, nisi ab ecclesia probati*, præscribit concil. Bituricen. *anno* 1584. *Titul.* 40. *can* 3.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM X.

CLXVIII. Quoniam nonnulli e Caſſanariis, juxta ſuperſtitioſum Ethnicorum morem, ubi agitur de matrimoniis contrahendis, aliiſque rebus gerendis, fauſtos auſpicantur (*a*) dies, & multa ominantur ad petitionem chriſtianorum, Ethnicam ſuperſtitionem impie imitantium, ſuperſtitioſas etiam ſupputationes faciunt, faſtos, & nefaſtos dies ex Ethnicorum libris in ſuis commentariis tranſcribunt, quæ præ manibus a Chriſtianis habentur, immo etiam in libris precum tabulas conficiunt, calculoſque inſtar algoriſmi, ut videre eſt pluribus in libris, etiam iis, quibus in eccleſiaſticis functionibus utuntur; præcipit ſynodus in virtute Spiritus Sancti, ac ſub poena excommunicationis majoris, ut nullus eccleſiaſticus, aut ſecularis, vel Caſſanarius in poſterum audeat hujuſmodi faſtos, nefaſtoſve dies prænuntiare, occaſione matrimoniorum, aliarumve rerum agendarum, neque ad hunc finem ſortes jacere, calculos ducere, aut quid eligendum ſit, quidve repudiandum ex libris ſortium conjectare, potiſſimum ex libello adjuncto alteri, qui appellatur *Pariſman*, aut ex alio quocumque, nec alias quaſcumque ſuperſtitiones a quovis alio inventas ſectari; qui vero contra fecerit, anathemati ſubjectus denuntietur, necnon per annum ab exercitio ordinum, & per ſemeſtre a percipiendis eccleſiæ proventibus ſuſpenſus. Commoneant etiam ſacerdotes populum fidelem, ut hos fugiant Ethnicorum ritus, ac ſuperſtitiones, utque eligant ad contrahendas nuptias (modo velint) dies in eccleſia ſolennes, feſtaque ſanctorum, quorum precibus omnia proſpere, feliciterque conjugibus eveniant, vel aliorum quorumcumque dierum electionem faciant: omnes enim fauſti ſunt colentibus Deum, ac bene agentibus, omneſque ſunt opera manuum Dei; eoque feliciores, quo in majorem divinorum myſteriorum cultum, majusque Dei obſequium impenduntur.

DECRETUM XI.

CLXIX. Cum plurimum deceat, ſacerdotes bonum exemplum aliis exhibere, quippe magiſtri ſunt populi, a quibus bonos mores edifcere debent: dolet vehementer ſynodus de intemperantia, qua ſacerdotes aliqui cibi, potuſque appetitioni plus æquo indulgent, cum offenſione chriſtianorum, immo non ſine infamia, & dedecore gradus ſacerdotalis apud Ethnicos. Quamobrem ut huic malo proſpiciat, iis ſummopere commendat in cibo, potuque temperantiam, Præſuli vero vigilantiam in acriter corripiendis bibacibus, qui quidem ſi fuerint ſæpe (*b*) inebriati eo uſque, ut mentis uſu non pollerent, (quod Deus avertat) ab ordinis exercitio ſint ſuſpenſi, non autem a recitandis in eccleſia horis canonicis, & quotidianis diſtributionibus. Præcipit inſuper, ut nullus audeat ad edendum, vel bibendum adire Cauponas, vel tabernas, cum id gravitatem ſacerdotalem graviter dedeceat, quam ob cauſam id ipſis etiam a jure prohibetur. Demum prohibet, ne ullus apud Infidelem, Ethnicum, Turcam, aut Judæum (*c*) conviveturſub poena ſuſpenſionis per quadrimeſtre ab ordinibus, & emolumentis.

DECRETUM XII.

CLXX. Cum æquum, & eorum dignitati valde conſonum ſit clericos non ſolum moribus, ſed etiam habitu, & (*d*) externo veſtium cultu a populo diſcriminari, idque poſtulent ſacra miniſteria, quibus addicti ſunt; præcipit ſynodus, ut eorum nemo domo exeat braccatus, ſive breviori veſte indutus, cujus partes non ſint quaquaverſus conſutæ, atque adeo interula foras prominеat juxta morem regionis, neque tunica ita indutus, ut hæc ſit diloricata. Ubi ergo iter faciunt, aut oppida, vel eccleſiam adeunt, tunicati incedant, & veſtis color ſit albus, niger, aut cæruleus, ut moris eſt, & pileo caput tegant. Multominus noctu inter

(*a*) Statutum eſt in concil. Ancyran. *anno* 314. quod Auguria vel auſpicia qui ſectantur, agant pœnitentiam annis quinque: ſynodus vero Bituricen. *an.* 1584. omnes ariioli incantatores &c. qui *ſi fuerint clerici ordine* (ait) *priventur & brachio ſæculari tradantur* Vide. *Action.* 9. ſynodi Diamp. *in Decr.* 6. 7. & 8. ſuperſtitioſi autem Malabarenſes id obſervant, ut ſi quod primo occurrit eſt Bos, fauſtum habetur; ſi vero chriſtianus aliquis, Cornix aut Canis, infauſtum. Diebus autem Martis aut Veneris nec amicos inviſunt, nec eorum officia admittunt. Vide Vinc. Mar. *lib.* 2. *cap.* 6. Eſt etiam apud eos libellus, in quo Bracinanes totius anni dies fauſtos nefaſtoſque deſignant, quem vocant: *Paanjangam. Almanache* vulgo. Pulchra de Auguriis habet Marchio S. Albini *Trait. dell' Opin. tom.* 2. *pag.* 485. & *ſeqq.*

(*b*) Sæculo 8. ex antiquiori eccleſiæ diſciplina ſtatutum fuit a Grego. III. In Judic. Congr. Pœnitent. *judicio* 8. quod ebrioſi quadraginta dies agerent pœnitentiam: nota autem ibi ex antiqua definitione haberi, quod *qui in conſuetudinem habuerit vitium ebrietatis* (epiſcopus, presbyter, aut diaconus) *aut deſinat, aut deponatur.* Id etiam notabile ibidem: *Qui cogit aliquem humanitatis gratia, ut inebrietur, ut ebrius pœniteat.*

(*c*) In concil. Matiſcon. *anno* 581. ab omnium chriſtianorum conſortio compeſcitur, *Qui Judæorum conviviis participare præſumat.* Ita *Can.* 15. Et Soden. Epit. Can. Par. 5. cap. 17. ſtatutum ab eccleſia Neſtorianorum eſſe ait: *Quod non liceat fidelibus comedere cum Judæis.*

(*d*) Inter antiquos Neſtorianos habitu non diſtinguebantur a laicis eccleſiaſtici, etiam epiſcopi & patriarchæ; hodie etiam veſtibus utuntur cujuſcumque indiſcriminatim coloris. Adeas Navigat. Novi Orbis *cap.* 134. & *Differ.* Aſſemani *De Syr. Neſtorian. pag.* 337. Ex teſtimonio Timothei I. Patriarchæ Neſtorianorum videtur, clericos ſæculares apud eos veſtibus albis uſos eſſe, Monachos, & epiſcopos nigris. Niger color atque cæruleus in Occidente, clericis fuit uſitatus, præſertim in Hiſpania, uſque ad Sæc. 15. etiam S. Joannes a S. Facundo, antequam noſtrum Eremitarum ordinem illuſtraret, e duabus meliorem, quam habebat, cæruleam veſtem pauperi dedit. *In ejus vita.*

ANNO CHRISTI 1599.

inter venandum, vel piſcandum tantummodo campeſtri (*a*) verenda tegentes, cetera nudi incedant, quod quam indecorum ſit eorum ſtatui, nemo non videt: qui vero contra fecerint, graviter puniantur: præterea coram feminis (*b*), aut ſimul cum illis non laventur, ut ceteri facere hac in regione ſolent, cum plurimum hoc adverſetur modeſtiæ, & morum honeſtati, quam eccleſiæ miniſtri maxima cura, diligentiaque ſervare debent: quod vero ad barbæ culturam attinet, ut libuerit faciant, dum juniores intonſo crine non incedant, ſed barbam ſibi radant: ii autem, qui prolixam barbam nutriunt, eam ſaltem circa labia radant, ne inter celebrandum, ſumptioni calicis impedimento ſit, & Chriſti ſanguine imbuatur.

DECRETUM XIII.

CLXXI. Quia, ut ait apoſtolus Paulus, qui potiſſimum Dei obſequio ejuſque cultui dicantur, æquum non eſt negotiis ſecularium implicari; quam ob rem verant ſacri canones, ne clerici publice negotientur, in quo maxime peccatur in hac dioeceſi: præcipit ſynodus, ne ullus clericorum Nundinas (*c*) adeat publicas, nec locatores ſint rei alienæ, aut facultatum ſe exhibeant aliorum (*d*) fidejuſſores, aut proxenetas: nec contractus etiam ſocietatis celebrent, neque in eorum domibus merces, aut comeſtibilia palam vendantur, nec munera obeant ſæcularium; qui vero contra fecerint, ſevere a præſule puniantur: quod ſi non emendentur ab ordinum exercitio, & eccleſiaſt corum proventuum perceptione ſuſpendantur: qui vero fuerint aliorum fidejuſſores, ſi intra menſem officio illi non renunciaverint, ab ingreſſu eccleſiæ arceantur, & quouſque id non præſtiterint ab ordinibus & proventibus ſuſpendantur.

DECRETUM XIV.

CLXXII. Cum hujus dioeceſeos Sacerdotes nonnulli, poſthabito Dei, ſuorumque Præſulum timore, necnon ſublimis ſtatus, ac dignitatis ſacerdotalis, qua inſigniuntur obliti, palam negotiis ſæcularibus, & mercimoniis operam dent, & ea quidem impudentia & audacia, ut ad ea tutius exequenda, abſque habitu ſacerdotali, tonſura, capitiſque corona, immo intonſo capite, capilliſque juxta profanorum hominum, ac popularium morem, eleganter compoſitis: præcipit ſynodus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub anathematis poena clericis omnibus, qui fuerint ſacris initiati ut cum habitu, tonſura, ac patente capitis corona incedant, nec cæſarie promiſſa, capilliſque ita comptis in publicum prodeant: qui vero contraierit, anathemati ſubjectus declaretur, quouſque reſipuerit, externumque corporis cultum, qui ſuum deceat ſtatum, ſibi comparaverit.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XV.

CLXXIII. Quia aliqui ex eccleſiaſticis, tum Caſſanarii, tum & Chamazii, ſui muneris, ac propriæ dignitatis obliti, ut minus a regibus Ethnicis vexentur, quodque deterius eſt, ut eorum patrocinium ſibi concilient, eorumque clientela freti impune delinquant, nec poſſint a ſuis Præſulibus, juxta meritum puniri, ſtipendia a Regibus accipiunt, & inſtar Nayrum nomen dant, atque adeo inter milites conſcripti, debent ad bella procedere, manus conſerere, & omnia munia militaria, (*e*) prout ſe præbuerit occaſio, exercere, id quod expreſſe eſt contra ſacros Canones, legeſque eccleſiaſticas; præcipit ſynodus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub anathematis pœna ipſo facto incurrenda, ut nullus Caſſanariorum, aut Chamazium audeat in poſterum ſtipendia militaria ab aliquo Regum accipere, ac militiam profiteri: qui vero contra fecerit, a fidelium communione ſejunctus declaretur, nec a cenſuræ vinculo abſolvatur, quin prius militiæ nuntium remiſerit, & exauctoratus fuerit; præteriti inſuper criminis ſeriam pœnitentiam ex animo peregerit.

DECRETUM XVI.

CLXXIV. In eccleſia a ſuis uſque exordiis, Clericos ſacris muneribus addictos, potiori titulo Sacerdotes continentiam, caſtita-

(*a*) *Campeſtria* dicuntur ſuccintoria partium inhoneſtarum: Vide P. Aug. lib. 14. *de Civit. Dei cap.* 17 cui perizomata primorum parentum, *campeſtria* ſunt.

(*b*) Cavent Laodiceni Canones quod *Balnea tum mulieribus communia nemo chriſtianus habeat*.

(*c*) In originali habetur *Chatinarias*.

(*d*) In originali legitur *Taregas*.

(*e*) In Concilio Meldenſi ſtatutum eſt quod: *Clerici arma militaria non contingant*; celebratum fuit *anno* 845. nec aliter quam ex contemptu Eccleſiaſticæ immunitatis juſſi ſunt & coacti aliquando Clerici, per Principes, arma capeſſere. Proinde Concil. Camerac. *an.* 1586. *Tit.* 22. *nu.* 17. cavit: *Ne prafecti ſeculares cogant Clericos, qui Chriſto militare debent ad excubias diurnas aut nocturnas*: multoque minus ad belligerandum. Quid autem ſit, quod habetur in *Capitulo* 42. Theodori Cantuarienſis archiep. ad finem ſec. 7. *Clericis nullatenus pugnare licet, niſi in multitudine, aut conſilio ſervorum Dei*: & invenitur in Spicileg. Dacherii *tom.* 9. aliis diſcutiendum relinquimus.

ANNO CHRISTI 1599.

ſtitatemque ſervare conſueviſſe, (*a*) ex antiquis Conciliis tam Orientalibus, quam Occidentalibus aperte colligitur; & quamvis primis illis temporibus, cum ob Sacerdotum penuriam, tum ob commune eccleſiæ bonum, aliqui ex literatis viris, jam uxoratis, ad Catholicam religionem converſi, dummodo non eſſent bigami, fuerint non ſolum presbyteri, ſed etiam epiſcopi inaugurati, quod etiam noſtris hiſce temporibus in eccleſia Græca viget, & in eccleſiis aliis Apoſtolicæ Sedi ſubjectis, juſtis de cauſis a Romano Pontifice, quouſque oportune proviſum ſit, toleratur; nihilominus nunquam Catholica eccleſia permiſit, ut presbyteri poſt ſacros Ordines ducerent uxores, immo uxoratos, quo dignius miniſterium ſacrum obirent, mutuo conſenſu a ſuis uxoribus ſeparatos fuiſſe, recolenti eorum temporum memoriam, ſatis conſtat: quæ cum comperta ſint, ſancta ſynodus non ſine ingenti moerore pravos uſus, qui in hac dioeceſi irrepſerunt, ſecum ipſa animo reputavit, eoſque procul amoliri decrevit. Eorum cauſæ fuerunt juris ignorantia, ſchiſmaticorum Præſulum vafrities, morum perverſitas, quæ tunc temporis late graſſabatur; quas ob cauſas non ſolum presbyteri matrimonia contrahebant, ſed etiam plures eo conſilio ſacris initiabantur, ut locupletiores mulieres ſibi Matrimonio copularent; neque ulla habebatur ratio, an Virgo eſſet, an vidua, an prima uxor eſſet, an ſecunda, an etiam tertia; neque bigamiæ impedimentum vetuſtiſſimæ eccleſiæ conſuetudine firmatum, illis (tanta erat morum licentia) timorem illum incutiebat. Quid quod in hoc ſtatu altari miniſtrabant, & ſacra munera exercebant, ſi paucos excipias, qui poſt tranſitum ad ſecundas nuptias, a ſacro celebrando ſe abſtinebant, non tamen a muneribus aliis Sacerdotalibus exercendis. Quæ omnia ſibi licere per errorem putabant, eo quod ad hæc omnia facultatem a Schiſmaticis Præſulibus obtinuiſſent; qui quidem, cum ſub anathematis poena vetitum eſſet, ne quis eorum matrimonia contraheret, ad id ipſis poteſtatem tradebant; vel ſi qui contraxiſſent, eos ab anathemate abſolvebant, ac matrimonia hujuſmodi rata habebant: quæ omnia obtinebantur ſimoniace pacta, & ſoluta pecunia. Quodque deterius eſt, facultate ſic impie obtenta, ſibi inaniter blandiebantur, & ſe ſatis conſcientiæ ſuæ conſuluiſſe, falſo ac malitioſe exiſtimabant.

ANNO CHRIST 1599.

CLXXV. Ut igitur ſynodus pravos hoſce ac deteſtabiles uſus a Diaboli nequitia, ac ſordida Præſulum Schiſmaticorum cupiditate invectos, radicitus evellat, utque eccleſiam hanc in veterem ſplendorem, ac puritatem reſtituat, ejuſque diſciplinam ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ normam apte componat: præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub poena excommunicationis latæ ſententiæ, ne ullus clericorum in ſacris conſtitutus audeat poſthac ducere uxorem; neve aliquis Caſſanariorum eos jungat, nec conjugiorum hujuſmodi aliqui ſe teſtes exhibeant; nec ad id præſtent aliquo modo conſilium, favorem, aut auxilium: qui vero contra fecerint, aut aliquid horum præſtitiſſe deprehendantur, ſe excommunicatos, ac maledictos eſſe noſcant, & ut tales in eccleſiis denuntientur. Quod attinet vero ad jam pridem uxoratos, eos omnes ſynodus cenſura ſuſpenſionis impedit ab exercitio ſacrorum Ordinum, omniumque actuum ſacerdota-

(*a*) Quæ adverſus hoc Decretum ſynodi effutivit Crozæus, vindicantur infra Differt. Apologetica pro ſynodo *n.* 100. hic tantum in anteceſſum dicimus, Noſtorianos matrimonium permittere Presbyteris, & Diaconis: etiam poſt ſuſceptionem ordinum; immo id Monacis monialibusque indulgent. Nec recens eſt inter eos corruptela hujuſmodi. Memoratur autem qui primus omnium eam induxerit, Barſumas Niſibenus pro epiſcopis, & presbyteris: quo mortuo, Babæus eandem licentiam Catholico, Metropolitis, Sacerdotibus, Diaconis, & Monachis laxavit. At poſtea Mar-Abas Catholico, & Epiſcopis nuptias vetuit, & hæc eſt hodierna ipſorum conſuetudo. Hujuſmodi matrimonia quoad monachos ſaltem valida cenſetur, iſti enim vere tales dici non poſſunt, qui caſtitatem nullatenus expreſſe, aut tacite vovent; at nulli hodie Neſtoriani monachi extant in Oriente; ſicuti nec erant in Malabaria tempore noſtræ ſynodi. De iis vero, qui poſt ſuſceptos ordines contrahunt, tenet Arcudius *lib. 7. cap.* 40. valide id facere, ex præſenti potiſſimum Græcorum conſuetudine, qua horum conjugia non dirimunt, ſed uxoratos ab exercitio tantum ordinum deponunt. Sed ex *Can. Trull.* 3. iſta conjugia irrita ac invalida æſtimanda eſſe videntur, dum ſtatuit, quod *Eorum ne ſario manifeſte diſſoluto conjugio; nequaquam ad altiorem gradum promoveantur*: unde Græci, qui ea rata cenſent, & ſola ſuſpenſione, id criminis caſtigant, majorum ſuorum ſtatutæ adverſantur diſciplinæ; maxime autem omnium Neſtoriani, qui bigamiam, & polygamiam ſuis permittunt: Orientis enim diſciplina, quæ laicis vix conceſſit bigamiam, trigamiam vero, nonniſi invito animo, quo pacto iſtis octavas nuptias indulſiſſe dicetur? Certe *anno* 1628. inquiſitum eſt ſuper presbyterorum & diaconorum Chaldæorum matrimoniis, & Sac. Cong. de Propaganda fide, decrevit ne illi deinceps conjugia inirent: & *anno* 1693. ejuſdem Congreg. juſſu Jacobus Benſaminus Chaldæus Neſtoriani Patriarchæ Vicarius, uxorem quam poſt ordinationem duxerat, dimiſit: noviſſime etiam Sac. Inquiſitionis Tribunal Romanum irritum declaravit conjugium cujuſdam diaconi Chaldæi, qui hic in Urbe nupſerat. Vide Aſſem *Differt. de Syr. Neſtor pag.* 330. Solis autem diaconis in eccleſia Græca, ſi in ordinatione conteſtarentur non poſſe ſe continere, aliquando permiſſum fuit uxores poſt ordinationem ducere; immo ex laudabili ipſorum diſciplina etiam ab uxoribus ante ordines ductis temperarunt antiquitus Græci: licet nulla univerſalis legis neceſſitate, ad hoc videantur aſtricti: quod dici non poteſt de Græcis epiſcopis poſt ſtatutum Concilii Quiniſexti *anni* 602. e cujus Concilii lege confirmata, licitum eſt Græcis presbyteris, diaconis, & ſubdiaconis retinere uxores legitimas, ante ordinationem ductas, iiſque conſuescere.

In eccleſia autem latina, majorum clericorum continentia ſemper ſervata fuit: Subdiaconi vero, nec ſemper nec univerſe lege continentiæ aſtricti fuere, ſed varia fuit circa hos diſciplina, maxime in noſtra Hiſpania. De hoc videndi Cl. Tournely *De Sacram. Ordinis quæſt. ultima.* & Apologia Anonymi pro ſtatutis S. Gregorii VII. apud Harduinum *tom. IV. Collection. Concilior. colum.* 1521. ubi celibatus ſacrorum hominum validiſſime, ac ſubtiliſſime vindicatur.

ANNO CHRISTI 99.

dotalium; sive tantum semel, sive pluries contraxerint, quousque cum effectu uxores dimiserint; id quod plurimum rogat, ac obsecratur in Domino. Illis vero, qui bis contraxere, aut cum viduis, aut publicas duxere meretrices, eo quod sint bigami, & matrimonia hujusmodi prava conscientia contraxerint, ut eorum plures facto ipso ostendere visi sunt, abstinentes a celebrando sacro, quantumvis ad id facultate obtenta a suo Episcopo præcipit synodus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub poena excommunicationis declarandæ, ut ubi hoc præsens decretum ipsis innotescat, statim se ab uxoribus separent, non tantum, quoad thorum, & mensam, sed etiam quoad contubernium; necnon declarat, eos, quamdiu ita manserint, lethalis noxæ, atque gravissimæ, concubinatus nempe reos continenter fore; tale enim Matrimonium verum non fuit, nec validum; immo ex jure nullum, nulliusque valoris; sed neque Præsules, aut episcopi facultatem impertiri poterant ad id, quod adversatur ecclesiæ regulis, in ipsa perpetim, ac inviolabiliter servatis, sacrisque Conciliis generalibus ab universo terrarum Orbe receptis: quoad illos vero, qui semel tantum contraxerunt, synodus consulet sanctissimum papam, ac pontificem Romanum, ut tanquam caput, & Dei universæ ecclesiæ Pastor, ac doctor, & quid facto opus sit doceat, ac præcipiat, quod vero ab eo præceptum fuerit, exactissime custodietur.

DECRETUM XVII.

CLXXVI. Declarat Synodus, presbyteros, qui tanquam obedientes filii, Synodi consilium sectantes, a feminis, cum quibus convictum habent, se separaverint, posse post separationem in ministerio sacrorum Ordinum permanere, ac Sacrum celebrare, dum aliunde impediti non fuerint; unde ab irregularitate ex bigamia erunt immunes, qua in re indulgenter agit Synodus, tum proniorem ut viam ad hanc separationem sternat, tum quia commiseratur eorum imperitiam, qui a vafritie, & nimia suorum cupiditate Præsulum, a quibus docendi erant, fuerunt miserrime seducti. Et quia sacerdotes matrimonium contrahentes, juxta sacros Canones, irregularitati subjacent, Illustrissimus Metropolitanus, auctoritate ordinaria, & Apostolica, qua in hac ecclesia fungitur, Sede vacante, omnes Clericos sacris initiatos, qui Synodo obaudientes, uxores dimiserint, ac sacra ministeria exercere voluerint, ab irregularitatis impedimento solvit, ipsisque facultatem facit, libere, ac licite, quantum attinet ad impedimentum hujusmodi, suos ordines exercendi.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XVIII.

CLXXVII. Cum uxores presbyterorum, quas *Catattaras*, (*a*) sive Cassanarias appellant, hoc titulo, non solum digniorem locum in populo, & ecclesia, ampliorem-que honoris significationem obtinerent; verum etiam proventus in ecclesia, ubi consortes ministrabant, lucrarentur, perinde ac illi, ceterique sacerdotes; immo & aliquando multo pinguiores, quam sacerdotes alii, vel ob antiquitatem, vel ob aliam præeminentiam, qua consortes fruerentur: præcipit Synodus, ut illæ, quæ ab hujusmodi presbyteris se non separaverint, nullum deinceps emolumentum lucrentur, nec a sacerdotibus distributionum participes fiant. Si vero Synodi præceptionibus obtemperaverint, pars una distributionum per modum gratuiti subsidii pro se, suaque familia alenda illi elargiatur, honor etiam, locusque, quem hactenus in populo, & ecclesia obtinuerant, eis conservetur.

DECRETUM XIX.

CLXXVIII. Quamquam Synodus, ea, qua par est, obsequentis animi reverentia, Tridentini Concilii sanctiones omnes, etiam quæ ad rectum ecclesiæ regimen, morumque reformationem pertinent, olim recepit, & semper in posterum servabit; quod tamen in eo Concilio præcipitur, ne permittatur, ut ministrent illegitimi filii presbyterorum in eadem ecclesia, in qua eorum parentes ministrant, vel alias ministraverunt; declarat, non extendi ad filios sacerdotum hujus diœceseos, qui hucusque pro legitimis habiti sunt, tum quia Matrimonium, unde orti sunt, ad hanc usque diem communiter habitum est pro legitimo, tum ob multitudinem filiorum hujusmodi ecclesiis inservientium, tum ob pericula, eaque gravissima, quæ, si id non permitteretur, huic diœcesi impenderent. Declarat insuper, eos posse in ecclesiis iisdem ministrare, in quibus ministrant parentes, posse etiam earumdem ecclesiarum vicarios constitui; quod intelligi tantum debet de filiis illegitimis ex matrimonio, apud eos valido existimato, procreatis; si quos alios vero filios deinceps susceperint, in eos decretum Concilii Tridentini in toto suo rigore servandum esse statuit.

DE-

(*a*) Apud latinos etiam dictæ fuerunt episcopæ, presbyteræ, diaconæ & subdiaconæ uxores episcopi, presbyteri &c. quæ maritis earum ordinatis, episcopi, presbyteri &c. relictæ dicebantur, quæ lege perpetuæ coelibatus tenebantur, non secus ac mariti: Lege *Can.* 2. *Concil. Antisiodoren.* Toletani 1. *Can.* 18. & aliis in conciliis, plures. Ex Virginibus autem, aut Viduis, inaugurabantur diaconissæ, ut ecclesiæ ministerio, maxime pro baptismo Mulierum deservirent: & hæ etiam innuptæ remanebant. In ecclesia vero Orientali Uxores tantum episcoporum electorum, quum earum mariti ordinantur, mutuo & prævio amborum consensu, castitatem promittunt, & aliquod ingrediuntur monasterium. Munera septem potissimum obibant in Oriente extra altare: ad altare etiam aliquibus in rebus ministrabant tam Diaconissæ, quam uxores presbyterorum: at quod *Mulieres servire ad altare non audeant*, jussit Italo Græcis Ben. XIV. Constit. *Etsi Pastoralis anno* 1742. Id est animadversione dignum, in patriarchatu Antiocheno, Abbatissas Monialium, quæ etiam erant Diaconissæ, teste Bathebræo: *Subditis Monialibus Eucharistiam porrexisse*. Vide Assemanum *Dissert. de Syr. Nestorian. pag.* 850.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XX.

CLXXIX. Quoniam simoniæ crimen, quo res spirituales pretio temporali comparantur, inter graviora reputat ecclesia, illudque tanquam christianæ reipublicæ perniciosissimum, acerrimis pœnis Deus supremus criminum vindex punit, Synodus cohibere nequit lacrymas, animo recogitans, universam hanc Diœcesim fuisse scelerum hujusmodi colluvione pene obrutam: palam enim pro sacramentorum administratione pretium, & pecuniæ exigebantur, itaut nunquam ea conferrentur, quin prius aut apud sacerdotes, aut in Capsulis ecclesiæ, postea inter ipsos distribuendum pretium deponeretur, nec (quod piorum exhorrescant aures) ipsa divina Eucharistia aliter ministrabatur; similiter relaxationes legis prohibentis conjugia inter consanguineos, & affines; absolutiones ab anathematis vinculo; consecrationes Altarium; collatio ordinum tam minorum, quam majorum; facultates ad ordines alibi suscipiendos, epistolæ dimissoriales pro clericis ad alias dioeceses transeuntibus, & alia hujusmodi, pacto, & soluto pretio concedebantur. Synodus itaque ut execrabilem hanc, & teterrimam Christiani populi luem procul avertat, (*a*) præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub anathematis poena ipso facto incurrenda, ut pretium nullum, nihilque pretio æstimabile accipiatur, ac solvatur pro rerum spiritualium, quas nuper recensuimus, aliarumve similium concessione: atque adeo sacerdotum nemo pro administratione Sacramentorum audeat aliquid sumere, neque aliquis pro eo quidquam largiri, sed omnino gratis fideli conferantur populo Sacramenta, juxta præceptum domini nostri Jesu Christi: *Gratis accepistis, gratis date.* Excipimus tamen eleemosynas spontaneas, quas fideles voluntarie, nulloque habito respectu ad Sacramentorum administrationem, conferre voluerint, dummodo id non faciant quando sacramenta recipiunt. Sacerdos itaque, qui contra fecerit, ultra anathematis poenam, ab ordinibus, & emolumentis maneat per triennium suspensus: vicariis etiam curæ sit, ut de his rudis populus certior fiat, ne deinceps accidat, ut plures ex pauperibus in Silvis degentes suos non adducant parvulos baptizandos, eo quod ipsis pretium non supperat solvendum pro baptismo, id quod antea pluries accidisse synodus non ignorat. Presbyteri etiam contenti sint stipendiis, quæ pro officiis funeribus, ac missarum celebratione accipiunt, quibus nullam simoniæ labem inesse synodus declarat, sed unice eo spectare stipendia hujusmodi, ut sacerdoti ea die celebranti congrua alimenta non desint. Idem docet synodus de gratuitis aliis largitionibus, quæ ad spontaneam, Deoque gratam beneficentiam Christifidelium erga sacros ministros pertinent: quamobrem, ut hactenus factum est, etiam in posterum inter illos distribui debent. Declarat insuper synodus, quod si forte aliqui ab anathematis poena, in quam ob grave aliquod incurrerunt crimen, absolvantur, quamvis nihil ab iis accipi possit tanquam absolutionis pretium, posse nihilominus iis in poenam admissi criminis, habita ad id a præsule facultate, pecuniariam mulctam irrogari, quæ tamen moderata sit, & non nisi in Christianæ pietatis opera, vel in ecclesiæ fabricam impendatur; si vero egenus fuerit delinquens, ecclesiæ alicujus servitiis addicatur, mulcta pecuniaria prætermissa, ipsique præfiniatur certa temporis mensura, major, vel minor, juxta majorem vel minorem criminis gravitatem.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XXI.

CLXXX. Cum omnimode peroptet synodus, perniciosissimum simoniæ vitium ab hac dioeceси radicitus evellere, probe noscens, illud adeo increvisse ob indigentiam rerum necessariarum, qua ecclesiæ ministri premebantur; vehementer orat omnes hujus dioeceseos populos, ut ex iis, vel viritim homines singuli, vel unumquodque commune juxta vires, præfinitam aliquam pecuniarum summam, ad modum, vel voluntariæ stipis, vel decimarum largiatur, qua summa contributa sustentari possint vicarii, & animarum curam gerentes, quibus ad Divini cultus splendorem indiget ecclesia: de qua re sta-

(*a*) Simoniaca hæresis procul semper rejecta est a catholica ecclesia, quæ non prius erecta est, quam Simon caderet; quod si aliquis particularis homo, vel particularis ecclesia, ea infecta fuit labe, illico a summis pontificibus & concilliis, contra eum ictum. Validius autem grassata semper est in ecclesiam Orientalem: ubi etiam inter Catholicos apostolicæ Cathedræ addictissimos Maronitas, ejus labis species quædam ad hæc usque tempora retenta est, etenim in Monte Libano & patriarchatu Antiochiæ Maronitarum, non conferebantur Sacra Olea, nisi solverentur debitæ Antistiti pecuniæ: quam tamen omnium malorum radicem evellere tentavit Jos. Simon. Assemanus Ablegatus a Clem. XII. in concilio Montis Libani, coacto in monasterio de Loayfa in Chofroena 30. *Sept. anni* 1736. evulsa tandem penitus fuit a SS D. N. Benedicto XIV. anno 1741. approbante canonem concilii Loayfæ, in quo *prohibebatur patriarcha facere quamcumque exactionem, in distributione Olei Sancti Parochis*: etsi aliqui contra niterentur. Fere omnes abusus, quos hic memorat Synodus, irrepserant in Angliam ante *annum* 1100. adeout concilium Londinen. *an.* 1125. sub Honorio II. iis medicamen allaturum, statuit *Can.* 2. *Ut pro Chrismate, pro Oleo, pro Baptismate, pro visitatione infirmorum, seu unctione, pro communione corporis Christi, pro sepultura nullum omnino pretium exigatur.* In corporis Christi distributione, nummis collatis peracta, turpius id apparet quasi nempe iterum Christus venderetur; idcirco prohibitum fuit, *Obolos, vel aliam qualibet speciem* exigere a communicante; *in Can.* 23. concil. Quinisexti, seu Trullani, & in Londinensi mox laudato. In aliquibus Hispaniæ citerioris locis non sine offensione, nec semel vidi infixos in Cereo baptizandi, nummos argenteos, immo & aureos, parocho cessuros; & etiam administrato ægris Viatico, non tantum mensæ candelas, sed & ceteras aliorum in cubiculo extantium celeri manu, ab ecclesiæ inservientibus abripi; quo jure quave decentia, videant alii.

ANNO CHRISTI 599.

ſtatuenda, reverendus Metropolita in qualibet eccleſia agat cum populo, idque ipſi inculcet, chriſtianos nempe ad id jure tum Divino, tum humano obſtringi; nihil enim æquius, quam quod alimenta præbeant ſacerdotibus, pro iis Deum orantibus, ac ſpirituale pabulum omnibus diſtribuentibus, quique & Deo, & præſulibus Dei vices gerentibus de iis rationem reddere debent.

DECRETUM XXII.

CLXXXI. Ut quoquomodo obviet ſynodus ſacrorum miniſtrorum hujus dioeceſeos indigentiæ, atque adeo ſimoniæ viam omnem præcludat, cum populi, qui præfinitam aliquam ſummam contribuere debent, utpote inopes, omnia quæ ad victum corporiſque cultum illis neceſſaria ſunt, ſubminiſtrare non valeant, flagitat a catholica majeſtate regis Luſitaniæ, ut tanquam iſtius chriſtianitatis protector, ac in iſtis regionibus rex unicus dominuſque chriſtianus, dignetur pro ea, qua pollet liberalitate, ac beneficentia, annuam penſionem mille ſaltem, ac quingentorum *Crucigerorum* attribuere (*a*), ex qua ſimul, & pecuniarum ſumma a populis exigenda, hujus dioeceſeos vicariis congrua ſuppetant alimenta; & plane confidit, minime defuturam regionibus hiſce regalem beneficentiam, qua Indiarum regiones ceteræ fruuntur. In ſpem hanc inſuper erigitur ab exemplo concilii provincialis Goenſis tertii, quod cum maxime optaret horum chriſtianorum obedientiam erga eccleſiam Romanam promovere, necnon ſimoniæ vitium ab his regionibus propellere, idem beneficium enixe rogavit. Poſtulat ergo ſynodus ab illuſtriſſimo Metropolita, ut ad hunc finem apud regem preces ſuas, operamque interponat, illi & eccleſiæ hujus vota, & ſacrorum miniſtrorum indigentiam exponendo; interim vero donec regium reſponſum habeatur, ipſe D. frater Alexius de Meneſſes, utpote archiepiſcopus Metropolitanus, & hujus ſynodi præſes, ſecum reputans quanti momenti ſit, ſimoniæ vitium eradicari, & eccleſiarum regimini præeſſe vicarios ipſis addictos, qui & ſacramenta adminiſtrent, & res eccleſiæ prudenter, ac attente gerant, mille & quingentos Crucigeros annuos aſſignat, e ſtipendiis Goæ detrahendos, qui inter vicarios diſtribuantur, quos eccleſiis ſingulis in hac ſynodo conſtituere decernit, prout legitur in diſtributione publicata, & ab eodem archiepiſcopo ſua ſubſcriptione, & majori ſuæ archiepiſcopalis cancellariæ ſigillo munita, quæ illico lecta fuit, audiente, & approbante ſynodo.

ANNO CHRISTI 599.

DECRETUM XXIII.

CLXXXII. Quoniam in hac dioeceſi longe plures ſunt clerici, quam quos divini cultus, & eccleſiæ neceſſitas poſtulat, & ſacrum Tridentinum concilium, non niſi eccleſiæ neceſſarios ad ordines promoveri permittit: præcipit ſynodus, ut in hac ſede vacante, quandiu novus præſul non advenerit, penes quem ſit illius regimen, nullus initietur Sacris, nec ad id facultas ulli concedatur, ſolumque illis, qui jam initiati ſunt, progredi ulterius ad alios majores ordines liceat, prout viſum fuerit Gubernatori in hac dioeceſi, per illuſtriſſimum Metropolitanum inſtituendo: monet etiam Synodus, ut qui ad ſacerdotalem gradum aſcendere debent, inſtruantur in iis, quæ pertinent ad ſacramenta, eorumque adminiſtrationem, ac formam abſolutionis Sacramentalis, ut ubi opus fuerit, aut in caſu neceſſitatis ea uti poſſint, abſolutionem pariter a cenſuris, quæ ſemper præcedere debet Sacramentalem abſolutionem peccatorum in confeſſione, ſaltem conditionalis.

DOCTRINA

De Sacramento Matrimonii.

CLXXXIII. SEptimum ſacramentum Matrimonium eſt; & ſignificat juxta Apoſtolum eam, quæ eſt inter Chriſtum, ejuſque eccleſiam unionem. Perficitur Matrimonium mutuo amborum conjugum conſenſu, verbis, vel ſignis de præſenti declarato, conſenſu inquam, qui juxta verborum, vel ſignorum expreſſionem ſuum in præſens ſortiatur effectum. Conſenſus hujuſmodi, qui quidem a mundi exordio (*b*) cœpit eſſe, & ſub quacumque lege fuit, a Chriſto Domino, ſacramentorum novæ legis inſtitutore ſacramenti dignitatem accepit;

(*a*) Luſitanice *Cruzados* eſt monetæ genus, pendens aut æquivalens quinque paulis Romanis, & 6. bajoc: ſi vero ſint *Cruciati* ſeu *Crucigeri* aurei; quilibet horum valorem habet 56. *Paul. Rom.* la Crozæus *pag.* 256. vertit pro Cruciatis, *ſcuta*; at non bene, quilibet enim Cruciatus argenteus non pendet in Luſitania niſi 48. *Bajoc.* Romanos; & Romæ ut diximus æquivalet 56. *Bajocis*, aut 6. *Pauli & Baj.* 6. aut alio nomine 440. *Reys.* Luſitanis.

(*b*) Sub hac ratione, & ut eſt naturæ officium, inſtitutum & initum fuit Matrimonium in Paradiſo, ante peccatum, inter Adamum & Evam; atque illa nuptiarum lex, quam ipſa dictaverat natura, a Deo confirmata fuit. Vide Tertull. *lib. de Anima cap.* 11. Hieron. *in Cap.* 5. *Epiſt. ad Epheſios*, & Auguſt. *Lib. de Bono Conjug. cap.* 13., *& lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 22. Concilium etiam Senonen. *anno* 1528. in Decretis morum: *Decret.* 39. aſſerit: *Matrimonium eſſe a Deo in Paradiſo, & in ſtatu innocentiæ inſtitutum.* Sed omnium luculentior habetur inſtitutionis ejus explicatio in concilio Moguntino *anno* 1549. *in cap.* 36. per hæc verba: *Matrimonium quippe, ab initio ad officium naturæ inſtitutum; tandem ex Dei benignitate, infirmis hominibus ad remedium ceſſit: ut jam hæc maris & feminæ commixtio; quæ alioquin propter turpem concupiſcentiæ motum, peccato non careret: propter gratiam Sacramenti, conjugibus ad peccatum non imputetur, ſed ſit honorabile connubium, ac thorus immaculatus.* Vocatur Sacramentum etiam, in latiori quodam ſenſu a Theologis; connubium ſub lege naturæ & ſcripta; ceterum ab uno Chriſto ad Sacramenti honorem proprie fuit elevatum. Videſis Tournely *De Matrim. Quæſt.* 2.

ANNO CHRISTI 1599.

pit; Unde matrimonium dupliciter consi-
derari potest, & ut contractus, ac natura-
lis conjunctio, & ut sacramentum a Chri-
sto Domino nostro institutum. Conjugio in-
dissolubile, ac perpetuum vinculum Deus
adnexuit, quod mors sola dissolvit; juxta
illud Christi: *quod Deus conjunxit, homo
non separet*. Hoc vinculum ipsi sub utraque
consideratione competit, sed potissimum
competit ipsi tanquam Sacramento. Per il-
lud, sicuti & per reliqua Sacramenta, con-
fertur gratia; etenim Christus ipse auctor
& Institutor divinorum Sacramentorum, sua
nobis meruit passione gratiam, qua natu-
ralis ille amor perficeretur inter uxoratos;
& firmaretur conjunctionis matrimonialis
nexus inter conjuges, & conjuges ipsi san-
ctificarentur. Duplicem etiam respectum in-
venimus, & finem in Matrimonio, ob quem
institutum fuit: primo & præcipue ob pro-
creationem, & generationem prolis ad mun-
di conservationem, & propagationem po-
puli fidelis Deo inservientis: secundo & mi-
nus præcipue ob remedium libidinis, quo
nempe uterentur in hoc propensi vitium,
uti remedio a Deo accepto, ne in illud la-
berentur, cum suis uxoribus in eodem ma-
nentes contubernio. Quamobrem non semel
tantum, sed pluries iniri matrimonium po-
test femina, vel viro conjuge vita functo,
cum non solum in primo, sed etiam in re-
liquis conjugiis matrimonii finis obtineri
possit. Quibus ita se habentibus, tanquam
hæreticos detestatur ecclesia, reprobantes
secundas nuptias tanquam illicitas, quod
antiquitus nonnulli asseruerunt Hæretici, ac
nostris hisce temporibus tuentur in his re-
gionibus aliquæ Ethnicorum sectæ, superstiti-
oni magis addictæ. Ex prædictis illud etiam
consequitur, non solum matrimonium posse
contrahi inter eos, qui fœcundi sunt, &
vim habent gignendi prolem, sed etiam in-
ter steriles, de quibus juxta consuetum na-
turæ cursum nulla spes est, ut filios pro-
creent: possunt enim vero ii saltem matri-
monii finem alterum obtinere: ii vero, qui
neutrum finem obtinere possunt, ut pueri
impuberes, & qui ad usum Matrimonii sunt
perpetuo inhabiles, Matrimonium contrahe-
re nequeunt: quia tamen primum impedi-
mentum a minori ætate ortum, cessat pu-
bertate adveniente, idcirco ecclesia certum
præfinivit tempus, quod nisi fuerit exple-
tum, matrimonia iniri non possunt. Quid-
quid vero de primævo rigore, lege naturali,
& subinde de lege Mosaica remissum est, Chri-
stus in lege sua Evangelica in integrum re-
stituit. Quamvis enim antiqui Patres ex pri-
mævi juris relaxatione a Deo concessa, plu-
res duxerint Uxores, & lex Mosaica permi-
serit libellum repudii, neutrum tamen post
legem Evangelicam licet. Quamobrem Ma-
trimonium pristinæ puritati restitutum fuit,
nec licet cuiquam plures habere Uxores, aut
quam habet repudiare, aut aliam ducere,
prima superstite. Tria insuper sunt matri-
monii bona præcipua, primum nempe Pro-
lis generatio, per quam Populus fidelis pro-
pagetur, & latius veri Dei cultus extenda-
tur: secundum est fides, quam quilibet con-
jugum illibatam servare debet erga alterum:
tertium perpetuum Matrimonii vinculum,
quo significatur indissolubilis conjunctio, &
unio Christi cum sua ecclesia; & licet for-
nicationis, adulteriique causa, licita fiat
conjugum separatio quoad contubernium,
non licet tamen cum alio matrimonium
contrahere, quia Matrimonii valide contra-
cti vinculum, non aliter quam alterutrius
morte conjugis dissolvi potest.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM I.

CLXXXIV. Sacra Mater Ecclesia cele-
brationem contractus Matrimonialis ita sta-
tuit, ut vel primo aspectu sanctum quid es-
se, sancteque tractandum omnibus innote-
sceret: itaque ad plura vitanda valde ab-
sona, atque adeo dignitati hujus Sacramen-
ti minime consentanea, constituit, palam,
ac in facie ecclesiæ matrimonia celebrare,
scilicet coram vicario proprio, & parocho,
aliove sacerdote de ipsius, aut præsulis li-
centia; præsentibus etiam duobus, vel tri-
bus testibus; quodlibet autem matrimonium
absque hujusmodi solennitate parochi, duo-
rumque testium celebratum, eo ipso nullum
fore, (*a*) nulliusque valoris: & quod con-
sectarium erat, decrevit insuper, ut nec
ipse parochus sine duplicis testis præsentia,
nec sacerdos alius sine parochi facultate au-
deat aliquos conjungere. Quæ cum in hac
Diœcesi minime servari Synodus certo sciat,
nam coram quocumque ex Caffanariis, &
ubilibet pro contrahentium libito Matrimo-
nia celebrantur, ex quo, & morum disso-
lutio, & non leves perturbationes oriuntur.
Præterea diversos ritus (*b*) ac verba diver-
sa in variis Regionibus ad hanc Diœcesim
pertinentibus usurpari in contrahendis con-
nubiis; præcipit, ut omnia supradicta, quæ
Tridentinum Concilium statuit, integre ser-
ven-

(a) Clandestina conjugia *semper detestatu est Ecclesia Dei* ut ait Trident. *de Matrim. in Decret. de reform. cap.* 1. & quidem a temporibus apostolicis: Sanctus enim Ignatius ad Polycarp. ait: *Decet ducentes & ductas cum sententia episcopi unionem* (matrimonialem) *facere, ut sit secundum Dominum, & non secundum concupiscentiam*. Consonat Tertullian. variis in locis, & maxime *lib.* 2. *ad Uxorem* Hermisdas *apud Gratian.* 30. *q.* 5. Plura etiam capitularia, signanter Pippini regis *anno* 735. & concilia multa; has etiam clancularias nuptias vetuit Deum variis modis in Gallia puniviſſe cum ex *lib.* 7. *Capitular. Reg. Franc. Cap.* 79. apud Marten. *De rit. tom.* 2. *col.* 343. constet, ex illis procreatos esse cæcos, claudos, gibbos, lippos &c. Ipsis tandem Ethnicis non probabantur dicente Apulejo *Lib.* 6. *Nuptiæ in Villa, sine testibus & patre non consentiente facta legitima non possunt videri*.

(b) Tridentinum non reprobat alios ritus & verba; cum enim statuit ut parochus dicat: *Ego vos conjungo &c.* subdit: *vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum*. Vide *Sess.* 24. *Dec. de Reform. cap.* 1. Unde non recte aliqui Scholastici in illis verbis Matrimonii ritum figunt, quæ ut ait Martene *De ritibus tom.* 2. *col.* 347. inaudita erant antiquis, quæque in aliquibus

ANNO CHRISTI 1599.

ventur : quamobrem quodcumque connubium, Concilii Tridentini decretis diffentaneum, atque adeo contractum fine parochi, duorumque teſtium præſentia, declarat eſſe nullum, & contrahentes non jungi matrimonio, ſed concubinatu implicari. Decernit inſuper ut parochus, qui ſponſum, & ſponſam audeat jungere, ſine duorum ſaltem teſtium interventu, ſimiliter Sacerdos, qui abſque licentia Parochi aut Ordinarii matrimonio aſſiſtat, ab ordinibus, & proventibus per annum absque relaxationis ſpe, ſint per ſuſpenſionis cenſuram impediti : Matrimonium itidem declaretur nullum, quique ita contraxerunt, rurſus conjungantur. Poſtremo declarat, poſſe contrahentes per alterutrum parochum, ſive viri, ſive feminæ conjungi, & ſi ut plurimum per feminæ parochum conjungi ſoleant.

DECRETUM II.

CLXXXV. Matrimonium contrahi debet verbis exprimentibus mutuum conſenſum pro tempore præſenti, quod cum in hac dioceſi plerumque ſervari non ſoleat, ſed non raro contrahentes conſentiant per verba habitura ſuum effectum pro tempore futuro ; præcipit Synodus, ut ubi ſponſus, & ſponſa ſe ſiſtunt ad eccleſiæ fores, parochus, vel alius Sacerdos ab illo delegatus, aut cui præſul facultatem fuerit imperitius, ſuperpelliceo indutus, ac ſtola e collo pendente, & coram duobus ſaltem Teſtibus, eos interroget ; num velint inter ſe contrahere ? Illiſque voce tenus aſſerentibus, aut manifeſtis ſignis conſenſum explicantibus, itaut nullus ſuperſit dubietati locus : poſtea ſacerdos extremitatem alteram ſtolæ e collo ſuſpenſæ ſuperponat palmæ ſuæ manus ſiniſtræ, ſupra quam ſtolæ extremitatem interjectam recipiat dexteram inverſam ſponſæ, cui decuſſatim jungatur deinde dextera ſponſi in crucis ſpeciem, ſic vero junctas dexteras, ſtolæ extremitate altera contegat, iiſque dexteram ſuam ſuperimponat, itaut manus ambæ ſacerdotis intercipiant novorum conjugum dexteras ſtola coopertas. Quibus peractis, ſignet dexteras conjugum ſigno crucis, illiſque benedictionem impertiatur, dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Curet deinde ut ſponſa dicat : *Ego N. accipio te N. in meum maritum legitimum, prout præcipit Sancta Mater eccleſia Romana.* Mox eamdem ferme, uſurpans verborum formulam, ſponſus dicat: *Ego N. accipio te N. in meam legitimam uxorem, prout præcipit Sancta Mater eccleſia Romana* : quibus verbis adjungat ſacerdos: *Et ego auctoritate qua fungor, vos in Matrimonium conjungo; In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen;* & aſpergendo eos aqua benedicta dicat: *Per aſperſionem hujus aquæ benedictæ donet vobis Dominus ſalutem, & benedictionem Amen.* Si vero conjuges primas celebraverint nuptias, eos ad Aram maximam ducat, & ſuper illos ibi genuflexos, benedictiones recitet, quæ habentur in Rituali Romano *de adminiſtratione Sacramentorum*, quod Syriace tranſlatum ad manus ſit in omnibus eccleſiis : ſi autem contrahentes fuerint vidui (*a*), benedictiones non recitabit, ſed facta oratione intra eccleſiam, eos dimittet.

DECRETUM III.

CLXXXVI. Ut nulla circa Matrimonia fraus obrepat, innoteſcant etiam impedimenta ipſis obſtantia ; conſtet inſuper cunctis de eorum celebratione: nec non quoad omnia Sacro Concilio Tridentino conformentur : præcipit ſynodus, ut inviolabiliter, ac rigoroſe, quæ ab illo ſtabilita ſunt, obſerventur, atque adeo nomina futurorum conjugum publicentur in eccleſiis intra illorum Parochiam, idque tribus diebus feſtis, & Dominicis, ubi populus ad audiendam miſſam convenerit, fiat per Parochum, vel alium de ipſius mandato ; dicendo

bus Ritualibus etiam *ante 400. annos* exaratis deſiderantur. Memorare libet quod habent acta S. Amatoris, epiſcopi Antiſiodor. qui cum celebraret nuptias, & epiſcopus Valerianus, loco verborum benedictionis nuptialis, recitaſſet orationes pro ordinando Diacono ; ſolo ipſo & conjuge id animadvertentibus, *quaſi divino nutu id factum eſſet, de propoſito ſervandæ Virginitatis tractare cœperunt.* Sacerdotis verba, quibus nubentes jungebantur, arbitraria fere videntur fuiſſe, percurrenti antiqua Ritualia, & lingua vernacula plerumque, ut *in Ord.* 11. Martene, in quo legitur. *Decet anneau te eſpouſe in nomine Patris &c. In Ord.* 13 rhythmus iſte ad annulum habetur.

Par cet anel l' Eliſe enjoint.
Que nos deus cueurs en ung ſojent Joints.
Par uray amour & loyale foy.
Pour tant, je te metes en ce doy. In nomine Patris &c.

Deinde ſubjungebat Sacerdos : *Deſponſo vos in facie Eccleſiæ. In nomine &c.*

(*a*) Secundas nuptias ægre ſemper tulit eccleſia, quaſi eſſet incontinentiæ ſignum bis contrahere ; immo antiquiores ex patribus, bigamiam fornicationi & adulterio adnumerant ; neque permittebantur niſi certis legibus. 1. ut mulier nonniſi tranſacto luctus anno contraheret. 2. ut conſenſus Sacerdotis & populi accederet. 3. quod etiam hic ordinatur : privabantur benedictione nuptiali. 4. non coronabantur. 5. arcebantur ab Eccleſiæ eleemoſynis. 6. ſubjacebant publicæ pœnitentiæ, & ab Eccleſiaſtica communione excludebantur anni aliquando, aut biennii ſpatio. Dura ſemper viſa eſt, lex impoſita Hiſpaniæ Regnis in Concil. *Tolet.* 13. *anno* 683. ut nimirum a ſecundis nuptiis omnino abſtinerent : durior autem quam paulo poſt edixit Concil. 3. *Caſarauguſtan. Can.* 3. *anno* 791. nempe *Ut relicta Principis .... veſtem ſecularem deponat, & alacri curioſitate religionis habitum aſſumat.* Tandem bigami non coronabantur ; ſed ex quo Copronymus Eudoxiam in tertiam ſibi uxorem adſcivit, in aliquibus Græciæ eccleſiis etiam hodie coronantur a Sacerdote, qui Virginibus aptat corollam ipſarum capiti, Viduis vero humero imponit ; quod lepide irridetur a Theodor. Studita *Ep. ad Naucrat. apud Marten. tom.* 2. *col.* 349. *Tertio nubenti* (ait ille) *ubi nam ponetur corona ? In manu, an ad genu ?*

ANNO CHRISTI 1599.

optat contrahere Matrimonium N. Filius N. N. & N. talis loci naturalis, cum N. Filia N. & N. naturali talis loci; qui aliquod sciat Impedimentum opponendum, sub excommunicationis pœna illud exponat. Vicarius autem, cui aliquod impedimentum legitimum denuntiabitur, contrahere volentes non conjungat, quin prius Præsulem de impedimento moneat, ut quod æquum judicaverit, decernat; legem autem has denuntiationes, & præconizationes præscribentem, præsul tantummodo relaxare poterit, ubi tamen probabiliter suspicetur, aliquem fore, qui perperam eas nuptias impedire conetur; & quamvis tunc illis omissis, a Vicariis conjungi possint, nihilominus id non præstent, nec nuptiis solemniter benedicant, nisi prius in ecclesia denuntiationes fiant, ut siquæ alia fuerint impedimenta facilius innotescant; nisi præsuli visum fuerit opportunum, quantum ad hanc rem quidquid lege præscribitur, prorsus remitter: Concilium enim Tridentinum id ejus prudentiæ ac arbitrio permittit. Sacerdos vero qui conjugium contrahere volentes, non præmissis denuntiationibus, nec habita ad id a præsule facultate, conjunxerit, per semestre ab ordinum exercitio, & ecclesiasticorum proventuum perceptione, per censuram suspensionis prohibeatur.

DECRETUM IV.

CLXXXVII. Sacri Concilii Tridentini vestigiis inhærendo (*a*) præcipit Synodus, ut in unaquaque curiali ecclesia habeatur liber, cujus paginis singulis notæ numerales præsignantur, non secus ac in libro, in quo recenter baptizati recensentur, juxta ea, quæ præscripsimus, ubi de Sacramento Baptismatis. Vicarius in hoc libro nomina contrahentium scribat, locum etiam, diem, mensem, & annum, & testes, qui præsentes extiterint, quos communiter vocant Patrinos: in hunc modum: *Die N. mensis N. anni N. Ego N. Vicarius ecclesiæ* (apponatur hic nomen Sancti illius, cui dicata est ecclesia, & loci ubi illa sita est) *in matrimonium conjunxi N. filium N. & N. cum N. filia N. & N. talis loco natos, utrumque ad ecclesiæ januam juxta Sacrum Concilium Tridentinum, fueruntque testes N. & N.* Deinde nomen suum Parochus & ambo testes subscribant; quando vero alius sacerdos, facultate sibi a vicario, vel præsule impertita, aliquos matrimonio conjunxerit, subscribet ita: *Ego N. Cassanarius de licentia N. vicarii loci N.* (vel *de licentia Prælati*, si eam habuerit) *conjunxi ad ecclesiæ januas N. filium N. & N.* (nominatis parentibus ipsius) *loci de N.* [locum designet, in quo degunt, prout præcipitur a Concilio Tridentino] *fueruntque testes N. & N.* quorum nomina scribat: postea suum nomen addat, idemque post illum faciant testes, qui matrimonio, dum contraheretur interfuere: & hic liber inter alios ecclesiæ diligenter asservetur. Præsul etiam in Visitationibus, si quid de rebus nuper præscriptis neglectum fuerit, sedulo inquirat.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM V.

CLXXXVIII. Quoniam Matrimonium Sacramentum est, atque adeo gratiam confert, ut ad illud contrahentes digne accedant, hortatur Synodus, decretis Tridentini inhærens, (*b*) præcipitque, ut illi triduo ante, graves culpas, si quas habent, confessione expient, ac deinde, nisi aliquid obstet, Sacram Mensam adeant; quod si secus fecerint, a vicariis, quorum erit de hac re diligenter inquirere, ad celebrationem matrimonii non admittantur. Matrimonia insuper statuit, ut non alibi, quam in ecclesia celebrentur, qua in re caveant contrahentes, ne vel propria, vel aliorum ignavia ad ecclesiam accedere detrectantium, se abripi sinant. Quæ tamen sic accipi vult Synodus, ut nihilominus matrimonium verum sit, ac validum ubicumque celebretur, dummodo fiat coram parocho, ac duobus testibus: solum itaque ut ea, quæ Sacramento debetur decentia servetur, parochis inculcat, ut secluſa urgentissima causa, matrimoniis extra ecclesiam non assistant.

DECRETUM VI.

CLXXXIX. Perpetuo ecclesia, etiam in lege veteri, gradus prohibitos proquinquitatis agnovit, intra quos matrimonium celebrari nequit, & celebratum nullum est, & irritum; & ex hujusmodi gradibus alii sunt, intra quos divino naturali jure prohibetur, ut primus gradus inter ascendentes & descendentes, ac inter Fratres; alii qui jure prohibentur positivo. Itaque declarat Synodus, gradus, intra quos præsenti tempore ecclesia matrimonium, non habita prius relaxatione, contrahere vetat, contractumque sine illa, nullum sortitur effectum, computari debere usque ad quartum gradum *inclusive*, tum consanguinitatis, tum affinitatis, nec ultra extendi; in quorum secundo recen-

(*a*) Trident. Synod. *Sess.* 24. *Decret. de Reform. cap.* 1.

(*b*) Ita disponit Tridentin. *Decr. de Reform. cap.* 1. *Sess.* 24. Idem habet Remense *anno* 1564. celebratum. Animadversione dignum est illud Concilii Aquensis. *Contra maleficia, conjuges antequam contrahant, saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata confiteantur, & ad Eucharistiam accedant.* Ita Aquense Concil. *anno* 585. *Tit. de Matrimonio.* Sub depositionem etiam impertiebatur Sponsis sacra communio in Ecclesia latina, ut constat ex *Missali Gelasiano, & Mss. Codic. Remensi & Gellonensi.* In Græca idem fiebat, at sub una tantum panis specie communicabant; & licet in Euchologiis mentio fiat Calicis in nuptiis, intelligendum est loqui de calice vitreo, in quo vinum non consecratum ipsis porrigebatur; quique ex *Eucholog. Cripta Ferrata* laudato ab Arcudio *lib.* 7. *cap.* 31 frangi subinde debebat; ne tamen isti componas ritum servatum in Madure, frangendi in nuptiis nucem indicam, vel *Coco*, qui Decreto Card. Tournonii prohibitus fuit anno 1704. & a Bened. XIV. an. 1744. *in Constit. Omnium solicitudinum.*

ANNO CHRISTI 1599.

recenſentur ex Patruelibus Fratres (*a*) Filii ex Fratribus (*b*), & ex Avunculo ex parte patris, aut matris (*c*) in tertio filii conſobrinorum (*d*) filii ex patruelibus (*e*) & ex avunculis patruelibus patris aut matris, (*f*) in quarto tandem filii Sobrinorum, & nepotes patruelium, & filii ex conſobrinis patris, aut matris, aut patruelium avi, aut aviæ (*g*). Atque intra eoſdem affinitatis gradus etiam prohibetur matrimonium inter affines uxoris, & viri, ſi cum aliquo eorum contrahentes prius conjuncti extiterunt. Inter affines vero per copulam illicitam impedimentum non protenditur ultra ſecundum affinitatis gradum; extra eos autem gradus, nulli ſunt alii, qui matrimonium impediant. Contractum vero intra gradus illos quatuor, eſt prorſus irritum atque invalidum; & qui contraxerint, lethalis peccati concubinatus rei erunt, non veri conjuges. Quia tamen poteſt aliquando contingere, ut juſtis de cauſis, velint contrahentes conjugium inire, intra gradus jure tantum poſitivo prohibitos, matrimonium impedientes; ſi id contingat, petere debent legis eccleſiaſticæ relaxationem, vel a ſancta ſede apoſtolica, vel a præſule, qui a ſancta ſede ad id delegatam facultatem habuerit, expoſitis gradu, a cujus impedimento per legis relaxationem ſolvi petit, necnon cauſa, quæ ad hoc ipſum compulerit; qua in re ſe gerat præſul, prout ſibi in Domino videbitur. Præſul inſuper, qui relaxandi facultatem a ſede Apoſtolica obtinuerit, id faciet omnino gratis, nihil accipiendo a contrahentibus, etiam ſpontanee exhibitum, ut ab hac ſynodo præſcribitur. (*b*)

A

B

C

DECRETUM VII.

CXC. Ultra corporalem propinquitatem conſanguinitatis, & affinitatis, quæ in præſignatis gradibus connubia impedit, alia ſupereſt cognatio, quæ pariter impedimento eſt connubiis. Vocatur hæc cognatio ſpiritualis, (*i*) & intercedit patrinum inter & matrinam, ac filium ſpiritualem, necnon inter Patrem, & Matrem ex una parte, Patrinum, & Matrinam ex alia, quæ perſonæ fiunt inter ſe compatres, & commatres. In Baptiſmo itaque patrini, qui puerum Baptizatum a ſacro fonte excipiunt, ſimiliter in Sacramento confirmationis, qui confirmandum adduxerit, & præſentaverit, & idem de aliis, quorum nuper meminimus, ut diximus in decretis de baptiſmate, & confirmatione, cognationem contrahunt, quæ quidem ſpiritualis cognatio, tam inter Patrinos, & filios ſpirituales, quam inter compatres, & commatres Matrimonium impedit, itaut ſine relaxatione a ſede Apoſtolica obtenta, vel ab alio a ſede Apoſtolica delegato, validum Matrimonium contrahi nequeat; & qui contraxerint, ob nefarium concubinatus crimen, æternæ damnationis rei ſunt. Petant ergo cognationis hujuſmodi vinculo obſtricti relaxationem, juxta ea, quæ nuper dicta ſunt. Admodum raro tamen, & nonniſi ex graviori aliqua cauſa relaxationes hujuſmodi, juxta laudabilem eccleſiæ conſuetudinem concedi ſolent.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM VIII.

CXCI. Cum hactenus in hac dioeceſi impedimentum cognationis, quoad aliquos gradus ulteriores jure eccleſiaſtico initum, non ſatis perſpicue innotuerit, nec ſatis fuerit compertum, facultatem illud relaxandi propriam eſſe ſedis Apoſtolicæ, hinc factum eſt, ut hujus eccleſiæ præſules, quantumvis a ſede Apoſtolica non delegati, impedimentum hoc ſæpe numero relaxaverint, atque adeo complures longe ante conjugia ſic inierint, & ſine ullo conſcientiæ angore,

(*a*) In textu habetur: *Primos com irmaos.*
(*b*) *Filos de irmaos.*
(*c*) *E Tio irmaos de Pay ou May.*
(*d*) *E no terzeyro primos ſegundos.*
(*e*) *Filhos de primos com irmaos.*
(*f*) *E Tios primos com irmaos de Pay ou May.*
(*g*) *No quarto, primos terceiros, Filhos de primos ſegundos, e netos de primos com irmaos, e Tios primos ſegundos de Pay ou May, e primos com irmaos de Avo ou Avoo.* Combinationes graduum & Perſonarum inter ſe, quibus Matrimonium intra quatuor illos gradus prohibetur, plurimæ, præter allatas a ſynodo, recenſeri poſſent. Et quidem Neſtoriani gradus conſanguinitatis & affinitatis obſervant, de quo vide Jeſujabum Arzunitam *Can.* 13. & Timotheum *Can.* 18. Omnium autem diffuſior eſt in recenſendis perſonis Ebedejeſus Soben. *Epit. Can. Par.* 1. *cap.* 1. qui deſignat quinque ſupra ſexaginta feminas, totidemque mares, quibus ex propinquitate interdicitur Conjugium. Ad Græcos autem propius accedunt, quam ad Latinos, in recenſendis gradibus; de diſcrimine vero inter Græcos & Latinos vide Arcudium *lib.* 7. *cap.* 30.

(*h*) Hæc ad præſcriptum Tridentini Concilii ſtabilita ſunt in quo *Seſſ.* 24. *cap. V. de reform. Matrim.* cavetur quod *vel nulla detur diſpenſatio, vel raro, ex cauſa, & Gratis concedatur.* Vide infra *Dec.* 8 *Not.*

(*i*) Canones Arabici Niceni ſtatuunt, quod ſi quis contrahit cum Patrinis vel Matrinis *ſuis Habeatur tamquam Ethnicus, donec ſeparetur, & annis viginti agat pœnitentiam.* Trullana Syn. ait *Can.* 53. quod *ſeparetur & pœnas ſubeat fornicatorum.* Ex eccleſiaſtico tantum jure, cognatio ſpiritualis Matrimonium dirimit, ratione ut videtur, deſumpta ex cognatione legali adoptionis filialis; *Quoniam ſpiritualis neceſſitudo* [ait Trullan.] *ſeu affinitas, corporum conjunctione major eſt.* Initium hujus impedimenti ſtatuitur a Junino ante finem ſeculi quarti; at fundamento ruinoſo *Epiſtola Deus dedit Papæ ad Gordianum Hiſpalen.* Illud certum eſt, illius impedimenti meminiſſe ſec. 6. Juſtinian. imperat. *in leg.* 26. *Cod.* Videſis eruditiſs. Catalan. *tom.* 3. *in Concil. ad Can.* 53. *Trullan.* Altum eſt ſilentium de hoc impedimento in auctoribus Neſtorianis, & eorum *Conſtitut. Synod.* unde ii & conſequenter Malabarenſes Chriſtiani D. Thomæ, antiquam in hoc eccleſiæ ſuæ diſciplinam tenuerunt, ut proximo Decr. 8. perſpicue fatetur noſtra Synodus. Italo Græci id obſervare tenentur *ex Conſtit. Bened. XIV. Etſi Paſtoralis.*

ANNO CHRISTI 1599.

tanquam veri conjuges vivant, opportune synodo, ad consulendum veræ tranquillitati conscientiarum, visum fuit, ut prædictos conjuges a cognationis impedimento solveret R. Metropolita, ea facultate, qua in his regionibus pollet, sibi delegata per Diploma, sive Breve Gregorii papæ XIII. felicis recordationis, ad petitionem P. P. Societatis Jesu, ac per Clementem papam VIII. nunc Dei ecclesiam gubernantem confirmatum; quapropter hac utens facultate, & consultis etiam laudatis Societatis Jesu Patribus, ad sedandas conscientias eorum, qui freti concessionibus omnino irritis, contraxere connubia, prælaudatus Dominus omnes, qui prædicto modo irrite contraxerint, solvit ab omni impedimento, (*a*) orto a quocumque cognationis, sive spiritualis sive corporalis, sive consanguinitatis sive affinitatis gradu, ex iis, in quibus ex jure ecclesiastico, si matrimonium contrahatur, contractus nullam firmitatem habet, & omni caret effectu. Hanc insuper relaxationem firmam ratamque haberi vult, perinde acsi illa singulorum conjugum, qui illa indigent, expresse, & singillatim nomina recenserentur; quantumque de jure potest, ac debet, id totum tanquam factum accipi vult. Duo tamen hac in re præcipiuntur, primum a R. Metropolita, ut nempe conjuges hujusmodi ad majorem suæ conscientiæ securitatem, clam suis in domibus, vel ubilibet, ad ipsorum arbitrium, iterum Matrimonio copulentur coram quolibet Sacerdote (cuilibet enim ad id facultatem impertitur) & coram duobus testibus, juxta præscriptum Concilii Tridentini. Alterum quod a synodo præcipitur est, ne in posterum relaxationes hujusmodi ab impedimento cognationis concedantur, nisi ad normam Diplomatum, sive Brevium, quæ in his partibus ad hunc effectum a Sancta Sede Apostolica habentur: si vero secus relaxationes hujusmodi concedantur, irritæ prorsus erunt, & Matrimonia sic contracta, infirma prorsus, & nulla.

DECRETUM IX.

CXCII. Ut in omnibus ecclesiæ universæ se conformet: prohibet synodus, quod ab illa prohibitum est, (*b*) ne scilicet Nuptiæ celebrentur a prima die Adventus Domini, usque ad diem Epiphaniæ; necnon a quarta feria cinerum, usque ad diem Dominicum post Pascha, qui tamen dies est in ipsa prohibitione inclusus, nec solum hanc temporum exceptionem, juxta Ecclesiæ sanctionem vult inviolabiliter servari; sed insuper servari vetustissimam hujus ecclesiæ consuetudinem, juxta quam cum Quadragesimale jejunium inchoetur a die Dominico, qui dicitur quinquagesimæ, ab hac die pariter obligat, & servari debet nuptiarum prohibitio. Aliis vero diebus, quantumvis esurialibus, prout cuique visum fuerit, Nuptiæ celebrari poterunt.

DECRETUM X.

CXCIII. Cum in hac Diœcesi nulla ætatis contrahentium connubia ratio habita fuerit, idque Sacris Canonibus adversetur, præcipit Synodus, ne vir ullus, qui decimum quartum ætatis annum, nec femina ulla, quæ duodecimum non exegerit, Matrimonio copulentur. Declarat insuper, præsules legem hanc relaxare non posse, sed ipsorum tantummodo esse, si quis citra ætatem illam contrahere velit, ad examen revocare, an ad Matrimonium idoneus sit necne: Quod si deprehenderit, malitiam ætatis defectum supplere, poterit ipsi facultatem contrahendi impertiri, quod tantum fiat justis de causis, ut consultius sit conscientiæ contrahere volentium; ac ne Ethnicorum a teneris annis contrahentium imitatio in hac Diœcesi, in qua complures sunt novennes, & decennes; immo etiam minoris ætatis, jam uxorati, latius propagetur, & in dies magis, ac magis augeatur; opportune decernit Synodus, relaxationem concedendam, ac supplementum ætatis protendi non posse ultra quatuor menses in viris, & sex in feminis: neque facultatem ad id intra nuper præfinitos temporis limites, a vicariis concedi posse, sed unice a præsulibus. Quod si qui infra decimumquartum annum si viri, infra duodecimum si feminæ, absque speciali facultate a præsule obtenta, contraxerint, sciant, Matrimonium sic contractum, non esse verum Matrimonium, sed mo-

(*a*) Perquam oportune, & ex ecclesiæ mente, & benignitate in hoc dispensavit Synodus, dicente Gelasio Ep. ad Episc. Luc. *Necessitas temporum præcepta relaxanda disposuit*. Omnino etiam juxta stabilita Conc. Trident. *Sess.* 25. *Decr. de Reform. Cap.* 18. dicente: *Publice expedit, legis vinculum quandoque relaxare: id fiat causa cognita ac summa maturitate atque gratis*.

(*b*) Ita habet Trident. *Sess.* 24. *Dec. de Reform. cap.* 9. Canone autem *ejusdem* 11. anathemate ferit nonnullos dicentes, quod prohibere nuptias certis anni temporibus, superstitio esset tyrannica, ab Ethnicis profecta. Primum omnium quod nobis videre licuit Concilium, quod id statuerit, Illerdense est *anno* 1246. laudatum *a Gratiano* 33 *q.* 4 Quocirca adnotaverimus duplici tempore nuptias ecclesiam prohibuisse, tempore nimirum jejunii aut pœnitentiæ, & tempore orationis, vel devotionis. Propter illud vetitæ sunt ab Adventu usque ad Epiphaniam, & a feria 4. Cinerum ad Pascha; aut sicut statuit Illerdense a septuagesima, & idem Nemausense *anno* 1284. & nostra Synodus a Quinquagesima. Ob alteram rationem cautum est in Aquisgranen. *Can.* 18. *anno* 836. ne fiant nuptiæ die Dominica: Illerden. excipit tres hebdomadas ante festum Præcursoris, & in quibusdam Germaniæ locis, teste Mabillon. *in Itin. Germ. pag.* 46. dies triginta post Assumptionem Deiparæ: sæpius autem vetantur ratione devotionis, & pœnitentiæ simul, ut IV. & VI. feria; ut *in Excerptis habetur* Egberti Eboracen. *cap.* 106. Quæ omnia non tam intelligenda sunt de nuptiis, secundum se consideratis, quam de solemnitate nuptiarum, quæ præsertim in Benedictione nuptiali consistit: quod optime explicat formula Hispanis usitata pro eo tempore, ubi non edicitur quod prohibentur nuptiæ, sed ita habet: *Se prohiben las valaciones*: id est, prohibetur hoc tempore conjuges velare, aut velum super illos cum benedictione expandere.

tantummodo ſponſalia, ſi e Matrimonii ſponſionem. Sacerdotes autem, qui Matrimonia hujuſmodi admiſerint, ordinum exercitio, & eccleſiaſticis proventibus per ſemeſtre priventur, & contrahentes, donec requiſitam impleverint ætatem, ſejungantur.

DECRETUM XI.

CXCIV. Cum plures ex uxoratis in hac Diœceſi, non expectata eccleſiæ ſententia, cujus eſt de cunctis cauſis matrimonialibus cognoſcere, ab uxoribus divertant, (*a*) ſicque ſeparati diu maneant, ac ſæpe pluribus, gravibuſque irretiti peccatis; Synodus de hac re certior facta, prohibet has ſeparationes absque eccleſiæ mandato fieri, atque ita ſeparatos vult, anathematis, aliarumque ad arbitrium pœnarum comminatione compelli a ſuo præſule ad redeundum ad proprias uxores; ſi vero id neglexerint, declarari anathemati ſubjectos, quouſque denuo conjungantur; ſi autem forte habeant juſtam ſeparationis cauſam, præſuli eam exponant, qui quod æquum, juſtumque fuerit judicabit; per cenſuras etiam, ſi poſt primam ſententiam legitime appellaverint, cogantur finali ſententia acquieſcere, per quam lis alterutri conjugum adjudicata fuerit: declarat inſuper, non poſſe juſte viros a ſuis uxoribus ſeparari, eo quod pacta dos non fuerit ipſis ſoluta (*b*), qua in re viri ſibi cavere debebant antequam matrimonium inirent: Si qui ergo hac de cauſa uxores reliquerint, pœnis ſubjaceant, & ad earum contubernium redire, cenſura anathematis cogantur.

DECRETUM XII.

CXCV. Cum non ignoret Synodus, Captivos nigros horum incolarum Montanorum ſervos, cum ceteroquin chriſtiani ſint, nec non aliquos alios ex chriſtianis ibidem degentibus in Silvis, matrimonia Ethnicorum inſtar contrahere, innectendo filum mulieris jugulo, & ſine ſacerdotis ullius interventu, declarat hoc ritu matrimonia non perfici, & poſt facta hujuſmodi matrimonia, virum, & mulierem convictum habentes, aſſidui concubinatus reos eſſe; qua de cauſa præcipit; ut qui tali pacto contraxerunt, in eccleſiam adducantur, ac per vicarios juxta formam Concilii Tridentini, & juxta ea, quæ fuerunt ſuperius præſcripta conjungantur; præterea ut vicarii in captivorum connubia diligenter inquirant, & in hujus decreti executione procuranda omnem operam impendant: Præſules etiam ad arbitrium puniant Dominos; qui hujuſmodi connubia Captivis, aut familiaribus ſuis permiſerint, vel ſic conjunctos in hiſce ſimulatis matrimoniis perſeverare, multoque magis, ſi eos rite contrahere volentes, ad eccleſiam non adduxerint. Omnes demum, quorum intereſt, animadvertant ingens detrimentum, quod ſuis conſcientiis hæc permittendo inferunt, & perniciem plane deplorabilem, quæ hiſce malis exemplis in illarum regionum chriſtianos omnes derivatur.

DECRETUM XIII.

CXCVI. Cum compererit Synodus, Monticolarum Chriſtianorum nonnullos, prima ſuperſtite, aliam uxorem in facie eccleſiæ duxiſſe, non ſine gravi injuria matrimonii ſacramento irrogata, præcipit vicariis omnibus, ac parochis, ut dum ad proprias pervenerint eccleſias, in hos polygamos (*c*) inquirant, & ſiquos tales eſſe deprehendant, ad cohabitandum (*d*) cum prima omnino compellant; renuentes vero a fidelium communione ſegregati declarentur, quandiu non obedierint; ſecundæ vero uxores, ab ipſorum domibus, ac contubernio ejiciantur: quæ & inquirendi, & puniendi ratio indiſcriminatim exerceri debet in omnes, qui ejusdem criminis rei comperti fuerint, donec aliis ejectis, cum prima uxore cohabitent. Poterunt etiam delinquentes hujuſmodi ad arbitrium præſulis, vel Tribunalis ſanctæ inquiſitionis, cujus eſt etiam de cauſis hujuſmodi judicare poenis aliis puniri.

DECRETUM XIV.

CXCVII. Chriſtianos quam maxime decere, inanem fortunatorum eventuum ſpem, qua illuduntur, ſuperſtitioſis ritibus fovere, in dubium revocari non poteſt. Id tamen perverſi aliqui Chriſtiani Ethnicorum imitatores non ſine Chriſtianæ, quam profitentur, religionis dedecore facere conſueverunt.

Nam

(*a*) Concil. Trid. *Seſſ.* 24. *Can.* 12. ſub anathemate ſtatuit, quod Matrimoniales cauſæ ad Judices Eccleſiaſticos pertinent. Et Rothomagen. *anno* 1231. jubet, quod nec Archidiaconus, nec Rector ruralis, nec Monacus, aut quivis alius, ſine privilegio eas cauſas judicet: unde conjuges propria auctoritate ſeparationem thori poſſunt facere ob fornicationem alterutrius, non vero quoad cohabitationem, quæ judicio Eccleſiæ fieri debet; niſi adulterium fuerit omnino publicum, & notorium.

(*b*) Dos non ſoluta frivola eſt cauſa; ceterum etiam hujuſmodi videtur ea quam *lege Eccleſiaſt.* 22. *Regis Voalia Hoeli Dha* legimus; ubi aſſignatis cauſis divertendi conjuges, impotentia & lepra, adjungit aliam nempe: *Si foetidum vir habeat anhelitum.* At neque lepra ſuperveniens ſufficiens repudiatur cauſa diſſolutionis, immo neque ſeparationis: *ex Tit.* 8. *lib.* 4. *Dec.* ſufficit tamen ad ſolvenda ſponſalia de futuro.

(*c*) Famoſiſſima æque ac turpis habetur Polygamia Philippi Landgravii Haſſiæ, qui de conſilio Lutheri, Buceri & Melanctonis, conſentiente etiam uxore Chriſtina, duxit Margaritam de Saal; tabulis ſcriptis die 4. Martii anni 1540. adſis Cl. Boſſuetii *Hiſt. Variat. lib.* 6. *pag.* 231. *Edit. Albrizzi anni* 1738. ubi Conſil. Luth. habetur *pag.* 261. & Inſtrum. Copul. *pag.* 275.

(*d*) Bracmanes ſtrictum admittunt matrimonii contractum, perpetuum ac indiſſolubile, vehementer averſantes Polygamiam: vide P. a S. Cathar. Senen. *lib.* 3. *cap.* 13.

ANNO CHRISTI 1599.

Nam & Ethnicos & superstitiosos Cassanarios adeunt, qui illos fastos dies, (*a*) horasque ad celebrandas nuptias prænuntient; & ipsa nuptiarum die quosdam circulos delineant, intra quos Orizam (*b*) ponunt, ibique certas aliquas personas, diabolicis quibusdam ceremoniis præmissis collocant: præterea pone ipsorum januas quasdam describunt figuras; demum ceremonias quasdam faciunt, admixtis precibus, quas annulum Salomonis appellant: quæ omnia ad matrimonii fastitatem impie ordinantur. Hos vero diabolicos omnes, ac superstitiosos ritus, quos reprobat Sancta Mater ecclesia, severe prohibet Synodus, hortaturque cunctos Christifideles, ne illos suis in domibus exerceant, vel exerceri permittant. Qui vero vel exercuerit, vel permiserit, per annum separetur, ac pro arbitrio prælati acriter puniatur: eamdemque poenam subeant, qui Ethnicos adierint, pro diebus fastis eligendis.

A

B

DECRETUM XV.

CXCVIII. Quia exploratum est synodo, quod dum Christiani hujus dioeceses, sponsalia celebrant de futuro, atque matrimoniales contractus, id faciunt, adhibitis quandoque superstitionibus, & idololatricis ceremoniis; ac præterea non raro contrahentes non attingunt ætatem (*c*) requisitam ad hujusmodi consensus; & superstitiosos hujusmodi ritus prohibet synodus, & jubet, in posterum celebrari sponsalia a contrahentibus, qui debitam habuerint ætatem; itaut id, quod agunt, mature advertant, nec puerili quadam facilitate consentiant. Si vero parentes, filiorum impuberum nomine pacisci velint, id faciant per simplicem scripturam, vel contactis de more manibus, aut alio quocumque modo, nihil superstitiosi præseferente, secus per prælatum graviter puniantur: Præcipit insuper cassonariis in virtute sanctæ obedientiæ, ne sponsalibus hujusmodi superstitione commistis intersint, ne ipsorum præsentia, ac authoritate, ea approbare videantur.

C

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XII.

CXCIX. Reprobat synodus pravum usum in hac dioecesi inolitum, quo recentes Sponsi abstinent ab ingressu in ecclesiam ante quartum diem a celebratione Matrimonii, sicuti etiam usum alium adhibendi occasione nuptiarum lavacrum: quod videtur redolere judaicas ceremonias per Christi legem jam diu abrogatas. Immo novis Sponsis plurimum synodus commendat, ut qualibet indiscriminatim die ecclesias adeant, ibique preces fundant: si vero die festo, vel Dominico, quando urget præceptum, ecclesiam non adierint, pro certo habeant, se missam non audiendo graviter peccaturos, nisi alia ex justa causa id omiserint: Quantum autem ad lotiones, nulla ratione sibi suadeant, eas vel ad spiritualem animarum salutem, vel ad Divinum cultum, & ad templorum reverentiam pertinere.

ACTIO VIII.

De Reformatione rerum Ecclesiasticarum.

DECRETUM I.

CC. UNiversa ecclesia catholica a Spiritu Sancto afflata, & edocta, ad melius Christifidelium regimen, commodioremque Sacramentorum administrationem, provincias totius catholici Terrarum orbis in dioeceses distribuit suis subjectas episcopis: dioeceses itidem in Paroecias, suis singillatim (*d*) Parochis commissas, ut quemadmodum dioeceses, inque iis degentes fideles, uni episcopo ac per ipsum Papæ, ac Pontifici Romano, tanquam omnium universali pastori, ecclesiæ capiti, atque Christi in terris vicario subjiciuntur; sic etiam fide-

(*a*) Ominosum esse uxorem ducere mense Majo, atque Matrimonium celebrare in die S. Joseph esse fastissimum, ut stulta opinatio & error notatur a Concil. Burdigalen. *anni* 1624. *cap.* 7 *n.* 5. & quidem illa superstitio ab antiquis Romanorum ritibus descendit ex illo Ovid. *Fast.* 5. *v.* 490. *Majo mense malum nubere, vulgus ait.*

(*b*) Oryza in nuptiis uti, non absimilis est superstitio illi, quæ inter contrahendum in usu fuit apud Romanos, qui farre nuptias celebrabant, & per frugem & molam salsam conjungebantur per Pont. Max., seu Dialem flaminem: unde *confarreati & confarreatio*, dicta sunt.

(*c*) Ad normam hujus decreti, simile edidit pro Indis, card. Turnonius an. 1704. vetans, impuberum connubia, etenim infantes sex aut septem annorum, interdum etiam in teneriori ætate matrimonium indissolubile contrahebant. Exortis etiam dubiis, declaratum fuit a cong Emorum *anno* 1733. servandam esse formam a Tridentino Conc. præscriptam, ubi publicatum sit, & ejus observantia non sit impossibilis, quam declarationem confirmavit Clem. XII. *anno* 1734. in Constit. *Compertum*; cui novum robur addidit Ben. XIV. *anno* 1744. Constit. *Omnium sollicitudinum.*

(*d*) Priscis temporibus vel ecclesiarum parochi erant episcopi, vel episcopi dioecesis erat parochia, ut ex *Can. apost.* 13. apparet, quum præcipit, ut *episcopo non liceat sua relicta parochia ad aliam transire*: & sæpius *parochia* usurpabatur pro *dioecesi*, ut constat ex epist. 1. *B.* Clem. & ex conc. Antiochen. *Can.* & *cap.* 18. *anno* 341. nomen autem *parochi* a priscis Romanis usurpatum fuit, sicuti & pontificis, & episcopi, quibus postea ecclesia Hierarchicas dignitates atque munera distinxit, ea profana nomina expiando; pontifex enim a *facere & posse* dictus, supremæ ecclesiæ potestati atque solicitudini congruebat: vox episcopus id est *Superintendens* vel *speculator*, nomen est Magistratus apud veteres: unde ad sacros Antistites translatum est; ita & vox *parochus* quæ a *præbendo* venit, quia illius erat muneris, necessaria hospitibus præbere, ex illo Horat. *lib.* 1. *Serm. Saty.* 5. *tum parochi, quæ debent ligna salemque &c.* maxime convenit ecclesiarum præfectis; de quorum primævo munere juvabit legere *epist.* 3. Frontonis Academ. Parisien. Cancellar. *De origine Parochiar.* Parochiani autem institutio tribuitur Dionysio papæ anno circiter 261. *in Can. ecclesias* 13. *quæst.* 1. & *c. Pastoral. de his quæ fiunt a Prel.* De iis omnibus ea, qua pollet ecclesiastica eruditione pertractat V. clariss. Muratorius *tom.* 6. *Antiq. medii ævi dissert.* 74.

fideles incolæ uniuſcujuſque paroeciæ uni ſubderentur parocho, ac vicario, qui ipſis ſacramenta miniſtraret, eſſetque illorum paſtor, animarumque ſibi commiſſarum curam gereret; ac rurſus per eum epiſcopo, per epiſcopum papæ, ac per papam Chriſto ſubmitterentur: & quidem hic ordo, inviolabiliter in eccleſia, toto orbe diffuſa, fuit perpetuo ſervatus. Ex hujus diviſionis, ac diſtributionis neglectu eccleſia hæc Montenſis inordinata adeo, ac informis apparet; quilibet enim libito, & arbitrio ſuo vivit: nemo eſt, qui alienam licentiam coerceat: nemo cui animarum cura fuerit commiſſa: nemo qui deſignatus paſtor fidelibus, in occurrentibus neceſſitatibus provide ſuccurrat: nulla demum præfinita paroecia, nulla curialis eccleſia, quam adire fideles horum montium incolæ teneantur: quapropter ſynodus, ut malis hujuſmodi occurrat, univerſæ catholicæ eccleſiæ morem gerendo, ſtatuit hanc etiam dioeceſim in paroecias diſtribui, ſingulis attributa parte populi, prout opportunius viſum fuerit; deſignato etiam vicario particulari, qui curam gerat animarum, ſibi commiſſarum: Caſſanarios autem, & Chamazes in unaquaque eccleſia repertos, tanquam beneficiarios ipſius, coadjutoresque vicariorum, tam in adminiſtratione ſacramentorum, quam divinorum officiorum celebratione, eccleſiæque ſervitio, prout hactenus habendos eſſe: fruantur etiam iiſdem emolumentis, & lucris, quibus nunc gaudent; qua in re ſynodus nihil ipſis detrahendum cenſet; exceptis tamen iis, quæ ob adminiſtrationem ſacramentorum, non ſine labe ſimoniaca corradebant, juxta decreta *XX.*, *& XXI. De Sacram. Ordinis*, quæ integre, & inviolabiliter obſerventur: vicarii quoque, & parochi ſuorum curialium, ſive ſuarum ovium catalogum conficiant, ut de eorum vita, & moribus cognoſcant, eis ſacramenta miniſtrent, & dum ærumnis, & infortuniis premuntur, ſolatium, & auxilium afferant. Paroeci autem, ſive curiales uni attributi paroeciæ, nonniſi a proprio vicario ſacramenta accipere valeant, aut ab alio; de ipſius tamen licentia; prout in decretis de ſacramentis ſuperius præſcribitur.

DECRETUM II.

CCI. Declarat ſynodus, diſtributionem paroeciarum, & deſignationem plebis, iis addicendæ, omni tempore ad Præſulem pertinere: itaut quocumque tempore paroecias dividere, vel unire pro libito valeat, & prout ſibi in Domino magis expedire videatur, pro commodiori ſacramentorum adminiſtratione: unde ipſius eſt vicarios & curatos (*a*) eccleſiis præficere; hos conſtituere, illoſve deponere, ſicuti opportunius viſum fuerit, ut Chriſti oves ſibi commiſſæ, & de quibus rationem eſt redditurus, ſaniori paſtu donentur: in præſentiarum igitur hujuſmodi diſtributionem, diviſionemque paroeciarum & parochorum R. Metropolitanus in proxima ineunda viſitatione eccleſiarum inſtituet dividendo, aut uniendo, prout prudenter arbitrabitur, reſque alias, completa jam ſynodo diſponet, quas ſynodus eadem neceſſarias judicaverit. Vicarii etiam à Metropolita ſingulis Paroeciis deſignabuntur. Juſtis demum de cauſis, & quia id ad commune Eccleſiarum bonum, earumque regimen conducibilius cenſuit, vetat Synodus Vicarios deputari perpetuos; ſed ſingulos ad Præſulis nutum (*b*) amoveri poſſe decernit.

DECRETUM III.

CII. Præterea declarat ſynodus, nullum Caſſanariorum duabus (*c*) poſſe præfici eccleſiis, & ab iis fructus percipere, juxta ſacros canones; & quoniam in hac dioeceſi ex pravo uſu a longo tempore introducto, plurimi duabus, aut etiam tribus eccleſiis, quantumvis inter ſe longe diſſitis, veluti propriis, ſibique commiſſis præſunt; eo quod ab ipſorum conſanguineis fuerint extructæ, vel aliis de cauſis, declarat ſynodus, quod ubi illæ in paroecias erigantur, nulla in eas illis relinquitur juriſdictio, nec in ipſis aliquid præcipere, vel de re aliqua diſponere in poſterum poterunt; id enim ad proprios ipſarum deſignatos vicarios ex integro pertinebit: qui vero contrarium attentaverint, a communione fidelium ſegregati declarentur, & pro arbitrio prælati tanquam perturbatores plectantur: ceterum optat ſynodus, ut ex iis Caſſanariis, ſive eccleſiarum præfectis, qui ad tale munus idonei fuerint, nulloque impedimento præpediti, ad aliquam ex erectis paroeciis promoveantur, prout reverendiſſimo Metropolitano videbitur: permittit tamen ſynodus præſuli, quod ſi ipſi non ſuppetant tot ſacerdotes idonei, quot pro cunctis eccleſiis deſiderantur, aut non omnes commode ſuſtentari valeant, uni duas (*d*) commendare poſſit eccleſias: ita tamen diſjunctas, ut utramque regere ſine ullo animarum detrimento, & in utraque ſacramenta miniſtrare valeat: quod tamen abſque urgenti, & inevitabili cauſa non fiat.

AC.

(*a*) *Curatus* dicitur a *Cura*, & a ſacris ædibus, in quibus degunt, quæ veniunt latine nomine *Curia*: unde eccleſiæ parochiales & accolæ illarum *Curiales* recte nominantur. Vide Pignatel. *tom.6. con. 98. num.20.*

(*b*) Utitur hic ſynodus facultate Tridentini *ſeſſ.7. cap. 7.* quod per vicarios etiam amovibiles, cura animarum exerceri poſſit. Conſtit. autem S. Pii V. abſtulit hoc arbitrium epiſcopis, & præſcripſit formam deputandi vicarios perpetuos; alia demum in Bulla: *ad exequendum*.

(*c*) Sancitum fuit in Concil. Lateran.3. Gen. *anno 1179. Ne quis multas habeat parochiales eccleſias, ſed unam quiſque, in qua reſideat*: ita *cap.* 13. In Concilio vero Emeriten. *anno 666.* ſtatuitur, quod ſi uni presbytero plures ſunt eccleſiæ commiſſæ, *in ſingulis ſacrificium offerat, ſingulis Dominicis*.

(*d*) Conſonat hoc decretum cum Concilii *Tolet.16. capite 5. & cum capitulo 19.* Emeritenſis modo laudati, in quo habetur, quod *Sacerdotali decreto presbytero uni, plures extant commiſſæ eccleſiæ*: vocatur autem ibi ille presbyter *Parochianus*, fortaſſe ex inflexione Hiſpanæ vocis illius ævi, *Parochiano*.

ANNO CHRISTI 1599.

ACTIO VIII.

DECRETUM IV.

CCIII. QUoniam plurimæ hujus dioeceſis eccleſiæ cum ingenti chriſtianorum, ibi degentium damno, Caſſanario deſtituuntur, itaut per annum integrum, immo etiam per plures, nec ſacrum audiant, neque ſacramenta percipiant: quod innotuit R. Metropolitano, qui in peracta viſitatione Eccleſiarum deprehendit, in earum aliquibus quinquennio, vel ſexennio, nullam fuiſſe miſſam celebratam: plurimos item pueros, & etiam natu majores non fuiſſe baptiſmate ablutos; præcipit ſynodus, ut nulla ex eccleſiis in paroeciam (*a*) erigendis, ne modico quidem tempore abſque parocho, & vicario, qui fideliter ſacramenta miniſtret, relinquatur, utcumque abjectus, & exiguus fuerit populus: in quo plurimum vigilantiæ exigit a prælato. Verum niſi reperiatur Caſſanarius aliquis, qui eo loci (quod non infrequenter accidit) pergere velit, declarat ſynodus, jus eſſe præſulis, quos voluerit, ad hanc eccleſiarum curam poenis etiam & cenſuris compellere, ordinibus etenim initiantur, ne fidelium neceſſitati deſit, qui ſuccurrat. Id quod præſenti decreto ſynodus ſtatuit: congrua vero alimenta ab ipſis accipiant eccleſiis.

DECRETUM V.

CCIV. Cum ſynodo innotuerit, plures eſſe Vicos, & pagos in iſta dioeceſi, in quibus, eo quod longe ab eccleſiis diſtent, vix veſtigium aliquod chriſtianæ religionis ſupereſt; nam neque incolæ baptizantur, nec quidquam retinent, quo ab Ethnicis diſtinguantur, niſi purum nomen; chriſtiani enim S. Thomæ appellantur: quod quidem tribuendum magna ex parte eſt ſocordiæ præſulum ſchiſmaticorum, qui hanc eccleſiam gubernarunt; præcipit ſynodus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus Caſſanariis in eccleſiarum vicarios inſtituendis, ut ſtatim ac ad ſuas eccleſias pervenerint, de populis, ac chriſtianis, fortaſſe in pagis aut vicis, ſuæ paroeciæ finitimis, diligenter inquirant, & ſi quos repererint, de iis R. Metropolitam certiorem reddant, qui quod facto opus fuerit, ad Dei obſequium, animarumque profectum provide exequetur. Nec ipſe hanc inquiſitionem omittet in proxima eccleſiarum viſitatione: ubicumque autem hujuſmodi non baptizatæ gentes reperiantur, erigantur eccleſiæ, quibus conſtituatur vicarius, qui has gentes veraci, ac ſinceræ chriſtianæ religionis profeſſioni, ac uſui ſacramentorum eccleſiæ reſtituat.

DECRETUM VI.

CCV. Cum Travancoridis eccleſia peſſum ierit, ac chriſtiani pene omnes, ab annis quadraginta ad idololatriam, ac ritus, ceremoniaſque Ethnicorum defecerint: nec qui notabili hoc ſpatio temporis nati ſunt, baptiſmum ſuſceperint; idque non alia de cauſa, quam quia per annos plures ea eccleſia ſacerdotibus deſtituta (*b*) fuit, ob diſtantiam a ceteris eccleſiis, cum tamen adhuc in illa probi aliqui chriſtiani perſeverent; præcipit ſynodus, ut in illa non ſecus ac in reliquis, vicarius conſtituatur, qui quantocius eo pergat, ad inſtaurandam eccleſiam illam; plures etiam ſacerdotes alii, & prædicatores eo mittantur, qui gentem illam ad ſanctæ matris eccleſiæ gremium, & catholicæ fidei profeſſionem reducant, ut illuſtriſſimus Metropolita præcepit, cum rem hanc cum eadem Gente tranſegit, ejuſque plures baptizavit: quin immo hortationibus ipſius, & rudes illi incolæ deſignandum vicarium acceptarunt, & Rex ipſe Travancoridis facultatem dedit perpetuo conſulendi in poſterum huic eccleſiæ, juxta ipſius neceſſitatem.

DECRETUM VII.

CCVI. Ad ſynodi notitiam pervenit, in confiniis terrarum Samorim, regis Calecutii per quadraginta leucas ab eccleſiis hujus dioeceſeos, in terris prædicti regis ditioni ſubjectis, quemdam inveniri Pagum dictum, *Todamala*, cui olim adjunctæ fuerunt aliquæ chriſtianorum Coloniæ primitus ad hanc eccleſiam artinentes: qui chriſtiani cum modo nihil niſi merum nomen retineant, præcipit ſynodus, ut ex hac eccleſia illuc Sacerdotes, ac prædicatores mittantur, qui eos ad Catholicam fidem reducere ſtudeant, & ſacro abluant baptiſmate; etenim ex ſolicitudine, qua ſuam locavit operam Rev. Metropolitanus, ea in ſpe ſumus, ut quod ad eos Chriſtianos attinet, facile ad bonam frugem redituri ſint; eo vel maxime, quod uno ſacrorum Miniſtrorum defectu a chriſtianæ religionis ſemita diſceſſerunt. Itaque ſynodus prædictos populos Domino Metropolitano commendat, eorum etiam curam perpetuo gerendam huic eccleſiæ committit.

DECRETUM VIII.

CCVII. Cum multiplicis ſancti Olei uſus a Chriſto Domino fuerit inſtitutus, atque adeo Oleum Chriſmatis, pro materia Sacramenti confirmationis, oleum infirmorum pro unctionis extremæ Sacramento adhibeatur

(*a*) Paroehia dicitur a Parocho, quæ etiam vocatur Paroecia, id eſt *accolatus*, ſive *accolarum conventus*, aut ſacra *vicinia*: unde accolæ appellantur proprie *Paroeci*: qui Hiſpano idiomate *Feligreſes*: ejusdem ſcilicet fani, accolatus conſortes. Qui de Paroecis & Paroeciis plura velit, conſulat Thomaſin. *Diſciplin. Par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21.

(*b*) Inter Sanctiones & Decreta Concilii Niceni apud Harduinum *Tom. I. Collect.* 509. §. 1. præſcribuntur, *Canones ſive officia Deo debita, a Viris & Mulieribus, Præſules non habentibus, qui eos avertant a malis viis; neque Epiſcopos, neque Monachos, qui eos regant, ſed ſui ipſimet ſunt juris*: in ejuſmodi eccleſiaſticorum penuria quam maxime conſulendi; niſi deſtruerent ad calcem quod initio ſupponunt.

tur : præcipiantur insuper in eadem sancta Ecclesia aliæ sacræ unctiones Oleo Catechumenorum perficiendæ. Cumque ex traditione Apostolorum, & Patrum ecclesiæ doctrina constet hujus multiplicis sacri Olei usum a Christo fuisse commendatum in ultima coena cum discipulis suis celebrata: Synodus, cui compertum, exploratumque est, Sacri olei usum in hac dioeceſi nullum usque hactenus fuisse: immo fuisse penitus (*a*) ignotum, præcavendi ergo imposterum hoc malum, præcipit, ut in singulis ecclesiis curialibus, sive parochialibus habeatur pyxis tribus discretis vasculis instructa ex argento, stanno indico, aut vitro, in quibus multiplex Sacrum Oleum reverenter decenterque asservetur, quæ vascula insuper peculiari signo distinguantur, ne in eorum usu oriatur confusio. Vicariis insuper mittendis præcipit, ut hinc non nisi pyxidibus pro qualibet ecclesia instructi discedant, quas illis Rev. Metropolitanus tradet, eas enim oleo refertas apud se habet, quod multiplex Oleum ipse in ecclesia Carturtensi hujus dioeceseos, proxime elapsa feria (*b*) quinta in Coena Domini ad hunc effectum sacris precibus, & benedictionibus expiavit: dictæ pyxides in armariolo clave obsignato reponantur, apud aram maximam, aut Sacrarium, aut prope fontem Baptismatis, eæque sint velo serico coopertæ, ea qua par est decentia, ac veneratione. Si vero Vicarii longe ab Ecclesiis degerint, vel eæ in Sylvis sint conditæ, pyxides illas apud se loco tamen decenti reverenter locent, ne fortiis Ethnicorum pateant; utque majori celeritate extremam unctionem deposcentibus succurrant: inter gerendum autem sive ad Ecclesiam pro baptizandis, sive alibi pro ægrotantibus, id muneris semper, quantum res permiserit, Sacerdos exequatur, vel saltem aliquis Chamazius, in Sacris constitutus: quinta insuper feria in Coena Domini quidquid superfuerit Sacri Olei illius anni, vel infundatur ecclesiæ lampadibus, & comburatur, vel in Baptisterium proiiciatur, & novum deinceps adhibeatur, quod asportandum erit vel e loco, ubi in celebratione Paschatis præsul sacris precibus, & benedictionibus illud expiaverit, vel aliunde, ubi illud præsul postea in singulas ecclesias distribuendum reposuerit: vacante autem ecclesia, e sede de Cochim, facultate habita a Gubernatore pro tempore, & Domino episcopo Civitatis illius annuente, asportari curent. Quod si Vicarius in sibi comparando sacro oleo pro sua ecclesia, adeo negligenter se gesserit, ut ultra mensem post celebrationem Paschatis eo careat, suspensione ab executione ordinum, ac proventibus, per semestre a præsule, qui maxime hac super re invigilet, puniatur, cogaturque insuper illud sibi comparare. Infantes vero, qui per id temporis baptismum accipient, oleo sacro Baptismatis illuc apportato inungantur; neque Vicarii a synodo abscedant, antequam de multiplicis olei usu, qualitate, & forma ungendi, per viros ad id per synodum deputatos, plene erudiantur, ne in Sacramentorum administratione errent.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM IX.

CCVIII. Quia plurimum est confusionis in hac Dioeceſi, quantum ad observantiam dierum festorum (*c*), quorum violatio lethale peccatum est, quæ observantia complectitur auditionem Sacri, & cessationem a servilibus laboribus, a celebratione contractuum, a publicis nundinis, rerumque emptionibus, ac venditionibus: declarat synodus, sequentes servandos esse dies: nimirum dies Dominicos totius anni.

Januarii prima festum Circumcisionis Domini, & in sexta Epiphaniam.

Februarii secunda Purificationem Dominæ nostræ; & vigesima quarta festum apostoli Mathiæ; anno vero bissextili die vigesima quinta.

Martii vigesima quinta, Annunciationem Dominæ nostræ.

Aprilis vigesima tertia Sancti Georgii martyris pro more hujus episcopatus.

Maji prima festum Apostolorum Philippi, & Jacobi.

(*a*) Nestoriani Indi Malabarenses, aliique, qui Sacris Oleis non utuntur, atque pro oleo infirmorum usurpant massam quamdam ex oleo, aqua & pulvere, seu reliquiis alicujus Sancti, quam vocant *Hunana*, seu *Taibutha*, id est *Gratia talis Sancti*, omnino descivere, non modo a doctrina universalis ecclesiæ, verum etiam a propriis ipsorum Doctoribus, ut facile novitatis revinci possint; quidquid in contrarium nitatur Crozæus, de quo vide Assem. *Bib. Orient. tom.* 4. *pag.* 177. omnia erudite atque perpolite enodantem; & *Not. ad Synod. nostram Act.* 4. *Dec.* 14. Apud Orientales Syros oleum infirmorum vocatur *lampas*.

(*b*) Patriarcha Maronitarum benedicit etiam Oleum Sacrum feria V., quam vocant *Mysteriorum*; quod oleum vocatur ab ipsis Maronitis *lampas major*. contradistincte ad oleum, quod a solis Presbyteris benedicitur, quod *lampas minor* appellatur. Hoc autem consecratur a septem Presbyteris, aut saltem tribus, idque ex delegatione, cum sæpissime oleum a Patriarcha benedictum deficiat, eo quod non nisi semel intra septennium illud *lampadis majoris* officium celebret.

(*c*) Dominicarum festorumque ordinem per totum anni circulum, a Nestorianis observatum, exactissime recenset Asseman. *Bib. Orient. tom.* 4. *pag.* 380. ex officio divino, Jesujabi Adiabeni jussu ordinato. Qui vero ecclesiæ Coptorum Alexandrinæ, Sanctorum festivitates scire aveat, consulat Synaxarium Coptorum, in lucem recens editum a V. Cl. Evodio Apameæ Archiep. *pag.* 164. *Bibliot. Medicea Laurent. Floren. anno* 1742. typis elegantissimis editæ.

ANNO CHRISTI 1599.

Junii vigesima quarta Joannis Baptistæ: vigesima nona festum Apostolorum Petri, & Pauli. (*a*)

Julii secunda Visitationem Dominæ nostræ: tertia festum Apost. Thomæ (*b*); qua die juxta nonnullos fuit translatus; & juxta alios ad has oras appulit; & solet servari ex antiquo hujus episcopalis sedis more: vigesima quinta S. Jacobi Apostoli.

Augusti sexta Transfigurationem Domini juxta hujus Diœceseos consuetudinem; decimaquinta Assumptionem Dominæ nostræ: vigesima quarta festum S. Bartholomæi Apostoli.

Septembris octava, Nativitatem Dominæ nostræ: decima quarta festum S. Crucis de more hujus Regionis; vigesima quinta Sancti Matthæi Apostoli: vigesima nona S. Michaelis Archangeli.

Octobris vigesima septima festum Apostolorum Simonis, & Judæ.

Novembris prima festum omnium Sanctorum: trigesima S. Andreæ Apostoli.

Decembris octava Conceptionem Dominæ nostræ: decima octava festum Sudoris (*c*) Crucis glorioſi Apostoli Thomæ ex more episcopatus: vigesima prima festum ipsius Apostoli Thomæ; vigesima quinta festum Nativitatis: vigesima sexta in prima octavæ festum S. Stephani Protomartyris: vigesima septima in secunda festum S. Joannis Evangelistæ: vigesima octava, tertia octavæ, festum Innocentium.

Feria quinta in Cœna Domini ab hora, qua inchoatur officium in ecclesiis, usque ad mediam noctem sabbati, ex more ecclesiæ.

Diem Paschatis Resurrectionis, cum sequentibus tribus, quamvis hactenus non ultra duos dies celebritas hæc servaretur.

Diem Ascensionis Domini.

Diem Sacratissimam Pentecostes, cum duobus sequentibus.

Festum Sacratissimum Corporis Domini, Sanctissimi Sacramenti, quod solet in his partibus celebrari, feria quinta post octavam Paschatis.

Item diem Titularis Ecclesiarum, ac festa Sanctorum principaliorum, quibus dicatæ exstiterunt; in propria tantum Parochia. Declarat præterea Synodus, non esse servandas tanquam solennes, & speciali cultu dignas, ut alicubi erat in usu, sextas ferias a Nativitate, usque ad Quadragesimam; tum quia Sancti, qui in aliquibus earum colebantur, suos aliunde sortiuntur designatos festivitatis dies; tum etiam quia nonnulla ipsorum festorum sunt Hæreticis dicata, ut superius monuimus, quos nefas est festivitate colere: Vicarii itaque curent, populum Dominica die inter Missarum solennia admonere festorum illius hebdomadæ, ut sciat, quæ sint illi colenda.

DECRETUM X.

CCIX. Verum non modo circa dies festos concelebrandos ex præcepto, sed etiam circa dies esuriales, quibus obstringatur hic populus lege jejunii, variæ ortæ sunt dubietates in hac Diœcesi: quamobrem Synodus declarat, ex præcepto servandum esse jejunium diebus (*d*) mox indicandis, tam ex antiquis, quam ex novissime a nobis assignatis: videlicet.

Sacrum, ac solenne jejunium majus Quadragesimæ, quod de more hujus Diœceseos, initium sumit a prima feria secunda post Dominicam Quinquagesimæ.

Sanctum jejunium Adventus Domini, quod in hac diœcesi exactissime servatur, a prima Dominica proximiori Kalendis Decembris usque ad festum Nativitatis Domini.

Februarii prima die in Vigilia Purificationis Dominæ nostræ: vigesima tertia, Sancti Matthiæ Apostoli.

Junii vigesima tertia in vigilia S. Joannis Baptistæ; vigesima octava SS. Petri, & Pauli.

Julii vigesima quarta, in vigilia S. Jacobi apostoli.

Augusti duodecima in Vigilia Assumptioni Dominæ nostræ: vigesima tertia, S. Bartholomæi apostoli.

Septembris septima in vigilia Nativitatis Dominæ nostræ; decimatertia S. Crucis: vigesima, S. Matthæi apostoli.

Octobris vigesima septima in vigilia apostolorum Simonis, & Judæ; & postrema, omnium Sanctorum.

Novembris vigesima nona in vigilia S. Andreæ Apostoli.

Decembris vigesima in vigilia glorioſi apostoli S. Thomæ: vigesima quarta, nativitatis Domini Nostri Jesu Christi; etsi alias hæ duæ ad jejunium adventus pertineant.

Et ut particularis hæc ecclesia cum ecclesia universali consentiat, statuit synodus jejunandum esse juxta præceptum universalis ecclesiæ, quatuor anni temporibus: dra-

[*a*] Apostolorum festa celebrabant Nestoriani, non iisdem diebus, in quibus eos colit ecclesia nostra, sed in Dominicis, vel feriis sextis: nullum autem festum aut memoria instituta erat de Circumcisione Domini, & de Virginis Conceptione; & ut scribit Vincent. Mar. a S. Cathar. *lib.* 2. *c.* 6. nullos colebant festos dies præter Dominicos, nisi festa Christi Domini, Nativitatem & assumptionem Deiparæ & Apostolorum solennitates.

(*b*) Ter in anno memoriam D. Thomæ Apostoli colebant Indi Malabarenses; nimirum *die* 3. *Julii*, 18. *Decembris*, & 24. ejusdem mensis. Vide Gouv. Itin. *Menes fol.* 77.

(*c*) Festum hoc institutum est in memoriam fudoris, qui e marmorea D. Thomæ Cruce scaturiit *anno* 1557. in Meliapore, quod ostentum, pluries postea visum est: Vide Gouv. *Itin. Men. fol.* 77. & differt. nostras *num.* 48. Nec minus celebris habetur Crux Cranganorensis, quæ cum sit marmorea non secus ac alia, visa est non semel in sublime elevata, atque splendidissimo lumine radians: consule Vinc. Mar. *lib.* 2. *cap.* 2. Cruces autem D. Thomæ eam exprimunt figuram juxta laudatum auctorem, quam præfefert Crux Equitum S. Mauritii in Sabaudia, & ex Gouv. Crux Lusitanica Equitum de *Avis*.

(*d*) De antiquo Nestorianorum ordine circa jejunia, Vide Asseman. *tom.* 4. *Bib. Orient. pag.* 387. & *Differt. nost. num.* 69.

nimirum quarta feria, ſexta, & Sabbato immediate poſt diem Dominicam primam Quadrageſimæ; quæ tamen jejunia in quadrageſimali jejunio continentur. Similiter feria quarta, ſexta, & Sabbato immediate poſt Feſtum Pentecoſtes: prima quarta feria, ſexta, & Sabbato immediate poſt Feſtum S. Crucis menſe Septembris: prima quarta feria, ſexta, & Sabbato poſt feſtum S. Crucis ad decimam tertiam Decembris; quæ jejunia comprehenduntur in jejunio ſervari ſolito diebus anniverſariis Adventus Chriſti.

CCX. Approbat inſuper ſynodus jejunium præmitti ſolitum ad aſſumptionem Dominæ noſtræ a prima Auguſti, uſque ad illud feſtum, & ad Nativitatem ejusdem Dominæ, a prima Septembris uſque ad feſtum ipſius: & jejunium quod vocitatur apoſtolorum, a prima die poſt feſtum Pentecoſtes, per quinquaginta ſequentes dies, quippe quæ optime, ac laudabiliter inſtituta ſunt: quamobrem optaret ſynodus ea ſervari nunc, ſicut antiquitus a primis Chriſtianis in hac regione ſervata fuerunt: nihilominus quia quantum ad hæc jejunia multiplex fuit conſuetudo, & ex opinionum varietate multiplex perturbatio, & conſcientiarum hæſitatio, declarat Synodus, neminem, ad hæc jejunia ſervanda gravi præcepto obſtringi, & habenda eſſe in poſterum tamquam opera omnino voluntarie ſuſcepta, & quæ ſupererogantur, nec his diebus ad cibos eſuriales quemquam eſſe cogendum.

Quantum vero attinet ad triduum jejunii Jonæ prophetæ, quod appellant (*a*) *Munaneba*, & exordium ſumit decima octava die primam Quadrageſimæ diem præcedente, ob ipſius antiquitatem, & ſanctitatem, optat ſynodus diligenter ſervari; verum quia Chriſtiani, per hos ſolent convenire dies in eccleſiam, ibique manducare Nerchas, (*b*) quæ parantur, laudatum triduanum jejunium non graviter præcipit; omnes tamen gravi præcepto obſtrictos eſſe vult, ad non comedendos memoratis diebus, niſi cibos quadrageſimales.

Debent itaque vicarii Dominicis diebus in ſuis eccleſiis denuntiare populo jejunia illius hebdomadæ, ut admonitus ea ſervare poſſit, nec ignorantia excuſetur.

DECRETUM XI.

Anno Christi 1599.

CCXI. Commendat Synodus laudabilem conſuetudinem, qua Chriſtiani hujus Dioeceſeos ſervant quadrageſimale jejunium abſtinentes ab ovis, lacticiniis, caſeo, piſcibus & vino; immo & ab uxoribus, (*c*) toto eo temporis intervallo: quæ quidem omnia vult ſervari inviolabiliter etiam in poſterum; ſicuti etiam quod jejunia inchoentur feria ſecunda poſt Dominicam quinquageſimæ: ut autem nonnulli tollantur introducti pravi uſus, declarat legem jejunii non ſolum exigere abſtinentiam a vetitis obſoniis; verum etiam poſtulare, ut nonniſi ſemel in die, præfinito tempore ſumantur cibi, ceteroquin liciti; poſt occaſum autem Solis, quibus opus fuerit bibere, aut libuerit, ne hauſtus noceat, eſculenti non niſi modicum quid, & leve, inſtar jentaculi ſumatur, quod humanæ imbecillitati permittit eccleſia. Si vero vel qualitatem, vel quantitatem ciborum in veſpertino jentaculo non ſervaverint, vel ultra prandium, & permiſſum jentaculum comedant, ſciant ſe frangere jejunium, & lethalis peccati reos eſſe. Illud inſuper advertant, quod ſi ex fragilitate, vel malitia die aliquo præceptum jejunii violent; non exinde non amplius obſtringi diebus reliquis lege quadrageſimalis jejunii; ut plures putant; ſed quocunque die jejunium fregerint, novo ſe alligari lethali peccato ſciant, juxta numerum reliquorum dierum, in quibu jejunare deſierint. Præterea ſciant jejunium ſervandum eſſe diebus feſtis etiam ſolennioribus, ſi tempus præſcripti jejunii feſtos hujusmodi dies comprehendat, exceptis ſolis diebus Dominicis, in quibus Chriſtianis non licet jejunare. Quamobrem quotquot pravi uſus, & falſæ opiniones in materia jejunii in hac dioeceſi irrepſerunt, corrigendi ſunt, & radicitus evellendi.

DECRETUM XII.

CCXII. Declarat ſynodus jejunandi præceptum, quantumvis urgentiſſimum non obſtringere pueros, & adoleſcentes ante vigeſimum primum ætatis annum, nec ſenes ætatis admodum provectæ, & debiles: ægrotos, mulieres prægnantes, aut filios lactantes, nec ſerviliter laborantes licite, & aſſidue ex inevitabili neceſſitate, & obligatione, ſi labor talis ſit, ut a jejunante exerceri ſine detrimento non poſſit: nam perſonæ prædictæ ſolum debent ſervare jejunium quantum ad abſtinentiam a cibis vetitis,

(*a*) Legendum eſſe videtur *Munnanorba*, quod eſt jejunium trium dierum, ex Malabarico *Munna*, id eſt *numerus ternarius*, & *Nojerba*: *jejunio*: non vero *Munaneba*, ut in textu Synodi, aut *Monnobio*, ut ſcribit Vinc. M. *lib.* 2. *c.* 6. Vide ſupra *num.* 132.

(*b*) *Nercha* eſt convivii parandi turbæ fidelium in Eccleſiam certis ſolennitatibus confluentium, votum ſeu ſponſio: in quo fercula oryzæ, & fructus aliqui nucis Indicæ lacte conditi exhibentur, longo ordine cunctis utriuſque ſexus etiam inopibus intra Eccleſiam in terra conſidentibus; Sacerdotes autem in gradibus ſedent altaris. Fit convivium peracta Miſſa, in qua omnes communicant; recitatis prius quibuſdam precibus, quas finito prandio proſequuntur. Quæ convivia priſcas agapes non modo referunt, ſed æmulantur. Cum ea fiunt pro defunctis vocantur *Chata* aut *Ceruta*. Nercha autem plerumque fit in Anniverſario Dedicationis Eccleſiæ, & in præcipuis ſolennitatibus; & in aliquorum nuptiis.

(*c*) Id omnino conforme eſt priſtinæ diſciplinæ Eccleſiæ; auctor autem Alcorani, morem iſtum quem alioquin obſervari præcipiebat, ita eluſit ut juberet, omnino ab uxorio congreſſu temperare tempore jejunii; cumque Mahomettanorum jejunium ſervaretur ab ortu Solis ad occaſum uſque, reliqua erat tota nox, qua licite veneri indulgere poſſent. Vide *Bibliot. Mediceam.*

ANNO CHRISTI 1599.

atque adeo vesci cibis esurialibus. Excipiendi tamen sunt ægroti, quibus licet vesci A ipsorum sanitati congruentibus ferculis; similiter excipiendæ sunt mulieres prægnantes, quæ possunt cibum aliquem etiam ceteroquin vetitum (*a*) comedere, si illum concupiscant, quod ipsis permittitur, ne sequatur abortus, ut assolet.

DECRETUM XIII.

CCXIII. Damnat synodus stultam opinionem eorum, qui sectantes Ethnicorum superstitiones, censent inutile sibi fore jejunium, nisi primo mane corpus laverint: vel si quempiam de stirpe abjecta tetigerint; quamobrem adhuc Naires ad jejunium ser- B vandum coguntur lavacrum adhibere: declarans itaque synodus, neque lotiones hujusmodi, neque vitationem prædictorum superstitiosorum contactuum nulla ratione pertinere ad jejunium ex præcepto ecclesiæ servandum, neque ad Christianæ Religionis professionem, præcipit, ut a præsule acriter puniantur harum vanarum superstitionum sectatores, quas etiam atque etiam exoptat a cordibus Christi Fidelium hujus ecclesiæ penitus eradicari.

DECRETUM XIV.

CCXIV. Quamvis synodus approbet lau- C dabilem consuetudinem hujus dioeceseos sacrum inchoandi quadragesimale jejunium, a feria secunda post Dominicam quinquagesimæ, nihilominus ut hæc ecclesia in tam salutari ceremonia sacræ ecclesiæ universali se conformet, statuit, ut feria (*b*) quarta subsequente cineres ritu sacro lustrentur, iisque a sacerdote celebrante aspergatur caput Christi fidelium additis verbis illis: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris*: prout in Rituali Romano syriace translato de mandato rev. metropolitani habetur: Hac enim sacra ceremonia excitantur Fideles ad ferventiorem poenitentiam, ac dolorem suorum peccatorum, & ad propriæ imbecillitatis considerationem; atque adeo ad sanctius, & majori cum veneratione sacros illos dies celebrandos. Curent etiam Sacri ministri, quantum fieri potest, ut cineres sint ex ramis combustis Dominicæ (*c*) palmarum anni præcedentis, quæ Dominica dies in hac Regione appellatur *De Osanna* prout in eodem Rituali libro præscribitur. Populo insuper denuntient ritum hunc, non esse Sacramentum ullum, sed meram ceremoniam sancte ab ecclesia institutam.

DECRETUM XV.

CCXV. Ad eumdem finem omnimodæ conformitatis cum universali ecclesia, præcipit Synodus a carnibus abstinentiam die Sabbati (*d*) servandam ex præcepto graviter obligante, in memoriam sepulturæ Christi Domini; edere tamen hac die poterunt ova, lac, butyrum, & caseum. Quod etiam poterunt aliis diebus, in quibus sola abstinentia a carnibus præcipitur: & quoniam consuetudo non vescendi carnibus feriis quartis, non servatur in tota dioecesi, sed alicubi tantum: & id quidem a paucis: declarat synodus abstinentiam hanc esse laudabilem, & optandam, ad eam tamen servandam, nusquam gravi præcepto Christianos obstringi. Quibus ergo fuerit libitum, etiam feriis quartis, poterunt carnes edere.

DECRETUM XVI.

CCXVI. Declarat synodus præceptum abstinendi a carnibus diebus prohibitis, jejunandi, ac festos dies colendi, a media

(*a*) in

(*a*) Inter alias abortus causas assignatur cibi alicujus denegati desiderium, & vehemens appetitus aliquid videndi, olfaciendi &c. & quamquam aliqui putaverint illud desiderium foetus esse, non autem Matris, contrarium probabilius apparet cum Cardoso *in Phil. libera Quæst.* 101. vera ergo causa abortus juxta illum est *Molestia naturæ* (feminæ) *illatæ*: quæ ea de causa memoro, ut Casuistæ rigidi, non omnia denegent prægnantibus; cavere autem eæ debent inter alia, *a nimio usu potionis illius dulcis & aromaticæ, quam dicunt Chocolatæ*, quæ ex eodem auctore abortum ciet: at erit id surdis canere.

(*b*) Quatuor anni temporibus, benedictio ac impositio cinerum celebrabatur, ante annos sexcentos in aliquibus Ecclesiis; immo & cunctis rogationum diebus imponebantur cineres. Vide Martene *De Rit. tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 32. *& colum.* 517.

[*c*] Etsi aliqui Patres sæculi 4. meminerint Dominicæ Palmarum, ut S. Ephrem, ritus tamen benedicendi palmas, *anno* 500. primum coli coepit in oriente afferentes Severo Patriarcha Antiocheno *ex Cod. Nitrien. Vat.* 33. *&* 34. *Hom.* 125. & Josue Stylite, qui ait, a Petro Edesse episcopo *anno* 497. in Mesopotamiam ejusmodi ritum fuisse invectum. Videsis *tom.* 3. Ephr. *Præf. pag. xix.*

(*d*) Quod Malabares Sabbato non abstinerent a carnibus, is ritus erat Orientalis Ecclesiæ, in qua feria 4 & sexta, Sabbato omisso jejunium servabatur: immo ea disciplina vigebat in Ecclesia nostra Occidentali *anno* 1056. quo frequentari coepit abstinentia Sabbati, nec adeo stricte, ut omnes eam illico servaverint; Baldricus enim Abbas in quemdam, qui piaculum ducebat Sabbato manducare carnem, ita lusit.

Sabbata custodis tamquam Judæus appella
Cum tamen alterius legis iter teneas.

Vide Mabil. *Præfat.* 2. *sæculi* 6. *Benedictini*: anno etiam *labente* 1368. non servabatur adhuc Sabbatum a laicis, bene vero ab Ecclesiasticis: adeas Concil. Vauren. *Decr.* 90. Et Parisiis a Nativitate Domini usque ad Festum Purificationis Deiparæ, in nullo Sabbatorum hoc etiam tempore, jejunium servatur.

ANNO CHRISTI 1599.

(*a*) in mediam noctem computari, itaut incipiat urgere a media nocte diei antecedentis, ad mediam usque noctem diei esurialis, vel festivi, atque adeo ut res constet exemplo, obligatio abstinendi a carnibus die Sabbati, incipit a media nocte feriæ sextæ usque ad mediam noctem Sabbati: cum dies Sabbati incipiat ab una media nocte, & ab alia terminetur; adeoque his veluti terminis circumscribatur. Similiter obligatio cessandi ab omni labore servili a media nocte Sabbati, tunc enim incipit dies Dominica, protenditur usque ad mediam noctem diei Dominicæ: quia tunc absolvitur dies Dominica, & sequens feria secunda suum habet exordium. Decipiuntur ergo qui putant se præcepta ecclesiæ servare, jejunando, & cessando a servilibus laboribus a vesperis ad vesperas: nam neque per integrum diem jejunium, neque per diem integrum diem festum præceptum servant, sed violant præceptum, quod urget toto integro die, adeoque a media ad mediam noctem. Præterquamquod sectatores sunt morum, rituumque Judaicorum, quos Ecclesia reprobavit: Hebræi enim suos dies esuriales, vel festos numerant a vespera ad vesperam, ubi contra Christiana ecclesia eos a media ad mediam noctem numerare solet.

A B C

DECRETUM XVII.

CCXVII. Quoniam contra universalis ecclesiæ morem, quæ aquam lustralem solenni ritu, ac statutis precibus a sacerdote sacratam, in urna aliqua decenter receptam sub ipsum Templi ingressum servare solet, ut illa se aspergentes fideles venialium remissionem acquirant; in hac dioecesi aqua ad hunc pium usum, non a sacerdote ullo, nec ecclesiæ precibus expiatur, sed tantummodo a Capiario, (*b*) vel Sacrista infusione luti, vel terræ, quam Peregrini e locis Sanctis a S. Thoma Apostolo cultis, vel ex ipsius sepulcro asportant, ad quem usum ex terra hujusmodi globus in ecclesia asservari solet; vel in hujusmodi terræ defectum, aliquibus thuris granis a sacrista, nullis præmissis sacris precibus in aquam injectis declarat synodus, aquam hujusmodi non esse aquam lustralem sive benedictam, nec adhibendam a fidelibus; cum terra prædicta, vel alia quæcumque e locis sacris, & sepulcris sanctorum, quos colit ecclesia, quamvis veneratione digna sit, nihil conferre possit ad conflandum hoc sacramentale ab ecclesia institutum. Quamobrem, præcipit, ut sacerdotes juxta morem universalis ecclesiæ, aquam benedicant, infusione (*c*) salis pariter benedicti, & eos ritus omnes servent, ac preces adhibeant, quæ habentur in rituali Romano syriace translato jussu Rev. Metropolitæ. Vicarii insuper curent eamdem benedicendi formam ibi præscriptam servare, & ex aqua illa urnas appositas implere, vel vespera Sabbati, vel primo mane diei Dominicæ: quo etiam die sacerdos linea veste, sive alba, & stola indutus, & absque planeta antequam sacrum inchoet, Templum percurrat, populum ibi congregatum ad audiendum sacrum, aqua benedicta aspergens, & recitet antiphonam, & orationem, quæ in eodem rituali continetur. Idque in solemnioribus missis diaconus præstabit, oratio autem recitabitur semper a sacerdote: vicarii etiam populum moneant, ut subeuntes templum manu in aquam benedictam immersa, signo crucis se muniant, abstineant vero ab oratione illa impii hæretici Nestorii, quam antea recitare solebant in ingressu, cum aquam benedictam sumerent, & quæ a synodo tamquam impia, & hæretica reprobatur.

D E F

DECRETUM XVIII.

CCXVIII. Quia major hujus populi pars christianæ religionis institutiones ignorat, nec aliud scit ad summum quam Pater, & Ave, quas tamen orationes syriace recitat, cujus linguæ est penitus ignara, immo major puerorum pars, ne signo quidem crucis munire se didicit, & quod magis pudendum est, plures ex Chamazibus ipsis, quamvis ad sacros ordines promoti, non bene callent christianæ Fidei elementa, & præcepta decalogi; præcipit synodus, ut in cunctis ecclesiis parochialibus existentibus in pago aliquo, vel vico, sive matutino, sive vespertino tempore hora per vicarium præfigenda; puerorum aliquis vel ecclesiæ Capiarius vicum, vel pagum percurrat, campanulam pulsando cujus sonitu admoniti puelli, puellæque omnes in ecclesiam conveniant, ubi vicarius, vel ipsius jussu Cassanarius, vel Chamazius chri-

(*a*) Orientales tam Nestoriani, quam Jacobitæ, juxta majorum suorum disciplinam observarunt jejunia fer. 4. & 6. a vespere exeuntis feriæ 3. & 5. & ab occasu ad occasum Solis, similiter festos dies computarunt, computatio autem dierum a media in mediam noctem ex communi consuetudine servatur in Europa de quo plura habentur in una Gerunden. *anno* 1720. *tom.* 1. *Resol. Concil. pag.* 363. licet juxta antiquorum disciplinam a vespere in vesperam dies colerentur ex *Cap. Omnes tit. de feriis*. Vide *Dissert. n.*110.

(*b*) Vox *Capiar* derivata videtur [dummodo non sit Malabarica, & ut significat Ministrum Ecclesiæ servitio addictum) a latino *Copiarii* ita dicti, teste Porphytione, quod rerum copiæ necessariarum curam impenderent, qui etiam *Parochi* Horat. & Ciceroni audiebant; at Capiarius, significat hoc loco Custodem laicum Ecclesiæ, cujus est eam emundare, pulsare æra sacra, & alia ejusmodi.

(*c*) Aquæ benedictæ usus ex Apostolica traditione descendit, cui sal injicere jussit Alex. I. *Ep.* 1. si tamen ipsius est. Et ex Hincmaro *anno* 851. ubi habetur, istam aquam die Dominico ante Missam benedici, ipsa populum ingredientem Ecclesiam aspergi, *& ex ea* (ait) *qui voluerint accipiant, & per mansiones & agros super pecora sua, & eorum pabula, super cibum suum, & potum conspergant.*

ANNO CHRISTI 1599.

christiana doctrina (*a*) eos instruat, eosque præsertim doceat modum se muniendi signo crucis, Pater, & Ave, symbolum fidei, præcepta decalogi, præcepta ecclesiæ, articulos fidei, & reliqua omnia christianæ religionis elementa, quæ tamen doceant lingua vernacula, & Malabarica, quam audientes callent, non vero Syriaca, quam penitus ignorant. Hoc enim in more positum est in ecclesia universa, ut pueri, & rudis populus, lingua vernacula instruantur, ut mente intelligant, quod ore proferunt: dominicis præterea, ceteriisque diebus festis ante, vel post missam universus populus in rebus fidei instruatur, immo diebus dominicis idem fiat horis pomeridianis, præmissis aliquibus, qui vicum, vel pagum percurrentes, campanulæ tinnitu populum admoneant, ut superius præscriptum fuit: vicarii autem ecclesiarum silvestrium præfixo hebdomadæ die pueros ad doctrinam audiendam e vicinioribus locis congregent, puerorum vero loca remotiora incolentium, instructionem alicui alteri committant: Cassanarii insuper, qui legere, ac scribere syriace aliquos edocuerint, & ceteri hujusmodi ludimagistri christiani, quotidie ante lectiones suos interrogent discipulos lingua Malabarica, ut in ipsorum mentibus melius imprimantur christianæ fidei rudimenta: nulli item puerorum ordines conferantur minores, immo nec tonsura, quin christianam doctrinam calleant, eamque Malabarice recitent, cujus rei examen subeant ad normam concilii Tridentini. In cunctis etiam ecclesiis, liber continens rudimenta Christianæ Religionis Malabarice conscriptus pro instruendis pueris, & rudibus asservetur: propterea rogat synodus P. Rectorem Collegii de Vaipicota Societatis Jesu, ut illum per sui collegii alumnos transcribi curet, atque adeo plura suppetant exemplaria ad singulas hujus dioecesis ecclesias transmittenda. Postremo etiam atque etiam rogat, hortaturque omnes christianos, ut vespertinis horis suos domesticos, omnesque e sua familia instrui curent, unde captivorum, & servorum, quos alunt, sit nullus, qui rudimenta fidei ignoret: confessarii etiam inter audiendum poenitentes, eos de mysteriis nostræ fidei interrogent, atque ad ipsa addiscenda hortentur.

DECRETUM XIX.

CCXIX. Ne fideles christiani hujus dioeceseos, quoad communes preces ab universali dissideant ecclesia, ut hactenus fecerunt, omittentes in Salutatione Angelica postrema verba, præcipit synodus, (silentio præteriendo impiam, & hæreticam formam salutationis Angelicæ, qua perfidi utebantur Nestoriani penitus proscriptam) eam sic recitari: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, Jesus. Sancta* (*b*) *Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ. Amen Jesus:* præterea sic reformari in libris piarum precum, qui sunt in usu in hac dioecesi.

DECRETUM XX.

CCXX. Quoniam fideles Christiani hujus episcopatus, dum sanctissimum profertur nomen Jesu, nullam ipsi reverentiam exhibent; ea nimirum impia, & hæretica doctrina imbuti, qua Nestoriani opinantur, duo esse supposita in Christo, & nomen Jesu esse nomen suppositi pure humani, quod non meretur specialem reverentiam, præcipit Synodus, ut quotiescumque nomen hoc, quod dulcissimum est, ac tot tantaque in se continet mysteria, tum quia est nomen Redemptoris nostri, tum quia est nomen super omne nomen, in quo juxta Apostolum, oportet quod omne genuflectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, præcipit Synodus, ut quoties profertur in Evangeliis, orationibus, Missa, Concionibus, & exhortationibus, aut alias quomodolibet, caput omnes reverenter inclinent, sive stantes, sive sedentes, necnon Cassanarii aut ceterorum quilibet, vel pileis cooperti: Vicarii insuper & Concionatores id populo frequenter inculcent. Et quoniam hoc nomine (*c*) *Iyo* quod in lingua Malabarica idem est, ac nomen Jesu, sæpissime infantes donantur in Baptismate, præcipit insuper Synodus quamurgentissime, ut nemini deinceps in Baptismo imponatur, quique illud in Baptismate habuerunt, aliud assumant dum sacro Chrismate confirmantur, neque enim decet adeo sublimi, Divinoque nomine aliquem appellari.

DECRETUM XXI.

CCXI. Cum æquum sit, festum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi non minus solenniter, quam uniformiter in tota Ecclesia Catholica celebrari; præcipit Synodus, ut in sacra Nativitatis Christi nocte clerus, populusque in ecclesiam conveniat, canendi ergo solenniter quantum fas est, pro numero sacrorum ministrorum, Matutinas preces

[*a*] Quales esse debeant Catechistarum dotes aperit S. Clem. *Ep.* 1. quantæ autem dignitatis munus fuerit in Ecclesia præsertim Alexandrina, videri potest in *Aubisii Tractat. de Schotis.*

(*b*) De additione istius deprecationis, vide supra in Synodo *num.* 50. *Not.*

(*c*) Sanctissimum nomen *Jesu* Syriace ex Hebraico dicitur *Jeschuang* cum litera *Ain* in fine: perfidi autem Hebræi pronuntiant contumeliose *Ischu*, cujus significationem vide apud Maurocenum *in Via Fid. pag.* 1401. Frequens est apud Orientales, ex eo nomina componere, ut *Jesuabj* Jesus dedit, *Jesudad*, idem: *Jesupbani* Jesus exaudivit; *Kamjesus*, surrexit Jesus, *Sabrjesus* spes Jesu; *Abdjesus*, Servus Jesu; quæ omnia, ut superius vidimus, in textu Lusitanico, & in versione Gallica Renaudotii, sunt valde corrupta; non secus atque hoc Malabaricum nomen *Iyo*, quod certe legi debet *Iso*, id est *Isus*, vel ut Græci pronuntiant, *Jesus*, id est *Jeschuang*; Malabares enim carent litera gutturali *Ain*, non secus ac Latini & Græci; vide superius *in Synodo pag.* 128

ANNO CHRISTI 1599.

ces, itaut media nocte plus minusve absolvantur, ac postea de more solennis habeatur publica supplicatio, sive processio, qua finita, ea majori qua fieri potest celebritate, solennis Missa cantetur: postea poterunt Cassanarii unam legere Missam, ad Auroram alteram, & tertiam solito tempore; noverint item sacerdotes, quod (a) præ Solennitatis magnitudine ipsis indulgetur hac die sacrum ter celebrare: primum media nocte, alterum sub aurora, tertium denique solita hora; vel etiam trinas, aut binas missas diluculo, dum private legantur; quæ etenim publice, & coram populo recitantur, ordine præfixo celebrari debent, itaut prima tantum media nocte celebretur: in prima autem, & altera missa ablutiones non sumantur, sed sumpto Sanguine, prætermissa ablutione, sacerdos celebrans ultra progrediatur; hoc enim pacto naturale jejunium in tribus servabitur: curent etiam plurimum Calices probe abstergere, necnon digitos aqua purificare, quæ exinde in piscinam subtus Altare, vel in fontem aquæ benedictæ, vel in baptisterium proiiciatur; Siquis autem sacerdotum imprudens in prioribus missis ablutionem hauserit, ad sequentem non ultra progrediatur, cum jejunium, quod in celebrante exigitur, vel uno haustu fuerit solutum.

DECRETUM XXII.

CCXXII. Præcipit Synodus ut sacerdotes solenniter ministrantes sacramenta Baptismatis, Matrimonii, Extremæ Unctionis, necnon sacram Eucharistiam extra Missam, Superpelliceo, ac Stola e collo pendente utantur pro majori actionis decentia, ac reverentia; cumque hactenus in hac ecclesia usus superpelliceorum nullus fuerit, R. Metropolitanus quotquot fuerint necessaria suppeditabit; nullus itaque vicarius hinc discedat, quin prius superpelliceum pro administrandis sacramentis accipiat, quo ex præscripto Synodi, ea ministrentur juxta ritus, & ceremonias Ritualis Romani, jussu R. Metropolitani Syriace translati, quodque apud omnes asservabitur ecclesias; etenim in illo habetur baptizandi norma, ungendi infirmos, jungendi sponsos, cum benedictionibus, ubi illæ exigantur; forma item Absolutionis Sacramentalis cum consuetis orationibus, modus Eucharistiam conferendi; modus exorcizandi energumenos: benedictiones aquæ, cinerum, candelarum, ramorum; Ritus sepeliendi tam parvulos, quam adultos, orationes pro reconciliatione ecclesiarum, & cœmeteriorum; libri itaque hæc omnia continentes in omnibus habeantur ecclesiis, nec sacerdotum aliquis suo usui applicare eos audeat, vel ab ecclesia auferre. Plurimum etiam commendat Synodus P. Rectori Collegii de Vaipicota societatis Jesu hujus Dioecesis, transcriptos per alumnos hujus collegii semper apud se plures habere nonnullos horum librorum, ut ecclesiis, quæ illis indigent, distribuantur.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XXIII.

CCXXIII. Ad eamdem uniformitatem servandam cum sancta Romana ecclesia, præcipit synodus, ut die secunda Februarii (b) in festo Purificationis Dominæ nostræ fiat ante Missam cereorum benedictio, tum pertinentium ad ecclesiam, tum quos alii in Dei cultum, & pietate impulsi, benedicendos attulerint: quæ quidem benedictio, prout habetur in rituali Romano Syriace reddito, fieri debet; deinde absoluta solenni hac benedictione, per ecclesiam, vel circa illam Cassanarii, & Chamazes suis insignibus amicti, & cum candelis accensis, longo ordine supplices incedant, quos comitetur populus cum candelis pariter accensis, si illas ha-

(a) Priscis temporibus plures eadem die idem Sacerdos celebrabat Missas; id postea certis solennitatibus attributum fuit, nimirum, Nativitati Domini, S. Joan. Bapt. &c. Binas etiam in aliquibus solennitatibus celebrabant Sacerdotes; atque hoc tempore in Hispaniis multiplex hujus antiquæ disciplinæ viget consuetudo: in Ecclesia enim Oriolensi, ut constat ex ipsius Episcopo in una *Oriolen. Visitation. Sacror. limin.* duas Missas in die Omnium Sanctorum, & duas in sequenti die commemorationis defunctorum sacerdotes celebrant. In universo etiam Regno Coronæ inclytæ Aragonum in die Defunctorum binæ dicuntur Missæ, a Presbyteris secularibus, ternæ vero a Regularibus, sive id descendat ab immemorabili, sive a Privilegio Julii III. vel Pauli III. vivæ vocis oraculo concesso: de quo vide laudatam *Oriolen. in Thesaur. Resol. Conc. Trid. die.* 30. *Augusti* 1752. Id etiam constat Archiepisc. Bracaren. illam Aragoniæ facultatem postulasse a Clem. XI. Congregatio autem Concilii *die* 14. *Martii anni* 1711. rescripsit: *negative*. Serenissimo vero Hispaniarum Regi, idem indultum pro toto Regno Castellæ petenti ab Innocen. XIII. rescriptum fuit *die* 2. *Maii* 1721. *Non proposita*; quo honorifice denegarentur petita. In Ecclesia igitur Occidentali mos iste ter celebrandi die Natalis Domini, ubique viget, eo tantum exiguo discrimine, quod cum in ceteris Ecclesiis post mediam noctem dicatur prima Missa, in Venetorum aliquibus Ecclesiis, ante mediam noctem celebratur, juxta morem Capellæ Pontificis Sum., in qua ante noctis dimidium incoatur Missa a Cardinali celebrante, qui jejunus manet ab usque præcedente media nocte; quæ hoc anno 1744. cantata fuit ab Eminentissimo Card. Dominico Passionæo, CL. atque eruditissimo viro, atque eruditorum fautore, ac promotore benignissimo.

(b) In sanctionibus Arabicis concilii Nicæni ex Abrahamo Ecchellensi in collectione Harduin. *tom. 1. col.* 509. fit mentio *Festi Cereorum sive Purificationis*. Et cum ex Tillemont. *note 7. sur J. C. tom.* I. habeatur ex vita S. Theodosii abbatis, quod medio V. seculo celebrabatur festum Purificationis, & ne tunc omnino novum id fuisse videatur, revocanda videtur hæc institutio ad sæculum IV. unde ex hoc capite, non est cur de suppositione arguantur Sanctiones Arabicæ. Hac die duplicem celebrat ecclesia solennitatem; prima est Hypapante, seu Præsentatio Domini in templo; altera est Purificatio B. Virg. Mariæ. De mysteriis, atque utilitatibus Cereorum benedictorum hac die videsis Conc. V. Mediolan. *Par. 1. Const. 6.* Gavetur autem opportune in Concil. Arelat. *anno* 1260. *Can.* 7. ne utantur in processionibus aut Ecclesiis Cereis ligneis, ceræ colore tinctis, *quia non convenit quæ sunt cultui Dei, fictitie & simulatorie agi: Candele di legno:* Italice dicuntur.

ANNO CHRISTI 1599.

habeant, in memoriam mysterii, quod in hoc Festo celebratur: nimirum solennis illius ingressus, quo Jesus Christus Dominus noster, divinum lumen, ac splendor patris, primum introivit in templum, semetipsum pro nobis nostra indutum humanitate, æterno patri oblaturus. Similiter feria secunda, tertia, & quarta ante festum Ascensionis Domini eadem publica supplicatio habeatur, vel per templum, vel alibi, prout vicario visum fuerit, in qua (*a*) Litaniæ legantur juxta consuetudinem sanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ pariter in eodem Rituali apponentur, expunctis hæreticorum nominibus, quæ tanquam sanctorum Nestoriani in ipsis Litaniis intruserant; exoptat præterea synodus usum Litaniarum pro occurrentibus necessitatibus in hac ecclesia introduci ad Divinam miserationem implorandam.

DECRETUM XXIV.

CCXXIV. Cum deprehenderit synodus in remotioribus hujus dioeceseos partibus, tam Austrum, quam Aquilonem versus, Christianos Silvas incolentes, diebus dominicis, ceteriscque festis, præsertim horis pomeridianis, quam licenter vacare labori, & Mercimonio: præcipit vicariis, ut plurimum hac super re invigilent, invehantur, & coerceant, potissimum quos deliquisse comperient: qui vero post trinam monitionem pervicaces fuerint, amoveantur ab ecclesia, nec in ea eos admittant, nec *Casturæ* eis exhibeantur, neque Sacerdos ullus ad eos accedat, quousque cum effectu resipuerint.

DECRETUM XXV.

CCXXV. Cum in hac dioecesi plura olim erecta fuerint templa Mar-Xabro, (*b*) & Mar-Prodh dicata, quos communiter sanctos vociferantur, de quibus nihil aliud deprædicant, quam in has regiones divertisse, plura patrasse miracula, demum Babylonem, unde venerant, remigrasse, vel ut alii asserunt, vita excessisse in civitate Coulan, quorum tamen sanctitas in vulgus sparsa in dubium revocari potest; neque enim quidquam eorum, quæ de ipsis narrantur, scripta vel authentico ullo monumento nititur, nec de eorum apotheosi in ecclesia constat: immo non levis suspicandi causa habeatur, eos Nestorianæ hæresis Sectatores fuisse, cum Babylone huc venerint, tempore quo hæresis hæc maxime vigebat: præcipit synodus ut quotquot templa ipsis dicata reperiuntur, omnibus Sanctis dicentur, solennia etiam omnia, & Nerchæ (*c*), pro Mar Xabro, & Mar-Prohd fieri solitæ, in festo Sanctorum omnium prima Novembris celebrentur, necnon in posterum eo titulo nullas ipsis ecclesias nuncupari: etenim dicare Templa, solennia instituere, ac horarias preces recitare non licet nisi in honorem sanctorum, quos ecclesia solenni ritu venerandos proponit, & quorum sanctitatem ipsa publico judicio approbat.

DECRETUM XXVI.

CCXXVI. Quia, ut experimento compertum est, plures ecclesiæ latrociniis subjacent, eo quod Capsæ in quibus fidelium eleemosyæ deponuntur, non nisi diuturnum post tempus reserantur, ex quo fit, ut egestate oppressæ, ea, quæ ad divinum Cultum necessaria sunt, comparare sibi non possint, præcipit synodus, ut quotannis Kalendis Januarii quatuor viri probatæ fidei, & notæ probitatis in quacumque ecclesia eligantur, quibus tanquam (*d*) Oeconomis, rerum in ecclesiæ bonum gerendarum cura committatur. Exeunte deinde anno capsæ reserentur, & pecuniarum, quæ in illis continentur ratio habeatur, & in librum refetatur ab uno ex quatuor viris electis, qui ratiocinatoris, sive calculatoris munus obibit; postquam autem pecuniarum subductæ fuerint rationes, eædem pecuniæ reponantur asservandæ in Capsa tribus clavibus obserata, quarum clavium una sit penes unum ex quatuor electis, eorum arbitrio deputandum, altera penes vicarium, tertia penes alios duos. Ratiocinator enim nec clavem, nec Capsam apud se retinere debet: habeat tamen hic apud se librum alium, in quo notet expensas, quæ ex dictis pecuniis fiunt in ecclesiæ, sacræque supellectilis instaurationem, vel ornatum: Quod si ingentem summam impendendi necessitas occurrat, in hanc impensam omnes quatuor consentire debent; nec depositarum pecuniarum Capsa aliter reserabitur, quam illis quatuor simul cum vicario concurrentibus, quorum cuiliber, si forte sit impeditus, subrogabitur alius. Præter ea quoties novi eliguntur, veteres, qui officio functi sunt, depositum, nu-

(*a*) Litaniæ minores aut rogationes ante Ascensionis festum tribuuntur ut auctori] S. Mamerto Viennensi sub Hilario I. an. 461. majores vero in festo S Marci, S. Gregorio Magno. In Hispania sæculo VII. ex præscripto Conc. XVII. Tolet. per totos duodecimos anni menses celebrabantur.

(*b*) Crozzæus afferit, horum nomina fuisse *Sapor & Perozes*, & quasi ingentis piaculi reum traducit Gouveam & PP. Diamperenses; quod ipsos *Xabro & Prodh* vocitaverint; hoc tamen leviss. crimen (si tale videtur) a proferendi modo inter Indos, aut celeritate loquendi ipsorum, facillime admitti potuit ab hominibus Europeis: Vide le Quien *tom. 2. Orien. Christ. col.* 1275.

(*c*) Quid sit Nercha vide in Syllabo vocum.

(*d*) Inter Canones Nicænos Arabicos extat 63. *de Oeconomis, qui curent res ecclesiæ*, e quibus unus aut plures proventuum, alii villarum, & sumptuum quotidianorum, alii demum sacræ supellectilis curam gererent. In canone autem 68. ex *Nicæno-Arabicis* Abrahami Ecchellen. unus tantum Oeconomus assignatur ecclesiis, Procuratores vero plures. In ecclesiis Hispaniæ secul. VI. vocabatur *Oeconomus*, qui vice episcopi res tractabat ecclesiasticas, sine quo nullum episcopum esse oportebat, ut patet ex concil. *Tolet. IV, anno* 633.

ANNO CHRISTI 1599.

numerata prius coram illis pecunia, novis tradent: numeratæ vero pecuniæ summam calculator in rationum libro notabit, & noviter electi, subscripto suo nomine, eam apud se depositam accepisse testabuntur, ut quovis tempore ratio accepti, & expensi constet, quantumque ecclesia in bonis habeat. *Prælatus* insuper in visitatione hujusmodi libros ad examen revocet, & expensarum rationem poscat, & siquid impendere opus sit in bonum ecclesiæ, id fieri decernat. Postremo synodus rogat R. Metropolitam, ut quantocius hoc decretum in proxima visitatione executioni mandari jubeat, ne res adeo ecclesiis proficua effectu careat.

DECRETUM XXVII.

CCXXVII. Quia ecclesiæ fere omnes hujus dioeceseos pulvere, & araneorum telis notabiliter sordent, & vix unquam verruntur (*a*), & mundantur, deficiente, qui munus hoc habeat; unde ab illis nitor omnis, & mundities abest; jubet synodus certam detrahi portionem ex eleemosynis ecclesiæ, Capiario sive sacristæ assignandam, cujus sit altaria mundare, pulverem e parietibus excutere, lampades, & candelabra expolire, terque ad minus in hebdomada ecclesiam verrere: Capiarius etiam curabit, ut perpetuo lampas uno saltem lychno, ante aram maximam ardeat, sicuti, & quod Urcei olearii, in quibus asservatur oleum ad alendas lampades, in loco sepositio ab ecclesia collocentur, in qua solum poterit reponi urceolus aliquis, ut sit ad manus, dummodo aspectui non pateat: situlæ etiam, & lebetes in ecclesia non collocentur, aut alia quælibet parum decentia, sed hæc omnia alibi, aut in domo Capiarii, aut oeconomorum recondantur; ecclesiæ demum eo quo par est nitore perfulgeant, nec ut antea sordida supellectile deturpentur.

DECRETUM XXVIII.

CCXXVIII. Præcipit synodus ut in quolibet sacrario, sive sacristia sint plutei obserati, in quibus asserventur calices, corporalia, & vestes sacræ; sicubi autem non existat sacristia, plutei hujusmodi in aliquo ecclesiæ angulo collocentur, quousque sacrarium ædificetur: in ecclesiis vero silvarum, ubi adest latronum periculum, vicarii sacram supellectilem domi suæ conservent. Curent etiam, ut supra altaria non relinquantur, sic enim vestes, & corporalia sordescunt, & altaria ipsa impediuntur, claves autem armariorum vicarii retineant; cumque omnes ferme aræ maximæ in Ecclesiis sint æstuosæ, & suboscuræ, fenestræ fiant circa illas, quæ ferreis clathris ita muniantur: ut luci, aerique liberiori pateat aditus; Ethnici vero foris astantes divina mysteria prospicere nequeant.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XXIX.

CCXXIX. Quoniam universæ pene hujus dioeceseos ecclesiæ, tabulis supra aras appensis destituuntur; quippe Hæretici Nestoriani, qui olim ecclesiis præsidebant, laudabilem usum sacrarum imaginum (*b*) respuebant; mandat synodus, ut ex eleemosynis ecclesiarum depictæ tabulæ comparentur supra aras appendendæ, quæ res tamen, sicuti alia quælibet, juxta præsulis arbitrium placitumque fieri debet. Hæc autem post erectionem fontis baptismatis, ubi instauratio ecclesiæ non urgeat, prima omnium cura sit. Incipiendum est ab ara maxima, cujus tabula titulari illius templi respondeat, deinde progrediendum ad aras minores, & laterales, si plures aræ in eadem ecclesia fuerint; ac in cunctis crux præter tabulam, e quacumque materia efformata, collocetur. Præterea in cunctis ecclesiis, si capacitas ecclesiæ id patiatur, Pulpitum erigatur, e quo sacer Orator verba ad populum facere possit: signa item quibus convocentur fideles debito tempore in ecclesiam, in (*c*) turribus appendantur, quæ instrumenta intra ecclesiam locari non debent, quia plurimum pertuabationis afferunt, & ecclesiam ipsam impediunt: sicubi autem periculum immineat a latronibus, qui instrumenta illa surripiant, erigatur turris undequaque clausa, & latronibus impervia; sed quia pluribus in locis reges, & Bracmanes Pagodum erigi extra ecclesiam sublimi in loco Turres vetant; timent quippe (quod est ipsorum delirium) ne Pagodes campanarum sonitu contristentur: in iis locis, in parte aliqua superiore, vel inferiore ecclesiæ, campanæ hujusmodi suspendantur, itaut templum non impediant, nec manibus contrectari possint. Postremo si alicubi Cymbala non fuerint, permittitur a synodo usus instrumentorum ligneorum, quorum collisione Fideles ad audiendum sacrum, vel concionem congregentur, juxta veterem consuetudinem, quod tamen permittitur usque dum ænea & aptiora ad hunc usum instrumenta conflentur.

(*a*) At non tantum incuriæ ministrantium id tribuendum est, sed quia illi Christiani, ex consuetudine ab indigenis Ethnicis derivata, nullo aut latere, aut marmore ecclesias sternunt, sed solo vaccarum stercore, quod frequenter renovant, immo eodem, parietes Templi ad duos, treve altitudinis palmos bene perliniunt, quo illa ornatiora reddantur: vide Vinc. Mar. *lib. 2. cap. 6.*

(*b*) Qui de rebus Indiæ pertractarunt Josephus Indus, Crozæus, aliique asserunt, Nestorianos nullam SS. Imaginem, aut Icones venerari Cruce Domini excepta; contrarium autem ostendit eruditissime, ut assolet, Asseman. *tom. 4. Bibl. Orien. pag.* 350. ita ut etiam latissime jam propagata hæresi, SS. & Imaginum apud eos cultus integer, illibatusque permanierit. Unde quod ait synodus, id ex defectu Pictorum in Malabaria, vel suggestione Hebræorum ibi degentium, accidisse æstimandum est.

(*c*) De campanariis Turribus, ut vocant; legesis nostrum Angelum de Rocca *tom. 1. pag* 170. *& seq.* & de campanarum baptismo, ut sit in Hispania *ibid. p.* 65. leviora tamen quædam castiganda essent: Malabares autem Ethnici, solum permittunt Christianis, campanas intra ecclesiam appensas habere, non vero extra illam in Turri, eo quia, ut ajunt, ex campanarum sonitu Idola & Pagodes contristantur.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XXX.

CCXXX. Docet Synodus, ac declarat, ex vetuſta lege, quæ ſemper viguit, & ſervata fuit in Chriſti eccleſia, plures recenſeri caſus, in quibus polluuntur, (a) ſive violantur Templa, ita ut in ipſis Sacrum celebrare, aut ſepelire mortuos non liceat quouſque expientur, id quod ob Juris ignorantiam uſque hactenus in hac Diœceſi neglectum penitus fuit. Caſus ergo, in quibus polluuntur templa, ſunt. Primo ſi injuſte effundatur humanus ſanguis intra templum, vel ſi vulnus lethale ibidem infligatur, etiam ſi vulneratus egrediatur, & extra templum ſanguinem effundat, vel etiam moriatur: non tamen polluitur ſi res vice verſa contingat; nimirum vulnus lethale infligatur extra templum, & vulneratus confugiens in templum, ibi ſanguinem effundat. Similiter polluitur, quamvis percuſſio vel vulnus inflictum in ipſo templo lethale non ſit, dummodo ſit cum effuſione ſanguinis, & injurioſum. Secundo ſi ſemen voluntarie effundatur intra templum, etiam ſi id fiat per copulam conjugalem. Tertio ſi cadaver excommunicati in templo ſepeliatur. Quarto idem contingit, ſi ſepeliatur in templo Ethnici cadaver: in quo caſu non ſolum expiari templum ſacris precibus, & benedictionibus, ſed etiam parietes abradi debent. Quinto ſi conſecratio, aut benedictio templi fiat ab epiſcopo publice excommunicato. In his caſibus Templum expiandum eſt ab epiſcopo, & non ab alio, ſi templum fuerit ab epiſcopo conſecratum; ſi vero fuerit tantummodo benedictum, vel ab epiſcopo, vel ab alio Sacerdote, id fieri debet a vicario eccleſiæ juxta præſcripta in Rituali Romano Syriace translato; ſciendum inſuper, quod violata eccleſia, violatur etiam cœmeterium contiguum: non vero ab illa ſeparatum; ſi autem ob enumeratos caſus cœmeterium violetur; non exinde violatur eccleſia, etiamſi cœmeterium ſit illi proximum.

DECRETUM XXXI.

CCXXXI. Quoniam reverentia debita ſacris templis ſæpiſſime in hac Diœceſi violatur, (b) cum ſæpeſæpius Ægroti uxorati per plures dies cubent cum ſuis Uxoribus in ipſis templis, ſperantes ob hanc diuturnam moram, & aſſiduitatem in orando, ope ſanctorum ſe priſtinam ſanitatem recuperaturos: immo ſimul cum ipſis tota familia ibidem cohabitet, ex quo fit, ut plurima, maxime indecentia ibi fiant: præcipit Synodus ut nulli omnino id permittatur, præter quam tempore belli, ſi populus inermis in templa confugiat conſulendi cauſa propriæ incolumitati: ceterum tempore ægritudinis poſtquam preces fuderint, cubitum eant in proprias domos, aut domos propinquiores, ſi forte majori cum perſeverantia orare velint, vel etiam ſe recipiant in templi porticu, nullo modo autem intra templum ipſum.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XXXII.

CCXXXII. Cum frequenter contingat, ut eorum cadavera, qui in ſilvis obierunt, ſine ullo Sacerdotum interventu, & ſacrarum precum, & exequiarum honore in locis profanis ſepeliantur: præcipit Synodus, ut propinqui, aut ii, apud quos deceſſerunt, e locis remotioribus aſportent cadavera ad loca eccleſiis propinquiora, unde vicarius ſuperpelliceo, ac ſtola indutus, præeunte Cruce, eamque comitantibus Caſſanariis, ſacraſque preces canentibus, ea accipiat, & eccleſia ſepultura donari curet. Quæ Chriſtianæ caritatis officia erga ſilvarum incolas quamtumvis paúperes, & mendicos, etiam nullo erogato ſtipendio Vicarii exercere debent. Quod ſi tunc temporis nulli in Eccleſia Caſſanarii reperiantur, nec aliunde opportune advocari poſſent, Chriſtiani ipſi quotquot haberi poterunt, Chriſtianorum ſilvas incolentium cadavera, orantes pro ipſorum animabus eccleſiaſticæ ſepulturæ tradant, vel in eccleſia, vel in Coemeterio. Qui vero hæc pia officia neglexerint, & recuſaverint defunctos ad Eccleſiam aſportare, vel in loco profano ſepelierint, graviter puniantur a præſule, & ad arbitrium mulctentur.

DECRETUM XXXIII.

CCXXXIII. Quoniam puſtularum morbus in hiſce regionibus cenſetur maxime contagioſus, ſæpe contingit, ut Chriſtiani, qui hoc morbo moriuntur, eccleſiaſtica ſepultura fraudentur, eo quod aliorum Chriſtianorum ſit nemo, qui velit eos ad Eccleſiam aſportare; quod cum maxime dedeceat, & Chriſtianæ caritati adverſetur, ſynodus inculcat Vicariis, ut omni ope curent, ne defuncti hujuſmodi piis exequiis, & eccleſiaſtica careant ſepultura; quamobrem horum

(a) Caſus in quibus eccleſia etiam non conſecrata polluitur, recenſentur in concil. Nugarolienſe *IV. Non. Dec. anno* 1503. *celebrato Can.* 12. ſcilicet ſeminis aut ſanguinis effuſione violenta, ſepultura excommunicatorum & interdictorum, Hæretici, Schiſmatici, Pagani & Judæi, *quod ſi oſſa diſcerni & exhumari non poſſint, per epiſcopum tantum aſperſione aquæ benedicantur.* Quo autem ritu eccleſia, vel ob imminentem ruinam, vel alia quacumque cauſa profananda ſit, docetur atque præſcribitur a S. Carolo Borromæo in *Concilio Mediolanen. IV. par. I. Conſt.* 20. ubi juxta Tridentini ſanctionem inter alia commendatur, quod in eo loco ad uſum profanum converſo *Crucis inſigne, ita figatur, ut inde facile amoveri nequeat.*

(b) Eccleſiaſtici Malabarenſes, iter agentes, in eccleſiis hoſpitantur, ibique ſomnos capiunt ſubſtrato tegete; victus autem ipſis miniſtratur ex eleemoſynis chriſtianorum vel ex fabricæ depoſito. Plures etiam novendialem Deo vovent in eccleſiis cum tota familia commorationem, atque in eiſdem cubant, & comedunt, præſertim tempore ægritudinis, ut Synodus indicat: Vide Vinc. Mar. *lib.* 2. *cap.* 6.

ANNO CHRISTI 1599.

rum cadavera saltem a longe comitentur, simul cum reliquis Cassanariis sacras, ac funereas preces canentibus, ac demum tumulari curent. Quæ omniaad munus suum spectare meminerint, poterunt tamen in iis exequendis debitam cautelam adhibere- A

DECRETUM XXXIV.

CCXXXIV. Decernit synodus ut ubi in pago aliquo, aut vico erectum fuerit Templum aliquod in alicujus sancti honorem, a quo nomen habeat, si ibidem erigatur aliud (*a*) templum, non eidem sancto, sed alteri ut titulari dedicetur; tum ut solennitates distribuantur, & statis temporibus unumquodque templum a populo frequentetur; B tum etiam ne contentiones fiant. Quamobrem declarat, nulla fieri, ut aliqui falso opinantur, injuriam alicui sacræ ædi, si in eodem pago, vel vico aliæ non eidem, sed Sanctis aliis dedicentur, & eorum nomine subscribantur, quæ stulta opinio incausa est, ut alicubi omnes ecclesiæ ejusdem Sancti nomine appellentur. Statuit itaque, ut recurrente annua celebritate Sancti Titularis alicujus ecclesiæ, vel dum in illa solennis aliqua festivitas celebratur, vel conciones habentur, dum idem non fiat in propria uniuscujusque, omnes in eam ecclesiam conveniant, & ibi congregentur; ne discordiæ inter ecclesias, quæ christianæ caritati maxime repugnant, & usque hactenus vigueruntut compertum fuit synodo, in posterum foveantur. Pro ampliori tandem ecclesiarum cultu præcipit, ut in iis, quantum fieri potest, erigantur sodalitia, sive Confraternitates sub eodem titulari, quippe ex iis ecclesiarum indigentiæ non parum emolumenti accessurum videtur. C

DECRETUM XXXV.

CCXXXV. Vehementer urget synodus ecclesiarum Vicarios ceterosque Sacerdotes, ut ad infidelium conversionem impigre incumbant, eosque ad fidem Catholicam suaviter ac honestis mediis alliciant, potissimum Evangelii prædicatione, nec minimam occasionem eos adducendi ad agnitionem veritatis elabi sinant, tam *Naires*, quam (*b*) *Chegos*, ceterosque obscuri generis; *Malleas* præsertim montana incolentes, quos ferunt, non adeo esse suis erroribus, ac Idololatriæ addictos, quinimmo Evangelicæ doctrinæ recipiendæ paratiores; undecumque etiam aliqua interluxerit erga conversionem ipsorum spes, illico præsuli deferant, ut meliori, & opportuniori, quo ipse judicaverit modo, obtineri posse finem conversionis majoremque Dei cultum, solicite provideat. Urgenter etiam insinuat, ut cum a Cassanariis hujus diœceseos plurimæ diversis in locis obtentæ fuerint conversiones; studium hoc convertendi Infideles, semper magis magisque in dies promoveatur; cujus rei illustrissimus Metropolita maxime auctor fuit. Assidue igitur munus hoc demandetur Sacerdotibus, & ubi non in frequens Christianorum numerus accreverit, statim templa cum propriis erigantur Parochiis, ut ab iis pabulum accipiant spirituale.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XXXVI.

CCXXXVI. Cum synodo innotescat, sacilius ad fidem accedere præ Nairis, & nobilibus, stirpe obscura prognatos, vehementissime cupit modum adinveniri, quo Nobiles ad Christianam Religionem conversi, cum aliis Christianis in eadem simul ecclesia convenire possint, ut par est, (*c*) cum omnes unum Deum colant, eandem teneant fidem, eisdem utantur Sacramentis, idem etiam cum sit Dominus omnium, apud quem nulla est personarum acceptio, aut ignobilium, magnatumve discretio; ceterum hæc accuratissime pertractando plurimum etiam cunctis his diebus Dominum obsecrando, ac diu multumque circa opportuna

[*a*) Ejusmodi stulta opinatio, alte insederat Indis Malabariæ, t putarent ægerrime laturum Sanctum illum, cui aliqua Ecclesia dicata erat, si non reliquæ ejusdem oppidi sibi etiam dicarentur, quasi Sanctos invidentia & æmulatio tangere aliquo modo posset, quæ mortales adurit.

(*b*] Præter Naires, quo nomine veniunt Bracmanes; Principes & Christiani Sancti Thomæ, reliqui recensentur tanquam obscuri abjectique generis; qui pluribus variisque nominibus vocantur *Parreas*, *Polleas*, *& Chegos &c. Malleas* vero dicebantur illi, qui montana incolebant & juga montis *Gattis*, qui utpote melioris indolis Menesio cordi erant, atque ad ipsos Missionarios direxit.

(*c*) Si verum esset quod Crozæus scribit *pag.* 477' *Hist. Christian. Ind.* nimirum, aversionem ac separationem istam Nairum a reliquis, nullo religionis Malabaricæ principio inniti, sed sola consuetudine, Bracmanum roborata, explicatior nobis appareret ratio, quæ Synodum nostram impellere potuit, ad ejusmodi separationem. & fugam contactus tolerandam, tam in præsenti Dec. 36. quam in Dec. 2. proxime Actionis 9. & quidem eo loci *superstitiosa consuetudo* appellatur: si enim ad religionem pertineret, nulla ratione tolerari debuisset; *quæ enim conventio Christi ad Belial?* Et quidem Indorum Propheta quidam *Kaviler* nomine, ut eam consuetudinem extirparet, asserebat, Birumam [Indorum Idolum) pellicem adamasse ex abjectissima *Barejanorum* stirpe procreatam: tum addebat similia dictis a Synodo verba. *Cœlum indifferenter pluit super hos & super illos: Sol æqualiter in omnes lumen suum expandit: Hominum genus unum est, sicut Deus unus est* Gnanigoles etiam (viri sunt inter eos Indos devotioni dediti] nullam Tribuum discretionem observantes, cum omnibus sive Nairibus, sive Parreis colloquuntur, omnium ædes frequentant: *Nonne omnes nos* [eorum quidam ajebat] *eadem sumus origine prognati? An non unum est Idioma, una lex nobis communis? Nativitas & mors eadem est omnium nostrum; nulla ergo discretio hominum in humano genere.* Ut igitur contrarium iis sapientum Indorum dictis præjudicium, atque consuetudinem aliquando Indi exuerent, Sereniissimi Lusitaniæ Regis interpositione, agendum esset, ut Nairibus adscriberentur, quicumque fierent Christiani. Vide *Act. 9. Dec. 2.* Interea tamen, & quasi ex nostra Synodi emunti (quæ in hac re maximi facienda est) pleniissime illis Christianis prospexit nuper SS. D. N. Bened. XIV. sua Constit. *Omnium solicitudinum*; die 11. *Sept. anni* 1744. qua omnia discutit, digerit, atque cavet.

ANNO CHRISTI 1599.

tuna media conferendo, nullum hactenus inventum fuit, eo quod cuncti Christiani, regibus, dominisque Ethnicis sunt subjecti, qui omnem cum illis familiaritatem, comitatemque hucusque iis exhibitam abrumperent, ubi eosdem abjecti generis quemquam attigisse, constiterit; quibus omnibus pro rei gravitate a synodo perpensis, præcipit, ut cum aliqui obscuræ stirpis Christo nomen dare voluerint, ad Baptismum recipiantur, idque continuo præsuli nuntietur, ut ipsis separatam ecclesiam, & particularem ministrum Sacramentorum assignet, qua ratione fiet, ut iis, qui de abjecta progenie ad fidem, & salutem a Deo vocantur, aditus ut hactenus ad illam non intercludatur: quandiu vero peculiare pro illis templum non extruitur, sacro e porticibus assistant, quousque ab Ethnicis regibus, movente Deo eorum corda, non impetretur, ut quicumque obscuri generis fiant Christiani, nobilium albo adscribantur, & sic omnis quoad contactum scrupulus depellatur: itaque synodus etiam atque etiam rogat Majestatem Regis Lusitaniæ, ut auctoritatem suam, qua apud Reges Dominosque Malabaricos maxime pollet, ad hunc finem interponat.

A

DECRETUM XXXVII.

CCXXXVII. Cupiens synodus Montanam hancce ecclesiam omnibus conformare consuetudinibus Latinæ necnon Sanctæ Matris ecclesiæ Romanæ, cui perfectam detulit obedientiam, cum probe sciat, juxta morem ipsius signum Crucis, & benedictionem a læva ad dexteram partem duci, itaut dum proferuntur ea verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, prius contacto capite manus per pectus deducatur ad ventrem, deinde transversim, Crucem perficiendo (*a*) ab humero sinistro ad dexterum transferatur, id quod mystica significatione non caret; significat enim virtute Crucis Christi Filii Dei, ac Domini Nostri a leva reproborum translatos esse ad dexteram partem, quæ est electorum; præcipit, ut in instruendis pueris, reliquisque, ipsis insinuetur modus se signandi Cruce, qui adhibetur in Ecclesia Latina, atque adeo abrogetur modus inversus, quo se signant in hac dioecesi, ducendo manum ab humero dextero ad sinistrum. Hic etiam modus, quem tenet Ecclesia latina servari debet a Sacerdotibus, dum benedicunt Populo, sive in missæ Sacrificio, sive in Sacramentorum administratione.

B C D

DECRETUM XXXVIII.

CCXXXVIII. Declarat synodus executionem Testamentorum legitime nuncupatorum, ac ultimarum voluntatum eorum Christianorum, qui decesserunt, ad præsules, & episcopos Jure Canonico attinere; quamobrem ut id inconcusse servetur præcipit; quicumque itaque ex christianis testamentum, cujuscumque rationis condiderit, quod juxta consuetudinem ac Regionis stylum, sit validum, si elapso anno ab obitu testatoris ejus voluntas adimpleta non fuerit, præsul ad illud exequendum hæredes cogat, ac ceteros, quorum interierit, pœnis etiam, si opus fuerit, ac censuris.

DECRETUM XXXIX.

CCXXXIX. Cum sæpius contingat, ut migrantibus ex hac vita criminosis aliquibus hominibus, quorum ingens aliquod, & scandalosum crimen per ora vulgi circumfertur, etiamsi illius nulla habeatur juridica probatio, nolint pro illis reliqui Christiani orare, nec justa funebria illis persolvere, quamvis in mortis articulo Confessarium petierint, vel fuerint confessi, quæ quidem omnia regulæ adversantur, & consuetudini Ecclesiæ, quæ neminem publicis orationibus privat, præter excommunicatos, vel quos in actuali peccato mortali mors corripuerit, nullo prævio contritionis signo: præcipit synodus, ut quantumcumque quis deliquerit, dummodo non moriatur anathemate ligatus, vel in actuali peccato, nullo exhibito contritionis signo, vel decumbens opportuno tempore confiteri recusaverit, & Sacerdotem, qui ejus confessionem exciperet arcessere noluerit, ut in Decretis de Sacramento Pœnitentiæ statutum fuit, pro illo orent Christiani, funeris officia erogent, eumque in loco Sacro sepeliant, iisdem funeris precibus recitatis, quæ pro ceteris Defunctis recitari solent.

DECRETUM XL.

CCXL. Gratias in Domino agens religiosis societatis Jesu collegii de Vaipicota hujus dioecesis, aliarumque residentiarum ipsius, ob egregie navatam operam in docendo, instituendoque hujusmodi populo Christiano, necnon uberiore eorumdem Christianorum fructu procurando, facultatem impertitur synodus prælaudatis religiosis, cum illius collegii, tum aliarum residentiarum majorum alumnis, necnon hospitibus, ut in quacumque ecclesia, ad quam accesserint, valeant conciones habere, catechismum explanare, confessiones excipere, cetera demum Sacramenta solenniter ministrare; nulla alia præter hanc licentia requisita; matrimonii Sacramento excepto, quod nisi parocho consentiente, aut postulante administrare non poterunt; præcipit præterea vicariis ceterisque ecclesiæ Cassanariis, cunctoque populo, ut per humaniter, & cum gaudio laudatos patres excipiant, immo etiam gratulabundi animi significatione ob labores, ac dispen-

(*a*) Re vera scrupulosius egit Synodus circa efformationem Crucis; cum Ecclesia Orientalis uno modo, occidentalis altero, alio etiam Ruthenica vivificum illud signum salva semper fide, designare potuerit. Vide Assem. *tom.4. Bibliot. Orient. pag.*388. & Bernard. Ribera Barcinon. *Quæst. x. hcho Fid. pag.* 355.

ANNO CHRISTI 1599.

ispendia ab ipsis tolerata in Montanis, & A
accessis regionibus irrequieto gradu per-
currendis, unice procurandi causa anima-
rum salutem. Alacriter etiam ab iis condi-
scant, quæ ad Sacramentorum administra-
tionem pertinent, & populum in iis, quæ
ad æternam salutem necessaria sunt instru-
ere: vicarii insuper, dum illi, vel prima
Christianæ Fidei rudimenta tradunt, vel
concionem habent, diligenter curent, ut po-
pulus in ecclesiam conveniat: plurimum
etiam confidit, sibique pollicetur synodus,
audatos patres omnia hæc munia unanimi-
ter cum parochis, ceterisque ecclesiarum
sacerdotibus, uno ac individuo caritatis, &
benevolentiæ spiritu fore adimpleturos.

DECRETUM XLI.

CCXLI. Cum constitutiones sedis episco-
palis Goensis in synodis ipsius provinciali-
bus, fuerint pro tota provincia receptæ, &
fideliter, (id quod decretum fuit) in tota
provincia servatæ; cumque ad illam hæc
pertineat ecclesia, tanquam suffraganea,
comprovincialis, atque adeo prælaudatis
obnoxia Conciliis; synodus probe cogno-
scens, quantum constitutionibus illis defe-
rendum sit, præcipit ut hæc diœcesis per
eas, quantum res tulerint, gubernetur, &
potissimum ubi agitur de iis, de quibus hæc
synodus nihil expresse docuit. Decernit in-
super, appellationes ad petitionem partium
concedendas esse ad Metropolitanam a sen-
tentiis in hac episcopali sede latis, dum il-
læ legitime, & prout de jure interponantur,
& in casibus etiam, in quibus concedi so-
lent. Nihil tamen innovat circa modum,
quo tranquille fere omnia litigia ex con-
ventione partium componuntur a proprio
præsule simul cum quatuor, aut pluribus
adjunctis pro libito partium, qua ratione
plura dissidia, discordiæque vitantur: cete-
rum non convenientibus partibus, & ad
Metropolitam appellationem interponere
cupientibus, ipsis appellatio juxta præscri-
ptam juris formam concedatur.

ACTIO IX.

De reformatione morum.

DECRETUM I.

CCXLII. CUM ex pravis consuetudini- B
bus, quæ a populo fideli ex-
tirpari debent, eæ omnium pessimæ jure,
ac merito habeantur, quæ Ethnicorum su-
perstitionem, vanosque, ac detestabiles il-
lorum ritus redolent; cumque pravis hisce
usibus diœcesis hæc abundet, vehementer
synodus cupit, ut prorsus eliminentur, adeo
ut populus hic christianus, suam religio-
nem nullis maculis deturpatam, & ex omni
parte illibatam, & puram profiteatur.
Quamobrem jubet vitari prorsus, (*a*) quæ
sequuntur. Primo lavacra, quæ plures, su-
perstitione ducti, ut ritum sacrum colere
solent, dum quis ipsorum in domibus vita
defungitur, deinde prandia postridie fieri
solita pro defuncto ab illius propinquis,
quæ lavacra præterire piaculum putant.
Lineas etiam quasdam ex oryza circulariter
ductas, in quibus circulis personæ quædam
occasione sponsalium locantur, aut cum
primo oryza infantibus de more exhibetur,
id quod huic populo solenne est. Item con-
suetudinem superstitiose detrahendi filum C
unum, quando velum, vel panni genus aliud
diffecatur, ad flammeum faciendum, quo
spectat etiam similis consuetudo venditorum
Nele (*b*), qui post eum emptori admensum,
ex eodem duo grana superstitiose sibi acci-
piunt. Quæ quidem omnia, cum sint vani
ritus Ethnicorum, a synodo reprobantur,
nec non severe præcipitur, ut qui ejusmo-
di superstitiones adhibent, a præsule acri-
ter puniantur.

DECRETUM II.

CCXLIII. Gratissimum esset synodo, ut
penitus deleretur superstitiosa consuetudo D
ab Ethnicis Malabariæ descendens, rationi
& christianæ caritati valde dissona, refu-
giendi nimirum contactum eorum, qui ex
humiliore fuerint genere, immo cum eos
tangentibus nullam habendi communicatio-
nem; sed cum christiani hujus diœceseos
sub ditione existant infidelium Regum, qui-
bus, exceptis iis, quæ ad fidem pertinent,
in

(*a*) Cuncta, quæ præsenti prohibentur decreto valde indifferentia reputavit Crozæus; debuerat autem antiquitatis ecclesiasticæ vanissimus assertor semel percurrere antiquos Canones, & præcipue concilii Liptinensis *Indiculum superstitionum, & paganiarum*, quo disceret quam solicite caveri debent similes ritus atque ceremoniæ, ex præscripto priscorum Canonum. Videsis etiam *Canonem 61. inter Trullanos*; & Cl. Muratorium *Antiq. Dissert. 59.*

(*b*) Vide Syllab. Voc. Exotic.

ANNO CHRISTI 1599.

in reliquis omnibus morem gerere debent, cumque christiani aliquem ignobilioris stirpis tangentes, a commercio aliorum segregentur, itaut nec eos alloqui, neque cum iis negotium ullum pertractare, neque inter illos degere possint; declarat synodus (*a*) consuetudinem hujusmodi contactus vitandi propter Ethnicos, dummodo christiani agnoscant, eum esse usum omnino inanem & superstitionem Ethnicam, cujus nullum fundamentum sit; adeoque si sponte sua id non faciant, a superstitionis nota & scrupulo esse immunes, ob adductam rationem: unde hæc consuetudo christianis permittitur iis in locis, in quibus a Nairibus videantur aut vereantur ne videri possint, vel saltem possit sciri, si forte aliquis ex prædictis contactibus habitus fuerit: in locis vero remotis, aut coloniis Lusitanorum nullo modo servetur, eamque ibi sine superstitionis nota servari non posse, declarat synodus; immo christianos omnes hortatur, ad humaniter agendum cum pauperibus, & ad excipiendos juxta christianæ caritatis leges quoscumque, quantumvis abjecti generis; præsertim si Christiani fuerint; illudque meminerint: coram oculis Dei omnes nos esse pares, nec apud ipsum esse distinctionem personarum, generis, aut dignitatis, nam idem est dominus omnium; quod si non obstante cautela, quæ ipsis in regionibus sub regum infidelium ditione positis permittitur, accidat ut aliquem ex ignobili stirpe tangant, illud maxime caveant, ne lavacra adhibeant; cum an loti sint nec ne, ab infidelibus rescirí non possit. Caveant etiam christiani, qui regiones ad australem plagam sitas incolunt, ne (quod a pluribus eorum fieri compertum est) vitent contactum etiam Nairum, vel postquam casu ipsos tetigerint, se lavent, eo quod se nobiliores illis censeant; atque adeo per contactum hujusmodi labem aliquam contraxisse. Id quod nulla ratione tolerandum est, cum in prædictis regionibus impedimentum hujusmodi non vigeat apud infideles: immo potius hi scandalum recipiant ex iis lotionibus, & se quodammodo a Christianis contemni ægre ferunt. Quamobrem præcipit synodus, ut siqui ibi inveniantur contactum fugientes, vel eo sequuto lavacris utentes, graviter puniantur, tanquam superstitionis, & rituum infidelium sectatores. Quæ omnia sacerdotes, qui confessiones excipiunt, & concionatores, dum suo unusquisque munere fungitur, Christianis frequenter inculcent.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM III.

CCXLIV. Cum aliquibus in locis, dum quis obscuræ stirpis tangit aquarum stagna, Christiani ipsi illa (*b*) desempoleant, sive expiant, adhibitis certis ritibus, & ceremoniis, Ethnicorum instar, quod & maxime alienum est a sinceritate religionis christianæ, & aperte superstitiosum; jubet synodus, eos, qui præfatum fecerint desempoleamentum, vel illiusmodi ceremonias a communione ecclesiæ sejungi; nec illis exhibeti Cassure, per tempus a prælato definiendum, anno tamen non brevius; puniri etiam poenis aliis enormitati criminis correspondentibus.

(*a*) Consuetudinem hanc, quæ alias *superstitiosa* appellatur supra, tolerandam esse, synodus decrevit; sub ea conditione, nempe quod Christiani agnoscant, eam esse usum prorsus inanem, & cujus fundamentum nullum sit a religione petitum; quod si animadvertamus id quod superius statuerat Synodus speciales illis abjectæ stirpis hominibus Parochos deputare; hæc, inquam omnia adamussim respondent menti S. Romanæ ecclesiæ, quam cunctis aperuit nuperrime SS. D. Benedictus XIV. fel. reg. sua Const. *Omnium solicitudinum* conceptis verbis; quum pollicentibus PP. Soc. Jesu *certos aliquos* delegare Missionarios, qui Parreis convertendis darent operam: *Hoc* (ait) *consilium pro temporum circumstantiis, probandum commendandumque esse duximus*; decem deinde annorum spatium, huic consuetudini tolerandæ, tanquam ultimum terminum statuit; eamdem etiam apponit conditionem, quam nostra synodus, nimirum: *Modo ii in ea non sint opinione, ut credant* (sacramentalia) *esse indecentem sacramentalis ritus materiam:* uti de contactu Synodus tolerandum esse declarat, dummodo Christiani agnoscant esse usum omnino inanem, neque ad religionem aliquo pacto attinere. Qua in re nostræ synodi decreta plurimi facienda sunt; tum ob Menesii probatissimum zelum, qui vel minima quæque, multa religione pensitabat: tum quia PP. Diamperitanis cognitior præ aliis erat & gentium & rituum hujusmodi indoles; utpote indigenis. Ad Politicam ergo potius quam ad Religionem, contactus fugam referri debere compertum est; cum enim inter illas gentes nulla essent dignitatum, aut titulorum nomina, quibus optimates a plebejis discerni possent; non duces, non comites, non Marchiones: id unum illis supererat, quo distinguerentur nobiles ab ignobilibus, contactus atque commercii fuga; cum illis non colloqui, matrimonia non inire &c. aut etiam a professione, & officio, nobilitatem generis dimetiri. Unde eæ gentes, omnia rem hanc spectantia, sive quæ institutore Deo, de discretione ac separatione tribuum, etiam quoad matrimonia, Hebræi observaverant, sive quæ Ægyptii Politici præscripserant, sive quæ nostrates ab illis remotissimi, servant, qui facilem ad se accessum, aut nimium proximum attactum abjectorum hominum, de more non patiuntur; hæc, inquam, omnia sibi servanda propositisse videntur; perturbata tamen atque confusa methodo, ut certum aliquem ordinem atque Hierarchiam sibi statuerent. Rem totam ita explicat, diu apud eas gentes versatus P. Vincent. Maria a Sancta Catharina *in suo itiner. Ind. lib. 3. capit. 10. India Ethnici, a professione & arte seu officio, non secus ac Hebræi duodecim tribubus, ratione stirpis, immo multo magis inter se discriminantur; idem pagus, communitas eadem, in plures Cassas dividitur, quin inter se aliquam communicationem patiantur; & hic est regula, unde omne decus, atque nobilitas generis dimetitur.* in fine ejusdem capitis hæc habet: *Ea propter plures Missionarii, quo majus animarum lucrum faciant, dum illi tantum præjudicium non abjiciunt, istam consuetudinem & ritum, aljas non peccaminosum, illis permittere compelluntur; unde ampliorem hac via animarum fructum reportant.* Conceptis demum verbis declaravit *Syn. Act. VIII. Dec. XIII.* vitationem contactus, ad religionem non pertinere; Vide *pag.* 228.

(*b*) A *Polleis* hominum genere abjecto dicitur barbaro prorsus sermone, in nostro autographo *empolleare* id est ab aliquo Pollea attrectari aliquid; & *desempolleare*, nimirum ab ejusmodi attactu aliquid expiare.

DECRETUM IV.

CCXLV. Quoniam Gentiles festum, ab ipsis vocitatum *Ona* (*a*) ex more in Augusto, celebrent, ac umbratiles pugnas ludorum instar solennium, Arcu, Sagittis, ac vario armorum genere instructi, ex quo sit, ut multi occidantur, pluresque vulnerentur: cum ergo christianorum aliqui, suæ immemores professionis, ob necessitudinem cum Ethnicis, & quia cum istis agunt, etiam ipsi armati solennitates istas, maxime christianum dedecentes frequentent, eisdemque infortuniis sæpius subiiciantur: prohibet synodus christianis omnibus hujus dioeceseos in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub poena excommunicationis, ne hoc vel aliud quodcumque infidelium festum celebrare audeant, etiam si nullum Pagodi cultum exhibeant, cum omnia illorum solennia ipsis dedicentur Pagodis, ac in eorum cultum, & honorem peragantur: a quo si alias, potissimum in Ona abstinere debent, ob imminens quod in eo vereri potest, mortis discrimen, tum etiam eo quod infideles sibi prorsus superstitiose persuadent, quod ii, qui in hujusmodi spectaculo occiduntur, statim rapiuntur in Coelum: sacra itaque tantum christianorum solennia, unanimiter, moderate, ac ea qua decet modestia, legem Christi profitentes, celebrare debent, nec ullo pacto Ethnicorum superstitiosis festis, quibus coluntur daemonia, se immisceant; si qui vero in hisce superstitiosis illorum solenniis peremptus fuerit, ecclesiastica careat sepultura.

DECRETUM V.

CCXLVI. Sed nec ritus superstitionesque Ethnicorum tantum, verum etiam ceremonias, rituque Judaicos fugere tenetur populus fidelis, & christianus, maxime promulgata jam sufficienter lege evangelica, penitus deletos. Itaque quanquam synodus plurimum commendet, ac probet, morem puerperis usurpari solitum, adducendi parvulos suos in Templum, Domino offerendos, post diem a partu quadragesimum, ad imitationem, ac honorem Virginis Mariæ Dominæ Nostræ, quæ id peregit, improbat tamen, quod feminæ veluti immundæ quadraginta illis diebus ad templum accedere non audeant, id pro piaculo habentes ex more veteris legis, si masculum pepererint, & per octoginta dies, si feminam, qui ritus Judaici sunt, dudum reprobati, nec tantum vani, verum, & pernicioſi, quos ut tales præcipit synodus omnino caveri; necnon declarat, feminas, si ante id temporis vires, ac sanitatem receperint pristinam, præcepto teneri accedendi ad ecclesiam dominicis, festisque diebus audiendi causa sacrum: sub diem postea quadragesimum devote, ut assolent filios in templum poterunt adducere, animadvertentes tamen id ab ecclesia non præcipi, sed tantum concedi fidelibus, ut filios suos Deo offerant, ad imitationem Deiparæ, ejusque patrocinium implorent pro filiis suis, eisque a Deo interposita Deiparæ interceſſione, bona tum temporalia, tum potissimum æterna apprecentur.

DECRETUM VI.

CCXLVII. Inter omnia scelera, nullum Deo detestabilius est, quodque semper & prohibuit, & ultus fuit, quam consulere Magos, Hariolos, ac daemonum interpretes; cumque noverit synodus, plures hujus dioeceseos christianos, silvicolas potissimum, tum ex familiaritate, quam habent cum infidelibus, tum etiam quia veneficis, ac Haruspicibus (*b*) obsidentur, dum inire matrimonia volunt, illorum eventum ex ipsis quærere, quorum falsis vaticiniis ducti, plura jam pertractata abrumpunt, plura item juxta Haruspicum placita perficiuntur: præterea dum ægritudinibus vexantur, eos ad se vocare, quorum ceremoniis sanitatem sibi pollicentur; necnon sibi futuram sobolem, immo etiam furta detegere conantur: quæ omnia christiana aversatur religio: præcipit, ut quicumque, de quo constiterit hujusmodi Magos sive pro iis, sive aliis quibuscumque rebus consuluisse, ab ecclesia separetur, atque Cassanarii ad ipsorum domos non accedant; necnon per tempus præfuli bene visum, non tamen anno minus Cassture priventur, aliis insuper adjunctis pœnis plectantur juxta qualitatem superstitiosorum rituum, quos adhibuerint, aut quos adhiberi permiserint.

DE-

(*a*) Præ aliis solenne habent festum *Ona* Malabarici, in quo credunt, Deum *Visnu*, larvatum advenire in Mundum, ut exploret cominus mortalium indigentiam, & iis necessaria provideat; quo tempore nova sumunt tegumenta, & milites præcipue imbellia ista & umbratilia prælia instruunt ut synodus recenset.

(*b*) De variis Haruspicinæ generibus consule inter alios, laudatum P. Catalani sup. *Can. 6. Trullan. tom. 2. Concil. Oecumenic.* Consulentes autem Magos excommunicantur cap. 12. Concil. Rom. anni 721. *sub Greg. II.* Vide *Act. 7. Dec. 10.* Synod. Diamp. & Hist. Synod. *cap. 4* & Muratorium *Antiq. medii æv. Dissert. 59.*

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM VII.

CCLXVIII. Cum compererit synodus, pravos quosdam christianos non tantum adire veneficos, eos consulendi gratia, ubi negotium aliquod suscipere debent, sed etiam in proprios domos eos accersere, simul cum illis invocatis Pagodis oblationes, & sacrificia agere, Gallos jugulare, plures etiam ceremonias fidei adversas præstare, præsertim quas vocitant Tolliconum (*a*), Alliconum, Bellicorum, Conum, quas pluries etiam propalam non sine ingenti offendiculo, contumeliaque aliorum christianorum exercent, perinde ac si ipsi christianam religionem non profiterentur; aliquoties insuper ex ipsorum consensu, similia in suis domibus fieri; præcipit synodus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, ut nullus ejusmodi ceremonias, vel oblationes faciat, vel suis in domibus fieri permittat, contravenientes vero illico excommunicati in ecclesia denuntientur, quousque veniam postulaverint, & condignam, ac publicam satisfactionem in ipsa ecclesia egerint; quod si vere poenituisse appareat, absolutionem obtineant, non autem exhibeatur ipsis Cassure, nec Sacerdotes ante biennium eorum ingrediantur domos, dempto mortis articulo. Pari etiam poena ac censura ipso facto incurrenda ejus culpa animadvertatur, qui Pagodem oblationis, vel voti faciendi causa adierit, ad quæ omnia penitus evellenda, omnemque idololatriæ speciem delendam, Vicarii plurimum solertiæ impendant.

DECRETUM VIII.

CCXLIX. Christianorum non pauci hujus dioeceseos, tum ex fatua quadam animi facilitate, tum ex christianæ doctrinæ oblivione secum quasdam gerunt inscriptas notas a veneficis acceptas, in suarum ægritudinum præsentissimum, ut fidunt, remedium quas etiam (*b*) e jugulo suspendunt animalium ad ipsorum incolumitatem tuendam, tum etiam ex arbusculis, & fruticibus, ut uberiores fructus edant. Demum eas etiam aliis ad alios effectus obtinendos tradunt. Quæ omnia cum tanquam vana & diabolica detestetur synodus, jubet eos, qui talium criminum rei sint, a præsule graviter puniri, a vicariis etiam a suis ecclesiis procul arceri, iisdem *Cassure* non exhiberi, & neminem ex Cassanariis eorum domos ingredi, superstitiosas insuper notas, sive schedulas vicariis tradere cogantur, statim lacerandas: siquis vero illis usum fuisse compertum sit, licet eas exhibuerit vicario, ab earum tamen usu in posterum abstineat, & eadem poena per semestre puniatur.

DECRETUM IX.

CCL. Cum peccatum usuræ sit adeo abominabile Deo, nec non a divinis Scripturis reprobatum, præcipiente Domino (*c*): *Mutuum date, nihil inde sperantes*, plurimum displicet synodo fere omnes hujus dioeceseos christianos illicitis lucris, usurisque implicatos aspicere; cumque ex ea, qua laborant ignorantia, nesciant quid ipsis liceat, & quantum restituere teneantur, quantumque accipere valeant; fideles omnes synodus monet in Domino, viros doctos consulant, & cum agitur de contractu aliquo ineundo, ab

(*a*) Cuncta hæc nomina significant Talismanes, amuleta, aut inscripta Phylacteria, quæ ad avertenda mala, superstitiose plurimi e collo suspendunt, aut secum gestant, quod a Conc. Laodiceno, præsertim clericis prohibetur. Ea etiam gestantes Anathemate ferit Concil. Roman. *sub Gregor. II. anno* 721. *cap.* 12. & in eos acriter invehitur Zacharias Papa *Epist.* 2. *ad Bonifac.* Risum autem quis teneat, si perpenderit Rabbinorum superstitiosa inscripta brevicula? Mulieres Hebrææ cingunt recens natum vitta, e qua pendent *Kaniangh* cum nomine & *Sciaddai* id est *Omnipotentis* simulque aliis Angelorum atque dæmonum, idque ne fascino lædantur, aut occidantur ab illa *Lilith* aut nocturna strige. Vide Mauiocenum *pag.* 112. & 156. apologiam horum legi insulsissimam Romæ, auctore Rab. Tanaquillo Corcos.

(*b*) Vide superiorem Notam *ad Dec. VII.*

(*c*) Textus hic desumptus ex Cap. 6. Lucæ: v. 35. ita quidem habetur in vulgata: verum in Syriaca versione Parisiis, Londini, & Romæ edita; immo in Græco textu, Arabico, atque Æthiopico, legitur: *Mutuum date neque amputetis spem ullius*. Unde immerito PP. Diamperenses *Act.* 3. *Dec.* 3. & cum illis Possevinus 2. *tom. Apparat. V. Nestoriani*, increpant Nestorianos tanquam hujus loci evangelici depravatores, cum ante Nestorium illa jam lectio obtinuerit. Discrimen autem quod inter vulgatam & Syriacam intercedit, inductum est ratione verbi *Apelpizein*, quod æquivocum est, cum significet, & *non sperare*, aut *spe dejici*, & *sperare aliquid ab alio*. Inde autem gratis atque perperam deducebant Nestoriani, usuram accipere licitum esse; quod enim dicitur ex mutuo sperari debere, sola Dei est remuneratio, ob gratiem proximo collatam, non vero usura. At neque communiter Theologi nostri recte probarent ex hoc uno loco illicitam esse usuram, cum sensus literalis tantum intendat, dandum esse mutuum proximo, etiamsi ipse alias mutuum nollet dare, aut non posset, atque iccirco nihil ab ipso sperandum: nec nostra id est opinatio, sed ipsius contextus naturalis sensus, cum dictum sit versu 33. & 34. *Et si bene feceritis eis, qui vobis benefaciunt, qua vobis est gratia: Si quidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, qua gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fenerantur ut recipiant æqualia*; id est par beneficium, dandi mutuum. Itaque omnia ista consilium continent, non præcepta, nimirum, non repetendi ablata, benedicendi maledicentibus, dandi tandem mutuum illud non dantibus; dare enim cum spe accipiendi parem gratiam, par beneficium, æquumque foenus, id non est speciale insigne discipulorum Christi, cum quibuslibet peccatoribus commune sit. Hic & non alius est directus & naturalis sensus verborum Christi.

ANNO CHRISTI 1599.

ab ipsis discant, quantum lucri ob distractam pecuniam, & periculo expositam licite accipere possint, ac edoceantur: declarat, præterea eadem synodus juxta notitiam habitam de communi modo lucrandi in his partibus Malabaricis, damnandum esse, ut usuram quidquid ultra decem pro tradita [summa centum, in his locis, absque pecuniæ periculo annuatim acceperint. Verum quantum ad hanc ipsam decimam partem lucrandam consulant Jurisperitos, exponentes ipsis ubi locorum hos contractus celebrent, ut probe dijudicare possint, an id juste accipiant, fortassis etenim aliquo in loco tantum pecuniæ lucrari non erit licitum: quicumque ergo quidquam ultra decem sine periculo exegerit, si ter admonitus per præsulem, aut vicarium non resipiscat, & in eodem peccato contumaciter persistat, excommunicatus declaretur, nec absolvatur, quousque cum effectu pedem retraxerit, & hujusmodi contractum rescinderit.

DECRETUM X.

CCLI. Perpendens synodus contractum eorum, qui unum pro quolibet centenario extra periculum omne, dato tamen pignore singulis mensibus accipiunt, & pignore non dato accipiunt duo, qui contractus injustus est, & manifeste usurarius, quia ob non exhibita pignora aut alia ex causa duo pro centenario extra periculum accipere nefas est. Præcipit itaque vicariis, ut prædictum contractum celebrari nullo modo permittant, & celebratum rescindi curent, poenis etiam ac censuris si opus fuerit, delinquentes cogendo: improbat etiam ipsa synodus commune vocabulum, quo in hac dioecesi quodcumque lucrum appellatur usura, unde plures existimant, omne lucrum, quod accipitur ex pecunia alteri tradita illicitum esse, qua conscientia erronea laborantes, nihilominus lucrum accipiunt, & peccant: cum plures ex contractu inveniantur modi lucrandi justi, & honesti, quod fas erit accipere.

DECRETUM XI.

CCLII. Quoniam christianorum plurimi timore Dei, & ecclesiæ posthabito, publice cum populi christiani scandalo in concubinatu degunt, eos proprii vicarii ter benigne admoneant, obtestando, nisi resipiscant fore ut excommunicati declarentur; quod si ita admoniti, mutuo non separentur, excommunicationi subjaceant, donec cum effectu id præstiterint, aliis etiam puniantur (*a*) poenis ad arbitrium præsulis, ratione habita temporis, quo in peccato convixerunt: si vero concubinæ fuerint ancillæ ipsorum, ad eas e domo ejiciendas compellant; quin a locis propinquis, & a tota vicinia abduci curent, si forte propinquitas loci occasionem peccandi præbeat. Id quod cum aliis quibuscumque concubinis fiat, si prudenter timeatur relapsus.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XII.

CCLIII. Dominis, ac patribusfamilias inculcat synodus, ut invigilent supra vitam, moresque captivorum, ac famulorum; nec enim ignorat, fere omnes christianorum famulas Aethiopissas turpiter vivere, & conscii etiam, nec id impedientibus eorum Dominis, publice meretriciam artem exercere; unde sacro non intersunt, confiteri renuunt, christianam doctrinam ignorant, nec Dominos earum instruendarum cura mordet, immo ipsarum salutem flocci pendunt, tametsi ad id teneantur, Apostolo Paulo testante (*b*): *Qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet; fidem negavit, & est infideli deterior*: itaque vicariis ecclesiarum severe injungit, ut invigilent, & accurate inquirant in vitam captivorum suæ paroeciæ, quodque opportunum judicaverint, Dominis ipsorum manifestent, ipsos ultra compellendo, ne permittant suos captivos, in hujusmodi damnationis statu permanere (*c*).

DECRETUM XIII.

CCLIV. Quia nonnulli Christianorum præinopia ac miseria, Ethnicorum more, inter quos degunt, filios, (*d*) vendunt, quod plane, & naturali rationi, & positivis Juribus adversatur; præcipit synodus in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub poena excommunicationis majoris, ut nullus audeat filios, aut aliquos e consanguineis vendere, etiam christianis emptoribus: necnon sub

(*a*) Quam graviter in ejusmodi vitii reos, antiqui Canones animadverterent, ex Concilio Germanico auctoritate S. Bonifacii celebrato *XI. Calend. Maii anno* 742. videre licet, ubi *Can.6.* statuitur, ut *servi Dei*, & *Ancillæ Christi* (Monachi & Moniales) poenitentiam faciant in carcere in pane & aqua, si tamen presbyter fuerit: *Duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus, & excorticatus videatur, & post episcopus adaugeat.*

(*b*) 1. ad Timoth. 5.

(*c*) De institutione familiæ legere juvabit monita S. Caroli Borromæi *in Collect. Concil. Harduin. tom.*10. *col.*793.

(*d*) Persarum Reges teste Aristotele *Ethic. VIII.* 10. permiserunt Parentibus in liberos, dominium satis durum & vere tyrannicum. Tyrannidem Romani, auctore Romulo auxerunt; etenim non solum habebantur filii tamquam res mancipii, sed etiam ex patria potestate habebant Parentes in filios *jus vitæ & necis*. Cumque liberi, qui ratione facta ad alios homines, erant *Personæ*, & ratione Civitatis *Cives* (ratione Patris, inter *res*, non secus ac Servi recensebantur. Poterant igitur uti *jure ter venundandi filios*, qui tamen impetrata tertium libertate, e Patria potestate excidebant: unde cum dicit Synod. *id positivis juribus adversari*, de recenti atque posteriori jure, intelligenda est. Vide Gravin. *De Jur. Nat. cap.* 25. & Heineccium *Antiqu. Rom. tom.* 1. *pa.* 138. Ceterum Indi ad suarum Legum normam possunt liberos vendere, atque in perpetuam servitutem redigere, etiam inconsulto Principe, & quin is, aut ejus Ministri possint in Parentes animadvertere, vel eos increpare. Vide Vinc. Maria a S. Cathar. *lib.* 4. *cap.* 26.

ANNO CHRISTI 1599.

eodem præcepto, ac censura prohibet Christianis eos emere, aut tanquam mancipia habere: dempto tantum casu, quo ipsorum parentes, aut propinqui, hoc contemnentes præceptum, eos infidelibus vendere velint, quos tunc emere poterunt, ne pueri Christiani in potestatem redigantur infidelium; eos tamen pro mancipiis non habeant, sed id statim præsuli significent, qui ita provideat, ut emptor suam habeat pecuniam, ac puer maneat liber, & qui eum venundedit, puniatur: siqui vero aliter eos emerint, non secus ac qui vendiderunt, excommunicatione coerceantur, quousque cum effectu hujusmodi emptio ac venditio rescindantur; quod si venditio facta fuerit infideli, non absolvatur vendens, donec puerum redemerit, aut saltem Vicario, cunctoque populo constiterit, se egisse quantum potuit, ut eum redimeret. Vult etiam synodus, idque instanter poscit, Vicarios, Cassanarios, & quemcumque de populo vires omnes impendere pro redimendo etiam pluries puero; suis etiam eleemosynis auxilium præstare, Reges etiam interpellare, præsulem denique convenire, & nihil omnino prætermittere, quominus puer apud infideles remaneat cum periculo perversionis.

DECRETUM XIV.

CCLV. Quoniam maxime probatur synodo laudabilis christianorum hujus dioeceseos consuetudo, donandi nimirum ecclesiam decima dotis parte, ab Uxoribus habitæ; subinde approbat distributionem hujus eleemosynæ fieri solitam inter fabricam ecclesiæ ejusque Sacerdotes; & quia alicubi, ubi nempe regio vergit ad Austrum, non servatur pia hæc consuetudo, etiam populos illos rogat, immo etiam iis præcipit, aliis ut hac in re se conforment. Vult præterea, quod in hac eadem synodo, populi, apud quos id non est in more positum, per suos Procuratores electos, hunc laudabilem morem in posterum se secuturos promittant: cum enim major dioeceseos pars id servet, congruum videtur, ut pars minor majori parti consentiat.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XV.

CCLVI. Cum ex antiquo more, annuentibus cunctis regibus paganis Malabaricis, totum Christianorum hujus dioeceseos regimen, tum in spiritualibus, tum in temporalibus ad ecclesiam & episcopum sit devolutum, qui postulationes omnes, lites, negotia, & causas examinat, & de iis judicium fert, nihilominus nonnulli, ut competens hoc forum declinent, omni postposito Dei timore, (*a*) ad Reges infideles, eorumque ministros provocant, quos pecunia in suam partem flectunt, non sine ingenti Christianitatis nocumento; quippe inde Reges occasionem arripiunt, de rebus Christianorum quod alias non facerent, cognoscendi; cumque Tyranni sint ac Idololatræ, plurimis inde multis, ac vexationibus Christianos afficiunt. Ad hæc itaque aliaque inde Christianis imminentia mala præcavenda, præcipit synodus urgentissime omnibus hujus dioeceseos Christianis, ut illorum nemo quocumque quæsito colore causas suas ad reges Ethnicos, eorumque Ministros absque præsulis licentia, deferre audeat: quam licentiam, si necesse fuerit, ipse eam petenti, formula, quæ melior ipsi, & opportunior visa fuerit, concedet. Cuncta ergo negotia, quæ vel judiciali sententia, vel amicabili conventione, & concordia ad arbitrium judicis ineunda, concludi debent, ad episcopale Tribunal deferantur: qui vero contra fecerit, graviter, & ad arbitrium præsulis puniatur, ac mulctetur, & ab ecclesiæ ingres-

(*a*) Etsi Petrus Giannonius *tom. 1. Hist. Neapol.* multis in locis, novum ostentum atque inventum putet; Episcopos personam & munus Judicum assumere; tamen prudentissime, & ex ingenio primitivæ ecclesiæ, inhibet nostra synodus, Christianos Divi Thomæ, coram Ethnicis judicibus causas dicere: id enim per omnia cavit Paulus 1. *Cor. cap. 6. Frater cum Fratre judicio contendit, & hoc apud Infideles.* Et quidem Judæorum etiam erat mos, ne quis coram Ethnicis Judicibus causam ageret: immo cum Judæa redacta fuit in Provinciam, præsides exceptis causis, in quibus de capite res esset, ceterarum cognitionem Judicibus Populi demandarunt. Sicuti autem Judæi in captivitate, ita primi Christiani ex facultate etiam Ethnicorum, suas per arbitros, aut aliter expendebant lites: cum vero Christiana religio sub Christianis imperatoribus plene fuit constituta, Episcopi erant ordinarii Judices in secularibus etiam eorum negotiis, qui ad ecclesiam, Paroeciam, aut diœcesim suam pertinebant. Cujus rei inter alia luculentissimum testimonium in Augustino habemus, ex Possido. *De Vita Aug. cap. 9.* quo scribit, non tantum Catholicos, verum etiam alterius communionis homines, quandoque ad Augustinum accessisse, ut eorum lites judicaret: Et Augustinus ipse *De Opere Monach. cap. 29.* ejusmodi litibus obrutus, testem vocat Deum: *Se Coenobii sui requiem potius amare.* Unde splendidi, malitiosique mendacii reus convincitur Giannonius; vide supra *pag. 61. Not.*

greſſu tempore ſibi bene viſo prohibeatur.

DECRETUM XVI.

CCLVII. Cum in Regionibus ſub regum, ac dominorum Ethnicorum ditione poſitis vigeat hæc conſuetudo, qua ad innocentiam rei, cujus crimen aliquod ad Judicem delatum ſit, ab accuſatoribus probandam, reus cogatur vel ferrum candens manibus attrectare, vel manuum in oleum fervens immittere, vel etiam natatu trajicere flumina (*a*) referta crocodilis, quod experimentum, ſi reo feliciter contingat, innocens habetur, ſi ſecus, illico criminoſus juxta delata, ex læſione accepta comprobatur, luat; non raro accidit, ut Chriſtiani inſipientes injuſte accuſati, ultro experimento hujuſmodi ſe exponant; quod licet aliquando feliciter contingat, eoſque Deus eorum innocentiæ, & ſinceritati proſpiciens ſervet illæſos; nihilominus quia ultro ſe offerre culpa non vacat, nam eſt tentare Deum, & ſibi temere miracula polliceri; & quia id in opprobrium Catholicæ fidei cedere poteſt, præcipit ſynodus, ut Chriſtianorum nemo ſe deinceps ad hoc ſubeundum experimentum ſe paratum offerat, nec genus hoc probationis ſuæ innocentiæ exquirat: quod ſi ſecus fecerint, ſciant ſe lethaliter peccaturos Deum tentando: ulterius contravenientes a ſuo præſule acriter puniantur. Quòſi per reges, & dominos ad hoc experimentum genuſque probationis compellantur, invito hoc patiantur animo, voluntati divinæ conformes, quandiu vi, injuſtitiæ, ac tyrannidi regum Infidelium ſubiiciuntur. Si tamen ab ipſis exigatur, ut jurent apud Pagodem vel interpoſita alia quacumque re ipſi dicata, ſciant ſe teneri prius mortem oppetere, quam hujuſmodi præſtare juramentum, cum juramentum actus ſit latriæ, cultuſque ſoli Deo præſtandus. Demum Chriſtiani caveant (*b*) a prædictis probationibus, & juramentis in iis controverſiis, quæ inter ipſos oriuntur; ſed iis tantummodo utantur, quæ in eccleſia Chriſtiana ſunt in uſu, & quæ non minus timeri debent, quam cruciatus quamtumvis crudeliſſimi. ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XVII.

CCLVII. Populi fidelis ab infideli diſcretio, habitu etiam exteriori, ac inceſſu fuit perpetuo ſervata, quo inter ſe diſcreti internoſcerentur. Id quod præ oculis habens Synodus, & ſimul advertens inter Chriſtianos hujus dioeceſeos, & infideles Nayres, nullum haberi diſcrimen quoad habitum, comam reſque alias ad externum cultum corporis pertinentes præcipit, ut inpoſterum internoſci valeant, ut Chriſtianorum nullus audeat ſibi auriculas perforare extremas, nec eas deorſum vergentes, producere, (*c*) demtis feminis, quibus hoc ornamenti genus apud omnes fere nationes commune eſt. Qui vero hac in re contumaces fuerint, præſulis arbitrio puniantur. Præterea non illis permittatur, ut aliquid ex auro vel alia materia ex auribus appenſum geſtent; quod ſi non paruerint, ab eccleſia arceantur, nec eis Caſture exhibeatur, donec re ipſa ſimilia ornamenta abjecerint. Tamen qui habuerint aures jam antea perforatas, parvulis exceptis, poterunt ſolito more eas ornare, ut libuerit.

DECRETUM XVIII.

CCLIX. Synodus, cui cordi eſt horum chriſtianorum mores, quantum fas eſt reformare, reſque omnes ad morum diſciplinam pertinentes apte componere, cum perſpectum habeat effrænem licentiam bibendi Orraca, cujus largior uſus ſæpe in cauſa fuit percuſſionum, homicidiorum, aliarumque perturbationum; præcipit ad vitandos hujuſmodi pernicioſos exceſſus, ne extent

(*a*) De judiciis, & probationibus per aquam, ferrum ignitum, ignitos etiam vomeres &c. vide Martene. *De Rit. lib.* 3. *cap.* 7. & de natatu iſto Indorum Kaempfer *Amanit. Exoticar. Faſcic.* 2. *relat.* 2. *pag.* 454. & Vinc. a S. Cath. *pag.* 251. ubi plura de probationibus Malabarenſium per Crocodilos, & per immiſſionem manus in perforatam capſam famelicorum Serpentum. Quæ omnia putamus, tam in Eccleſiam Orientalem, quam in Occidentalem noſtram invecta eſſe ab antiquo Hebræorum ritu, quo Maritis zelotypiæ ſuſpicione elaborantibus, permiſit Dominus uxores in templum adducere, ut *aquas amares* bibendo, innocentes, illarum hauſtu fecunditatem, adulteræ vero mortem epotarent. De quo *Num.* 5. Conſule Hadriani Relandi *Antiq. Sac. cap.* 5. *num.* 20. & Commentar. Blaſ. Ugolini in hunc locum *tom.* 2. *Theſaur. Antiq. Sac. Venetiis exuſ. anno* 1744. & Murator. *Antiq. Diſſert.* 38.

[*b*] Judicia iſta ſicuti uſitatiſſima, ita & probatiſſima fuere pluribus, aliis ex adverſo ea improbantibus; ejuſmodi fuit Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus, qui libellum adverſus ea conſcripſit, Ivo etiam Carnotenſis *in Epiſt. ad Hildebert. Cenoman.* eam conſuetudinem damnat; quæ quidem antiquiſſima eſt, cujus etiam multis in locis cum plauſu meminit Gregor. Turon. præſertim *lib.* 1. *de Glor. Mart. cap.* 62.

(*c*) Textus Luſitanus habet, quod nullus Chriſtianorum auriculas inaurium pondere, aut alio modo producere curet, iiſque utitur verbis: *Nenhum Chriſtiano ſeja ouſado a furar as orelhas, nem facelas crecer, tirando as molheres.* Crozæus autem æque doctus idiomate Luſitano ac dogmatis ita vertit in *Hiſt. Chriſt. Ind. pag.* 275. *Que aucun Chretien n' ait a ſe precer les oreilles & a les faire tirer par ſa femme, pour les allonger*: Ita ut cum textus intendat, quod nullus ſeſe auritum affectet demtis feminis, quarum id eſt proprium, ille legit: Nemo auriculas ſuas ab uxore ſibi producere deorſum ſinat. Quam bene conveniant textus & Crozæi verſio nemo non noverit; aptius profecto ipſi auriculæ Midæ convenirent.

ANNO CHRISTI 1599.

in vicis christianorum tabernæ, in quibus Orraca vendatur, (a) prohibetque Christianis omnibus stenditoris munus, sub poenis præsulis arbitrio infligendis; cujus præcepti ea insuper causa est, ut nimirum vitetur, quantum fieri potest, commercium cum infidelibus, qui promiscue cum Christianis ad eas Tabernas emendi, manducandi, ac potandi causa accedunt: ex quo illud etiam suboritur, ut in consortio illorum multa a Christianis licenter perpetrentur.

DECRETUM XIX.

CCLX. Cum perspicue Justitiæ adverseatur ponderum (a) sive librarum discrepantia, & inæqualitas, ubi agitur de iisdem mercibus in eadem regione vendendis constetque Synodo, pravam hanc consuetudinem adhibendi diversa pondera ad vendentium arbitrium in hujus dioecesis vicis, ac eorum Tabernis fuisse inductam; ad eam radicitus evellendam præcipit, ut in uno, eodemque Pago ad easdem merces ponderandas æquali omnino libra venditores omnes utantur, atque adeo in officinis, ac tabernis omnibus, in quibus res venales prostant, ad mensurandum earum pondus non alia adhibeatur libra, quam quæ sit perfecte conformis communi usui locorum, atque regionum, in quibus res venduntur. Qui vero parere recusaverint, a præsule puniantur pro suo arbitrio, si prius per vicarios admoniti, non resipiscant, & si opus fuerit poenis ac censuris subjiciantur, cum in hac dioecesi Christianorum regimen sit ecclesiasticum, nec aliter quam per censuras vis coactiva in illos exerceri possit.

DECRETUM XX.

CCLXI. Cum in hac dioecesi masculi solum in heredes instituantur, penitus exclusis feminis. Excluduntur enim vero feminæ, etiamsi parentes prole masculina careant, & non solum si jam conjugatæ dotem receperint, sed etiamsi innuptæ fuerint, ac nuptui proximæ, immo etiamsi infantulæ, & a maternis uberibus nondum depulsæ. (a) Hinc fit, ut parentum bonis ad masculos in gradu valde remoto consanguineos, vel etiam in linea transversa transeuntibus, feminæ interim vel misere pereant, vel egestate impulsæ se prostituant, dum de illis nullam rationem ineunt, nec erga illas aliqua obstringi obligatione putant. Quæ omnia cum sint contra naturalem æquitatem, ac Juris positivi sanctiones in naturali æquitate fundatas, quibus statuitur, ut filii, filiæque in bona paterna succedant, parentes vero filiabus suis, tanquam legitimis heredibus, hujusmodi bona ipsis restituere teneantur. Decernit itaque, ac declarat Synodus, consuetudinem hujusmodi esse prorsus illicitam, neque consanguineos alios posse hereditatem capere filiabus existentibus, eamque captam restituere debere. Rursus masculos non posse inter se facultates dividere; quin æqualem feminis partem attribuant: quod si secus fecerint, ipsis in ea parte remanent debitores: detracta enim tertia parte si de ipsa testamentum fecerit pater, reliquum æquis portionibus inter filios, filiasque distribui debet; detrahi etiam debet pars illa, quæ collata fuit a parentibus tanquam dos filiabus conjugatis, cum qua ad majorem cumulum facultatum omnium accesserunt. Decretum hoc præcipit synodus, ut in posterum inviolabiliter servetur, rogatque populos, ut idem Decretum tanquam legem recipiant, eamque ab omnibus custodiri, & servari curent, illudque præ oculis habeant, se ad id naturali jure obligari, neque negligi. Si vem conscientiæ labem id posse citra graquis vero aut propinquorum numero, perentum facultates filiabus debitas surripuerit, aut si filius æquam portionem sorotibus dare detrectaverit, vel demum si eas retinentes, restituere nolint, per præsulem ad huic obligationi satisfaciendum, poenis ac censuris si opus fuerit, compellantur, respective insuper declarentur excommunicati extra omnem absolutionis spem, quousque cum effectu obediant, ac restituant.

DECRETUM XXI.

CCLXII. Adoptio a Jure mstituta fuit in supplementum filiorum naturalium, quam obrem habentibus naturales filios, non licet

(a) E nucis Indicæ succo, quem vocant Indi *Sura* vel *Tari* eliciunt illi medio exstillatorio igne, liquorem persimilem Spiritui vini *Italice*, *Acqua vita*, Hispanice *Aguardiente*, quem appellant Malabarici *Arach* aut *Orraca*, quod quidem potionis genus, non secus ac vinum, temulentiam inducit. De quo sicuti, & de utilitatibus, quas orientales Indi ex Palmetis capiunt, legi potest P. Vincent. Maria a S. Catharin. Carmelita Discalc. *Viaggio all' Ind. lib. 4. c. 5.*

(b) Ut habetur Prov. 20. v. 10. *Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.* Ea propter id vetitum fuit piurnnis in conciliis: Arelaten. *anni* 813. præscribit, quod *Pondera ubique justa sint, & mensura*: Parisien 6. *anni* 829. *libe* 1. *cap.* 51. ejusmodi fiateras dolosas ac inæquales prohibet.

(c) Liberum erat olim ex *XII. tabulis* filios uti occidere, ita exheredare *l. 11a D. de liber. & & post.* at id nominatim fieri debebat: filiæ autem postremæ exheredari poterant, immo & præteriri, relicto tamen illis legato: Ulpian. *Frag.* 22. Ceterum feminarum hereditates coercuit lex Voconia a qua præter alia fuerat cautum, ne femina ad ullam defunctorum, successionem admitteretur: eaque lex etiam ad heredes suas & consanguineas pertinebat; adeo ut neque unicam filiam heredem instituere liceret. Augustmus dum istius legis meminit *lib. 3. de Civit. Dei cap. 21.* ait: *Qua lege quid iniquius dici, aut cogitari possit ignoro.* Vide CL. eruditissimum Gravinam, *De leg. & sen. con. cap.* 76. & Heinec. *Antiq. Rom. ad Instit. lib. 3. tit. 1. num.* 4.; Veruntamen in tota ferme Italia municipalia extant statuta, quibus novissimo Justinianeo Jure abrogatum est, ut intestatæ successiones agnatis virilis sanguinis deferantur, exclusis feminis ceterisque consanguineis. Quæ statuta non modo pro ecclesiastica ditione comprobavit, verum etiam peculiari constitutione sanxit Ven. Serv. Dei Innoc. XI. incipiente: *Pastoralis Officii*. Adisis card. de Luca *De Statutariis Successionibus.*

ANNO CHRISTI 1599.

cet extraneos adoptare: (*a*) Ex ignorantia tame Juris sæpissime in hac dioecesi contingit, ut Christiani filios suarum ancillarum vernas, inque eorum domibus natos, vel etiam alios quosvis adoptent, quamvis filios naturales habeant; idque faciant, vel quia cum propriis filiis rixantur, vel quia in alienos propensiores sunt; adoptati autem æquam cum propriis, hæreditatis portionem sortiuntur, quod plane est contra jus, & æquitatem, ceditque in malum ac detrimenum filiorum naturalium. Quapropter prohibet synodus hujusmodi adoptiones, ab habentibus filios naturales, vel spem illos habendi. Quod si fiant, nullius sint roboris, nec ita adoptati hæreditatis partem aliquam habere possint extra id, quod per modum legati iisdem relinquatur a testatore ex ea tertia parte suarum facultatum, de qua libere testari potest, quod præsertim habet locum, si adoptio facta fuerit ante sobolis procreationem, & hæc deinde procreata fuerit; declarat insuper, adoptiones ante hujus synodi celebrationem factas, filiis extantibus, nondum adita hæreditate, nullas esse, nulliusque valoris, nec ita adoptatos habere locum in ipsa hæreditatis distributione, nec ad eam vocandos, aliter restitutioni manere obnoxios, ad quam, si necessum fuerit, poenis, & censuris per præsulem cogantur; ceterum non eo spectat hoc decretum, ut qui jam dudum acceptæ hæreditatis pacifica gaudent possessione, ab ea deturbentur, cum nihil magis cordi sit Synodo, quam publicam pacem, ac tranquillitatem tueri: quamobrem præcavendi causa perturbationes omnes tantummodo, unicuique reservat Jus interponendi, prout judicaverit, expostulationem de injuria, si quam, hac in re de qua agimus, passus fuerit.

DECRETUM XXII.

CCLXIII. Quoniam juxta morem hujus dioecesis adoptandus adducitur ad episcopum, (*b*) & præsulem, cui exhibitis aliquibus attestationibus, Adoptans profitetur se velle eum in filium accipere, & postea concessa per præsulem olla, adoptio perficitur; præcipit synodus, ut præsul nullius in posterum adoptionem acceptet, qui habeat naturales filios, aut filias: quod si non habeat, adhuc nihilominus in Olla adoptionis expressis verbis præcaveatur, si adoptanti postea filii nascantur, adoptionem hujusmodi nullum habituram esse effectum, ut hac via, quantum fieri potest, impediantur injuriæ, & perturbationes, quæ ex hujusmodi adoptionibus, nimiaque adoptandi facilitate oriuntur in hac dioecesi.

ANNO CHRISTI 1599.

DECRETUM XXIII.

CCLXIV. Præcipit synodus, ut Christiani omnes hujus dioeceseos in Vicis, & Pagis simul congregati socialiter vivant ad evitanda mala, quæ viventibus in silvis imminent, (*c*) tum ex infidelium commercio, tum etiam quia fere nunquam ad ecclesiam accedunt, nec sacramenta frequentant, doctrinam item Christianam plane nesciunt: Hujus rei executionem summopere Synodus commendat; iisque ad quos pertinet injungit, ut receptum Christianorum e Silvis in Vicos, & Pagos, efficaciter quantum in ipsis est, procurent, novos Pagos cum novis ecclesiis extrui: sic enim fiet, ut Christiani procul a consortio infidelium facilius induant. Tandem inculcat Vicariis, ut oves suas conentur in hæc septa impellere, proponentes ipsis spiritualem profectum non mediocrem inde futurum. Præsules etiam in hac re promovenda strenue operam collocent suam.

DECRETUM XXIV.

CCLXVI. Synodus commiseratione mota Christianorum hujus Dioeceseos, qui a regibus infidelibus eorumque ministris molestis, & injustis persecutionibus sæpesæpius vexantur, nec alia de causa, quam quia religionem ipsis exosam profitentur, nihil opportunius esse considerans ad has oppressiones minuendas, quam si rex Lusitaniæ hunc populum protegat, & tueatur; cum alius rex non sit in oriente, qui hanc clientelam suscipere possit, ipsum enixe orat, ut huic populo patrocinetur, quas partes regem optimum suscepturum esse confidit, quippe qui non ignorat, Christianorum regum esse in defensionem catholicæ fidei, opes, arma, & si opus fuerit, vitam ipsam impendere. Rogat etiam reverendissimum metropolitam, huic

(*a*) Adoptio inventa est in solatium eorum, qui liberos non haberent, unde ad Juris normam Synodus, ejusmodi adoptiones compescuit; etenim adoptare ii communiter nequeunt, qui vel per ætatem (minor debet esse 60. annorum) liberis procreandis vacant, vel illi, qui liberos habent naturales: illud constat ex *l.* 17. §. 2. *ff. lib.* 1. *Inst.* t. 11. hoc vero laudata *l.* 17. §. 3 *ff. eod.* Et licet principes Rom. aliquando adoptarent alios, quamvis haberent filios naturales, ut domum regnantem in Imperio fulcirent, tamen id reprehensione non caruisse ostendit, Jac. Perizonius *Animad. Hist. cap.* 3.

(*b*) Cum adoptio certis solemnitatibus adhibitis peragi deberet apud Prætorem aut Præsidem, vel alium Magistratum, apud quem erat legis actio, episcopus vero Malabaricus, oridinarius esset Judex & Magistratus Christianorum Divi Thomæ, aptissime statuit Synodus, adoptionem coram Præsulæ celebrandam esse.

(*c*) Singulæ familiæ seorsum in agris ab se occupatis, initio habitabant, regionibus inter se lociscque disjunctæ, quales Theseus [ut ajunt] invenit Athenienses, quos ille primus ex agris coegit in Civitatem: vide Gravin. *De Jur. Nat. cap.* 11. Qui de civili hominum statu scripsere, in duplicem oppositam abeunt sententiam, circa societatem: ii contendunt nullam ex rationis instinctu societatem agnoscentes, eam institutam esse propter propriam utilitatem, amoremque sui; illi statuunt homines ex ipsa natura in societatem conveniisse; unde ordo societatis, ac propterea summæ Potestates ex Deo sunt; atque ita melius intelligitur locus ille Pauli Rom. 13. v. 1. Adisis CL. Spada *tom.* 1. *Exerc.* 4. *de Civil. Discipl. Edit. Vien.* 1785.

ANNO CHRISTI 1599.

huic ſynodo præſidentem, ut omnium nomine majeſtati ſuæ hæc ſynodi vota, preceſque exponat, & horum omnium Chriſtianorum obſequia, & voluntates ad regiæ majeſtatis ſuæ imperia alacriter capeſſenda paratiſſimas offerat.

DECRETUM XXV.

CCLXVII. Cum in præſenti ſynodo actum ſit de rebus ad fidem catholicam, ſacramentorum eccleſiæ uſum, necnon ad reformationem ſpectantibus, tum eccleſiæ tum morum populi Chriſtiani; ne hæc oblivione deleantur præcipit ut omnes eccleſiarum vicarii decreta omnia in hac Synodo conſtituta, fideliter tranſcribi curent, & in ſingulis eccleſiis aſſervari unum ſaltem exemplar perfecte conſonum Malabarico autographo, per reverendum archidiaconum hujus epiſcopatus, & patrem rectorem collegii de Vaipicota ſubſcriptum. Præcipit inſuper, ut cunctis diebus dominicis, & aliis diebus feſtis pars aliqua ſynodi populo recitetur, dummodo habenda non fuerit concio, aut Catechiſmus legendus a reverendiſſimo Metropolitano editus: in eccleſiis vero, in quibus legitur Catechiſmus, legatur hic diebus dominicis: reliquis vero diebus feſtis ſynodus; neceſſe eſt enim ad omnium notitiam pervenire, quæ fuerunt in eadem ſynodo decreta, vel præcepta, ut poſſint executioni mandari. Autographum item ſynodi hujus, Reverendiſſimo Metropolitano obſignatum, ceteriſque ad hunc finem convocatis, eadem ſynodus aſſervari vult in Archivio Collegii de Vaipicota Societatis Jeſu, in hac eadem dioeceſi, ut inde apographa, ſive exempla, quotquot fuerint Eccleſiis neceſſaria, deſcribantur; alterum vero ſimile, in Archivio aſſervari eccleſiæ de Angamale, quod archiepiſcopatus vocant, pariter ſubſcriptum a Reverendiſſimo item Metropolitano, archidiacono, aliiſque ſibi beneviſis: ita enim fiet, ut quoquo tempore exempla, ſive apographa neceſſaria deſumi, & ſi opus fuerit, collatione facta emendari valeant. Poſtremo ſummopere inculcat Synodus cunctis vicariis, Caſſanariis, Chamaziis, omnibuſque in univerſum populis, vicos, & pagos incolentibus, necnon unicuique Chriſtianorum hujus dioeceſis in particulari præcipit in Domino, ut obſequenti animo decretis hujus dicœceſanæ ſynodi obtemperent, eaque ſervare, & ſervari curent, quantum in ipſis erit, ac ad normam ipſorum ab iis, ad quos ſpectat, populi, vel familiæ gubernentur. Quæ omnia ſibi ſynodus pollicetur, auxiliante Domino Deo, Patre, Filio ac Spiritu Sancto, qui vivit, & regnat in æternum. Amen.

Perlectis igitur decretis, diviſa fuit dioeceſis in quinque ſupra ſeptuaginta Parochias, unicuique earum, pro Sacramentis adminiſtrandis, ac ſpiritualibus alimentis, Chriſtiano populo reficiendo, territorio convenienti attributo, nominati etiam, deſtinatique fuere, vicarii & parochi; at minores nonnullæ eccleſiæ, quæ præ parvo fidelium numero peculiarem parochum habere non poterant, vicariis vicinarum eccleſiarum commendatæ ſunt qui deſignati ſubinde ad deoſculiandam manum Reverendiſſimi Metropolitani ſingillatim acceſſerunt, & iis cunctis litteras vicariatus dedit, authoritatem, ac onera Officii ipſis exponens, nec non præcipiens Populo, ut ipſis tamquam propriis Parochis, paſtoribus animarum ſuarum debitum obſequium, debitamque obedientiam exhiberent. Quibus erga unumquemque eorum peractis, commonefaciens omnes deinde generatim, eiſque injungens, ut nullam ſui officii partem omitterent, eoſdem coram ſe genuflexos ita eſt adloquutus.

Præ oculis, venerabiles (a) ac dilecti fratres conſacerdotes, & peculiares Paſtores fidelis populi, habere debetis, nos quamquam indignos, locum tenere Aaronis ſummi ſacerdotis; vos autem Eleazar, & Ithamar minorum ſacerdotum; nos locum viceſque gerere Apoſtolorum Chriſti Domini; vos ſeptuaginta duorum diſcipulorum; nos eſſe de vobis, terrifica die judicii rationem reddituros; vos item de populis, quos nunc vobis commendamus, quo nos omnes, inter bonos ac fideles diſpenſatores domus Domini inveniamur: itaque dilectiſſimi fratres, & noſtrum veſtrumque periculum perſpicite; unde vos monemus, ac ſummopere in Chriſto rogamus, ut quæ nunc dicturi ſumus, & memori mente teneatis, quodque potiſſimum eſt, cum veſtri muneris ratio poſtulaverit, executioni mandetis.

Et quidem primum: monemus ac enixe in Domino obſecramus, ut & vita & converſatione irreprehenſibiles voſmet cunctis exhibeatis, ſuavemque bonæ famæ odorem, & virtutum omnium exempla populo Dei præbeatis: feminæ in veſtris domibus non maneant, ſuſpectæ præſertim, aut etiam captivæ; ipſarum demum omnium familiaritatem devitate; qualibet nocte ad divinum in eccleſia officium rectandum ſurgite, quod ſtatis ceriſque horis integrum exſolvatur; quo item peracto veſtrorum nullus, niſi a media nocte præcedente jejunus, ab omni cibo potuque vel minimo, ſacrum celebret; indutus inſuper ſacris veſtibus, iiſque mundis ſemper, & minime laceris: Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuſcipite cum omni reverentia, humilitate, obſervantia, ac pavore; expiatis prius peccatis ſacramento confeſſionis apud confeſſarium approbatum cum contritione & dolore criminum; potiſſimum, ſi peccati alicujus lethalis conſcientia vos remordeat

(a) Hæc admonitio Synodalis, ad exemplar efformata eſt illius antiquæ, quam in *Cod. Reg. Succ. num.* 73. *annorum circiter* 700. habemus, editam etiam ab Steph. Baluzio, *ad fidem Codicis Hiſpanienſis Mon. Rivipulli* vulgo *Ripoll*. Habetur etiam in Pont. Rom. dicenda; recitatis decretis; demum *in* 3. *tom. de lit. Rom. Pont.* a Domin. Georgii *edito Romæ hoc anno* 1744. Meneſſius autem, quæ Indis ſpectare poſſent adjunxit. Vid. Georg. *p.* 426.

ANNO CHRISTI 1599.

deat: corporalia, & pallæ sint ex lino, nec nisi dispensatione apostolica, aliis ex pannis confici valent, eæque mundissimæ esse debent; cuncta etiam sacra vasa, aliis in vasis mundis ad hoc deputatis, propriis vos manibus lavare debetis; effusa deinde aqua, qua lota sunt, in Baptisterium, piscinam, aut cœmeterium ecclesiæ, alta ad hunc usum scrobe effossa: ea demum diligentissime abstergite: mappis etiam nitidis ornetur Altare, quæ cum corporali tres erunt, ad celebrandum: super altare nihil, præter reliquias sanctorum, aut res sacras ad sacrificium deservientes, collocetur: missalia vestra, breviaria, ac libri precum, sint bene compacti, ac integri: ecclesiæ vestræ sint optime contectæ, nitore item earum parietes, ac pavimenta præfulgeant. In sacrario, vel prope aram maximam, vorago habeatur pro absumenda aqua, qua lavantur corporalia, sacra vasa, & sacerdotum manus oleum sacrum ministrantium: sit etiam in Sacristia vas, aut Lavacrum, munda opplenum aqua, ubi sacerdotes, ac altaris ministri manus abluant, & nitidum manutergium dependens, ut eas detergant: fores, porticusque ecclesiarum sint ex solida materia, ac bene obseratæ. Vestrum nemo alicujus ecclesiæ curæ se ingerat, absque facultate, & notitia præsulis, etiamsi a populo ad eam suscipiendam cogatur. Nullus ecclesiam, cujus titulo donatus est, deserat, vel ad aliam transeat, inconsulto præsule; nec plures ecclesias unus regendas accipiat, adversus sacrorum Canonum sanctiones; neque a pluribus una regatur; sed unaquæque suum proprium parochum ac pastorem habeat. Extra ecclesiam celebret nullus, nec ullo armorum genere, ne cultro quidem e zona suspenso instructus, sacrum celebret. Parochiæ alterius incolæ sine licentia parochi, sacram Synaxim non exhibeat, nisi itineranti, nec item in alterius Paræcia sacrum faciat. In celebratione missarum, eædem ceremoniæ, ac ritus apud omnes uniformiter, ut omnis confusio, ac scandalum absit, observentur. Calices & patenæ ex auro tantum fiant, argento, stanno communi, aut indico, non vero ex metallo, ferro, vitro, cupro, aut ligno. Sacerdos & parochus parochiæ infirmos visitet ac soletur; confessionem etiam excipiat, ac propriis ipse manibus Eucharistiam, ac Unctionem extremam, dum opus fuerit, iis impertiat; eos proinde cum visitaveritis, admoneatis ut eam postulent cum opus habeant. Nemo quidquam vel minimum accipiat pro baptismate, Sacramentorum administratione, aut pro mortuis sepeliendis. Parvulorum nullus ob incuriam vestram, absque baptismate, aut ægrotantium, sine confessione, & sacra communione, decedat. Inveniatur nemo potator nimius, contentionum fautor, armorum gestator, cauponarum & tabernarum frequentator, ad cibum potumve ibi capiendum. Cum Turcis, Judæis, vel Paganis, mensæ non assideatis: nec venandi exercitio, ut ex officio, ave, cane, aut sclopo vos dedatis. Quæ in Domino vobis innotuerint sive Evangelio, & Scripturis Sacris, sive bonorum exemplis, ea omnia, doctrina sana & catholica, in Dominicis festisque diebus populo exponatis: prædicate præterea verbum Domini, cum profectu vestrarum ovium. Curam habete pauperum, peregrinorum, viduarum, ægrotorum, ac orphanorum vestræ parochiæ: peregrinos insuper convivas habeatis; hospitalitatem servetis, in quo vosmet aliis exemplar præbeatis. Benedictionem aquæ cum sale, cunctis Dominicis in ecclesia, ante Missam faciatis, eaque populum aspergite; ad quem finem determinatum vas, aut amulam habeatis. Sacra vasa, aut quodcumque ex sacris ornamentis ecclesiæ, sive pagano, sive christiano, pignori ne detis. Cavete ab usuris, negotiatione, contractibus, officiis publicis profanis, ac alienatione bonorum, quæ in sacris constituti acquiratis: ecclesiæ enim res sunt. Bona ecclesiæ non vendatis, nec pro aliis commutetis. Fontem baptismatis sicubi fuerit, nitidum conservetis; secus autem, speciale vas ad id tantum destinatum, decenti in loco penes ecclesiam, aut sacrarium asservetur. Edoceatis etiam parochianos vestros, pueros præsertim, Articulos fidei, Symbolum, orationem Dominicam, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ; & qua ratione quatuor temporibus, altisque Vigiliis sit jejunandum; ante Quadragesimam etiam, populum de confessione facienda admonete: Parochianorum excipite Confessiones cum charitate, ac ingenti eorum spirituali profectus desiderio. In solenniis Nativitatis, Paschatis, & Pentecostes, cunctos ad Sacram Eucharistiam suscipiendam adhortari non prætereatis; caveatis insuper saltem in Paschate, ne quis dummodo sit capax, Eucharisticæ mensæ communionem negligat. Lites quascumque, contentiones, ac inimicitias quantocius inter vestros subditos sedate: curate insuper ut vivant sinceræ amicitiæ, & charitatis Christianæ vinculis inter se muto conjuncti; si quis autem alterum alloqui detractaverit, cum scandalo, aut odio habuerit, admoneatur a vobis; & quandiu contumax fuerit, eum procul ab altari arceatis. Conjugatos præterea, statis temporibus, potissimum solemnibus festis, jejuniorumque diebus, sano consilio ab uxorio opere vacare suadeatis. Nemo vestrum induatur veste colorata; sed habitu honesto, quique sacerdotes decet, incedatis. Populos instruite in modo servandi dies festos, iisque insinuate, ne laborent manibus; tripudia & cantilenas feminarum in ecclesiis ne permittatis; ab excommunicatis cavete, nec iis præsentibus Sacrum peragatis: monete populum, ne quis cum alteri desponsata, contrahere audeat: sicuti neque cum consanguinea, aut a domo paterna rapta; nec solennes nuptias celebrari, & uxores solenniter duci vetitis temporibus sinatis: pecudum custodes, servosque, ad sacrum diebus saltem Dominicis audiendum compellite. Patrinos, ut quos a sacro fonte susceperunt, edoceant Symbolum fidei, & orationem Dominicam, vel edoceri curent, admonete. Sanctum Chrisma, ac oleum tum Cathecumenorum, cum Infirmorum, in Ecclesia asservate loco decenti, mundo, munito, & clave obserato (a) nec

(a) Hic abusus a S. Bonifacio reprehenditur *Statut.* 5. apud Harduin. *Collect. Concil. tom.* 3. col.

ANNO CHRISTI 1599.

nec de ipso quidquam per modum medicamenti impertiemini : gravissimum enim id foret sacrilegium. Unusquisque apud se habeat Catechismum, & expositionem Symboli, & Ecclesiasticas Orationes, juxta expositionem Sanctorum, & Catholicorum ecclesiæ doctorum, unde suæ saluti prospicere, ceterosque exhortari valeat ; sicuti & hanc synodum, ut ex iis, quæ ibi decernuntur, & vosmetipsos, populumque commissum dirigatis, fidemque Catholicam, quam ipsa exponit, cunctis declaretis. Clara ac perceptibili voce proferte Missæ introitum, orationes, Epistolas, Evangelium, ac simbolum fidei : orationes vero secretas Canonis, & congregationis, voce dicite submissa, distincte, at non interrupte : Recitantes autem in Choro, non prius sequentem versiculum incipiatis, quam altera pars chori antecedentem absolverit, neque ex trasversa voce, & cantu prosiliatis, cum perturbatione Officii Divini, neque confuse & mussitando recitetis. Symbolum S. Athanasii, summam fidei chatholicæ continens, memoria retinete, & quotidie recitate. Exorcismos, orationes, baptizandi ritus, ungendique ægrotos, ordinem commendationis animæ, ac officia Defunctorum, ad normam sacrorum Canonum, & usum S. Romanæ ecclesiæ, totius orbis ecclesiarum Matris ; pariterque exorcismos, & benedictionem salis, & aquæ fideliter servate. Cantum ecclesiasticum ipsiusque modulos pro rebus cantandis non negligatis. Computum insuper Breviarii, & Missalis, eorumque Rubricas, ut necesse est, teneatis ; & rationem inire festorum mobilium, & Paschatis, ne aliquis incuria vestra error incidat, sedulo addiscite : in qualibet præterea ecclesia unum habeatur Martyrologium sanctorum, in ea legendum ; quodque ut Syriace reddatur curabimus. Omnia demum ista peragite, ut hisce aliisque bonis operibus, quæ auxiliante Domino, una cum populo vobis commisso facturos speramus, gloriam assequamini sempiternam, per gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.

Hæc pro fastis, atque in hunc modum vicariis, parochisque præmonitis, cunctos, ut propria manu subscriberent præcepit reverendissimus Metropolitanus, autographum decretorum synodi Malabarice translatæ, utque si quid dubietatis circa sancita vel exposita in synodo, unquam ecclesiasticorum aut secularium obversaretur, ultra jam controversa explorataque, id omne ante subscriptionem producerent: quo nullus ambigendi subinde, altercandive locis relinqueretur. Pluribus itaque agitatis, pertractatis, compertisque, communi omnium arbitratu, atque consensu, nemine discrepante, cuncti autographum subscripsere : proinde synodi volumine ad reverendissimum Metropolitanum allato, isque Pontificalibus indutus, & in Faldistorio sedens, Mitra capiti imposita, laudata obsignavit decreta. Posita deinde mensa in meditullio capellæ majoris, superpositis etiam decretis, omnes quotquot ad synodum fuere convocati, cum ecclesiastici, tum sæculares, electi ac procuratores populorum, manu propria coram synodo, populoque subscripserunt, ac obsignarunt, ad numerum tredecim super octingentos ; videlicet Cassanarii, & Sacerdotes centum quinquaginta tres : demptis diaconis, subdiaconis, ceterisque Chamasiis : electi & procuratores populorum, cum aliis ex principalibus, qui una cum illis accesserunt, sexcenti sexaginta, non computatis incolis loci de Diamper, ubi synodus fuerat celebrata ; plurimis etiam e finitimis locis, necnon Lusitanis plurimis, comitantibus D. Antonium D. Noronha Capitaneum Cochim, quorum Senatus, ceterique de regimine Civitatis synodo interfuere.

Signatis Decretis, surrexit reverendissimus Metropolitanus, depositisque infulis, ante Aram maximam flexo poplite, incoepit Hymnum : *Te Deum laudamus*, & cum ingenti gaudio, ordinate progressa est Processio solennis, quæ circuivit ecclesiam choris concinentibus, & Latinis latino idiomate, indigenis autem ecclesiasticis, Chaldaico ; populo demum Malabarico psalmos modulantibus. Ab omnibus ergo exultantibus, & præ gaudio lacrymantibus, una fide, ac indivisa caritate tamdiu expetita, terno idiomate, verus ac omnipotens laudabatur Deus. Trinus etiam in personis, ac essentia unus, Pater, Filius, ac Spiritus Sanctus, qui vivit, & regnat in æternum. Amen.

Ubi ad Aram maximam pervenit, reverendissimus Metropolitanus, processione peracta, recitavit orationem : *Exaudi quæsumus Domine* : prout habetur in pontificale Romano ; qua finita, in faldistorio iterum sedit, accepta Mitra, & Baculo, atque ad hunc modum populum affatus est : *Maximas Deo omnipotenti, bonorum omnium authori, rependo grates, ob ingens adeo beneficium, cum mihi, tum vobis cunctoque fideli populo hujus dioecesis collatum, dum istam synodum celebravimus tot tantisque obstaculis, ac impedimentis exantlatis, quibus totius boni hostis Diabolus, ut ipsam interturbaret, sategit, excitatis toties contentionibus, discordiis, triciisque impediendi causa unionem Populi Christiani cum Ecclesia Catholica, eumque obfirmandi in erroribus, quibus, ut nostis, miserrime tenebatur. Quamobrem plurimas habeo gratias ipsi Deo Domino nostro, quod adeo ingenti lætitia, pace, omniumque concordia, prout exploratum est vobis, res fuerit perfecta ; tanta pariter, ut scitis, regum paganorum Idololatrarum, reliquorumque fidei Catholicæ hostium rabie. Vos item gratissimi nobis estis, dilectissimi Fratres, Consacerdotes*

col. 1943. ubi præscribitur : *Ut presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma & nulli sub pratextu medicinæ detur.* Seculo etiam IX. ea ineptia invaluerat, *Chrismate*, nempe, *criminosos unctos, nullo posse examine deprehendi.* Vide concil. Turonen. 3. *anno* 813. *Can.* 20. & Catalani *tom.* 3. *Pontifical. pag.* 82.

ANNO CHRISTI 1599.

tes, comministri, coadiutoresque nostri; sicuti & vos dilecti filii electi procuratores populorum, ceterique optimates, qui posthabitis & Itineris difficultate, & temporis molestiis, indignatione item Regum, quibus subdimini, ad synodum venistis; quinimmo, ut strenui christiani, salutisque percupidi, nostris obtemperando mandatis, omnia ea aspernantes, medelam vestris animabus perquisivistis: quæ quidem Deus remuneraturus est æterna beatitate, dum in puritate fidei, quam ad præscriptum hujus synodi professuri estis, perseveraveritis, ritum insuper, moresque adamussim horum decretorum aptaveritis: plurimumque in Domino confidimus, eum vos omnes ad propria cum pace, ac incolumitate reducturum; ipse domos vestras prosperitate impleat, familias vestras posterosque in æternum benedicat, quod per suam gratiam, & misericordiam vobis concedat. Amen.

Alloquio ad finem perducto, stans reverendissimus Metropolitanus, solennem benedictionem, uberrimis cuncto populo impertitus est lacrymis; mox archidiaconus elata voce dixit: *Recedamus in pace*; universaque synodo respondente: *In nomine Christi. Amen.* impositus est finis dioecesanæ synodo die XXVI. Junii, anno MDXCIX. in honorem, & laudem Domini Nostri Jesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Absoluta itaque synodo, singulis vicariis ecclesiarum per reverendissimum Metropolitanum designatis, data fuerunt juxta decreta, altaris lapides ad hunc effectum a laudato Domino præ consecrati; qui enim apud ecclesias erant in usu, legitima consecratione carebant: Pyxis item vasculis instructa, in quibus multiplex sacri olei genus continebatur cum formula ipsis utendi, omnibus explicata: Libellus etiam pro administrandis sacramentis, juxta Romanum ritum, Chaldaico & Syriaco idiomate descriptum: alius insuper doctrinam Christianam continens, vernaculo sermone nempe Malabarico exaratus, pro instituendis parvulis, & reliquo populo; nec non superpelliceum pro administrandis sacramentis, quod ad ea usque tempora non fuerat in usu: collata præterea fuerunt pro omnibus ecclesiis corporalia, vestimenta, *frontalia*, & calices, alia demum altaris ministerio necessaria: quippe iis omnibus earum plures destituebantur. Lites etiam, aliaque ad synodum delata, tam populorum, quam particularium, decisa fuerunt atque judicata, per reverendissimum Metropolitanum, ipsique electos viros adjunctos, qui litigiis compositis discessere: laudatus autem Metropolitanus denuo incœpit visitationem ecclesiarum dioecesis, procurandi causa, ut synodi decreta executioni mandarentur, quod ex voto successit. Quamobrem in unaquaque ecclesia potiora, ac opportuniora decreta recitabantur; tradebantur ipsi etiam libri, breviaria, & Missalia tam ecclesiarum, quam particularium; & prohibiti libri a synodo, partim ab erroribus severa castigatione repurgabantur, partim flammis tradebantur. His auspiciis possessionem ecclesiarum suarum inibant vicarii, acceptabantur etiam a populo, qui de proprio ipsis assignabat proventus, quibus additis, quæ reverendissimus Metropolitanus de suo præstabat, publicæ ollæ, ac scripturæ pro ecclesiis conficiebantur: eligebantur præterea quatuor oeconomi; referabantur capsulæ, ac fabricæ necessaria deputabantur: Cassanarii & Chamazii, qui Synodo abfuerant, fidei professionem emittebant: pro confessionibus deputandi, prævio examine, collata in scriptis facultate, aptiores, aliis amotis, prout ferebat ecclesiarum conditio, eligebantur. Baptismate tingebantur parvuli, omnesque adolescentes, quotquot fuissent sacri lavacri expertes in vicis: e silvis quosque adduci, plerumque octennes decennesque jubebantur: sæpe incolæ pagorum fere omnes, Chrismate confirmabantur: ab excommunicatione absolvebantur quamplurimi, qui variis de causis, juxta loci consuetudinem ea ligabantur, præsertim ob homicidium, a quo nec in mortis articulo absolvebantur, & non raro per decem, viginti, ac plerumque triginta continenter annos, excommunicationi obstringebantur. Concionabatur quotidie Metropolitanus, idque per otium, christianis intra ecclesiam; infidelibus vero præ ipsius foribus, dum curiositate ducebantur, tempore præcipue baptismi cum parvulos ad ecclesiam congregabat, aliis illis verbis: *Ingredimini sanctam Dei ecclesiam &c.* a quibus verbis occasione sumpta, ad Ethnicos sermonem vertebat; quorum nonnulli, variis e regionibus baptismati adstantes, catechismo imbuti, diversis postea in locis, & ipsi baptismum suscipiebant. Pueris exponebatur doctrina christiana vernaculo Malabarico sermone, qua doctrina perpauci reperiebantur instructi: unde decretum hoc fideliter servandum in posterum jubebatur, ut ea pueris quotidie exponeretur, exarato libello; & unicuique ecclesiæ donato; si qui demum id exigerent, matrimonio jungebantur: quibus omnibus, potiora synodi decreta ad praxim deducebantur, sequenti forma.

Adventanti reverendissimo Metropolitano, universus populus ingenti lætitia obviam prodibat; excipiebatur plausibus pro gentium ritu, ac prout licebat; deducebatur exinde præeunte processione in ecclesiam: plurimi per vias vel aulæa, aut tegetes, tum & arborum ramos substernebant, solitis deinde ceremoniis benedictionis, absolutionisque peractis, dum aliud per tempus non liceret, accedebant cuncti, tam virilis quam sequioris sexus singillatim, profunda humilitate, & observantia proni, laudati Metropolitani manum osculaturi, ipsique obedientiam præstaturi; summo postea mane ad ecclesiam una cum clero ac populo conveniebat, ubi sacrum celebrabat præmissa propalam confessione ad Aram maximam: quod eatenus faciebat, quatenus doctrina de Sacramento poenitentiæ (plene quasi apud gentem desueto) prospiceret, eamque restitueret.

Sacrificio oblato, in sacrario aliove in loco congregabantur P. Franciscus Roz Societatis Jesu linguæ Chaldaicæ, & Syriacæ professor in collegio de Vaipicota, aliique Patres ad id deputati, adjuncti etiam nonnul-

ANNO CHRISTI 1599.

ANNO CHRISTI 1599.

nulli ex doctioribus Caſſanariis, quo vi excommunicationis a ſynodo latæ, libri deferebantur Syriaci, tum eccleſiæ, tum particularium, quorum plures expurgabantur: vetiti autem per ſynodum, Metropolitano tradebantur flammis abſumendi. Interea temporis pontificalia accipiebat veſtimenta Metropolitanus, ſedenſque concionabatur, inculcans ea, quæ neceſſaria erant ad fidem ſervandam, moreſque recte inſtituendos: ſub concionis finem, potiora ſynodi decreta elata voce legebantur: deinde omnes longo ordine diſpoſiti, ſupplices incedebant, & circuibant eccleſiam; quæ proceſſio fiebat pro defunctis. Aderat plerumque ingens Ethnicorum multitudo, rei ac præſertim veſtimentorum pontificalium novitate illecta, ac e januis, feneſtris, ac coemeteriis eccleſiarum proſpectabant: abſoluta proceſſione pro defunctis, & expoſita etiam doctrina de purgatorio, necnon utilitate pro illis orandi, ſedens iterum, de Sacramento chriſmatis pro exigentia populi, verba faciebat, chriſmate etiam nondum confirmatos, qui aderant, muniebat. Poſtea in Pontificali veſte omnes nondum baptizatos parvulos, ac adoleſcentes chriſtianos, adultos item paganos pridie ad id convocatos, ſuis ipſe manibus ſacro fonte abluebat. Quos deinde introducens in eccleſiam verbis iis: *Ingredimini Sanctam Dei eccleſiam*; infidelibus ipſam circumdantibus præ curioſitate, concionabatur: & Nairres quidem, ceterique, quamquam arcubus, ſagittis, varioque armorum genere inſtructi, propria item ditione, abſentibus etiam Luſitanis, placide ac ſponte nedum audiebant de fide Domini Noſtri Jeſu Chriſti differentem, verum etiam contumelias irriſioneſque ſuorum Idolorum, ac Sacrificulorum, necnon interminationem damnationis æternæ avide excipiebant. Abſolutis his ſacris functionibus, fidei profeſſionem eccleſiaſtici incolæ, ſi qui Synodo non interfuerant, coram Metropolitano, ſpectante populo emittebant; & illico pueros puellaſque vocabat, quibus contra ſedem ac circum eam genuflexis, Chamaziorum aliquis vernaculo ſermone, Doctrinam inchoabat, ipſamque repetebant omnes; unumquemque poſtea docebat modum muniendi ſe ſigno Crucis, & ad ipſos concionem teneræ ipſorum ætati congruam, non ſine parentum gaudio, habebat: erga dulciſſimum Jeſu nomen [quod ipſi, utpote Neſtorianiſmo imbuti prætermittebant) venerationem promovebat & cultum: ſubinde adveniebat Vicarius, cui coram populo propriæ committebantur Oves, quæ illum ut proprium paſtorem accipiebant: deſponſi etiam maritali foedere jungebantur; confeſſiones excipiebantur plurimorum, quos inter plurimi grandioris ætatis erant qui poenitentiæ Sacramento nunquam fuerant expiati; ſacram Synaxim, e manu ipſius Metropolitani ſumebant: poſtea pomeridianis horis conveniente populo proventus Vicario perſolvendi præfigebantur, quod in Ollas, penes eccleſias aſſervandas, exarabatur; eligebantur exinde oeconomi quatuor, quibus item Ollas Metropolitanus tradebat; capſulæ eccleſiarum reſerabantur, atque pecuniis inde extractis, neceſſariis rebus proſpiciebatur: Metropolitus, aliique Patres ad id numeris deſignati, prævium Confeſſariorum examen faciebant, & qui ex Caſſanariis idonei comperiebantur, facultatem in ſcripto audiendi confeſſiones accipiebant: ad hæc expoſtulationes, quærelas, & cauſas Chriſtianorum audiebat, una cum quatuor ex ipſis Chriſtianis, qui e primoribus ad arbitrium partium ſeligebantur, per quos cuncta decidebantur, & pro regionis more definiebantur, quin ulterius provocatio, querela, aut *proceſſus*, ſuper iis inſtitueretur. Qui viginti ac triginta annos ante excommunicati erant, abſolvebantur, poenitentia, quæ culpis congrueret impoſita: plures enim erant caſus, a quibus inhumane prorſus, nec in mortis articulo abſolutionem reis impertiebantur. Ad quæ omnia perficienda operam contulerunt ſuam fervore, zeloque ſalutis animarum inſignes, quinque Societatis Jeſu patres, laudatum Metropolitanum comitantes, e quibus etiam duo Malabarico, & Chaldaico idiomate pollebant: ii fuerunt, pater Hieronymus Cotta, Pater Gregorius de Craſto, Pater Franciſcus Roz, epiſcopus ad præſens ipſius Dioeceſis digniſſimus, Pater Antonius Toſcano, Frater Joannes Maria, P. Frater Blaſius a Sancta Maria Theologus ex Ordine D. Auguſtini, Illuſtriſſimi Metropolitani a Confeſſionibus, Canonici tres Sedis Metropolitanæ Goenſis, aliique duo Capellani laudati Domini, plurimi item Caſſanarii indigenæ, qui Chaldaice, ac Syriace divina celebrabant officia, & quorum ope Illuſtriſſimus Metropolitanus in multis utebatur. In progreſſu reductionis hujus eccleſiæ ad Catholicam fidem, & obedientiam Sanctæ Romanæ eccleſiæ, plurima animadverſione digna contigere, quibus oſtendebat Dominus quam gratum id operis ſibi foret: in viſitatione præterea eccleſiarum, nonnulla comperta fuere, permultum gloriam Dei, bonumque exemplum promoventia, quæ Deo auſpice, alibi deſcribentur, ad ipſius Domini gloriam, qui vivit, & regnat per ſæcula ſæculorum. Amen.

EPISTOLA

Domini D. Andreæ Epiſcopi de Cochim, ad congregatam Synodum.

PLurimum, quantum arbitror fratres, debetis Deo Optimo Maximo, quotquot Chriſtiani Divi Thomæ vocitamini: equidem ejus Apoſtolo cooperante, præ aliis pluribus Ethnicis, quibus oriens refertus erat, veritatis agnitionem lumenque accepiſtis, quo juxta Apoſtolum Petrum effetis *Gens Sancta, & Populus acquiſitionis, quem Deus ſibi elegit*. Nec crediderim, majores veſtros, amplioribus apud Deum meritis præditos fuiſſe, præ aliis ſibi coævis infidelibus; nihilo tamen minus eos elegit, voſque pariter in illis; ceteros autem ipſorumque poſterioritatem præterivit; plane nulla alia de cauſa, niſi quia patribus veſtris, ac vobis, id quod reliquis erat denegaturus beneficium, plagæ hujus incolæ voluit confere-

ANNO CHRISTI 1599.

fere: ut autem huic muneri cumulum adderet, id etiam egit, ut non a quocumque obscuri parvique nominis homine ad fidem adduceremini, ut aliis evenit Christianis, verum ab uno e suis electis dilectisque Apostolis, ut vestra ista hæc ecclesia, speciali titulo Apostolica appellari posset, ac privilegio, quod perpaucis obtigit, quodque dudum Græcorum metropolis Constantinopolis, dum licuit, invidisset, præ aliis frueretur. At Diabolus humani generis infestissimus hostis, livoris plenus, ingentem, qua hæc ecclesia potiebatur gloriam, non ferens, nihil non movit, ut errorum hæresumque zizania, super lætam Christi ejusque Apostoli Thomæ segetem seminaret. Igitur e regione Babylonis & Chaldææ, nonnullos perfidi Nestorii discipulos adscivit, quibus hanc ecclesiam everteret. Nestorius autem is erat, quem concilium Ephesi coactum ducentorum præsulum, apud Asiam minorem, hæreticum declaraverat; id quod postea, in alio Concilio a sexcentis triginta episcopis comprobatum fuit. Adeo præterea exitiosus sceleratusque evasit hæreticus ille, ut ultra poenas suis in hac vita facinoribus promeritas, & ab homnibus inflictas, Deus ipse æternas, quas patitur, illi dederit hic prægustandas; ut non modo gradu fuerit, ac episcopi dignitate deturbatus, a laudatis conciliis aliisque sequentibus condemnatus, deportatus etiam judicio Theodosii secundi in Ægypti solitudines, ipsiusque imperatoris sententia ejus libri combusti; sed etiam lingua, quæ adeo blasphema protulerat, putrescere, ejus caro adhuc vivens vermibus arrodi, ac totum corpus tabescere, visum est, qua ratione e vita dejectus, animam Diabolo tradidit, ut referunt Evagtius illustris illius ævi Scriptor, Nicephorus, Cedrenus, aliique authores Græci.

Ductante itaque Doemone sceleste illius discipulos in hanc ecclesiam, ejus inter vos errores, nihil tale vobis præ sinceritate, & candore opinantibus, sparserunt, ut dicere licuisset viventi Thomæ ad vos, illud idem quod Paulus ad Ephesios, in quorum Civitate damnatus fuit postea Nestorius improbus: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Et jure quidem ac merito rapaces lupi appellari possunt, quos hic habuistis pastores, Hæretici; abjectæ quippe sordidæque indolis homines, non alio quam expilandi, corradendique studio ducebantur; ordines, ut nostis, sanonibus, (*a*) dispensationes sanonibus, absolutiones sanonibus; omnia demum Sacramenta, quæcumque etiam sacra, sanonibus, conferebant: rem quidem abominandam & Deo; & Divo Petro Apostolorum Principi, qui non alia de causa Simonem illum Magum ab ecclesia expulit, ut in actis Apostolorum legitur, ac excommunicationis fulmine percussit. Quod itaque fratres mei, in vobis, atque in pastoribus vestris e Babylone missis impletum vidimus, jam diu per Isaiam Deus pronuntiaverat: *Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, & unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum.* Utque omnia paucis complectar, qualesnam poterant esse episcopi, & ecclesiæ Pastores, qui purum putumque lucrum sectabantur, qui ordinationes, & dispensationes; quæ denique episcoporum sunt reliqua, non quidem episcopatu, non presbyteratu, non tandem Clericatu saltem initiati, sed meri laici; quod postea facti sunt, peragebant? Quam obsecro, Deus immortalis, dispensationem, quod Sacramentum, quam gratiam acciperet ille, qui a non episcopo, immo a non clerico, sed a puris laicis, forsitan & Lascaribus, quorum habitu a suis adventabant, solvebatur, ordinabatur? Hi sunt opimi fructus, o fratres, quos vobis Babylon asserebat, illinc ad vos loco Sacerdotum, & episcoporum hæretici, laici, barbarique mittebantur. Quid igitur commune potest esse Malabariæ cum Babylone? Aut quæ tandem conventio inter purissimam Christi doctrinam, quam vobis Magnus Apostolus Thomas prædicavit, & barbaras ineptias, quas Arabes, & Chaldæi e Babylone, atque ab ipsorum doctore apostata Nestorio, huc asportavere? Isti sunt, dicenti credite fratres, de quibus Paulus quadam epistola ad discipulum Titum scripserat, futuros *docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia:* quod quidem in præsentiarum accidit: ii enim, ut lucro simul honorique proprio consulant, quo indignissime potiuntur, vobis malis artibus persuadere conantur aliam fuisse doctrinam divi Petri, aliam vero, quam vobis Divus Thomas prædicavit. Satius foret, si dicerent doctrinam Apostoli Petri, toto fuisse Cœlo diversam ab hæresibus, a Babylone huc disseminatis; ceterum illam ab ea, quam vos edocuit traditque Divus Thomas, in nihilo differre; quod etenim Toma, Petrus, Christus, id ceteri edocuere Discipuli, quia ut ait Paulus: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, atque adeo una est ecclesia, cujus in Coelo caput Christus est, in terris vero Petrus, & post eum Successores ipsius Romani episcopi. Quod autem D. Petrus ac successores singuli, sit in terris caput universalis ecclesiæ, constat perspicue, nam id Christus Petro ante Passionem ex Matthæi decimo quarto promiserat, cum fide ejus probata, asseruit: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni Coelorum*: quod Apostolorum Discipulorumve nemini, præterquam Petro dixerat. Et habetur etiam apud Joannem capite sui Evangelii ultimo, quod post Resurrectionem suam interrogavit Dominus Petrum, an se præ aliis amaret, & respondente Petro, probe esse sibi notum, quod plurimum eum diligeret, dixerit illi ter. *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oves meas*, quibus eum verbis Pastorem constituit universalem ovium suarum, & post ejus obitum, omnes Romanos episcopos, qui ipsi in munere succedere: harum

(*a*) *Fanon* est monetæ genus apud Malabarenses: Vide syllab. Voc.

ANNO CHRISTI 1599.

vero ovium Christi unum est tantum ovile, & una ecclesia : unde in Symbolo, quod ad Missam canitur, habemus: *Credo in unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam ecclesiam*; de qua etiam ipsius sponsus Jesus Christus in canticis ajebat: *Una est columba mea, perfecta mea &c.* & Joannes Cap. X. narrat, quod loquente Dei filio ad Discipulos suos de vocatione Gentilium ad fidem, dixerit illis: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc Ovili, & illas oportet me adducere, ut fiat unum ovile & unus Pastor*; igitur ovile, in quo & Judæi & Gentiles in una congregati sunt fide, ecclesia est Catholica, Pastor autem ille fuit D. Petrus, & ejus Successores Romani episcopi, quorum quilibet ut episcopus Romæ Pastor est universalis, totius ecclesiæ Dei. Quamobrem qui ei obedire detectat, in numero non B est ovium Christi, extra ovile errat Christi, schismaticum se probat hæreticumque, quemadmodum ceteri, qui ecclesiæ Romanæ adversantur; quæ quidem ecclesia nec erravit, neque errabit circa fidem, ex promissione Christi dicentis Petro, ut scribit Lucas: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*: desciscere possunt a fide, quæcumque aliæ particulares ecclesiæ, ut pluries vidimus; ceterum ecclesiæ Romanæ, nec defecit, nec defectura est fides; quapropter fratres arctissime adhærescite huic firmissimæ columnæ, ecclesiæ Romanæ; adversus quam juxta Domini sponsionem, portæ inferi prævalere non possunt, nimirum quæ C fuerunt, ac modo sunt in orbe hæreses: maximas præterea grates Domino persolvite, quod vobis opportune fuerit opitulatus, Pastoremque ac Doctorem spiritualem dederit Dominum archiepiscopum, qui propriam Sedem commodaque relinquens, tanti rem oneris in se suscepit, ut vestræ saluti prospiceret, atque ab erroribus, quibus tenebamini, hoc tempore eriperet. Id etiam pro A certo, nullique dubitati expositio habeatis, illum unum esse ex Pastoribus, de quibus Deus per Hieremiam dixerat: *Et dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina*: errores ac ineptiæ huc usque pascua vobis fuerunt, Pastores item vestri vestros canones, & nulla ratione salutem vestram quærebant; Pastor autem iste vestra non vult, immo sua pro vestra effundit salute, quo securius beatitatis semitam arripere possitis: atque hinc solum satis compertum vobis erit, quantum inter ipsum ac Pastores, quos hucusque habuistis, immo Lupos, quibus dixit Dominus: *venturos in vestimentis ovium*, intercedat discriminis. Errorum vestrorum hucusque aliquam excusationem prætendere, vobis fuerit integrum, nec enim ultra id quod magistri vos docebant sapere poteratis; at nullam in posterum, coram Deo aut hominibus prætexere licebit, nisi quales optamus, quibus cordi estis vos exhibueritis. Quam tradidit vobis doctrinam Dominus archiepiscopus, ea est, quam omnes Indiæ tenent incolæ, cum Clericis & Religiosis ipsius: ipsam tota Lusitania, Hispania tota, cuncti demum amplectuntur Christiani; ipsam nos Dei Filius edocuit, tradidit Thomas, tradidit Petrus, cuncti denique Apostoli, discipulique Domini tradiderunt: si quis autem adversus hanc docuerit, sit, ut ait Paulus, anathema, excommunicatus, & separatus a fidelium congregatione & societate, eo quod ipse se a Christo, ejusque fide & gratia separavit. Deus vobis perfectam sui cognitionem conferat, ut vester in Domino frater peroptat. Datum Cochim XVIII. Junii, anni MDXCIX.

Frater in Domino F. Andreas Episc.

ANNO CHRISTI 1599.

DE-

ANNO CHRISTI 1603.

DECRETA CONCILII PROVINCIALIS CAPUANI

Celebrati anno Domini 1603. *die* 6. 7. 8. 9. *Aprilis.*

I.

IN primis decernimus & mandamus ut decreta concilii Capuani noviſſime celebrati a bonæ memoriæ prædeceſſore noſtro Cæſare Coſta recipiantur promulgentur, & executioni demandentur. Et inſuper ut pœna viotantium feſta non ſit excommunicatio, ſed multa pecuniaria, eaque moderata ſtatim in pios uſus eroganda, præter eam partem quæ dabitur executoribus. Verum contra multiplicantes transgreſſores, ſeverius procedatur; tranſeuntes vero nullo modo moleſtentur.

II.

Ut ſacramentum confirmationis non detur deinceps iis, qui annum ſeptimum non attingunt, quæ rudimenta fidei, vel ſaltem ſymbolum fidei, Orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam non didicerint; cujus rei teſtimonium manu parochi ſcriptum oſtendere teneantur.

III.

Quoniam aliquibus locis hujus provinciæ, ea viget conſuetudo, ut nobis relatum, ut epiſcopi diſponant de bonis eorum, qui decedunt ab inteſtato ad pias cauſas, decretum eſt, ut ubi verè eſt in obſervantia talis conſuetudo, poſſint diſponere de prædictis bonis, ſed ita moderate, ut quod exigitur centeſimam partem bonorum defuncti non excedat; idque applicetur piis uſibus pro anima defuncti, arbitrio quidem epiſcopi, ſed per manus hæredum.

IV.

Ut epiſcopi in viſitatione, quam minimum graves ſint his qui viſitantur, eorum comitatus ſenarium numerum non excedat: contenti ſint parviſſimo victu, & nullo modo accipiant pecunias nomine victualium. Quando vero viſitat vicarius aut alius officialis multo minori numero comitum ſit contentus.

V.

Ut in diebus feſtivis prohibeant omnes executiones perſonales & etiam reales pro cauſis civilibus a quocumque tribunali tam eccleſiaſtico quam temporali, ne populus occaſione earum impediatur quominus ſatisfaciat præcepto de audiendis miſſis, prædicatione & aliis divinis officiis; idque prohibeatur ſub poena excommunicationis.

VI.

Fiſcalis atque commiſſarius curiarum epiſcopalium cum accedunt ad loca extra civitates, vel inquirunt de criminibus intra ipſas civitates, nil exigant pro itinere, labore, vel actis quouſque cauſa expediatur; & tunc a reo, ſi fuerit condemnatus, poſſit exigi moderatum Salarium, juxta Pandectam curiæ illius epiſcopalis: antea vero omnia fiant epiſcopalis curiæ ſumptibus.

VII.

Ut parochiæ, non per familias ſed per fines certos diſtinguantur ut parochi oves ſuas melius cognoſcant, & commodius & facilius eis ſacramenta adminiſtrare poſſint. Propterea mandatum eſt iis epiſcopis, in quorum eccleſiis ſunt confuſæ parochiæ, ut primo quoque tempore eas per certos fines diſtinguendas jurent.

VIII.

Ut in adminiſtratione ſacramenti poenitentiæ omnis turpis lucri vel ſimoniæ labis ſuſpicio removeatur, decretum eſt ut confeſſarii in actu confeſſionis a poenitentibus nihil recipiant nec ſub ſpecie eleemoſinæ, nec pro dicendis miſſis, nec pro reſtitutione incertorum, ut iidem confeſſarii confeſſiones ſæcularium niſi in caſu infirmitatis extra eccleſiam non audiant. Contra vero facientes confeſſarii tam ſæculares quam regulares arbitrio epiſcopi ſuſpendantur ab officio audiendi confeſſiones.

IX.

Ut in matrimoniis contrahendis inter alienigenas exacta adhibeatur diligentia in agnoſcenda fide & teſtimonio eorum qui de morte alterius conjugum deponunt, vel teſtantur ipſos contrahere volentes alias uxores vel viros non habuiſſe: Parochi vero, qui in ea re negligentes fuerint, ſeveriſſime arbitrio epiſcopi puniantur.

X.

Ut Clericorum qui ſub clericali habitu militum & Sicariorum vitam agunt, comprimatur audacia, decretum eſt ut clerici deferentes arma V. G. ſcolpictum parvum, pugionem, vel vulgo dictum ſtilletum, vel alia ejus generis brevia arma, centum aureorum poena mulctentur: qui vero eam

ſol-

ANNO CHRISTI 1605.

solvere non possuntper annum integrum, in A
stricto carcere detineantur. Quoad vero cætera arma longiora serventur constitutiones superioris concilii provincialis.

XI.

Curent episcopi suffraganei nostræ provinciæ, ubi seminarium vigore decretorum sac. conc. Trident. commode institui non potest, & schola non fuit erecta, ut ad minus tres pueri singulorum eorum dioecesis adducantur, & in ecclesiastica disciplina instituantur in seminario Capuano, ubi sicuti alii convictores in expensis contribuant.

Ego Robertus Bellarminus S. R. E. presbyter cardinalis Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Capuanus de consilio & consensu coepiscoporum nostrorum definiens subscripsi.

Ego Ladislaus de Aquino episcopus Venefrensis consentiens subscripsi.

Ego Fabius Maranta episcopus Calvensis consentiens subscripsi.

Ego Alexander Riccardus episcopus Suessanus consentiens subscripsi.

Ego Paulus de Curte episcopus Aesernensis consentiens subscripsi.

Ego D. Joannes episcopus Calenî consentiens subscripsi.

Ego D. Benedictus episcopus Casertæ consentiens subscripsi.

ANNO CHRISTI 1605.

LEO PAPA XI.

Sedit anno 1605. eodemque obiit.

PAULUS PAPA V.

Sedit ab anno 1605. ad annum 1621.

GREGORIUS PAPA XV.

Sedit ab anno 1621. usque ad 1623.

URBANUS PAPA VIII.

Sedit ab anno 1623. usque ad 1644.

INNOCENTIUS PAPA X.

Sedit ab anno 1644. usque ad 1655.

ALEXANDER PAPA VII.

Sedit ab anno 1655. usque ad 1667.

CLEMENS PAPA IX.

Sedit ab anno 1667. usque ad 1669.

CLEMENS PAPA X.

Sedit ab anno 1669. usque ad 1676.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Sedit ab anno 1676. usque ad 1689.

ALEXANDER PAPA VIII.

Sedit ab anno 1689. usque ad 1691.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Sedit ab anno 1691. usque ad 1700.

CLEMENS PAPA XI.

Sedit ab anno 1700. usque ad 1721.

ANNO CHRISTI 1703.

CONCILIUM
PROVINCIALE SIVE NATIONALE
ALBANUM

Habitum Anno MDCCIII.

CLEMENTE XI.
PONT MAX.
ALBANO.

Beatiſſimo patri Clementi undecimo Pontifici Maximo

VINCENTIUS ZMAJEVICH ARCHIEPISC. ANTIBARENSIS,

Debitæ ſubjectionis obſequium.

Ex edito Romæ an. 1706.

JUſſiſti Beatiſſime Pater, ut Albanæ provinciæ meæ Apoſtolica viſitatione eccleſias luſtrarem. Juſſis parui, circuivi terram, perambulavi univerſam, vidi contritiones ejus. Vidi, prob dolor! Principem quondam provinciarum factam ſub tributo, oppreſſam dominam gentium doloris amaritudine, abjectum clypeum fortium, murum olim,

Job c. 2.

& antemurale fortitudinis noſtræ diſſipatum. Vidi gentes ingreſſas Sanctuarium Dei, polluta templa, prophanata Altaria, vix locum ubi populus convenire poſſit ad ſolemnitatem. Vidi ſenes ululantes, ſacerdotes miniſtros Domini lugentes, percuſſos Paſtores, diſperſas Oves in invio errantes, peſtem immaniter graſſantem in omnes, & lue mortifera longe, lateque debaccantem. Hæc vidi, & ingemui, conturbataque viſcera mea ſuper afflictionem populi mei, in ipſis naufragantium filiorum calamitatibus diſcindebantur. Propterea, dixi, captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Tot miſertus ærumnarum, tot immanis preſſuræ coactus anguſtiis, pro debito, pro viribus remedia non diſtuli; majora viſitatione expoſcebat neceſſitas, nec patiebatur dilationem. Potiſſima in provincialis, ſive nationalis concilii celebratione ſita proſpiciebam: huc vires, huc animum applicui, rem viribus majorem aggreſſus. At qui operatus eſt cæteris confratribus toto chriſtiano Orbe diffuſis, operatus eſt & mihi inter gentes; nulla paſtoralis officii ſolicitudo, nulla ingenioli debilitas, ſed qui mutat tempora, & mores, quique incrementum dat Deus, tantæ molis negotium ad optatum finem perduxit. Tuis auſpiciis, Beatiſſime Pater, exultans Albana natio poſt diuturnam ſeculorum revolutionem evigilat, & quæ veluti oblivioſa quadam diu jacuit involuta caligine, ſub Albano Pontifice in lucem egreſſa ad aram priſtinæ felicitatis curſum lætabunda accelerat. Hanc patriæ felicitatem dum Patris mens toto major Orbe, divina potiſſimum charitate gravida auguratur, veluti in exultantis cordis gratulationes, Albanæ nationis munera, nationalis nempe, ſive provincialis ſynodi decreta ad Apoſtolicum thronum, ad cœleſtis cathedram ſapientiæ accedunt, ut ſi forte quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, tua ſententia corrigatur. Ego enim ſi quid cum Albanis Patribus erravi, Petri magiſterium corrigendus libenter adeo, nec opprobrium vereor retractationis. Nihil nanque proficiunt lucubrationes noſtræ, nullius ſunt ponderis decreta, niſi Petræ ſtabilitati innitantur, ac veluti ad lydium probata lapidem, infallibili auctoritatis tuæ Oraculo comprobentur. Excipe igitur, Beatiſſime Pater, Albanæ nationis meæ, imo tuæ potius vota, ſubmiſſionis obſequia, lætitiæ argumenta. Quæ puncto, quæ lima digna ſint, ex immaculata Sacratiſſimi judicii cenſura decerne: parva quippe munuſcula, noſtræ haud diſſona paupertati, ex certiſſimo divini conſilii Tui calculo in maxima coaleſcent. Interim ego, cum cæteris confratribus meis, & Albano populo univerſo, communibus votis Deum deprecor, ut Te Albanum Pontificem Maximum diu eccleſiæ, nobiſque incolumem ſervet, ac felicibus ſemper foecundet, & provehat incrementis. Datum Peraſti die X. Julii anno Domini MDCCIII.

Thren. 1. 1.

Thren. 2. 4.

2. Reg. 1. 21.

Thren. 2. 8.

Thren. 10.

Ad Gal. 2. 8.

Dan. 2. 28.

1. Cor. 3. 7.

Aug.

Petrus Dam. de act. Mediol.

ANNO CHRISTI 1703.

LITTERÆ

ANNO CHRISTI 1703

Indictionis concilii Provincialis, sive nationalis.

Vincentius Zmajevick, Dei, & Apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Antibarensis, Dioclensis, totius Regni Serviæ primas, visitator apostolicus Albaniæ reverendissimis fratribus, archiepiscopis, episcopis, & universo clero Serviæ, & Albaniæ salutem in eo, qui est vera salus.

TErtius jam mensis evolvitur, ex quo Apostolicæ onus visitationis humeris nostris, licet imparibus impositum, obeuntes, per Castella, per vicos, per rura, per agrum Dominicum peregrinantes incedimus. In ipsa vineæ Domini visitatione attento huc usque inspeximus examine, an floruisset electa, quam manus Dei plantavit, an positi Custodes in vineis, vineam Domini custodissent, ne converteretur in pravum. Corruptam, proh dolor! Deploramus confusam, in amaritudinem conversam, in desertum positam, vepribus, spinis, & tribulis coopertam, non uvas, sed labruscas producentem. Conculcavit illam quidem per filios diffidentiæ antiquus ille Deo pariter, & humano generi inimicus homo, qui in agri Dominici ubertatem sæviissimis actus invidentiæ stimulis, dum bona semina depravat, annosas quoque vineæ plantationes evellere, christianæ vitis genimina corrumpere non desinit. Quid fratres in tanta rerum perturbatione faciendum? An deplorandæ sterilitati tempus terendum, vel adhibendæ fertilitati insudandum? Absit, ut segnes Agricolas desidiæ torpor emolliat, quinimmo vinearum cultores Divinus zeli ardor succedant. Ad culturam ergo, quam visitamus, vineæ accedamus, tempestivæ animadversionis sarculo subdolescentes veprium fibras præcidamus, ne si diutius negligantur, fixis alte radicibus extirpationem desperemus. Conciliorum celebrationi, non nostræ peregrinationis labori hic fructus, merces, beneficium reservatur, ut nutantibus sacris legibus, ritibus, fidei, pietati, religioni per plures operarios plura adminicula irrogentur, Dominica fata, quæ in mortem reclinantur, ad vitam revocentur, eademque desolata vinea ad frugem uberrimæ fertilitatis adducatur; immorandum non est in tanti ponderis negotio, mature tot malis occurrendum, ne tabes pestifera in majores dilatetur propagines. Qua propter inspirante Deo mitiora Turcis consilia, & felicissimis sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ XI. auspiciis, Divina favente clementia, ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, ad Fidei conservationem, & propagationem, ad insolescentes mores, & suppullulantes excessus comprimendos, in ipsa sede infidelitatis fidei Thronum erigamus, Provinciale, sive nationale in tanta curarum nostrarum mole Albanum Concilium sub Albano pontifice Albani Patres celebremus. Felicitatis omen habemus; omnis ergo periculosa mora longe abigatur; nulla formido, nullus timor, ac tremor a tanto negotio cunctantes deterreat; Divina res agitur; Deus ipse, qui nobis hæc otia fecit, qui ex superabundanti infinitæ miserationis thesauro nostræ liberæ visitationi supra spem omnem dedit esse, dabit etiam tam sancto opere & perficere. Vos itaque Reverendissimos Fratres Archiepiscopos invitamus, episcopos nostros suffraganeos, cæterosque vinearum custodes præcipientes monemus, ut ad præfatam provincialem, sive Nationalem synodum, quam (favente Deo) in ecclesia sancti Joannis Baptistæ de Merchigne Alexiensis diœcesis Dominica secunda post Epiphaniam celebraturi nunc primo denunciamus, & indicimus, sub divini obtestatione judicii, omni prorogatione rejecta, omni secluso excusationis (nisi qui legitimus fuerit, & per ipsum Concilium approbandus) prætextu, die præstituta nobiscum accedatis, conjunctis animis, communibusque studiis, spiritu Sancto auctore, & Duce, vineæ Domini elaboraturi ubertatem. Illud tamen potissimum rogamus omnes, ac præcipimus in Domino, ut si quid animadversione, & censura dignum nostræ visitationis diligentiam effugerit, vel imposterum eludet, diligenti inquiratis examine, Concilio nostro exhibituri. In quorum fidem, & testimonium præsentes litteras manu propria subscriptas, sigillo nostro muniri jussimus. Datum Corbini die secunda Decembris 1702.

Cant. 6. 10.

Cant. 1. 5.

Isaiæ 5. 4.

Vincentius Archiepiscopus Antibarensis.

Fr. Raymundus Gallani S. T. P. Ord. Præd. a secretis.

ANNO CHRISTI 1703.

VINCENTII ZMAJEVICH

Archiepiscopi Antibarensis visitatoris Apostolici

ANNO CHRISTI 1703.

Ad Synodum cohortatio.

TAndem aliquando Reverendissimi Fratres post diuturnam sæculorum expectationem aperti sunt cæli ut pluerent, & terra germinavit lætitiam, jucunditatem, & exultationem. In ipsa Babylonicæ captivitatis servitute visitavit nos oriens ex alto, qui mutat corda Principum, & producit in lucem umbram mortis; Divinæ quippe misérationis consilio factum est, ut non amplius dispersos, timidosque inviserem, sed subbita dexteræ excelsæ mutatione in unum collectos, veluti terribilem castrorum aciem ordinatam, inimicos nostros cornu ventilaturos, lætabundi cordis exultatione alloquerer. Sæpe nimirum ubi magis ex humana ratione diffiditur, illuc propensius superna clementia subvenitur, & ubi solatium desperavimus humanum, divinum cernimus adesse præsidium. Jucundissimum quidem, & omnium votis expetendum, confessum, dum hodierna dies aperit, pastoralis officii libertatem, & omnibus salutarem liberæ jurisdictionis nobis elaborat foelicitatem: Adeste igitur charissimi Fratres, nec volentis, aut currentis, sed miserentis Dei dona omnes solicita proseqnentes cooperatione hæc cogitemus, hæc moliamur, ut Divino Spiritu duce labentem ecclesiæ nostræ statum pro viribus in integrum restituamus. Aperta Provinciarum vulnera medicorum expetunt medelam, & qui per male sanas curationes in mortem reclinati langueſcunt, vitæ subsidium nostris auxiliis non desperant. Tumentis oceani procella, & frementis Inferni tempestas valida nostris finibus incumbit, adeo ut electi quoque in errorem videantur induci: multi naufragarunt a fide, humanæ adinventionis absorti vorticibus, plures iisdem undis jactati, iisdem fluctibus agitati naufragium timent, omnes in vitæ discrimine constituti protendunt ad nos manus inter singultus, & lachrimas, opem nostram implorantes. Eruamus eos qui trahuntur ad mortem, & qui ducuntur ad interitum, liberare non cessemus, naviculam ipsam vi procellarum debilitatam, & afflictatam reficientes, ad optatissimum salutis portum reducamus. Deserta jacet sanctificatio, prophanata Altaria, Sacerdotes Ministri Dei, animarum pastores traditi in opprobrium, & indignationem furoris Domini, non tam temporis injuria, quam nostra omnium culpa, dum ab illa celsitudinis suæ ratione degenerant, a nobis expetunt restaurandæ dignitatis beneficium. Ascendamus ergo mundare sacra, & renovare, eademque pastorali vigilantia soliciti, quod periit requiramus, quod abjectum est reducamus, quod contrafactum est alligemus, quod infirmum est consolidemus, quod pingue, & forte, custodiamus. Huc spectat hic Ordinis ecclesiastici congressus, miserentis Dei benignitate saluberrimus, vestra sapientia, charitate, & præsentia optatissimus, loci, & temporis qualitate pene dixerim insperatus. Hoc tempore acceptabili a sæculis inaudito, hoc die salutis, quem fecit Dominus in terra nostra, nostrorum, Fratres, obliti, aliena appetamus; hic omnis spiritualis Præfecturæ finis est, ait Nazianzenus, ut propria utilitate neglecta aliorum commodis inserviamus. Exultemus ergo dilectissimi, & sanctificationem nostram desertam ad aliorum ædificationem lætantes in Domino sanctificemus. Omnibus debitores viam salutis aperire, Fidei regulas tradere, collapsam morum disciplinam restituere, non quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi, quærere aggrediamur, quod verbo docemus, opere complentes, exemplo perficientes. Exigit hoc pastoralis ratio officii. Postulat miserenda Provinciarum facies. Expectat Clemens pontifex Maximus, sub cujus felicissimis auspiciis, hæc felicitatis nostræ semel nata exordia, nova in dies luce clarescent, validioribus vegetanda incrementis. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, ut quem singulari Dei beneficio provincia nostra filium quondam suspicere gaudebat, uberiori modo beneficentiæ genere Divina indulgente clementia ad spem majorem erecta, Patrem venerari lætabunda gloriatur. Paternæ zelo expectationis nostræ servitutis obsequia respondeant. Date quæso ex Albanæ patriæ peregrinatione proficiscenti, quos Albano Patri per synodicas constitutiones, velut in primitiales jubilantis cordis applausus, pastoralis solicitudinis fructus uberrimos deferre possim. Dum tempus est operemur bonum; dum locus datur respirandi, nostris aliorumque malis medeamur. Conjunctissimis animis hoc sentiamus, hæc loquamur, hæc agamus omnes, ut ager Dominicus nostris curis creditus, vepribus, & spinis expurgatus, germinet herbam virentem, æternæ vitæ fructibus fœcundam. Quoniam vero sufficientes non sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra a Deo est, qui nos fecit ministros novi testamenti, ut in ejus lumine videamus lumen, a Patre luminum omne datum optimum, & omne donum perfectum, in locum habitationis ejus ascendentes, imploremus; dumque mens interius magnitudinem beneficii, necessitatem auxilii supplex meditatur in hanc exterius vocem supplicantis quoque linguæ erumpat oratio.

Job. 12. Psal. 76. 11. Cant. 6. 3. Psal. 43. 6. Pet. Dam. Matth. 24. 14. Prov. 24. 11. 1. Machab. 4. 36. Ezech. 34. 4. 2. Cor. 6. 2. Psal. 117. 22. Ad Gal. 6. 10. 2. Cor. 3. 5. Jacob. 1. 17.

Veni Creator Spiritus &c.

DE-

Anno Christi 1703.

DECRETA

EDITA IN PROVINCIALI SIVE NATIONALI

SYNODO ALBANA

Nos Vincentius Zmajevick Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Antibarenſis, Dioclenſis, totius regni Serviæ primas, viſitator Apoſtolicus Albaniæ de Reverendiſſimorum DD. Coepiſcoporum noſtrorum, ceterorumque, qui Albanæ ſynodo legitime interſunt conſilio, & aſſenſu, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Fidei conſervandæ propagationem, & morum reformationem, ſtatuimus, decernimus, & ſancimus.

PARS PRIMA

CAPUT I.

De profeſſione fidei.

CUM Fides Catholica, quæ in ſancta Romana Eccleſia, utpote fundata ſupra firmam æternæ veritatis petram, ſtabilis, & incorrupta ſervatur, ſit juxta Chryſoſtomum lumen animæ, oſtium vitæ, fundamentum æternæ ſalutis, cunctarum radix virtutum, & fons bonorum operum, ut propterea ſine Fide impoſſibile ſit placere Deo, hinc ab ejuſdem Fidei profeſſione merito exordiendum eſſe duximus, ut quæ maxima unitate gaudet, omnem intellectum redigens in obſequium Chriſti, eandem una oris confeſſione ad præſcriptam infra formam veneremur. Feb. 6. 10.

Ego N. firma Fide credo, & profiteor, omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo Fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, videlicet.

Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem Coeli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero; genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Coelis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt; crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas; & aſcendit in Coelum, ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, filioque procedit; qui cum Patre, & filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum: & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſeculi. Amen.

Apoſtolicas, & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis, a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto.

Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter, in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis: atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, una cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem catholica eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum, atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari, ſimiliter & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

ANNO CHRISTI 1703.

Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem, a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam catholicam, & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco: Romanoque pontifici beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, juro.

Cætera item omnia a ſacris canonibus, œcumenicis conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſime Deo juvante retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit, curaturum.

Ego Idem N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

Hanc autem fidei profeſſionem, quam nos & coepiſcopi noſtri, dum in ipſa celebratione ſacrorum verſaremur, jurati præſtitimus, reliquis impoſterum conciliis in ſingulis dioeceſibus celebrandis, ab illis præſertim, quibus alios docendi munus injungitur, ad verbum ſequendam injungimus.

CAPUT II.

De Apoſtatis.

Rom. 10. Non ſolum corde creditur ad juſtitiam, ſed ore etiam confeſſio fit ad ſalutem. Viſibilis ſiquidem Chriſti eccleſia cum civitate Hieruſalem ab Iſaia comparata, monarchiæ titulo a Daniele cohoneſtata, ſupra montium vertice a Domino collocata, juxta Auguſtinum abſcondi non poteſt, nec Chriſti fideles tantum Fide, & internis chariſmatibus, ſed confeſſione fidei, & externa, ac viſibili Sacramentorum participatione membra eccleſiæ conſtituuntur. Hinc a veritate, & religione aberrant, qui vel metu poenæ, vel temporalium bonorum allecti cupiditate, ut immunes fiant tributi Cæſaris, denegant etiam quæ ſunt Dei: poſtquam enim naufragarunt a Fide, & coram Turcarum Judice ſiſtentes religionem catholicam, Deumque ipſum ſolemni ſacrilego ritu ejurarunt, publice Turcarum more ſe gerunt, & alii quidem Moſcheas, ut vocant, more patrio frequentant, cæteriſque ritibus Mahometicæ ſectæ inhærentes, alii vero Turcica templa declinantes, ab eſu carnium ſacro tempore jejunii non ſe abſtinent, urgente illos infidelium præſentia, utrique porro in abſcondito tantum facta abjuratione, coram fidelibus, ſecreta ſacramentorum participatione fruuntur, publice vero Turcarum more victitant, & Turcicam ſectam profitentur.

ANNO CHRISTI 1703.

Eccleſiaſticorum hominum inſcitia tales pullularunt zizaniæ in vinea Domini, quam ne vulpeculæ parvulæ demoliantur, & ſingularis Ferus ſuccreſcentem ſegetem depaſcatur, quibus cura animarum incumbit, ſerio injungimus, ne impoſterum tales Apoſtatas ad ſacramentorum participationem recipiant, niſi facta prius abjuratione, publice ſe more chriſtianorum gerant. Cant. 2. 15. Pſal. 72. 14.

Diſcant, omnes præſertim Parochi, hanc catholicæ fidei regulam, quam ſacrarum ſcripturarum oracula, patrumque orthodoxorum teſtimonia, & Romanæ ſedis infallibilis auctoritas, vel ab ipſis eccleſiæ incunabulis confirmant. Archiepiſcopos, & epiſcopos omnes ſub Divini judicii indignatione in Domino hortamur, ut totis viribus in hanc curam incumbentes, greges ſibi commiſſos ab hoc graviſſimo morbo vindicent, ſerioque animadvertant in Parochos, qui talem deteſtabilem licentiam dandi ſacrum canibus, & projiciendi margaritas ante porcos, nova, ac inſolita execrandæ conſuetudinis methodo in cæterorum Chriſti fidelium perniciem exercent. Matt. 15. 26. Matt. 7. 6

Patres quoque Miſſionarii Montana Albaniæ incolentes, quo præcipue nefanda peſtis irrepſit, curam omnem, & diligentiam ſedulo adhibeant, ut tanta lues, chriſtianum gregem corrumpens, longe abigatur, & novæ monſtrum hæreſeos Divinæ veritatis gladio eorum præſertim opera juguletur.

CAPUT III.

De Chriſti fidelibus, qui licet Fidem non ejurarunt, publice tamen Mahometicam ſectam, & ſecreto chriſtianam religionem profitentur.

In militanti Chriſti eccleſia nulla debet eſſe macula criminis, nulla ruga ſimulationis, utpote quæ deſcendit a Deo parata, ſicut ſponſa ornata viro ſuo, circumamicta monilibus aureis, & gemmis pretioſis. Hæc porro eccleſiæ ornamenta ſunt virtutes credentium, qui in viſibili Chriſti corpore tanquam partes, & membra per viſibilia externa munera componuntur. Et quorum ſana fides, qua juſtus vivit, & per quam præcipue quis fidelis conſtituitur, integra, & inviolata per externam profeſſionem, quolibet ſimulationis, ſeu fictionis ſemoto velamine, ſervari debet, ne deficiens in uno factus ſit omnium reus; in hoc præſertim incumbendum eſt, velis, remiſque ſatagendum, ut ne dum præfati Apoſtatæ ſacramentorum participatione careant, donec reſipiſcant, ſed etiam illi, qui licet turcico ſolemni ritu fidem non ejurarunt, fingunt tamen, ſe a chriſtiana religione defeciſſe, adeoque in Turcarum conſortio turcico more vitam degunt, dies jejunio ſacros eſu carnium profanant, & Mahometanis nominibus vocitantur, in congregatione tamen fidelium chriſtianos mores induunt, & officia peragunt chriſtianorum. Deficientes quidem Apoc. 21. 2.

dem in publica, & externa fidei profeſſione, merito ab externa, & viſibili ſacramentorum communione excludi debent, donec ad meliorem frugem redeant, & fidem Chriſti publice profiteantur, quoties feret occaſio. Hæc fidei documenta divina veritate innituntur, affirmante ipſomet Chriſto Domino: omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt; & qui negaverit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt. Hinc Auguſtinus in Joa. tract. 36. Quanta vita eſt confiteri Chriſtum, tanta mors eſt negare Chriſtum. Omnibus igitur archiepiſcopis, & epiſcopis noſtris totis in Chriſto viſceribus commendamus, ut in ſecuri, & aſcia radicitus excidendas curent arbores, quæ in montem Domini incumbunt, & in loca tutiſſima ſilvæ Libani umbratiles ramos venefico virore imbutos protendunt.

CAPUT IV.

Per quid dignoſci debent fideles ab infidelibus.

Ut autem impoſterum paſtores animarum cautius agant, cum impoſſibile ſit, Deo, & Baali famulatum præſtare, in Chriſti fidelibus nihil non ſanctum, ac religioſum, veræque fidei proteſtativum tollerare debent. Deo igitur ſoli, cui ſervire, regnare eſt, per externam, & publicam fidei confeſſionem ſit devotus fidelis, adeout nihil mahometicæ ſectæ proteſtativum contempletur. In hoc cognoſcant omnes, quod fideles ſint, & de myſtico Chriſti corpore partes, & membra, ſi externis fidei caracteribus fuerint ſignata. Tanta eſt enim hujus fidei regulæ apud ſcripturas, Patres Orthodoxos, atque univerſalis eccleſiæ conſenſum, vis, & auctoritas, ut quicumque in hoc unico ſigno deficit, ab eccleſia ſe divellat, fiatque infidelis, & infideli deterior. Poteſt quidem a privata perſona, quæ omni caret auctoritate, de fidei ſuæ ratione tradenda interrogatus, tacere, & interrogantem ſilentio, aliove licito prætextu eludere; at vero nulla ei ratio ſuffragatur, quo minus ſciſcitanti Judici publica auctoritate ſuffulto tacere, aut ambigue tergiverſari queat; ſed aperta fidei confeſſione, inſtante quoque vitæ periculo, reſpondere debet. Huic negotio omnium graviſſimo, ex quo æterna animæ pernicies pendet, ſedulam navent operam paſtores, ut ſegregando triticum a zizania, fideles in duas partes claudicare, & duobus Dominis ſervire amplius non audeant, nec præſumant. Serpit enim latius in diem lethalis morbus, & viroſa propago ad infinita porrigetur, niſi evangelica paſtorum falce, quod male pullulat, amputetur.

CAPUT V.

De fidei rudimentis.

Specioſa Chriſti germina a poteſtate tenebrarum eruta, & in vinea Domini tranſlata, deficiente Agricolarum diligentia, ſtudio, ac labore, & ingruente herboſa vitiorum colluvie facili ratione in ſilveſtres arbores nullis æternæ vitæ fructibus foecundas degenerant. Prona ſiquidem adoleſcentium ætas ad malum, facili quadam recti ſpecie cito deluditur, ſi cæca rerum divinarum ignorantia obruitur. Ideo parochis omnibus invigilandum eſt, ſerioque curandum, ut chriſtianorum proles in viam mandatorum Domini dirigatur, & a teneris uſque annis in materno eccleſiæ gremio ſub exuberantibus doctrinæ uberibus confoveatur. Quapropter ſingulis Dominicis, aliiſque feſtis diebus pueros in ſuis Parochiis pro ſuo, eorumque modulo, ante, vel poſt Miſſarum ſolemnia pro majori fructu, & commoditate, fidei rudimenta, obedientiam Deo, & parentibus, ac chriſtianam morum honeſtatem edoceant. Et ne animarum curatores prætextu ignorantiæ de fidei myſteriis a neceſſitate officii eximantur, ſaltem Dominicam orationem, Angelicam ſalutationem, apoſtolorum ſymbolum, nec non Decalogi, eccleſiæque præcepta, (ad quorum omnium ſcientiam provecti ad diſcretæ cognitionis ætatem ſub mortali obligantur peccato) pueris tradant, & alta voce in eadem eccleſia chriſtianam plebem erudiant, iiſdemque documentis informent, ſacræ congregationis de Propaganda fide charitatis viſcera quam primum experturi in libellis chriſtianæ doctrinæ Bellarmini, Albano idiomate, quibus propriæ, & fidelium neceſſitati providere poſſint.

Quoniam vero ingraveſcente Turcarum impietate invaluit, proh dolor! Abominatio deſolationis in loco ſancto Templorum Domini, quæ vetuſtate collapſa, & ruinis obruta nequeunt præ timore ædificari, ideoque Parochi parochialibus carent eccleſiis, in quibus, & ſacra facere, & chriſtianam plebem erudire poſſint. His nihilominus omnino præcipimus, nullo ſuffragante prætextu, ut ubi parochialia ſacra feſtis diebus obierint, vel ſub die, vel in privata domo, ibi quoque præfatis muneribus perfungantur.

Ut autem in hac pietatis ſemita pueri præſertim inſtructi ad ſalutare opus magis, magiſque in dies utilibus monitis inflammentur, confeſſariorum munus ſit, parentes hortari, ne deſides, & ſocordes ad præfata exercitia filios mittere negligant, juſtiſſimo Dei judicio æternis cruciatibus rationem negligentiæ reddituri. In hanc ergo curam toto pectore incumbant parochi, ut ſegnes in via juſtitiæ excitentur, & ſaluberrima chriſtianæ religionis rudimenta percipiant. Quod ſi quis ex parochis ipſis eodem animi languore laboraret, arbitrio ordinarii puniatur.

CAPUT VI.

De Verbi Dei Prædicatione.

Præſtantiſſimum docendi munus ſaluberrima verbi Dei prædicatione fulcitur. In hoc crediti nobis gregis ſecuritas, & noſtri juris præcipua fundatur auctoritas. Paſtores etenim in paſcuis uberrimis ſanæ doctrinæ, & montibus excelſis Romanæ eccleſiæ, æternæ vitæ pabulo oves paſcere, ab ho-

ANNO CHRISTI 1703.

hostium impetu, a facie tribulantis, Divini verbi gladio tueri debent, ut in velamento alarum Domini christianus grex constitutus in odorem quoque unguentorum Domini inoffenso pede percurrat, & tanquam Divinæ plantationis oliva, aqua sapientiæ irrigata in exuberantium germinum pullulet propagines. Omnes igitur archiepiscopos, & episcopos enixe in Domino hortamur, ut muneris sui onus agnoscentes, omnem laborem, studium, & solicitudinem in eo adhibeant, ut populus gemens, & quærens panem, inveniat cibum ad refocillandam animam. Pascant ergo fame morientem, quod si non paverint, occiderunt. Quicumque vero levi de causa munus hoc obire neglexerit, sciat sibi prætermissi necessarii officii Divinæ justitiæ rationem esse reddendam.

Pfal. 26. 8. Cant. 1. 3. Eccl. 30. 11. Jer. Thr. 4.

Parochis quoque omnibus, & illis præsertim, quibus sanctæ Sedis pietas in Apostolicis Collegiis, alumnorum numero adscriptis, virtutum semina, & incrementa ad Fidem propagandam contulit, præcipimus, & mandamus, ut solemnioribus, & festivis diebus oves sibi demandatas, pro sua earumque capacitate spiritualibus monitis pascant, vitia declinanda, virtutes amplectendas, æternos cruciatus malis, sempiterna gaudia bonis præstolanda doceant; graviter ordinarii arbitratu puniendi, qui prætermittant munus, ad quod peragendum pro temporum exigentia, qualitate, & necessitate idonei reperiuntur.

Omnes porro animarum Pastores in Divini Verbi prædicatione illud potissimum præ oculis habeant, ut apostatarum impietas, claudicantium vesana formido, & certa pernicies, ac in sola catholica religione æternæ salutis securitas ab omnibus agnoscatur. Clament ergo, & non cessent Pastores, & quasi tuba exaltent vocem suam annunciando populo scelera eorum, qui dereliquerunt legem Domini Dei sui, & abjerunt post concupiscentias carnis, nefandi Mahometici Idoli cultibus mancipati. Excitet segnes divina indignatio, quam vox Domini per Ezechielem speculatoris figura comminatur: quod si speculator viderit gladium venientem, & non intonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.

Isai. 58. 1. Ezech. 33. 6.

CAPUT VII.

De festorum observantia.

Dies divina festivitate venerabiles ad celebrandas Dei, sanctorumque laudes potissimum instituti, sunt pie, ac religiose transigendi, non in commessationibus & ebrietatibus, quibus nomen domini profanatur, sed in orationibus, hymnis, psalmis & canticis spiritualibus, quibus sabbatum sanctificatur.

Lev. 23.

Romanæ quoque ecclesiæ ritui in festorum observantia catholici nostri inhærere debent, statuta solemnia statutis Romano more temporibus peragentes. Aberrant enim fideles montana incolentes, qui nonnullas sanctorum solemnitates calendarii Gregoriani relicta methodo, tantùm græcorum more, & Calendario concelebrant: ne de impietate arguantur, qui antiquam sequuntur calculationem. Cum autem Deus optimus, qui maxima unitate gaudet, uno eodemque die a Christi militibus, qui romanæ militiæ vexilla sequuntur, speciali obsequio, ac devotione ad sui, sanctorumque honorem sit colendus, ut sic ambulent omnes cum consensu universalis ecclesiæ in domo Dei, ideo omnibus, qui animarum saluti incumbunt, ex consensu fratrum nostrorum injungimus, ut pravam hujuscemodi consuetudinariam praxim, quæ ex schismaticorum commercio & familiaritate irrepsit, prudentibus monitis, ac salutaribus præceptis tollendam curent, Romanosque ritus in Festorum celebratione ad unguem satagant exequendos.

Pfal. 54. 15.

Et ne ignorantiæ prætextus alicui concedat peccandi licentiam, parochus quolibet Dominico die imminentia Festa subsequentis hebdomadæ inter missarum solemnia populo annunciet, ut præter uniuscujusque Dioecesis statutum, ac devotionem, veneranda solemnia, quæ salutem nobis augent, juxta ritum sanctæ Romanæ ecclesiæ in Servia, & Albania congruis honoribus, & statutis temporibus celebrentur.

Quoniam vero in messi multa operarii pauci nequeunt in omni spirituali exultatione, & abundamià metere; nec omnibus Christi fidelibus longe inter se dissita loca, sub uno eodemque parocho incolentibus, datum est præ locorum distantia missæ sacrificio festis diebus adesse; ne ex solemnitatum ignoratione, & festorum profanatione deficiat germen in vineis, & ramus olivæ fructiferæ in domo domini, futuris necessitatibus pro modulo nostro providentes, parochis indicimus, ut saltem distantium locorum Dynastas, quibus curæ erit reliquum admonere populum, de incidentibus infra hebdomadam festis diebus, ac jejuniis, per nuncium (cum frequens in dies occurrat occasio) certiorent.

Luc. 10.

Omnes demum animarum pastores vigilem impendant operam, ut divinus honor refloreat in terris; & debaccantium scelerum multitudine repressa, furor Domini cervicibus nostris imminens per festorum sanctificationem avertatur, totaque appareat Divino cultui addictis cæli serenitas innovata.

CAPUT VIII.

De sacris jejuniis, eorumque observantia.

Ad jejuniorum observantiam ea, qua par est devotione, humana convertatur solicitudo; hic armorum delectus, hic victoriæ stat certa promissio, nihil enim efficacius ad rugientis Leonis sævitiam retundendam, nihil certè ad rebellantis carnis compescendam petulantiam utilius potuit institui, quoniam hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio, quo dum corpus

Matth. 17. 20.

pus atteritur, anima cælestis gratiæ pinguedine saginatur.

Ut igitur per abstinentiam carnis Christi mors, & sepultura ex ecclesiastica institutione recolatur, deiparæque Virgini debitus honor impendatur, qualibet sexta feria, & Sabbato ab esu carnium fideles omnes penitus abstineant; hæreticæ pravitatis suspicione notandi inobedientes sine necessitate præcepto, in his potissimum regionibus, in quibus fidelis ab infideli, catholicus a schismatico, præfata ab esu carnium differentia discernitur.

In quatuor vero anni tempora discreta jejunia, quæ duodecim dierum circulo absoluta, veluti duodenariæ mensium primitiæ quoque vigiliarum abstinentiæ, quibus sacra prævenimus solemnia, ne dum a carnis, sed etiam a comestionis lacticiniorum temperantia celebrentur, de instantibus jejuniis, ut in superiori capitulo de festis dictum est, fidelibus Parochorum cura, ac vigilantia prænonitis.

Et ut adamussim ecclesiastica jejuniorum veneretur observantia, nihilque Romanæ dissonum consuetudini reperiatur præliminaria ante dies cinerum feria tertia S. Matthiæ Apostoli incidentibus vigiliis, debaccantis naturæ, & rethoticantis gulæ consilio festivitatis ratio prævaleat, eademque Baccanalium ultima dies, sacro vigiliarum mancipata jeiunio, sanctificetur.

Unica porro comestione ab omnibus, qui vigesimum primum ætatis annum compleverint, celebrentur jejunia cum discreta refectione, seu collatione, quam modo tolerat ecclesia. Illis vero, quos vel ætas incurvat, vel morbus extenuat, ut possint, ac instante vitæ periculo debeant ab illis eximi obligationibus, humanæ compatiens infirmitati, ecclesia pia mater indulsit.

CAPUT IX.

De Quadragesimali Jejunio.

QUadragesimale jejunium non tamen ecclesiastica constitutione inchoatum; quam divina Christi Domini conversatione, & exemplo consecratum, sub districtioris censura rigoris, ne sub spinoso capite membrum sit delicatum, observandum est. Tempus enim acceptabile, diesque salutis incessabili devotione, austeriori abstinentiæ disciplina, & anniversaria sunt celebratione recolenda. Hinc graviter ferenda est, quæ invaluit, quorundam opinio, qui venerabilis hujus jejunii destructores, non semper quadragesimalem abstinentiam esse servandam dogmatizant: dicunt namque septem tantum annis quadragesimali jejunio adstrictos esse, tali deinceps jejunandi lege solutos. Et hi quidem, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, abjerunt post concupiscentias suas, & in humanæ vitæ militia, dum finem quodammodo nituntur prospicere, cæci fiunt, & duces cæcorum. Ne igitur a sua dignitate sacra jejuniorum observantia corruat, fideliumque corda ad laxioris vitæ rationem erroneis alliciantur consiliis, quicumque dixerit hominem non teneri ad quadragesimale jejunium, aridioribus tantum cibis celebrandum, nisi solo septem annorum circulo, tanquam ecclesiasticarum legum prævaricator, anathemate puniatur.

ANNO CHRISTI 1703.

CAPUT X.

De juramento falso.

Inter regnantium hac tempestate scelerum multitudinem, mendacia quoque, & perjuria inundaverunt, & faciem terræ nostræ tot calamitatum fluctibus, quibus pene obruimur, merito operuerunt. Etenim facili quodam sacrilego ritu falsa frequentantes juramenta, nomenque Domini, qui in veritate vivit, falsitatis testimonio polluentes, implebuntur iniquitate, & non discedet a domo eorum plaga. Ut autem tot malis, quæ nos undique perturbant, opportuno occurramus remedio, protervam hominum licentiam a falsis juramentis, maxime in judicialibus, compescendo, pastores monemus, & hortamur, ut execrandi auctores facinoris comminatione divini judicii, & Sacramentalis Confessionis privatione deterreant. Ose. 4. 3. Jer 4. 2. Eccl. 23. Conc. Burde cap. 7.

Illa quoque omni prorsus execratione damnanda est incerti juramenti pernicioſa consuetudo, qua fideles, nulla habita certitudine de hominis innocentia, ipsam juramento comprobant, suspecti hominis indemnitati prospicientes. Etenim cum nomen Domini invocandum sit in veritate, & in spiritu, ac omnimoda certitudine adorandum, quicunque hujuscemodi incertitudine jusjurandum violaverit, judici Deo, qui accidit pro galea judicium certum, merito est rationem redditurus. Sap. 5. 19.

PARS SECUNDA

CAPUT I.

De Sacramentis.

NIhil nobilius, nihil pretiosus, nihilque ad æternam salutem consequendam magis necessarium habet ecclesia, quam a Christo Domino septem instituta Sacramenta, in quibus infinito Divinæ bonitatis eluceſcente thesauro, divitiis magnis, & opibus nimis humana ditatur paupertas. Isti sunt septem fontes Salvatoris, ex quibus aquæ Divinæ gratiæ salientes in vitam æternam cum gaudio hauriuntur. Aperta misericordiarum Dei nostri viscera, in quibus visitavit nos oriens ex alto, patent potissimum in Sacra mentis, per quæ vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. Hinc tantis irradiata gloriæ splendoribus ecclesia, Christi sponsa, veluti auror. coruscat, & septem munita Sacramentorum signaculis in Erebi perniciem, & ruinam procedit terribilis ut castrorum acies ordinata. Reg. 17. 25. Dan. 11. 2. Conc. Trid. den. ses. 4.

Cum autem æquum sit, ut sancta a sanctis tractentur, & divinorum mysteriorum præstantiæ dispensatorum quoque dignitas respondeat, sacrosancta tractaturi Sacramen-

ANNO CHRISTI 1703.

menta, exhibeant se, sicut Dei ministros in omni justitia, & sanctitate, in ædificationem corporis Christi, ne vituperetur ministerium nostrum. Præscriptas a Rituali Romano in Sacramentorum administratione ceremonias summa cum animi attentione, ac religione, nihil addentes, aut dementes, adamussim observent.

2. Cor. 64. Eph. 4. 16.

CAPUT II.

De Baptismo.

Ut autem de singulis agamus, omnium primus occurrit, Sacramentorum janua, Baptismus. Hic plane est fons ille vitæ de domo Dei egrediens, irrigans universam superficiem terræ, a peccatorum sordibus emundans. Istæ sunt aquæ mundæ, quibus Spiritus Domini adhuc incumbens, mortua germina vitali divinæ gratiæ virore fœcundat, & filios iræ in adoptionem filiorum Dei evocat. Hic stat captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, & indelebile, currus ad Coelum, deliciæ Paradisi, Regni cælestis conciliatio, & charisma adoptionis filiorum. Divina enim dilectio secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

Joel. 3. 28. Gen. 2. Ad Trid. 3. Ciril. Jerosol. in Cathec. Ad Tit. 3.

Exigit quidem tot mysteriorum præstantissima ratio, ut in solemni Baptismatis administratione, in illud potissimum curam omnem intendamus, ne parochorum incuria, vel defectu, virtus, & efficacia Sacramento deficiat. Propterea cum in trina ablutione, semel tantum sit proferenda forma Baptismatis, illis verbis: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; diligenter attendant Pastores, ut hæc formula immutabili servetur decreto, graviter animadvertentes in parochos, qui singulis ablutionibus integram addunt formæ prolationem.

Cum autem æquum sit, ut in Matris gremio, Filii Patris, qui in Cælis est per lavacrum regenerationis efficiantur, & in loco sacro sacra peragantur mysteria, consuetudinariæ providentes indulgentiæ, præcipimus, & mandamus, ut deinceps baptismatis Sacramentum lustralibus aquis ex sacro fonte haustis, in loco sancto parochialis ecclesiæ conferatur, dummodo urgens necessitas, vel temporis injuria sacræ dirutæ ædes, aliud non suaserint.

Hinc omni conatu reiiciendus est abusus, quem Montani nostri inveteratæ consuetudinis titulo cohonestant, & legis vigore falso corroborant. Communis quippe mos invaluit, ut infantes inter domesticos parietes sola aquæ ablutione, servata quoque forma Sacramenti baptizent parochi; indies, menses, & annos, sacras protrahentes ceremonias patrinorum commoditati indulgentes. Hinc quoque graviissimus error irrepsit, quod cum patrini nudis tantum adsint ceremoniis, in illis solummodo spirituales cognationem popularis reponat insciitia. Nullam cum his contrahi spiritualem cognationem nisi vere susceptores in baptismo existant. Omnibus igitur provinciæ nostræ, cæterisque Albaniæ parochis, nec non patribus Missionariis præcipimus, ut tali omnino abjecta consuetudine, ceremonialis disciplinæ modum ab ecclesia traditum, illibatum conservantes, salutiferi laticis ablutione, statutis ritibus in conspectu ecclesiæ, novam Christo prolem parturiant.

Quamvis vero baptizandis munus ad parochum solum pertineat, instante tamen vitæ discrimine, omnibus, & in quolibet loco demandatur. Schismaticorum quippe pernicioſa lex est, parvulos urgente quoque necessitate, non nisi a sacerdote baptizandi; studeant pastores erroneæ pestem opinionis a Fidelium consortio eliminare, ut a Catholicis destruatur, quod antiquus hostis non desinit per Schismaticos in animarum perniciem novis adinventionibus fabricare.

Et ne impostetum sacrilega reiteratione, maxime adultis, hoc sacramentum administretur, diligenti examine inquirant parochi, an prius fuerit baptizatus, qui sacro fonte cupit initiari. Quod si nulla certitudo, sed sola adsit ambiguitas, antequam sub conditione baptizetur, in fidei rudimentis instructus, christianisque moribus informatus, Principis apostolorum præcepto pareat: præteritorum peccatorum detestationem, & ut maxime poterit, cordis contritionem habeat. Sic enim abjectis operibus tenebrarum, induet arma lucis, ut possit resistere in die malo adversus Principes, & potestates, nullo persecutionum turbine prosternendus. Curent episcopi, ut ad unguem præscripta praxis servetur, debitas parochorum negligentiæ poenas repoſcentes.

Act. 2. 38. Ad Rom. 13. 12.

Detestabilem quoque consuetudinem, infideles, vel schismaticos admittendi ad patrini munus obeundum, episcopi severioribus poenis vindicabunt.

Indissolubile porro spiritualis cognationis, quod ex baptismo oritur, vinculum, nonnisi suscipientem, & susceptum, illiusque patrem, & matrem, nec non baptizantem, & baptizatum, illiusque utrumque parentem ad invicem copulat, adeo ut in matrimonium nulla possit ratione convenire, nec spiritualis cognationis jura ad alios carnali propinquitate conjunctos, extendetur. Nemo igitur hanc catholici dogmatis regulam temeraria præsumptione transcendat, ne quos fidei unitas congregat, pravæ opinionis scissura disperdat. Schismaticorum quippe est, in supputandis gradibus caligare, & qui carnalis consanguinitatis vincula matrimonii copulatione effirmata arbitrii licentia disrumpere non desinunt, ubi nulla spiritualis cognationis jura succedunt, licita connubia rigidæ severitatis censura compescunt.

Cum nullo legitimo prætextu, cui discretionis aquiescat moderamen, inanis Parochorum fulciatur opinio, quod inter insultantium opprobria Turcarum timor, & tremor apprehendat eos, adeo ut sacrum baptismi fontem non possint in suis ecclesiis sine periculo conservare; hinc nec fontem

ser-

servandum, nec aquam statutis temporibus benedicendam, communis abusus obtinuit: quapropter archiepiscopos, & episcopos omnes monemus, & hortamur, ut parochorum incuriæ, quæ apud omnes viget, vigili studio providentes, in parochialibus ecclesiis, in quibus inoffensa solemnitate sacra peraguntur mysteria, baptismalem fontem pro majori temporum, ac locorum commoditate celeri decreto curent erigendum, & lustralis aquæ benedictionem quolibet Sabbato sancto, vel Pentecostes, solemni ritu, & devota populi frequentia statuant celebrandam.

Patribus quoque missionariis eadem cura demandatur, ut qui parochialia obeunt munera, parochialibus etiam, non eximantur officiis.

Ut autem vocationis nostræ per Baptismi lavacrum non deleatur certa memoria, & generationis conditio, annorumque nostrorum series, & numerus innotescat, ne vel sacrilega reiteratione Baptismus, vel deficiente temporum plenitudine sacra Matrimonii, & manuum impositionis per filios diffidentiæ violentur Sacramenta, cauta provisione sancivit ecclesia, ut baptizatorum nomina a parochis in statuto codice adnotentur. Quod plane cum stabili ubique servetur decreto, solum in provincia nostra summa parochorum incuria, & inexcusabili inscitia penitus negligitur. Archiepiscopi igitur, & episcopi omnes zelo justitiæ moveantur, piisque studiis insudent, ut singuli parochi librum habeant, in quo baptizati, nec non compatrum nomen, & cognomen juxta præscriptum a rituali Romano methodum, describant. Illi vero, qui miserrimorum temporum nostrorum injuria, (cui quidem prospicere, omni studido episcopi satagant) scribendi, proh dolor! inscitia laborant, viciniorem parochum adeant, & librum exhibeant, ut in illo præfata nomina alienis saltem characteribus exarentur.

Quod tandem attinet ad conferendum Baptismi Sacramentum Turcarum filiis, miramur sane rei novitate perculsi, quod Sacræ congregationis universalis Inquisitionis ad hujuscemodi Baptismi pertinentia disciplinam in bonum Provinciæ nostræ edita, ita nunc oblivioni sunt tradita, ut contraria detestabilis consuetudinis praxi omnino deleta videantur. At cum ea sit Romanarum legum puritas, nullius labe polluta, nullius contagione fœdata ut sincere cordis obsequio, & devoto obedientiæ candore ab omnibus sit colenda; divino zeli fervote concurrant pastores ad ulciscendum inobedientiæ crimen in Sacerdotibus, qui infrascripta decreta ad unguem non satagant exequenda.

DECRETUM

Anno Christi 1703.

Sacræ congregationis S. officii

Ad episcopum Sappatensem de non conferendo S. Baptisma Turcis, editum sub die 5. Maii 1641.

Abusus sacramenti baptismi, quem Turcæ pro abluendo fœtore puerorum, & pro defendendis illis a brutis nequissimè introduxerunt, quemadmodum detestabilis est, ita episcoporum munus erit, eidem prospicere, tam per animadversionem in ecclesiasticos presbyteros, quam per pastorales admonitiones eisdem Turcis, Spiritum Sanctum, qui sine ecclesiæ intentione non accipitur, non operari, ut ad ejus sublimitatem amandam, atque quærendam, per hæc saltem humana remedia perducantur.

An infans datus a Turcis, ut baptizetur, ad hoc ut liberetur a fœtore, possit ficte baptizari.

DECRETUM

sacræ congregationis.

Die 6. Septembris 1625. sacra congregatio universalis inquisitionis habita coram sanctissimo delatis litteris archiepiscopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro solutione infrascripti dubii: an cum sacerdotes coguntur a turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed corporali salute, ut liberentur a fœtore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, & a Lupis, an in tali casu possint ficte eos baptizare, adhibita Baptismi materia fine debita forma? Respondit negative, quia Baptismus est janua omnium sacramentorum, ac protestatio Fidei, nec ullo modo fingi potest.

CAPUT III.

De Confirmatione.

Baptismi Sacramento Confirmatio succedit, eo rerum ordine copulata, ut, cum Baptismate regeneremur ad vitam, Confirmatione præmuniamur ad pugnam, ibi ab iniquitatibus mundemur, hic virtutibus roboremur. Hinc fortes facti in bello, divinæ gratiæ unguento confortati, venenosum antiqui serpentis non formidamus aspectum, quia nobiscum est magnus Dominus, & magna virtus ejus, apprehendens arma, & scutum, ut exurgat in adjutorium nostrum.

Tanti porro Sacramenti ministerium, quod sola episcopalis persona suæ vindicat dignitati, tempore potissimum episcopalis visitationis, ea, qua decet, religione, non in privatis ædibus, si nulla urget necessitas, sed in parochialibus ecclesiis exercendum est, & præviis denunciationibus assignandum tempus a parocho per episcopum instructo, quo sacrum Chrisma ministrandum erit, ut populus in sanctitate, & justitia paratus Spiritus Sancti Chrismata, omni seclusa objice, percipiat. Pſal. 34. 2.

ANNO CHRISTI 1703.

Confirmandi discretæ rationis usum attingant, nec septennio minores ad Confirmationem accedant. Parochis in hoc serio invigilandum, ne quod lacteolæ fere teneritudini quandoque impenditur, sacrilega postmodum reiteratione ex ignorantia, ut fieri solet, violetur Sacramentum.

Adulti illud præveniant sacramentali confessione, vel (si necessitas aliud suadeat) corde saltèm contrito, & humiliato, ne reprehensibilis vitæ reatus effectum Sacramenti impediat. Attendant omnes, qui in animarum vigilant custodia saluberrimam praxim, quæ in universali viget ecclesia, in nostris quoque Provinciis ab oblivione vindicare, & stabili observantia venerari.

Confirmandum suscipiens debet esse confirmatus; neque permittendum est, ut Turcæ, vel Schismatici Patrini fungantur munere, quod ad solos Fideles, Fidei rudimentis imbutos, canonica pertinet ordinatione. Hæc porro, ut ubique, sic & inter nos inviolabile teneat robur auctoritatis.

Spiritualis cognatio iisdem omnino in hoc Sacramento adstringitur legibus, quas in Baptismate notavimus, adeo ut confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem, & tentum, illiusque utrunque parentem non egrediatur. In hac Catholicæ doctrinæ regula sistant omnes, solida in veritate vestigia posituri. Caveant autem pastores, ne dum ad alios quoque jura cognationis extendunt, ne erronea Schismaticorum scandalizetur infirmitas, alligare videantur onera gravia, & importabilia, digito autem suo nolunt ea movere.

Quamvis autem conscribendi nomina confirmatorum, & compatrum, parochialis sit officii, nihilominus in præsenti rerum perturbatione, & miserrima parochorum scribendi inscitia, ne frustraneis laboremus decretis, archiepiscopos, & episcopos omnes in Domino enixe hortamur, ut pro temporum necessitate, in adnotandis præfatis nominibus, ubi parochorum detestabilitas, ipsi eorum officio propria opera, pastorali consulant solicitudine, ut cauta provisione revocetur ad praxim, quod pernicioſa ignorantia intermissum est ad damnum.

Math. 23. 4.

CAPUT IV.

De Pœnitentia.

Ea est humanæ naturæ fragilitas, ut quamvis tot munita per Baptismum, & Confirmationem præsidiis, tot circumvallata divinæ gratiæ propugnaculis, prona ad malum ab adolescentia incidat adhuc in laqueum Sathanæ, & in peccati servitutem.

Gen. 8. 21.

1. Tim. 6. Deus autem, quia benignus, & misericors est, cognoscens figmentum nostrum, ex thesauris misericordiæ nova profert remedia in pœnitentiæ Sacramento, quo lapsi post Baptismum resurgimus, & rebelles filii in amplexus patris, qui sanat contritos corde, reducimur.

Quoniam vero peccata post Baptismum commissa poenitentia expiantur, quemadmodum omnes hujus Sacramenti summa premimur necessitate, quia in multis offendimus omnes; ita illi, ad quos legitima clavium ministratio pertinet, in deplorabili rerum statu, saltem competenti ministerii sui debent vigere intelligentia, ne poenitentes ad perditionem potius, quam ad salutem adducantur. Ideoque archiepiscopos omnes, & episcopos totis in Domino visceribus monemus, & hortamur, ut tempora ignorantiæ respicientes, priusquam saluberrimum confessarii munus (quod idoneis tantum conferendum est) alicui committant, pro debito, & christiana pietate, propria opera, (alio deficiente suffragio) de partibus saltem essentialibus hujus Sacramenti illum edoceant, universalibus notitiis informent.

Jacob. 3. 2.

Nemo quoque ad judicandas confessiones admittatur, nisi prius memoriæ mandaverit formulam absolutionis ex Rituali Romano, illamque sub poena privationis officii teneantur addiscere duorum mensium spatio post publicationem hujus Concilii in dioecesana synodo, qui confessarii munere funguntur. Pastores non desinant miserrimæ providere calamitati, debitas desidiæ poenas a Confessariis repetentes.

Quia vero summa rerum divinarum ignorantia confitendi modum, & examinandæ conscientiæ rationem rudi populo denegat, confessariis præcipimus, ut de singulis divinæ legis, & ecclesiæ præceptis, nec non capitalibus vitiis confitentes interrogent, eorum necessitati proprii moduli ratione consulentes.

Homo quidem Baptismi lavacro semel mundatus, postquam discretæ rationis usum ingressus fuerit, & voluntarii peccati labe inquinatus, sola (cum alia non detur post Baptismum pro peccatis hostia) mundatur poenitentia. Quoniam vero discretionis metas assecuti, si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, ideo statim post acceptam veritatis notitiam poenitentiæ Sacramento omnes adstringimur, a peccatorum sordibus expiandi. Hæc porro salubernæ legis necessitas, quemadmodum in toto Christiano Orbe summa colitur observantia, ita in nostra provincia (quod dolentes referimus) contrario detestabilis consuetudinis prætextu penitus abolevit; cum nemo fere ante decimum sextum, octavum, & vigesimum ætatis annum ad confessionis tribunal accedere soleat, nec parochi (quod deterius est) vel in mortis discrimine constitutos ad emundandam Sacramento conscientiam invitant. Hinc æterna animarum oritur pernicies, execrabilis vitio consuetudinis glomerata. Nos propterea tanto occurrere malo cupientes, parochis præcipimus, & mandamus, ut impositerum, nullo suffragante prætextu, omnes utriusque sexus ad confessionem adstringant, statim, ac ad illum pervenerint ætatis annum, quo possint reprobare malum, & eligere bonum. Archiepiscopos quoque, & episcopos monemus, ut male sata consuetudinariæ pravitatis radicitus extirpantes, agrum dominicum suæ creditum vigilantiæ, tutissimæ hujus legis plantatione fœcundent.

Jo. 1. 8.

Inju-

Injusti alienæ rei possessores, & in immensum gloriantes in laboribus, & divitiis alienis, non absolvantur, nisi restituant ablatum; quod si non habeant præ inopia, unde restituant, obligentur ad certam restitutionis promissionem, quoties restituendi potestatem habebunt. Maximo enim suo, & pœnitentium periculo delinquunt quotquot sunt confessionibus audiendis præfecti, qui restitutioni obnoxios passim, & sine discrimine, levibus tantum injunctis pœnitentiis per jejunia, orationes, & alia hujusmodi, absolvere præsumunt, cum tales absolutiones, viribus poenitus carentes, nulliusque valoris, peccandi præbeant licentiam, & æternum pariant animæ detrimentum.

Quia vero juxta concilium Tridentinum magnopere a peccato revocant, & quasi freno quodam coercent satisfactoriæ pœnæ, perniciosæ providentes hominum negligentiæ, qui injunctam pro peccatis satisfactionem nunquam adimplentes omnino negligunt, & thesaurizantes sibi iram, laxatis habenis in vitia prolabuntur: parochis, cæterisque, ad quos spectat confessiones audire, præcipimus, ut in desides, & socordes severi sint, & exasperantes, illisque denegent absolutionis beneficium, donec depositio vitioso habitu divinæ justitiæ pœnarum observantia satisfaciant.

Mandamus præterea confessariis omnibus, ut gratis dent, quod gratis acceperunt, nihilque prætendere audeant pro audita, vel audienda confessione, ne simoniaca labe polluantur, quæ in perditionis filios pestilentissime derivatur.

CAPUT V.

De Eucharistia.

Pœnitentiæ Sacramento a sordibus peccatorum emundati ad Eucharistiam accedimus, Agnum immaculatum, qui pascitur inter lilia, immaculata recepturi conscientia, sacris Dominici corporis dapibus in sanctitate, & justitia saginandi. Hoc plane Sacramentum omnium est dignissimum, unicum Christianorum mentium solatium, ac delicium, in quo summa imis sociantur, terrena cælestibus junguntur, & sub visibilitate specierum ipse Christus verus Deus, & homo memoriam faciens mirabilium suorum vere, & realiter, & consubstantialiter continetur. Hoc est convivium sacratissimum, ad quod in laborioso vitæ cursu peregrinantes, ne deficiamus in via, accedimus, tanquam Leones ignem spirantes inde recessuri, terribiles Diabolo effecti. Hic est panis de Cœlo descendens, omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suavitatem, in cujus fortitudine ambulamus usque ad montem Dei, nimirum ad futuram gloriam, & æternam felicitatem, cujus est pignus certissimum Eucharisticum Sacramentum.

Cum autem necesse sit, ut probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, ne æternæ damnationis sibi judicium manducet, satagant pastores, ut commissi sibi populi dijudicantes frequenter corpus Domini castitate corporis, omni conscientiæ puritate, cum timore, ac tremore ad hunc cælestem cibum accedant, epulantes non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azimis sinceritatis, & veritatis.

ANNO CHRISTI 1703.

Semel saltem in anno, & id circa Paschale tempus; omnes quoquot sunt Fideles, singuli in sua parochia hoc Sacramentum prævia peccatorum confessione suscipiant; qui autem præ cordis ariditate obliti fuerint comedere panem Domini, ad Episcopum differantur, ecclesiasticis contravenientes præceptis, ecclesiasticis excitandi censuris. Caveant tamen parochi, ne propriæ vitio socordiæ tribuatur, quod fidelium negligentiæ adscribitur.

1. Cor. 5. 8.

Psal. 101. 5.

Ne autem pueri, & puellæ hoc pretiosissimo divinitatis thesauro diutius, quam par est (juxta execrabilem provinciæ consuetudinem) priventur, postquam ad eam ætatem pervenerint, in qua ad suscipiendum Eucharistiæ Sacramentum sunt habiles; omnibus, qui in animarum debent vigilare custodia, serio injungimus, ut præfatos pueros, ac puellas juxta propriam, eorumque capacitatem, de divinis hujus Sacramenti mysteriis instruant, diligenterque edoceant, realem corporis, & sanguinis, animæ, ac divinitatis Domini nostri Jesu Christi præsentiam: uberrimos ab hoc divinitatis fonte gratiarum rivulos profluentes in eos, qui mundo corde, & casto corpore accedunt, æterna denique supplicia in illos destinata, qui mensæ Domini indigne accumbunt, & ad judicium manducant.

1. Cor. 11. 28.

Quia vero in mala tempora incidimus, Sanctissimam Eucharistiam digno honore, publica, & cauta veneratione in parochialibus ecclesiis conservari non posse dolemus; illud tamen majori cordis dolore deplorandum est, quod nonnulli parochi, non timore perciti, sed crassa quadam socordia tepidi, dum ad ægrotos deferunt Sacramentum, etiam quæ possunt humilitatis, ac reverentiæ exhibere, omnino denegant obsequia. Quapropter parochis omnibus præcipimus, ut in deferendo Sacramento induti superpelliceo, orario, sue stola, utrique humero circumsepta, & præcedente, (ubi nullum adest periculum) uno saltem lumine, hymnos, & psalmos submissa voce recitantes, in Sacra Pixide, vel in Calice, mundo velamine cooperto, ambabus manibus ante pectus tenentes, devote deferant Sacramentum. Vasculum insuper habeant cum aqua benedicta, & Romanum rituale, cujus formam in omnibus ad unguem servabunt.

At ubi Turcarum vis prævalet, & iniquitas, ne divinitatis sacrarium nequissima, quod absit, Infidelium polluatur protervia, & debitus cultus Sacramento, ac necessaria deficiat reverentia, Sacerdos stolam semper habeat, propriis coopertam vestibus, in sacculo, seu bursa Pixidem recondat, per funiculos collo appendat, & in sinu reponat. Nunquam solus procedat, uno saltem Fideli in defectu clerici associatus.

Cum autem ad infirmi domum pervenerit, annunciata prius pace, & lustrali aqua præsentibus aspersis, in decenti loco mappa cooperto, & corporale substrato, posito Sa-

Anno Christi 1703.

cramento, prævia confessione, & statutis Romano more ritibus, ægrotorum Sacra Communione reficiet. Hunc morem omnes teneant, nullis Turcarum prætextibus excusandi. Pastores quoque incumbant, ut disciplinæ modus in communicandis infirmis a majoribus traditus, prout Romana tenet Ecclesia, illibatus servetur. Nemo autem se excuset temporum angustiis, angustia enim constringitur mentis, qui nulla dilatatur amplitudine caritatis.

CAPUT VI.

De Extrema Unctione.

In extremo vitæ agone, Dæmonis calcaneo insidiantis feralia tela evitaturi, Extremæ unctionis Sacramentali clypeo præmunimur, ut, quamvis corpore debiles, spiritu tamen fortes ad præliandum bella Domini, ac paratos promptosque in acie nocturnus insidiator inveniens pertimescat: in hujus plane Sacramenti ministerio stat non exigua pastoralis curæ ratio, ut tantis munita præsidiis anima Deo reconciliata inter ingruentium tentationum tempestates, ad æternæ salutis portum feliciter adducatur.

Quamobrem Parochis præcipimus, ut extremæ Fidelium necessitati consulentes, omnem diligentiam, studium, ac sedulitatem in hujus Sacramenti administratione adhibeant, nec jucundissimum hoc ægrotantium levamen eo usque differant, ut omnibus pene sensibus destituti sint infirmi, nullis Fidei, ac contritionis actibus roborandi. Episcopali autem vigilantiæ committimus, ut graviter animadvertant in parochos, qui in hujus sacratissimæ Unctionis dispensatione desidiæ, quodam sopore languescunt, ac veluti parvi momenti Sacramentum opinantes, sine ejus subsidio ab humanis discedere infirmos, nulla conscientiæ trepidatione revocati, patiuntur.

Ne autem, quod ab ovibus erratur, negligentiæ Pastoris adscribatur, totis viribus eliminandam curent pastores opinionis impietatem, quæ de hoc Sacramento in communem fidelium perniciem grassatur; perinde, ac si mortem ægris acceleret. Eo enim pertinet sacræ institutio Unctionis, ut infirmus, nedum animæ, sed etiam corporis, si expedierit, salutem consequatur.

CAPUT VII.

De Sacramento Ordinis.

Ordinis Sacramentum non immerito ecclesiæ tenet principatum, hinc enim ecclesiastici flos germinis, Christiani populi beatitudo, hinc ligandi, atque solvendi potestas, consecrandi, offerendi, ac ministrandi sacrificii divina oritur auctoritas. Huic igitur negotio omnium gravissimo tota episcopalis solicitudo incumbat, ne ad tantæ dignitatis evehatur fastigium, qui ambiunt quidem ad Sacerdotium promoveri, sed non Pet. Dam. student digni Sacerdotio fieri.

Dolemus quidem referre miserrimam nostrarum ecclesiarum faciem, eo quod Sacerdotes ignorant ritum Dei, & quamvis fungantur officio Sacerdotum, pro peccatis populi sacrificium offerendo, sacerdotalis tamen officii omnino nesciunt rationem. Hinc sub ignaro Sacerdote indocta plebs deperiens adeo prævaricata est, ut pene unaquæque gens fabricata sit Deum suum, diversis criminibus, veluti simulacris, & sculptilibus inserviens. Cum autem per nostram corporis ignaviam tot malorum turbines afflixerunt ecclesiam Dei, per viscera misericordiæ Dei nostri admonemus, atque obtestamur omnes archiepiscopos, & episcopos, ut in manuum impositione cautius agant, & ad Sacerdotale ministerium idoneos tantum eligentes, calamitatibus, quæ in necem christiani populi grassantur, provide occurrant.

Ut vero, quod incaute destructum est, sedulo ædificetur, Apostolico parendum est consilio: manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis; quamvis enim ex speciali apostolicæ sedis indulto, interstitia dispensandi facultate polleant episcopi, nulla tamen urgente necessitate, gratiosa omnino abstinere debent potestate, quam plane legitimæ tantum causæ innixam consilio, pontificia largitur benignitas. Vigeat igitur in Servia, & Albania interstitiorum lex, sine casu necessitatis adamussim servanda, ut, & sacris candidandi ordinibus, temporis suffragio, examinationis beneficio, merito scientiæ ac laboris, sacerdotio digni fiant; & episcopi ipsi excessus eorum, qui divinæ legis ignari, nulloque probati examine ad sacros provehuntur Ordines, incauta in se præcipitatione non transferant.

In examinatione porro eorum, qui in album cupiunt ordinandorum referri, hæc præcipue sunt attendenda.

Nullus ex aliena dioecesi sine sui episcopi licentia ad ecclesiasticos ordines promoveatur.

Illegitimo thoro procreati, infames, publico crimine notati, homicidæ voluntarii, apostatæ, excommunicati, insigni deformitate notabiles, lepra insanabili infecti, comitiali morbo laborantes, a minorum sacrorumque ordinum limine arceantur.

Prima tonsura initiandus, confirmationis Sacramento sit præmunitus, & Fidei rudimentis instructus, nullis ecclesiasticis censuris, alioque canonico impedimento irretitus.

Ad minores ordines provehendus, nedum legendi, sed etiam scribendi habeat peritiam.

Nemo autem ad subdiaconatus ordinem recipiatur, qui Breviarium Romanum non teneat, divini officii recitandi debito satisfacturus, quique litterarum, suique officii reperitur ignarus, illa potissimum (proh dolor!) scribendi laborans inscitia, qua omnes pene ecclesiastici nostri miserabiliter involvuntur.

Ad diaconatum vero, & presbyteratum provehendus, saltem competenti pro ministeriorum ratione sit imbutus scientia. Episcopi porro in manuum impositione illas omni-

omnino puras habeant, nihil omnino, & etiam ſponte oblatum accipiant, ſolum Deum, & animarum ſalutem præ oculis habentes.

Quoniam vero ad ſacerdotalis caſtra ſanctitatis, ne dum per ſcientiæ viam, ſed per ſemitam quoque pietatis gradiendum eſt: eritis enim mihi ſancti (ait Deus Levit. 20. 26.) quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos a cæteris Populis, ut eſſetis mei, ideo ſingulis ſacris ordinibus ſpiritualia exercitia octo ſaltem dierum præmittenda ſunt ab ordinandis ſub directione ſacerdotis, non tam doctrina, quam pietate præditi, & ubi temporis qualitas doctos non ſinit eſſe viros, ad patres Miſſionarios recurrant in ſortem Domini vocati, ut ſub eorum diſciplina diſcant ſapere ea, quæ Dei ſunt, & divino cultui mancipati, divinis ſtudeant emicare virtutum fulgoribus, faciem Domini in confeſſione, pſalmis, & hymnis ſpiritualibus præoccupando.

At ubi abundat noſtra calamitas, ibi ſuperabundat & charitas ſacræ congregationis de propaganda Fide in erectione collegiorum, in quibus Albana juventus ad ſalutem patriæ, religionis incrementum, pietatis, & doctrinæ præſidiis præmunitur. Huc igitur potiſſima paſtoralis curæ ratio attendat, ut inter juvenes ſacræ cupientes aſcribi militiæ, optimi, magiſque idonei, non carnis, & ſanguinis familiaritate conjuncti, ſed excelſæ indolis merito, dignaque ſcientiæ, ac probitatis expectatione prædi-ti eligantur. Quod ſi ſecus fecerint epiſcopi, ſciant, ſe non conſulere populis, ſed nocere, nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen.

CAPUT VIII.

De Sacramento Matrimonii.

Matrimonii Sacramentum magnum eſt ex perpetuo, & indiſſolubili ſacræ confoederationis vinculo, quo duo in carne una copulantur, humanis non diſſolvendi conatibus, quos Deus ipſe conjunxit. Honorabile conjugium, quo illicita deſtruunt connubia. Thorus immaculatus, quo legitima hæredum progenies propagatur, & licet unicuique vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore. Quia vero in nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri, ideo curandum eſt, ut homines in contrahendis matrimoniis, celebrandis, ſacris Romanæ eccleſiæ legibus inhærentes, humani, divinique Sacramenti impleantur benedictionibus, ab illorum vitio omnino ſegregandi, qui non Dei, ſed veneris cauſa conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus.

Cum graviſſima in hominum perniciem ortum traxerint mala, pericula, ac ſcandala ex clandeſtinis Matrimoniis, hæc merito damnavit, & annullavit in ſacro Tridentino concilio veneranda eccleſiæ auctoritas, nuptialia ſolemnia non in latebris, & ſecreto, ſed in faciem eccleſiæ, & coram teſtibus ſtatuens celebranda. Huic porro ſaluberrimæ ſanctioni, quemadmodum tota Chriſtiana adhæſit Reſpublica, ita noſtra quoque provincia digna præſtitit exempla obedientiæ, matrimonialia jura ſanctæ Romanæ eccleſiæ ritibus celebrando. Errant igitur in invio erroris, qui falſiſſima hallucinati opinione, veluti non fuiſſet acceptatum concilium Tridentinum a Montanis Albanenſibus, clandeſtinia connubia inter eos legitime adhuc vigere poſſe affirmant, dignoſque tenent Sacramentorum participatione veluti legitimo clandeſtini Matrimonii jure confoederatos uxoribus, qui luxuriæ frena laxantes, nefando concubitu copulantur mulierculis, & omiſſis in faciem eccleſiæ ſacris nuptiarum ſolemniis, quæ in annos differunt, aliquando tandem celebraturi, publici concubinarii mores induunt, a Sacramentorum limine omnino repellendi.

Hanc quidem pernicioſam erroneæ opinionis pravitatem execrantes, deteſtantes, damnantes, omnibus Miſſionariis, & parochis præcipimus, ut in noſtris diœceſibus Albaniæ, & Serviæ juxta ſtatuta ſacri Tridentini concilii legibus decreta in parochialibus eccleſiis coram duobus, vel tribus teſtibus celebrare ſtudeant matrimonia, nec ante ſacro conjugii fœdere quoſlibet jungant, niſi tribus proclamationibus, feſtivis diebus ad populum factis, ubi parochialia ſacra obierint, præcedentibus, nec ſine admodum urgenti, ac neceſſaria ratione diſpenſandis. Huic porro ſaluberrimæ, ad evitandas fraudes, legis debito, ſciant parochi, omnes eſſe adſtrictos, nec temporum, ac locorum qualitate ſolutos.

Publicis vero concubinariis, qui juxta apoſtolum deſperantes, ſemetipſos immunditiæ tradiderunt, reſipiſcentibus aliquando, & in ſacra coire anhelantibus connubia, promptior ſervetur indulgentia in diſpenſandis denunciationibus, ut qui demum jugulata libidine fugam arripiunt, opportunis, citiſſimiſque auxiliis ad victoriam provehantur. Eph. 4.

Omnes autem per parochos admoneantur, ut antequam matrimoniali vinculo conjungantur, confeſſionis, & communionis ſacramento, divinæ gratiæ meliora recepturi chariſmata, roborentur.

At quoniam omnimoda arbitrii libertate matrimonium initur, toto pectore incumbant parochi, ut contrahentium aſſenſus, omni impulſionis, coactionis, ſeu directæ, vel indirectæ materia careant, nec ſacro jungant connubii nexu, quos externæ audacia violentiæ, matrimonialia jura violando, vitiavit. Temerariis eorum auſibus, qui invitis confoederantur uxoribus, anathematis pœna infligatur. Parochi quoque invalidæ auctores conjunctionis eccleſiaſticis innodentur cenſuris.

Illam pariter eliminandam curent Paſtores Deo injurioſam conſuetudinem, tempora divinis mancipata obſequiis, humana nuptiarum ſolemnitate paſſim profanandi. Statuant prudentibus monitis, & ſalutaribus præceptis, ne ab adventu Domini uſque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum, uſque

ANNO CHRISTI 1703.

que ad octavam paschatis nuptiarum celebrentur solemnia. Reprimant plectendam Fidelium audaciam, in sui vigoris statu matrimonii conservantes disciplinam, ne quod benedictionibus in progenie, & progenies abundat Sacramentum, mundana violatum profanatione, generationem quoque, & generationes maledictionibus fœcundet.

Ad conservandam autem Matrimoniorum memoriam, habeant parochi librum, in quo conjugum, ac testium nomina, forma in rituali statuta, per se, vel per alium, ut superius de Baptismate sancitum est describant, nullis propriæ ignorantiæ excusandi prærextibus, qui per alium viciniorem parochum scribendi præditum intelligentia, valent utique, communicato mutuæ charitatis labore, pondus descriptionis præstare.

CAPUT IX.

De eliminandis illicitæ conjunctionis abusibus.

Dum inundantium iniquitatum fluctus ferventius intumescunt, Apostolici viri inquieto motu, & veluti oborta tempestate, variis quoque cogitationum fluctibus agitati, ne omni doctrinæ vento circumferantur, sed tuti in portu conscientiæ conquiescant, juxta sacræ congregationis universalis inquisitionis decreta, statuimus, decernimus, & sancimus, ab omnibus Missionariis, cæterisque parochis, quæ sequuntur adamussim servanda.

Inter execrabiles Montani nostri Populi consuetudines, ille quoque pernicioſus invaluit abusus impudenti roboratus audacia parentum, qui dum æstuanti luxuriæ filios exhibent, divini super se furoris gladium provocant, & miserrimorum temporum calamitates iniquitatum sordibus adaugent. Solent enim infelices, & miseri parentes, divina, humanaque jura per summum scelus profanando, filiis suis tenera adhuc ætate in uxores alienas filias pretio comparare, domi tenere, & post ætatem doli capacem, illicito illos concubitu copulare. Sic contemnentes divinæ legis mandatum, dum suarum obtemperant illecebris voluptatum, Parentum imperio, tutæ conscientiæ præsumptione filii aquiescunt, negligentes omnino matrimonia legali jure contrahere, nisi susceptа masculina prole, post quinque decem, & ultra annos nefariæ conjunctionis. Et hæc quidem pollutio egressa est super omnem terram, omnes enim, quotquot Albaniæ montana incolunt, in hoc fornicationis fœtore sordescunt, vasa iræ, & furoris Domini repositа in diem ultionis, ambulantibus namque in pravitate cordis sui, Dominus non ingnoscet illis, sed tunc quam maxime furor ejus fumabit, & zelus contra homines illos, & sedebunt super eos omnia maledicta, & delebit nomen eorum sub Cælo, & consumet eos in perditionem. Cum autem piaculum sit, ut qui petulantis lasciviæ volutantur in coeno, pestiferæ securitatis audacia, salutaris Eucharistiæ pollutis labiis vescantur Sacramento; ideo hujuscemodi concubinarii, eorumque non conjuges, sed concubinæ congrue appellandæ, excommunicationis sententiæ obnoxii a Sacramentorum communione arceantur, donec vel repudium præbeant, vel in faciem ecclesiæ matrimonium contrahant, grassanti luxuriæ coniugalis Sacramenti gladio lethale vulnus infligentes.

Hier. 23.

Deut. 29.

ANNO CHRISTI 1703.

Quia vero juxta apostolum, non modo talia facientibus, sed etiam consentientibus, par poena debetur, ideo parentes etiam nefandi auctores postribuli, iisdem anathematis censuris, a sua, filiorumque iniquitate removeantur: qui vero duritiei cordis, & obstinatæ in delicto filiorum perseverantiæ consentiunt, & cùm possint, opportunis negligunt providere remediis, sacramentorum participatione careant, donec filios avertant a via sua mala, & in semitam rectam mandatorum Domini paternæ auctoritatis dirigant severitate.

Rom. 1.

Illis quoque Catholicis mulieribus, quæ licet vi coactæ insatiabili Turcarum serviunt incontinentiæ, sacrilegis eorum thalamis per summum nefarii concubitus scelus mancipatæ, ex disparitate cultus, & religionis, nullo sacramentalis Fidei, sed violentæ tantum perfidiæ annulo subarratæ, ecclesiæ Sacramenta denegentur. Cumque præstet millies mori, quam fœdari, haud immerito sordes fornicationis proprii quoque sanguinis effusione tenentur abluere, & omni vitæ discrimine viam pessimam declinare, ne in illam incidant maledictionem, quam immundis mulieribus per Moysen Deus iniquitatis ultor intentat: det te Deus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo. Putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumescente putrescat femur.

Num. 5.

At vero mulieres legitimo semel junctæ matrimonio Catholicis viris his postmodum a Fide naufragantibus, & Mahometanæ sectæ adhærentibus, si Christianos ritus nulla Creatoris contumelia observant, ad Sacramentorum participationem admittantur. Cum enim in paritate cultus, & religionis legitimum matrimonii fœdus inierint; nec illud per subsequentem apostasim dirimitur, nec uxor in Fide Catholica stabilis, & firma, prævaricantis iniquitatem viri portare debet, sacris privanda mysteriis.

Moneantur quam sæpissime a parochis, & excommunicationis poena ipso facto incurrenda deterreantur parentes, ne filias suas matrimonii prætextu, (quod certe nullum est, ac omnino irritum) Dæmoniis immolantes, Turcarum prostituant voluptati, gravissimo Dei judicio desperatæ pene illarum salutis æterni flammis incendii rationem reddituri.

Satagant episcopi cæterique animarum pastores, ut statuta decreta diligentissime serventur, sic enim quod corrigendum est corrigent, & quod sanum est divino zeli fervore custodient.

PARS

NNO RISTI 703.

PARS TERTIA

CAPUT I.

De episcopis.

EPiscopalis honor dignitatis magno ministerii oneri Angelicis formidando humeris adæquatus, grandiori quoque solicitudine, cura, ac labore circumvallatur. Episcopi enim ad vigilias vocati, ad excubias admoti, in crediti gregis custodia, in omnibus plane sine intermissione laborare debent, quamque inimicus noctu per agrum Dominicum superseminavit zizaniam, illi in die sanctitatis, & justitiæ, (qua ambulandum est) radicitus extirpare tenentur, vineæ Domini elaborantes ubertatem, super gentes, & regna constituti, ut evellant, & destruant, & dissipent, & ædificent, & plantent. Hinc forma facti gregis, non solium vocibus, sed, & moribus, non verbo tantum, sed, & exemplo, nec honoris ostentatione, sed laboris consummatione, tanquam boni operis sectatores, populis præstare debent, ut præordinati dignitate præmineant quoque sanctitate.

r. 1.10.

r. ad c. lich.

Tit. 2.

Omnes igitur, qui tantum, ac tanti obsequii onus sustinent, & fastigium, totis visceribus hortamur, ut Apostolicis obsequentes præceptis irreprehensibilem vitam nullis carpendam vituperationibus instituant, in omnibus se ipsos præbentes exmplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & gravitate, ne ab iis, qui ex adverso sunt, vituperetur ministerium nostrum: ne nostro vitio impiæ Turcarum linguæ in injuriam se religionis obarment: ne Fideles, cum malefecerint, gloriantes in iniquitatibus suis, nos sibi clipeum defensionis opponant; ne tandem, ut Ambrosius ait, sit honor sublimis, & vita deformis, sit deifica possessio, & illicita actio, sit religiosus amictus, & irreligiosus provectus, sit gradus excelsus & deformis excessus. Pascant commissos greges sacræ prædicationis uberibus, & esurienti populo viscera maternæ pietatis impendant, verba factis compleant, sobrie, caste, ac pie viventes, & cælestium irradiati virtutum fulgoribus, luceant coram hominibus, ut videant opera eorum bona, & glorificent patrem, qui in Cælis est.

dign: erdo: . 6.

tth. 5.

Manus in primus castas, & puras ab omni simoniacæ labis suspicione habeant, ne dono Spiritus sancti pecuniam videantur, vel postulare, vel appetere.

Tit. 1.

Non sint turpis lucri cupidi, ne in opprobrium incidant, & in laqueum Diaboli, durissimum in reddenda ratione judicium subituri.

In ordinum, & parochiarum collatione muneribus non delectentur, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.

ut. 16.

Pro absolutione a quibuscumque, & potissimum a casibus sibi reservatis, nihil omnino etiam sponte oblatum, accipiant, ne venalis censuræ reatum subeant in perditione.

Dispensationes tam matrimoniales, quam alias cujuscumque ordinis, quarum auctoritate ad tempus pollent episcopi ex indulgenti sanctæ Sedis benignitate, juxta tenorem facultatis, gratis omnino distribuant: ne fidelis dispensatio in crudelem degeneret dissipationem.

ANNO CHRISTI 1703.

In corrigendis parochorum defectibus, pecuniariæ solutione poenæ, hanc non sibi, sed ecclesiæ, vel pauperibus erogent, ne dum alios corrigimus, ipsi turpis lucri gratia reprobi efficiamur.

Ad Tit. 1. 12.

Pias Fidelium oblationes in tritico, vino, & caseo sub districti censura rigoris, & pernicioſa Sacramentorum privatione non extorqueant, miserrimam pauperiem in sua lucra transire patientes, ne quod ex libere offerentium merito sacrum esset, in violentis manibus sacrilegium fiat; neque enim voluntaria dona charitatis rigorosa jura obligationis constituunt. Exitialis plane hujuscemodi violentia exstitit Fidelibus, qui in præsenti rerum calamitate, vectigalium pene obruti oneribus, vix ad victum necessaria habentes, ducunt in malis dies suos, nostra non cupiditate opprimendi, sed charitate sublevandi.

Parochorum quoque proventus in proprios usus non convertant, nec ab illis annuales exigant pensiones, ne canonicis contravenientes sanctionibus, canoni cis quoque irretiti censuris ad opprobrium nostrum illos excitemus, qui calumniare non desinunt nostram quoque bonam in Christo conversationem.

1. Petri 2.

Sint ergo omnes in indigentibus alendis pro possibilitate intenti, hospitalitati dediti, humanitatis officium hospitibus exhibentes, ne quod ab ipsis quoque pauperculis ex laudabili provinciæ consuetudine præstatur, ab episcopis tantum, quibus potissima ex Apostolico consilio cura incumbit, charitatis obsequium prætermittatur. Pondera hæc o pastor, ait Gregorius, non largiris tua, sed aliena. Quid ergo mirum? Possent enim vociferari ad valvas, imo usque ad secretum cubiculum dicentes, da nobis nostra, alioquin contra te vociferabimus ad Dominum rerum tuæ dispensationi commissarum, dicentes: Domine non vult nobis dare, quæ illi, ut nobis daret, dedisti.

Ad Rom. 12. 13.

D. Greg. epist. 21. lib. 11.

Caveant, ne alieni sibi adscribantur excessus, speciali prosequentes favore, quos deformis vita deturpat. Sacerdotes digna factis recipientes, proprii episcopi auctoritate suspensos, abstineant in sui gradus, & ministerii jura restituere, ac censuræ vinculum, illicita distrumpendo absolutione violare. Regulares quoque, qui sub strictioris censura rigoris a superioribus pendent, inobedientes aliquando, ex communis vitæ observantia in viam perditionis prosilientes, familiarium numero cooptare non audeant, ne detractionis materiam populo relinquendo, & infirmos scandalizando, sacrum quoque episcopale contemnatur contubernium. Utrosque porro salutaribus monitis, & utilibus præceptis a via sua mala satagant avertere, & ecclesiasticæ disciplinæ regulas, obedientiam præpositis insinuantes, paternæ zelo charitatis per invia, & abrupta præcipites in semitam rectam reducant.

Hinc omnes domui suæ bene præpositi, suorum, & maxime domesticorum curam habe-

1. Ad Timot. 5.

ANNO CHRISTI 1703.

habeant, ne Infideles, & Infidelibus deteriores, ex Apoſtoli ſententia appareant. Si quis enim domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Domum epiſcopi, ait Bernardus, decet ſanctitudo, honeſtas in vultu, inceſſu, habitu.

1. Timot. 5. 8.

Nemo ponat falcem in meſſem alienam, nec in viduatis paſtoribus eccleſiis, quibus potiſſimum vicarii capitularis præeſt auctoritas, ratione vicinitatis parochos inſtituere præſumat, & proprii jure arbitrii cætera exercere epiſcopalis munera juriſdictionis, ſine expreſſa licentia ſacræ Congregationis de Propaganda Fide.

Lib. 4 de conſid. ad Eug.

Act. 20. 28.

Attendant ſibi, & univerſo gregi, in quo eos Spiritus ſanctus poſuit regere eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Aſſidue prædicationis ſarculo male ſata conſuetudinariæ pravitatis extirpent, bona ſemina exuberanti ſudorum rore foecundent. Præſint ſubditis, non ut dominatores in virga ferrea, ſed ut paſtores in charitate, ſuavitate, & benignitate, illoſque tanquam filios, & fratres ingenui zelo amoris diligant. Bonos in via juſtitiæ confirment, malos arguant, obſecrent, increpent in omni patientia, & bonitate, ſtudentes, ut nec zelus faciat immoderatus accenſos, nec pietas reddat inordinata remiſſos. Ad recalcitrantium correctionem, ſi aliter reſipiſcentiæ ſpes non apparet, excommunicationem eccleſiaſticæ gladium diſciplinæ evaginantes, in obſtinatos, & contumaces detorqueant, ad aliorum quoque exemplum caventes, ne epiſcopale pectus ſegnis Heli torpor emolliat, ſed potius ad ſceleris ultionem ingenui Phinees zelus accendat. Hæc autem tanquam ultima remedia in ædificationem, & non in deſtructionem, ad medelam, non ad necem ſumma cum animi moderatione, & prudenti circumſpectione, poſt præmiſſa cætera omnia juris remedia, adhibeant.

Concil. Trid. ſeſ. 13. cap. 1.

1. Timot. 4.

Trium menſium ſpatio poſtquam præſentium decretorum approbatio ab infallibili ſanctæ ſedis judicio perveñerit, omnes teneantur, convocatis ſenioribus dioeceſanam celebrare ſynodum, clero, & populo provincialium publicatione ſtatutorum tutioris vitæ rationem annunciantes, ne ignorantiæ prætextus alicui præbeat per male ſanæ nequitiam conſuetudinis, peccandi licentiam.

CAPUT II.

De viſitatione.

Omnes pariter epiſcopalibus infulis inſignitos juxta ſacri concilii Tridentini decreta monemus, hortamur, & obſecramus enixe in domino, ut per ſe ipſos, vel ſi legitime impediti fuerint, per viros, ad id munus idoneos quolibet ſaltem biennio totam dioeceſim indiſpenſabiliter perluſtrent, ne fideles plantationes ſudore vultus noſtri irrigandæ, deficiente diligenti agricolarum viſitatione, & laborioſa ſedulitate, inareſcant, & qui incidimus in manus proximi noſtri populum Dei regentes, & in portum ſalutis manuducentes, ut a propriis, & alienis liberemur defectibus, divino pareamus præcepto: fac ergo, quod dico tibi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manus proximi tui, diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.

Sess. 24. c. 3. de Ref.

Prov. 6.

Quia vero ex præfatis Concilii Tridentini decretis, præcipuus viſitationis ſcopus eſt, ſanam, orthodoxamque doctrinam inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cætera prout locus, tempus, & occaſio fert, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere, ideo in viſitatione facienda is ordo ſervabitur.

Concil. Trid. ſeſs. 4. cap. 3.

Procedant epiſcopi modeſto contenti equitatu, & famulatu, ſtudentes, quam celerrime, debita tamen cum diligentia viſitationem abſolvere, ne cum graves, onerofive ex longa mora exiſtunt, Cleri quoque, ac populi odium incurrant in ſuam fidelium-que jacturam.

Conc. Trid. ibidem.

In parochialibus eccleſiis pontificalia munia obeuntes inter miſſarum ſolemnia ſacris Divini verbi dapibus famelicum ſtomacum ſatiantes, ad Divinorum mandatorum, & eccleſiaſticorum conſtitutionum obſervantiam populum inflam ment, & præmiſſa ſacramentali confeſſione ab adultis, Confirmationis conferant Sacramentum. Paternæ zelo charitaris omnes ad pœnitentiam adhortentur, hoc potiſſimum acceptabili tempore eruentes eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non ceſſantes. Diligenti inveſtigent examine, an præſentes ſyn odales conſtitutiones parochorum cura, ac labore exequutioni mandentur, dignas negligentiæ poenas, poſt debitas admonitiones ab illis repoſcentes, qui noſtris ſalutaribus monitis, & præceptis obſequi negligunt, effrenatæ libertatis pernicioſo adhærentes conſilio.

Prov. 24.

CAPUT III.

De modo certiorandi ſacram congregationem de Propaganda Fide de ſtatu propriæ Diœceſis.

Ut autem omnia juxta piam mentem ſacræ Congregationis de Propaganda Fide peragantur, & Romanæ viſcera charitatis dignis veneremur obſequiis, peracta viſitatione, omnes archiepiſcopi, & epiſcopi de ſtatu ſuæ Diœceſis eandem Sacram Congregationem certiorent, modum certiorandi, ex quo & modus viſitandi dignoſcitur, in methodo infraſcripta obſervantes.

1. Longitudinem, & latitudinem Dioeceſis, ac numerum parochiarum proponant, confinia quoque aliarum Dioeceſum, & temporis qualitatem attingentes.

2. An bellicis volutati tumultibus.

3. An violentia quadam agitati perſecutione, vel pacifica obumbrati tranquillitate quieſcant.

4. An eccleſiam cathedralem habeant, & in quo ſtatu illa exiſtat.

5. An prædia ad menſam epiſcopalem pertinentia, cujuſve generis, & ſtatus teneant.

6.

6. An, & quot ex fidelium oblationibus annuales retrahant proventus.

7. An, & ubi locum residentiæ habeant, & an pacifice resideant.

8. De statu cujuscunque parochiæ separata informent individuatione, situm edocentes, an in planitie, vel montibus constituta.

9. Quot Villulas sub se contineat, quantumve istæ inter se distent.

10. Quot fideles quælibet comprehendat.

11. An inter illos aliquis sit, qui auctoritate polleat apud Turcas.

12. An Turcæ, vel Schismatici, & quot inter eos commorentur.

13. An Ecclesiam Parochialem habeant.

14. An hæc inter fidelium habitationes sita, vel extra Oppidum, seu Villam constituta, quantumve ab illa distet.

15. Quo titulo, cujusve invocatione decoretur.

16. An ex maceria, vel solida fabrica ædificata.

17. An imminentibus ruinis obnoxia.

18. An temporum injuria obruta.

19. Si intacta, & integra, vel ad parochialia sacra obeunda idonea servetur, admoneant.

20. An debito honore, & qua domum Dei decet sanctitudine, teneatur.

21. An clausis sit foribus, ne ab immundis contaminetur.

22. An profana commercia, consilia, ludus, vel alia hujusmodi intus, vel foris peragantur.

23. An sacram suppellectilem, vestes, libros, calices, patenas, & alia hujus generis instrumenta altaris, & ornamenta pro necessitate habeant, quæve hæc sint distincta commoneant notula, cujus transumptum apud se quoque servabunt, ne parochorum vitio, vel incuria depereant, in singulis visitationibus totius sacræ suppellectilis a parocho reddenda ratione.

24. An Olea sacra, & reliqua ad altaris ministerium, & sacramentorum administrationem necessaria omni munditia, cura, & custodia asserventur, ac suo tempore mutentur, & renoventur.

25. De parochorum statu, & ministerio diligenti inquirentes examine informent, an parochialem domum habeant, quantumve hæc ab ecclesia distet.

26. An ecclesiæ prædia, cujusve fructus teneant.

27. An ultra fidelium oblationes, & decimarum, ut vocant, solutiones, alios habeant parochiales proventus, & in quo consistant.

28. An parochialia beneficia rite obtineant.

29. An in ea se quisquam per vim intruserit.

30. An per se possint explere officium, quod eis incumbit.

31. An resideant, & frequenti visitationi parochianorum, administrationi sacramentorum, missarum celebrationi, aliisque oneribus sibi impositis, juxta præscripta decreta satisfaciant.

32. An pueros fidei rudimentis informent.

33. An ad id munus competenter saltem idonei populum salutari divini verbi pabulo pascant.

34. An tribus denunciationibus matrimonia præveniant, & statutis ritibus in faciem ecclesiæ celebrent.

35. An libros habeant, in quibus Baptizatorum, Confirmatorum, eorumque, qui matrimonio conjunguntur, nec non mortuorum nomina, & cognomina describantur.

36. An reliqua omnia ad fidelium salutem spectantia singulari studio, zelo, ac labore, juxta has constitutiones nostras provinciales ob servent, nihil addentes, vel dementes, in extirpandis abusibus assidua intenti vigilantia.

37. De eorum quoque qualitate, vita, & moribus informati certiorent, quot annis nati sint, qua scientia præditi.

38. An apostolicorum collegiorum Alumni.

39. An sint missionarii apostolici ab ipsa sacra congregatione de Propaganda Fide deputati, anve statutis temporibus assignatas recipiant provisiones.

40. An turpi lucri cupidi.

41. An pie, & sancte vivere studeant.

42. An turpi aliquo vitæ genere offensionem populo præbeant, unde ipsorum ministerium, ac res ipsa divina contemnatur.

43. An bona ecclesiæ dilapident.

44. An Sacra suppellectilia diligentissime, & omni cultu, ac nitore conservent.

45. An immisceant se negotiis secularibus, & politicis.

46. An sint pacifici, & ad tollenda jurgia, & odia diligentes.

47. An Fidelibus, vel Infidelibus quoque, quaque de causa invisi.

48. An in rebus œconomicis laudabili præditi moderatione.

49. Deinde ad mores populi devenientes, edoceant, an publico se Christianorum more gerant.

50. An Sacra solemnia Romanis ritibus celebrent.

51. An pie versentur in ecclesiis.

52. An missarum solemniis festis diebus intenti.

53. An Sacramentorum participationis reverenter devoti.

54. An sint aliqui concubinarii, vel facinorosi, aliove scelerum genere volutati.

55. An sint, qui aliquo pravo de Quadragesimali jejunio ducuntur errore in interitum.

56. An aliæ, & quæ pravæ consuetudines, vel abusus inter eos vigeant.

57. Certiorent quoque, an extra propriam dioecesim presbyteri, & potissimum Alumni suæ subditi jurisdictionis in aliis partibus existant.

58. An sint Juvenes, qui clericali cupiunt albo referri, quot annos habeant, qua capacitate præditi, quo nomine vocati.

59. Postremo opportuna suggerant remedia, quidus fidelium necessitates adjuvari possint, vel reparando damna, si quæ sunt, vel spirituales progressus magis, magisque in dies provehendo.

Hæc omnia candide, sincere, & adamussim perspicientes, prælibatæ Sacræ Congregatio-

ANNO CHRISTI 1703.

gationi conferant, proprio debito, & Sanctæ Sedis Apostolicæ zelo satisfacturi.

CAPUT IV.

De confiniis Diœcesum Sappatensis, Alexiensis, & Albanensis.

Pernicioſa quidem extitit Albanæ genti diuturna epiſcoporum diſceptatio, qui dum in Dioeceſum confiniis vel tuendis, vel protrahendis altercarentur, pacis ordine perturbato, diſcordiæque fluctibus agitati, ipſas periclitantium fidelium calamitates augebant, magna inter diſſidia, majora adhuc pericula intendentes. Agnovit jam pridem ingruentia Provinciæ damna, Sacræ Congregationis de Propaganda Fide eximia pietas, & provida mens ad Chriſtianæ nata Reipublicæ bonum, charitatis zelo commota elegit ſuum commiſſarium, & executorem Dominum Franciſcum de Leonardis archidiaconum Tragurienſem, cui id negotii præcipue incumberet, ut compoſitis diſſidiis, Dioeceſibus confinia ſtabilirentur, & diſcordiæ damna mutuæ compoſitionis beneficio ab epiſcopis compenſarentur. Vir plane non probitate minus, quam doctrina conſpicuus, tantæ molis ſubjens Provinciam, poſt diſcuſſam locorum poſitionem, cauſæque momenta diligenti expenſa maturitate, mutuis compoſitionibus epiſcoporum Sappatenſis, Alexienſis, & Albanenſis, ſingulis præfatis Dioeceſibus confinia publico præſcripſit inſtrumento, & compoſitis tandem diſcordiæ fluctibus, diſſidiorum tempeſtates pax optata ſerenavit. At vero temporum revolutione obliterata pacis memoria, & ſpretis a ſucceſſoribus anteceſſorum ſaluberrimis tranſactionibus, & pactis, alteroque in alterius poſſeſſionem, vel intruſo, vel intento, nova jurgiorum ſemina in dies progerminant, ideo ad illa evellenda, & radicitus extirpanda totis viribus intenti monemus, & hortamur prædictos epiſcopos, Sappatenſem, Alexienſem, & Dyrachienſem archiepiſcopum, jura obtinentem Albanenſis epiſcopatus, ut miſerti ſaltem ærumnarum, ſuis, fideliumque cervicibus ex novis imminentium altercationibus, concordes, ac pacifici iiſdem finibus, ac limitibus ſiſtant, qui in præfatis inſtrumentis ſub die 14. Decembris editis Merchignæ, & die 20. ejuſdem menſis datis Sappæ ann. 1638. continentur. Ne autem amiſſis aliquando, vel obliteratis temporum injuria inſtrumentalibus litteris de converſis olim locis, & eccleſiis nova oriatur diſſenſio, futuræ præbens occaſionem diſcordiæ, juxta ſupradictarum tenorem litterarum declaramus, quod eccleſiæ Sancti Georgii de Cucculla, S. Joannis de Bulgaris, S. Mariæ de Laſingaghi, S. Marci, & S. Venerandæ de Nchſella, S. Blaſii, ſive Alexandri de Selita ad ordinariam juriſdictionem Albanenſis epiſcopi pertinent; eccleſiæ S. Mariæ de Nderſandina, S. Alexandri ſupra montem Mereditarum, S. Mariæ, & S. Marci de Fandi vogoli, S. Demetrii de Fandi maye, S. Pauli, & S. Stefani de Bliniſti, ex parte Orientali, curæ, & juriſdictioni epiſcopi Alexienſis ſubjiciuntur, qui ex parte quoque Occidentali epiſcopalia jura obtinet ſupra Villam Debarda in parochiali Calameti, & ſupra eccleſiam S. Nicolai de Cacarichi uſque ad Foliettam majorem ſitam in media fere villula Cuculi. Villa Blinisti etiam infra pontem a parte Orientis, & Meridie, Villa quoque Troſciani, nec non eccleſia S. Nicolai de flumine Calami, eccleſiæ, & Villæ terræ ſpaſſi inter flumen Gona, & flumen, ſunt, & intelliguntur juriſdictionis ordinariæ epiſcopatus Sappatenſis.

ANNO CHRISTI 1703.

CAPUT V.

De Finibus Epiſcopatus Pullatenſis.

Ut illi quoque ſciſſuræ præviis occurramus remediis, quæ inter epiſcopum Pullatenſem, & Scuporum archiepiſcopum Serviæ adminiſtratorem futuræ diſſenſionis prænotat detrimenta, in communem fidelium perniciem, juxta antiqua monumenta, & concordia populorum teſtimonia, declaramus, Pullatenſem epiſcopatum his eſſe finibus limitatum, his limitibus circumſeptum. Ab Auſtro enim, ſive meridie Drinum flumen, & Poſterippenſem regionem habet pro termino. Qua vergitur ad occidentem, & Septentrionem, Biſcavo, & Calogero montibus circumſcribitur. Qua vero ſpectat ad orientem per fluvium Caſterigium, ſive Caſtranichium, aut Valbonam (tria enim nomina hæc idem fluvius ſortitur) a regno Serviæ ſejungitur. Monentur ergo præfati paſtores, ut ſuis contenti limitibus conſiſtant, & mutuæ nexu concordiæ in pace ponant ea, quæ jure legitimo poſſident, perniciosam inter fratres diſcordiam declinantes.

CAPUT VI.

De regione Poſterippenſi.

Inter diſſidentium hac tempeſtate Epiſcoporum moleſtias, Poſterippenſis Regio obtinet in calamitatibus Principatum. Tres illam Epiſcopi, Scrodrenſis, Sappatenſis, & Pullatenſis ſibi vindicant, quiſque ſuo juri integram ſtudent mancipare, dumque illi mutuis inter ſe certant jurisdictionibus, Poſterippenſes, ſacris deſtituti viſitationibus, ſine Duce, & Paſtore velut grex diſperſus periclitantur; magnis quidem perſecutionibus, & ærumnis attriti, adverſitatibus, & inopiis afflicti, ne majoribus impoſterum quoque lacerentur tribulationibus, optandum eſt a Sacra Congregatione de propaganda Fide remedium. Interim, ſalvo ſemper conſenſu, & beneplacito Sedis Apoſtolicæ, & præfatæ Congregationis, nihil innovetur, ſed prout modo res jacent, uſque ad deciſionem conſerventur, ne, qui hoc brevi tempore noſtræ viſitationis ſoporatus eſt dolor, novis deinceps altercationibus recrudeſcat. Præſentem autem rerum conſtitutionem, mandantes edicimus, ſcilicet.

Villulæ Meſcala, Maſſarecu, Scpori, Scelacu, & Guſta a parocho Vierdæ Sappatenſis dioeceſis adminiſtratæ, ab eodem quo-

quoque inposterum administrentur.

Scheldia, Gavosci, & Gagnola a parocho Jubbani Scodrensis dioecesis curatæ, ab illo etiam deinceps curentur.

Tres tandem Villulæ Arra, Curtha, & villa, in quibus Patres Missionarii Toplanæ Pullatensis dioecesis parochialia obeunt munia, iisdem Patribus subjiciantur.

Sic igitur quisque ex præfatis parochis in suis sistat juribus, & terminis, nec sub pœna suspensionis alter audeat in altetius possessionem prosilire sine consensu, & beneplacito Sanctæ Sedis, & Sacræ Congregationis de propaganda Fide, cujus nutibus, & auctoritati, nostra quoque decreta devoto cordis obsequio subjicimus.

CAPUT VII.

De Familiis Fidelibus, ex una, in alteram Diœcesim proficiscentibus.

Ad radicem totius dissensionis modo est securis admovenda, quodque male germinat, in diœcesum confusionem, & jurisdictionum violationem, provido zeli fervore in securi, & ascia excidendum. Frequens enim abusus obtinet, ut familiæ, quæ ex una diœcesi brevi itinere proficiscentes, intra fines alterius sedes figunt, sepelire soleant mortuos suos in sepulcro patrum suorum, quod situm est in parochiali eccle- C sia, ex qua recesserunt, & præfatæ ecclesiæ tanquam venerabilis tenaces antiquitatis, se in æternum unitos, & mancipatos Fideles profiteantur, ab ejus quoque parocho in administratione sacramentorum omnimoda pendentes subjectione, ita ut parochus loci, in quo novi Accolæ commorantur, nullam in eos exerceat jurisdictionem, hinc diœcesum perturbatio, legitimi juris violatio, totaque emanat rerum confusio, in qua dum falx mittitur in messem alienam, novis subinde dissensionibus in agro dominico disseminata zizania succrescentem segetem opprimit, & bonum semen male fata dissidiæ demoliuntur. Tanto igitur negotio, D opportunis providentes remediis, edicimus, & mandamus parochis omnibus, ut sub pœna suspensionis, & excommunicationis nulla parochialia jura exerceant in præfatas familias, quæ ex eorum parochiæ finibus egressæ, illius curæ subjicitur, inter cujus septa commorantur. Novis interim incolis locum sepulchri assignent parochi in ecclesia, vel Cemeterio, ne ex defectu sepulturæ eis suboriatur prætextus rerum ordinem subvertendi.

Ne autem cavillosa interpretatione hujus decreti executio retardetur, præter sancita in superioribus capitulis, hic aperta individuatione alia controversa loca indigitantes, E decernimus, ne inposterum parochus Schiesi Sappatensis diœcesis ullam parochialem exerceat jurisdictionem in familias existentes Barbulusci Scodrensis dioecesis, nec nullus ex parochis Alexensis episcopatus parochialibus muniis fungatur in Villula Soli, quæ utpote sita in Scodrensis dioecesi a propinquiori parocho Trumsci inferioris administranda erit.

Omnes porro coepiscopos nostros fraterni zelo amoris obsecramus, ut tandem aliquando discordiæ caput amputantes, ad aram mutuæ tranquillitatis, & pacis, insignia victoriæ reponant per exactam decretorum executionem, hostias vere pacificas, immolaturi. ANNO CHRISTI 1703.

CAPUT VIII.

De ecclesiis, earumque cultu.

Ecclesia Domus est Dei, Domus orationis, in qua petentes accipiunt, quærentes inveniunt, & ipse Deus delicias suas cum filiis hominum constituens, ex excelso solio B Majestatis supplicantium vota exaudit, misericordiæ viscera aperit, & infinitos bonitatis suæ thesauros humano generi impendit. Miseris illam plane coruscantem gloriæ splendoribus, sicut sponsam ornatam viro suo, cum Joannes quondam suspexerit; qui sponsarum hucusque negotia tractavimus, sponsarum quoque decorem curemus, & ea, quæ Domum Dei decet sanctitudine in longitudine dierum colentes, veneremur. Matt. 21. 13. Apoc. 21. 2. Psal. 29. 10.

Decorem ergo Domus Dei, & locum habitationis gloriæ ejus digno venerationis obsequio diligentes decernimus, ut ecclesiæ omnes, sive curatæ, sive non curatæ, post peracta sacrorum solemnia, obseratis claC vi foribus teneantur, ne Divinæ Majestatis habitaculum per parochorum (quod absit) aliorumque incuriam, in speluncam latronum degeneret, & Sanctuarium Dei Turcarum, nec non animalium pollutione contaminatum sordescant. Psal. 25. Matth. 23. 13.

Frumenta, ligna, & alia hujusmodi in ecclesia non ponantur. Tam intus, quam foris parietes, cæteræque ecclesiæ partes omnibus immunditiis expurgatæ conserventur; etenim dum divinis addicta templa obsequiis, ab omni turpitudinis nevo vindicantur, ipsa Sacrorum locorum pauperies, Fidelium devotionem Ecclesiasticæ lucis candore adauget.

D Prophana denique, & vaniloqua, quæ juxta Apostolum multum proficiunt ad impietatem, ab ecclesiis eliminentur. Seculares congressus, concilia potissimum malignantium ad necem quandoque, & vindictam tendentium, ne prophanetur in terra Sanctuarium Dei, nullo rationis prætextu permittantur, imo totis viribus incumbant omnes animarum Pastores, ut ubi execrabilis viget consuetudo, per opportunam, & importunam prædicationem radicitus evellatur, & quidquid oculos Divinæ Majestatis offendere potest, procul abigatur. 2. Timot. 2. 16.

Ludi, & cantus non sacri inter Ecclesiæ septa non admittantur, nec detestabilis E secularium toleretur abusus, sacramentum poenitentiæ, & communionis, ante ipsas fores ecclesiæ cantationibus, & saltationibus prophanis præcedendi, & subsequendi: hymnis enim, psalmis, & canticis spiritualibus illo salutis die attendere debent fideles, ne ubi peccatorum venia, divinæ gratiæ ubertate impetratur, ibi divinæ ultionis justitia prophanitatum pravitate irritetur. Psal. 88.

Quo sacrarum tubarum clangoribus ad Dei

ANNO CHRISTI 1703.

obsequium, Deiparæque Virginis devotionem populus Dei magis, magisque incitetur, mane, meridie, & vespere, campanæ, ubi sunt, pulsentur, Angelicam salutationem populorum auribus insonantes.

Omnia denique, & singula, quæ ad domus Dei cultum, & honorem pro temporum, & locorum qualitate conferre possunt totis viribus curent episcopi, cæterique animarum curatores stabilienda, memores, quamplurimos abusus, non tam sæcularium præpotenti imperio, quam nostræ ignaviæ vitio in ecclesiæ dedecus irrepsisse, nostro idcirco studio, industria, ac labore eliminandos

Illud tamen præ cæteris studeant populis insinuare, quod omnia fere mala, quæ nos undique perturbant, sterilitas terræ, temporalium rerum penuria, prædationes, oppressiones, & reliqua calamitatum agmina, hinc potissimum ortum ducunt, quia domus Aggei 1. Dei Fidelium devotione, & frequentia deserta est: propterea, ait Deus, prohibiti sunt Cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum, & vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & super homines, & super jumenta, & super omnem laborem manuum.

CAPUT IX.

De Altaribus sub dio positis.

Ecclesiis temporum injuria collapsis, & vetustate consumptis, nec vel ob debaccantem Infidelium impietatem, vel ob Fidelium socordiam restauratis, nuda succedunt Altaria, erecta in titulum dirupti Templi, & & veluti in signum Christianæ possessionis. Hæc porro urgente Fidelium devotione, & Catholicæ jurisdictionis necessitate, cum ad Sacra peragenda aliquibus diebus Festivis adhibeantur, divinis propterea addicta Mysteriis, nefas quidem est, ab impuris violari, & veluti per abominationem desolationis contaminari. Cum autem præsentis pressuræ calamitas excitandæ a fundamentis ecclesiæ modum non suppetat, possibilia utique præcipientes edicimus, ut vigili episcoporum cura, & sedulo parochorum labore, præfata altaria nudis saltem lapidibus, vel ligneis septis, ad collapsæ ecclesiæ magnitudinem circumdentur, ne, facili immundorum patente ingressu, altare Domini prophanetur.

Caveant parochi missæ Sacrificium super illa altaria celebrare, quibus proxima, & Matt. 20. 15. pene contigua est pessima Turcici cemeterii abominatio, utique desolationis, facta (proh dolor?) in loco sancto altaris Domini. Tales autem profanationes saltem quadraginta passibus distent ab altari, in quo divina peragenda sunt mysteria.

CAPUT X.

De missa parochiali.

Cum præceptum Domini sit, ne Fideles festis diebus laborent, operibus vacent mecanicis, & occupationibus indulgeant prophanis, utpote soli Deo per interiorem, & exteriorem cultum mancipati feriantes in illum potissimum curam omnem, ac solicitudinem intendant pastores, ut animæ sibi creditæ humanis curis expeditæ, divina Festis diebus meditentur beneficia, tractent Joan 4. Sacra, orent, & adorent Deum in Spiritu, & veritate Missæ Sacrificium audientes. Propterea diebus divino cultui mancipatis, celebrent parochi in parochialibus ecclesiis, dummodo velo obtegantur, ad majorem populi commoditatem, frequentiam, devotionem, nec non ad pastoralis officii in verbi Dei dissemination, in tradendis Fidei rudimentis fructum uberiorem.

At si velum Templi scissum est, & collapsa jacet ecclesia, tantum sereno Coelo, Mar. 15. 38. & quiescentibus ventis in ea peragant sacra Mysteria; diebus vero imbrium, & ventorum turbini obnoxiis in decentiori loco Parochialium Ædium parochialis ministerii munere perfungantur.

Quod si in messi multa nimia villularum distantia sub duobus parochis simul commorantibus, fideli coetui eximat commoditatem ad parochialem ecclesiam, seu Ædem Festis diebus confluendi, nec novas erigendas parochias parochianorum patitur pauperies, dividant tunc parochi labores, & seniore domi manente, junior ad distantia rura se conferat missæ Sacrificium celebraturus, & cætera parochialia exercitia diligentissime peracturus.

CAPUT XI.

De Sacra supellectili.

Sacra supellex, utpote Altaris ministerio, & divino cultui mancipata, ea conservanda est munditia, ea colenda diligentia, quæ, & sanctimoniæ participem, & sanctitatis decet instrumentum: quamvis enim nullis humanæ pretiositatis splendeat fulgoribus, ex consensu tamen Corporis, & San- Hier. ep. guinis Domini, sublimi est Majestate vene- ad Theop randa.

Ideo satagant parochi suæ creditam Fidei diligentissime custodire, integram, mundam, & perpolitam servare, lineam frequenter abluere; digna sugillandi animadversione, quorum incuriæ vitio, vestes sacræ pene sordescunt, & vasa Altaris Domini ab assueto nitore degenerant.

Ad prophanos illam usus nemo audeat accommodare, quamvis enim lacera sit, diversis tamen Altaris usibus poterit inservire; at si nihil omnino valet ultra, ne contaminetur ab hominibus, igni devoveatur.

Notulæ totius sacræ suppellectilis, illius potissimum, quam Sacræ Congregationis de Propaganda Fide eximia pietas, & excelsus Religionis ardor generosa providet benefi-

ANNO CHRISTI 1703.

neficentia, in ſtatutis ſupra inventariis de bonis eccleſiæ conſerventur, & ne aſſueta facilitate tam vaſa, quam veſtes, & alia hujuſcemodi ornamenta depereant, aut alio quovis audaciæ modo alienentur, in ſingulis viſitationibus parochi de Sacra ſuppellectili reddant rationem epiſcopis.

CAPUT XII.

De Cœmeteriis, & Sepulcris.

Sola membra eccleſiæ, Spiritus Sancti quondam Templa in reſurrectionem vitæ proceſſura, eccleſiaſticæ ſepulturæ digna habentur beneficio, a quo quævis arcenda ſunt prophana, quævis indigna ſubmoventur, ut quemadmodum debitus honor, & cultus exhibendus eſt eccleſiis, ita, & coemeteriis ſua quoque conſervetur ſanctitas, rependatur Religio.

Quapropter Infideles, Hæretici, Schiſmatici, publice excommunicati, qui viventes, nec eccleſiam matrem, nec Deum habuerunt patrem, ab eccleſiaſticæ ſepulturæ refrigerio canonicis ſunt ſanctionibus repellendi; nulla enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, nulla ſocietas lucis ad tenebras, nulla illis eſt in morte communicatio cum Fidelibus, quibuſcum in vita noluerunt communicare.

Deteſtabilem quoque conſuetudinem allis publicis peccatoribus mortuis in iniquitate ſua, eccleſiaſticam concedendi ſepulturam, omnino execrantes, præcipimus, ne parochi ſub poena ſuſpenſionis ab officio, jura ſepulturæ, tam in Eccleſiam, quam in coemeterio ſponte, ac libere indignis, & prohibitis, juxta canonicas ſanctiones tribuant cadaveribus; graviores Ordinarii arbitratu poenas ſubituri, qui per ſummum ſimoniacæ iniquitatis piaculum pecuniam, vel alia dona cujuſcunque generis non verebuntur pro exacrabili functione exigere, aut prætendere.

Anathematis gladio feriatur efferata quoque ſecularis licentia, quam Fideles ſpretis ſalutaribus epiſcoporum, & parochorum monitis, & præceptis, ſepeliendi in loco ſacro præfata cadavera per vim ſibi arriperent.

Execrabilem pariter conſuetudinariam praxim funeralia celebrandi, & oſſa benedicendi mortuorum, qui deceſſerunt impoenitentes in pravitate cordis ſui, publico potiſſimum concubinario foetore execrandi, nulloque juvandi eccleſiæ ſuffragio, omnino damnamus, & parochis, cæteriſque eccleſiaſticis viris ſub ſtatutis ſupra poenis indicimus, ne talia impoſterum attentent: ſordidas exactiones, & pro hujuſmodi damnandis exequiis iniquas pactiones epiſcopi ea, qua decet majori proprio reſervata arbitrio, ſeveritate ſtudeant vindicare.

PARS QUARTA

CAPUT I.

De Parochis.

ANNO CHRISTI 1703.

SUnt parochi animarum paſtores, in partes vocati epiſcopalis ſolicitudinis, in crediti Dominici gregis cuſtodia excubantes, laborantes, deſudantes. Hinc omnes piamentis trepidatione perpendant, quantæ dignitatis faſtigium, quanti laboris onus ſubeant, ac miniſterium: digna plane animadverſione ſugillandi ſunt, qui præeſſe inhiantes, ſibi ſolum prodeſſe, non aliis curantes, tanto villicationis debito mancipantur, tot animarum rei, quot per eorum negligentiam, ſeu prava cupiditatis exempla depereunt: paſcentes enim ſemetipſos, lac comedunt, lanis operiuntur, & quod craſſum eſt, occidunt, gregem autem Dei divinis legibus paſcere, laudabilis vitæ exemplo enutrire, infirmum conſolidare, ægrotum ſanare, confractum alligare, abjectum reducere, & quod perierat, omnino negligunt quærere; adeo ut diſperſi greges nullis virentibus herbis vegetati, nullis paſcuis pinguibus ſaginati, tamquam ſine Duce, & paſtore, in cunctis aberrent montibus vitiorum, & univerſo colle excelſo voluptatum, facti in rapinam, & devorationem omnium beſtiarum agri: hinc duriſſimum in reddenda ratione villicationis judicium, terribilis divinæ indignationis vox intonat: ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, ut ultra non paſcant gregem, nec paſcant amplius paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit eis ultra in eſcam. Ezech. 34. 10. Ezech. 5. 10

Diligenter ergo cognoſcant parochi, vultum pecoris ſui, ſuoſque greges conſiderent, nec ſolum, quæ per aliquas Synodales ſanctiones ſtatuta, & ordinata ſunt, dictis, & factis exactiſſima ſtudeant complere obſervantia, ſed quibus miniſterio præſunt, moribus quoque, & laudabilis vitæ honeſtate adeo ſatagant eminere, ut in omnibus gravitatem, modeſtiam, ac religionem præferentes, ad pietatem, ac Dei cultum Fideles alliciant, & non ſolum ſapientibus ſed & inſipientibus debitores, laudabilis vitæ exemplo Infidelibus quoque laudandæ, ac venerandæ Catholicæ religionis præbeant occaſionem. Prov. 27. 23. Ad Rom. 1. 24.

Quoniam vero per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtas intrinſeca oſtenditur, ideo in exteriori veſtium compoſitione, quantum Othomanica ſinit impietas, ideo procedant, ut non hujus Mundi, ſed ſuperni regis militiam bajulare ab omnibus videantur. Concil. Trid. Seſs. 19.

Abſtineant ab annulis, cæteriſque exterioris indumenti phaleris, ne, dum hominibus appetunt videri clariores, publicæ ſe obtrectationis dentibus exponant.

Extra montes potiſſimum, ubi nullum adeſt vitæ periculum, arma non deferant. In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus; nam arma militiæ noſtræ non car- 2 Cor. 10. 4.

ANNO CHRISTI 1703.

carnalia sunt, sed potentia Deo in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Caput non abradant, nec comas nutriant, in vertice tantum capitis clericalis tonsuræ signum in modum coronæ habeant, ut a populo internis segregatis charismatibus, externis quoque clericalis vitæ characteribus segregentur.

Vestes quantum fieri potest ad nigri, vel violacei saltem coloris accedant qualitatem, ut qui Deo facti sunt sacrificium, solum divini famulatus circumamicti vestimentis, Fidelibus saltem innotescant.

Ad altare non accedant, sacra peracturi Mysteria sine veste talari, quam vernacula lingua Dolamam vocant: quo enim propiores per incruenti sacrificii oblationem divinæ adsunt familiaritati, eo decentiori compositione superne inserviant majestati.

In commissi gregis custodia assiduis excubent vigiliis, & ut egentibus Sacramentorum administratione celeri prospiciant auxilio, intra fines suæ Parochiæ continuam sibi habitationem constituant, nec urgenti compulsi necessitate præscriptos fines transilire, nisi per tres, vel ad summum quatuor dies aberrandi facultatem assumant, viciniori parocho propriæ curæ commendantes custodiam.

Recitent Divinum Officium juxta præscriptam methodum a Breviario Romano, nec facultatem sibi arripiant Franciscani Breviarii ritibus inhærendi, quisquis enim sua ministerii sorte contentus, in qua vocatione vocatus est, per statuti exercitii disciplinam, persolvendi pensi executionem immobiliter persistat.

1. Cor. 7. 20.

Prophanas declinent solemnitates, quibus effrenata secularis licentia in commessationibus, ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitiis, in contentione, & æmulatione nonnullos festos dies haud devote celebrant, sed prophano ritu contaminant; quinimo in hac immanis præsuræ, quæ provinciæ nostræ incumbit, calamitate, episcoporum quoque cura, & auctoritate totis viribus satagant peccaminosam eliminare consuetudinem, & prudentibus monitis, & salutaribus præceptis Fidelibus insinuantes, tollendi abusus necessitatem, cum per illum, & ipsi in judicium conveniant, & pretiosa quæque dantes pro execrandi cibo convivii, gemunt postmodum, & quærentes, nec inveniunt panem ad refocillandam animam, nec quod deterius est, piisque lacrymis prosequendum, habentes pecuniam vectigalium onere sublevandi, a fide naufragant, & in barathrum Othomanicæ infidelitatis miserabiliter immerguntur, fitque eis mensa eorum in laqueum, in captionem, & in scandalum.

Ad Rom. 13. 13.

Thren. 10. 11.

Psal. 68. 23.

Illas quoque mensas a Parochiali domo omnino eliminent, quibus Festis pariter diebus in aliquibus locis solet populus propriis sumptibus manducans, bibens, & ludens, nulloque spirituali pabulo recreandus convenire: non enim æquum est, parochos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis, nec proprias domos habentes ad manducandum, & bibendum, sacras parochiales Ædes, in quibus potissimum Divina peraguntur mysteria, contemnere, & confundere eos, qui non habent.

Rom. 11. 9.

Act 4. 2.

Non immiscеant se negotiis secularibus, mercaturis potissimum, & aliis quibusvis negotiationibus illicitis, ac secularibus judiciis præsidentes, & criminales quoque causas judicantes, nullo modo dent operam. Tales enim, dum mundanæ vertiginis quotidie rotantur impulsu, a secularibus ulla vix ratio discernit. Possunt tamen, imo, & debent ea quæ pacis sunt, procurare, jurgia, rixas, contentiones more patrio, componere, cum Turcis de imminuendo tributi onere, & sublevanda Fidelium calamitate in summa Christianorum hominum charitatis, & idoneitatis penuria agere, & contractare.

ANNO CHRISTI 1703.

Cor. 11. 22.

Medicinam, & chirurgiam non exerceant, animæ, non corporis se Medicos profitentes.

Avaritiam, pecuniæque cupiditatem, quasi omnium criminum radicem, evitent, nec ullam miseræ parochianorum paupertati in extorquendis decimis violentiam adhibeant, ne sanguis subditorum, de manibus eorum requiratur, imo erga eos, ne in apostasim prolabantur, sua largientes misericordiæ viscera aperiant.

Munditiam cordis, castitatem corporis, tanquam præcipuam clericalis militiæ tesseram, ab omni nævo infamiæ illibatam conservent: canonicis Sacerdotes plectendi poenis, qui Sacrum dare, hoc est Sacrificium Deo offerre debentes, maligno se Spiritui non verentur per incontinentiam carnis victimam immolare.

Heb. 9.

Singulis saltem mensibus sacramentalis confessionis expiatione emundent conscientias suas ab operibus mortuis peccatorum ad inserviendum Deo viventi in Sanctitate, & justitia coram illo: Fidelibus quoque exemplum daturi frequentiori devotione ad poenitentiæ accedendi Sacramentum.

Nemo parochos, vel clericos ad turcica tribunalia citare audeat; cum enim ecclesiastici hominis ecclesiasticus Judex sit, ad solum episcopale forum in dirimenda inter clericos, vel cum clericis controversia accedendum est.

Quicumque in manu potenti, vel Turcarum brachio excelso suffultus in parochiam se intruserit, aut ab Ordinario suspensus, vel alia Ecclesiastica innodatus censura, violenta Turcarum officia, directe, vel indirecte expostulaverit, excommunicationis poenam incurrat, Romano reservatam Pontifici. Æquum enim est, ut qui summa imis per sacræ libertatis prophanationem contaminant, in infimam vilitatem degeneri abeuntes audacia, suprema anathematis censura pro Ecclesiastica immunitate feriantur.

Monentur episcopi, ut institutionem parochorum ipsis scripto adhibeant, ecclesiastici regiminis tutissimæ regulæ inhærentes.

Cum nihil magis officiat animarum saluti, quam ab illis gubernari, qui seipsos regere non possunt, curam omnem, ac solicitudinem impendant episcopi, ut ad animarum curam admittendi, obeundi muneris calleant rationem. Ad Sacerdotium provecti,

cti, parochialis ministerii rudimenta deponant sub directione alterius parochi, a quo officium suum rite obire addiscant. Incauta enim ducuntur præcipitatione, qui curandi gregis inexpertes ad parochialia provehunt ministeria, & sublato quandoque veterano parocho, & emerito Duce, novum, ac omnino rudem in pernicionem animarum subrogant curatorem.

Omnium Synodalium Decretorum parochi habeant exempla, illaque oculis lustrantes, assidua quoque mentis consideratione revolvant, & opere compleant: ipsorum vero incuriam, & negligentiam in observandis præscriptis sanctionibus, ubi nullas præscripsimus, discreto zeli fervore, episcopi arbitrariis pœnis coerceant.

CAPUT II.

De curatorum proventibus, eorumque recta, & œconomica administratione.

Omnia bona ecclesiæ, vel ex decimarum solutione, vel ex prædiorum fructibus, vel ex alio quocumque capite in parochiales proventus proficiscentia, peculium Christi merito nuncupatur. Traditur enim parochis, tum ad honestum eorum vitæ subsidium, & spiritualis sumptum ministerii, ut qui ecclesiæ inserviunt, de ecclesia quoque vivant, tum ad Christi familiam in pauperibus, & egentibus alendis sustentandam. Idcirco parochus præter animas sibi commissas, ecclesiæ quoque facultates pervigili semper attentione gubernet, ne vel ecclesiæ dissipator, vel, quod absit, pauperum jugulator per subtractionem alimenti videatur.

Caveat sub anathematis comminatione quidquam ex bonis ecclesiarum, sive mobilibus, sive immobilibus donare, vendere, aut alio quocumque modo, vel colore alienare, sed ea potius omni honesta ratione augere, & Christi facultatum vere Custos dicendus, & Pastor fideliter studeat observare.

Ut autem in præsenti calamitatum congerie parochialium ecclesiarum, quantum fieri potest, consulatur indemnitati, & quæ supersunt facultates, majori conserventur cautione, decernimus, & sancimus, ut omnium bonorum, mobilium, seu immobilium, jurium, actionum, annuorum censuum, sive redditum, cujuscumque parochialis ecclesiæ duo inventaria episcopi auctoritate munita conficiantur, quorum unum apud parochum, alterum apud ordinarium conservetur. Episcopi vero in suis visitationibus sedulo inquirent, an intacta omnia juxta instrumenti tenorem existant; quod, si quid deesse compererint, recuperare studeant, & parochi, cujuscumque alterius culpam, pœnis vindicent severioribus.

Parochus, qui, vel vineam plantavit, vel alio quocumque modo bona ecclesiæ auxit, impensi laboris gaudeat fructibus, nec nisi urgente canonica necessitate a parochiali officio removeatur.

Post obitum parochi ecclesiæ benefactoris, ejus secundum carnem hæredes, & propinqui, nihil audeant, de impensi sumptus ratione in ecclesiæ bonis vindicare, vel prætendere, eorumque temerarios ausus episcopi anathematis gladio compescant.

ANNO CHRISTI 1703.

Quoniam vero in nonnullis locis, plures parochi communi domicilio laudabiliter contenti, communis quoque spiritus unanimitate, quamvis in excolenda vinea Domini quandoque insudent, sepius tamen orta inter eos contentione, quis eorum in æconomica administratione videatur esse major, dum de ambitu certant superioritatis, perturbato rerum ordine in perniciem confoederantur christianitatis. Ne autem spirituale ædificium, quod charitate, & concordia coalescit, discordia maxime collabatur, præcipimus, & mandamus, ut præfati parochi in communi domo communi mensa victitantes, minores obsequantur majoribus, & qui diuturnioris servitutis merito cæteros antecellit, in æconomica quoque rerum administratione, ita antevertat, ut præter quotidianos necessarios sumptus, nec inferiores, sine primi parochi licentia, nec superiores, sine comparochorum consensu, quidquam audeant de communibus proventibus dispensare, aut alio quocumque modo disponere, sed singulis annis, ut solent, qui supersunt fructus, pro rata portione eos fideliter studeant dividere, ut de cætero charitas, quæ Deus est, individuæ unitatis in eis teneat principatum. Luc. 22. 24.

Quod si parochus in oculorum cæcitatem, vel in senilem ætatem, vel alium quemcunque morbum, potissimum lepræ inciderit, nec administrandæ compos curæ fuerit, alius illi parochus substituatur, cum quo cunctos fructus dividat, & propriæ necessitati provideat.

At vero, ubi parochiales proventus adeo tenues existunt, ut duos parochos non patiantur alendos, ne senescente jam mundo, charitas quoque refrigescat, cum omnes parochi in uno spiritu unanimes, alieni quoque casus ducti timore nobis expositi fuerint, se promptos, paratosque esse, miserrimæ parochorum impotentium paupertati, singulis annis impendere, quidquid a nobis sancitum fuerit. Nos digno commendationis elogio, mutuæ parochorum misericordiæ viscera prosequentes, discretionis zelo decernimus, ut pro substentando impotenti parocho, cui Dominicus semel ager ab eo excultus per supervenientem Curatum, ad victum necessaria non valeat suppeditare singulis annis, singuli parochi viginti occhas, ut vocant, tritici, & quadraginta argenteos, aspras dicunt, episcopi vero duplo magis subministrent, nec ad alios alterius jurisdictionis, nisi libera charitatis electione se extendant. Matt. 24. 12.

ANNO CHRISTI 1703.

CAPUT III.

De Alumnis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

Ea ineſt ſacræ Congregationi de Propaganda Fide charitatis amplitudo, ut dum veræ Religionis cultum longe, lateque per alias mundi nationes divino zeli fervore dilatare contendit, Albanæ quoque Genti iiſdem beneficentiæ commodis occurrat, potiſſima, in collegiis ſita, Albanæ juventuti bonis artibus, & diſciplinis inſtruendæ, ad divinæ gloriæ augumentum, patriæque ſalutem liberaliter elargitur. At vero tantæ pietatis opus, cum nonnullis ab hinc annis per filios inobedientiæ, ab inſtituti ſui ratione degeneres, inanium vilitate prætextuum violetur, digniſque fraudetur fructibus, Alumnos monemus per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, ut memores militiæ, cui nomen dederunt, peracto ſtudiorum curriculo in patriam properantes, nihilque cunctantes revertantur pro Deo, & eccleſia pugnaturi, nec non animas pretioſo Chriſti ſanguine redemptas, protenſiſque manibus eorum opem implorantes, ab hoſtibus, & inimicis Crucis Chriſti pro viribus defenſuri. Sciant ſe teneri, vitæ probæ, ac morum fulgore micantes, doctrinæ evangelicæ, ac zelo animarum ardore flagrantes, veluti candelabra ſupra montium jugis ſita, tenebras tam infidelitatis, quam hæreſeos viriliter diſſolvere, & intra fines propriæ provinciæ ſiſtentes, in Divinis adminiſtrandis omnem laborem, ſtudium, operamque pro animarum ſalute impendere. Hoc Deo voverunt, ſacræ congregationi ſpoponderunt, ut propterea piaculum ſit, doctrinæ uberioribus, bonorumque omnium ubertate impinguatos recalcitrare, & a promiſſa vitæ ratione, veluti nullis juvandæ Patriæ legibus adſtrictos, in viam efferatæ cujuſdam libertatis proſilire.

Urb 8. in Bul. erec. col. de Propaganda fide.

Illos vero, qui poſt annorum ſeriem extra fines provinciæ, nullo fulti ſacræ Congregationis beneplacito, propriæ tantum commoditati indulgentes, adhuc non verentur commorari, ſi ratio officii, & debiti toties monitos, honoris, ac ſalutis negligentes, movere non poteſt, ut in provinciam revertantur, moveat ſaltem patriæ calamitas, moveat animarum ſalus, quæ per eorum abſentiam deperdunt, juſtiſſimo Dei judicio de eorumdem manibus repetendæ.

Rogamus quoque, & enixe in Domino obteſtamur omnes, quotquot ſunt, archiepiſcopos, & epiſcopos, ut ſi quos hujus nominis Alumnos in ſuis diœceſibus noverint deliteſcere, zelo zelantes pro pene deſolata domo Dei, in patriam remittant, nullum excuſationis locum, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, quærentibus, ac falſis omnino prætextibus diſcriminum (quæ tamen pro animarum ſalute uſque ad ſanguinis effuſionem ſubire tenentur) laborantibus, relinquentes.

Meminerint Alumni, inſtituti ſui celſitudinem, nullius parochiæ finibus circumſcriptam, ſolo eſſe epiſcoporum arbitrio limitatam; idcirco peculiari quodam ſubjectionis genere epiſcopis pareant, illucque exactiſſima promptitudine accurrant, quo ejus juſſio vocat, neceſſitas major urget, & animarum ſalus, cui ſe perpetuo devoverunt, compellit; quicumque enim ſecus fecerit, ſciat ſe inobedientiæ nota ſugillandum, prætermiſſi quoque debiti ſui rationem Deo, & præfatæ ſacræ Congregationi redditurum.

ANNO CHRISTI 1703.

CAPUT IV.

De patribus Miſſionariis.

Miſſionariorum munus eſt docere, prædicare, & baptizare. Excelſum quidem miniſterium, quod in apoſtolicis viris ardor perpetuus, labor immenſus, zelus ſingularis, nulliſque limitibus circumſcriptus complet, ac perficit. Hinc militantis eccleſiæ ſtrenui bellatores, apoſtolorum veſtigiis, ac laboribus inhærentes, cum vitiis, & concupiſcentiis, cum inimicis crucis Chriſti præliaturi, ſtare debent, ſuccincti lumbos ſuos in veritate, & induti loricam juſtitiæ, & calcati pedes in præparatione evangelii pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, & qui in hac fidei paleſtra pro Deo, & eccleſia militantes, animarum ſalutem, religionis catholicæ incrementum, veluti pretioſa Chriſti trophea erigere jubentur, ad ſummos deinceps, ac vere apoſtolicos labores, per hæc noſtra Decreta excitantur: quidquid enim vel Apoſtatarum impietas, vel claudicantium iniquitas, vel cæterorum Chriſti fidelium præſtat detrimenti infirmitas, eorum præſertim opera mandamus reſtaurandum, quorum potiſſima cura fieri debent prava in directa, & aſpera in vias planas, ut in ſe reverſus videat omnis homo ſalutare Dei.

Philip. 3. 18.

Eph. 6. 14.

Luc. 3. 5.

Ne autem dum foris ſunt pugnæ, intus quoque appareant timores, in illud primo curam omnem, & ſolicitudinem intendant patres Miſſionarii, ut quidquid apoſtolicæ converſationis lucem obtenebrare poteſt, pro viribus diſſolvatur, & qui verbi miniſterium extra gerunt, intra domeſticos quoque parietes, ſolitum regularis diſciplinæ nitorem illibatum conſervent.

2. Cor. 5.

Quia vero qualibet victimarum oblatione melior eſt acceptabile Deo Sacrificium obedientia, in hujus ſanctæ, ac religioſæ virtutis obſervantia potiſſimum patres eminent, pendentes a nutu, & omnimoda directione patris præfecti, & quo ejus urget auctoritas, illuc, exactiſſima accurrant promptitudine, nullis omnino excuſationis prætextibus a præſtanda eximendi obedientia.

1. Reg. 6. 15. 22.

In abſentia præfecti parem gerant morem ejus viceſgerenti, ſive vicepræfecto, quem ipſe præfectus in alias regiones ex conſenſu Sacræ Congregationis de Propaganda Fide aliquando profecturus, ex numero patrum, non ſolum ætatis gravitate, aut diuturnioris merito ſervitutis, ſed probitatis, religionis, prudentiæ, cæteriſque eminentem

tem virtutum fulgoribus, eligat meliorem.

In quolibet hospitio, sive domo Missionis, obediant cæteri præposito, sive præsidenti, a præfecto, vel vicepræfecto ad tempus assignato, illique in æconomicis subditi sint, nihil dando, vel accipiendo, aut habendo sine ejus jussione. In animarum vero cura ambulent omnes cum consensu, in pari causa, pares animos, ac labores impendentes, nec in excolenda vinea Domini ullo præcedentiæ, aut majoritatis ambitu efferantur, quinimo præcedentes domi auctoritate, præemineant quoque foris exemplo, aliis modum præbentes, animas pretioso Christi sanguine redemptas per incommoda, per discrimina, per vincula, per carceres, per ipsam quoque sanguinis effusionem a Doemonis fraudibus eripiendi.

Non equitent juxta eorum regulæ præcepta sine necessitate, nec medicinam, sive chirurgiam exerceant sine Sanctæ Sedis indulto, ne dum aliorum curant infirmitates, ipsi in spiritualem morbum incidant graviorem; sciant tamen se animæ, non corporis medicos esse, ac, indulgente quoque licentia ad spiritualia potius, quam ad terrena medicamina attendant, plus animæ, quam corpori impendentes.

Ne inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur, ut seraphica jura clamant, nemo tam in Baptismi, quam Confirmationis Sacramento Patrini, vel Compatris munere fungatur. Nec ritum primos tondendi capillos pueris, puellisque exerceant: strictissimam enim religiosæ vitæ observantiam apostolici Missionarii officium, nec destruit, nec dispensat, imo perfectam professionem perfectiori vocatione, & faluberioris instituti ratione ædificat, & confirmat.

Meminerint patres, se coadjutores esse episcoporum; propterea communicato mutuæ charitatis ardore, in procuranda Dominici agri ubertate, manus dent episcopis, illosque sincera verbi Dei dissemination adjuvent in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.

Non coarctentur tamen ab episcopis ad examen pro confessione audienda, nec intra fines suæ Missionis ab eorum pendeant facultate, tam in exercendo munere confessarii, quam in obeundo prædicationis officio, cum ab ipsa instituti ratione, ac privilegio hujusmodi careant obligatione.

Priusquam vero exponantur officio audiendi confessiones a patre præfecto, vel ab alio, ad hoc specialiter deputato, examinentur circa peritiam Albanæ linguæ, ut latissimæ messis, meritique campum tutissimo cursu, & velut inoffenso percurrant pede.

Quod in superioribus, & aliis sequentibus capitulis de animarum curatoribus præscripsimus, idem quoque patribus respective injungimus, ut rebus religionis graviter inclinatis, apostolicos humeros supponentes, reparent Domum Dei. Cumque juxta Apostolum, verbum Dei non sit alligatum, non tantum sonet ecclesiis, sed per rura, per campos, per privata pauperum domicilia eorum vox, labor, & prædicatio decurrat, ne tepidus, aut frigidus apostolicæ sententiæ experiatur severitatem. Væh mihi si non evangelizavero, quia dispensatio mihi credita est.

Apostolico ritu Villulas suæ subditas Missioni assidue lustrent, dispersas Catholici nominis reliquias invisent, infirmos in Fide roborent, lapsos, & devios in viam salutis revocent: & redeuntibus aliis domum, alii quoque in messem nimis amplam, opportuno, & continuo motu succedant: Sic enim de Christi vinea assidua peregrinatione soliciti, venientes tandem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Pater præfectus Serviæ, & Albaniæ, semel in anno per omnes missiones, visitationis laborem extendat, & sacram congregationem de Propaganda fide, de illarum statu, ac spirituali progressu juxta traditam episcopis methodum certioret.

Idem quoque præstabit pater præfectus Macedoniæ, bis tamen in anno verno scilicet, & autumnali tempore Missiones numero pauciores lustrabit.

Uterque porro charitatis discretione permotus necessarias facultates patribus, & potissimum longiori via distantibus, communicet, ut subitis casibus opportuna applicentur remedia, ne dilato medicamine spirituale vulnus recrudescat.

CAPUT V.

De schola Corbinensi, & Alexiensi.

Inter cætera a sacra congregatione de Propaganda fide collata beneficentiæ argumenta, illud quoque numerandum est, quod provido zeli fervore externis studiis domesticam adjungens disciplinam, ad instituendos clericos in viis Domini, & litterarum informandos rudimentis, scholam Corbinensem annua magistro assignata pensione instituerit. Magna quidem hucusque fere in obeunda muneris sui ratione Gymnasiarchæ laborarunt negligentia, sed in ipsis potissimum præteritorum bellorum incendiis omni penitus extincto fervidæ charitatis igniculo, tam salutaria provinciæ exercitia fuere intermissa, sacra congregatio conceptæ spei expectatione fraudata, & ipsa Dyrachiensis provincia doctrinam, & morum integritatem in ecclesiasticis viris desiderans, alio deficiente instruendæ juventutis suffragio, per assiduitatem præfati magisterii, remedia opportuna dolenter flagitare non desinit. Quapropter Corbinensi Ludimagistro præcipitur, ut debiti sui memor assidua sollicitudine injuncti ministerii pensum satagat absolvere, quo, & propriæ consulat conscientiæ, & provinciæ egestati in summa idoneorum parochorum penuria, juxta piam mentem præfatæ sacræ congregationis succurrat. Methodum autem docendi talem retineat, & indispensabiliter observer.

Præter legendi intelligentiam, scribendi quoque peritiam tradat discipulis, utrumque enim parochialis exercitii, ad quod talia tendunt studia, basis est, & fundamentum. Nec scriptionis rationem, veluti parva quæque despiciat; deficientes namque in hoc uno, nec latinæ linguæ studiis, nec ecANNO CHRISTI 1703.

1. Cor. 9. 16.

ANNO CHRISTI 1703.

clesiastica pastorali queunt informari disciplina: hinc deplorabilis rerum status, parochorum legenda inscitia, & fidelium, qui ab idoneis propterea minime reguntur, miseranda magistrorum vitio oriuntur discrimina.

Postquam hæc prima documenta tradiderint, grammaticæ rudimentis Juvenes informet, necessaria latinæ linguæ cognitione imbuendos.

Assidua cathechismi explicatione, & harum provincialium constitutionum lectione illos exerceat, ut & ecclesiasticos ritus cognoscere, & recte animarum curam suo tempore possint ministrare. Hæc de litteraria disciplina; pauca quidem, sed in magnos processura animarum progressus, si exacta, uti debent magistri diligentia observentur.

At pari sedulitate curandum est, ut clerici in semita mandatorum domini dirigantur, & forma gregis efficiendi, pietatem, religionem, bonosque mores erudiantur.

Idcirco satagat, ut festis solemnioribus, & singulis mensibus conscientiam aperiant, peccata confiteantur, & si per prudentiam, & ætatem habiles sint, & sacris Dominici corporis dapibus reficiantur; modum quoque proprias conscientias exonerandi, & expurgandi illos edoceat, ut alienas quoque examinare addiscant.

Sabbato, vel alio commodiori hebdomadæ tempore libellum doctrinæ Christianæ memoriter cogat eos recitare, & per mutuas interrogationes de ipsa omni poscenti reddere rationem.

Quod si magister animarum curam exerceat, in parochialium rerum ministerio singulos clericos pro sua vice secum habeat, ut quod verbo illos edocet, opere quoque compellendo, modum pastoralis officii, faciliori exempli methodo clericis subministret.

Obtestamur autem in Domino, venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Dyrachiensem pro tempore existentem, ut pro debito pastoralis officii, pro vineæ domini ubertate, & commissi gregis securitate, tanti ponderis ministerio continua excubet vigilantia, ne assueta magistri negligentia discipulorum progressus desideretur, & totius dioecesis deploretur jactura. Super hoc quidem ejus oneratur conscientia, ut si præceptor munus obire neglexerit, sacram congregationem de Propaganda Fide certioret, quod desidi, & socordi alius idoneus, & muneri aptior sufficiatur.

Iisdem legibus pareat Ludimagister Alexiensis juxta piam mentem reverendissimi fratris Georgii episcopi Alexiensis. Vegliæ institutus eundem servet disciplinæ modum, eadem invigilet solicitudine, in ipsa temporum necessitate, in ecclesiasticæ disciplinæ jactura, & ecclesiæ prodesse, & communi utilitati consulere piis studiis insudet, totisque viribus satagat, & incumbat.

CAPUT VI.

De consulendo communibus provinciæ necessitatibus.

ANNO CHRISTI 1703.

Inter cæteras pastoralis officii sollicitudines, quibus incessanter premimur, illa quoque fortius nos angat, ut quidquid ad sublevandas Fidelium calamitates, populosque tam Serviæ, quam Albaniæ in Fidei sinceritate (quolibet semoto obscuritatis velamine) immobiles inviolatosque servandos, conferre potest, totis viribus amplectamur, & promoveamus. Sane tot tributorum onera gravia, & intolerabilia, quibus fidelium pauperies opprimitur, & non habentes, unde solverent, in baratrum Maometicæ sectæ miserabiliter prolabuntur, diruptæ ecclesiæ, quibus restauratio ad decorem domus Dei, per manum Turcarum præpotentem denegatur, sacerdotum quoque oppressiones, & alia malorum agmina, quæ in provinciarum confoederantur jacturam, & Petri naviculæ partem, instantibus procellis debilitare videntur, a rectoribus quidem potissima exposcunt remedia. Clamandum plane est in naufragii periculo constitutis & precibus ad Deum fusis dicendum: Domine salva nos, perimus, ut qui nostris iniquitatibus offensus, hactenus in puppi dormitasse videtur, exurgat tandem in adjutorium nostrum, & dissipentur inimici ejus, imperetque ventis, & mari, fiatque tranquillitas magna. At qui nullius creaturæ suæ indiget ministerio Deus, vult tamen pro sua benignitate, humanis quoque nos insudare cooperationibus. Hæc itaque a Metropolitano archiepiscopo visitatore proposita, & mature considerata, attendens, statuit sacra synodus, ut ad Legatos Christianorum principum Constantinopoli degentes expressa idonei viri expeditione nomine provincialis synodi litteræ mittantur, eorum auxilia implorentur nostris malis opportuna. Sumptus necessarios, tam pro itinere, quam pro quacumque rei exigentia, archiepiscopis, & episcopis singulis pro rata persoluturis. Sperandum quidem est, Deum Optimum Maximum, in cujus manu sunt omnium potestates, & omnium jura regnorum, quippe suscitavit spiritum Cyri Persarum regis, ut ædificaret ei domum in Jerusalem per Christianissimorum instantiam virorum, zelo zelantium pro domo Domini exercituum, Turcarum corda immutaturum in melius ad laudem, & gloriam ejusdem Omnipotentis Dei, decorem domus ejus, Catholicæ religionis incrementum, Fideliumque omnium salutem, & securitatem.

Matth. 8. 25.

Psal. 67. 1.

Matth. 8. 26.

2. Paral. 36. 22.

CONCLUSIO.

OMnia, & singula pro muneris nostri, & injuriæ temporum ratione habita, & constituta decreta sanctissimo domino nostro Christi in terra vicario, universalis ecclesiæ moderatori maximo, infallibili dogmatum legislatori, & judici, ea qua in hac nostra synodo legitime congregata, debemus humi-

humilitate, genibus in obedientiam flexis, submittimus, & sanctæ Romanæ ecclesiæ omnium ecclesiarum Matri, & magistræ, nec non sacræ congregationi cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum emendanda, & corrigenda ad laudem Omnipotentis Dei, Fideique propagationem toto animi obsequio subiicimus.

Nos Vincentius Zmajevich archiepiscopus Antibarensis Serviæ primas, visitator apostolicus Albaniæ definientes subscripsimus.

Ego Petrus Zumi archiepiscopus Dyrachiensis assentiens subscribo.

Ego Petrus Caragich archiepiscopus electus Scuporum assentiens subscribo.

Ego Georgius episcopus Sappatensis assentiens subscribo.

Ego Nicolaus Uladagni episcopus Alexiensis assentiens subscribo.

Ego Antonius Babbi electus episcopus Scodrensis assentiens subscribo.

Ego Marinus Gini electus episcopus Pullatensis assentiens subscribo.

Fr. Ægidius de Armento præfectus apostolicæ Missionum Albaniæ meo, & PP. missionariorum nomine assentior.

Ego Fr. Franciscus Maria a Lycio præfectus apostolicus missionum Macedoniæ meo, & missionariorum nomine assentior.

Ego Fr. Martinus a Gionima minister provincialis meo, & patrum de observantia nomine assentior.

Fr. Raymundus Gallani a Secretis.

Litteræ instrumentales decisivæ confinium inter episcopatum Alexiensem, & archiepiscopatum Dirrachiensem.

IN nomine Christi amen. Anno a Nativitate ejusdem 1638. indictione 6. die vero 14. decembris: Actum Merchigne Dioecesis Alexiensis, in Ædibus episcopalibus solitæ residentiæ illustrissimi, & reverendissimi episcopi Alexiensis, coram me Francisco de Leonardis Archidiacono Tragurienſi, & in hac causa commissario, & executore Sacræ congregationis eminentissimorum, & reverendissimorum cardinalium negotiis Propagandæ Fidei prepositorum, nec non coram admodum reverendo patre Hyacinto a Cespitello minoris obsèrvantiæ reformatorum missionario apostolico in Epiro, & coram infrascriptis testibus specialiter ad hoc vocatis, & rogatis &c.

Ibique personaliter constituti Illustrissimus, & reverendissimus, Dominus frater Benedictus Ursinus Ragusinus episcopus Alexiensis ex una parte, ac illustrissimus, & reverendissimus Dominus frater Marcus scura de Croja episcopus Albanensis, ac totius archiepiscopatus Dirrachiensis administrator universalis ex alia, sponte &c. voluntarie &c. per se, & successores suos omni meliori modo &c. devenerunt ad infrascripta pacta, transactiones, & conventiones (salvo tamen semper, & quatenus opus fuerit, consensu, & beneplacito sedis Apostolicæ, ac præfatæ sacræ congregationis Propagandæ Fidei) videlicet. Cum diu controversum fuerit, & variæ lites, & dissidia interceserint tam inter ipsos supradictos illustrissimos, & reverendissimos Dominos episcopos Alexiensem, & Albanensem, quam inter eorum prædecessores, nec hactenus ullo pacto componi, seu omnino definiri potuerint super fines, & limites utriusque ecclesiæ Alexiensis, & Albanensis a parte Orientis, & jura episcopalia in diversis ecclesiis, tam parochialibus, quam simplicibus infra eosdem terminos, seu fines existentibus. Cumque tandem supradicta congregatio de Propaganda Fide, per expressas litteras sub data 24. aprilis 1638. quarum executionem mihi supradicto archidiacono mandavit, ipsi illustrissimo, ac reverendissimo Domino episcopo Albanensi commisit, ut observaret fines, & terminos in folio sibi transmisso descriptos, ac cederet ecclesias in eodem folio enunciatas juri, & jurisdictioni ejusdem episcopi.

Tenor autem litterarum, & folii annexi sequitur. A tergo: illustrissimi, & reverendissimi signori come fratelli monsignori li vescovi Sappatensi, e d' Albania; intus verò: molto illustri, e Reverendissimi signori come fratelli. Essendosi in questa sagra congregazione esaminata con diligenza la differenza de' confini, che hanno le signorie vostre con monsignor fra Benedetto vescovo d' Aleſſio, è paruto a questi miei eminentissimi signori, che li confini notati nell' aggionto foglio siano ben provati a favore del sudetto vescovo d' Aleſſio, e che le chiese nel medemo foglio nominate s' appartenghino a quello, però non essendo bene, che le signorie vostre contendino più sopra li sudetti confini per lo scandalo, che possono ricevere non solo li fedeli, mà gl' infedeli ancora, e per altri gravi inconvenienti, che sogliono succeder da simili contese, e massime in coteste parti sotto li Turchi, la medema sacra congregazione desidera, che si quietino, ed osservino li sudetti confini, e lascino alla detta cura del vescovo d' Aleſſio le chiese nel detto foglio enunciate, sicure di fare cosa gratissima all' istessa sagra congregazione, e per fine me le offero, e raccomando. Roma li 24. aprile 1638.

Delle signorie vostre come fratello il cardinal Antonio Barberino, Francesco Ingoli secretario. Ad latus verò: vescovi d' Albania, e Sappatense. Foglio: confini della Dioceſi del vescovato d' Aleſſio. Dalla parte Orientale confina per parte del mare con la Dioceſi del vescovato di Croja, mediante il fiume Màtia, caminando per S. Giorgio di Cucula, trà il detto fiume Matia, e Fandi, per San Nicolò di Massagni, e S. Maria di Laccigheghi, e deriva insino al fiume Drino per drittura. Dalla parte Occidentale confina parimente con la Dioceſi del vescovato di Scuttari mediante il Pantano Casticuccia per mezzo la villa di Cuculi, per foglietta maggiore, cioè albero grande, in nostra lingua, d'olmo, e di più con il vescovato Sappatense, mediante il ponte della villa di Blinisci, e per luogo detto Stogh, cioè Sambucco, e per torrente detto Chissoeba, e per Palumbo, e per S. Nicolò

ANNO CHRISTI 1703.

colò de Calami, ed à drittura al ponte di Lecca, o pure a drittura al viaggio detto Sissa, e deriva al fiume Drino, per la costa di monte negro tra Ballani, e Fandi picciolo, ed Elia al fiume Confni.

Chiese, che appartengono alla Diocesi del vescovato d' Alessio contenute fra li soprascritti confini. Sanctus Nicolaus Alexii cathedralis. Sanctus Georgius e Sancta Maria de Castello; item Sancta Maria ultra flumen monasterium. Sanctus Joannes de Rennense. Sancta Veneranda de Ballareni. Sanctus Nicolaus de Cacharich. Sancta Eufemia de Calameti. Sanctus Salvator de Velia, Sanctus Joannes de Merchigna, Sancti Cosma, & Damianus de Manthia. Sanctus Blasius de Salumundi, Sanctus Demetrius de Darda, Sanctus Alexander de Bocchiano, & Gaibbi, Sanctus Nicolaus de Soimeno, Sancta Barbara de Pedana, Sanctus Georgius de Ficu. Sanctus Salvator de Rebico, Sanctus Georgius de Cucula, Sanctus Joannes de Bulgari, Sancta Maria de Nderfandina, & de Blexis, Sancta Veneranda, & Sanctus Marcus de Nchtella, Sanctus Alexander supra Montem Miriditarum, Abbatia, Sancta Maria, & Sanctus Marcus de Fandi Vogoli, San. Demetrius de Fandi Maye, Sanctus Paulus, & Sanctus Stephanus de Blinisti, Sancta Maria de Sperdasa, San. Georgius de Gianula, Sanctus Michael de Castagneti, Sancta Crux ad Flumen Glomesichium, Sanctus Nicolaus de Flumine Calami, Sancta Veneranda de Reja, Sancta Trinitas de Schiesa, & Sancta Maria Magdalena de Barbatiorum, & tandem aliæ quædam destructæ, aliæ vero parvi momenti inter supradictos terminos dioecesis Alexiensis.

Verum cum aliqua difficultas oriretur circa totalem executionem supradictæ commissionis sacræ congregationis, præcipue circa nonnullas ecclesias, quarum jura episcopalia prætendebat idem illustrissimus, & reverendissimus Albanensis suos prædecessores habuisse per immemorabilem possessionem, habita etiam accurata consideratione locorum, & populorum, perpensis quoque incommodis facile emersuris, si ipsa adamussim, & integre demandaret executioni, ob bonum pacis, & concordiæ tam ipiorum illustrissimorum, & reverendissimorum episcoporum; quam animarum illis commissarum, & ad vitanda scandala multoties hac de causa orta, prædictus illustrissimus, & reverendissimus Albanensis, seu Crojensis, tanquam filius obedientiæ, sciens rem gratissimam facturum sanctæ sedi apostolicæ, & sacræ congregationi de propaganda Fide, virtute ejus commissionis per se, & successores suos, sponte, & libere cessit, & reliquit curæ, & jurisdictioni illustrissimi & reverendissimi domini episcopi Alexiensis ecclesias infrascriptas, videlicet S. Mariam de Nderfandina, S. Alexandrum supra montem Miriditarum abbatiam, sanctam Mariam, & sanctum Marcum de Fandi Vogoli, S. Demetrium de Fandi Maye, S. Paulum, & sanctum Stephanum de Blinisti a Se, & a prædecessoribus suis olim possessas cum omnibus prædiis, possessionibus, juribus, & pertinentiis suis, itaut in ipsis habeat, & exerceat per se, vel per substitutos suos libere, & pacifice omnia, & quæcunque jura episcopalia, tanquam proprius episcopus, & ordinarius earum. Ex altera vero parte illustrissimus, & reverendissimus dominus episcopus Alexiensis cessit, & reliquit eidem illustrissimo, & reverendissimo domino episcopo Albanensi, seu Crojensi omnia jura, rationes, actiones, & prætensiones, quas quomodocunque, & qualitercunque habuit, aut habere potuit supra ecclesias sancti Georgii de Cucula, sancti Joannis de Bulgaris, sanctæ Mariæ de Lassineghi, sanctæ Venerandæ, & sancti Marci de Nchtella, sancti Blasii, seu sancti Alexandri de Selita parochialis, itaut sint, & intelligantur jurisdictionis ordinariæ prædicti illustrissimi, & reverendissimi episcopi, et ecclesiæ Albanensis, seu Crojensis, cui perpetuo incorporatæ, & annexæ existant, ac præfatus episcopus in eis omnia jura episcopalia, licite, libere, et pacifice exercere valeat, nec ullo unquam tempore sub quovis quæsito colore possit hac de re a quocunque molestari, seu inquietari. Insuper supradictus illustrissimus dominus Albanensis, seu Crojensis promisit, & se obstrinxit curare, & facere, ut tam ecclesiastici, quam seculares cedant, & relinquant omnia prædia, possessiones, & jura quomodolibet pertinentia ad ecclesiam abbatialem Sancti Salvatoris de Rebico, adstringendo illos ad relaxationem dictorum bonorum per censuras ecclesiasticas, & alias poenas contentas in sacris canonibus contra invasores, & detentores bonorum ecclesiasticorum. Et pariter ipse illustrissimus, & reverendissimus Alexiensis spondet, & promittit, se officio veri, & bonis Pastoris functurum, in commonendis, & persuadendis Miriditis, præcipue illis, qui parochiæ Sanctæ Mariæ de Nderfandina subjecti sunt, ne hostilliter fines, & subditos ipsius illustrissimi & Reverendissimi Albanensis invadant, & versa vice idem pollicitus est ipse Illustrissimus. & Reverendissimus Albanensis, ut subditi ipsorum quiete, & pacifice, sic ut decet Christi Fideles, imposterum vivant. Nec quilibet dictorum reverendissimorum episcoporum possit ullo pacto facere exactiones, seu quovis modo se intromittere in ecclesiis, seu parochiis alterius, & ita promiserunt, & se in verbo veritatis adstrinxerunt exequi imposterum, & observare omnia, & singula præmissa sub obligatione in forma cameræ Apostolicæ, & non solum hoc, sed omni meliori modo, & jure, volentes, & intendentes, ut pro expressis, & nominatis habeantur, omnia, & singula, quæ hic de Jure, seu de stilo Curiæ Romanæ, & ad majorem firmitatem, & validitatem hujus transactionis, & conventionis, exprimenda essent. In quorum fidem prooriis etiam manibus se subscripserunt, die, mense, & anno, quibus supra.

Ita est Nos Fr. Benedictus Episcopus Alexiensis, qui supra manu propria.

Ego Fr. Marcus Scura Episcopus Albanensis, ac etiam totius Dirrachiensis Provinciæ administrator, qui supra, mana propria.

ANNO CHRISTI 1703.

Ego

ANNO CHRISTI 1703.

Ego D. Marcus Gianſius fui præſens.
Ego D. Jacobus Iſius ſacerdos fui præſens

Loco ✠ Sigilli.

Ego Franciſcus de Leonardis archidiaconus Tragurienſis, & commiſſarius ſacræ congregationis de Propaganda Fide, qui ſuprà, de mandato etiam ſupraſcriptorum illuſtriſſimorum, & reverendiſſimorum dominorum epiſcoporum hoc publicum tranſactionis inſtrumentum in hanc formam redegi, manuque mihi fida tranſcripſi, ac proprio ſigillo, quo in ſimilibus uti ſoleo munivi, & in fide me ſubſcripſi.

F. Hyacinthus a Ceſpitello miſſionarius apoſtolicus proſecretarius.

Litteræ inſtrumentales deciſivæ confinium inter epiſcopatum Sappatenſem, & Alexienſem.

IN Chriſti nomine Amen. Anno a Nativitate ejuſdem 1638. Indictione 6. die vero 20. Decembris actum Sappæ in ædibus epiſcopalibus coram me Franciſco de Leonardis archidiacono Tragurienſe, & in hac cauſa commiſſario ſacræ congregationis de Propaganda Fide, nec non coram admodum reverendo patre fratre Hyacintho a Ceſpitello ordinis minorum ſtrictioris obſervantiæ miſſionario apoſtolico in Epiro, & coram infraſcriptis teſtibus ſpecialiter ad hoc vocatis, & rogatis: ibique perſonaliter conſtituti Illuſtriſſimus, & reverendiſſimus Dominus Fr. Benedictus Urſinus Raguſinus epiſcopus Alexenſis ex una parte, ac Illuſtriſſimus, & reverendiſſimus dominus Franciſcus Blancus epiſcopus Sappatenſis ex altera, ob bonum pacis, & per modum pacificæ concordiæ, ſponte &c. voluntarie &c. per ſe, & ſucceſſores ſuos omni meliori modo &c. devenerunt ad infraſcripta pacta, tranſactiones, & conventiones, ſalvo tamen ſemper, & quatenus opus fuerit, conſenſu, & beneplacito ſedis apoſtolicæ, & præfatæ ſacræ congregationis, videlicet, Dum diu controverſum fuerit, & variæ lites, & diſſidia interceſſerint, tam inter ſupradictos illuſtriſſimos, & reverendiſſimos epiſcopos Alexienſem, & Sappatenſem, ſuper fines, & limites utriuſque eccleſiæ, & jura epiſcopalia in diverſis eccleſiis, tam parochialibus, quàm ſimplicibus, intra eoſdem terminos, ſeu fines exiſtentibus: cumque tandem ſupradicta ſacra congregatio per expreſſas litteras ſub data 24. Aprilis 1638. quarum executionem mihi ſupradicto archidiacono mandavit, ipſi illuſtriſſimo, ac reverendiſſimo epiſcopo Sappatenſi commiſerit, ut obſervaret fines, & terminos, in folio ſibi tranſmiſſo, deſcriptos, ac cederet eccleſias in eodem folio enunciatas, curæ, & jurisdictioni epiſcopi Alexienſis: Tenor autem litterarum, & folii annexi ſequitur. A tergo: All' illuſtri, e reverendiſſimi ſignori come fratelli monſignori li veſcovi Sappatenſi, e d' Albania. Eſſendoſi in queſta ſacra congregazione eſaminata con diligenza la differenza de' confini, che hanno le ſignorie voſtre con monſignor Fra Benedetto veſcovo d' Aleſſio, è parſo a queſti eminentiſſimi Signori, che li confini notati nell' aggiunto foglio, ſiano ben provati a favore del ſuddetto veſcovo d' Aleſſio, & che le Chieſe nel medemo foglio nominate, apartenghino a quello. Però non eſſendo bene, che le Signorie Voſtre contendino più ſopra li ſuddetti confini per lo ſcandolo, che poſſono ricevere non ſolo li Fedeli, ma gl' Infedeli ancora, e per molti gravi inconvenienti, che ſogliono ſucceder da ſimili conteſe, e maſſime in coteſte parti ſotto del Turco, la medema ſagra Congregazione deſidera, che ſi quietino, ed oſſervino li ſudetti confini, e laſcino alla detta cura del veſcovo d' Aleſſio le chieſe nel detto foglio enunciate, ſicure di far coſa gratiſſima all' iſteſſa ſagra Congregazione, e per fine me le offero, e raccomando. Roma li 24. Aprile 1638. Delle Voſtre Signorie come Fratello il cardinal Antonio Barberino, Franceſco Ingoli ſecretario. Ad latus vero: veſcovi d' Albania, e Sappatenſe. Foglio: confini del Veſcovato d' Aleſſio. Dalla parte orientale confina per parte del mare con le dioceſi del Veſcovato di Croja, mediante il fiume Màtia, caminando per S. Giorgio di Cucula, tra il detto fiume Màtia, e Fandi, per San Nicolò di Maſſagni, e S. Maria di Laviheghi, e deriva infino al fiume Drino per drittura. Dalla parte occidentale confina parimente con la dioceſi del veſcovato di Scutari mediante il Pantano Caſticuccia per mezzo la villa di Cuculi, per foletta maggiore, cioè albero grande, in noſtra lingua, detto Olmo, e di piu con il veſcovato Sappatenſe, mediante il Ponte della villa di Bliniſcti, e per luogo detto Stogh, cioè Sambuco, e per torrente detto Chiſobla, e per Palumbo, e per S. Nicolò de Calameti, ed a dirittura al Ponte di Lecca, e pure a dirittura al viaggio detto Siſaco, e deriva al fiume Drino, per la coſta del Monte negro tra Balani, e Fandi picciolo, e Talia, al fiume Coſmi. Chieſe, che appartengono alla dioceſi del veſcovato d' Aleſſio contenute dalli ſopradetti confini. Sanctus Nicolaus Alexii cathedralis, ſanctus Georgius, & ſancta Maria de Caſtello; item ſancta Maria ultra flumen, monaſterium, ſanctus Joannes de Reneſi, ſancta Veneranda de Baldreni, ſanctus Nicolaus de Cacarichi, ſancta Euphemia de Calameti, ſanctus Salvator de Velia, ſanctus Joannes de Merchigne, ſancti Coſma, & Damianus de Màtia, ſanctus Blaſius de Salomundi, ſanctus Demetrius de Darda, ſanctus Alexander de Bochiano, & Gaibbi, ſanctus Nicolaus de Zoimeni, ſancta Barbara de Pedana, ſanctus Georgius de Fico, ſanctus Salvator de Rebico, ſanctus Georgius de Cucula, ſanctus Joannes de Bulgari, ſancta Maria de Nderfandina, e di Bleſci, ſancta Veneranda, & ſanctus Marchus de Nchtella, ſanctus Alexander ſuper montem Miriditarum, abbatia, ſancta Maria, & ſanctus Marcus de Fandi Vogole, ſanctus Demetrius de Fandi Maye, ſanctus Paulus & ſan-

ANNO CHRISTI 1703.

ANNO CHRISTI 1703.

& ſanctus Stephanus de Bliniſcti, ſancta Maria de Sperdasa, ſanctus Georgius de Giunale, ſanctus Michael de Caſtagneti, ſancta Crux ad flumen Glomiſichia, ſanctus Nicolaus de flumine Calamai, ſancta Veneranda de Reeia, ſancta Trinitas de Schieſa, & ſancta Maria Magdalena de Barbiciori, & tandem aliæ quædam deſtructæ, aliæ vero parvi momenti inter ſupradictos terminos dioeceſis Alexienſis.

Verum cum aliqua difficultas oriretur circa totalem executionem ſupradictæ commiſſionis, præcipuæ circa nonnullas eccleſias, & villas, quarum jura epiſcopalia prætendebat idem reverendiſſimus Sappatenſis, ſuos prædeceſſores habuiſſe per immemorabilem poſſeſſionem, habita etiam accurata conſideratione locorum, & populorum, perpenſis quoque incommodis facile emerſuris, ſi ipſa adamuſſim executioni mandaretur, ad vitanda ſcandala multoties hac de cauſa orta, prædictus reverendiſſimus Alexienſis per ſe, & ſucceſſores ſuos ſponte, & libere ceſſit, & reliquit eidem illuſtriſſimo, & reverendiſſimo epiſcopo Sappatenſi omnia jura, rationes, & actiones, & prætentiones, quæ quomodocunque, aut qualitercunque habuit, & habere potuit ſuper villam Bliniſcti infra Pontem a parte orientis, & meridiei, & ſupra villam Troſciani eccleſiam ſancti Nicolai de flumine Calami, & eccleſias, & villas terræ Spaffi inter flumen Gona, & flumen Lumi, ita ut ſint, & intelligantur juriſdictionis ordinariæ prædicti reverendiſſimi domini epiſcopi, & eccleſiæ Sappatenſis, cui perpetuo incorporatæ, & annexæ exiſtant, ac præfatus epiſcopus in eis omnia jura epiſcopalia, licite, libere, & pacifice exercere valeat, nec ullo unquam tempore, ſub quovis quæſito colore, poſſit ſuper his a quocunque moleſtari, ſeu inquietari. Ex altera vero parte ipſe illuſtriſſimus, & reverendiſſimus epiſcopus Sappatenſis, tanquam filius obedientiæ ſciens ſe rem gratiſſimam facturum ſanctæ ſedi apoſtolicæ, & ſacræ congregationi ſupradictæ, virtute ejus commiſſionis per ſe, & ſucceſſores ejus ſponte, & libere ceſſit, reliquit curæ, & juriſdictioni illuſtriſſimi, & reverendiſſimi epiſcopi Alexienſis, & ejus ſucceſſoribus cæteras omnes eccleſias in ſupradicto folio annotatas, & præcipue villam de Bardagni nuncupatam in parochiali eccleſia Calameti cum omnibus prædiis, poſſeſſionibus, juribus, & pertinentiis ſuis, ita ut in ipſis habeat, & exerceat per ſe vel per ſubſtitutos ſuos libere, & pacifice omnia, & quæcunque jura epiſcopalia, tanquam primus epiſcopus, & ordinarius eorum, & ita promiſerunt, & ſe in verbo veritatis adſtrinxerunt exequi impoſterum, et obſervare omnia et ſingula præmiſſa ſub obligatione in forma cameræ apoſtolicæ, non ſolum hoc, ſed omni meliori modo, et jure, volentes, et intendentes, ut pro expreſſis, et nominatis habeantur omnia, et ſingula, quæ de jure, ſeu de ſtilo curiæ ad majorem firmitatem, et validitatem hujus tranſactionis, et pacificæ conventionis, exprimenda eſſent. Eccleſiæ autem contentæ inter flumen Gloska, & flumen Lumi terræ de Spaffi ſunt, ſanctus Elias de Piſta, ſanctus Joannes de Medula, ſancta Maria de ſancta Maria, ſancta Crux de Cruce, Sanctus Sebaſtianus de villa Datana, ſancta Barbara de Schieja, ſanctus Stephanus, et ſanctus Demetrius do Spaffi, Sancta Ruena de Monte Rueno, & ſi quæ aliæ ſunt inter dictos terminos. In quorum fidem propriis manibus ſe ſubſcripſerunt, die, menſe et anno, quibus ſupra.

Ita eſt nos Fr. Benedictus Urſinus epiſcopus, qui ſupra &c.

Ita eſt nos Franciſcus epiſcopus Sappatenſis, qui ſupra &c.

Jo Lecca Lumeri chierico fui preſente.
Jo Marco chierico fui preſente.

Loco ✠ Sigilli.

Ego Franciſcus de Leonardis archidiaconus, & commiſſarius, qui ſupra, auctoritate etiam ſupradictorum illuſtriſſimorum, & reverendiſſimorum epiſcoporum, in hanc formam hoc publicum tranſactionis inſtrumentum redegi, manu mihi fida tranſcripſi, proprio ſigillo munivi, & me ſubſcripſi.

F. Hyacinthus a Ceſpitello miſſionarius apoſtolicus proſecretarius.

ANNO CHRISTI 1720.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Sedit ab anno 1721. *usque ad* 1724.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Sedit ab anno 1724. *usque ad* 1730.

SYNODUS PROVINCIALIS RUTHENORUM

HABITA

IN CIVITATE ZAMOSCIÆ

Anno MDCCXX.

AD SS. D. N. BENEDICTUM PP. XIII.

BEATISSIME PATER.

OPus, beatiſſime pater, Clementis XI. juſſu, & auſpiciis feliciter inchoatum, ſed Innocentii XIII. præceſſoris tui favente numine felicius conſummatum, feliciſſime ſub hiſce ſupremi regiminis tui primordiis in lucem edendum, tibi uni, jure quidem optimo, debitum, convenienſque munus eſt. Illam enim Petri ſedem egregie aſcendiſti, quæ licet juxta humanarum omnium rerum volubilitatem, ac vices, nunc iſti, nunc illi ſit viſibiliter adjudicata moderatori, dum hæc generatio advenit, illa præterit, eadem tamen ſemper eſt, atque uni inviſibili capiti Chriſto Domino firmiſſime copulata, ad conſummationem uſque ſæculorum firmitatem ſuam ſervabit indemnem. Quapropter ſive ea recenſeas, quæ Clemens XI. (Eximium ſane eccleſiæ Decus) magnanimitate ſua, zelo, atque amoris ergo in Ruthenam gentem pro convocanda provinciali hac ſynodo contulerit; ſive illa perpendas, quæ ad eandem numeris omnibus abſolvendam non impar præceſſori ſuo Innoc. XIII. ſuppeditarit, tua ſunt, tua fiunt, tibi debentur; eo vel maxime, quia nulla ſit in hoc opere pars, quæ peculiaribus tuis laudibus carere poſſit. Scelerum damnationem, confutationemque errrorum complectitur; quos nedum, vel ab incunabulis averſatus es; ſed exemplo tuo ipſis eccleſiæ hoſtibus reverendo, præfocaſti; quinimmo ſingulari doctrina, expolitaque dicendi ratione, ſive publicis patefacta typis, ſive oretenus ovibus tuis noctu, diuque per amoena viarum, atque aſpera montium, vel obſtrepentibus pluviis, vel æſtu Solis ſæviente adminiſtrata, extinguendos prorſus accepiſti: ſummorum pontificum decreta, ac jura commemorat, quorum authoritatem, quæ, toto exultante orbe, tua nunc eſt, nedum apprime reveritus es; ſed exequutioni amuſſim mandari, nec latum unguem præteriri, eccleſiaſticæ libertatis vindex acerrimus mire juſſiſti. Hoc in opere plurimorum conciliorum acta, fines, & canones reſerantur ad repellendos abuſus, ad conformandos mores, ac præſertim ad collabentes nonnullos reparandos ritus, ceremonias, diſciplinas; quæ ſacramentorum mundiciem, altarium decus, ac ſacrarum ſolemnitatum concernunt hierarchiam. Nonne omne ſtudium tuum, ac ſedulitatem contuliſti, ut ſincera Chriſti fides, & apoſtolica traditio incorrupta ſervaretur; ut ſanctior diſciplina reflores ceret, atque eccleſia Dei vere tanquam ſponſa ornata viro ſuo, ſicut in miniſtrorum puritate, inceſſu, ac forma; ita in templorum ornatu, & præſantia, atque ſacri muneris omnigena honeſtate undequaque niteſceret. Excipe igitur, beatiſſime pater, Ruthenæ gentis meæ, imo tuæ potius, iſthæc vota, ſubmiſſionis, atque obedientiæ argumenta, ne rivulus (ut advertebat S. Cyprianus) a fonte diviſus putreſcat, neve ramus ab arbore reciſus areſcat. Interim cum grege meo Deum deprecor, ut te pontificem Maximum in iſthac rerum tempeſtate ſummopere opportunum, ac miris ſane modis nobis datum, eccleſiæ diu incolumem ſervet, & fauſtis ſemper ominibus ad majora jugiter provehat incrementa.

Sanctitatis veſtræ domini mei clementiſſimi

Scabellum Pedum, & exorator indefeſſus
Leo archiepiſcopus Metropolitanus totius Ruſſiæ m. pp.

BE-

ANNO CHRISTI 1720.

BENEDICTUS PP. XIII.

ANNO CHRISTI 1720.

Ad futuram rei memoriam.

APoſtolatus officium, quod inſcrutabili Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati noſtræ committere dignata eſt, ſalubriter exequi adjuvante Domino jugiter ſatagentes, illa quæ a catholicis antiſtitibus in partem ſollicitudinis noſtræ vocatis pro felici Dominici gregis ſibi commiſſi regimine, ac Chriſtianæ religionis, catholicæque Fidei propagatione, & progeſſu prudenti, providaque pietate ſalubriter conſtituta, & ordinata eſſe noſcuntur, ut firma, atque ſtabilia perſiſtant Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio libenter roboramus. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit venerabilis Frater modernus metropolita Ruſſiæ, quod ipſe una cum venerabilibus Fratribus epiſcopis Ruthenis unitis ſub præſidentia venerabilis pariter Fratris Hieronymi archiepiſcopi Edeſſen. tunc in regno Poloniæ ſedis apoſtolicæ cum facultatibus Legati de latere nuncii pro felici, ſalubrique Chriſti fidelium earumdem partium curæ ſuæ paſtorali commiſſarum in via mandatorum Domini directione & chriſtianæ Fidei, ac religionis propagatione, piorumque operum progreſſu, & incremento ſynodum provincialem Ruthenam in Civitate Zamoſciæ Anno MDCCXX. celebravit, multaque in illa ſtatuta, decreta, & ordinationes edidit. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat prædictus modernum metropolita præmiſſa quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret, nos piis ejuſdem metropolitæ votis hac in re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere, eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, tam de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium negotiis de Propaganda Fide præpoſitorum, quam concilii Tridentini Interpretum, qui ſynodum Ruthenam prædictam prævio maturo examine pleniſſime approbarunt, conſilio, ſynodum hujuſmodi a dicto moderno metropolita celebratum (ut prætenditur) omniaque, ſingula in ea edita ſtatuta, ordinationes, & decreta, auctoritate apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ita tamen quod per noſtram prædictæ ſynodi confirmationem nihil derogatum eſſe cenſeatur conſtitutionibus Romanum pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & decretis conciliorum generalium emanatis ſuper ritibus Græcorum, quæ non obſtante hujuſmodi confirmatione ſemper in ſuo robore permanere debeant, ac ſalva ſemper in præmiſſis auctoritate congregationum eorundem cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes literas, ac ſynodum, in eaque edita ſtatuta, ordinationes, & decreta hujuſmodi ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum cameræ Apoſtolicæ auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctam Mariam majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Julii MDCCXXIV.

Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

De-

ANNO CHRISTI 1720.

Decretum ſacræ congregationis generalis de Propaganda Fide habitæ die 1. Martii 1723.

ANNO CHRISTI 1720.

REferente eminentiſſimo, & reverendiſſimo domino, domino cardinali Nicolao Spinola acta, & decreta ſynodi provincialis Ruthenæ habitæ anno 1720. in Civitate Zamoſciæ, præſidente R. P. D. Hieronymo Grimaldo archiepiſcopo Edeſſeno ſanctæ ſedis in regno Poloniæ, & magno ducatu Lituaniæ, cum facultatibus legati de latere nuncio; eminentiſſimi Patres ſacræ congregationis de Propaganda Fide, quibus a Sa. m. Clemente papa XI. vigore literarum in forma Brevis ſub die 20. Martii 1716. hujuſce ſynodi cura, examen, & approbatio reſervata fuerat, prævio maturo examine, prædictam ſynodum pleniſſime approbarunt, necnon Typis, & ſumptibus ejuſdem ſacræ congregationis imprimendam eſſe decreverunt; ſtatuentes inſuper ſupplicandum eſſe ſanctiſſimo pro apoſtolica confirmatione ipſius ſynodi per literas in forma Brevis: in iis tamen, ſi ſanctitati ſuæ placuerit, inſerendo clauſulam, quod per apoſtolicam præfatæ ſynodi confirmationem nihil derogandum eſſe cenſeatur, conſtitutionibus ſummorum Pontificum, & decretis conciliorum generalium, emanatis ſuper Ritibus Græcorum, quæ, non obſtante hujuſmodi confirmatione, ſemper in ſuo robore debeant permanere.

Quam ſacræ congregationis ſententiam ſanctiſſimo domino noſtro papæ Innocentio XIII. relatam per R. P. D. Petrum Aloyſium Carafa archiepiſcopum Lariſſæ prædictæ ſacræ congregationis ſecretarium, in audientia habita die 10. ejuſdem menſis, & anni, Sanctitas ſua benigne approbavit, & apoſtolicam antedictæ ſynodi confirmationem per literas in forma Brevis, juxta petita, expediri mandavit.

Datum Romæ ex ædibus dictæ ſacræ congregationis die 4. Martii 1724.

Joſeph cardinalis Sacripantes Præfectus.

Locus † Sigilli.

Petrus Aloyſius archiepiſcopus Lariſſæ Secretarius.

Decretum Sacræ Congregationis S. Concilii Tridentini.

PRovincialem Synodum habitam anno 1720. in Civitate Zamocien., præſidente archiepiſcopo Edeſſeno S. ſedis apoſtolicæ in regno Poloniæ, & magno ducatu Lituaniæ cum facultatibus legati de latere Nuntio, eminentiſſimi DD. cardinales Tridentini concilii interpretes, quorum id munus eſt ad tramites Bullæ ſa. me: Sixti V. quo decuit ſtudio, ac diligentia conſiderarunt, perpenſoque elaborato ſuffragio eminentiſſimi D. cardinalis Bellugæ albo ſacræ congregationis concilii adſcripto, cui reviſionis ſynodi cura fuerat demandata, cenſuerunt, ut quoties ſanctiſſimo Domino noſtro prædictam ſynodum provincialem confirmare placeret per literas apoſtolicas in forma Brevis in iiſdem literis clauſula adderetur, ſi ſanctitati ſuæ videbitur, quod per apoſtolicam hujuſce ſynodi confirmationem nihil derogatum eſſe cenſeatur conſtitutionibus ſummorum Romanorum pontificum, & decretis conciliorum generalium emanatis ſuper ritibus Græcorum, quæ, non obſtante hujuſmodi confirmatione, ſemper in ſuo robore debeant permanere, & in eorum fidem nos Curtius S. R. E. diaconus cardinalis Origus memoratæ S. congregationis concilii præfectus has præſentes fieri, & per infraſcriptum R. P. ejuſdem ſacræ congregationis Secretarium ſubſcribi, noſtrique conſueti Sigilli fecimus impreſſione muniri. Datum Romæ hac die 5. Decembris 1722.

Curtius Cardinalis Origus Præfectus.

Loco † Sigilli.

Proſper de Lambertinis ſecretarius.

ANNO CHRISTI 1720.

ORATIO

REVERENDISSIMI DOMINI

HIERONYMI GRIMALDI

ARCHIEPISCOPI EDESSENI,

NUNCII APOSTOLICI,

Habita ad patres in ſynodo congregatos,

Reverendiſſimi Patres.

SAcerdos in æternum Chriſtus dominus noſter tam ardenter eccleſiam ſuam dilexit, ut antequam ad coelos aſcenderet, nobis promiſerit, ubi duo, vel tres erunt in ipſius nomine congregati ſe futurum in medio eorum. Promiſſio tam provida, ac benigna nullum nobis relinquit dubitandi locum, quin non humano, ſed Divino factum fuerit conſilio, ut ad hanc conveniremus urbem, atque in his ædibus ſacris habendæ Synodi, quæ variis, gravibuſque de cauſis adhuc dilata fuerat, initium faceremus.

Longam poſt annorum ſeriem tandem aliquando illuxiſſe diem hunc feliciſſimum eo majori perfundor lætitia, quod tam vehementer a vobis exoptatus fuerit, ac flagitatus, ut illius videndi cauſa non leve contagionis, mortiſque periculum contempſeritis. Tantus & tam incredibilis ardor, ac zelus ſatis oſtendunt nihil vobis eſſe animarum ſalute carius, nec quidquam optatius, quam id, *quod periit requirere, quod abjectum eſt reducere, quod confractum eſt alligare, quod infirmum eſt conſolidare, quod pingue, ac forte eſt cuſtodire.*

Nulla eſt ad hunc eximium, ſanctumque finem aſſequendum aptior via, nulla præclarior, nulla ſacris canonibus congruentior ea, quam firmo, conſtantique animo inire ſtatuiſtis; natura enim ducimur, ac ratione ipſa, ut ad eas, quas de rebus gravioris momenti habemus deliberationes, alios adhibeamus; quoniam ſi ad judicium noſtrum multorum acceſſerit ſententia, deliberatio non ſolum eſt cautior, ſed plus etiam habet auctoritatis, ac ponderis apud eos, quibus maxime conſultum cupimus.

Verum quamvis ad diſciplinam eccleſiaſticam, veramque pietatem reſtituendam, ac extirpandos errores, vel temporum calamitate, vel hominum fraude invectos, concilia ſint remedia ſaluberrima, tamen quoniam ex iis exiguus dumtaxat fructus percipitur, niſi miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei vitæ, ac morum integritate, ac ſacrorum canonum, divinorumque præceptorum obſervantia populis exemplo præluceant, videtis, reverendiſſimi patres, permagni intereſſe vos attendere vobis, ſi voueritis proſpicere Gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam aquiſivit ſanguine ſuo.

Sanctiſſimus dominus noſter, qui (ut ex ipſius Brevi cognoſcetis) ſummis extulit laudibus conſilium, quod de habenda ſynodo ſuſcepiſtis, meque huic coram adeſſe, ac nomine ſuo præſidere voluit, tantopere quidem confidit vos miniſterium, quod in domino accepiſtis, expleturos, ut paternæ vocis calcar nequaquam vobis admovendum eſſe judicarit.

Quoniam tamen SS. PP. veſtrorum, quos ætas omnis ſuſpiciet, ac venerabitur, memoria non poteſt vobis non eſſe jucundiſſima, liceat mihi eos vobis ob oculos ponere, ut in hanc pulcherrimam intuentes imaginem facilius, & clarius, pergatis tum vobis, tum Gregis veſtri commodis, ac ſaluti conſulere. Erant integri, modeſti, humiles, irreprehenſibiles, in oratione, & lectione aſſidui, in alienæ ſalutis cura, & cogitatione defixi, non ſuperbi, non iracundi, non vinolenti, neque turpis lucri cupidi, ſed hoſpitales, benigni, ſobrii, juſti, Sancti, continentes; in domeſtico cultu, ac victu parci, in alios benefici, & liberales; paſcebant Gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum, neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti Gregis ex animo.

Porro cum tot, tantarumque virtutum radix ſit Fides, primum illud vobis eſt jaciendum, tanquam firmiſſimum ædificii ſacri fundamentum, ut hæreſes omnes, quæ a conciliis oecumenicis damnatæ ſunt, deteſtemini, ac quæcumque ab iis fuerant definita recipiatis, veramque obedientiam ſpondeatis Romano pontifici Chriſti vicario, Fidemque, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ex ſacrorum canonum præſcripto, ac juxta formam propoſitam a San. mem. Urbano VIII. profiteamini.

Deinde facere non poſſum, quin a vobis reverendiſſimi Patres, vehementer petam, ut conjunctiſſimis animis, æquali zelo, tamquam uno paſtorali, epiſcopalique ſpiritu intenſi omnes in eam curam incumbatis, ac ſtrenuam, ſeduiamque ponatis operam, ut

gra-

graves abuſus, qui in ſacrorum Miniſtrorum electiones, & ordinationes, non ſine magno Animarum detrimento, quemadmodum probe noſtis, irrepſerunt, e veſtris diœcesibus eliminentur quamprimum, ac penitus e medio tollantur, ſacerdoteſque, & populi regimini veſtro commiſſi, ad ſincerum cultum orthodoxæ religionis, atque ad illibatam, integramque catholici ritus profeſſionem revocentur. ANNO CHRISTI 1720.

Reliquum eſt ut D. O. M., qui juſſit ſeniores ſeptuaginta ad oſtium tabernaculi foederis a Moyſe convocari, illiſque eodem in loco commorantibus adeſſe, atque unum, eumdemque ſpiritum largiri dignatus eſt; quique apoſtolis ſuis unum in locum congregatis Spiritum ſanctum miſit, eorum mentes illuminavit, corda igne ſacro accendit, ſupplices precemur, ut animos quoque noſtros divina luce compleat, bonitate foveat, ſapientiaque ita regat, ut concordi voluntate, paribus ſtudiis, uno conſilio, eadem vigilantia legationis noſtræ munera omnia exequamur; tandemque in coeleſti patria ipſum uno ore æternum collaudemus.

ANNO CHRISTI 1720.

Taxa Cancellariæ.

ANNO CHRIST 1720.

Citatio ſimplex in media Filura: Florenus unus, & medius.

Monitorium ſimplex: Florenus unus & medius.

Monitorium viſo robore: Floreni duo.

Monitorium cum duobus terminis per decretum rationabili, & ex cauſa poſt primam citationem conceſſum: Floreni tres.

Citatio cum tribus terminis, quæ non debet dari ſine expreſſo mandato noſtro, aut officii noſtri: Floreni tres.

Proteſtatio ad acta ingroſſata, & extradita cum ſigillo: Floreni duo.

Mandatum procuræ: Florenus unus, & medius:

Inſcriptio cauſæ ad regiſtrum unius, ſive plurium, dummodo ex una citatione, vel robulo: Florenus unus.

Remiſſoriæ pro examine teſtium, ſine controverſiæ ingroſſatione in una Filura: Floreni ſex.

Pro examine cujuſlibet teſtis ſuper ſimplici propoſitione examinati: Floreni duo.

Si vero ſuper articulis quantumvis magnis: Floreni ſex.

Copiæ pro vigintiquatuor rigis in media charta ex utraque parte ſcripta: Florenus medius.

Similiter ſolvatur quidquid in acta inſinuatur, pro media charta a notis judicialibus uniuſcujuſque inſtantiæ terminatæ, decreto interlocutorio in præliminaribus dilationibus Florenus unus.

Decretum excommunicationis ſine controverſia in contumaciam latum: Floreni ſex.

Literæ executoriales cum ſententia, poſt auditas ſerias partium controverſias latæ: Floreni octo.

Declaratoriæ excommunicationis cum inſertis canonicis monitionibus in notoriis abſque proceſſu judiciario: Floreni decem.

Dectetum ex audita utriuſque partis controverſia cum aliquot inſtantiis latum, extenſum in tribus, & ultra quandoque Filuris: Floreni viginti.

Decretum amplius cum omnibus actibus, examinibus teſtium, inductionibus, replicationibus, duplicationibus, triplicationibus in decem, viginti, aut triginta Filuris ad proportionem immediati decreti taxari debet.

Inſtrumentum appellationis: Floreni ſex.

Audientia juramenti in cancellaria, ejuſque expleti teſtimonium authenticum: Floreni ſeniduo.

Pro ſublevatione ad tempus: Floreni tres.

Pro abſolutione a cenſuris poſt præſtitam de ſtando juri ſubmiſſionem, & parti ſatisfactionem: Floreni quatuor.

Interdictum in eccleſias, & illius relaxatio pro unoquoque inſtrumento: Floreni tres.

Areſtum, & Areſti relaxatio pro unoquoque: Floreni tres.

Suſpenſio ab officio, & beneficio: Floreni tres.

Inhibitio cum expreſſione cauſæ. Floreni tres.

Inhibitionis relexatio. Floreni tres.

Inſcriptio proviſionis cum ejus tranſumpto: Floreni tres.

Pro dimiſſorialibus ſine reditu: Floreni octo.

Pro formatis, ſeu teſtimonialibus ordinum: Florenus unus, & medius.

Inſtrumentum approbationis pro excipiendis confeſſionibus. Florenus unus.

Commenda alicujus eccleſiæ: Floreni ſex.

Literæ cridæ Floreni tres.

Inſtitutionis, ſeu inveſtituræ literæ: imperialis unus.

Reſignatio beneficii, actis ingroſſata, & per extractum ex tradita cum juramento: Floreni quinque.

Indultum celebrandi in eccleſiis non conſecratis: Florenus unus.

Indultum celebrandi extra eccleſias: Floreni ſemiduo.

Indultum copulandi ſine Bannis, deſcretioni recurrentis committitur.

Indultum diebus vetitis veſcendi carnibus: Floreni duo.

Pro confirmatione Teſtamentorum ad centum Florenos: Floreni ſex.

ANNO CHRISTI 1720.

PROFESSIONES FIDEI

ANNO CHRISTI 1720.

Emiſſæ ab omnibus qui interfuerunt ſynodo,

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

EGo Leo Kiszka archiepiſcopus Metropolitanus Kyovienſis, Halicienſis totiuſque Ruſſiæ epiſcopus Uladimirienſis, & Breſtenſis, Archimandrita Supraslienſis, firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo, quo Sancta Romana eccleſia utitur, videlicet.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ; viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus eſt. Cruciſixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Veneror etiam, & ſuſcipio univerſales ſynodos, prout ſequitur, videlicet.

Nicænam primam, & profiteor, quod in ea contra Arium, damnatæ memoriæ, definitum eſt: Dominum Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei, ex Patre natum Unigenitum, ideſt, ex ſubſtantia Patris natum, non factum, conſubſtantialem Patri; atque impias illas voces, recte in eadem ſynodo damnatas eſſe, quod aliquando non fuerit, aut quod factus eſt ex iis, quæ non ſunt, aut ex alia ſubſtantia, vel eſſentia, aut quod ſit mutabilis, vel convertibilis Filius Dei.

Conſtantinopolitanam primam, ſecundam in ordine; & profiteor, quod in ea contra Macedonium, damnatæ memoriæ, definitum eſt, Spiritum Sanctum, non eſſe ſervum, ſed Dominum; non creaturam, ſed Deum; ac unam habentem cum Patre, & Filio Deitatem.

Epheſinam primam, tertiam in ordine, profiteor, quod in ea contra Neſtorium, damnatæ memoriæ, definitum eſt: Divinitatem, & humanitatem ineffabili, & incomprehenſibili unione, in una perſona Filii Dei, unum nobis Jeſum Chriſtum conſtituiſſe, eaque de cauſa Beatiſſimam Virginem vere eſſe Dei Genitricem.

Chalcedonenſem, quartam in ordine, & profiteor, quod in ea contra Eutychem, & Dioſcorum, ambos damnatæ memoriæ, definitum eſt: Unum, eumdemque Filium Dei, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, perfectum eſſe in Deitate, & perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum, ex anima rationali, & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, eumdem conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem, abſque peccato, ante ſæcula quidem de Patre genitum ſecundum Deitatem, in noviſſimis autem diebus, eumdem propter nos, & propter noſtram ſalutem, ex Maria Virgine Dei Genitrice ſecundum humanitatem, unum, eumdemque Chriſtum Filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum, nuſquam ſublata differentia naturarum propter unionem, magiſque ſalva proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam, atque ſubſiſtentiam concurrente, non in duas perſonas partitum, aut diviſum, ſed unum, eumdemque Filium, & Unigenitum, Deum verum, Dominum Jeſum Chriſtum.

Item ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti Divinitatem, ſecundum quam conſubſtantialis eſt Patri, & Spiritui Sancto, impaſſibilem eſſe, & immortalem; eumdem autem cruciſixum, & mortuum tantummodo ſecundum carnem, ut pariter definitum eſt in dicta ſynodo, & in epiſtola Sancti Leonis Romani Pontificis, cujus ore, Beatum Petrum loquutum eſſe, Patres in eadem ſynodo acclamaverunt. Per quam definitionem damnatur impia hæreſis illorum, qui Triſagio ab Angelis tradito, & in præfata Chalcedonenſi ſynodo decantato, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miſerere nobis, addebant: Qui cruciſixus eſt pro nobis; atque adeo Divinam naturam trium perſonarum paſſibilem afferebant, & mortalem.

Conſtantinopolitanam ſecundam, quintam in ordine, in qua præfatæ Chalcedonenſis ſynodi definitio renovata eſt.

Conſtantinopolitanam tertiam, ſextam in ordine, & profiteor, quod in ea contra Monothelitas definitum eſt: In uno eodemque Domino noſtro Jeſu Chriſto duas eſſe naturales voluntates, & duas naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſe, & humanam ejus voluntatem non contrariam, ſed ſubjectam Divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.

Nicænam ſecundam, ſeptimam in ordine, & profiteor, quod in ea contra Iconoclaſtas definitum eſt: Imagines Chriſti, ac Deiparæ Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam.

Conſtantinopolitanam quartam, octavam in ordine, & profiteor in ea Photium meri-

to

ANNO CHRISTI 1720.

to fuiſſe damnatum, & Sanctum Ignatium Patriarcham reſtitutum.

Veneror etiam, & ſuſcipio omnes alias univerſales ſynodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, & confirmatas, & præſertim Florentinam ſynodum, & profiteor, quæ in ea definita ſunt, videlicet: quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedit.

Item dictionem illam (Filioque) veritatem declarandi gratia, & imminente neceſſitate, licite, & rationabiliter ſymbolo fuiſſe appoſitam.

Item in azymo, ſive fermentato pane triticeo, Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſque in alterutro ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem.

Item ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis purgatorii poſt mortem purgari; &, ut a pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis Fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt, ſecundum eccleſiæ inſtituta; illorumque animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ, ſunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum Trinum, & Unum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate, alium alio perfectius; illorum autem animas, quie in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.

Item ſanctam apoſtolicam ſedem Romanum pontificem in univerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Romanum pontificem ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium, totiuſque eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum patrem, ac doctorem exiſtere: et ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam, ut eadem Florentina ſynodus aſſerit, in geſtis oecumenicorum conciliorum, in ſacris canonibus continetur.

Item legalia veteris Teſtamenti, ſeu Moſaicæ Legis cæremonias, ſacra ſacrificia, & ſacramenta, Domino noſtro Jeſu Chriſto adveniente, ceſſaſſe, & poſt promulgatum Evangelium, ſine peccato obſervari non poſſe. Ejuſdem etiam legis veteris ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad cæremonialia pertinere, quæ ſurgente Evangelio tranſierunt.

Illam etiam apoſtolorum prohibitionem, ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato illi tempori congruiſſe, ut inter Judæos, & Gentiles diſſenſionis materia tolleretur. Cujus apoſtolicæ prohibitionis cauſa ceſſante, etiam ceſſavit effectus.

Pariter veneror, & ſuſcipio Tridentinam ſynodum, & profiteor quæ in ea definita, & declarata ſunt, & præſertim offerri Deo in miſſa verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento (juxta fidem, quæ ſemper in eccleſia Dei fuit) contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, una cum anima, & Divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem catholica eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat, & ſub unaquaque ſpecie, & ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri.

Item ſeptem eſſe novæ legis ſacramenta a Chriſto Domino noſtro inſtituta ad ſalutem humani generis, quamvis non omnia ſingulis neceſſaria, videlicet: Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem iterari non poſſe.

Item Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem, ac proinde ſi mortis periculum immineat, mox ſine ull dilatione conferendum eſſe, & a quocunque, & quandocumque ſub debita materia, forma, & intentione collatum eſſe validum.

Item Sacramenti matrimonii vinculum indiſſolubile eſſe, & quamvis, propter adulterium, hereſim, aut alias cauſas poſſit inter conjuges thori & cohabitationis, ſeparatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas eſſe.

Item apoſtolicas, & eccleſiaſticas traditiones ſuſcipiendas eſſe, & venerandas. Indulgenriarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum, Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe.

Pariter, quæ de peccato originali, de juſtificatione, de ſacrorum librorum tam veteris, quam novi Teſtamenti Indice, & interpretatione, in prædicta Tridentina ſynodo definita ſunt, ſuſcipio, & profiteor.

Cætera item omnia ſuſcipio, & profiteor, quæ recipit, & profitetur ſancta Romana eccleſia, ſimulque contraria omnia, & ſchiſmata, & hæretes ab eadem eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, reiicio, & anathematizo.

Inſuper Romano pontifici Beati Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro.

Hanc Fidem catholicæ eccleſiæ, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in meo munere ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, me curaturum.

Ego

ANNO CHRISTI 1720.

Ego idem Leo Kiszka archiepiſcopus metropolitanus, Kyrovienſis, Halicienſis, totiuſque Ruſſiæ epiſcopus, ſpondeo, voveo, & juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Joſephus de Wyhow: Wyhowski comes ſacri Romani imperii Exarcha totius Ruſſiæ epiſcopus Luceorienſis Oſtrogienſis Archimandrita man. prop.

Florianus Hrebnicki archiepiſcopus Polocenſis, epiſcopus Vitebſcenſis, Mſciſlavienſis Orſanenſis, & Mohilovienſis, ſalva deciſione ſanctæ ſedis Apoſtolicæ de præcedentia man. propr.

Joſephus Lewicki epiſcopus Chelmenſis Belſenſis abbas Zydyczynenſis man. prop.

Athanaſius Szeptycki epiſcopus Leopolienſis, Hlicinenſis, & Camenarienſis Podoliæ Archimandrita Uniovienſis man. prop.

Hieronymus Uſtrzyeki epiſcopus Premiſlienſis Sanotienſis, Sanborienſis man. prop.

Theophilus Godebski nominatus epiſcopus Pinſcenſis, & Turovienſis man. prop.

Joannes Chryſoſtomus Radzyminski Fronskiewicz Archimandrita Czerejenſis.

Innocentius Piehowicz ordinis divi Baſilii magni Archimandrita Milecenſis.

Januarius Ohorczewicz Ordinis divi Baſilii magni Archimandrita Dermanenſis, Dubnenſis man. prop.

Sylveſter Terawski Ordinis ſancti Baſilii magni Archimandrita Dorohobuſenſis man. prop.

Jacobus Solikowski Archimandrita Cobrinenſis ordinis divi Baſilii magni pro-conſultor man. prop.

Joſaphat Jachimoicz Archimandrita Toloczynenſis auditor illuſtriſſimi Metropolitani man. prop.

Policarpus Filipowicz ordinis divi Baſilii magni Archimandrita Leſcinenſis man. prop.

Patricius Bielski ordinis divi Baſilii magni Archimandrita Ourucenſis man. prop.

Pater Innocentius Chanhiewicz vicarius Archimandrita Spraſtienſis man. prop.

Ex dioeceſi metropolitana Kyovvienſi.

Pater Gregorius Kiſielowski decanus Dimiriſcenſis man. prop.

Pater Stephanus Holoskowicz decanus Czudnowienſis.

Pater Joannes Siliedkiewicz vice-decanus, & parochus Wilſcenſis.

Ex diœceſi Metropolitana Novogrodenſi.

Pater Theodorus Michniewicz decanus Mieſwizienſis.

Pater Petrus Hutinski decanus Grodnenſis.

Pater Jacobus Prokopowicz decanus Lidenſis.

Pater Franciſcus Wyſzynski decanus Oſzmianeniis.

Pater Benedictus Skiron vice-decanus Slonimenſis.

Pater Conſtantinus Radikevvicz decanus Wolkovvyſcenſis.

Pater Theodorus Slizevvshi decanus Crinenſis.

Ex dioeceſi Metropolitana Minſcenſi.

ANNO CHRISTI 1720.

Pater Michael Jazgunovvicz decanus Minſcenſis.

Pater Stephanus Mayski decanus Dolhynovienſis.

Pater Theodorus Zubovvicz decanus Blonſcenſis.

Pater Philippus Piesko decan. Bobroyſcenſis.

Pater Paulus Lubovvicz decanus Miedzejenſis.

Pater Antonius Ginka vice-decanus Lohoyſcenſis.

Epiſcopatus Vladimirienſis.

Laurentius Diacynski Hegumenus Zahorovvienſis.

Pater Alexander Kizikovvski notarius ſanctæ ſedis apoſtolicæ decanus Uladimirienſis.

Pater Jacobus Silkievvicz decanus Sochalienſis.

Pater Baſilius Dombrovviski archidiaconus cathedralis Uladimirienſis decanus Kiſielienſis.

Pater Georgius Turovvicz decanus Turyſcenſis.

Pater Joannes Turovvicz vice decanus Uladimirienſis.

Pater Daniel Tyſzkievvicz decanus Porſcenſis.

Pater Andreas Piehovvicz decanus Tartakovvienſis man. prop.

Pater Gabriel Kulczynski dec. Lokacenſis.

Pater Nicolaus Lobaczevvski decanus Camenecenſis.

Epiſcopatus Breſtenſis.

Pater Joannes Duchnovvski decanus Poreſtenſis man. propr.

Pater Theodorus Oliſirovvicz decanus Kamencenſis man. prop.

Pater Gregorius Andruskievvicz decanus Kobrinenſis.

Pater Stephanus Oliſirovvcz decanus Mielnicenſis.

Pater Michael Mankovvsik decanus Bialſcenſis.

Pater Baſilius Waſilevvski decanus Vladavienſis man. propr.

Pater Stephanus Soſnovvski vice-decanus Tolicenſis.

Pater Joſephus Iskievvicz vice-decanus Drogicenſis man. prop.

Epiſcopatus Luceorienſis.

Pater Nicolaus Raſovviecki decanus Luceorienſis.

Pater Mattheus Hoſtylevvski decanus Leſniovienſis.

Pater Theodorus Czeſzkievvicz decanus Laurovienſis.

Pater Baſilius Zaruszkievvicz decanus Zukovienſis.

Pater Joannes Ceſzkievvicz decanus Rounenſis.

Pater Baſilius Luckievvicz decanus Oſtrogienſis Pa-

ANNO CHRISTI 1720.

Pater Joannes Bilski decanus Bazalienſis.
Pater Joannes Szolucka decan. Dubnenſis.
Pater Joannes Dubaczevvski decanus Olycenſis.

Epiſcopatus Premislienſis.

Pater Hieronymus Kuzmicz ordinis divi Baſilii magni ſuperior conventus Bobromſcenſis.
Pater Jacobus Borecki vicarius in ſpiritualibus cathedræ Premislienſis.
Pater Iſaias Gavvalevvicz ordinis Divi Baſilii magni concion. illuſtris. ep. Premislienſis.
Pater Joannes Neronovvicz presbyter, & vicarius in ſpiritualibus Jaroſlavienſis.
Pater Petrus BorecKi presbyter Premislienſis, vicarius in Spiritualibus Nizankevvietrz.
Pater Michael Narolski Presbyter Jaroſlavienſis vicarius in ſpiritualibus Proc hnicenſis.
Pater Joannes Kornaſzevvicz vicarius Sanocenſis.
Pater Theodorus Naſochovvic vicarius Samborienſis.
Frater Auguſtinus Tarnogrodzki ordinis divi Baſilii magni archidiacon. illuſtriſs. epiſcopi Premislienſis.
Pater Nicolaus Naſzczoric parochus Samborienſis & Biſcovienſis.

Epiſcopatus Chelmenſis.

Pater Conſtantinus Kyzekovviski decanus Chelmenſis.
Pater Thomas Koladinski decanus Tyſzonecenſis.
Pater Theodorus Kotranievvicz decanus Pelſenſis man. prop.
Pater Theodorus Witulovvski decanus Uhnovvienſis.
Pater Joannes Ravvski decanus Tomaſovienſis.
Pater Andreas Karpinski decanus Szcrebriſienſis.
Pater Andreas Narodoſtavvski decanus Lublinenſis.
Pater Theodorus Szcrerbinski decanus Lubolenſis.
Pater Baſilius Pilecki decanus Ratnenſis.
Pater Stephanus Ukynski decanus Rubieſovienſis.
Pater Andreas Wizanski dec. Horodienſis.
Pater Policarpus Bialovvolski decanus Zamoſcenſis.

Epiſcopatus Leopolienſis.

Pater Dionyſius Sienkievvicz ordinis divi Baſilii magni officialis cathedræ Leopolienſis, & Hegumenus ſancti Georgii, & Hoſzovvienſis.
Pater Antonius Sidlevvicz officialis cathedræ Halicienſis Hegumenus monaſterii Uhernicenſis, & Pehonſcenſis.
Pater Dionyſius Maſzkievvicz officialis cathedræ Camenecenſis Podolienſis, Hegumenus ſancti Onuphrii Leopolienſis.
Pater Parthenius Lomikovvski archidiaconus illuſtriſs. epiſcopi Leopolienſis; Hegumenus monaſterii Podhorecenſis, & Zloczovienſis.
Pater Joſephus Narolski ordinis Divi Baſilii magni concionator cathedræ Leopolienſis.
Pater Philaretus Podkovva Hegumenus Crechovvienſis.
Pater Gedeon Pakovvski Thuliſcienſis manu prop.
Pater Gedeon Tymoſzevvicz Hegumenus Dobranecenſis.
Pater Joſaphat Boryskovviski Hegumenus Sokolecenſis.
Pater Juſtinus Mickocki Hegumenus Besjadenſis.
Pater Vitalius Jandzinski vicarius & concionator Crechovienſis.
Pater Iſaias Cunajevvski Hegumenus Kraſnopuſtinenſis.
Stephanus Laskovvski S. Romani imperii notarius apoſtolicus ſenior confratrum Leopolienſium.
Joannes Czesnikovvski deputatus confraternitatis Leopolienſis.
Pater Gregorius Podgurski decanus foraneus Bobrecenſis, concionator, & procurator cauſarum ſpiritualium.
Pater Baſilius Guatkovvski vicarius in ſpiritualibus Dolinenſis, & Caluſſienſis decanus.
Pater Andreas Zburovvski decanus Zloczovienſis.
Pater Petrus Podrudcki decanus Zydaczovvienſis.
Pater Gregorius Czapelski decanus Bialokamenecenſis.
Pater Joannes Drokomirecki vicarius Staniſlavvovienſis.
Pater Stephanus Krakovviecki vicarius Camenecenſis.
Pater Baſilius Tvvardyjevvicz vicarius Czorkovienſis.
Pater Alexander Lomkovvski vicarius Scalſcenſis.
Pater Joannes Podgurkni Alumnus pontificius Leopolienſis.
Pater Baſilius Laurovvicz vicarius Porzejanenſis.
Pater Jacobus Zarzycki decanus Voinilovienſis.
Pater Michael Zarzychi presbyter & decanus Buczacenſis.

Epiſcopatus Pinſcenſis.

Pater Joannes Drozylovvski decanus Pinſcenſis.
Pater Andreas Daneykovvicz decanus Pohoſcenſis.

Religioſi exempti a Porto-Archimadrita ex Dioceſi Uladimirienſi

Pater Gabriel Ochabski ordinis Divi Baſilii magni officialis Uladimirienſis, Hegumenus Zimnenſis man. prop.
Pater Jonas Wezanski Hegumenus Nizkinicenſis.
Pater Andreas Bienicki ordinis Divi Baſilii magni Superior Turopinenſis.
Pater Thophilus Lacevvicz ordinis Divi Ba-

ANNO CHRISTI 1720.

ANNO CHRISTI 1720.

Basilii Magni legatus Supraslienſis monaſterii.

Pater Natanael Malevvicz ſuperior Stojanovenſis man. prop.

Ego infraſcriptus ſuprapoſitam Fidei profeſſionem ab illuſtriſſimo, ac reverendiſſimo domino Leone Kiszka archiepiſcopo Metropolitano Kyovienſi, Halicienſi, totiusque Ruſſiæ &c. necnon ab aliis, qui ſua nomina ſubſcripſerunt, in manibus meis emiſſam recepi, & ita teſtor man. prop.

H. archiepiſcopus Edeſſenus nuncius apoſtolicus.

In nomine domini: Amen. Omnibus, & ſingulis, quorum intereſt, fidem facio, & atteſtor ego infraſcriptus, quod anno a Nativitate ejusdem Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo, indictione Romana decima tertia, diebus vero vigeſima ſexta menſis Auguſti, necnon primá, & ſexta menſis Septembris reſpective, illuſtriſſimus, ac reverendiſſimus dominus Leo Kiszka archiepiſcopus Metropolitanus Kyovienſis, Halicienſis, totiuſque Ruſſiæ &c. necnon alii ſupraſcripti, conſtituti perſonaliter coram illuſtriſſimo, ac reverendiſſimo domino Hieronymo Grimaldo archiepiſcopo Edeſſeno nuncio apoſtolico in regno Poloniæ &c. & præſidente ſynodali, flexis genibus, & ſacroſanctis Evangeliis, quæ præ manibus habebant, tactis, medio juramento retroſcriptam Fidei profeſſionem in manibus ejusdem illuſtriſſimi, ac reverendiſſimi domini nuncii apoſtolici, & præſidentis ſynodalis emiſerunt, præſentibus RR. PP. Joanne Antonio Fabri præpoſito eccleſiæ parochialis ſanctæ Crucis, & domus Varſavienſis Superiore, per Poloniam, & Lithuaniam viſitatore congregationis miſſionis, & Stephano Trombetti clerico regulari, collegiorum pontificiorum Rutheni, & Armeni Leopolienſium præfecto, aliiſque teſtibus circa præmiſſa habitis, & in locis, ubi dicti illuſtriſſimi, ac reverendiſſimi archiepiſcopi Metropolitani, & aliorum reſpective nomina ſcripta ſunt. Ipſe, & ipſi propria manu ſcripſerunt. Actum Zamoſcii, anno, menſibus, diebus, quibus ſupra, & in fidem me ſubſcripſi, ſignoque mei notariatus publici communivi.

Stephanus Skvvarczynski publicus ſacra authoritate apoſtolica, ac ſynodalis notarius, & nunciaturæ apoſtolicæ in regno Poloniæ vice-cancellarius man. prop.

Loco † Signi.
Loco † Sigilli.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

EGo Antonius Zavvadzki Ordinis Divi Basilii Magni Generalis, ſeu Proto-Archimandrita Superior Bereſuceenſis firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, videlicet.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ; viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Veneror etiam, & ſuſcipio universales ſynodos, prout ſequitur, videlicet:

Nicænam primam, & profiteor quod in ea contra Arium, damnatæ memoriæ, definitum eſt: Dominum Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei, ex Patre natum Unigenitum, ideſt, ex ſubſtantia Patris natum, non factum, conſubſtantialem Patri; atque impias illas voces, recte in eadem ſynodo damnatas eſſe, quod aliquando non fuerit, vel quod factus eſt ex iis, quæ non ſunt, aut ex alia ſubſtantia, vel eſſentia, aut quod ſit mutabilis, vel convertibilis filius Dei.

Conſtantinopolitanam primam, ſecundam in ordine; & profiteor quod in ea contra Macedonium, damnatæ memoriæ, definitum eſt, Spiritum Sanctum, non eſſe ſervum; ſed Dominum; non creaturam, ſed Deum, ac unam habentem cum Patre, & Filio Deitatem.

Epheſinam primam, tertiam in ordine, profiteor quod in ea contra Neſtorium, damnatæ memoriæ, definitum eſt: Divinitatem, & humanitatem ineffabili, & incomprehenſibili unione, in una perſona Filii Dei, unum nobis Jeſum Chriſtum conſtituiſſe, eaque de cauſa Beatiſſimam Virginem vere eſſe Dei Genitricem.

Chalcedonenſem, quartam in ordine, & profiteor quod in ea contra Eutychem, & Dioſcorum, ambos damnatæ memoriæ, definitum eſt: Unum, eumdemque Filium Dei, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, perfectum eſſe in Deitate, & perfectum in huma-

ANNO CHRISTI 1720.

nitate, Deum verum, & hominem verum, ex anima rationali, & corpore consubstantialem Patri secundum Deitatem, eumdem consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem, absque peccato, ante sæcula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus, eumdem propter nos, & propter nostram salutem, ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem, unum, eumdemque Christum Filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam, atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum, aut divisum, sed unum, eumdemque Filium, & Unigenitum, Deum verum Dominum Jesum Christum.

Item ejusdem Domini nostri Jesu Christi Divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri, & Spiritui Sancto, impassibilem esse, & immortalem; eumdem autem crucifixum, & mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta synodo, & in epistola Sancti Leonis Romani Pontificis, cujus ore, Beatum Petrum loquutum esse, Patres in eadem synodo acclamaverunt. Per quam definitionem damnatur impia hæresis illorum, qui Trisagio ab Angelis tradito, & in præfata Chalcedonensi synodo decantato, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miserere nobis, addebant: Qui crucifixus est pro nobis; atque adeo Divinam naturam trium personarum passibilem asserebant, & mortalem.

Constantinopolitanam secundam, quintam in ordine, in qua præfatæ Chalcedonensis synodi definitio renovata est.

Constantinopolitanam tertiam, sextam in ordine, & profiteor quod in ea contra monothelitas definitum est: In uno, eodemque Domino nostro Jesu Christo duas esse naturales voluntates, & duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, & humanam ejus voluntatem non contrariam, sed subjectam Divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati.

Nicænam secundam, septimam in ordine, & profiteor quod in ea contra Iconoclastas definitum est: Imagines Christi, ac Deiparæ Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam.

Constantinopolitanam quartam, octavam in ordine, & profiteor, in ea Photium merito fuisse damnatum, & Sanctum Ignatium Patriarcham restitutum.

Veneror etiam, & suscipio omnes alias universales synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, & confirmatas, & præsertim Florentinam synodum, & profiteor quæ in ea definita sunt, videlicet: Quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex patre simul, & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, et unica spiratione procedit.

A Item dictionem illam (Filioque) veritatem declarandi gratia, & imminente necessitate, licite, & rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Item in Azymo, sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in alterutro ipsum domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ ecclesiæ, sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem.

Item si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari; & ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum B suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum ecclesiæ instituta; illorumque animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ, sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum Trinum, & unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

C Item sanctam apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum patrem, ac doctorem existere: Et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam, ut eadem Florentina synodus asserit, in gestis œcumenicorum conciliorum, & in sacris canonibus continetur.

D Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaicæ legis coeremonias, sacra sacrificia, & Sacramenta, Domino nostro Jesu Christo adveniente, cessasse, & post promulgatum Evangelium, sine peccato observari non posse. Ejusdem etiam legis veteris ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad cæremonialia pertinere, quæ surgente Evangelio, transierunt.

Illam etiam apostolorum prohibitionem, ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato illi tempori congruisse, ut inter Judæos, & Gentiles dissensionis materia tolleretur. Cujus apostolicæ prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus.

E Pariter veneror, & suscipio Tridentinam synodum, & profiteor quæ in ea definita, & declarata sunt, & præsertim offerri Deo in missa verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento (juxta Fidem, quæ semper in ecclesia Dei fuit) contineri vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, una cum anima, & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, fierique

ANNO CHRISTI 1720.

rique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem catholica eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat, & ſub unaquaque ſpecie, & ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri.

Item ſeptem eſſe novæ legis ſacramenta a Chriſto Domino noſtro inſtituta ad ſalutem humani generis, quamvis non omnia ſingulis neceſſaria, videlicet: Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem iterari non poſſe.

Item Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem, ac proinde ſi mortis periculum immineat, mox ſine ulla dilatione conferendum eſſe, & a quocumque, & quandocumque, ſub debita materia, forma, & intentione collatum eſſe validum.

Item Sacramenti Matrimonii vinculum indiſſolubile eſſe, & quamvis, propter adulterium, hæreſim, aut alias cauſas, poſſit inter conjuges thori, & cohabitationis ſeparatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas eſſe.

Item apoſtolicas, & eccleſiaſticas traditiones ſuſcipiendas eſſe, & venerandas.

Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe.

Pariter quæ de peccato originali, de juſtificatione, de ſacrorum librorum tam veteris, quam novi Teſtamenti indice, & interpretatione, in prædicta Tridentina ſynodo definita ſunt, ſuſcipio, & profiteor.

Cætera item omnia ſuſcipio, & profiteor, quæ recipit, & profitetur ſancta Romana eccleſia, ſimulque contraria omnia, & ſchiſmata, & hæreſes ab eadem eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, reiicio, & anathematizo.

Inſuper Romano Pontifici Beati Petri principis Apoſtolorum ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro.

Hanc Fidem Catholicæ eccleſiæ, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in meo munere ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, me curaturum.

Ego idem Antonius Zavvadazki, ordinis Divi Baſilii magni Proto-Archimandrita; ſpondeo, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet &c.

Ego idem Demetrius Zanckievvicz ordinis Divi Baſilii magni conſultor ſuperior Novvogrodenſis ſpondeo, voveo, & juro.

Ego idem Antonius Tumilovvicz ordinis Divi Baſilii magni ſecretarius ſuperior Bytenenz, ſpondeo, voveo, ac juro.

Polycarpus Mihunievvicz ordinis Divi Baſilii ſuperior Zyro vicienſis man. prop.

Joſephus Saporovvicz ſuperior, & officialis Polonicenſis ordinis Divi Baſilii magni man. prop.

Auguſtinus Lubieniecki ordinis Divi Baſilii magni officialis, & ſuperior Vitebſcenſis man. prop.

Joſaphat Roginski ordinis ſancti Baſilii magni ſuperior, & rector ſcholarum Uladimirienſium man. prop.

Patricius Zyrauski ordinis Divi Baſilii magni ſecretarius reverendiſſimi Proto-Archimandritæ man. prop.

Adrianus Fabryus ordinis Divi Baſilii magni ſuperior, & officialis Bretenſis man. prop.

Conſtantinus Szacivvski ordinis Divi Baſilii magni ſuperior Chomſcenſis man. prop.

Juſtinus Kozaczenko ordinis Divi Baſilii magni ſuperior Verchovvienſis man. prop.

Melchior Loſſovvicz ordinis Divi Baſilii magni ſacræ theologiæ Bachalaureus ſuperior Belzenſis man. prop.

Sylveſter Kulczynski ordinis ſancti Baſilii magni ordinarius concionator, & præfectus ſcholarum Zyrovicenſium.

Spiridion Jachimovvicz ordinis Divi Baſilii magni præfectus ſcholarum Uladimirienſium.

Ignatius Kulczynski ordinis Divi Baſilii magni ſacræ theologiæ, & philoſophiæ doctor.

Ambroſius Ulinski ordinis Divi Baſilii magni vicarius Zydycenſis.

Pacomius Malevvicz ordinis Divi Baſilii magni cappellanus illuſtriſſimi Metropolitani.

Parthenius Daneykovvicz ordinis Divi Baſilii magni cappellanus illuſtriſſimi domini archiepiſcopi Polocenſis.

Nicolaus Blenſtinski ordinis Divi Baſilii magni cappellanus illuſtriſſimi epiſcopi Chelmenſis.

Ego infraſcriptus ſuprapoſitam Fidei profeſſionem ab admodum reverendo patre Antonio Zavvadzki Proto Archimandrita ordinis Divi Baſilii Magni, aliiſque religioſis ejuſdem ordinis, qui ſua nomina ſubſcripſerunt, in manibus mei emiſſam recepi; & ita teſtor man. propr.

H. archiepiſcopus Edeſſenus nuncius apoſtolicus.

In nomine Domini. Amen. Omnibus, & ſingulis, quorum intereſt, fidem facio, & atteſtor, Ego infraſcriptus, quod Anno a Nativitate ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo; indictione Romana decimatertia, diebus vero vigeſimaſexta menſis Auguſti, & prima menſis Septembris reſpective, admodum reverendus pater Antonius Zavvadzki Proto-Archimandrita ordinis Divi Baſilii magni, necnon alii ejuſdem ordinis religioſi ſuprascripti, conſtituti perſonaliter coram illuſtriſſimo, ac reverendiſſimo domino Hieronymo Grimaldo archiepiſcopo Edeſſeno, Nuncio apoſtolico in regno Poloniæ &c. & præſidente ſynodali, flexis genibus, ſacroſanctis Evangeliis, quæ præ manibus habebant, tactis

ANNO CHRISTI 1720.

tactis, medio juramento, retroscriptam Fidei professionem, in manibus ejusdem illustrissimi, ac reverendissimi domini nuncii apostolici, & præsidentis synodalis emiserunt præsentibus RR. PP. Joanne Antonio Fabri præposito ecclesiæ parochialis sanctæ Crucis, & domus Varsaviensis superiore, per Poloniam, & Lithuaniam visitatore congregationis missionis, & Stephano Trombetti clerico regulari, collegiorum pontificiorum Rutheni, Armeni Leopolienſium præfecto, aliisque testibus circa præmissa habitis, & in locis, ubi dicti admodum reverendi Patris Proto-Archimandritæ, & aliorum respective nomina scripta sunt. Ipse, & ipsi propria manu scripserunt. Actum Zamoscii Anno, mensibus, diebus, quibus supra. Et in fidem me subscripsi, signoque mei notariatus publici communivi.

Stephanus Skovarcynski publicus sacra authoritate apostolica, ac synodalis Notarius, & nunciaturæ apostolicæ in Regno Poloniæ Vice-cancellarius manu prop.

Loco † Signi.
Loco † Sigilli.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

EGo Laurentius Druchi Sokolinski archiepiscopus Smolescenſis Severienſis &c. firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in symbolo, quo sancta Romana ecclesia utitur, videlicet.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ; visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Veneror etiam, & suscipio universales synodos, prout sequitur, videlicet:

Nicænam primam, & profiteor quod in ea contra Arium, damnatæ memoriæ, definitum est: Dominum Jesum Christum esse Filium Dei, ex Patre natum Unigenitum, id est, ex substantia Patris natum, non factum, consubstantialem Patri; atque impias illas voces, recte in eadem synodo damnatas esse, quod aliquando non fuerit, aut quod factus est ex iis, quæ non sunt, aut ex alia substantia, vel essentia, aut quod sit mutabilis, vel convertibilis filius Dei.

Constantinopolitanam primam, secundam in ordine; & profiteor quod in ea contra Macedonium, damnatæ memoriæ, definitum est, Spiritum Sanctum, non esse servum; sed Dominum; non creaturam, sed Deum, ac unam habentem cum Patre, & Filio Deitatem.

Ephesinam primam, tertiam in ordine, profiteor quod in ea contra Nestorium, damnatæ memoriæ, definitum est: Divinitatem, & humanitatem ineffabili, & incomprehensibili unione, in una persona Filii Dei, unum nobis Jesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem vere esse Dei Genitricem.

Chalcedonensem, quartam in ordine, & profiteor quod in ea contra Eutychem, & Dioscorum, ambos damnatæ memoriæ, definitum est: Unum, eumdemque Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, perfectum esse in Deitate, & perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum, ex anima rationali, & corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, eumdem consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem, absque peccato, ante sæcula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus, eumdem propter nos, & propter nostram salutem, ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem, unum, eumdemque Christum Filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam, atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum, aut divisum, sed unum, eumdemque Filium, & Unigenitum, Deum verum Dominum Jesum Christum.

Item ejusdem Domini nostri Jesu Christi Divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri, & Spiritui Sancto, impassibilem esse, & immortalem; eumdem autem crucifixum, & mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta synodo, & in epistola Sancti Leonis Romani Pontificis, cujus ore, Beatum Petrum loquutum esse, Patres in eadem synodo acclamaverunt. Per quam definitionem damnatur impia hæresis illorum, qui Trisagio ab Angelis tradito, & in præfata Chalcedonensi synodo decantato, Sanctus Deus, Sanctus fortis, sanctus & immortalis, miserere nobis, addebant: qui crucifixus est pro nobis; atque adeo Divinam naturam trium personarum passibilem asserebant, & mortalem.

Constantinopolitanam secundam, quintam in ordine, in qua præfatæ Chalcedonensis synodi definitio renovata est.

Constantinopolitanam tertiam, sextam in ordine, & profiteor quod in ea contra mo-

ANNO CHRISTI 1720.

nothelitas definitum est: In uno, eodemque Domino nostro Jesu Christo duas esse naturales voluntates, & duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, & humanam ejus voluntatem non contrariam, sed subjectam Divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati.

Nicænam secundam, septimam in ordine, & profiteor quod in ea contra Iconoclastas definitum est: Imagines Christi, ac Deiparæ Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam.

Constantinopolitanam quartam, octavam in ordine, & profiteor, in ea Photium merito fuisse damnatum, & Sanctum Ignatium Patriarcham restitutum.

Veneror etiam, & suscipio omnes alias universales synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, & confirmatas, & præsertim Florentinam synodum, & profiteor quæ in ea definita sunt, videlicet: Quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex patre simul, & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, et unica spiratione procedit.

Item dictionem illam (Filioque) veritatem declarandi gratia, & imminente necessitate, licitè, & rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Item in Azymo, sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in alterutro ipsum domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ ecclesiæ, sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem.

Item si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari; & ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum ecclesiæ instituta; illorumque animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ, sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum Trinum, & unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Item sanctam apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum patrem, ac doctorem existere: Et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam, ut eadem Florentina synodus asserit - in gestis

A œcumenicorum conciliorum, & in sacris canonibus continetur.

ANNO CHRISTI 1720.

Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaicæ legis caeremonias, sacra sacrificia, & Sacramenta, Domino nostro Jesu Christo adveniente, cessasse, & post promulgatum Evangelium, sine peccato observari non posse. Ejusdem etiam legis veteris ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad cæremonialia pertinere, quæ surgente Evangelio transierunt.

Illam etiam apostolorum prohibitionem, ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato illi tempori congruisse, ut inter Judæos, & Gentiles dissensionis materia tolleretur. Cujus apostolicæ prohibitionis

B causa cessante, etiam cessavit effectus.

Pariter veneror, & suscipio Tridentinam synodum, & profiteor quæ in ea definita, & declarata sunt, & præsertim offerri Deo in missa verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento (juxta Fidem, quæ semper in ecclesia Dei fuit) contineri vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, una cum anima, & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica ec-

C clesia aptissime transubstantiationem appellat, & sub unaquaque specie, & singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri.

Item septem esse novæ legis sacramenta a Christo Domino nostro institura ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre; & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem iterari non posse.

Item Baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde si mortis periculum im-

D mineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, & a quocumque, & quandocumque sub debita materia, forma, & intentione collatum, esse validum.

Item Sacramenti Matrimonii vinculum indissolubile esse, & quamvis, propter adulterium, hæresim, aut alias causas, possit inter conjuges, thori, & cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse.

Item apostolicas, & ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse, & venerandas.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutare esse.

E

Pariter quæ de peccato originali, de justificatione, de sacrorum librorum tam veteris, quam novi Testamenti indice, & interpretatione, in prædicta Tridentina synodo definita sunt, suscipio, & profiteor.

Cætera item omnia suscipio, & profiteor, quæ recipit, & profitetur sancta Romana ecclesia, simulque contraria omnia, & schismata, & hæreses ab eadem eccle-

sia

ANNO CHRISTI 1720.

ha damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, reiicio, & anathematizo.

Insuper Romano Pontifici Beati Petri principis Apostolorum successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro.

Hanc Fidem Catholicæ ecclesiæ, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, me curaturum.

Ego idem Laurentius Druchi Sokolinski archiepiscopus Smolescensis Severiensis &c. spondeo, voveo, & juro, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Ego infrascriptus suprapositam fidei professionem a reverendissimo domino Laurentio Druchi Sokolinski archiepiscopo Smolescensi, & Severiensi ritus Græci uniti de verbo ad verbum in manibus meis emissam recepi, & ita testor man. prop.

H. archiepiscopus Edessenus nuncius apostolicus.

In nomine Domini. Amen. Omnibus, & singulis, quorum interest, fidem facio, & attestor ego infrascriptus, quod anno a nativitate ejusdem domini nostri Jesu Christi, millesimo septingentesimo vigesimo, indictione Romana decimatertia, die vero decima quinta mensis Septembris, constitutus personaliter reverendissimus dominus Laurentius Druchi Sokolinski archiepiscopus Smolescensis, & Severiensis &c. ritus Græci uniti coram illustrissimo, ac reverendissimo domino Hieronymo Grimaldo archiepiscopo Edessено, nuncio apostolico in regno Poloniæ &c. & præsidente synodali, flexis genibus, & sacrosanctis evangeliis, quæ præ manibus habebat, tactis, medio juramento, supradictam Fidei professionem de verbo ad verbum, prout jacet, in manibus ejusdem illustrissimi, ac reverendissimi domini nuncii apostolici, & præsidentis synodalis emisit, & in locis, ubi nomen dicti reverendissimi Domini Laurentii archiepiscopi scriptum est, ipse propria manu scripsit. Præsentibus reverendo domino Ludovico Vinequier Sacellano, & domino Joanne Loga Cubiculario prædicti illustrissimi domini nuncii apostolici, testibus ad præmissa vocatis habitis atque rogatis. Actum Zamosci, anno, mense, die quibus supra. Et in fidem me subscripsi, signoque mei Notariatus publici communivi.

Stephanus Skvvarczynski publicus sacra authoritate apostolica, ac synodalis notarius, & nunciaturæ apostolicæ in regno Poloniæ vice-cancellarius man. prop.

Loco † Sigilli.
Loco † Signi.

In nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

PRæsenti publico Instrumento cunctis pateat evidenter, & sit notum; quod cum Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Leo Kiszka archiepiscopus Metropolitanus Kyoviensis, Haliciensis, & totius Russiæ, Episcopus Uladimirensis, & Brestensis, Archimandrita Kyovo-Peczarensis, & Supraslensis supplicasset sanctissimo Domino nostro, ut sibi ad ecclesiasticam disciplinam, veramque pietatem restaurandam, liceret synodum Provincialem celebrare; sacra Congregatio de Propaganda Fide decrevit, ut sequitur.

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die vigesima septima Maii 1715.

RElata per R. P. D. Silvium de Cavaleriis archiepiscopum Athenarum secretarium instantia R. P. D. Leonis Kiszka totius Russiæ Metropolitæ suppliciter petentis impertiri sibi facultatem convocandi synodum provincialem, ad effectum occurrendi spiritualibus indigentiis Ruthenarum Diœcesium, sacra congregatio decrevit, ut infra, videlicet.

Domino Nuncio, qui authoritate etiam sacræ congregationis impertiatur licentiam Domino Metropolitæ convocandi synodum, cum facultate puniendi archiepiscopos, & episcopos Ruthenos, qui ad synodum sine legitima causa accedere recusarent, vel sine ejus licentia ante absolutam synodum, inde discederent. Suspensa tamen exequutione, donec a sacra congregatione resolutiones, sive decreta synodalia confirmentur. Quæ omnia per eumdem R. P. D. Secretarium sanctissimo Domino nostro in solita audientia habita, eadem die relata sanctitas sua benignissime approbavit. Datum Romæ die 13. Julii 1720.

Joseph Cardin. Sacripantes Præfectus.

Loco † Sigilli.

P. A. Archiep. Lariss. Secretarius.

Hujus autem decreti vigore, idem Illustrissimus Dominus Metropolitanus facta sibi, sacræ congregationis nomine, potestate, ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Hieronymo Grimaldo archiepiscopo Edessено, & nuncio apostolico in Regno Poloniæ, cui injunctum quoque a sancta sede fuerat, ut in eadem synodo præsideret, quemadmodum ex tenore Brevis infra adscribendi patebit, Leopoli primum, deinde ob grassantem in illa Civitate pestilentiam, Zamoscii synodum habendam indixit, ut sequitur.

ANNO CHRISTI 1720.

Leo Kiszka Dei, & sanctæ sedis apostolicæ gratia archiepiscopus Metropolitanus Kyovienſis, Halicienſis, & totius Ruſſiæ, epiſcopus Uladimirienſis Breſtenſis Kyovo Peczarenſis, Supraſlienſis, Archimandrita.

PErilluſtri Reverendiſſimo, ac Religioſiſſimo in Chriſto Patri Joanni Chryſoſtomo Radzimiriski FrœckieWicz Ordinis Divi Baſilii Magni Archimandritæ Czereinſi ſalutem in Domino. Quamvis ex præſcripto ſacri Oecumenici Concilii Tridentini, Jure nobis archiepiſcopali, Metropolitano primatiali in Ruſſia ſuffragante, nedum potuerimus, verum etiam debuerimus Provinciale concilium ad reſtaurandam collapſam diſciplinam, redintegrandoſque ad priſtinam orbitam mores, vocatis de jure vocandis indicere; nihilominus, quoniam de plenitudine ſupremæ poteſtatis, & clementiæ ſuæ ſanctiſſimus dominus noſter dominus Clemens XI. papa Roman. pro majori tum emolumento, tum gloria gentis noſtræ Roxolanæ, in præſidem celebrandi provincialis concilii, illuſtriſſimum, celſiſſimum, ac reverendiſſimum dominum D. Hieronymum Grimaldum archiepiſcopum Edeſſenum, nuncium in regno Poloniæ apoſtolicum deſtinavit. Idcirco eo magis piiſſimum ejusmodi negotium, ad pridem exoptatum jam reducere cupientes effectum ex ſpeciali mandato prætacti celſiſſimi, illuſtriſſimi, ac reverendiſſimi domini domini nuncii apoſtolici, pro celebranda provinciali ſynodo, civitatem Leopolienſem, diem vero inchoationis ejus vigeſimam ſextam menſis Auguſti, novo ſtylo deſignamus: & quatenus perilluſtris reverendiſſima paternitas veſtra pro termino præfixo de rebus unionis conſultura, ſupervenire Leopolim non dedignetur, refugiendo poenas canonibus præſcriptas, contra non accedentes ſynodum provincialem, non immemor inſuper ſui corporalis, ad accedendas ſynodos provinciales quoties vocatus fuerit, juramenti, intimamus, præſenteſque intimatorias literas noſtras, pro majori robore veritatis, manus propriæ ſubſcriptione, penes officii noſtri archiepiſcopalis Metropolitani ſigillum, ratificamus, idque in nomine ſacroſanctæ, vivificæ, & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Dabantur ad cathedram noſtram Uladimirienſem, die vigeſima prima menſis Maii anno domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo.

Leo archiepiſcopus Metropolitanus totius Ruſſiæ man. prop.

Loco † Sigilli.

Joſaphat Jachimonicz ordinis divi Baſilii magni, Archimandrita Toloczynenſis curiæ illuſtriſſimi, excellentiſſimi, ac reverendiſſimi domini Metropolitani totius Ruſſiæ &c. Auditor man. prop.

Nicolaus Laszczeushi ſuæ illuſtriſſimæ, excellentiſſimæ Celſitudinis notarius man. prop.

Item: *Leo Kiſzka Dei, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia archiepiſcopus Metropolitanus Kyovienſis, Halicienſis, & totius Ruſſiæ, epiſcopus vero Uladimirienſis, & Breſtenſis, Kyovo, Peczarenſis, & Supraſtienſis abbas.*

ILluſtriſſimis, perilluſtribus, reverendiſs. venerabilibus, admodum RR. reverendis, archiepiſcopis, epiſcopis, archimandritis, proto-archimandritæ, Hegumenis, monaſteriorum Superioribus, decanis, parochis, & cæteris ad ſynodum Provincialem Leopolim per noſtras literas anteriores evocatis, ſalutem in Domino. Quoniam ſæviens peſtis, nedum in vicinioribus locis, verum etiam in ipſa Civitate Lopolienſi, maximum periculum nobis ingerit, ne Civitas illa adiri poſſit: idcirco ſynodum provincialem in anteceſſum Leopolim indictam, & intimatam pro die vigeſima ſexta menſis Auguſti, in anno præſenti transferendam eſſe Zamoſcium, ex mente excellentiſſimi, illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Nuncii Apoſtolici, duximus, eamdemque præſentium tenore literarum, ad Civitatem Zamoſcienſem, termino temporis non immutato, nec variato, actu transferimus, ac ut illuſtriſſimæ, perilluſtres, reverendiſſimæ Dominationes Veſtræ cum vocatis de jure vocandis e ſibi creditis diœceſibus, pro termino præfixo, de Rebus Unionis conſulturæ, ſupervenire non dedignentur, refugiendo pœnas canonibus præſcriptas contra non accedentes ſynodum Provincialem, non immemores inſuper ſui Corporalis, ad accedendas ſynodos Provinciales, quoties vocati fueritis, juramenti intimamus, præſentesque intimatorias literas noſtras, pro majori robore veritatis, manus propriæ ſubſcriptione, penes officii noſtri archiepiſcopalis Metropolitani ſigillum ratificamus. Dabantur ad Cathedram noſtram Uladimirienſem, die vigeſima menſis Junii anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo.

Leo archiepiſcopus Metropolitanus totius Ruſſiæ man. prop.

Loco † Sigilli Metropolitani.

Joſaphat Jachimovicz Ordinis Divi Baſilii Magni, Archimandrita Toloczynenſis, auditor curiæ Metropolitanæ man. prop.

Nicolaus Laszczeushi ſuæ illuſtriſſimæ, excellentiſſimæ, ac reverendiſſimæ celſitudinis notarius man. prop.

Anno itaque a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo, Indictione Romana decima tertia, Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri, Domini Clementis Papæ ejus nominis XI. anno vigeſimo, die vigeſima ſexta menſis Auguſti, ſecundum Latinum Kalendarium, Zamoſcii, in eccleſia parochiali tituli Protectionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & San. Nicolai Ritus Græci uniti, in termino ex literis indictionis, ac etiam aliis authorita-

te

ANNO CHRISTI 1720.

te illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini nuncii apoſtolici, & Præſidentis editis, ac ad valvas tum collegiatæ Latiuæ, tum præfatæ parochialis Græcæ eccleſiarum Zamoſcenſium affixis, & publicatis, Synodus provinciæ Ruthenæ, Ritus Græci uniti legitime inchoata, & celebrata eſt, præſidente antememorato illuſtriſſimo, ac reverendiſſimo Domino, Domino Hieronymo Grimaldo Dei, & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopo Edeſſeno, Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Clementis Divina providentia Papæ ejus nominis XI. Prælato domeſtico, & aſſiſtente; ejuſdemque, & Sanctæ Sedis apoſtolicæ, in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ, cum facultatibus legati de latere, Nuncio, a præfato Sanctiſſimo Domino Noſtro, nec non ſacra congregatione de Propaganda Fide ſpecialiter deputato. Præſentibus autem illuſtriſſimis, ac reverendiſſimis Dominis Leone Kiszka archiepiſcopo Metropolitano Kyovienſi, Halicienſi, ac totius Ruſſiæ, epiſcopo Uladimirienſi, & Breſtenſi, Archimandrita Kyovo Peczarenſi, Supraslienſis: Floriano Hrebnicki archiepiſcopo Polocenſi, & Vitebſcenſi: Joſepho Wihoushi Luctorienſi, & Oſtrogienſi: Joſepho Levicki Chelmenſi, & Belzenſi Archimandrita Zydyczynenſi: Athanaſio Szeptycki Leopolienſi, Halicienſi, & Camenecenſi: Hieronymo Uſtrzycki Præmiſlenſi, Samborienſi, & Sanocenſi Epiſcopis, Theophilo Godebshi electo, & nominato Pinſcenſi, & Turovienſi: Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Joanne Chryſoſtomo Radzyminski Frocniewicz, Czerejenſi; Innocentio Piehowicz Mielnicenſi: Januario Ohurcewicz, Dermanenſi, & Dubnenſi: Silveſtro Tyrawshi, Dorokobuzenſi: Jacobo Solikowshi, Cobrinenſi, Ordinis Pro Conſultore: Patritio Bielski Owrucenſi Polycarpo Filipowicz Leſczynenſi: & Joſaphat Jachimoicz Totoczynenſi Abbatibus. Venerabilibus, admodum Reverendis Patribus Innocentio Charkiewicz Vicario Archimandriæ Supraslienſis, Theophilo Lacervicz Legato Supraslienſi Monaſterii, Ordinis Divi Baſilii Magni. Ex Diœceſi Metropolitana Kyovienſi, VV. PP. Gregorio Kiſielovvski Dimirſcenſi: Stephano Holosnovvicz Czudnovvienſi Decanis: Joanne Sledkievvicz, Vice-decano, & Parocho Vilſcenſi. Ex Dioceſi Metropolitana Novogrodenſi: VV. PP. Theodoro Micknievvicz, Neſſuiſien. Petro HubinsKi Grodnen. Jacobo Prokopovvicz Lidenſi. Franciſco Wyszynski, Oszmianenſi Decanis. Benedicto Skiron Vice-Decano Stonimen. Conſtant. RadKievvicz VolKowiſcen. Theodoro SlizevvKsi Cyrynenſi Decanis. Ex Dioeceſi Metropolitana Minſcenſi, VV. PP. Michaele Jazgunovvicſi Minſcenſi: Stephano Mrayski, Dotkinovien. Theodoro Zubovvicz Bronſcenſi, Philippo PieszKo Brobruyſcen. Paulo Luborvvicz, Miedzelenſi Decanis, Antonio GiriK o Vice-Decano, LoKoiſcen. Præsbyteris Sæcularibus Reverendiſſimo Patre Antonio Zavvadzki Proto-Archimandrita Ordinis: Venerabilibus admodum Reverendis Patribus Baſilio Procevvicz Conſultore Ordinis, Superiore Chetmen. Demetrio Zankievvicz Conſultore Ordinis, Superiore Novvogrodecen. Antonio Tomittowicz Ordinis Secretario, Bythenenſi: Polycarpo Mikuniewicz Zyrowicen. Superioribus: Joſepho Saporowicz Superiore, & Officiali Potocen. Auguſtino Lubieniecki, Superiore Vitebſcen., & Officiali: Joſaphat Roginski Rectore Scholarum Uladimirien. Patritio Zyravvski Secretario Reverendiſſimi Proto-Archimandritæ: Juſtino Kozaczeriko Superiore Verkouien. Conſtantino Szaciriski Superiore Chomſcen. Melchiore Toſſovicz, Superiore, & Officiali Betzenſi: Nicodæmo Kaszyc Superiore Albæ Ducalis: Ambroſio Ulinski Vicario Zydyczynen. Silveſtro Kulczynski Lectore Philoſophiæ: Soſontio Theodorovvicz Concionatore Zyrovvicien. Gabriele Ochabski, Hegumeno Zimnenſi: Jona Wizanski, Niskinicen. Hegumeno: Nathanecle Malevvicz, Strianovienſi: Andrea Bieniki Turopinenſi Superioribus: Pachomio Malevvicz, Ordinis Divi Baſilii Magni: Ex Dioeceſi Uladimirienſi, VV. PP. Alexandro Kyzikovvski Decano Uladimirien., publico Sacra authoritate Apoſtolica, & Venerabilis Capituli Notario. Laurentio Draczynski Hegumeno Zakorovien. Jacobo Silkievvicz Sokalienſi. Baſilio Bombrovvski Archidiacono cathedralis Uladimirienſis, Kiſielinenſi: Georgio Turovicz, Turiſcenſi, Decanis: Joanne Turovvicz vice-decano Uladimirien. Daniele Tyszkievvicz Porycenſi: Andrea Pichovicz Tartakovvien. Gabriele Kulczynski, Locacenſi: & Nicolao Lobaczevvski Camenecenſi decanis. Ex diœceſi Breſtenſi VV. PP. Joanne Duchaovvski Breſtenſi: Theodoro Oliſiravvicz, Camenecenſi: Gregorio Andruſckiewicz, Cobrinenſi: Stephano Oliſirowicz, Mielnicenſi: Michaele Marikowski, Bialscenſi Baſilio Waſilewski, Ulodamienſi decanis: Stephano Soſnowski Poleſcenſi, & Joſepho Ilkiewicz Drogicenſi vice-decanis. Ex diœceſi Lucæorienſi VV. PP. Nicolao Ruſowiecki Lucæorien. Matthæo Hoſtytowski, Lesniowienſi: Theodoro Czeszkiewicz Laurowien. Baſilio Zarubkiewicz Zukovienſi: Joanne Czebkievicz Rownenſi: Baſilio Luckievvicz, Oſtrogienſi: Joanne Bilski Bazalienſi. Joanne Rotucka, Dubnenſi, & Joanne Dubaczevvski, Otvcenſi decanis. Ex diœceſi Præmislienſi, VV. PP. Hieronymo Kuzmicz Ordinis Divi Baſilii Magni, ſuperiore monaſterii Dobromilien. Jacobo Borecki vicario in ſpiritualibus cathedralis Præmislienſis. Iſaia Garvalevvicz, Ordinis Divi Baſilii Magni, Concionatore illuſtriſs. D. epiſcopi Præmislien. Joanne Neronovvicz, præsbytero, & vicario in ſpiritualibus Jaroslavvien: Petro Borecki præsbytero Præmislienſi vicario in ſpiritualibus Nizankovien. Michaele NarolKsi Præsbytero Jacoslavienſi, vicario in ſpiritualibus Prueknicen. Joanne Kornaszevvicz Sanocenſi. Theodoro Naſczoezyc, Samborienſi vicariis: fratre Auguſtino Tarnogrodzki Ordinis Divi Baſilii Magni archidiacono illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Præmislienſis: Nicolae Naſezoczyc parocho Samborien. & Biskovvien. Alumno Pontificio Leopolien. Ex diœceſi Chetmenſ., Conſtantino Kyzikovvski Chelmenſi. Thoma Koladinski, Tyszonecenſi: Theodoro Kortanievvcz

ANNO CHRISTI 1720.

ANNO CHRISTI 720.

vvicz Betzenſi. Theodoro Wituſovvski Uknovienſi: Joanne Rauski Tomaſovvienſi: Andrea Karpinski Szebreſinenſi: Andrea Nacodoſtavvski, Lublinenſi. Theodro Szczerbinski Lubomlenſi: Baſilio Pilecki, Ratnenſi: Stephano Uszynski Rubieſzovienſi: Andrea Wizanceski Horodlenſi, & Polycarpo Biatovvolski Zamoſcenſi decanis. Ex epiſcopatu Leopolienſi, RR. PP Dionifio Sienkievvicz Ordini Divi Baſilii Magni, officiali cathedræ Leopolienſis, & Hegumeno Sancti Georgii & Hoſzovienſi: Antonio Siedlevvicz Officiali Cathedræ Halicien. Hegumeno Monaſterii Ukornicenſis, & Pekonſcenſis: Dionifio Maſchievvicz officiali Cameneren. Podoliæ, Hegumeno Sancti Honuphrii Leopolien. Parthenio Tomikocoſcki Archidiacono illuſtriſſimi epiſcopi Leopolienſis, Hegumeno Monaſterii Podkorecenſis, & Ztoczovien. VV. PP. Joſepho Narolski ordinis Divi Baſilii Magni, Concionatore cathedræ Leopolienſis: Philareto Podkovva Hegumeno Creckovienſi: Gedeone Pakovvski Vicenſi: Gedeone Tymoſzevvicz, Dobrzanenſi: Joſaphat Boriskouski, Sokotocenſi; Juſtino Michocki Bieſiadenſi Hegumenis: Vitali Jandzinski, Vicario, & Concionatore Creckovien. Iſaia Dunajeski Hegumeno Kraſnopuſtynen. Gregorio Bodgurski, decano Foraneo Bobrecenſi Concionatore, & Promotore, alias ſyndico generali: Baſilio Gaatkovvski Vicario in ſpiritualibus Dolinen. Catuſſienſi: Andrea Zborovvki Ztoczovvienſi: Petro Podrudcki Zydaczovvien. Gregogorio Czapelski, Bialokamenenſi decanis: Jo. Drokovviecki Vicario Stanislavovien. Stephano Krakovieck; cathedralis Camenecen. Podoliæ: Baſilio Tuardyevvicz, Czorkovvinnſi: Alexandro Tomkovvski Scalſcenſi vicariis: Joanne Podgurski Alumno Pontificio Leopolien. Baſilio Tazorovvicz Vicario Brzezavvenſi: Jacobo Zarzycki Decano Voynitovien. Michaele Zarzycki Præsbytero, & Decano Buczaczenſi: ex diœceſi Pinſcenſi, VV. PP. Joanne Druzytovvski decano & Andrea Danciкovvski, Notario Capitulari Pinſcen. decano Pooſcen. Tuni, & RR. PP. Adriano Fabrycii ſuperiore, & Officiali Breſten Spiridone Jackimovvicz Præfecto Scholarum Uladimirienſium: Ignatio Kulczynski Sacræ Theologiæ, & Philoſophiæ Doctore, Parthenio Daneykovvski: Nicolao Bteſzynski, Ordinis Divi Baſilii Magni: Stephano SiemiezoKvvs Kanczudzen. Michaele Davvidovvicz Lubomlen. Michaele Roſinski Præſbyteris: Baſilio Skotynski vice-decano Lubaczovienſi: Alexandro Waſzynski, Præsbytero: Theodoro Rudnichi, Diacono Alumno Pontificio Seminarii Leopolienſis, Ritus Græci uniti, atque nobilibus Stephano Laskovvki Sacræ Regiæ Majeſtatis ſecretario, notario apoſtolico, ſeniore confraternitatis Leopolienſis, & Joanne Czeſnikovvski, ab eadem confraternitate deputato.

Seſſio Prima.

ANNO CHRISTI 1720.

EAdem die vigeſima ſexta menſis Auguſti poſt celebratam ab illuſtriſſimo, & & Reverendiſſimo Domino archiepiſcopo Metropolitano Miſſam cantatam, illuſtriſſimus, ac reverendiſſimus Dominus nuncius apoſtolicus, & præſidens ſynodalis, præmiſſis orationibus, & Hymno: *Veni Creator &c.* juxta ritum, & præſcriptum Pontificalis Romani, orationem habuit ad omnes in Domino congregatos, moxque literas brevis a Sanctitate Sua ad illuſtriſſimum, ad reverendiſſimum Dominum archiepiſcopum Metropolinanum, omneſque alios illuſtriſſimos, ac reverendiſſimos Dominos Ruthenos epiſcopos Ritus Græci directas ipſi illuſtriſſimo Domino Metropolitæ conſignari fecit: aliud vero breve deputationis ſui in Præſidentem, publice legi juſſit, quod erat tenoris talis.

Foris: *Venerabili Fratri archiepiſcopo Edeſſen, noſtro, & apoſtolicæ ſedis in Regno Poloniæ.*

Loco † Annuli piſcatoris.

Intus vero. CLEMENS PAPA XI.

VEnerabilis frater ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut accepimus, modernus Metropolita Ruſſiæ una cum venerabilibus etiam fratribus episcopis Ruthenis unitis Synodum ſuper rebus ad ejus Metropolitanam, aliaſque eccleſias Ruthenas ſpectantibus prope diem celebrare intendat: nos ſynodum hujuſmodi recte, & feliciter ad Dei gloriam, dictarumque eccleſiarum utilitatem celebrari cupientes, Te, de cujus prudentia, integritate, & religionis zelo plurimum in domino confidimus, in prædicta ſynodo noſtra, & ſedis apoſtolicæ nomine præſidentem cum auctoritate, facultatibus, jurisdictione, honoribus, et oneribus ſimilibus præſidentibus competentibus, et aliis ſolitis, & conſuetis apoſtolica auctoritate, tenore præſentium facimus, conſtituimus, & deputamus: teque in domino hortamur, & monemus, ut ſynodum hujusmodi fideliter regere, ac in illa, omnia, quæ ad proſperum eccleſiarum prædictarum regimen, & gubernium pertinent, decerni ſtatui, & ordinari cures, & facias, ita tamen, ut ea, quæ in eadem Synodo decreta, ſtatuta, & ordinata forent, in ſuſpenſo remaneant, illorumque exequutio, donec a congregatione venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſita, examinata, & approbata non fuerint differri debeat. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ prædictis metropolitæ, & epiſcopis, ac dilectis filiis clero in prædicta ſynodo congregatis, aliiſque, ad quos pertinet, ut, Te in in ejusdem ſynodi noſtro, & prædictæ ſedis nomine præſidentem reverenter ſuſcipiant, Tibique in omnibus ad præſidentis officium pertinentibus pareant, obe-

ANNO CHRISTI 1720.

diant, & assistant, Tuaque salubria monita, & jussa humiliter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent, non obstant. Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, eccleſiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub Annulo Piscatoris, die XX. Martii MDCCXVI. pontificat. nostri anno decimo sexto.

F. cardinalis Oliverius.

Postquam autem lectum fuit hujusmodi Breve, illustrissimus, ac reverendissimus dominus metropolita aliud sibi, cæterisque suis illustrissimis co-episcopis inscriptum legi mandavit, quod erat tenoris talis.

Foris: *Venerabilibus fratribus Leoni Kiska totius Russiæ Metropolitano, ac universis Ruthenis episcopis Ritus Græci provinciali synodo congregatis.*

Loco † Annuli Piscatoris.

Intus vero: CLEMENS PAPA XI.

VEnerabiles fratres salutem, & Apostolicam benedictionem. Verbis exprimere non satis possumus gaudium plane intimum, & singulare, quo paternum cor nostrum perfusum fuit, ubi a congregatione venerabilium Fratrum nostrorum negotiis Propagandæ Fidei præpositorum nuper accepimus, Fraternitates vestras ad restituendam in istis Ruthenæ nationis dioecesibus veram pietatem, ac ecclesiasticam disciplinam, ferventi studio incumbere, eoque potissimum consilio ad istam provincialem synodum convenisse, ut scilicet opportunas rationes, ac salubriora remedia constitueretis, per quæ errores temporum calamitate, hominumque fraude invecti extirparentur, ac regimini Vestro commissi sacerdotes, & populi ad sincerum cultum Orthodoxæ religionis, sine qua placere Deo nequaquam possumus, tum etiam ad illibatam, ac integram ritus Catholici professionem revocarentur. Quocirca post actas Cœlesti Pastorum principi humiles gratias, quod Fraternitatibus vestris piam hanc, gradusque vestri amplitudine, & sanctitate maxime dignam mentem injecerit, pontificii muneris nostri esse ducimus, Vobis effusam, meritamque tribuere laudem, & quamvis ultro bene currentibus paternæ vocis nostræ calcar admovere, ut in suscepto religiosissimo proposito constanter pergatis, ac in eo præsertim strenuam, sedulamque ponatis operam ut graves illi abusus, qui in sacrorum Ministrorum electione non sine magno animarum detrimento, quemadmodum probe nostis, irrepserunt, ex vestris dioecesibus eliminentur quam primum, ac penitus e medio tollantur; Quæ quidem vota, ac desideria nostra fusius vobis explicabit venerabilis Frater Hieronymus archiepiscopus Edessæ, noster, & apostolicæ sedis in Regno Poloniæ nuncius, quem nos illustre vobis præbituri argumentum existimationis, ac amoris, quo ritus Græci professores, & Ruthenam in primis nationem, omni tempore complexi sumus, & adhuc complectimur synodo Vestræ coram adesse, eique nostro nomine præsidere voluimus, ut spiritualibus vestris necessitatibus auctoritate nostra præsens opem ferre, ac ea omnia sedulo promovere possit, quæ communi vestro bono, animarum saluti, divinæque gloriæ incremento utilia, ac opportuna fore videbuntur. Vestrum itaque erit eumdem præsulem iis honoris, & reverentiæ significationibus excipere, quæ præstantibus illius virtutum ornamentis, ac in primis conspicuo, quo a nobis insignitus est muneri plane debentur: tum etiam iis, quæ ipse nostro nomine vobis exponet, integram adhibere fidem, ac demum illius consiliis, & monitis pronas, facilesque præbere aures, cum pro explorato habere debeatis ea non aliunde proficisci, quam a paterna, ac sane intima, qua vos in Domino prosequimur charitate; nec aliud certe spectare, quam communionem vestram, totiusque Ruthenæ nationis nobis commendatissimæ utilitatem. Hæc autem omnia pro perspecta virtute, zeloque vestro ita præstanda a vobis fore condimus, ut uberiora in dies ab hac Sancta sede laudum præconia, ac tandem a Redemptore nostro ampliſſimam illam, quam bonis, fidelibusque pastoribus pollicitus est, retributionem consequi mereamini. Eum interim nos enixe rogare non desinemus, ut sit in medio vestrum, quatenus ad illius justitiam faciendam vestra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera: & Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die XIX. Julii MDCCXX. Pontificatus nostri Anno XX.

Joannes Christophorus archiepiscopus Amasenus.

Finita lectione utriusque Brevis, memoratus illustrissimus, & reverendissimus dominus nuncius apostolicus jussit prælegi decreta de Residentia ex concilio Tridentino sess. 6. cap. 1. de Reformat. necnon decretum de professione Fidei facienda ex eodem concilio sess. 25. cap. 2. eisque prælectis conformando se dispositioni sacrorum canonum, & sacri concilii Tridentini, professionem Fidei Catholicæ, extra quam nemo salvus esse potest, emittendam proposuit; sicque propositam eamdem professionem Fidei, juxta

for-

formam ab Urbano VIII. felic. record. summo pontifice, pro orientalibus editam, omnes, & singuli, qui tunc ad hanc synodum convenerant, præeunte illustrissimo & reverendissimo domino Metropolitano in manibus Illustrissimi, ac reverendissimi domini Præsidentis synodalis præstiterunt, suaque nomina actis inserenda, quæ jam superius relata sunt, tradiderunt, ac deinde ipsam professionem, cujus tenor est, ut infra manibus suis subscripserunt, ut patet ex ipso Originali.

Forma Professionis Fidei.

EGo NN. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo, quo sancta Romana ecclesia utitur scilicet.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ; visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Veneror etiam, & suscipio universales synodos, prout sequitur, videlicet.

Nicænam primam, & profiteor, quod in ea contra Arium, damnatæ memoriæ, definitum est: Dominum Jesum Christum esse Filium Dei, ex Patre natum Unigenitum, idest, ex substantia Patris natum, non factum, consubstantialem Patri; atque impias illas voces, recte in eadem synodo damnatas esse, quod aliquando non fuerit, aut quod factus est ex iis, quæ non sunt, aut ex alia substantia, vel essentia, aut quod sit mutabilis, vel convertibilis Filius Dei.

Constantinopolitanam primam, secundam in ordine; & profiteor, quod in ea contra Macedonium, damnatæ memoriæ, definitum est, Spiritum Sanctum, non esse servum, sed Dominum; non creaturam, sed Deum; ac unam habentem cum Patre, & Filio Deitatem.

Ephesinam primam, tertiam in ordine, profiteor, quod in ea contra Nestorium, damnatæ memoriæ, definitum est: Divinitatem, & humanitatem ineffabili, & incomprehensibili unione, in una persona Filii Dei, unum nobis Jesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem vere esse Dei Genitricem.

Anno Christi 1720.

Anno Christi 1725.

Chalcedonensem, quartam in ordine, & profiteor, quod in ea contra Eutychem, & Dioscorum, ambos damnatæ memoriæ, definitum est: Unum, eumdemque Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, perfectum esse in Deitate, & perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum, ex anima rationali, & corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, eumdem consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem, absque peccato, ante sæcula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus, eumdem propter nos, & propter nostram salutem, ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem, unum, eumdemque Christum Filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam, atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum, aut divisum, sed unum, eumdemque Filium, & Unigenitum, Deum verum, Dominum Jesum Christum.

Item ejusdem Domini nostri Jesu Christi Divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri, & Spiritui Sancto, impassibilem esse, & immortalem; eumdem autem crucifixum, & mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta synodo, & in epistola Sancti Leonis Romani Pontificis, cujus ore Beatum Petrum loquutum esse Patres in eadem synodo acclamaverunt. Per quam definitionem damnatur impia hæresis illorum, qui Trisagio ab Angelis tradito, & in præfata Chalcedonensi synodo decantato, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miserere nobis, addebant: Qui crucifixus est pro nobis; atque adeo Divinam naturam trium personarum passibilem asserebant, & mortalem.

Constantinopolitanam secundam, quintam in ordine, in qua præfatæ Chalcedonensis synodi definitio renovata est.

Constantinopolitanam tertiam, sextam in ordine, & profiteor, quod in ea contra Monothelitas definitum est: In uno eodemque Domino nostro Jesu Christo duas esse naturales voluntates, & duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, & humanam ejus voluntatem non contrariam, sed subjectam Divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.

Nicænam secundam, septimam in ordine, & profiteor, quod in ea contra Iconoclastas definitum est: Imagines Christi, ac Deiparæ Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam.

Constantinopolitanam quartam, octavam in ordine, & profiteor in ea Photium merito fuisse damnatum, & Sanctum Ignatium Patriarcham restitutum.

Veneror etiam, & suscipio omnes alias universales synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, & confirmatas, & præsertim Florentinam synodum, & profite-

ANNO CHRISTI 1720.

or, quæ in ea definita sunt, videlicet: quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedit.

Item dictionem illam (Filioque) veritatem declarandi gratia, & imminente necessitate, licite, & rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item in azymo, sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.

Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatorii post mortem purgari; &, ut a pœnis hujusmodi relevantur, prodesse eis Fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum ecclesiæ instituta; illorumque animas, qui post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ, sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum Trinum, & Unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen dispatibus puniendas.

Item sanctam apostolicam sedem & Romanum pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Romanum pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum patrem, ac doctorem existere: et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam, ut eadem Florentina synodus asserit, in gestis oecumenicorum conciliorum, in sacris canonibus continetur.

Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaicæ Legis cæremonias, sacra sacrificia, & sacramenta, Domino nostro Jesu Christo adveniente, cessasse, & post promulgatum Evangelium, sine peccato observari non posse. Ejusdem etiam legis veteris ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad cæremonialia pertinere, quæ surgente Evangelio transierunt.

Illam etiam apostolorum prohibitionem, ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato illi tempori congruisse, ut inter Judæos, & Gentiles dissensionis materia tolleretur. Cujus apostolicæ prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus.

Pariter veneror, & suscipio Tridentinam synodum, & profiteor quæ in ea definita, & declarata sunt, & præsertim offerri Deo in missa verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento (juxta fidem, quæ semper in ecclesia Dei fuit) contineri vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, una cum anima, & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, & sub unaquaque specie, & singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri.

Item septem esse novæ legis sacramenta a Christo Domino nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre; & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem iterari non posse.

Item Baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, & a quocunque, & quandocumque sub debita materia, forma, & intentione collatum esse validum.

Item Sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, & quamvis, propter adulterium, hæresim, aut alias causas possit inter conjuges, thori & cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse.

Item apostolicas, & ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse, & venerandas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse.

Pariter, quæ de peccato originali, de justificatione, de sacrorum librorum tam veteris, quam novi Testamenti Indice, & interpretatione, in prædicta Tridentina synodo definita sunt, suscipio, & profiteor.

Cætera item omnia suscipio, & profiteor, quæ recipit, & profitetur sancta Romana ecclesia, simulque contraria omnia, & schismata, & hæreses ab eadem ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, reiicio, & anathematizo.

Insuper Romano pontifici Beati Petri Principis Apost. successori, ac Jesu Christi vicar. veram obedientiam spondeo, ac juro.

Hanc Fidem catholicæ ecclesiæ, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, me curaturum.

Ego idem NN. spondeo, voveo, & juro; sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia.

Quibus peractis Sessio limitata est ad horam decimam ante meridianam Sabbathi proxime sequuturi, diei videlicet trigesimæ primæ mensis, & anni currentis. Quæ cum ob

ANNO CHRISTI 1720.

ob infirmitatem illustrissimi, ac reverendissimi domini Metropolitani haberi non potuerit, dilatata est ad diem sequentem.

Sessio Secunda.

DIe Dominica, quæ erat prima mensis Septembris juxta novum Kalendarium, eodem anno, postquam in eadem ecclesia Ritus Græci uniti Zamoscen. congregati fuerunt, qui synodo interesse debebant, & ab eodem Illustrissimo, ac reverendissimo domino archiepiscopo Metropolitano celebrata fuit missa; illustrissimus, ac reverendissimus dominus nuncius apostolicus, & Præsidens synodalis præmissis iterum orationibus, & Hymno *Veni Creator &c.* juxta Ritum, & præscriptum pontificalis Romani, ad effectum, ut universis in domino congregatis constare possit de casus sanctæ sedis apostolicæ in Bulla Cœnæ Domini reservatis, necnon de Immunitate, qua ecclesia loca sacra, & religiosa gaudent, tum etiam de vitandis quibusdam erroribus per sanctam sedem Apostolicam super condemnatis; accedente super hoc consensu Illustrissimorum, ac reverendissimorum dominorum Metropolitæ, ac episcoporum præfatorum, mandavit e suggestu publicari decreta, seu Bullam Pontificiam die Cœnæ Domini legi solitam; Constitutionem Gregorii XIV. die 28. Maii anni 1591. editam de immunitate ecclesiastica, & respective constitutionem moderni sanctissimi domini nostri Clementis papæ ejus nominis XI. Anno Incarnationis Dominicæ 1713. sexto Idus Septembris, pontificatus suæ sanctitatis Anno XIII. editam, quæ incipit: Unigenitus &c. Quarum quidem constitutionum apostolicarum prælectione facta, reliqui ecclesiastici tam seculares, quam regulares, qui in prima sessione professionem Fidei præstare non potuerant moniti, ut ad eamdem præstandam accederent, ipsam juxta formam superius expressam in manibus memorati illustrissimi, & reverendissimi domini nuncii apostolici, & præsidentis synodalis emiserunt, suaque nomina inter aliorum præsentium, per me Notarium his in actis commixtim superius relata, formæ professionis supradictæ, manibus suis subscripserunt.

Quibus peractis soluta fuit Sessio ad diem Sabbathi septimam; sed cum hac die ob plurima negotia haberi non potuerit, demum prorogata fuit ad diem Martis decimam septimam mensis, & anni currentium.

Interea die Veneris sexta mensis Septembris, eodem anno millesimo septingentesimo vigesimo in loco publicis collationibus synodalibus designato sub tempus inchoandæ collationis personaliter constituti nobiles Stephanus Laskoushi sacræ Regiæ Majestatis secretarius, notarius apostolicus, senior confraternitatis Stauropigianæ Leopolin. & Joannes Czesnikoushi ab eadem confraternitate deputatus, una cum reliquis jam alias supra insertis ecclesiasticis, a quibus professio emittenda desiderabatur, eamdem sic ut supra præscriptam in manibus illustrissimi, ac reverendissimi domini nuncii apostolici, & præsidentis synodalis publice emiserunt, manibusque propriis in instrumento professionis Fidei nomina sua inscripserunt.

ANNO CHRISTI 1720.

Die vero Jovis duodecima mensis, & anni eorumdem, pro synodo præsenti personaliter adveniens ad Civitatem Zamoscensem illustrissimus, & reverendissimus dominus Laurentius Drucki Sokolinshi archiepiscopus Smolenscen. Severien. &c. Ritus Græci uniti, successive die decima quinta mensis ejusdem, professionem Fidei juxta formam recordatæ memoriæ Urbani VIII. pro orientalibus præscriptam, pariter in manibus supradicti illustrissimi, ac reverendissimi domini nuncii Apostolici ac præsidentis clare, distincte, ac verbis disertis emisit, ipsamque formam hujusmodi professionis a se emissæ in separato folio sibi porrectam manu propria subscripsit.

Sessio Quarta.

DIe Martis, quæ erat decima septima mensis Septembris juxta novum Kalendarium, eodem anno, congregatis iterum in eadem ecclesia Ritus Græci uniti Zamoscen. iis, qui synodo interesse debebant, celebrataque ab illustrissimo, & reverendissimo domino Josepho Levichi episcopo Chetmensi & Betzensi, Archimandrita Zidyczynensi missa, prælibatus illustrissimus, ac reverendissimus dominus nuncius apostolicus, & præsidens synodalis itidem præmissis Orationibus, & Hymno: *Veni Creator &c.* juxta Ritum, & præscriptum pontificalis Romani; urgente promotore synodi lectionem actorum, seu decretorum synodalium, eadem publice legi mandavit, prout clara, & intelligibili voce ex suggestu lecta sunt, de tenore tali, ut sequitur.

Decreta synodi provincialis provinciæ Russiæ, ritus Græci uniti, præsidente Illustrissimo, ac reverendissimo domino, domino Hieronymo Grimaldo archiepiscopo Edessено nuncio apostolico in regno Poloniæ, a sanctissimo domino nostro domino Clemente papa XI. necnon sacra congregatione de Propaganda Fide specialiter deputato, die Lunæ XXVI. mensis Augusti inchoatæ, aliis vero sequentibus diebus mensium ejusdem Augusti, & Septembris anno domini millesimo septingentesimo vigesimo continuatæ, ac celebratæ Zamoscii.

TITULUS I.

De Fide Catholica.

SAncta hæc synodus, ut fides, quam in prima Sessione professa est, firmius ab omnibus teneatur, ac felicius, Deo adjuvante propagetur, sacrorum canonum vestigiis inhærendo, statuit, ut formulam, quæ a sancta Romana ecclesia (cujus exemplo prava omnis disciplina profligatur) (a) *ad quam, omnem necesse est convenire ecclesiam, & in qua semper ab iis, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio:* Ejusdemque sanctæ Romanæ ecclesiæ nomine a sanctæ memoriæ Urbano VIII. Græci Ritus catholicis præscripta est,

quæ

ANNO CHRISTI 1720.

quæque pro faciliori omnium captu in linguam Vernaculam versa, & typis mandata est, omnes profiteri teneantur non solum ii, quos sacrum concilium Tridentinum id præstare jubet (a). Provisi scilicet de beneficiis quibuscumque curam Animarum habentibus in manibus ordinarii, sive ipsius officialis; verum etiam reliqui omnes, quibus constitutione (b) sanctæ memoriæ Pii IV. idipsum præscriptum est, ii nimirum, quos promoveri contigerit ad episcopatum in manibus illustrissimi metropolitani, ante consecrationem; prout hactenus observatum est (c) religiosissimi abbates, & Archimandritæ, antequam benedicantur juxta Ritum orientalis ecclesiæ (d) illi etiam, qui sacris ordinibus initiandi sunt ante ordinum susceptionem. (e) Ludimagistri denique, ac alii quicumque ad aliquos gradus in universitatibus promovendi, in manibus reverendissimi episcopi. Præterea statuit, ut omnes utriusque sexus regulares eamdem professionem emittere debeant in manibus ordinarii, vel alterius personæ ab ipso designandæ, intra tres menses a die promulgationis præsentis synodi; ii vero, qui deinceps sive in virorum, sive in mulierum monasteriis professionem in ordine emissuri sunt, non expectato trium mensium spatio, eamdem Fidei professionem statim ac in ordinem cooptabuntur, emittant, atque ita servetur in perpetuum. Quod si per negligentiam id facere omiserint, præterquamquod gravis culpæ rei censebuntur, reverendissimi episcopi fructus ecclesiarum non faciant suos, sed eos restituere teneantur. Religiosissimi autem Archimandritæ, & venerandi presbyteri a beneficio, vel officio deponantur; ii vero, quos post hujusmodi confessionem, perjuros, ac desertores inconsutilem Jesu Christi tunicam scindere compertum fuerit, sanctæ sedi per Metropolitanum, si episcopi fuerint; Si vero monachi, aut presbyteri ad locorum ordinarios deferantur graviter puniendi.

(a) *Sess. 24. c. 12. de Refor.*

(b) *89. in Bullar.*

(c) *Can. qui Episcopus dist. 28.*

(d) *Rom. Pont. cap. 3. tit. 6.*

(e) *Trid. sess. 24. cap. 1. de Reform. Greg. XVI. Const. 6.* *Pius IV. Const. 89.* *Canon. quamquam dist. 23.*

Quoniam *corde creditur ad justitiam*, teste Apostolo; *ore autem confessio fit ad salutem*; neque ulla est causa, cur prohibeamur aperte profiteri quod credimus; statuit ac decrevit sancta synodus, ut symbolo Fidei, ubicumque imprimetur in posterum, aut recitabitur, tam publice, quam privatim, addatur particula illa: *Filioque*: qua processio Sancti Spiritus a Patre, & Filio designatur. Qui secus facere per malitiam deprehensus fuerit ad ordinarium tamquam suspectus de schismate deferatur.

Eadem de causa, & ad demonstrandam sinceram membrorum cum Capite conjunctionem, censuit etiam, ac præcepit, sub pœnis arbitrio ordinarii infligendis, ut ubicumque in sacris Dypticis commemoratio Romani pontificis facienda erit, præsertim vero tempore sacrificii missæ in translatione oblatorum, fiat claris, & expressis verbis quibus alter, quam Romanus universalis episcopus designari non possit.

Præterea nemini cujuscumque status, & conditionis sit, qui catholicam Fidem professus fuerit, liceat ad extraneos pastores, eorumque ecclesias, sive suscipiendorum sacramentorum, sive devotionis causa accedere, ne videatur activam cum iis, qui foris sunt, communionem habere; alias ordinarii contra ipsos procedant, tamquam suspectos.

Sancta hæc synodus damnat, & anathematizat impiam, & ubique reprobatam Philippi hæresim, omniaque ipsius Assclarum horrenda dogmata, ac nominatim ea, quæ sequuntur.

I.

Distinctæ sunt trium personarum divinarum naturæ.

II.

Non alia fuit statura corporis Christi in utero Mariæ, quam in Cruce.

III.

Cruces argenteæ sunt illicitæ, quia Christus in ligno affixus expiravit.

IV.

Nullum est Eucharistiæ sacramentum, nullum sacrificium, quia jam sunt antichristi tempora.

V.

Nullum est sacramentum poenitentiæ, nec Extremæ Unctionis, nec ordinis.

VI.

Quicumque baptizandus, in aquam non immergitur, Paganus est.

VII.

Signum Crucis integra manu expressum est signum Antichristi.

VIII.

Libros non scriptos, sed impressos legere nefas est.

IX.

Aqua benedicta non est salutaris.

X.

Mahometanorum Fana, ac Synagogæ Judæorum sunt ecclesiis anteponendæ.

XI.

Matrimonium contrahere non est necesse, sed sat est cum uxoribus conjunctissime vivere.

Quia vero gravissimo cum animi dolore intellexit virus hoc serpere inter aliquos Græci ritus Fideles, quos, & ipsi latini nonnumquam fovent; statuit primum, ut ad depellendam tantam perniciem, imploretur au-

auxilium, & auctoritas sanctæ sedis. Deinde serio injunxit, ut ordinarii procedant contra suos diœcesanos, quos vel hæresim ipsam profiteri, vel hæreticos fovere compererint, eosque non solum removeant a consortio cæterorum Fidelium; verum etiam aliis statutis a jure, & Reipublicæ constitutionibus pœnis coerceant, & deterreant; si quis autem ex latini ritus Fidelibus talia præsumpserit, deferatur ad proprium ordinarium, cujus erit partes sibi commissas ad sacrorum canonum præscriptum diligenter implere. Quod si is negligentior (quod haud credibile est) ac remissior visus fuerit prævii omnibus humanitatis, ac fraternæ charitatis officiis, ad Sanctissimum deferatur.

Cum homines ita sint ad malum propensi, ut etiam iis rebus, quæ ad Dei gloriam augendam, & religionem catholicam, liberalesque artes diffundendas inventæ sunt, non sine magno animarum detrimento aliquando abutantur; præsens synodus vestigiis patrum sacri concilii Tridentini inhærens, statuit primo, ut libros quosvis ad Philtra, exorcismos, superstitiones, divinationem, ac magiam quoquomodo spectantes remo amplius, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, retinere, ac legere pollit. Deinde præcipit ut nemo impositerum sine approbatione, & licentia loci ordinarii libros aliquos edere, atque imprimere, vel a finibus schismaticorum ad nos inferre, ac retinere audeat, & præsumat. Ut autem hoc periculum magis avertatur, præscribit, ut libri, qui jam impressi sunt, si correctione indigeant, & corrigi possint, corrigantur, & ipsorum lectio tandiu fidelibus inhibeatur, donec fuerint correcti: sin minus omnino prohibeantur sub pœnis excommunicationis tam contra legentes, & retinentes, quam contra inferentes in regnum absque licentia ipsius loci ordinarii. Prohibet insuper synodus venditionem, & distractionm eorumdem librorum, qui sine approbatione ordinarii hactenus impressi fuerunt, quousque non examinentur, & approbentur. Eorum vero, qui jam sub prælo fortasse sunt, editionem suspendi jubet. Placuit tamen, ut missalia, rituâlia, breviaria, diurnalia, ac pontificalia ab ordinariis approbari non possint, nisi conformia sint editioni, quam synodus ipsa fieri jusserit, & sancta sedes probaverit.

TITULUS II.

De prædicatione verbi Dei, & Catechismo instituendo.

CUm sine fide impossibile sit placere Deo. (a) Fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Christi (b); quod porro verbum sine prædicatione audiri non potest, proindeque populum latet & finis, ad quem quisque creatus est, & ratio eum assequendi: idcirco sancta hæc Synodus jubet, ut, venerabiles parochi populum sibi commissum diebus saltem dominicis, & festis solemnibus, pro suo, et ipsius populi captu, pascant verbo Dei, docendo quæ scire omnibus necesse est ad salutem, eique annunciando cum perspicuitate sermonis vitia, a quibus declinare, et virtutes, quas sectari oportet ad evadendam pœnam æternam, et cœlestem gloriam consequendam (c).

(a) D. Paul. ad Rom. 11.
(b) D. Paul. ad Rom. 10.

ANNO CHRISTI 1720.

Cæterum, quia experientia compertum est lacte potius huic populo, quam solido cibo opus esse, ideo statuit, ut quilibet parochus singulis diebus dominicis post evangelium; ac etiam alio opportuno tempore, quando populus frequentior erit in Ecclesia, doceat ipsum quæ scire debet, ut salvus fiat ex catechismo; quem si minus memoria tenebit prælegere poterit. Hanc autem adeo necessariam christianæ doctrinæ explicationem præsens synodus per viros ab illustrissimo Metropolitano deputandos, componendam, imprimendam, ac omnibus parochis distribuendam esse censuit.

Si quis autem, cui animarum cura commissa est, hoc officium non legitime impeditus prætermiserit, quoties negligentiæ a decano loci convictus fuerit, toties decem Florenorum multa puniatur, applicanda ecclesiæ, cui præfuerit; præterea si negligentia crebior erit, ac parochus tribus mensibus ab episcopi monitione muneri suo defuerit, ab officio suspendatur, aliisque pœnis arbitrio ordinarii plectatur.

Porro cum nemo non videat, quam turpe sit, & periculosum, si qui cæteris præire, viamque salutis monstrare debent, eam ipsi nesciant; (d) Statuit sancta synodus, ut præter cathechismum ad institutionem populi, alter edatur cura, & studio ipsius illustrissimi Metropolitani ad erudiendos Parochos lingua vernacula, atque eis constituto certo, ac moderato pretio distribuatur. Ne vero labor hic, ac studium inutile sit, sciant venerabiles parochi se quater singulis annis a viris, quos ordinarii deputaverint, examinandos esse, super illius lectione, & profectu, graviterque puniendos, si negligentes deprehensi fuerint.

(d) S. Bern. serm. 76. in Cantic.

Noverint autem reverendissimi episcopi officium prædicandi, instruendique populum ita ad parochos pertinere, ut sibi, quos posuit Christus attendere universo gregi (e) ejusmodi cura in primis commissa sit; quapropter nisi saltem sedulo vigilent, & dent operam, ut per parochos, quos sibi coadjutores assumunt, hæc omnia diligenter, ac fideliter adimpleantur, de ipsorum manibus animas Jesu Christi Sanguine redemptas potissimum requirendas esse.

(e) Act. 20. versic. 28. Trid. sess. 6. cap. 2. de Reform.

TITULUS III.

De Sacramentis, eorumque administratione.

CUM in ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihil excellentius, aut magis Divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta; Parochus, vel quivis alius sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se Sancta tractare, ac quovis fere momento ad tam sacrum ministerium implendum paratum se esse oportere tum corpore, ob commoditatem recur-

ANNO CHRISTI 1720.

currentium, tum spiritu, per vitæ munditiem, & honestatem.

Itaque quicumque parochiale officium exercuerint, in suis Ecclesiis, quantum fieri potest, semper resideant, ut fidelibus spirituali auxilio indigentibus præsto adesse possint, & si conscii sibi fuerint alicujus mortalis peccati, sacramenta administrare non audeant, nisi præmissa confessione, vel saltem si copia confessarii defuerit, elicito contritionis actu; ne sacramentum ipsi ministro in sacrilegium vertatur. Sobrii omni tempore sint, ne sese periculo exponant invalide, vel saltem illicite sacramentum administrandi; intentionemque eliciant faciendi quod Christus jubet, & facit ecclesia ad majorem Dei gloriam, atque animarum salutem. In ipso actu administrationis, omnis gravitas, & modestia in vultu, & in verbis; omnis mundities, nitor in vestibus, & vasis sacris eluceant. Formam sacramenti distincte, & devote eodem tempore proferant, quo materia ab iis adhibetur, neque unam, vel alteram mutent, neque alterutram, vel dubia, vel probabili umquam utantur, relicta certa, & tutiori; namque hoc pacto lethalem culpam admitterent.

Si quis autem ad sacramenta administranda vocatus vel officio fungi tardaverit, vel aliquid commiserit a sanctitate, & puritate sui ministerii alienum, graviter ab episcopo puniatur; gravissime vero, si quem ipsius negligentia absque Baptismo, sacra Confessione, sacro Viatico, aut extrema Unctione e vita migrare contigerit.

Ut fideles majori cum pietate, ac reverentia, uberiorique fructu sacramenta suscipiant, monet synodus, ac magnopere hortatur parochos, ut antea quam ea administrent, ipsorum usum, vim, efficaciam, & quem ad finem a Domino Jesu Christo fuerunt instituta, fideli populo, pro cujusque captu explicent, sacraque documenta ex iis omnibus eruant, quæ ad mores recte formandos pertineant. Quod potissime opportunum erit, tum in Baptismo, revocando in memoriam præsertium, quomodo & ipsi renati, sanctam illam Professionem emiserint, cui conformem vitam ducere debent; tum in administratione Viatici, & extremæ Unctionis, quo tempore ex ipso hominis morituri conspectu, major in adstantibus compunctio, & attentio excitatur; ac tandem in matrimonio, posita præ oculis contrahentium æternitate vinculi, vi juramenti conjugalis, perjurii gravitate, ac prolis in timore Domini educandæ necessitate.

Laudabilis, ac sancta a primis ecclesiæ sæculis fuit consuetudo in sacramentorum administratione, aliquas adhibere cæremonias, quibus eorum effectus significantur, & populo quasi ob oculos ponuntur, ut excitetur ad rerum Divinarum contemplationem, has, quas a patribus nostris traditas, & transmittendas ad posteros accepimus, censuit sancta synodus, esse retinendas; atque, ne ulla in Divinorum peragendorum ordine sit confusio, aut discordia &c. ut omnes uno, eodemque inoffenso pede ambulemus, atque idipsum dicamus omnes perfecti in eodem sensu, atque sententia; præcipit, ut uno, eodemque Rituali, nihil ei addendo, nec quidquam ex eo detrahendo ecclesiæ nostri Ritus utantur. Id autem Rituale Illustrissimus Metropolitanus componi, & a sancta Sede approbatum imprimi, ac distribui æquo pretio, pro suo Pastorali studio curabit.

Cum in omnibus rebus ad pacem, & tranquillitatem conservandam, certus ordo sit constitutus, neque conveniat quemquam in alienam messem falcem immittere, sed unusquisque super gregem sibi creditum vigilare debeat; sancta synodus inhærendo sacro Trid. conc ilio (*a*) districte præcipit; ut nullus sacerdos cessante periculo mortis, & citra necessitatem extra limites suæ parochiæ, aut etiam in sua parochia alienis parochianis latini potissimum ritus Sacramenta administrare præsumat, sine licentia proprii parochi. Qui secus fecerit ab officio suspendatur, aliisque gravioribus poenis plectatur, arbitrio ordinarii.

(a) *Sess. 14. de Reform. cap. 9. sess. 24 cap. 13.*

Tandem, quia temporis hujus calamitas monet, ut aliquid de administratione Sacramentorum sæviente peste dicatur, præcipit sancta synodus, ac decernit, ne parochi deserant suas ecclesias ob periculum contagionis, sed apud ipsas resideant eo majori cum diligentia, quo gravior est & frequentior spiritualis Fidelium necessitas. Id autem alacrius præstabuut, si immensam illam charitatem consideraverint, qua Deus dilexit animas ipsorum curæ concreditas, exemplumque sibi imitandum proposuerint, Christi Domini Salvatoris, qui *Animam posuit pro ovibus suis*.

§. I.

De Baptismo.

PErsuasum est huic sanctæ synodo, neminem ignorare materiam sacri Baptismatis, quod est quasi janua Christianæ vitæ, ac cæterorum Sacramentorum fundamentum non aliam esse, quam aquam puram, & naturalem; formam autem, in prolatione horum verborum, quibus (*b*) utimur, consistere; *baptizatur servus, vel serva Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Verum quoniam intellexit, nonnullos ter repetere dictionem illam, *Amen*, & hæc adhibere verba: *baptizatur servus Dei in nomine Patris Amen, in nomine Filii Amen, in nomine Spiritus sancti Amen*; ne aliqua inde oriatur offensio, neve quisquam videatur dum personas ita distinguit, Trinitatem Essentiæ admittere; (*c*) præcipit, ut nemo posthac alia utatur forma, quam ea, quæ præscripta est, & ab Eugenio IV. Summo pontifice olim approbata fuit (*d*)

(b) *Cap. 2 de Cognat Spir. in 6.*

(c) Quo alias Adriani a guebant e trina im mersione teste, *Concil. Tolet. 4.*

(d) *Eugen. IV. in Decret. pro Armen.*

Cæremoniæ in ejusdem Sacramenti administratione nullæ adhibeantur, præter eas, quæ a majoribus nostris institutæ, nobisque traditæ, in orientali ecclesia servatæ fuerunt, ac in novo Rituali edendo exprimentur, reliquas temere introductas, & in Ritualibus quibusdam forsan scriptas, aut impressas præsens synodus reiiciendas omnino esse decernit.

Pa-

ANNO CHRISTI 1720.

Parochi sunt ordinarii Baptismatis ministri, vel ab iis delegati sacerdotes. In casu tamen necessitatis, non modo sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, & mulier baptizare potest. Quamobrem sanctæ synodo attente consideranti quantopere Sacramentum istud ad salutem necessarium est, visum fuit monere, & hortari parochos omnes, ut plebem, ac præsertim obstetrices fœminas doceant, quid quid est necesse ad hoc Sacramentum non solum licite, sed etiam valide administrandum, ne contingat ipsorum negligentia, ut parvuli minime renati ex aqua, & Spiritu sancto non intrent in Regnum Cœlorum. Cæterum noverint, si recens natus infans, aut etiam adultus ab extraordinario ministro baptizatus mortis imminentis periculum evaserit, ad ecclesiam deferendum esse, ut sacræ cæremoniæ adhibeantur.

Quod si prudens dubium subsit Infantem non fuisse baptizatum, ex conditionis formula baptizatur: *Si est baptizatus servus Dei N. iterum non baptizetur, & si nondum est baptizatus, baptizetur &c,* Idipsum fiat, quando infans expositus appensum collo scriptum habet, quo baptizatus significatur, & tamen re diligenter perquisita, adhuc dubium est, utrum baptizatus fuerit?

Si acciderit, ut ritus nostri presbyter infantem latini ritus, vel necessitate impellente vel proprio parocho permittente, baptizaverit; præcipit S. synodus, ut ipsi Sacramentum confirmationis non conferat, sed lecto evangelio, a reliquis sacris cæremoniis abstineat, nomenque baptizati, ut infra præscriptum erit, in librum baptizatorum referat, & testimonium de baptismo a se collato ad parochum latinum infantis mittat, ut libro baptizatorum illius ecclesiæ pariter inscribi possit. Si secus fecerit, graviter puniatur arbitrio episcopi.

Quamquam sacris canonibus jam pridem prohibitum sit parochis, ne conferant baptismum in aulis, cameris, aut aliis privatis domibus, excepto casu necessitatis: (a) ratio tamen, & constitutio clymatis nos inducit, ut tantisper cum ipsorum infantium, tum ministrorum gratia a legum rigore declinemus. Quare sancta synodus præcipit sub poenis arbitrio ordinarii, ut si infans natus fuerit in loco, ubi ecclesia parochialis sita est, ad ecclesiam omnino deferatur: Sin minus liberum sit parochis accedere ad domos privatas tempore hyemis, quia aliquando ex distantia locorum, frigoris, temporumque inclementia infantis vita in discrimen adduci posset.

Unumdumtaxat patrinum, & unam matrinam pro baptismo, ac unum patrinum, vel unam matrinam pro confimationis Sacramento parochi admittant, quos noverint ita esse Fidei mysteriorum gnaros, ut eos, quos e baptismo susceperint, vel in confirmatione tenuerint, præceptis, & moribus Christianis imbuere, parteque sibi impositas adimplere possint. Quamobrem admittendi non sunt Infideles, Hæretici, Schismatici, Excommunicati, nondum baptizati, publice criminosi, infames, amentes, & qui pubertatis annos nondum attigerunt. Doceantque parochi cognationem spiritualem, quæ matrimonium impedit, & dirimit, hoc nomine contrahi inter suscipientes ex baptismo, & confirmatione, ac baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem tantum. Quod si plures baptismo interfuerint, Parochus antequam ad illud conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum ex sacro Fonte suscipiant, ut inter eos tantum, quos designaverint, cognatio contracta intelligatur, Cæteri vero pro Testibus habeantur, quamquam ipsummet baptizatum tetigerint (b).

Licebit quidem parochis quemadmodum in orientali ecclesia ad hæc usque tempora ipsis licuit oleum Catechumenorum conficere, sed unusquisque eorum caveat diligentissime, ne oleum olivarum ad illud conficiendum sibi desit. Qui autem a decanis ipso carere comperti fuerint, ad episcopos deferantur graviter puniendi.

Tanta eucharistiæ sacramento veneratio debita est, ut infantis recens baptizati linguam Christi Sanguine intingendi consuetudinem antiquissimam, & hactenus in ecclesia dumtaxat orientali retentam, censeat sancta synodus, esse tollendam, dummodo id sine scandalo fieri possit.

Denique librum habeant parochi peculiarem pro Baptismo, in quod describant nomina, ac cognomina patris, & matris infantis baptizati, necnon patrini, ac matrinæ, diemque, & annum collati baptismi, hoc pacto: *Die Mense Anno Ego N. parochus ecclesiæ N. baptizavi N. filium N. N. legitimorum Conjugum, natum die Patrini fuerunt N. N. eumdemque baptizatum confirmavi. Patrinus fuit N.* Quod si partus illegitimus fuerit, scribatur: *baptizavi N. ex incertis parentibus natum*: nisi parentes ipsi partum pro suo agnoscant, velintque nominatim exprimi. Hunc autem librum quilibet relinquere teneatur suo successori, itaut perpetuo maneat apud ecclesiam; si secus per parochos ipsos factum fuerit, mulctentur pœna aliqua pecuniaria, aliisque arbitrio ordinarii.

(a) *Clem. unic. de Bapt.*

(b) *Trid. sess 24. de de Ref. cap. 2.*

§. II.

De Confirmatione.

SAcramentum Confirmationis a Christo Domino institutum, quod parochi in Orientali ecclesia extraordinario Jure, & delegata ab episcopo facultate, ex apostolicæ sedis dispensatione statim post baptismum administrare solent in genere visibilium signaculorum, Sacrosanctum est, ut ipse baptismus (c) illudque nefas est iterare, propterea quod indelebilem characterem in anima imprimit.

Sacrum Chrisma ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ per episcopum benedicto, (d) materia est remota hujus Sacramenti. Quare si quid aromatum, aut aliorum liquorum fragrantiæ causa additur dili-

(c) *August. contr. Petil. 104.*

(d) *Cont. Florent. in Decreto Eug.*

ANNO CHRISTI 1720.

diligentiſſime curandum eſt, ut maxima pars chriſmatis ſemper ſit oleum balſamo mixtum. In ipſa vero Confirmandi Unctione, quæ eſt materia proxima, ſervetur ritus, quem hactenus eccleſia noſtra ſervavit.

Forma, quam probata, & ſchiſmate ipſo antiquiora laudant Euchologia, hæc eſt: *Signaculum doni Spiritus Sancti. Amen*: eaque ſemel dumtaxat ſimul cum ipſa unctione proferri debet. Quoniam vero in nonnullis libris Leopoli editis inſcripta eſt forma diverſa ab ea, qua Eccleſia utitur, nempe: *Signaculum, & donum Spiritus Sancti.* Cenſuit ſynodus hujuſmodi libros vel corrigendos eſſe ab ordinariis, vel ſupprimendos.

Epiſcopi quotannis in Cœna Domini tantum Chriſmatis conficiant, quantum unius annis ſpatio confirmandorum neceſſitas poſtulare poterit. Confectum vero parochi aut per ſe ipſos, aut per decanos ab epiſcopo accipiant: eoque accepto, veteri non utantur; ſed hujus reliquias in mundo lapide, aut latere decenter comburant, cineresque in Sacrarium projiciant.

Cum autem Sacrum Oleum poſt aquam benedictum eſt, non ſit ſimplex, & nudum unguentum, ſed Chriſti Chariſma, & Spiritus Sancti præſentia Divinitatis illius effectivum, ut ait Divus Cyrillus Hieroſolymitanus (*a*) idcirco cavendum eſt, ne ulli irreverentiæ exponatur, neque in vitreis, teſtaceis, aut cupreis, ſed in argenteis, aut ſtanneis vaſculis, & in decenti eccleſiæ loco, nunquam vero in privatis ædibus aſſervetur. Qui ſecus fecerit, puniatur mulcta pecuniaria eccleſiæ applicanda, aliiſque pœnis arbitrio ordinarii.

(a) *Cateeh. Miſtag. 3.*

§. III.

De Euchariſtia.

CUm materia hujus Sacramenti in eccleſia Orientali ſit ſolus panis triticeus fermentatus, & vinum de vite (*b*) diſtricte præcipit Sancta ſynodus, ut Sacerdotes non alium panem, nec vinum adhibeant ſub pœnis ſuſpenſionis a Divinis, amotionis a beneficio, aliiſque arbitrio epiſcopi infligendis. Præſtaret autem, ut quilibet ſacerdos panem conficeret in ſuis ædibus, ne, ſi forte coematur, præſertim apud Judæos, ut ſæpe contingit, aliquid admixtum habeat, quod Sacramentum ſaltem illicitum reddat.

(b) *Eugen. VI. in Decret. pro Armen.*

Diligenter etiam cavendum, ne vinum, quod ex uvis expreſſum eſſe debet, vel acidum ſit, vel corruptum, aut aliis liquoribus, quod apud Judæos potiſſime accidit, mixtum. Formam vero Consecrationis panis in his verbis: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur*: Et Conſecrationis Calicis: *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis, & multis in remiſſionem peccatorum effunditur*: contineri, profitetur ſancta ſynodus, prout univerſalis eccleſia dudum in ſacro Florentino Concilio profeſſa eſt.

Quamquam particulæ panis, quæ ponuntur, & offeruntur circa hoſtiam ſacerdotis, in honorem Deiparæ, aliorumque Sanctorum, pro conſecratis haberi non poſſint, ſi deſit in Sacerdote intentio eas conſecrandi; Quia tamen ſchiſmatici, aliique nonnulli putant eas conſecrari non oportere, idque in pluribus Miſſalibus notatum eſt: ſancta ſynodus ſtatuit, ac decernit, ut impoſterum omnino conſecrari debeant, ac in ipſius populi communionem diſtribui.

Etſi apud Orientales perpetuo ſervata fuerit, & nunc etiam ſervetur conſuetudo admittendi infantes, & pueros rationis expertes ad Sacram Euchariſtiam, quæ ſemper fuit tamquam cibus, & potus ſpiritualis, quo in Chriſto renati, viam hanc ſpiritualem alere, confortare, & conſervare poſſunt: Cum tamen certum ſit parvulos uſu rationis carentes nulla neceſſitate obligari ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem, ſiquidem in illa ætate amittere non potuerunt gratiam acquiſitam per lavacrum Baptiſmi; (*c*) ſancta ſynodus ſtatuit ob reverentiam tanto Sacramento debitam, ut il poſthac ad ſacram Communionem, ſi ea privari ſine ſcandalo poſſint, non ante admittantur, quam ipſos diligenter examinatos, & inſtructos, ejus ætatis, & diſcretionis eſſe compertum fuerit, ut dijudicare poſſint Corpus Chriſti.

(c) *Tri. ſeſſ. 21 c. 4. de Comm.*

Uſum, ſi quibus in locis adhuc viget, conſecrandi majorem hoſtiam, feria quinta Cœnæ Domini, eamque ſanguine Dominico imbuendi, & conſervandi per totum annum, ut inde diſtribuatur pro infirmis, ſancta ſynodus graviſſimis rationibus mota, ſublatum omnino eſſe voluit. Cæterum pro infirmis parochi conſecrent particulas panis, easque ſingulis octo diebus, aut ſaltem quindecim renovent, graviſſime puniendi, ſi ſecus fecerint.

Porro quotieſcumque ſacra Euchariſtia ad infirmos deferenda eſt, ſi domus ipſorum non longe ab eccleſia diſtat, deferatur public per Sacerdotes indutos ſacris veſtibus, & referatur cum omni reverentia, & timore, ac candelis ſemper accenſis. Quod ſi ægroti domus longius diſtat a loco, ubi ſita eſt parochialis eccleſia, liceat parochis, ſacram communionem occulte deferre in aliquo decenti vaſculo vel argenteo, vel ſtanneo, huic tantum uſui ſpecialiter deſtinato, ita tamen, ut ſecum candelas ſaltem habeant, & ſtolam, quibus Euchariſtiam ægroto porrecturi utantur; pariter puniendi arbitrio epiſcopi, ſi contra fecerint (*d*).

[d] *P IV. Co*

Statuit præterea ſancta ſynodus ad augendum cultum erga venerabile ſacramentum Corporis Chriſti, ut parvula cochlearia, & pyxides, ubi argenteæ eſſe non poſſunt, ſtanneæ ſaltem eſſe omnino debeant, atque ut retineantur clauſæ in Ciborio magni Altaris, e cujus conſpectu in eccleſiis, quæ ſufficientibus proventibus inſtructæ ſunt, lampades perpetuo ardeant; in pauperioribus vero, ſaltem diebus feſtis, & Dominicis, a principio uſque ad finem miſſæ.

Ne alicujus ſcandali, aut infamiæ detur occaſio, ſacra Euchariſtia deneganda non eſt peccatori indigno ob peccatum aliquod ſecretum, præſertim ſi ejus notitiam ſacerdos communicans ex confeſſione ipſius pec-

ca-

catoris Eucharistiam publice petentis habuerit. Hæretici autem, schismatici, excommunicati, interdicti, publice criminosi, manifeste infames, uti etiam meretrices, publici concubinarii, usurarii magni, sortilegi, & alii id generis publice facinorosi homines ad hujus Sacramenti perceptionem admittendi non sunt, juxta Christi præceptum; *Nolite dare Sanctum canibus* (*a*).

§. IV.

De celebratione missarum.

TAmetsi panem tum azymum, tum fermentatum legitimam esse materiam pro Sacramento conficiendo sancta synodus affirmat, & credit; tamen quia certum est quemque teneri hac in re morem, & ritum suæ ecclesiæ servare. Idcirco statuit, ut sacerdotibus nostri ritus non liceat in azymo consecrare, sub poenis, quibus ecclesia latina suis inhibet, ne pane fermentato uti debeant; officii scilicet, & beneficii privatione. (*b*). Illud etiam synodus prohibendum censuit sacerdotibus, ne quis particulas panis a se consecratas audeat mittere ad ecclesiam latinam, ut ibidem a latino presbytero in vino ab ipso consecrato intinctæ distribuantur populo ritus Græci: gravissime puniendus, si secus fecerit.

Cum ab ipsis apostolorum temporibus fuisse appareat loca specialiter deputata, quo Fideles sacra mysteria celebraturi, accederent: (*c*) hinc sacri canones sapientissime prohibuerunt, ne in privatis ædibus conficerentur. (*d*) Quare hæc sancta synodus ipsorum vestigiis inhærens, districte præcipit sub poena suspensionis a divinis, ne quis sacerdos divinum hoc sacrificium extra ecclesiam, vel oratoria ad divinum dumtaxat cultum destinata, & consecrata, seu benedicta peragat sine licentia sui ordinarii, (*e*) quam porro licentiam ordinarii non ita facile, nec sine magna causa concedant.

Statuit præterea sancta synodus, ut in præparatione missæ, seu Proskomidia commixtio aquæ cum vino per alium non fiat, quam per ipsum sacerdotem, neque in vasculo aliquo separato, sed in ipso calice immediate ante missam æstivo tempore; hyemali vero in ipsa missa, sub hymnum Cherubicum; Proskomidiam vero, sive præparationem ad missam quisque faciat sacris indutus vestibus, & immediate ante missam, & in eadem ecclesia, in qua est celebraturus.

Quoniam moderatus, & ecclesiasticus corporis cultus index est interioris animi, præter pietatem, & compunctionem tanto mysterio dignam, injungit omnibus presbyteris sancta synodus, ut sacrum celebraturi, non sordidis, sed mundis, modestisque vestibus utantur. Insuper iisdem præcipit, ut sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in pixide argentea, vel saltem stannea semper conservent, atque hanc in Tabernaculo decenter ornato bene clauso, & ita aptato, ut inde commode depromi possit, collocent, gravissime puniendi arbitrio ordinarii, si secus facere, aut aliquam irreverentiam erga tam augustum Sacramentum admittere ausi fuerint. Jubet quoque, ut altaria, mappas, urceolos, sacras vestes, ac ornamenta ecclesiæ, cum omni, qua decet, puritate, & munditie conservent. Corporalia mulieribus abluenda non tradant, sed ipsi frequenter purgent; antiqua vero, & usu consumpta apud se non retineant, sed ad decanos ferant, iique ad episcopos, ut comburantur. Mappas etiam, & sacras vestes comburant, nec in prophanum usum convertant, si fuerint ita laceratæ, ut neque resarciri, neque utiles ecclesiæ esse possint. Altaria etiam post peractum sacrificium tela aliqua tegant, ne immunditiem contrahant. Atque hæc omnia decani observari diligenter curent, & si quos negligentes, vel reos invenerint ad ordinarios pro suo munere deferant.

Illud autem potissime statuendum censuit sancta synodus, ut mappæ altarium triplices sint, vel una simplex, altera duplicata, & omnes ex lino, atque ut inter duas inferiores, & tertiam superiorem ponatur antimissale: super iisdem vero mappis, & antimissale suppositum extendatur corporale; quod omnes imposterum sacerdotes adhibere debebunt, ut majori cum munditie, ac decentia sacrificium conficiatur, & antimissale non ita facile continua attrectatione teretur. Si quis autem post duos a præsentis synodi publicatione, menses, huic decreto haud paruisse, ac corporalia, & mappas haud præparasse compertus fuerit; mulctam florenorum quinquaginta subeat, quibus emantur corporalia, & alia, quæ necessaria erunt altari ecclesiæ, cui præfuerit.

Quamquam usus spongiarum ad abstergendam patenam antiquus sit in nostri ritus ecclesia, illum tamen omnino abrogandum censuit sancta synodus, digitoque, prout in latina ecclesia patenam abstergi jubet; ne spongiis in his regionibus, non bene, ut alibi solet, præparatis, aliquid adhæreat ex pane consecrato, ac Sanctissimum Christi Corpus periculo irreverentiæ exponatur.

Prohibet synodus, ne fiant genuflexiones, seu capitis inclinationes dum transfertur panis oblationis a minori ad majus altare pro conservatione, tempore offertorii; præcepitque parochis, ut populum hac de re moneant, ne periculo idololatriæ exponatur.

Pernicioſissimum esset ecclesiæ, pessimique exempli Fidelibus, si vagabundi sacerdotes, & clerici ad divina in qualibet ecclesia celebranda indiscriminatim admitterentur; namque inde fieret, ut sceleratissimi, & perditissimi homines in sancta involare, eaque polluere possent. Idcirco sacris canonibus sæpissime præscriptum fuit, ut nemo peregrinus, nemo ignotus, nemo alienæ diœcesis clericus sine literis commendatitiis sui episcopi admittatur (*f*). Sancta synodus hos canones observari volens, severe præcipit, ne ullus omnino sacerdos tam regularis, quam sæcularis, nam Latini, quam Græci ritus recipiatur ad celebrationem missæ, & administrationem Sacramentorum si-

(*f*) *Conc. Laod. Can. 41. Chalc. Can. 13. Trid. Sess. 22. de ob. serv. & orat. in celebr. Miss.*

ANNO CHRISTI 1720.

ne literis commendatitiis, sive testimonialibus proprii episcopi eo saltem anno concessis. Qui secus fecerint, puniantur poena suspensionis a Divinis per tres menses, aliisque arbitrio ordinarii.

Uniformitas cæremoniarum cum omni modestia, devotione, & gravitate ab omnibus servetur, tam in missis cantatis, quam in lectis, quarum frequens usus omnibus sacerdotibus commendatur. Pro eadem uniformitate in cæremoniis servanda juxta novum rituale edendum præcipit sancta synodus decanis, ut de cæremoniis in visitationibus suis interrogent, & instruant ignaros.

Inhibet sancta synodus gravem ob causam, & abrogat toleratam in orientali ecclesia consuetudinem ad consecratas Calicis B species, aquam tepidam effundendi post consecrationem, ante communionem.

In honorem tanti Sacramenti quilibet sacerdos celebrare volens, tenetur sub peccato mortali esse jejunus jejunio naturali, hoc est ab ipsa media nocte nihil per modum cibi, aut potus deglutiens, multo magis jejunus a culpa, ne indigne manducans, & bibens Corpus, & Sanguinem Christi, judicium sibi manducet, & bibat.

Denique quia plures eleemosynas, quamvis exiguæ sint, a pluribus accipere non licet, & uno tantum sacrificio cunctis satisfacere; præcipit sancta synodus sacerdotibus omnibus tum sæcularibus, tum regu- C laribus, ut accepta aliqua eleemosyna missam celebrent pro eo dumtaxat, qui illam contulit, si constat, hac intentione datam fuisse. Cum vero eleemosyna offertur, si nimis exigua sit, quærant aperte de intentione offerentis, qui, si voluerit, ut missa solum pro se celebretur, aut satisfaciant, aut eleemosynam respuant. Caveant autem, ne de stipendio missarum ita licitari videantur, ac si de re quapiam prophana ageretur, sciantque voluntarias esse Fidelium religiosas oblationes, non rerum divinarum pretium.

Illud denique pro missa Parochiali statuendum censuit Sancta synodus, ut hora cer- D ta determinetur pro majori parochianorum commodo. Illas autem generaliter statuit inchoari debere saltem ante meridiem; exceptis vigiliis Nativitatis Christi, & Epiphaniæ, die Jovis, & Sabbathi majoris hebdomadæ.

§. V.

De Pœnitentia.

HUjus sacramenti, quo ii, qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt (*a*) justificari rursus possint, formam hactenus in Ruthena ecclesia observari E solitam retineri, Sancta synodus jubet, quam confiteri profitetur in iis tantum verbis, quibus sacerdos quasi judex supra pœnitentem constitutus utitur, scilicet: *Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis*: Cæteras vero preces, quæ vel præmittuntur, vel subsequuntur laudabiles esse, ac retinendas ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectare, neque ad ipsius Sacramenti administrationem necessarias esse (*b*) declarat. A

Cum autem ecclesia alias definiverit, materiam hujus Sacramenti in actibus pœnitentis; (*c*) eosdemque actus in tres partes distingui, contritionem scilicet de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cætero, oris confessionem, qua pœnitens omnia peccata, quorum post diligens examen meminit, atque circumstantias, quæ eorum speciem vel mutant, vel notabiliter aggravant, sacerdoti exponit, ac tandem satisfactionem, quæ tum pro præteritorum vindicta peccatorum, tum ut inposterum ab iis caveatur, imponitur; monet Sancta synodus parochos, cæterosque, quibus animarum cura incumbit, ut de his omnibus, aliisque ad pœnitentiæ sacramentum necessariis populum instruant, & erudiant, ut is cum Deo reconciliatus, fructum hujus sacramenti percipiat.

Quia vero sancta synodus intellexit Sacramentum adeo necessarium non tam sæpe, quam optaret a Fidelibus suscipi, hujusque gravissimi mali binas potissimum esse causas, jejunium scilicet triduanum eidem Sacramento præmittendum, & satisfactionem in *Mono-Canonibus* præscriptam, quæ quamvis gravissima sit, & pro publicis dumtaxat peccatis statuta, tamen a Confessariis passim injungi solet pœnitentibus; censuit monendum esse populum, ut ter saltem quot annis, prout in Orientali ecclesia statutum est, in Resurrectione scilicet Domini (quo tempore sub pœna excommunicationis id facere tenetur:) in dormitione Deiparæ, & in Christi Nativitate ad sacram confessionem, Divinique Corporis participationem accedat. Ne autem fideles prævia corporis castigatione deterriti ab hoc Sacramento suscipiendo abstineant; sciant, jejunium quamquam laudabile sit, non esse necessario præmittendum ad integritatem Confessionis. Præterea noverint Sacerdotes haud expedire, ut deinceps sequantur disciplinam Mono-Canonum, sive pœnitentialium Regularum, quæ pro publicis plerumque peccatis compositæ sunt, in satisfactionibus, ac pœnitentiis imponendis, sed sibi licere pro suo arbitrio, ac prudentia determinare, quid pro peccatorum ratione, ac personarum qualitate conveniat.

Ipsi presbyteri frequenter confitendo alterutrum peccata sua, fideles non solum verbo, sed etiam exemplo instruant, & accendant, seque antequam sacrum celebrent, diligenter probent, ne indigne ad mensam Domini accedant. Quod si conscii sibi fuerint alicujus mortalis peccati, sciant se non posse, quamtumvis sibi contriti videantur, Sacrificium Missæ Deo offerre absque præmissa sacramentali confessione: urgente autem celebrandi necessitate, si copia confessoris ipsis defuerit post peractum absque confessione sacramentali sacrificium, quamprimum poterint, confiteantur.

Si quis sacerdos pœnitentis confessionem aut verbis aut signis, conditionem, locum, tempus, vel aliam circumstantiam significando, seu alio quovis modo revelare ausus fuerit, non solum deponatur ab officio sacerdotali, verum etiam ad agendam perpetuam

(a) *Trid. sess. 6. cap. 14. de Inst. &c.*

(b) *Trid. sess. 14. cap. 3. de Pœnitentia.*

(c) *Decret. Eug. I. pro Armen. Trid. sess. 14. cap. 5. & 8.*

ANNO CHRISTI 1720

tuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudatur.

Caveant etiam sacerdotes sub gravissimis pœnis arbitrio ordinarii, ne plurium simul, sed unius cujusque separatim confessionem excipiant, ne altero alterius audiente peccata sigillum confessionis violetur, & famæ proximi cum adstantium scandalo detrahatur.

Qui parochialem ecclesiam non obtinent, etiamsi regulares fuerint, confessiones ne audiant, sine episcopi approbatione. Qui contra fecerint, eos ipso facto sancta synodus excommunicationis pœnam subire decernit.

Denique, quia minime dubitandum est, quin casuum reservatio majorum criminum horrorem fidelium mentibus incutiat, eosque ab iis committendis absterreat; idcirco præter illos, qui summo Pontifici reservati sunt, eos, quos expedire noverint, ordinarii sibi reservent, ac singulis annis promulgent, præsertim si alios pro sua prudentia vel addiderint, vel subtraxerint. Caveant tamen, ne reservationes ita multiplicentur, ut ex eorum multiplicatione auctoritas ipsarum vilescat, neve facultates absolvendi ita restringantur, ut ii, qui in graviora crimina lapsi sunt, a salutari confessionis remedio, seu ex penuria sacerdotum facultatem habentium, seu ex viarum longitudine, ac sumptuum necessitate (*a*) retrahi possint.

(a) *Synod. Sogunt. an. 1549. cap. 26.*

Confessarii vero casus omnes summo pontifici, & episcopis reservatos, scriptos apud se habeant; ne quid per incuriam sibi facultates assumant.

§. VI.

De Extrema Unctione.

SAcra infirmorum unctio apud Marcum quidem insinuata, per Jacobum autem Apostolum, & Fratrem Domini fidelibus commendata, & promulgata, sacramentum est novi testamenti a clementissimo Redemptore nostro institutum (*b*) ut quo tempore adversarius noster suæ versutiæ nervos ad nos perdendos vehementius intendit, firmissimo præsidio nos communiret.

(b) *Concil. Trid. sess.*

Ejus materia est oleum, cujus benedicendi potestatem, multis ab hinc sæculis in Orientali ecclesia sacerdotibus concessam, præsens synodus nequaquam adimendam esse existimavit. Cum autem ejusdem ecclesiæ disciplina præscribat, ut quidquid Sacri olei post unctionem infirmi superfuerit, comburi debeat, neque ad alios usus adhiberi, aut pro altero infirmo asservari; caveant parochi, ne sibi materia pro sacramento administrando, oleum scilicet olivarum aliquando desit, graviter ab episcopo puniendi, si in eo negligentes fuerint. Censuit tamen S. Synodus plures, si eadem in domo simul periculose ægrotaverint, uti etiam grassante peste, sacro eodem oleo inungere licitum esse; ac proinde quemlibet sacerdotem habere debere vasculum vel argenteum, vel stanneum, huic dumtaxat usui destinatum, in quo illud decenter benedici, & in his tantum casibus retineri possit.

Porro quod ad formam attinet, ea servetur ubique, quæ hactenus in usu fuit, & est in ecclesia Orientali hisce verbis expressa: (*c*) *Sancte Pater Medice cœlestis animarum, & corporum, qui Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum misisti sanantem omnem infirmitatem, & a morte liberantem; sana per hanc unctionem servum tuum ab omni corporis, & animæ infirmitate, qua detinetur, & vivifica illum per gratiam Christi tui, precibus Sanctissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum tuorum; quia tu es fons omnium curationum, Deus noster, & Tibi gloriam referimus, cum unigenito Filio tuo, & consubstantiali Spiritu Sancto, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Hæc autem forma, ut juxta præceptum D. Jacobi sacerdotes orent, ungentes eum in Nomine Domini, jungatur unctioni singularum partium, tamquam materiæ proximæ hujus Sacramenti, atque ita verba proferantur, ut eorum pronunciatio non ante inchoetur, nec finiatur, quam ipsa unctio. Unctio vero applicetur oculis, auribus, naribus, ori, & manibus, quinque scilicet sensibus humani corporis, necnon pectori, unde exeunt pravæ cogitationes, ac pedibus denique, qui in via peccatorum steterunt, prout hactenus observatum fuit.

ANNO CHRISTI 1720.

(c) *Apud Arcud. lib. 5. cap. 5.*

Quamquam in Græca ecclesia receptum fuerit, prout aliquando etiam in Latina, ut septem sacerdotes iisque, deficientibus, tres saltem advocarentur ad ministrandum hoc Sacramentum, iique omnes & materiam subministrarent, & formam proferrent; sciant autem pastores plures ea de causa adhiberi solitos sacerdotes, tum ob reverentiam ejusdem, ac gratiæ copiam, quam confert, tum plurium sacerdotum preces effectum sacramenti coadjuvent. (*d*) Qua de causa sancta synodus statuendum censet, ut si septem, aut tres sacerdotes haberi commode non possint, unus, qui totius ecclesiæ personam gerit, & cujus virtute hoc sacramentum perficitur, illud conferat, ac infirmo ministret.

(d) *D. Thom. lib. 4. contr. Gent. cap. 83.*

Præterea cum cæremoniæ extremæ unctionis in ecclesia Græca longissimæ sint, præsertim si plures sacerdotes adhibeantur; cæremoniæ vero, ac sacri ritus propter sacramenta, non Sacramenta propter ritus, & cæremonias instituta sint; ne Fideles constituti in articulo mortis, hoc adeo salutifero sacramento ex defectu temporis priventur: statuit, ut tum unus dumtaxat sacerdos illud ministret, ac præterea jubet describi novum ritum, in quo longiores orationes, evangelia, epistolæ omittantur, qui tamen in eorum dumtaxat unctione adhibeantur, quos in extremis laborare contigerit.

Caveant Sacerdotes, ne, vel sanis prorsus, vel nulla per se infirmitate laborantibus, hoc sacramonium ministrent, sciantque infirmos ipsos, si post susceptam unctionem convaluerint, aut convaluisse videantur, quoties postea in idem vitæ discrimen inciderint, toties hujus sacramenti subsidio juvari posse (*e*).

(e) *Trid. sess. 14. cap. 3. de Extr. Unct.*

Et quia Satanas insidians calc aneo filio-

aum

ANNO CHRISTI 1720.

rum Dei, multos simplices, quinimo & intelligentes sæpe a Sacramento extremæ unctionis absterret falsa hac suggestione, quod mortem corporis acceleret; ideo solers parochus quemlibet infirmum præmonere, & docere debet, hoc sacramentum a Domino institutum non solum ad animæ (a) alleviationem in angoribus mortis, & ejus salutem, sed etiam ad infirmi corporis sanitatem, si hoc saluti animæ expedierit, consequendam, prout ipsa forma supranotata ecclesiæ Græcæ demonstrat.

(a) *Concil. Trid. sess. 14. cap. 2.*

§. VII.

De sacris ordinationibus.

QUoniam in nonnullis ad sanctam fidem recenter conversis dioecesibus invaluit quædam praxis, in collatione minorum ordinum, diversa ab illa, quæ perpetuo servata fuit, & adhuc in ecclesia Græca servatur, tanquam perfecte continens omnia ordinibus minoribus necessaria, materiam, scilicet, consistentem in manuum impositione, ac formam, & quidem quoad lectoratum, iis comprehensam verbis *Domine Deus omnipotens, elige hunc famulum tuum, sanctifica eum, & dignare, ut cum omni prudentia & intellectu divinorum verborum tuorum perficiat lectionem, conservando eum in vita immaculata*: Quo vero ad Acolytatum, Ostiariatum & subdiaconatum, his verbis expressam: *Tu domine inculpatum illum in omnibus conserva, & Domus tuæ decorem diligere, sancti Templi tui foribus astare, & Tabernaculi gloriæ tuæ lucernam accendere concede, & velut olivam fructiferam justitiæ fruges referentem, in ecclesia tua Sancta illum insere.* Placuit sanctæ synodo, ut illa, quæ recens per Petrum Mohyta Metropolitam in Russia Schismaticum, contra Euchologia antiquissima, & contra normam etiamnum in Græcia usitatam invecta fuit, e medio tollatur, eaque in novo rituali, qua antiqui Græci usi sunt, restituatur.

Cum vero in collatione diaconatus, & presbyteratus sequens forma in ecclesia Orientali a primæva Fidei Catholicæ institutione vigueri: *Divina gratia, quæ semper infirma curat, & ea, quæ desunt, adimplet; promovet N. devotissimum subdiaconum in diaconum, vel N. devotissimum diaconum in presbyterum, ut veniat super eum gratia sanctissimi spiritus, deprecemur pro eo*: placuit sanctæ synodo, ut hæc inviolabiliter servetur. Illud etiam statuendum censuit, ne diacono in presbyterum promovendo hostia, ut a nonnullis solet non consecrata tradatur, sed ea consecrata esse debeat, & in manibus presbyteri commtati post fractionem panis, ac immediate ante ipsius sumptionem. Enim vero hoc esse conformius antiquæ disciplinæ evincunt tum vetera Euchologia, tum verba, quibus episcopus in traditione hujus panis, uti solet, & debet, ac insuper magis conducit ad munditiem, qua sanctissimum Christi corpus confici, ac tractari debet.

Porro quod attinet ad ministros sacrarum Ordinatio num, scilicet, episcopos; sancta synodus inhærens vestigiis tum antiquorum, tum recentiorum canonum, statuit, ut nullus omnino subditos etiam proprios, sive archiepiscopus, sive episcopus ordinare possit in aliena dioecesi sine licentia loci ordinarii (b) quamquam vel locus sit exemptus, vel ordinans monasterium aliquod, bona vel residentiam in eadem Dioecesi possideat. Si secus factum fuerit, episcopus ipse ab exercitio pontificalium, ordinati vero ab exercitio ordinum sint ipso jure suspensi.

(b) *Concil. Ant. Can. 22. Triden. sess. 6. cap. 5. de Ref.*

In propria vero dioecesi neminem promovere pariter audeat alienæ dioecesis subditum, sine licentia, ac literis Dimissorialibus sui superioris, episcopi scilicet, tam originis, quam domicilii, juxta Constitutionem a S. M. Innocentio XII., quæ incipit: *Speculatores*, hac de re editam, actis synodalibus inserendam, & sub poenis in eadem constitutione tam contra ordinantem, quam contra ordinatum præscriptis. Cæterum, quod attinet ad regulares, servari jussit decretum Clementis VIII., quo constitutum est, ipsorum superiores posse suis subditis, qui præditi qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerint, dimissorias concedere ad episcopum dioecesanum illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinent, regulares ipsi ad ordines promovendi, positi fuerint. Quod si dioecesanus abfuerit, dimissorias dirigere possint ad quemcumque alium episcopum, dum tamen & causam exprimant, ex qua dioecesanus ordinationem habere non potest, & ab episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur circa doctrinam, & ipsi superiores non distulerint de industria concessionem dimissorialium in id tempus, quo dioecesanus abfuturus esset, vel ordinationes habere non posset.

Cum ab Apostolo moneantur episcopi, ne manus cito cuiquam imponant, ut non communicent peccatis alienis, (c) & nihil aliud revera sit, cito manus imponere, quam ut ait sanctus Leo (d) ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere; unde Teste Divo Chrysostomo (e) ipsi ordinantes participes efficiuntur eorum omnium, quæ sic ordinatus peccaverit; merito a sacris canonibus, ac præcipue a S. Tridentino Concilio præscriptum est, ut ordinarii exactissime probent vitam, mores, doctrinam, aliasque ordinandorum qualitates, priusquam ad manum impositionem deveniant (f). Quapropter sancta synodus hanc adeo necessariam ecclesiæ disciplinam conservari, ac promoveri cupiens decernit, ac præcipit, ut præter Tneologum episcopalem, & officialem, qui examini interesse debebunt, eligant episcopi certos examinatores, viros prudentes, peritos divinæ legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatos, quibus tam grave munus committi possit; iique penes cathedram resideant, ac juramentum præstent de officio fideliter exercendo. Quia vero sancta synodus jubet, ut episcopi eos dumtaxat sacris initient ordinibus, quos ipsi examinatores ad tantum ministerium implendum idoneos esse judicaverint; caveant hi, ne spe aliqua, praemio, metu, aut

(c) *1. ad. Thimot. 5.*

(d) *Epist. 87. cap. 21.*

(e) *Hom. 16. in Ep. ad Thim.*

(f) *Sess. 23. c. 7. & 12. de Ref.*

alio

ANNO CHRISTI 1720.

alio affectu ducti, vel reiiciendum approbent, vel approbandum reiiciant; sed graviter, prudenter, mature deliberent, rectumque judicium ferant, ne quem vel indignum obtrudendo, vel dignum arcendo, Deum, ejusque ecclesiam gravi injuria afficiant, ac pro ratione culpæ castigari mereantur. Examinatores autem diligenter investigent, & expendant genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem ordinandorum; quorum honestas, ac probitas, quamquam in orientali ecclesia comprobata esse deberet testimonio confessarii: (a) tamen sancta synodus, si hujusmodi consuetudo alicubi vigeat, eam abrogandam omnino censuit, sacrosque concilii Tridentini canones ad hanc rem pertinentes ubique observari jubet.

(a) *Vid. cap. par. tran. mutag. resp. 2. Sect. 8. & 9.*

Illi qui ad ordines assumendi erunt, per duos menses ante ordinationem suscipiendam, adeant loci illius decanum, qui nomina ipsorum, ac preces recipiat, eaque statim ad ordinarium, vel ipsius officialem deferat, ordinarius autem, aut parocho loci, in quo promovendus versari solet, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus eorum, qui promoveri volunt, publice in ecclesia inter missarum solemnia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, ac vita inquirere inter populum valeat, & literas testimoniales peractæ a se inquisitionis, vel clausas ordinando tradat ad episcopum deferendas, vel ipse ad ordinarium, seu illius officialem trasmittat (b).

(b) *Trid. sess. 23. c. 5. de Ref.*

Post examen vitæ, ac morum, alterum instituatur coram episcopo super doctrina, ac peritia ordinandorum, vitæque ecclesiasticæ ratione, ne de iis merito dici possit, quod quia scientiam repulerunt, repulsi sunt, ne Dei sacerdotio fungerentur (c); illud autem quamquam in examinatorum prudentia, ac judicio positum sit; potissime tamen versari debet super Sacramentis, rectaque eorum administratione, aliisque parochialibus officiis, ut inde appareat ordinandos muneri suo satisfacere posse, si velint. Si quis autem vel illiteratum, vel pravis moribus imbutum ad ordines promoverit, suspensus sit ab ordinum collatione per annum: indigne vero promotus ordinem sibi collatum exercere nequaquam possit, quousque sufficienter eruditus non fuerit, aut sese correxerit.

(c) *Osea 4.*

Ut autem promovendi ad sacros ordines majori cum præparatione, ac deliberatione, magno, & Angelicis humeris formidando, oneri se supponant; præcipit sancta synodus, ut nullus omnino ordinari possit, qui non manserit spatio sex hebdomadarum penes cathedram, quo temporis intervallo, & spiritualia exercitia sub directore ab episcopo constituendo in loco aliquo a sæcularibus remoto absolvat per decem dies, & erudiatur ante examen coram episcopo, ac cæteris examinatoribus subeundum super iis, quæ pertinent ad sacrum ministerium, quod assumet. Is autem, qui non habebit a directore, quem episcopus probaverit, testimonium de absolutis spiritualibus exercitiis, neque ejusdem directoris judicio in scriptis dando fuerit declaratus idoneus ad examen, nedum ab ordine, verum etiam ab ipso solemni examine reiiciatur.

Si vero quis idoneus repertus fuerit, visum est sanctæ synodo prohibere, ne contra ecclesiæ Græcæ morem antiquissimum, nullis servatis interstitiis ipsi ordines conferantur, sed præter lectoratum, ac subdiaconatum, qui conferri potuerunt eadem ordinatione, & die, inter subdiaconatum, & diaconatum decem dies, itemque decem inter diaconatum, & sacerdotium interponantur; ut hoc pacto, ea, quæ fieri potest, ratione, ac quousque a sancta sede aliud præscriptum non fuerit, in his Regionibus servetur disciplina sacrorum canonum, quibus sanctissime præscriptum fuit, ut nemo promoveretur, qui prius probatus non esset in ministerio minorum ordinum, ac dignus existimatus, qui ad altiores ascenderet (d).

ANNO CHRISTI 1720.

Nullus præterea sæcularis ordinetur, qui non habeat titulum perpetuum sufficientis ecclesiæ, alioquin ille ab exercitio ordinum suspensus sit (e); episcopus vero, qui manus scienter imposuit, ad alimenta teneatur erga ordinatum (f).

(d) *Conc. Sard. Can. 10. Trid. sess. 23. c. 4. de Ref.*

(e) *Conc. Chalcedon. Can. 7.*

(f) *Cap. 2. 4. & 16. de Prab.*

Quia mostruosum est, quod una ecclesia plures habeat rectores, sicut plures maritos una uxor; (g) inhibet propterea sancta synodus, ne plures ad unam ecclesiam ordinentur, nisi vel qua coadjutores, supposito consensu coadjuti, ac necessitate ecclesiæ, vel qua vicarii pro arbitrio episcopi, ubi ita numerosus est populus, ut divinis peragendis parochus non sufficiat, atque proventus ecclesiæ sunt adeo pingues, ut iis etiam vicarius commode sustentari possit. Si quis autem qua vicarius his præsuppositis conditionibus, ad aliquam ecclesiam ordinatus fuerit, ita ipsius obsequio adstrictus sit, ut illam amplius dimittere non possit sine consensu ordinarii, qui manus ipsi imposuit; alioquin ab ordinum exequutione perpetuo suspensus sit (h).

(g) *Cauf. 21. q. 2. Can. 4.*

Quamquam in iis, qui ad clerum assumi debent, non genus inspiciendum, sed dignitas, & habilitas examinanda sit; (i) præstaret tamen, ut ex servis glebæ, sive subditis, vel nunquam, vel raro eligerentur. (k) Si quando autem etiam servus, aut subditus dignus visus fuerit qui promoveatur, Sancta synodus statuit, ne id fiat, nisi Dominus consenserit, ac eos, filios, filiasque eorum liberaverit, atque a servitio emiserit. (l) Ne vero cuipiam molestia fieri deinde possit; liberatio, sive dimissio in scripto detur, actisque Castrensibus, sive Palatinatus, sive districtus illius, in quo continetur ecclesia, inseratur.

(h) *Trid. sess. 23. c. 16.*

(i) *Synod. Quinis. Canon. 33.*

(k) *Cap. de servor. eum tot. tit. de serv. non ordin.*

(l) *Can. Apost. 82.*

Illud etiam statuendum censuit Sancta synodus, ut omnes episcopi habeant peculiarem librum, in quo describatur nomen, cognomen, patria, ætas, beneficium, seu titulus ordinatorum, dies denique, mensis, & annus collatorum ordinum, ex eoque ordinatis testimoniales tradantur, in quibus ipse etiam titulus exprimatur: (m) ipse vero liber, cujus in fronte nomen cujuslibet episcopi inscriptum erit, in Cancellaria episcopali perpetuo asservetur, successoribus tradendus.

(m) *Cap. si episcop. de Prab. in 6.*

Qui-

ANNO CHRISTI 1720.

Quicumque ex noſtris fuerit ab Exoticis, & ſchiſmaticis paſtoribus ordinatus, perpetuo maneat ſuſpenſus ab exercitio collatorum ordinum. Nemo vero ex alienis admittatur, niſi ejurato ſchiſmate, & facta fidei profeſſione, de qua in prima Seſſione actum eſt.

Noverint vero univerſi, illegitimos, ætatem a Sancto Tridentino concilio præſcriptam non habentes, Neophytos, bigamos, inſigniter deformes, corpore vitiatos, morbo comitiali laborantes, criminoſos, infames, uſurarios manifeſtos, ſuſpenſos, interdictos, excommunicatos, latrones, caupones, rudes, & ignaros, gulæ, & ebrietati deditos, peregrinos, & ignotos, obligatos rationiniis publicis, neque eos, qui ſæva exercuerunt, aut aliquem denunciarunt ſequuta pœna, vel mutilatione, alioſque id genus quibuſcumque canonicis impedimentis irretitos, & obnoxios ad ſacros ordines admittendos non eſſe abſque legitima diſpenſatione, ubi ea opus fuerit, vel niſi alias habiles, & idoneos ſeſe reddiderint.

§. VIII.

De Matrimonio.

QUoniam ritus adminiſtrandi hoc ſacramentum in noſtra eccleſia idem propemodum eſt, qui in eccleſia Latina, proindeque nulla correctione, aut mutatione indiget; non licebit parochis a recepta forma recedere (*a*).

(a) *Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de Matrim.*

Cum autem eccleſia proprius ſacramentorum ſit locus; præcipit ſancta ſynodus, ne quis ſacerdos in domibus privatorum ſine expreſſa Ordinarii licentia quemquam in matrimonium conjungat.

Acceſſuri fideles ad hoc magnum Sacramentum, quod eſt in Chriſto, & eccleſia, non admittantur a parochis, niſi prius ſciant omnino Orationem Dominicam, Salutationem Evangelicam, Symbolum Fidei, præcepta Decalogi, ſeptem capitalia peccata, ac cætera Fidei myſteria ad ſalutem omnino neceſſaria. Moneantur etiam contrahere volentes, ut non accedant juxta antiquiſſimum Græcæ eccleſiæ morem, niſi confeſſi, ac ſacra communione refecti, ut uberior ſit ejusdem ſacramenti effectus & gratia.

Cæterum ſi quis non habuerit ætatem legitimam, vir ſcilicet, decimumquartum annum completum, foemina vero duodecimum. Si quis mulierem rapuerit, etiam volentem; ſi quis conſanguineus, affinis, aut cognatus in gradu prohibito; ſi quis mulierem, qua cum nubere vult, polluit ante per adulterium, fideſque inter utrumque interceſſit tunc temporis de contrahendo inter ſe matrimonio, aut etiam in vitam defuncti conjugis aliquid alter ex ipſis machinatus eſt, altero ſciente, conſentiente, vel conſulente; ſi quis ſponſalia ſolemniter contraxit cum ſorore uxoris, aut uxor cum fratre mariti. Si quis denique alio canonico impedimento teneatur; nullatenus admittatur ad contrahendum, niſi diſpenſationem ab eo, a quo concedi poteſt, obtinuerit, aut alias difficultatem, ſi qua detinetur, ſuſtulerit. Alioquin ſi quis ſacerdos illos ſciens admiſerit, non ſolum amoveatur a beneficio, perpetuoque ſuſpendatur ab ordine; verum etiam detrudatur ad carceres, & aliis poenis arbitrio epiſcopi puniatur.

ANNO CHRISTI 1720.

Ut autem parocho melius innoteſcat, an hæc, vel alia hujuſmodi matrimonium contrahendum impediant, non audeat aſſiſtere, ac ſponſos copulare, niſi tribus denunciationibus, in eccleſia parochiali, inter miſſarum ſolemnia præmiſſis tribus continuis feſtivis diebus. Quod ſi matrimonium contrahere volentes ſunt diverſarum parochiarum; porochus unius ad matrimonii ſolemnizationem non procedat, niſi & omnes proclamationes in eccleſia ſua fecerit, nullumque intellexit canonicum impedimentum, & ſimiliter parochum alterius omnes tres proclamationes feciſſe, & nullum canonicum impedimentum denunciatum fuiſſe ex teſtimonio ejuſdem parochi certo cognoverit. Illud etiam addendum cenſuit ſancta ſynodus, quod ſi matrimonium contracturi in parochia, in qua fixa eſt moderna eorum habitatio, brevem moram traxerint, ita ut ibidem non ſint ſatis noti, quamvis ibidem matrimonio jungi poſſint, tamen in parochia, in qua prius habitarunt, ubi veriſimilius eſt homines ſcire, utrum ſponſi aliquo impedimento teneantur, denunciationes omnes omnino fiant. Qui ſecus fecerit ſine diſpenſatione, vel licentia ordinarii ex graviſſima tantum cauſa, & raro concedenda, ſuſpendatur ab officio per triennium, ac alias etiam puniatur, prout epiſcopus judicaverit (*b*).

(b) *Trid. ſeſſ. 24. c. 1.*

Eo vero minus parochus præſumat conjungere vagos, ignotos, & exteros homines, quo majus eſt in iis polygamiæ periculum. Quapropter ſi agitur de matrimonio exterorum, non admittantur ad matrimonium, neque publicentur Denunciationes, niſi prævio teſtium examine, conſtiterit de libero ipſorum ſtatu per teſtimonium ordinariorum, in quorum Diœceſibus reſpective moram traxerunt, ſive advenæ ſint, ſive in hoc Regno nati, & educati, cum ad hujuſmodi effectum pro exteris habeantur. Si vero agitur de perſonis prorſus a Regno extraneis, quæ nullibi certum, ac fixum domicilium habuerint, ac de ipſorum ſtatu liberos, neque fidem ordinariorum, neque teſtes afferre valeant; tales quidem omnino a parochis conjungi non poſſint, niſi prævio juramento de ſtatu libero in manibus ordinarii, vel ex ipſius commiſſione, in manibus decani, ſeu proto-presbyteri præſtando (*c*). Si quis autem falſum juraſſe compertus fuerit, ac polygamiam admiſiſſe; tradatur Curiæ ſæculari pro rei gravitate puniendus.

(c) *Inſtructio a S. Congreg. inquiſit. die 30. Auguſti 1670. edita.*

Parochus non audeat ad matrimonium recipere illos, quos conſtat aliquando vel uxorem, vel maritum habuiſſe, niſi certo probetur illorum mors vel per teſtes, vel alias legitimas probationes ab ordinariis recipiendas, ac prævia ipſorum Ordinariorum licentia, ac teſtimonio. Si ſecus fecerit, amoveatur a Beneficio, ac alias arbitrio epiſcopi puniatur. Errorem illum inter rudiores etiam parochos fere communem, quod poſt diſceſſum unius conjugis, & per totum

ANNO CHRISTI 1720.

tum septennium non comparentis, liberum sit alteri nubere; caveant, & detestentur.

Si nullum igitur, his servatis servandis, detectum fuerit impedimentum, sponsos, postquam fuerint ecclesiam ingressi, singillatim, ac specialiter parochus interroget; Utrum venerint libera sua voluntate, & a nullo coacti ad contrahendum inter se Matrimonium? & utrumque affirmative respondentem moneat de indissolubili ejusdem vinculo, de juramenti conjugalis, ac fidei servandæ obligatione, ac perjurii gravitate, de prolis recte educandæ necessitate; ac tandem conjungat in nomine Domini.

Cum autem liber, & plenus consensus ad matrimonium potissime requiratur; sciant patres, tutores, domini, aliique sub quorum potestate, ac jurisdictione contracturi degunt, si quovis modo, vel eos coegerint, ut contrahant, vel etiam parochum, ut assistat, non præmissis proclamationibus, aut obstante impedimento; non solum poenam anathematis ipso facto incurrere ob violentiam sacramento illatam; (a) verum etiam excommunicationem papæ reservatam, ob metum Christo Domini quoquo modo incussum. Parochos autem hortatur sancta synodus, ut resistendo potestatibus, & iis, qui possunt corpus occidere, non faciant animam suam pretiosiorem, quàm sacrorum canonum observantiam.

(a) *Trid. sess. 24. c. 20.*

Tandem peractis omnibus iis, quæ ad Ritum, & administrationem hujus Sacramenti pertinent, notet parochus diligenter diem, mensem, & annum, ac nomina, & cognomina tam conjugum, quam testium, qui aderunt; prætereaque distincte exprimat, si denunciationes aliquas omisit, aut in privatis ædibus celebravit ex licentia episcopi; si in parochiali, vel alia ecclesia; si dispensatio super aliquo impedimento præcessit; si alter ex sui ipsius, aut episcopi licentia, conjunxit, ut ille etiam, qui facultate sibi delegata conjunxit, libro ad id destinato subscribere teneatur; gravissime puniendus ab ordinario, si secus facere deprehensus aliquando fuerit.

Si quis autem presbyter post collatos ordines, matrimonio jungi, aut prima uxore defuncta, secundas incoestas nuptias inire præsumpserit; per episcopos a communione, atque altari arceatur, captivetur & aliis poenis canonicis afficiatur, ut peregrinam, spuriamque conjunctionem abjiciat (b). Præterea contra sæculares dominos, si qui sint, qui talibus patrocinium præstent jure agatur, tamquam contra perturbatores episcopalis jurisdictionis, & canonicæ disciplinæ violatores.

(b) *Trid. sess. 42. c. 9.*

TITULUS IV.

De reformatione.

SAncta Synodus reformandis moribus, ac restituendæ ecclesiasticæ disciplinæ operam datura, sese potissimum convertit ad reverendissimos episcopos in Domino congregatos, quos Christus Dominus posuit supra candelabrum, voluitque lucere coram hominibus, ut videntes bona ipsorum opera, patrem coelestem glorificent. Non enim fieri potest, ut ii, qui a rebus sæculi in altiorem sublati locum (c) tamquam speculum a reliquis conspiciuntur, ut sumant, quod imitentur; subditos suos instruant, & ad ecclesiasticam disciplinam amplectendam, ac retinendam excitent, si ipsi sese non præbeant exemplum bonorum operum, quæ validiora sunt, quam verba, & quibus plenius docetur, quam voce. Itaque vehementer hortatur, ut quod cæteris, præsertim vero parochis, aliisque ecclesiasticis, qui eis cooperantur in salutem animarum pro recta vitæ, ac officii ratione præscriptum est, ipsi primi exequantur, ac vitam instituere pergant episcopali muhere, quammaxime dignam, sobriam, scilicet, modestam, continentem, frugalem, a luxu, & fastu remotam, a turpi lucro alienam, in pauperes liberalem, in sacra lectione, & oratione assiduam; sanctam denique, & irreprehensibilem, ut ejus esse decet, qui cæteris corrigendis præpositus est, (d) ne de iis aliquando dicatur: *& alligant onera gravia, & in humeros hominum imponunt; digito autem suo nolunt ea movere* (e).

(c) *Synod. Quinis. Canon. 3.*

(d) *D. Paulus 1. ad Timoth.*

(e) *Matth. 1. v. 4.*

TITULUS V.

De Metropolitano.

CUm Metropolitanus respectu suorum suffraganeorum pastor sit, ac dicatur, (f) eoque nomine mediatam totius Provinciæ curam gerat (g) sedulo curare debet, ut eorum defectus, si qui sunt in administratione diœcesis ipse suppleat, eos officii sui paterne moneat, ac etiam ad illud recte obeundum aliquando cogat, aut ad sedem Apostolicam deferat. In hoc autem potissime incumbat, ut decreta hujus synodi observentur in tota Provincia, eaque de causa, & post necessariam Sanctæ sedis approbationem, statim suffraganeis innotescant, & in tota provincia promulgentur.

[f] *Innoc. 3. lib. 1. epist. 465. & lib. 2. epist. 159.*

(g) *Conc. Antioch. can. 9.*

Cum vacaverit aliqua sedes episcopalis, metropolitanus, vel per se ipsum, vel per episcopum viciniorem, ecclesiam administret tam in Spiritualibus, quam in temporalibus; si vero sedes ipsa Metropolitana vacaverit, antequam administrator a Sancta sede constituatur; vicinior episcopus, scilicet, archiepiscopus Polocensis eamdem tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia regat. Aliam autem ecclesiam, siquam præter Metropolitanam, prout fieri solet, obtinebat, vicinior episcopus administrabit, ita tamen, ut administrator, quicumque is fuerit exactissimam rationem futuro episcopo reddere teneatur.

TITULUS VI.

De Episcopis.

UT ii, qui ad Sacrum episcopatus apicem promovendi sunt, diutius a superioribus suis probari, & secum gravitatem oneris, quod Angelicis etiam humeris formidandum est, majori cum deliberatione reputare possint; Sanctæ synodo recte con-

ANNO CHRISTI 1720.

sideranti maturitatem, quæ in episcopis promovendis ex sacrorum canonum præscripto adhiberi debet (a) visum est statuere, ut nemo deinceps, nisi a Sancta sede dispensationem obtineat, episcopus esse possit, qui professionem religiosam non fecerit. Nemo vero profiteri valeat, qui prius intra septa monasterii non expleverit annum probationis regularis, & sex hebdomadas juxta constitutiones, & consuetudines ordinis Divi Basilii Magni.

(a) *Conc. Bardic. Can. 10. Constant. IV. can. 5. Later. III. Can. 3.*

Quam necessaria sit episcoporum residentia, ex eo quisque percipere potest, quod omnes ex Divino præcepto, quibus animarum cura commissa est, Oves suas agnoscere, sacramentorum administratione, ac verbo, & exemplo pascere, & instruere debent, (b) quæ cum ab iis præstari non possint, qui gregi suo neque invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more eum deserunt, idcirco Sancta synodus non solum præcipit, ut omnes episcopi in sua diœcesi resideant, quod quisque otiosus facere potest: verum etiam, ut laborent, & ministerium suum adimpleant. In solemnioribus autem festis, ac potissime majori hebdomada penes ecclesiam cathedralem maneant, ut functiones ecclesiasticas obeant, præter archiepiscopum Smolensciensem, cui cum non possit apud suam cathedram a schismaticis occupatam munia episcopalia explere, liceat id præstare in monasterio Pustinensi tamquam ipsi cathedræ viciniori.

(b) *Trid. sess. 23. cap. 2. de Ref.*

Cæterum quia non solum pascere, verum etiam regere, ecclesiasticam, scilicet, disciplinam restaurare, mores purgare, & corrigere, bonos præmiis augere, malos autem pœnis coercere ad officium episcopale pertinet (c). Unde pastoralis baculus signum regiminis, & correctionis dicitur: ea propter si utrumque præstiterit episcopus, satis illa, quæ sunt episcopalis muneris, impleviſse videri poterit. Quamquam autem in corrigendis subditorum excessibus formalis processus, & inquisitio præmitti non debeat, quæ tunc tantum necessaria sunt, cum agitur ad vindictam delicti: veritatem tamen diffamationis coram testibus, non malevolis, & maledicis, sed honestis, & providis examinare debet, si non ut judex, tamen ut pater, priusquam ad castigationem descendat (d); sique punitione aliqua, ac castigatione opus esse compererit, virgam correctionis ita adhibeat, ut vitia potius, quam personas odisse videatur, animoque magis medentis, quam sævientis delicta coerceat: (e) Sitque demum talis, qualis esse debet in corrigendis vitiis pie sæviens, judicium sine ira tenens, ac in tranquillitate severitatis censuram non deserens (f).

(c) *Cap. nemo quippe, & cap. si quis Ep. dist. 83.*

(d) *Conc. Later. IV. cap. 8.*

(e) *Cap. odio dist. 86*

(f) *Pontif. Rom. de conse. crat. Episc.*

Episcopi caveant, ut si pastores non percussores dici velint, a presbyterorum flagellatione abstineant, (g) quæ præterquamquod statui sacerdotali maxime injuriosa est, visa fuit ita abhorrere a spiritu lenitatis, & pastoralis mansuetudinis, ut episcopus, presbyter, aut diaconus, qui verberat eos, qui peccant, ut ipsis timorem iniiciat, per sacros canones deponi jubeatur (h): sed si ad correctionem agunt, non ad vindictam delicti præsertim gravioris, vel carceris ad tempus, vel alia mitiori pœna, pro modo culpæ, quacumque appellatione remota, delinquentes coerceant, nec ad extrema, levioribus non adhibitis, defacto descendant (i).

(g) *D. Greg. lib. 2. epist. 52. inscr. 2. apud Grat. distin. 45. Can. 1.*

(h) *Can. Apostol. 28. apud Grat. distin. 45. Can. 7.*

Ut autem prælatorum officium eo fructuosius, quo liberius exerceri possit; (k) monet sancta synodus laicos, ne aut illos impediant, quominus jurisdictione sua, quam liberrime in clericos sibi subditos utantur, aut ipsis subditis patrocinium quoquomodo præstent, ut pœnam effugiant. Alioquin contra ipsos jure agatur, tamquam contra violatores sanctioris spiritualis jurisdictionis; clerici vero ad ipsorum patrocinium confugientes excommunicentur.

(i) *Trid. sess. 13. c. 1. sess. 23. cap. 1. sess. 24. c. 8. & 12. & sess. 25. c. 14.*

(k) *Synod. Bitur. Can. 4.*

Quia vero accidit nonnumquam, ut sacerdotes præ metu poenarum, ac conscientia delictorum solum vertant, desertaque ecclesia ad alienas dioeceses migrent; statuit sancta synodus, ut ii per ordinarios, in quorum territorio reperti fuerint, capiantur, & ad locum, in quo deliquerint, reducantur. Quod si quis ipsum temere receperit, ac in alia ecclesia constituerit, a pontificalibus interdicatur (l).

(l) *Synod. Quinis. Can. 17.*

Quia onus pastoralis solicitudinis ita grave est, ut quemlibet etiam vigilantissimum premere aliquando possit; jubet sancta synodus, ut quilibet episcopus præter officialem, habeat etiam theologum ejus probitatis, prudentiæ, doctrinæ virum, quo in rebus ad administrationem suæ ecclesiæ pertinentibus consultore secure uti possit, atque ad id per metropolitanum compelli debeat.

Tam necessaria semper visa fuit episcopi visitatio, quam necessarium est, ut Medici ægrotos visitent, & morborum observent momenta, si pharmaca adhibere, & curationi incumbere volunt. Teneatur itaque quilibet episcopus dioecesim suam, si quotannis totam, propter ejus latitudinem non potest, saltem biennio visitare, aut per se ipsum, aut per visitatores a se specialiter designandos, ac morum probitate, prudentia, doctrina, disciplinæque ecclesiasticæ peritia, atque usu præstantes, per quos plenam totius dioecesis, & ovium sibi commissarum notitiam habere queat (m).

(m) *Trid. sess. 24. c. 3 de Ref.*

Scopum autem, finemque visitationis, ut assequatur, non tantum quærat de cultu ecclesiarum, ornamentorum munditie, ac integritate, sacrorum vasorum custodia, bonorum ecclesiæ conservatione, & cæteris hujusmodi, quæ ad externum dioecesis statum attinent; sed præcipue inquirat de Fidei sinceritate, morum sanctimonia, & reformatione; prædicatione verbi Dei, populi institutione, & Sacramentorum administratione, ac cætera cognoscere studeat, quæ ad interiorem statum pertinent. Quod ut facilius, feliciusque succedat, sancta synodus instructionem pro visitatorum judicio, ac prudentia, rerumque circumstantiis augendam, vel mutandam, post acta synodalia scribi jussit.

Nulla vero Ecclesia etiam quoquomodo exempta, si curata sit, nullum Oratorium publicum, etiam si ad regulares pertineat, si a claustris separatum fuerit, a visitatione exemptum censeatur. Confraternitates etiam

tiam quamquam sæculares, vel in ecclesiis regularium erectæ, ac collegia mere laicalia, si quam habent annexam piorum operum administrationem, in eo, quod dictam administrationem concernit: hospitalia denique, & alia loca pia Episcopi visitationi, sive jure ordinario, sive jure delegato subiaceant (*a*).

Monasteria etiam virorum quamquam alias exempta plene ab episcopo visitentur, si non sunt in congregationem redacta, nec suos habent regulares visitatores, (*b*) quæ autem in congregationem redacta sunt, episcopus ne visitet, nisi regulares visitatores, & ordinum capita, quibus id incumbit, post sex menses a monitione episcopi, visitare, corrigere, & regularem observantiam reformare neglexerint (*c*); Monialium vero monasteria cum nulla in nostra ecclesia a regularibus regantur ab episcopis visitari, eique plene subesse debeant (*d*).

Ne vero visitatio ad quæstum potius, quam ad ecclesiæ, & diœcesis utilitatem instituatur, & ut ea libentius suscipiatur; sancta synodus inhærens præscripto sacri concilii Tridentini, præcipit, ut nihil omnino etiam sponte, & libere oblatum, sive episcopus visitator, sive ejus domestici recipiant, præter ea, quæ victui necessaria sunt, atque hæc ipsa non omnes ecclesiæ præstare debeant, sed locupletiores tantum, pauperibus ab omni procurationis onere absolutis, ut episcopi visitatores ea tantum, quæ Christi sunt, non propria quærere videantur. Cæterum cum victualia juxta sacrum Tridentinum concilium, *moderate & frugaliter, ac pro temporis tantum necessitate* ministranda sint; procul dubio omnis conviviorum, & epularum abundantia exclusa esse debet. Insuper visitatio ipsa celeriter, quantum licet, absolvenda est, ne inutilibus, & non necessariis protelationibus cuiquam gravis, & onerosa fiat. Comitatus etiam moderatus sit, & ex iis tantum personis compositus, quæ necessariæ videri poterunt: ita enim fiet, ut reliqui ab ipsis episcopis frugalitatis, sobrietatis, continentiæ, modestiæ, ac humilitatis exempla petere possint, ut monet eadem sacra Tridentina Synodus (*e*).

Quod si quis alius ad visitandam dioecesim ab episcopo, cum ipse per se non poterit, missus fuerit, hic præter cancellarium, sive Notarium, plures sibi non adjungat socios, quam duos pro domesticis servitiis, nec plures assumat equos, quam quatuor, eoque minor procuratio ipsi offeratur, quo minor ejus necessitas, ac frugalior mensa esse debet. Si quis autem episcopus visitator, aut ipsorum familiaris aliquid amplius exegerit, aut etiam sponte oblatum receperit, teneatur ad dupli restitutionem intra mensem faciendam, sub poena interdicti pontificalium exercitii, si episcopus fuerit; ordinum ministerii si clericus: ac excommunicationis, si laicus familiaris; quam quisque poenam ipso facto incurrat, nisi post mensem restituat, ac eo usque vel suspensus, vel excommunicatus maneat, quousque eamdem restitutionem distulerit (*f*).

Ut autem sit certior ecclesiarum status, ac fructus visitationis diuturnior præter ea, quæ in particulari instructione descripta sunt, quilibet episcopus examinabit diligenter fundationes, ac dotationes cujuscumque parochiæ, ecclesiæ, ac monasterii non exempti, eaque referet in peculiarem librum bene compactum, qui de visitatione inscribi, ac futuris successoribus servari diligenter debebit: ecclesiæ vero relinquenda erunt per extractum ea omnia, quæ ad ipsam pertinent una cum decreto reformationis.

Illud etiam synodus commendat, ut eadem occasione reverendissimi episcopi ecclesias, tam erectas, quam de novo erigendas, & hactenus non consecratas consecrent.

Præter visitationes, maxime necessaria est celebratio synodi dioecesanæ, in qua, collatis episcoporum cum suo clero consiliis, statuantur ea, quæ pro communiori totius dioecesis bono statuenda videbuntur, & caveatur, ne, quæ bene statuta sunt, temerentur. Præcipit itaque synodus, ut in singulis dioecesibus, quibus parochi ad unum, eumdemque locum congregari possunt, habeatur synodus dioecesana singulis annis pro tota dioecesi. Ubi vero parochi propter locorum intervalla, & amplitudinem dioecesis ad unum, eumdemque locum convenire non poterunt, primo anno habeatur synodus apud Cathedram; secundo anno in loco ipsis parochis pro locorum circumstantia commodo; ac sic deinceps: ita tamen, ut intra triennium synodus ipsa absolvatur.

Cæterum ad synodorum dioecesanarum fructum uberius assequendum proto-presbyteri, sive decani, quibus id potissime incumbit, ac etiam parochi in sua, vel vicina parochia dispiciant, ab ii, qui curam animarum gerunt, resideant, & sollicite fidelium saluti invigilent: an in sacramentis sancte ministrandis, in rudium, ac puerorum ad doctrinam Christianam institutione, cæterisque officiis curæ parochialis diligentes se præstent; an ecclesiæ sanctæ tectæ sint, ac ornamentis, & sacra suppellectili congrue instructæ; an ea, quæ in Synodo provinciali decreta sunt, observentur, tam quoad internum, quam quod externum ecclesiarum statum. Inquirant, an populus colat dies festos, & frequens conveniat ad divina officia; an jejunia observet statutis temporibus; an aliqui sint sacrilegi, blasphemi, excommunicati, schismatici, ac de magia, & superstitione suspecti, eaque omnia ad ordinarium scripto deferant ante synodum dioecesanam, ut iis opportune malis medeatur.

Denique visum est sanctæ synodo; quoniam summus pontifex est cæterorum episcoporum caput, & princeps; reverendissimi episcopi, audita ipsius morte, cum suis ubditis exequias defuncti statim celebrent, ac pro felici novi pontificis electione Deum ent.

Hoc etiam officium præstent reverendissimi episcopi proprio Metropolitano, ac parochi suo episcopo, cum ipsum ab hoc sæculo migrasse intellexerint.

Ut etiam bonis defuncti archiepiscopi, vel episcopi, quoad fieri potest ex præscri-

ANNO CHRISTI 1720.

pto sacrorum canonum provideatur; statuit synodus, ut in qualibet dioecesi assumantur ex clero tres viri, qui statim; ost ipsius mortem, inventarium rerum omnium mobilium, & immobilium, ac se moventium conficiant in præsentia notarii, & quinque testium, iique omnes ejusdem inventarii veritatem, integritatem, & sinceritatem jaramento gravissimo comprobent coram futuro episcopo; & ut non modo suæ, verum etiam futuri successoris, & eorum omnium, quorum interierit, indemnitati consultum sit, teneantur ii, qui ex clero eligentur alteram ejusdem inventarii copiam episcopo administratori statim reddere, alteram sibi retinere. Administratori vero, ne liceat quoquomodo bona mobilia, & semoventia alienare, & distrahere, aut immobilia locare; sed ea omnia diligenter conservare teneatur, ac insuper exactissimam de perceptis, & expensis omnibus futuro successori rationem reddere sub poena interdicti ab ecclesia, & pontificalium exercitio.

TITULUS VII.

De Officialibus.

QUilibet episcopus officialem habeat sæcularem, si inter sæculares quispiam ad hoc officium idoneus inveniatur, sin minus regularem. Si quis autem plures habet ecclesias cathedrales, pro unaquaque diœcesi unum constituere teneatur. Curent autem episcopi ut officiales iis qualitatibus polleant doctrinæ, & probitatis, quæ in iis, qui vocantur ad partem oneris episcopalis necessariæ sunt: alias sciant se de ipsorum facto teneri, si minus idoneos elegerint.

Officiales vero, vel pro moribus corrigendis, vel excessibus parochorum castigandis, nunquam alias indicant mulctas pecuniarias, quam eas, quæ a præsenti synodo probatæ sunt, sed alia remedia sanctiora, & spiritui reformando aptiora adhibeant, carceris scilicet ad tempus, vel spiritualium recollectionum, aut alia pro modo negligentiæ, & culpæ. Quod si de gravioribus delictis processus instituant, tunc pœnas canonicas adhibeant.

Libertatem appellationis ad Metropolitanum, sive alium superiorem judicem in causis, in quibus appellatio de jure admittenda est, non impediant. Si vero appellationem, ac recursum impedire comperti fuerint, aut inhibitionem Metropolitani, vel alterius superioris contemnere; puniantur, atque ab officio amoveantur. Censet tamen S ect. synodus in iis, quæ attinent ab observantiam eorum, quæ nuper a si, decreta, & statuta sunt, appellationem admitti non oportere.

Cæterum si prædicti officiales in officio, & exercitio propriæ jurisdictionis, aut pa sordes sententiam proferendo, aut alia ratione deliquerint, severe plectantur, & non modo episcopus, verum etiam Archiepiscopus contra ipsos procedere possit, servata inter eos prævention e.

TITULUS VIII.

De notario, & taxa episcopali.

QUia præter officialem, episcopo summe necessarius est cancellarius, sive notarius; statuit synodus, ut quilibet ipsum assumat post duos menses a promulgatione horum decretorum, alias pro negligentibus a Metropolitano constituantur.

Officium vero cancellarii in eo potissimum consistit, ut retineat quam diligentissime processus actorum tum civilium, tum criminalium; librum etiam habeat peculiarem, in quo ii, qui professionem fidei emiserint, sua nomina scribant: librum præterea ordinationum, in quo describantur, & ordo collatus, & titulus: librum etiam visitationis, in quo ea, quæ ad quamlibet ecclesiam spectant, notata sint: ac denique librum rescriptorum, quæ gratiosa appellantur, dispensationum scilicet, rerumque omnium, quæ ad meram gratiam pertinent; qui porro libri episcopo successori tradentur, ut perpetuo conservari possint.

Ne vero notario liceat pro arbitrio suo recurrentes gravare, sive ratione judiciorum, sive ratione gratiarum, quæ ab episcopo conceduntur; Sancta synodus taxam conficiendam censuit, & inter acta synodalia describi, atque una imprimi, ac in omnibus cancellariis publice exponi. Quod si quispiam aliquid amplius ultra taxam extorquere præsumpserit, ad restitutionem dupli teneatur, ab officio amoveatur, ac insuper mulctetur quingentorum florenorum pœna, arbitrio episcopi in pios usus expendenda.

TITULUS IX.

De proto-presbyteris, sive decanis ruralibus.

PRæter ea, quæ a sancto synodo ad officium proto-presbyteri spectare constitutum est, ut scilicet diligenter referant ad ordinarios, si quos decretorum synodalium violatores, si quos officii parochialis negligentiores, si quos popinarum frequentatores, percussores, aut alias scandalosos, sive presbyteros, sive laicos, sub sua jurisdictione compererint; illud omnino addendum censuit debere eos episcopo, vel alteri visitatori assistere per suum decanatum, ut ipsum de statu ecclesiarum, & moribus ministrorum instruere possint.

Insuper teneantur visitare proprium decanatum anno subsequenti visitationem generalem, non solum, ut de iis, quæ modo diximus, ac de cæteris, quæ continentur in instructione generali diligenter inquirant; verum etiam ut decreta, & reformationes ejusdem generalis visitationis exequutioni mandari curent. In obeunda hac visitatione, caveant, ne quid prorsus accipiant, aut extorqueant, præter victualia pro sua, alteriusque domestici persona, ac duobus equis; alioquin præter poenas, quas statuit sancta synodus titulo sexto gravissime ab episcopo puniantur. Quo-

Quoniam proto-presbyterorum officium gravius est, quam existimatur: monet sancta synodus, ut ii tantum assumantur, qui zelo, pietate, doctrina & eruditione cæteris præluceant, ex sæcularibus si idonei inter eos fuerint; sin minus ex regularibus. Ipsi vero secum cogitent se esse constitutos pastorum sui districtus pastores, eaque de causa, nisi ipsorum defectus corrigant, vel ad episcopum deferant, suoque officio accurate fungantur, cæterorum animas de ipsorum etiam manibus requirendas esse.

TITULUS X.

De parochis, & parochiis.

QUamquam ex iis, quæ constituta sunt pateat, quam grave sit parochorum officium, gravissimum porro esse quisque fateatur, necesse est, qui secum reputet eos constitutos esse pastores, ut forma sint gregis ex animo. Quapropter si nihil verius Gregorii dicto, *gregem consequenter ferri in præceps; si per prærupta vitiorum gradiator pastor*, quisque studere debet, ut opere exhibeat, quod nomine signat, atque ita ad gregis exemplum vivere *ut cum apparuerit princeps pastorum percipiat immarcescibilem æternæ gloriæ coronam.* (*a*).

Et quia pastorum absentia lupis invadendi gregis occasionem præbet (*b*) statuit sancta synodus, ut omnes apud suam ecclesiam omnino resideant, ac divina officia obeant dominicis præsertim, & festis diebus (*c*) quod si aliquanto abesse cogantur, moneant loci decanum, & alium sacerdotem vocent, qui partes eorum expleat; vel saltem, si copiam sacerdotis nullam habuerint, prima die Dominica populo denuncient, sese abfuturos, ut in vicinori ecclesia divinis officiis interesse possit. Nemini autem ultra tres hebdomadas abesse liceat, nec sine gravi causa, eidem decano probata. Qui secus fecerit, mulctetur quinquaginta florenis in utilitatem suæ ecclesiæ expendendis

Si quis autem diutius abesse, vel in alienam dioecesim se conferre debuerit, licentiam, aut dimissoriale respective obtineat a proprio episcopo (*d*).

Quilibet habeat quatuor libros distinctos, ad rectam parochiæ administrationem necessarios: in quorum primo status, & numerus animarum: in secundo baptizati: in tertio conjuncti in matrimonio: in quarto mortui totius parochiæ describantur. Qui deinceps eosdem libros non habuerit, mulctetur quinquaginta florenis in commodum ecclesiæ erogandis.

Cum omnes utriusque sexus Fideles saltem semel in anno, tempore paschatis, peccata sua confiteri, & ad sacram Communionem accedere teneantur: (*e*) parochi diligenter animadvertant, an populus sibi commissus huic ecclesiæ præcepto satisfaciat: Si quis autem inobediens fuerit ad Episcopum deferatur, ut publica excommunicatione, aliisque canonicis poenis ad cæterorum exemplum puniatur.

Præterea cum ex ornamento exteriori interior animi compositio appareat (*f*) quisque utatur habitu diverso ab eo, quo rustici uti solent, nigro scilicet, & longiori.

Ebrietatem, a qua rixæ, cædes, vulnera, ac cæteræ injuriæ, ac flagitia præsertim in rudiori populo proficiscuntur, omni studio vitent; quod ut facilius præstent, sancta synodus ipsis inhibet frequentationem propinarum, ac commessationes, & compotationes, cum rusticis potissimum ibidem fieri solitas, sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, ac mulcta pecuniaria arbitrio ordinarii.

A suspecta extranearum mulierum frequentatione, & conversatione caveant; alias subjaceant pœnis statutis a sacro concilio Tridentino (*g*) aliisque pro arbitrio, ac prudentia superiorum. Choreis quoque, & saltationibus ne se immisceant, nisi ab episcopo graviter coerceri velint.

Tabernariam non exerceant, aut alias artes statu sacerdotali indignas; abstineantque ab operibus rusticanis, ut sibi atque ordini debitam venerationem concilient.

Mercaturæ, villici officio, aliisque negotiis sæcularibus ne vacent, neque ad nundinas eant, negotiandi causa, more sæcularium, sed alium mittant, si quid sibi emere necesse fuerit. (*h*).

Quia vero diligentem ecclesiæ curam habere vix potest, qui domui suæ præesse nescit (*i*) hinc eos hortatur sancta synodus, ac paterne monet, ut familiam suam mysteria nostræ fidei doceant, & ad bonos mores accendant. Uxorem si quis habet notorie adulteram, dimittat; alioquin ministerio fungi non audeat. (*k*) Filios, quos ad statum sacerdotalem aptiores viderint, opportune erudiant, ac literis instruant, & ad studia publica vel seminaria, si possunt, erudiendos mittant.

Nunquam prosiliant ad mutuas contentiones, injurias, & rixas, aut secum ipsi, aut cum laicis; eoque minus ad mutuas percussiones, alioquin castigandi poena carceris, aut alia graviori, pro ratione facti, præter partis læsæ satisfactionem. Si quis autem rixando alterum percusserit, abstineat omnino a ministerio altaris, donec absolutionem ab excommunicatione obtinuerit, vel ab episcopo, si percussio enormis non fuerit, vel ab alio, a quo de jure obtinenda erit, si gravior. Quod si quis absolutione non habita, divinis se immiscere ausus fuerit, sciat, se irregularitatem incurrisse, & a beneficio amovendum esse

Ecclesiæ parochiales, quæ regularibus ex sui fundatione, vel justa præscriptione attributæ sunt, per regulares regantur, reliquæ omnes, per sæculares, neque amplius ipsorum natura mutetur, (*l*) in Civitate tamen Bytinensi, & in Villa Molomidii censuit sancta synodus, ut cura animarum per sæculares, ut antea factum fuit, exerceatur.

Insuper quia prætextu paupertatis ecclesiarum cultus negligitur, Sacramenta temerantur, ac Dei ministerium per ignaros, & rudes ministros in contemptum adducitur; (*m*) statuit, ut parochiæ, quæ dotem non habet sufficientem, non provideatur

(*f*) *Concil. Triden. sess. 14. c. 6. de Ref.*

(*g*) *Sess. 25. de Ref. cap. 14.*

(*h*) *Conc. Eliber. Can. 19.*

(*i*) *D. Paul. 1. ad Thim.*

(*k*) *Conc. Neocæs. sub Silv. Pap. Can. 8.*

(*l*) *Can. cum de Benef. & cap. in 6. Clem. cum singula de præb. unic. de suppl. neglig. Prel.*

(*m*) *Later. IV. can. 32*

ANNO CHRISTI 1720.

tur de parocho, quousque ab iis, quorum A interest, congrue dotata non fuerit. Bona vero, quæ pro parochorum substentatione conferentur, non admittantur, nisi prævia exemptione ab omnibus oneribus, quæ per ipsos bonorum Domino quoquo modo imponi solent: (*a*) iniquum enim est, ut ab iis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur. (*b*)

(a) *Cap. 1. de Cens.*
(b) *Greg. lib. 7. epist. 115.*

TITULUS XI.

De Monasteriis, & Statu Monachorum.

CUM experientia compertum sit, & sacrorum Conciliorum Statutis comprobatum, nullum esse ad instaurandam, vel B conservandam Regularem observantiam, ac disciplinam, remedium efficacius, quam Monasteria omnia, quæ generalibus Capitibus non subsunt, nec suos habent ordinarios Visitatores, in unum corpus, seu congregationem reducere; (*c*) sancta synodus eorumdem sacrorum Canonum vestigiis inhærens, statuit ut Monasteria Uladimirienſis, Luceorienſis Chetmenſis, Leopolienſis, ac Præmislienſis Dioecesis post annum a publicatione præsentis Decreti, & acceptas literas convocatorias Illustrissimi, & Reverendissimi Metropolitæ, in Congregationem redigantur ac deinde quolibet quadriennio Generalem, Provincialem, ac Regulares C Visitatores eligant, ac de cæteris, quæ ad rectam administrationem totius Provinciæ, ac disciplinæ Monasticæ instaurationem necessaria videri poterunt, statuant, ac decernant. Præerit autem primo huic generali Capitulo Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Metropolita, & ad illud vocabitur religiosissimus Proto-archimandrita Provinciæ Lithuaniæ, ut ii, qui sunt in hujusmodi generalibus capitulis ex longa consuetudine versati, cæteris consilio, & auxilio esse possint (*d*). Novus autem Proto-archimandrita illi suberit in futurum, cui sancta Sedes expedire judicaverit.

(c) *Conc. Later. IV. Can. 12. Clem. ne in agro de stat. monac. Trident. sess. 25. cap. 8. de Reg.*
(d) *Later. IV. Can. 12.*

Monasteria omnia, in quibus exercetur D cura animarum, sacrum Chrisma recipiant a loci ordinario: alioquin ipsorum ecclesiæ Interdicto subjaceant. (*e*)

(e) *Concil. Trid. sess. 25. de Ref.*

Præterea sancta synodus præcipit, ut nulla de cætero Monasteria, sive virorum, sive mulierum erigantur, absque episcopi, in cujus Dioeceſi erigenda erunt, consensu (*f*). Episcopus autem consensum nullo modo præstet, nisi prævia reali traditione Dotis, & possessione bonorum, quæ duodecim alendis Religiosis sufficiant.

(f) *Greg. XV. Const. 3*

Foeminis cujuscumque status, & gradus ad interiorem clausuram monasterii nulla de causa ingredi liceat. Quicumque eas admiserit, præter excommunicationem summo E Pontifici reservatam, quam ipso facto incurret, severe plectatur: &, si fuerit superior Monasterii, deponatur ab officio, & ad quæcumque alia imposterum obtinenda inhabilis reddatur. Ipsæ vero foeminæ sciant se eidem excommunicationi summo pontifici reservatæ subjacere (*g*).

(g) *B. Pius V. Const. Greg. XIII. Const. 28.*

Archimandritis sancta synodus districte præcipit, ne vestitu serico præsertim damasceno utantur, aut alterius coloris, quam nigri. (*h*) Indecorum quippe visum est, ut modestiam, quam cæteros docere debent, exemplo reprobent (*i*).

(h) *Cle. 1. de sta mon.*
(i) *S. B. ned. Reg cap. 2.*

Cum Monachis etiam de licentia abbatis, proprium aliquid habere prohibitum sit (*k*); nulli liceat per se tenere bona, possessiones, & villas quoquo titulo acquisitas, sed Monasterio tradantur administranda a communi ipsius officiali, & procuratore: ac in eo servetur Statutum sacri Concilii Tridentini sessione vigesima quinta capite secundo de reformatione. Qui secus fecerit, subjaceat poenis contra proprietarios præscriptis.

(k) *Tri. sess. 25. 2. Clem. VIII. Co. stit. 60. U VIII. Co 28.*

Præterea ii, quibus jus est utendi pontificalibus, ne audeant illa exercere sine loci ordinarii licentia extra propriam ecclesiam: (*l*) alioquin interdicantur ab ingressu ecclesiæ per tres menses.

(l) *Cap de Prio 6.*

Novitii, qui & annos habent, & qualitates requisitas, si post peractum tempus probationis, professionem quam liberrime facere noluerint, benevole dimittantur. Quod si rite probati profiteri velint; ad professionem non admittantur, nisi prævia dispositione bonorum facienda post decimum mensem novitiatus, juxta præscriptum sac. concilii Tridentini de regularibus sessione vigesima quinta capite decimo sexto.

Monachos, qui aliquanto sine licentia claustralium superiorum vagantur, ac de C uno in aliud monasterium migrant, locorum ordinarii, in quorum diœceſi reperti fuerint in vincula coniiciant, & ad suos superiores puniendos mittant. Neque iisdem monachis liceat a suis monasteriis recedere etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento deprehensus fuerit, ab ordinariis locorum, tamquam desertor sui instituti puniatur. (*m*)

(m) *Tr. sess. 25. 4. de Reg*

TITULUS XII.

De monialibus.

VOluptatum conspectus eo majori studio a consecratis Deo Virginibus fugiendus est, quo facilius Mundi illecebris earum potest frangi constantia: (*n*) idcirco Sancta synodus innovando sacrorum canonum, ac concilii Tridentini decreta, (*o*) summorumque Pontificum constitutiones: (*p*) statuit, ut nulli sanctimoniali e monasterii septis egredi unquam liceat, nisi propter magnum incendium, vel infirmitatem lepræ, aut epidemiæ, vel etiam militarem incursum, quæ tamen causæ ab ordinario loci probari debeant.

(n) *Conc Carthag. Can. 33. Cæsar in Reg. ad V gin. cap.*
(o) *Tri sess. 25. c 5. de Reg*
(p) *Pii Const VII Greg. XI Const. 28*

Quia vero parum prodesset egressum prohibere, si pateret ad moniales accessus: statuit præterea, ne quis omnino alterius sexus admittatur intra septa monasterii, exceptis, in casu necessitatis confessariis, medicis, chirurgis, bajulis cervisiæ, fabris, ac similibus personis; quibus tamen duæ antiquiores sanctimoniales comites adjungantur. Quod si Moniales, vel e claustris exire, vel aliquem ad claustra admittere deinceps præsumpserint, excommunicationem

ANNO CHRISTI 1720.

nem Summo Pontifici reservatam ipso facto incurrant, privatæ sint officiis, quibus fungebantur, & ad alia obtinenda inhabiles fiant, eidemque excommunicationis pœnæ subjaceant ii, qui vel accedunt ad claustra, vel Moniales illicite e claustris egressas comitantur.

Dos puellarum, quæ ad professionem admitti postulant, non sit minor florenis mille quingentis in paratis pecuniis, si Monialis non sit supra numerum.

Si qua autem supra numerum admitti velit, duplicatam dotem conferat. Dos integre numeretur ante Professionem, neque collocetur, vel in parte, vel in totum, apud consanguineos, sed in aliis bonis arbitrio episcopi; alioquin interdicimus sub pœnis amotionis ab officio, ne puella ad professionem admittatur.

In singulis monasteriis, ne plures instituantur moniales, quam quot deductis necessariis expensis pro reparatione ecclesiæ, & Clausuræ commode sustentari possint: (a) quod si numerus hactenus designatus, & præscriptus non fuerit, quilibet episcopus, examinatis monasterii proventibus, eum intra annum præfigere teneatur.

(a) *Trid. sess. 25. c. 3. de Regul.*

Præterea si quæ sunt minora monialium monasteria, ac fundatione destituta in sua dioecesi, ea tollat, ac moniales ipsas una cum bonis omnibus & pecuniis ad alia majora, ac fundata transferat. Majora vero monasteria conservet, ita tamen ut nulla amplius puella ad professionem admittatur, nisi commode sustentari possit. In ipsa autem majora monasteria vitæ communis observantia introducatur, & clausura ut in cæteris custodiatur, neque moniales amplius pro necessariis emendis, aut vendendis exeant, & huc, & illuc vagentur; sed domesticis famulis utantur sub poenis supra statutis. Cæterum pro commoditate tum ipsarum monialium, tum extranearum personarum, extruatur cubiculum juxta septa monasterii, ad quod pateat aspectus per crates, ut inde alloqui, cum necessitas postulaverit, & audiri possint.

Puella non admittatur ad habitum suscipiendum minor quindecim annis, neque ad professionem, nisi expleverit annum decimum sextum. Tempore probationis suis pecuniis alatur, maneatque sub disciplina alicujus monialis ex antiquioribus, & sanctioribus a capitulo eligendæ, quæ magistra novitiarum dicitur. Cæterum sive puella ad habitum recipienda sit, sive ad professionem, præfecta monasterii ante duos menses episcopum hac de re faciat certiorem, ut puellæ voluntatem rite explorare, semotis arbitris, valeat (b). Professio vero ipsa referatur in librum particularem in singulis monasteriis diligenter custodiendum, qui inscriptus sit: *Liber professionum*: & in quo adnotetur dies, mens, & annus emissæ professionis, eique tum ipsa, quæ profitetur, tum duæ moniales tamquam testes sua nomina adscribant.

(b) *Trid. sess. 25. c. 17.*

Puellæ educandæ non admittantur in monasteria, nisi numerata fuerit necessaria ad eas alendas pecunia quotannis repræsentanda. Cum vero receptæ fuerint, tradantur magistræ, quam communitas huic officio præfecerit, neque amplius liceat singulis monialibus in proprio cubiculo disjunctam a cæteris virginem aliquam retinere, sed in loco separato omnes locentur, & maneant: alias episcopus earumdem admissionem inhibeat.

ANNO CHRISTI 1720.

Electiones abbatissarum statutis temporibus fiant per vota secreta: electa vero abbatissa non ante officium exerceat, quam electio legitime facta ab ordinario confirmetur.

Confessarii monialium sive ordinarii sive extraordinarii ab episcopo approbentur, & eligantur; si quis autem absque approbatione ordinarii monialium confessiones excipere ausus fuerit, ab altaris ministerio interdicatur, aliisque poenis ejusdem ordinarii arbitrio coerceatur.

TITULUS XIII.

De ecclesiis, earumque bonis non alienandis.

CUm domus Dei, domus orationis sit, receptaculum prophanarum rerum nullatenus esse debet. Quare statuit synodus, ne clerici res suas vel alienas ad ecclesias deferant, ibique conservent, aut reponant, nisi hostilis incursus, incendium repentinum, aut urgens alia necessitas ad quærendum hoc refugium eos adegerit, ita tamen ut necessitate cessante, res in pristina loca referantur. (c)

(c) *Conc. Late. IV. cap. 19.*

Suppellex ecclesiastica ad divinorum celebrationem necessaria ne desit, neve lacera sit aut immunda, decani, & visitatores, sedulo curent, alioquin parochos ad ordinarios deferant. Ipsius etiam suppellectilis duo inventaria quilibet episcopus fieri jubeat ab omnibus dioecesis suæ parochis, quorum alterum in ecclesia, alterum in cancellaria episcopali servetur.

Si qua ecclesia tecto, fenestris, aut pavimento, aliave reparatione indigeat, episcopus curet expensis beneficii eam reparari, si proventus suppetant; sin minus interdicatur, quousque ita reparata non fuerit ab iis, qui reparare debent, ut divina officia in ea celebrari decenter possint (d).

(d) *Trid. sess. 21. c. 7. de Ref.*

Bona ecclesiarum quilibet vendere, oppignorare, aut quoquo modo alienare non audeat, vel suis possidenda, relinquere, & dividere hæreditario quasi titulo sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ, & privationis officii, vel beneficii (e). Si quæ vero alienata sunt, ut recuperentur ordinarii curent, suumque ad hoc consilium, ac patrocinium conferant.

(e) *Nicen. 2. Can. 12. Extra ambitiosa de rebus eccles. non alien.*

Tametsi bona, vel possessiones ad ecclesias pertinentes nunquam locari præstat; tamen si locentur ad triennium, ut fieri solet, non accipiantur universi proventus ipso tempore contractus, sed dividatur eorum solutio in singulos annos, ne tota statim repræsentata summa, præjudicium successori inferatur: alioquin locationes istæ, quæ anticipatis solutionibus fiunt, irritæ sint, & nullum successoribus detrimentum inferre posse censeantur (f).

(f) *Trid. sess. 25. cap. 11. de Ref.*

TI-

ANNO CHRISTI 1720.

TITULUS XIV.

De Simonia.

QUoniam ſcriptum eſt: *gratis accepiſtis, gratis date*: tremendoque illo Divi Petri reſponſo: *pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam exiſtimaſti, Donum Dei pecunia poſſidere*: Fideles omnes admonentur, quam impia, & execranda ſint rerum ſpiritualium commercia; unde merito ſemper eccleſia Dei ſimoniæ vitium abominata eſt, & diabolicam hanc plantationem zelo Apoſtolicæ ultionis percuſſit. Itaque præſens ſynodus ſacris canonibus, ſummorumque pontificum conſtitutionibus inhærendo ſeveriſſime prohibet, ſub excommunicationis ſummo pontifici reſervatæ poena, ipſo facto incurrenda, aliiſque contra ſimoniacos ſtatutis, ne quid omnino quovis titulo, colore, aut prætextu, ſive directe, ſive indirecte, & per interpoſitas perſonas a conſecrandis, vel ordinandis accipiatur, aut exigatur, ſed omnia gratis diſtribuantur. (*a*)

(a) *Trid. ſeſſ. 21. c. 1. de ref.*

Præterea quia non debent liberi parentibus theſaurum parare, ſed parentes liberis, (*b*) præcipit, ut nihil omnino a clero ſive ſæculari, ſive regulari deinceps exigatur quovis titulo, vel prætextu, propter traditionem ſacrorum oleorum, vel antemenſalium, ſeu quamcumque aliam ob cauſam, præter ſolum cathedraticum, ſeu ſubſidium charitativum, quod pro neceſſaria, ac honeſta gradus ſubſtentatione ſacri canones epiſcopis concedunt, alioquin præter pœnam depoſitionis, excommunicatio ipſo facto incurratur, a qua nullus abſolvi poſſit, niſi prævia accepti, aut exacti reſtitutione.

(b) 2. *Cor.* 12. *Nicen.* 2. *Can.* 4.

Et quoniam non ſolum culpa, verum etiam culpæ ſuſpicio a ſacris miniſtris abeſſe debet (*c*); cenſuit eadem ſynodus, ut ii, qui epiſcopi conſecrandi erunt, jurent, ſe nullum premium pro ſacris ordinationibus, aliorumque ſacrorum diſtributione accepturos, (*d*) ſed in omnibus præſenti ſynodali conſtitutioni ſatisfacturos.

(c) *Trid. ſeſſ. 21. c. 1. de ref.*

(d) *Diurn. Rom. pont. cap. 3. tit. 6.*

Parochi etiam pro Sacramentorum adminiſtratione ne quid omnino a parochianis exigant directe, vel indirecte, aut verbis, vel ſignis petant, alioquin ipſo facto excommunicationem incurrant, & a Beneficio amoveantur: Quis enim veneretur, quod venditur, aut quis non vile putet, quod emitur? (*e*) Siquid autem a Parochianis peracto jam Sacramento, ſponte, & ex mera gratia, devotionis titulo offeratur, quominus licite accipiant, minime prohibentur.

(e) *Greg. lib. 7. ep. 114.*

Ne vero parochi deſtituti mediis ad victum neceſſariis, ex Sacramentorum adminiſtratione ſuam quærere ſuſtentationem aliquando cogantur, & ad turpes pactiones, & exactiones labi; ſanctæ ſynodo viſum eſt ſtatuere, ut, niſi populus, habito inter ſe conſilio, pro locorum qualitate, ac paupertate eccleſiæ, aliquid certi quotannis conferat, quo Dei miniſter vivere poſſit, eccleſia interdicatur (*f*).

(f) *Cap. 42. de Simon.*

Tandem ſi quid Patronis beneficiorum pro præſentatione obtinenda ordinandus obtulerit, aut ſolverit, omnino ab ordinatione repellatur, & una cum ſua pecunia in perditionem mittatur.

ANNO CHRISTI 1720.

Præterea jubet ſynodus, ut quilibet promovendus ad ſacros Ordines in manibus epiſcopi juret, ſe nihil eo intuitu dediſſe, aut contuliſſe, neque per ſe, neque per aliam perſonam, ac omnia ſervaſſe, quæ in ſequenti juramenti formula præſcribuntur.

Ego N. præſentatus &c. ad Beneficium, ſive Eccleſiam N. juro per ſacroſancta Dei Evangelia, quæ meis manibus tango, neque me Beneficii, aut Eccleſiæ obtinendæ cauſa, aut ut præſentarer, & nominarer, neque quem piam alium meo nomine, aut conſentiente, aut ſciente me, quidquam Collatori, Patrono, ſeu alii cuipiam ea de cauſa promiſiſſe, aut dediſſe, aut compenſaſſe, vel apud quemquam depoſuiſſe.

Neque mutuo dediſſe, vel locaſſe, vel mutuo datum, locatum, aut quocumque modo debitum remiſiſſe, aut relaxaſſe.

Nec de domibus, terris, prædiis, redditibus, ejus eccleſiæ fructibus, decimis, aut oblationibus ejuſdem præteritis, præſentibus, & futuris donationem, remiſſionem, ac locationem feciſſe, promiſiſſe, aut iniviſſe, aut alium, mandante, vel conſentiente me, promiſiſſe, feciſſe aut iniviſſe Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Noverint quoque Patroni Beneficiorum ſeſe excommunicationem ipſo facto incurrere, ſi quid præſentationis cauſa quocumque nomine, titulo, aut prætextu, directe, vel indirecte per ſe, vel per alios acceperint, aut exegerint ab iis, quibus Beneficia conferri poſtulant.

TITULUS XV.

De Studiis inſtaurandis, & Seminariis.

NEquaquam dubitandum eſt, quin litteræ adeo ſint eccleſiaſticis neceſſariæ, ut niſi ſcientia polleant, atque doctrina, nequeant ſuo muneri ſatisfacere, ex quo graviſſimum in eccleſiam Dei detrimentum emanat, ſi enim, ut ait Iſaias, *ſpeculatores eccleſiarum ſunt cæci, ſi neſciunt univerſi, ſi canes muti ſunt, non valentes latrare, ſi Paſtores ignorant intelligentiam, omnes a ſummo uſque ad noviſſimum in viam ſuam declinent neceſſe eſt*. (*g*) Quapropter ad noſtræ eccleſiæ promovendam reformationem cum maxime interſit ſacrarum literarum peritiam, ac ſtudia inſtaurari, viſum eſt ſtatuere, ut in ſingulis monaſteriis, ubi plures, quam duodecim religioſi aluntur, tum pro regularibus, tum pro Sæcularibus, qui accedent, erudiendis ſtudia theologica inſtituantur. Quæ vero minus opulenta ſunt, & pauciores habent monachos, aliquos juvenes felicioris ingenii, vel ad alia monaſteria mittant, ſtudiorum cauſa, vel penes ſe aliquid de morali theologia, lingua ſaltem vernacula continuo doceri curent a lectoribus aliunde, ſi fuerit opus, adſcitis. Quod ſi ſuperiores monaſteriorum negligentes fuerint,

(g) *Act. eccl. Med. lib. 3. c. 1.*

ANNO CHRISTI 1720.

rint, per loci ordinarium, ſin minus, Metropolitanum ad id compellantur. A

Verum quia Clero ſæculari ſtudia potiſſimum neceſſaria ſunt, utpote qui ad curam animarum una cum epiſcopis cooperari debet, Sancta ſynodus omnes hortatur reverendiſſimos epiſcopos, ut, ſi ſeminaria clericorum in ſua diœceſi inſtituere non poſſunt, aliquos ſaltem præſtantioris ingenii juvenes, & parochorum potiſſime filios ad collegium Pontificum Leopoli ſitum, literis, ac diſciplina eccleſiaſtica erudiendos, boniſque moribus inſtruendos mittant, ne meſſis aliquando ex defectu operariorum pereat (*a*).

(*a*) *Concil. 2. cap. Conc. g. ann. 49. cap.*

Præterea Sancta ſynodus approbat, & confirmat ceſſionem quadraginta millium florenorum, juriumque omnium inde proveB nientium in favorem collegii Leopolienſis factam a religioſiſſimo Proto-Archimandrita, & conſultorio ordinis Divi Baſilii Magni; publicumque ejuſdem ceſſionis inſtrumentum fieri juſſit; firmis tamen manentibus conditionibus, ſi quæ præſcriptæ fuerunt a reverendiſſimo defuncto epiſcopo Præmislienſi.

Laudat etiam zelum illuſtriſſimi, & reverendiſſimi Domini archiepiſcopi Metropolitani Ruſſiæ, epiſcopi Uladimirienſis, & Breſtenſis, quod ſeminarium jam erexerit ad cathedram Uladimirienſem pro ſex Alumnis, cui ſeminario adaugendo quoniam inſcripſit in bonis ſuis Menezyce, & Marcuſtaw nonaginta millia florenorum; ideo C præſens ſynodus hanc donationem gratiſſimo animo accipit, & confirmat.

Laudat quoque zelum reverendiſſimi archiepiſcopi Polocenſis, qui duos juvenes ad monaſterium Zurowicienſe, vel alium commodiorem locum: reverendiſſimi epiſcopi Luceorienſis, qui tres ad collegium Leopolienſe: reverendiſſimi epiſcopi Chetmenſis, qui duos ad ſeminarium Uladimirienſe: reverendiſſimi epiſcopi Leopolienſis, qui quatuor ad prædictum collegium Leopolienſe: reverendiſſimi epiſcopi Præmislienſis, qui unum ad idem Collegium Leopolienſe: reverendiſſimi epiſcopi Pinſcenſis, qui duos, aut unum ad aliquod monaſterium ſtudiorum D cauſa ſe miſſuros promiſerunt ſuis expenſis alendos; eoſque impenſe hortatur, ut promiſſis ſuis quamprimum ſatisfaciant, & poſteaquam aliquis juvenis, abſoluto ſtudiorum curriculo, e collegio exiverit, quo magis ſe idoneum præſtiterit ad ſacra munia obeunda, eo majori ſtudio ipſum promoveant.

Ut autem cæteri, præſertim qui pauperiores ſunt, pueri, a tenera ætate religionis myſteria, & literarum elementa doceri poſſint; curent reverendiſſimi epiſcopi, ut ſcholæ parochiales in Urbibus, Oppidis, & Pagis pro dignitate locorum, ſi collapſæ, aut interміſſæ fuerint, inſtaurentur, ac reaſſumantur, ſi conſervatæ, excolantur, & E augeantur. (*b*) Cenſuit autem Sancta ſynodus earumdem ſcholarum regimien, & inſpectionem ad parochos, & Decanos ſpectare, qui præcipue invigilent, ut pueri excolantur in rudimentis fidei, ac memoria teneant orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Dei, & eccleſiæ præcepta, ac, pro ratione ætatis, reliquum etiam catechiſmum, & ut præterea legere, & ſcribere diſcant.

(*b*) *Cap. 3. de vit. & hon. Cler.*

TITULUS XVI.

ANNO CHRISTI 1720.

De jejuniis, & feſtis.

Sicut populus jejuniis præter neceſſitatem gravari non debet, ita curandum eſt, ut ea ſervet, quæ juxta noſtræ eccleſiæ ritum, ac præſcriptum ſervanda ſunt: primum ſcilicet quadrageſimale incipiens a feria ſecunda poſt quinquageſimam uſque ad ſacri paſchatis diem, cui tamen præmittendum eſt jejunium unius ſeptimanæ cum lacticiniis: ſecundum in adventu, a decima quinta novembris, uſque ad nativitatem Chriſti Domini, cum abſtinentia a lacticiniis: tertium ante Aſſumptionem Deiparæ Virginis a prima Auguſti uſque ad decimam quintam: Quartum ante feſtum SS. apoſtolorum Petri, & Pauli, a prima Dominica poſt Pentecoſten uſque ad feſtum eorumdem ſanctorum apoſtolorum. Ab hoc tamen cenſuit, ruſticos, alioſque operarios, vel in parte, vel in totum abſolvi poſſe, propterea quod incidit in tempus, quo fruges colliguntur, eaque de cauſa vix ſervatur in Lithuania. Quintum ipſo feſto exaltationis ſanctæ Crucis: Sextum ipſo feſto Decollationis ſancti Joannis Baptiſtæ. Præterea per totum annum feria quarta, & ſexta cujusvis hebdomadæ. Monet autem ſancta ſynodus, ut ſicut omnes cum carnis illecebris colluctantur continuo, ita etiam ad eam refrænandam, ac iram Dei mitigadam Sacrum jejunium adhibeant, quod non minus neceſſarium eſt, quam vulneribus medicina (*c*).

(*c*) *Auguſt. in vet. & nov. Teſt. quæſt. 120.*

Ne vero ex multiplicatione feſtorum, quæ, ut eccleſiæ mens eſt, quandoque non obſervantur, contingat, ut augeantur peccata populi (*d*) prohibet ſynodus parochis ſub graviſſima poena arbitrio ordinarii, ne præter diem Dominicam, alia feſta celebrent, aut populo denuncient, quam ea, quæ ſequuntur.

(*d*) *Urb. 191. nov. 8. conſt. 191. nov. Bull.*

FESTA IMMOBILIA.

In Januario.

Die prima. Circumciſio Chriſti Domini, & ſancti Baſilii Magni.

Die ſexta. Epiphania Chriſti Domini.

Die trigeſima. ſanctorum Baſilii Magni, Gregorii Nazianzeni, & Joannis Chryſoſtomi.

In Februario.

Die ſecunda. Purificatio Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

In Martio.

Annunciatio beatiſſimæ Virginis Mariæ.

In Aprili.

Die Vigeſima tertia, ſancti Georgii martyris.

In

ANNO CHRISTI 1720.

In Majo.

Die octava. Sancti Joannis Apostoli, & & evangelistæ.
Die nona. Translatio Sancti Nicolai.

In Junio.

Die vigesima quarta. Nativitas sancti Joannis Baptistæ.
Die vigesima nona. Sanctorum Petri, & Pauli apostolorum.

In Julio.

Die vigesima. Sancti Heliæ Prophetæ.
Die vigesima quinta. Sanctæ Annæ.

In Augusto.

Die sexta. Transfiguratio Christi Domini.
Die decima quinta. Assumptio beatissimæ Virginis Mariæ.
Die vigesima nona. Decollatio sancti Joannis Baptistæ.

In Septembri.

Die octava. Nativitas Beatæ Mariæ Virginis.
Die decima quarta. Exaltatio sanctæ Crucis.
Die decima sexta. Beati Josaphat martyris.
Die vigesima sexta. Sancti Joannis evangelistæ.

In Octobri.

Protectio beatissimæ Mariæ Virginis.

In Novembri.

Die octava. Sancti Michaelis Archangeli.
Die vigesima prima. Præsentatio Beatissimæ Mariæ Virginis.

In Decembri.

Die sexta. Sancti Nicolai.
Die nona. Conceptio beatissimæ Virginis.
Die vigesima quinta. Nativitas Christi Domini.
Die vigesima sexta. Sancti Josephi.
Die vigesima septima. Sancti Stephani.

FESTA MOBILIA.

Pascha.
Ascensio Christi Domini
Pentecostes.
Sanctissimæ Trinitatis.
Festum Corporis Christi Domini.
Festum dolorosæ B. Mariæ Virginis feria sexta-decima post Pascha.

A FESTA SEORSIVA.

Die vigesima septima Julii. Sancti Pantaleonis martyris in Volhynia.
Die secunda Maii, & vigesima quarta Julii Sancti Romani, & Davidis in Lithuania.

Cæterum quia festa non ideo instituta sunt, ut populus liber ab opere servili, vel comportationibus, & saltationibus, vel nundinis, & aliis prophanis actionibus vacet, sed ut ad ecclesiam, quum divina officia celebrantur, conveniat, ac dies illos pietatis operibus Deo consecret (*a*): idcirco omnes hortatur sancta synodus, non solum, ut B divinis officiis, sacræ concioni, vel lectioni, ac Christianæ doctrinæ intersint, prout debent, verum etiam ut ab illicitis, vel ad illicita trahentibus omnino abstineant, & ut observent, quemadmodum ait divus Augustinus: (*b*): *Diem Sabbathi non carnaliter, non deliciis Judæorum, qui otio abutuntur ad nequitiam: Melius enim tota die foderent, quam saltarent, aut etiam biberent.*

Præterea quia scriptum est (*c*): *Memento ut diem Sabbathi sanctifices, non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas:* admonet eadem sancta synodus dominos omC nes, ut subditos suos, qui & ipsi pretioso Christi Domini Sanguine redempti sunt, ad ecclesiam potius, quam ad opera præstanda compellant (*d*) nisi pro ipsorum animabus rationem reddere velint.

(a) *Nico I. ad co sult. Bul gar. c. 1*

(b) *Enar rat. in P 32. n. 8.*

(c) *Exo cap. 20.*

(d) *Conc Rothom. apud Re gin. de Ec clef. discip lib. 2. c. 416.*

TITULUS XVII.

De reliquiis, miraculis, ac veneratione sanctorum.

HUmani generis hostis tantæ sunt insidiæ, ut sæpe-numero falsis miraculis, & illusionibus Christi fideles simplices, ac pios in errorem inducere possit. Qua de D causa sancta synodus decernit, ut nulla posthac nova miracula admittantur, nisi ab episcopis rite probata, & examinata fuerint.

Reliquias sanctorum, quæ olim Spiritus Sancti templum, ac Christi viva membra fuerunt, quamquam synodus venerandas esse, ac magna cum reverentia decenter in ecclesiis custodiendas profiteatur; tamen, ne quæ obtrudantur ad cultum, quarum identitas aut dubia sit, aut minime certa, episcopi diligentem inquisitionem adhibeant in actu visitationis, ac deinde statuant quod veritati, ac pietati consentaneum judicaverint (*e*).

E Georgium Palamam non solum uti sanctum coli, aut festo die celebrari, verum etiam eum in nostra ecclesia nominari deinceps prohibet Sancta synodus sub poenis contra schismaticos præscriptis.

(e) *Trid. in Decret. de Invoc. vener. & reliq. sanctor.*

TI-

ANNO CHRISTI 1720.

TITULUS XVIII.

De pensionibus pro dominis deputatis ad tribunal regni.

CUm dignus sit operarius mercede sua, ac domini ecclesiastici deputati judices ad tribunal regni causis etiam nostræ ecclesiæ tuendis non sine molestia, labore, & sumptu strenue incumbant: visum est sanctæ synodo certa ipsis subsidia assignanda esse. Quapropter statuit, ut ex dioecesi Uladimirensi floreni centum: ex Luceoriensi centum: ex Leopolensi, & Camenecensi centum: ex Præmislensi centum: & ex Chetmensi, & Berzensi quinquaginta eisdem quotannis numerentur. Abbates vero confetent juxta taxam a Metropolitano præscribendam.

TITULUS XIX.

De synodalibus constitutionibus.

DEnique quia supervacaneum esset leges condere, nisi earum notitia, ad eos, qui iisdem teneri debent, deveniret; curent reverendissimi episcopi, ut hujus synodi decreta in dioecesanis conventibus legantur, ac promulgentur post tres menses a die, quia valvis Metropolitanæ ecclesiæ affixa fuerint.

Statutum est præterea, ut libellus constitutionum in linguam etiam Vernaculam, pro majori totius cleri commoditate, vertatur, imprimatur, ac cuilibet parocho, & monasterio, justo, ac moderato pretio distribuatur per reverendissimos episcopos, ut quisque non solum imposterum scite, verum etiam, quæ ad suum officium spectant, diligenter exequi possit: alioquin puniendus arbitrio ordinariorum, ac pro ratione culpæ, si neglexerit.

Omnia vero, & singula, quæ in hac sacra synodo acta, & decreta sunt, antequam promulgentur, sanctæ Romanæ ecclesiæ omnium matris, & magistræ prius emendanda, corrigenda, ac confirmanda, ea, qua debemus obedientia, ac reverentia auctoritati subjicimus.

Cæterum si quis debito in loco aut non sedit, aut sententiam non tulit, aut non subscripsit, nulli propterea præjudicium aliquod illatum esse volumus. Laus, & gloria Deo optimo maximo, nunc, & semper Amen.

H. archiepiscopus Edessenus nuncius apostolicus synodi præsidens.

Leo Kiska archiepiscopus Metropolitanus totius Russiæ man. prop.

Josephus de W. Wyhowski comes S. R. I. Exarcha totius Russiæ episcopus Luceoriensis, ac Ostrogiensis man. prop.

Florianus Hrebnicki archiepiscopus Polocensis episcopus Vitebscensis, Mscislaviensis, Orsanensis, Mohiloviensis; salva futura decisione sanctæ sedis apostolicæ, ac præcedentia man. prop.

Athanasius Szeptycki episcopus Leopoliensis, Halicisnsis, & Camenecensis Podoliæ, Archimandrita Uniovensis

Laurensius Drucki Sokoliriski archiepiscopus Smolensensis Severiensis &c. man. prop.

ANNO CHRISTI 1720.

Josephus Lewicki episcopus Chetmensis man. prop.

Hieronymus Ustrzycki episcopus Præmislensis man. prop.

Theophilus Godebki episcopus Pinscensis, & Turoviensis man. prop.

Joannes Chrysostomus Radzymirisk Fraekiewicz Archimandrita Czerejensis.

Antonius Zawadzki ordinis Divi Basilii Magni congregationis sanctissimæ Trinitatis proto-Archimandrita man, prop.

Innocentius Piehowicz ordinis Divi Basilii Archimandrita Mielecensis.

Januarius Okorcewicz ordinis Divi Basilii magni Archimandrita Dermanodubnensis man. prop.

Sylvester Terawshi ordinis sancti Basilii Archimandrita Dorchobusensis man. prop.

Jacobus Solikowski abbas Cobrensis ordinis Divi Basilii magni pro-consultor man. prop.

Polycarpus Filipowicz ordinis Divi Basilii magni Archimandrita Lescinensis.

Patritius Bielski ordinis Divi Basilii magni Archimandrita Ourucensis.

Absoluta horum decretorum lectione, recitatisque precibus in pontificali Romano præscriptis, illustrissimus, ac reverendissimus dominus nuncius apostolicus, & præsidens synodalis, illustrissimis, ac reverendissimis dominis præsulibus pro hac synodo congregatis præbuit osculum pacis, ipsamque synodum Hymno: *Te Deum laudamus &c.* concluslt, quo finito, memoratus illustrissimus, ac reverendissimus dominus nuncius apostolicus præfata decreta manu propria subscripsit, & idipsum fecerunt illustrissimi, ac reverendissimi domini Leo Kyszka archiepiscopus metropolitanus Kyovensis, Halicensis, & totius Russiæ episcopus Uladimirensis, & Brestensis: Josephus Wykowski Exarcha totius Russiæ episcopus Luceoriensis, & Ostrogiensis: Florianus Hrebuicki archiepiscopus Polocensis, episcopus Vitebscensis, Mscislaviensis, Orsanensis, Mokilovensis: Athanasius Szeptycki episcopus Leopoliensis, Halicisnsis, & Camenecensis Podoliæ: Laurentius Drucki Sokoliniski archiepiscopus Smolensensis, Severiensis &c. Josephus Lewicki Chetmensis Hieronymus Ustrzycki Præmislensis, episcopi: ac Theophilus Godebski episcopus Pinscensis, & Turoviensis; sub tempus synodi, nimirum die octava mensis Septembris juxta novum Kalendarium, ipsa festa Nativitatis Beatissimæ Mariæ Virginis in ecclesia collegiata Zamocensi consecrata; necnon reverendissimi Proto-Archimandrita, & Archimandritæ in eorum subscriptionibus specificati. Ac insuper prædictus illustrissimus, ac reverendissimus dominus archiepiscopus Metropolitanus, tum & illustrissimi domini ejus co-episcopi juramentum corporale de iisdem decretis, postquam a sancta sede apostolica fuerint approbata, exactissime observandis, in manibus prælibati illustriss. D. nuncii apost. & præsidentis synodalis, tactis sacrosanctis Dei Evangeliis, præstite-

ANNO CHRISTI 1720.

runt. Acta hæc sunt Zamoscii in ecclesia parochiali tituli protectionis Beatissimæ Mariæ Virginis, & sancti Nicolai, ritus Græci uniti, Anno, Indictione, Pontificatu, diebus, & mensibus, quibus supra. Præsentibus perillustribus, illustribus, ac admodum reverendis dominis, Joanne Wenton, & Christophoro Udsycki cathedralis Chetmensis, M. Valentino Wcistowski, & M. Paulo Kuuk philosophiæ doctoribus, collegiatæ Zamoscensis canonicis, necnon admodum reverendis patribus Stephano Trombetti clerico regulari, collegiorum pontificiorum Armeni, & Rutheni Leopolien. præfecto: Joanne Antonio Fabri præposito parochialis sanctæ Crucis Varsavienfis, & domus ibidem superiore, ac per Poloniam, & Lithuaniam visitatore congregationis missionis: & Patritio Brodowschi ordinis minorum sancti Francisci Conventualium Provinciæ Russiæ ministro provinciali, aliisque pluribus testibus fide dignis circa præmissa habitis.

Et quia ego Stephanus Skwarczynski publicus sacra authoritate apostolica, ac suprascriptæ synodi notarius, & memorati illustrissimi, ac reverendissimi domini, domini nuncii apostolici in Regno Poloniæ Vicecancellarius dum omnia, & singula in præfata synodo gesta, fierent, una cum testibus supraspecificatis præsens, & personaliter interfui, ac dum ipsa decreta, seu acta synodalia tum per ipsum illustrissimum, ac reverendissimum dominum nuncium apostolicum, & præsidentem synodalem, tum per illustrissimos, ac reverendissimos dominos Metropolitam, & ejus coepiscopos, atque reverendissimos Proto-Archimandritam, & Archimandritas eorum propriis manibus subscriberentur, vidi, & observavi; ac juramentum, dum per eosdem illustrissimos, ac reverendissimos dominos Metropolitam, & coepiscopos præstaretur, auscultavi; ideo præsens desuper manu mea propria scriptum, & subscriptum, ac signo notariatus mei publici, quo in similibus utor, communitum extradidi Instrumentum rogatus, & requisitus &c.

Stephanus Skwarczynski Not. & Cancell. qui supra man. prop.

PAROCHUS.

Questiones in visitationibus indagandæ.

UNnus ne an plures?

An habeat titulum sufficientem provisionis legitimæ inscriptæ, ab officio approbatæ?

An habeat legitimam præsentationem, institutionem, a quo, & quando introductus?

An illis reperiantur defectus aliqui essentiales, & quales?

An habeat ordinationis formulas?

An habeat libros parochiam concernentes, videlicet, Baptizatorum simul confirmatorum, status animarum, Matrimoniorum, & mortuorum.

An habeat Archivium, in quo scripturas, fundationes, munimenta ad ecclesiam spectantia sub clavi custodiat?

An resideat in parochia, vel frequenter ab ea absit?

An suorum domesticorum habeat curam, ut christianam vitam ducant, rudimenta Fidei sciant, & orationes quotidianas mane & vespere absolvant?

An pueros, & puellas mysteria fidei, orationem Dominicam doceat saltem diebus Dominicis, an habeat sermonem ad populum, an Festa, & jejunia denunciet?

An diebus Dominicis, & Festis Sacrificium pro populo parochiæ suæ applicet?

An aliquod Testamentum confecerit, & illi satisfieri curaverit juxta mentem Testatoris?

An habeat penes se coadjutorem sufficienter provisum?

An in administratione Sacramentorum sit diligens; an facilem, & paratum se ostendat ad audiendas confessiones; ad eundum ad infirmos sine ulla mora?

An ipsius negligentia aliquis Infans sine Baptismo, vel Infirmus sine Confessione, Viatico, & extrema Unctione mortuus fuerit?

An Sacramenta ministret cum debita vestium sacerdotalium honestate?

An Sacramenta, & sacramentalia sub clave custodiat?

An domi cohabitet cum mulieribus, & quæ sint?

An habeat sacra Biblia, aliosque libros pietatis, & doctrinæ ad suum officium pertinentes? præsertim an habeat acta, & decreta synodi provincialis Zamoscienfis: rituale novum, missalia correcta, cathechismum pro doctrina christiana, librum moralem Illyrica lingua typis mandatum? an habeat librum aliquem concionatorium, ex quo possit se præparare ad dicendum aliquid ad captum populi? an præfatos libros legat, & non negligat?

An, & quoties in hebdomada sacrum faciat? an celebret recitato matutino cum laudibus, & cum paramentis integris, & mundis?

An ante celebrationem Missæ tabaccum sumat, quod est vetitum in synodo. Quoties confiteri soleat?

An ante missam, præparationem, intentionem; & post missam, gratiarum actionem devote faciat.

An quotidie recitet divinum officium statutis horis, & in quo loco.

An interfit processionibus, & aliis functionibus ecclesiasticis publicis loci, in quo permanet?

An habeat decentem coronam, & tonsuram capillorum?

An cum rusticis compotationibus, & ebrietatibus vacet?

An implicet se negotiis sæcularibus mercaturam exercendo?

An sit in possessione pacifica limitum suæ parochiæ?

An lites patiatur, quas, a quo, & de quo?

An habeat aliquod inventarium rerum circa introductionem sibi relictarum?

An adsit rusticorum conviviis, & quas ibidem norer superstitiones? an has in præsen-

ANNO CHRISTI 1720.

sentia sui permittant fieri? verbi gratia, ut de quolibet ferculo in mensam, vel sub mensam, aut extra postes effundatur? vel similia.

DIACONUS.

AN vitam ducat exemplarem ad ædificationem Laicorum.

An habeat penes se libros tam spirituales, quam morales catechismi, & summam Theologiæ moralis typis impressam, ex qua addiscat necessariam scientiam, ut seipsum salvum faciat, & eos qui se audiunt?

An semper incedat cum tonsura, & veste clericali?

An libenter, & quam frequenter missam audiat, illique saltem diebus festis inserviat?

An doctrinam christianam bene calleat, ut alios doceat? an communionem frequentet, & scholam?

Conc. Trid. sess. 23. c. 11. 23. 14.

An cauponas frequentet cum rusticis, saltet, inebrietur

An cum mulieribus cohabitet, & quæ sint?

ECCLESIA.

ECclesia qualis, an murata, vel lignea, an solida, firma, vel potius ruinosa, an indigeat reparatione?

An cum licentia episcopi, & cum dote erecta?

An sit, & qualiter circumsepta?

Quot sint altaria? an debite, & ad præscriptum synodi Provincialis ornentur? quæ, & quot sint super altari mappæ? an inter duas superiores sit inclusum antemissale: an mappæ mundæ sint descendentes ab utroque latere altaris usque ad suppedaneum?

An sint pulvinaria super altari?

An altaria sunt proportionatæ latitudinis, longitudinis, & altitudinis, Crucifixo in facie munita?

An ecclesiæ pavimentum sit lateribus, vel asseribus stratum?

An valvæ, & campanile indigeant reparatione? campanæ quot?

An in Sacrario adsint supellectilia ecclesiastica ad sacrificium requisita, calices, patenæ quot, & quales? purificatoria, corporalia, bursæ, pallæ, vela ad velandum calicem, pelviculæ, cum ampullis, manutergia, humeralia, albæ, cinguli, stolæ, planetæ, sive cappæ, missalia, ritualia schismatica ne, an correcta? Psalteria ministrorum, superpellicea, campanulæ minores, candelabra, aliaque ornamenta necessaria? sub numero, quot, & qualia? exprimenda.

An sint armaria pro sacris vestibus, linteaminibus, & alia supellectilia ecclesiastica munde, & decenter asservanda?

An habeatur inventarium supellectilis ecclesiasticæ?

An fores, & fenestræ ecclesiæ sint solidæ, & bene munitæ, & clavibus clausæ, quæ in manu parochi remanere debent?

An adsit aqua lustralis munda? an quolibet die Dominico renovetur?

An thuribulum sit cum navicula, cochleari?

RELIQUIÆ.

ANNO CHRISTI 1720.

AN sint in ecclesia reliquiæ alicujus sancti, authenticæ ne, vel ignotæ, aut dubiæ? quomodo, & a quo donatæ; an ab episcopo recognitæ(

An decenter custodiantur in thecis saltem ligneis deauratis, mundo vitro contentis cum suis inscriptionibus?

An cum thecis in aliquo armariolo asserventur sub clavi.

An portentur ad infirmos? quod prohibendum est.

An ad expositionem illarum accendantur luminaria? vel cum reliquiæ sacræ sunt sub altari decenter an retineatur ibi lampas?

IMAGINES.

AN imagines in ecclesia sint honestæ, integræ, & decenter depictæ, & quot?

An anteaquam sint expositæ prius ab episcopo benedictæ, & approbatæ?

An sacræ imagines sint depictæ in locis alicui irreverentiæ obnoxiis?

An inveniantur deformes, & deturpatæ? quæ erunt tollendæ, & restaurandæ.

An Imagines Jesu Christi, Beatissimæ Mariæ, apostolorum, evangelistarum depictæ sint sub forma ad ecclesia non usitata? verbi gratia in habitu regularium & tales ad morem ecclesiæ bebent reformari.

An habeantur vexilla cum Imaginibus honesta?

INDULGENTIÆ.

AN quæ sint concessiones indulgentiarum, & pro quibus festis, vel temporibus? producantur brevia concessiva indulgentiarum, illarumque tempus an expiraverit? videatur.

An publicentur absque licentia ordinarii?

An non fingantur aliquæ indulgentiæ, vel miracula prætextu quæstus, & collectarum lucrandarum?

BAPTISMUS ET CONFIRMATIO.

AN pro ministrando sacramento baptismatis sint in promptu omnia necessaria. 1. Aqua juxta antiquum ritum benedicta? 2. oleum catechumenorum in sufficienti copia?

An habeatur sacrum chrisma pro confirmatione baptizati, hoc anno ab episcopo acceptum?

An patrini plures, quam duo admittantur? aut impuberes Hæretici, ignari mysteriorum fidei.

An obstetrices sint examinatæ, & approbatæ, sciantque formam essentialem baptismi, pro casu necessitatis, & rudimenta fidei?

An baptismus infantium protrahatur ad tres dies? vel an non imponantur nomina Ethnicorum?

An nomina baptizatorum scribantur in me-

ANNO CHRISTI 1720.

metrica, juxta formam in ſynodo præſcriptam, ſine mora, & periculo oblivionis?.

An hoc ſacramentum extra caſum neceſſitatis conferatur domi, exceptis filiis principum?

An admittantur unus patrinus maſculo, vel una matrina puellæ ad confirmationem? præter patrinos baptiſmi?

An ſciat parochus, informetque patrinos eos cum baptizato, & confirmato, & ejus parentibus contrahere cognationem ſpiritualem? qualique forma ad confirmationem utatur?

EUCHARISTIA.

AN aſſervetur in tabernaculo affabre facto, ab extra majori ex parte deaurato, interius ſerico veſtito, in pyxide argentea, vel ſaltem ſtannea cum operculo, & Conopæo, ſuper corporali mundo?

An oſtium tabernaculi ſit firmiſſima ſera, & clavi clauſum, quam ſolus ſacerdos retineat, vel in ſacrario aſſervet?

An particulæ conſecratæ ſingulis octo diebus, vel ſaltem quindecim renoventur, & antiquæ ſpecies cum fragmentis an in ſacrificio conſumantur?

An ante altare, & tabernaculum diu, noctuque luceat lampas, vel ſaltem diebus feſtivis, tempore ſacrificii?

An aliquid præter pyxidem cum ſanctiſſimo in tabernaculo quantumvis ſacrum aſſervetur? quod ſi fiat, removeatur.

An delatio euchariſtiæ debita cum reverentia fiat, cum Luminibus, Baldechino, vel Umbella?

An non communicantes in paſchate monuerit, nominaque eorum ad curiam epiſcopalem tranſmiſerit, qui communionem paſchalem facere noluerunt?

POENITENTIA.

AN hoc ſacramentum miniſtretur de die in eccleſia in confeſſionali conſueto cum ſtola?

An in confeſſionali pro auriculari confeſſione ſint crates ligneæ?

An audiat confeſſiones mulierum, puellarum, extra ſedem confeſſionalem, nulla interpoſita crate? quod prohibendum eſt.

An ſciat, vel habeat tabellam bullæ Cœnæ Dom., & caſuum reſervatorum Summo Pontifici, & epiſcopo, affixam ipſi confeſſionali.

EXTREMA UNCTIO.

AN habeat oleum ſufficiens pro ungendis infirmis? an in vaſe ſtanneo ſaltem, quomodo illud ſignatum ut diſtinguatur vas ſacri chriſmatis.

An in eccleſia, in proprio armariolo, ſub clavi aſſervetur.

An ſciat infirmus in ſua parochia, an viſitet illos, vel vocatus etiam de nocte ad audiendam confeſſionem, dandumque Viaticum, ire non detrectet?

An in defectu ſacerdotum aliorum, ipſemet benedicat Sanctum pro infirmis oleum, & miniſtret prout valide, & licite poteſt? ex mente etiam ſynodi provincialis.

An pueris uſu rationis carentibus, furioſis lucida intervalla non habentibus, vel ſine poenitentia decedentibus conferant Extremam Unctionem?

MATRIMONIUM.

AN Matrimonia ter ſeorſivis diebus dominicis, vel feſtis denunciet, antequam ſponſos conjungat; an in uno feſto id præſtet?

An ante denunciationes, interroget; num ſint legitimæ ætatis, utrum ſciant myſteria fidei, an non conſanguinei ſibi.

An advertat, ne ſponſi ante contractum matrimonium ſimul maneant, & converſentur ſine cuſtodia parentum, vel conſanguineorum.

An impedimenta matrimonii ſciat, & publicet populo ſaltem bis in anno.

An vagos, exteros, vel eos, qui a diœceſi diu abſentes fuerint ſine licentia epiſcopi, & teſtimonio de libera vita eorum, conjungat.

An parochus deſcribat matrimonio, junctos hac eadem die.

An matrimonia conjungat domi, non in eccleſia, ſine facultate epiſcopi, vel vicarii ejus? an temporibus ab eccleſia prohibitis. An interſit nuptiis, & choreis, & pariter cum ruſticis compotationi cum ſcandale vacet.

MISSA.

AN ad ſacrum celebrandum admittat exteros, abſque literis teſtimonialibus, non habentes coronam vel veſtem clericalem.

An adſint ſacerdotes, qui indevote, propere ſacrum celebrent, & quomodo ipſe?

An ſciat cæremonias conformes miſſalis correcti rubricis.

An moneat parochianos, eos teneri ſub peccato mortali, die dominico, & feſtis diebus audire miſſam.

An habeat vinum pro Miſſis, & an a Judæis acquirat? pro communicando populo an habeat copiam vini; an non miſceat alios liquores.

An ipſe ſibi pro ſacrificio panem conficiat, an ex tritico puro, vel admixto.

An ante miſſam per triduum ab uſu matrimonii abſtineat.

An tempore miſſæ oculis immodeſtis circumvagetur.

FU-

ANNO CHRISTI 1720.

FUNUS.

AN in funeribus adſint abuſus, puta, quod cadavera aſſocientur ſine cruce, ſine lumine, & ſine parocho, cum ululatu, threnis conſanguineorum, ubi mulieres evellunt ſibi crines more Gentilium.

An cadavera defunctorum ante ortum, vel poſt occaſum ſolis deferantur abſque licentia?

An tradantur ſepulturæ ante lapſum temporis viginti ad minus horarum; eorum vero, qui repentina morte extincti, ante lapſum viginti quatuor horarum poſtquam animam e corpore exhalaſſe pro certo habeatur?

An parochus; aliive ſepulturam denegent, aut differant, prætextu non ſolutæ eleemoſynæ? & an pauperes gratis ſepeliantur?

An in eccleſia adſit ſepulchrum pro parvulis decedentibus poſt baptiſmum ante ſeptennium?

An coemeterium, (quod eſt locus religioſus) ſit undique circumſeptum; an aliquando non pollutum, vel violatum, & per quem?

An ſacerdos præter quartam funeralium pro cadaveribus extra parochiam ſepultis, aliquid aliud exigat ab hæredibus defuncti? quod vetitum eſt.

An in eccleſiis monialium ſepeliantur cadavera laicorum, marium, ſive Mulierum, ſine licentia? ſi hoc fieret, interdicatur.

CONFRATERNITAS LAICORUM.

AN confraternitates laicorum ſint legitime erectæ, & habeant ſtatuta authoritate apoſtol. vel ordinaria approbata?

An bona & eleemoſynæ, redditus annui, cenſus redemptionales fideliter adminiſtrentur, & connotentur?

An habeant varios libros, primum, in quo nomina confratrum inſcripta ſint? ſecundum, in quo contineantur reſolutiones de communi conſilio ſtatutæ? tertium, qui, ſi quæ ſunt inter ipſos judicia, contineat ſententias damnatorias, abſolutorias in reos latas?

An officiales a plena confratrum congregatione ſingulis annis eligantur; an perceptæ, & expenſæ ſummæ calculentur?

An habeant inventarium omnium, & ſingulorum bonorum, rerum?

An habeant jus patronatus præſentationis cappellani, & num is ſit in integritate vitæ, & morum exemplaris?

An ſeniores tempeſtive ea, quæ eccleſiæ ſubminiſtrare tenentur, provideant?

An habeant archivum, quo ſcripturæ confraternitatis; alterum, in quo ſupellex ſerventur?

An debitores confraternitatis confratres bona ejuſdem adminiſtrent? an fideles, & conſcentioſi in adminiſtratione bonorum confraternitatis exiſtant?

A An confratres interſint proceſſionibus publicis?

ANNO CHRISTI 1720

HOSPITALE.

HOſpitalia qualia ſint, murata, an lignea?

An habeant erectiones cum approbatione ordinarii, pro quot perſonis?

An habeant bona ſibi incorporata, & legationes ſummaſque aliquas?

Sub cujuſnam directione maneant?

An proviſores calculum perceptorum, & expenſarum alicui reddant?

B An ſint duo cubicula in hoſpitali ſeparata pro viris, & feminis.

An mane & veſpere conſuetas, & quas preces, pro benefactoribus, fundatoribus abſolvant, miſſamque ſaltem diebus dominicis, & feſtis audiant?

An ſint inſtructi de rudimentis fidei, & neceſſariis ad ſalutem animæ.

An frequentent peccatorum confeſſionem, & ſacram communionem?

An modeſte, & pacifice ſe gerant? an non ſint aliqui, vel aliquæ rixoſæ, contentioſæ?

An qui, vel quæ ſint otioſæ, ſcandaloſæ, inhoneſtæ?

C An aliqua vetula ſit ſuſpecta, & notata (Deus avertat) de veneficio, ſuperſtitionibus, aliiſque vitiis, & peccatis?

An in eodem hoſpitali, & cubiculo ſimul maritus, & uxor ſoleant cohabitare, & pernoctare in eodem lecto?

An eleemoſynas ſibi datas fideliter inter ſe diſtribuant? an pro communi commodo convertant?

An infirmis exhibeantur poſſibilia chriſtianæ charitatis officia, & ſubſidia?

An invitati ad funebres menſas & convivia, debitam in illis ſervent temperantiam, & modeſtiam?

An aliquam ſuſpectam amicitiam mares D cum foeminis inire conſueverint.

REGULARES.

An non ſint plures in monaſteriis, quibus alendis redditus non ſufficiant?

An ſit certus numerus eorum determinatus?

An non recipiantur ad monaſterium, niſi qui habent qualitates præſcriptas a conſtitutionibus apoſtolicis?

An non admittantur ad profeſſionem religioſam, niſi poſt integrum annum in novitiatu abſolutum?

An poſt profeſſionem proviſum ſit ſtudenE tibus de docto, & prudenti profeſſore, qui illos doceat ſaltem Theologiam moralem lingua vernacula, ſi linguam latinam non calleant?

An eleemoſynas quærant, licet non indigeant. An incedant per loca ſine ſocio, & an vagentur de nocte?

An ſe ingerant in adminiſtrationem bonorum ſpectantium ad ſocietatem laicorum in eorumdem eccleſiis erectas?

An

ANNO CHRISTI 1720.

An ſacramenta infirmis miniſtrent invito parocho?

An accedant ad monaſterium monialium abſque licentia?

An cappellaniam aliquam in aulis principum, vel Altariam in eccleſiis latinis acceptaverint.

MONIALES.

AN muri vel parietes Clauſuræ habeant proſpectum activum, vel paſſivum in domos, vel e domo ſæcularium?

An manſiones confeſſarii monialium exemptarum ſint penitus ſeparatæ a monaſterio?

An moniales extra clauſtra egrediantur, & vagentur per oppida ſub prætextu neceſſitatis, abſque licentia epiſcopi? quod prohibitum eſt ſub poena excommunicationis latæ ſententiæ.

An admittant intra clauſuram monaſterii aliquas perſonas ſive laicos, ſæculares, ſive regulares, quibus ſub poena excommunicationis talis ingreſſus prohibetur?

An ſcribant epiſtolas extra clauſuram abſque licentia Abbatiſſæ?

An utantur feneſtella ubi audiuntur confeſſiones, ad colloquendum cum exteris?

An pauperes moniales debitam fundationem non habentes ſervent in monaſterio unam, vel duas probatæ vitæ, & famæ puellas juratas, quæ labores manuum religioſarum fideliter vendant extra clauſtrum, & pretium exacte reddant in manus abbatiſſæ, quæ totum in communes neceſſitates expendet?

An adſit in monaſterio capſa communis, in qua deponantur omnes pecuniæ provenientes a monialibus particularibus?

An admittantur exteri ad colloquendum cum monialibus abſque licentia in ſcriptis epiſcopi, vel vicarii generalis?

An introducantur in clauſuram catuli, pueri, vel puellæ cujuſcumque ætatis, exceptis juratis puellis ab epiſcopo approbatis pro ſola neceſſitate Monaſterii?

An ſerventur electæ, & deputatæ auſcultatrices, Rotariæ, & Oſtiariæ?

An habeat abbatiſſa, vel procuratrix, ſive æconoma libros bene compactos? in quorum primo deſcribantur quotidianæ eleemoſinæ perceptæ, & expenſæ, de quibus poſſit in fine officii rationem reddere ſuæ adminiſtrationis. In altero per modum inventarii, deſcripta ſint bona ſtabilia, Jura, cenſus, & credita monaſterii, cum indicatrione inſtrumentorum, rogituum monaſterii. In tertio libro regiſtrentur reſolutiones capituli monialium, admiſſiones puellarum ad habitum, & profeſſionem cum expreſſione diei, menſis, & anni. Quos libros ſi non inveniet viſitator tempore viſitationis omnino ante aliam viſitationem paratos eſſe curet, & jubeat.

An in monaſterio adſit locus ſeparatus pro educandis exteris Virginibus, & pro novitiis ſeparatus?

An omnes moniales ducant vitam communem? ut nihil habeant, nihil ſervent, nihil donent, aut recipiant tamquam proprium abſque licentia abbatiſſæ, & aliqua juſta ratione?

An omnes ſumant cibum in Refectorio tempore menſæ, ex communi culina, & ærario paratum?

An parent cibos exteris, vel eiſdem mittant, vel ab iis recipiant, abſque expreſſa licentia & ſcientia abbatiſſæ, & monaſterii?

An admittantur regulares ad celebrandum ſacrum in eccleſia abſque licentia epiſcopi, vel vicarii generalis?

An omnes moniales ſemel ſaltem in menſe confiteantur, & ſumant Euchariſtiam? an frequentius ex conſilio patris ſpiritualis?

An omnes quotidie audiant Sarificium miſſæ?

Quoſnam libros devotos, ſtel prophanos legant, vel an tempore menſæ fiat lectio alicujus libri ſpiritualis, & an ſervetur ſilentium?

Viſitet dormitorium, ſeu cellas, & obſervet, an unaquæque monialis habeat lectum ſeparatum?

An habitus eorum ſit uniformis, & an ad præſcriptum regulæ?

Inquirat caute, & prudenter de vita, moribus, & directione confeſſarii, an curioſitate aliqua, affectione privata, vel averſione ducatur? an oſtendat ſe partialem, vel fautorem aliquarum inter ipſas factionum, ſive differentiarum?

An idem, ſive moniales aliquæ ſecreta monaſterii, occultos defectus cum periculo infamiæ totius monaſterii, aliis extra Clauſtrum, ad quos non pertinet, revelent? an ſint curioſæ in indagandis, & reſciendis novis extra clauſtrum? an conſulto tales retineant, vel foveant perſonas, a quibus talia expiſcentur?

An in eccleſiis monialium ſine licentia ſacræ congregationis tumulentur cadavera laicorum, marium ſive mulierum? niſi ſint patroni eccleſiæ, qui ſibi, & hæredibus hoc jus in fundatione reliquiſſent, vel cum licentia ſacræ congregationis, & monialium ſepulchrum extruxiſſent.

Ex actis originalibus ſynodi provincialis provinciæ Ruſſiæ, Ritus Græci uniti extractum.

Stephanus Skuvarczynski publicus ſacra authoritate apoſtolica, ac ſynodalis Notarius, & nunciaturæ Apoſtolicæ in Regno Poloniæ Vice-Cancellarius, man. prop.

Hic-

ANNO CHRISTI 1720.

Hieronymus Grimaldus, Dei, & apoſto-
licæ ſedis gratia archiepiſcopus Edeſſenus, A
ſanctiſſimi domini noſtri domini Clementis
divina providentia Papæ ejus nominis XI.
prælatus domeſticus, & aſſiſtens, ejuſdem-
que, & Sanctæ ſedis apoſtolicæ in regno
Poloniæ, & Magno ducatu Lithuaniæ cum
facultatibus legati de latere nuncius.

Univerſis, & ſingulis quorum intereſt,
præſentes inſpecturis, lecturis, legive audi-
turis fidem facimus, & teſtamur ſupradi-
ctum dominum Stephanum Skwarczynski eſ-
ſe talem, qualem ſe facit, videlicet publicum
ſacra authoritate notarium, & nunciaturæ
apoſtol. in regno Poloniæ vice-cancellarium,
ejuſque ſcipturis, & inſtrumentis per eum
confectis, tam in judicio, quam extra adhi-
bitam ſemper fuiſſe, & ad præſens adhibe-
ri fidem. In quorum &c.

ANNO CHRISTI 1720.

Datum Varſaviæ die vigeſima tertia Octo-
bris 1720.

*H. archiepiſcopus Edeſſenus nuncius apo-
ſtolicus.*

Jacobus Burrius Secretarius.

Locus † Sigilli.

Anno 1512.

ADDITIO.

PAULI DE MIDDELBURGO

EPISTOLA

Ad ſacroſanctum Lateranenſe concilium pro calendarii emendatione exhortatio, ut legitima paſchæ obſervatio errore calendarii abolita in uſum revocetur.

Extat in princip. ejus Operis de recta Paſchæ celebratione fol. Forosempr.

ET ſi multa ſunt. B. P. cæterique patres reverendiſſimi ardua negocia in hac ſacroſancta ſynodo petractanda, minime tamen ſilentio prætereundum eſſe arbitror Romani calendarii pro recta paſchæ celebratione emendationis ſtudium: quinimmo hoc tanquam primum chriſtianæ religionis myſterium in primis commemorandum et diſcutiendum eſſe cenſeo: quia ſpiritualia temporalibus præferri debent: dicente domino: primum quærite regnum Dei, et reliqua omnia adiicientur vobis: quærere regnum Dei eſt mandata ejus cuſtodire: obſerva inquit Deus verni primum temporis ut facias paſcha Domino Deo tuo, hoc autem paſcha trophei crucis Chriſti prius fuit figurativum, nunc vero triumphalis reſurrectionis ejusdem ſignum rememorativum, et reſurrectionis noſtræ ſignificativum; ſummopere ergo anniti debemus, ut paſcha ſanctum juxta patrum decreta celebretur, ut a Judæorum calumniis immunes eſſe poſſimus, qui in dies nobis obiiciunt, qui paſcha noſtrum in ſecundo menſe immundis deputato ſæpe numero celebremus, et quod ad dies quadraginta quinque poſt æquinoctium ſole exiſtente in medio tauri paſcha nonnunquam obſervemus: in quo irrident nos Judæi, redarguunt nos volatilia coeli, quæ æquinoctium accurate ſemper cuſtodiunt, nam et ciconiæ, qualeæ, et hirundines, quo tannis inæquinoctio ſuum paſcha, hoc eſt tranſitum faciunt: paſcha namque tranſitum ſignificat. In quo reprehendit nos Deus (per Hier. proph. cap. octavo) dicens cognovit tempus ſuum turtur, et hirundo, ac ciconiæ cuſtodierunt tempus adventus ſui, populus autem meus non cognovit judicium Domini ſui; quomodo dicitis ſapientes non ſumus, et lex Domini nobiſcum eſt: vere mendacium operatus eſt ſtilus mendax, verbum enim Domini projecerunt, et ſapientia nulla eſt in eis, hæc Hieremias. Similem errorem in luna paſchali indaganda ſabbatarii notis impingunt, arguentes nos qui lunam primam vocemus quam quintam in coelo conſpicimus; adeoque cum propheta dicere poſſimus: opprobrium facti ſumus vicinis noſtris, quinimmo non ſolum vicinis ſed et his qui longe ſtant. Et niſi errores iſti corrigantur, accidet aliquando paſcha, quod verni temporis initio obſervari præcipitur, æſtate celebretur. Lunam quoque lumine plenam in coelo aſpici continget, quando ab eccleſia prima ſeu nova denunciabitur. Immo poſt paucos annos eveniet, ut paſcha ſanctum, quod in plenilunio celebrari præcipitur, in novilunio aut prope interlunium obſervetur. Eclipſes quoque ſolares die veneris ſancta magno Judæorum plauſu et chriſtianorum ludibrio accidere poterunt. Nuper cum obiicerem Judæo verbum apoſtoli dicentis: cæcitas ex parte cecidit in Iſrael, donec plenitudo gentium introiret. Confutans hoc Judæus reſpondit cæcitas totaliter oppreſſit chriſtianos qui neſciunt diſcernere inter lunam plenam et novam, inter lunam rotundam & cornutam: nam ut in proverbio dicitur: cæcus eſt qui luna plena errat. Quæ cum ita ſint, patres conſcripti, veſtra intereſſe videtur ſacramenti hujus myſterium errore calendarii jam abolitum in uſum revocare: diemque paſchalis celebritatis in priſtinum ſtatum reducere; in quo priſci patres maximam curam & diligentiam adhibuerunt, qui, ne error unquam in celebratione paſchæ contingeret, ſtatuerunt lunæ ætatem quotidie poſt primam diei horam in eccleſia pronunciandam eſſe. Utque clero occaſionem addiſcendi diligentius lunæ curſum darent, decreverunt neminem ad ſacerdotium eſſe promovendum, qui lunæ ætatem in promptu non habuerit, immo ut diſtinctione 38. B. Auguſtinus inquit, non eſt ſacerdotio dignus qui computum (hoc eſt ætatis lunæ regulam) feſtorumque mobilium ordinem ignoraverit: hoc enim tempus præcipue ſcire debemus, quo per univerſum orbem conſona ſacræ diei fundatur oratio, quia et tempore commendantur preces, ſicut ſcriptum eſt: tempore accepto exaudivi te. Expectavi jampridem magno deſiderio & ore tantaleo hanc ſacroſanctam ſynodum, tamque unicum & ultimum correctionis calendarii remedium: nam cum ſuperioribus annis propoſuiſſem in eccleſia Dei hanc paſchalis celebritatis emendationem; reſponſum fuit eam fieri non poſſe ſine concilio generali, ad quod convocandum nulla tunc erat diſpoſitio: quamobrem multis argumentis conatus fui probare atque oſtendere, hæc jure optimo fieri poſſe, immo jam ſæpenumero facta fuiſſe ſine concilio generali a ſolo pontifice vel ejus collegio: ſed quia jam celeberrima iſta ſynodus nutu Dei congregata

ANNO CHRISTI 1512.

ta est, cessat nunc omnis procrastinatio, omnis perendinatio & tergiversatio: expectavi ergo hoc sacrum concilium firmissime ratum nullum posse fieri hominum coetum in nomine Dei congregatum sine religione sine numine Divum, dicente Domino ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio ipsorum ego sum; nisi enim Deus præsens sit, volensque humanis rebus interfit, ludibrium est quicquid homines cogitant, non consilium. Summopere ergo annitendum est ut pascha sanctum juxta PP. decreta celebretur, & aureus ille numerus in Romano calendario annotatus (qui diuturnitate temporis jam factus est plumbeus) corrigatur: & æquinoctium vernale decima die martii statuatur, ubi hac tempestate ut plurimum ipsum fieri videmus. Poterit etiam in eodem calendario declarari & reformari numerus & ordo festorum ab ecclesia celebrandorum, quia sæpenumero pauperes (qui per operas quotidianas ex laboribus manuum vivunt, conqueruntur magnam nimis esse festorum multitudinem, quibus ab opere eis consueto (quo victum quæritant) cessare coguntur: deridet Seneca Cordubensis A Judæos sabbatarios qui septimam temporis partem perdant per sabbatum quod observant: nos vero non solum septimam pertem anni celebramus; verum etiam plus quam quartam temporis partem solennem facimus: indigent ergo hæc moderatione aliqua. Sed redeuntes ad primum nostrum institutum de paschæ celebratione propositum, dicemus cum apostolo Paulo: ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, ecce nunc congregatum est concilium Lateranense, per quod sublatum est omne subterfugium corrigendi calendarii, & omnis perendinatio cessavit: jam enim nulla est excusatio, nullum est impedimentum, sed error est manifestus, adeoque mulierculas non lateat: quæ cum ita sint, patres conscripti, rogo, obsecro & per agnum paschalem ac per Dominicam passionem obtestor vos, ut præclariſſimam hanc operam christianæ religioni tam opportunam quam necessariam aggrediamini, & aggressam ad finem optatum perducatis, ut pascha sanctum juxta patrum decreta celebrantes, Dei comminantis iram effugiamus. Valete. B

ANNO CHRISTI 1512.

ANNO CHRISTI 1491.

CONSTITUTIONES EDITÆ

ANNO CHRISTI 1491.

Anno 1491.

PER REVERENDISS. IN CHRISTO ET DOM.

D. NICOLAUM FRANCUM

EPISCOPUM TARVISINUM, ET LEGATUM APOSTOLICUM.

Poena clericorum sæcularium habitu, & tonsura non incedentium.

Ex MS. Cod. Eccles. Tarvisinæ missa a R. P. D. Angelo Calogerà.

NIcolaus Francus episcopus Tarvisinus, legatus Apostolicus cum potestate legati cardinalis de latere per universum Venetorum dominium, ad perpetuam rei memoriam. Inter cæteras sollicitudinis nostræ curas dudum humeris nostris per Apostolicam Sedem impositas, illam præcipue mentis nostræ oculis conspicimus, per quam vitia quæque, atque crimina, quibus majestas offenditur divina, honor ejusdem apostolicæ sedis, totiusque clericalis ordinis obumbratur, ac scandalum in populis christianis generatur evelli, et dissipari, virtutesque, et boni mores ædificari, atque plantari possint, et valeant. Sane cum nostris præsertim temporibus, antiquo hoste humani generis suadente, multorum clericorum ac religiosorum excessus, maxime in provincia nobis ab eadem sede decreta, adeo inolevit, ut clerici ipsi, atque religiosi, qui tanquam lucernæ ardentes supra candelabrum, et tanquam signum positi sunt ad sagittam, quorum inferiores vitam respiciunt, trahentes (quod ab eis agitur facile) in exemplum deterioris vitæ pariter et exemplis inferioribus ipsis effecti videantur, habitum atque tonsuram proprio ordini, seu religioni congruum deserendo, nec quicquam in modo tonsuræ aut vestimentorum forma, seu negociorum qualitate de clerico ostendendo; sed tanquam laici, tam publice quam private incedendo ad poenæ sæcularis judicis subterfugium se tantummodo exhibentes, clericalisque fori privilegium labiis allegantes, qui factis clericatum negaverunt. Verum quia juxta sacrorum canonum dispositionem, qui abjectis vestibus propr.o congruentibus ordini, alias assumere, & in publico portare præsumunt, professorum illius ordinis prærogativa se redduntur indignos. Præsenti itaque constitutione præcipimus, ut omnes, & singuli clerici, tam in minoribus, quandiu sacris ordinibus constituti, habitum & tonsuram clericali ordini congruum portent, sicut est a sacris canonibus constitutum. Eos vero qui beneficia ecclesiastica obtinent, & habitum ipsum, atque tonsuram dimiserunt, per hanc nostram constitutionem monemus peremtorie, quatenus intra XXX dies, ab hujus nostræ constitutionis publicatione in cathedrali ecclesia civitatis, seu dioecesis, in qua morantur, authoritate nostra facta connumerandos, habitum prædictum, & tonsuram reassumant, capillos suos tonderi faciendo in modum coronæ, ita quod eorum aures, vel saltem iliarum pars pateat manifeste; illumque de cætero continue præsertim in publico portent, atque tonsuram sub pœna suspensionis a divinis, quod inobedientes ipso jure incurrant. Si vero hujusmodi suspensionis sententiam per alios XXX. dies immediate sequentes substinuerint, eos excommunicationis vinculo innodamus. Quod si præfatas suspensionis, & excommunicationis sententias per alios XXX. dies prædictos LX. dies immediate sequentes animo (quod adsit) sustinuerint indurato, ipsos ex nunc prout ex tunc omnium dignitatum, personatuum, officiorum, administrationum, ac beneficiorum ecclesiasticorum tam curatorum, quam simplicium, quos, vel quas seu quod obtinent, sententiam privationis incurrere volumus ipso facto, absque alia privationis sententia, clerici autem beneficia vel officia ecclesiastica non obtinentes, si fuerint in sacris ordinibus constituti, & habitum, & tonsuram (ut præfertur) in termino ipso XXX. dierum non reassumpserint, ex tunc ad quæcunque ecclesiastica beneficia ipso jure reddantur inhabiles; et licet postquam poenam hujusmodi inhabilitatis incurrerint, habitum ipsum et tonsuram reassumpserint, adhuc tamen eos ad beneficia ipsa inhabiles esse volumus, nisi ante adeptionem ecclesiastici beneficii habitum, et tonsuram præfatos publice per tres menses portaverint. In minoribus vero ordinibus clerici constituti, quorum multi cum coram laycis judicibus conveniuntur in causis civilibus ipsorum jurisdictionem non declinant, sed sponte coram eis litigant; cum vero in criminalibus causis conveniuntur, ne eorum crimina per judices laycos puniantur, clericalis ordinis privilegium allegant, se ad ecclesiasticos judices, a quibus se impuniti evadere, vel mitius puniri sperant, remitti petendo, nisi, ut præmissum est, habitum et tonsuram reassumpserint in termino prædicto triginta dierum, nullo prorsus clericali privilegio gaudere volumus. Si postea per judices laycos capti, aut detenti fuerint, nullatenus ab ecclesiasticis judicibus defendantur, et pro clericis ab eis recipiantur, nisi ante captionem, aut detentionem hujusmodi per mensem habitum clericalem, et tonsuram publice portaverint.

Pœ-

ANNO CHRISTI 1491.

Pœna religioſorum habitu, & tonſura non incedentium.

Univerſos quoque monachos, & religioſos, tam mendicantes, quam non mendicantes, cujuſcumque ordinis, religionis, ſtatus, & conditionis (præter quam Hieroſolymitani) exiſtant, & quocunque exemptionis privilegio gaudeant, qui ſuavi jugo obſervantiæ regularis abjecto propria reliquerunt monaſteria, quorum quidam clericorum ſæcularium, quidam vero laicorum habitum deferunt, præſentium tenore monemus peremptorie, quatenus infra terminum, XV. dierum, a die præſentis conſtitutionis publicationis in cathedrali eccleſia civitatis ſeu dioeceſis, in qua morantur, factæ computandorum habitum religionis, & ordinis ſuorum reaſſumere non poſtponant, illumque de cætero continue, tam private, quam publice deferant, quemadmodum tempore, quo profeſſionem expreſſe, aut tacite emiſerunt, deferebant ac ſicuti alii monachi, ſive religioſi ejusdem ordinis in monaſteriis ſuis reſidentes deferunt; nec ullo modo ipſum habitum abſconſum ſub pallio, aut veſte portent, ſicut multi ex ipſis hactenus detulerunt, & de præſenti deferunt. Capillos quoque ſuos tonderi faciant; ita quoque eorum aures pateant manifeſte, & raſuram ſuperiorem, (quam clericam nuncupant) magnam deferant, ſicut cæteri religioſi ejusdem ordinis in monaſteriis ſuis degentes deferunt. Contumaces vero, huic noſtræ conſtitutioni parere non curantes, ultra poenas a jure ſtatutas, *L.* librarum parvarum poenam incurrere decernimus ipſo facto, ac etiam admittendi pallia, & veſtes, cum quibus poſt dictum terminum reperiuntur. Ut autem præſens conſtitutio noſtra debitum ſuum ſortiatur effectum, omnibus, & ſingulis officialibus tam ſæcularibus, quam eccleſiaſticis exuendi prædictos religioſos palliis, & veſtibus præfatis, ac eos ad carceres tam ſæculares, quam eccleſiaſticos ducendi, & in illis eos detrudendi (niſi ſtatim officialibus ipſis poenam *L.* librarum perſolverint cum effectu) libere et licite abſque metu poenæ cenſurarum eccleſiaſticarum, præſentium tenore licentiam concedimus. Si quis vero religioſorum ipſorum poenam prædictam ſolvere nequiverit, per duos menſes continuos ad poenitentiam peragendam in carceribus ipſis permaneat. Veſtes autem et pallia præfata ſint ipſorum officialium, nec non medietas ipſius poenæ *L.* librarum; aliam vero poenæ medietatem hoſpitali Domini noſtri Jeſu Chriſti apud S. Antonium Venetiarum ſito. In aliis vero civitatibus et locis, in quibus deprehenſi fuerint, hospitalibus ab ordinariis deputandis applicamus. Monemus inſuper præſentium tenore monachos et religioſos quoſcunque, etiam a ſuperioribus ſuis licentiam ſtandi extra monaſteria ſua habentes, præterquam ſi in ſtudio generali cauſa ſtudendi in facultate eis a jure conceſſa, aut pro negotiis monaſteriorum ſuorum extra monaſteria ſua moram traherent; quatenus juxta alios XL. dies, connumerandos a die publicationis præſentis noſtræ conſtitutionis factæ in eccleſia cathedrali, in qua habitant, ad monaſteria ſua redire debeant, et in illis perſonaliter et continue reſidere; nec de cætero ex ipſis exire habitandi cauſa extra ipſa monaſteria, niſi cauſa ſtudii (ut præfertur) aut pro negotiis monaſteriorum ſuorum de licentia ſuperiorum, ſeu pro alia legitima, et rationabili cauſa per aliquos dies (petita tamen, et obtenta ab eisdem ſuperioribus licentia) ſub poena excommunicationis, quam contrafacientes incurrant ipſo facto. Omnibus vero et ſingulis locorum ordinariis præſenti conſtitutione præcipimus et mandamus, quatenus cum eis conſtiterit aliquos ex monachis ſeu religioſis præfatis hujusmodi excommunicationis ſententiam incurriſſe, illos in eccleſiis civitatum et dioeceſum ſuarum, authoritate apoſtolica publicari faciant excommunicatos, et a Chriſti fidelibus arctius evitari, donec abſolutionis beneficium a nobis vel a ſede apoſtolica obtinere meruerint. Inferioribus vero eccleſiarum prælatis et rectoribus in virtute S. obedientiæ et excommunicationis poena præſentium tenore præcipimus, ut ex ſuis eccleſiis præfatos monachos, ſeu religioſos, qui habitum et tonſuram (ut præmiſſum eſt) non reaſſumpſerint, vel ſi reaſſumpſerint, non tamen ad monaſteria ſua redierint, expellant, nec illos ullo modo in eccleſiis ſuis miſſas, aut alia divina officia celebrare permittant. Cæterum, quia nonnulli religioſi tam mendicantes, quam non mendicantes, cum quibus per ſedem apoſtolicam extitit diſpenſatum, ut parochiales eccleſias obtinere poſſint, animarum cura ipſis commiſſa neglecta, in eccleſiis ſibi collatis reſidere perſonaliter non curant in animarum ſuarum periculum, & in prædictarum eccleſiarum ac parochianorum ſuorum non modicum præjudicium & gravamen; attendentes autem quod ſedes apoſtolica, cum ipſis propter animarum zelum, ut ipſas eccleſias obtinere valeant diſpenſavit, non autem ut per mercenarios qui lupum videntes oves dimittunt, effugiunt & deſerunt, redditusque ac proventus ipſarum eccleſiarum hinc inde dilapident; quocirca indemnitatibus eccleſiarum ipſarum occurrere cupientes præſentium tenore, omnes & ſingulos religioſos, tam mendicantes quam non mendicantes, parochiales eccleſias obtinentes, monemus, & requirimus peremptorie, quatenus infra terminum XV. dierum, a die publicationis præſentis conſtitutionis factæ in eccleſia cathedrali civitatis, ſeu dioeceſis, in qua ſitæ ſunt prædictæ eccleſiæ computandorum, perſonaliter accedere ad prædictas eccleſias, quas obtinent, & in illis perſonalem reſidentiam continue facere debeant, miſſas, & alia divina officia in eccleſiis ipſis celebrando, ac parochianis ſuis eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrando, ſub poena privationis dictarum eccleſiarum, quam ipſo facto abſque aliqua ſententia eos incurrere volumus.

ANNO CHRISTI 1491

Poe-

ANNO CHRISTI 1491.

Pœna Monialium exeuntium monasteria, eaque ingredientium, & ipsas acceptantium.

Quemadmodum ad humani generis conservationem, & civitatum incolumitatem nihil firmius, nihilque validius putatur, quam ut unusquisque sua solus sponsa seu conjuge gaudeat, atque fruatur; ita nihil gravius, nihilque turpius fore censemus, quam virginem Deo dicatam, sponso suo qui Christus est, relicto vagari, aut alium quærere in ipsius Christi, cui suam integritatem voluntate spontanea devovit gravem offensam, & in religionis opprobrium, ac scandalum plurimorum; cum igitur dudum ad notitiam nostram ex frequenti clamore perveniisset, quod nonnullæ Moniales monachali modestia, sexus verecundia impudenter abjectis, extra monasteria sua exeuntes per sæcularium personarum domos discurrebant, ex nostræ legationis officio detestabili hujusmodi morbo occurrere voluimus, monentes per nostras patentes literas omnes & singulas moniales sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, ne extra monasteriorum suorum sepia quoquomodo exire præsumerent, sed ut nuper ad nostrum pervenit auditum, quod moniales quædam monitiones & præcepta nostra spernentes, falsoque asserentes licentiam a nobis; quædam vero a sede apostolica; nonnullæ etiam ab ordinariis suis concessionem exeundi extra sua monasteria obtinuisse, ex ipsis monasteriis suis exire non cessant, excommunicationis sententiam damnabiliter incurrendo. Cupientes autem novis hujusmodi morbis novam præbere medelam, hac nostra perpetua constitutione prohibemus, ne de cætero monialis aliqua exempta, vel non exempta, cujuscunque ordinis vel religionis existat, extra sui monasterii clausuram exire præsumat sub pœna excommunicationis; quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto, non obstantibus aliquibus facultatibus & licentiis cuicunque seu quibuscunque monialibus ab eadem sede apostolica, vel ab ordinariis locorum, aut a nobis concessis, quas apostolica authoritate, nobis specialiter per literas apostolicas in hac parte concessa, præsentium tenore revocamus, cassamus, & nullas esse volumus, ac si nunquam concessæ fuissent, quarum quidem literarum apostolicarum tenor sequitur, & est talis.

„ *Sixtus episcopus servus servorum Dei* „ *dilecto filio magistro Nicolao Franco, ca-* „ *nonico Tarvisino nostro, & apostolicæ se-* „ *dis notario, & in Castellæ, ac Legionis* „ *regnis nuncio, & oratori cum parte Lega-* „ *ti de Latere, salutem & apostolicam be-* „ *nedictionem.*

„ Cum sicut non sine displicentia in Castellæ & Legionis regnis sint nonnulla ecclesiæ, monasteria, & alia loca ecclesiastica sæcularia, & diversorum ordinum, etiam mendicantium tam virorum quam mulierum regularia, exempta, & non exempta multipliciter deformata, in quibus „ divinus cultus debite non peragitur, & „ & quorum personæ, Dei timore postposito ad illicita fræna relaxant, & variis „ se involvunt eriminibus & delictis; sunt- „ que etiam quamplures tam ecclesiastici „ quam sæculares, qui pro christianis se ge- „ rentes, ritus, vitam, & mores Hæbreo- „ rum servare, & eorum dogmata sequi, „ & quod deterius est in illorum errores & „ infidelitatem prolabi non formidant, ac „ alios ad ritus hujusmodi trahere continue „ moliuntur. Nos qui te in præsentiarum „ ad pacificanda regna prædicta & non- „ nulla alia peragenda, nostrum & apostolicæ sedis Nuncium & Oratorem, cum „ parte Legati de Latere, destinamus, ec- „ clesiarum, & monasteriorum locorum, ac „ personarum ecclesiasticarum & sæcula- „ rium quorumlibet regnorum prædictorum „ statui, & animarum saluti consulere cupientes, (ut tenemur) ac sperantes, quod „ tu, in quo timor Domini sanctus permanet, tuis industria, solertia, ac diligentia scies, voles, & poteris super his omnibus opportune providere, tibi contra „ præfatos pro christianis se gerentes, qui „ ritus, & mores imitantur Judæorum, „ & illorum inhærent erroribus, & quoscunque alios jurisdictioni inquisitoris hæreticæ pravitatis subjectos eadem, qua „ inquisitores, & locorum ordinarii uti „ possent in simul, parte, jurisdictione, & „ authoritate utendi; & de illorum excessibus & delictis in quibuscunque causis „ & criminibus hæresim sapientibus cognoscendi, illosque & quoscunque alios pro „ qualitate excessuum (quos commiserint) „ puniendi, nec non episcopos, abbates, archiepiscopos, & prælatos, & alias ecclesiasticas personas ad concilia provincialia et dioecesana convocandi, monasteria „ & loca quorumcunque dictorum regnorum exempta, et non exempta, et illarum personas in capite, et membris visitandi, et quod reformatione, cohortatione, et emendatione indigere cognoveris reformandi, corrigendi, et emendandi, visitatas personas easdem quas culpabiles repereris juxta suorum excessuum exigentiam caritative puniendi, et dignitatibus, administrationibus, ac officiis, nec „ non beneficiis ecclesiasticis, quæ obtinent, et quibus præsunt, monasteriorum „ regiminibus privandi et amovendi realiter eosdem ac alios eorum loco substituendi et subrogandi. Uniones, exemptiones, et privilegia, etiam apostolica authoritate concessa, et quarumcunque dispositionum, ex quibus divini cultus diminutio et animarum pericula proveniunt, „ et quæ scandala pariunt, suspendendi, moderandi, et illa ac omnia, quæ tibi „ impedimentum præstarent, quominus commissum tibi officium exequi valeas, etiam „ in totum de medio tollendi, et generaliter omnia, et singula, quæ Dei laudem, „ ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum „ religiosorum locorum et beneficiorum reformationem, divini cultus incrementum, „ morum reformationem, tranquillitatem, „ prosperitatem Christi fidelium regnorum „ prædictorum concernere putaveris, exequendi,

ANNO CHRISTI 1491.

Anno Christi 1491.

„ quendi, authoritate apostolica, præsen-
„ tium tenore concedimus facultatem. Tu
„ igitur zelo Dei magno animi affectu hu-
„ jusmodi onus tibi commissum suscipiens,
„ diligenter omnia agas, quæ pro omnium
„ et singulorum salute videris expedire;
„ itaut ex tuis laboribus optati fructus
„ proveniant; tuque exinde apud Deum et
„ homines valeas non immerito commenda-
„ ri. Datum Romæ apud S. Petrum, anno
„ Incarnationis Domini millesimo quadrin-
„ gentesimo septuagesimo, V. Kal. mensis
„ Augusti pontificatus nostri anno quarto.
„ *A Tergo* registrata apud me L. Griffum
„ de curia N. de Benzis.

Innocentius Papa octavus.

„ Venerabilis frater salutem et apostoli-
„ cam benedictionem. Et si alias tibi con-
„ firmavimus per literas in forma brevis
„ omnes facultates, quibus usus es in His-
„ pania, inter quas illa etiam existit, quæ
„ ad visitationem, correctionem, et refor-
„ mationem, necnon regularis observantiæ
„ monasteriorum monialium Deo dicatarum
„ conservationem spectat et pertinet; ta-
„ men quia accepimus quod in nonnullis
„ monasteriis mulierum diversorum ordinum
„ in terris et locis dilectis filiis Dominio Ve-
„ netorum subjectis existentibus, gravia ex-
„ cessus et delicta committuntur, ita ut il-
„ lorum personæ tam in capite quam in
„ membris reformatione indigeant: nos cu-
„ pientes (prout nostro pastorali officio in-
„ cumbit) omnino providere, ne hujusmodi
„ delicta remaneant impunita, et ne illa si
„ conniventibus oculis pertransiverimus,
„ aliquid deterius afferant, et bonus reli-
„ gionis odor corrumpatur, fraternitati
„ tuæ, de qua in iis et aliis specialem in
„ domino fiduciam obtinemus, omnia et sin-
„ gula in prædictis locis consistentia mona-
„ steria mulierum, quorumcunque ordinum
„ existant, exempta, et non exempta, et
„ illorum personas tam in capite quam in
„ membris visitandi, et quæ reformatione,
„ correctione, et emendatione indigere cogno-
„ veris, reformandi, corrigendi, & emendan-
„ di, nec non visitatas personas easdem, quas
„ culpabiles repereris juxta suorum excessuum
„ & delictorum exigentiam, caritative corri-
„ gendi, et puniendi, ac eorum administra-
„ tionibus privandi, et ab illis amovendi,
„ nec non de aliis personis idoneis eisdem
„ monasteriis apostolica authoritate provi-
„ dendi, licentiam, & facultatem authori-
„ tate prædicta concedimus per præsentes,
„ non obstantibus constitutionibus, et or-
„ dinationibus, privilegiis, indultis apostо-
„ licis, nec non monasteriorum et ordinum
„ prædictorum juramento, confirmatione
„ apostolica, vel quavis firmitate alia ro-
„ boratis statutis, & consuetudinibus, &
„ literis apostolicis, etiam in forma bre-
„ vis, eorumdem monasteriorum personis
„ hactenus sub quibusvis tenoribus conces-
„ sis, & quas in posterum, nisi in illis de
„ præsentibus, specialis mentio fiat, con-
„ cedi contigerit, cæterisque contrariis qui-
„ buscunque. Datum Romæ apud S. Pe-
„ trum sub anulo Piscatoris, die XV. Ju-
„ nii MCCCCLXXXX. Pontificatus nostri
„ anno sexto.

Jo. Pe. Arivabenus. *a Tergo.*

Venerabili fratri Nicolao Franchо Episcopo Tarvisino oratori nostro.

Monemus insuper omnes, & singulos utriusque sexus Christifideles, tam laicos quam clericos, ne aliquam monialem, tacite vel expresse professam, in domibus habitationum suarum recipiant, non obstante aliqua concessione sibi ab eadem sede, vel ab ordinario facta, quam per veri suppressionem aut falsi suggestionem impetratam fore censemus, sub eadem excommunicationis pœna, quam contrafacientes eo ipso incurrant. Prohibemus quoque omnibus & singulis utriusque sexus laicis, & clericis tam sæcularibus quam religiosis, ne aliquod monasterium ingrediantur monialium, nisi sint de personis a jure permissis; ingredientes vero contra hujus nostræ constitutionis formam excommunicati sint ipso facto.

De mortuis sepeliendis.

Quamvis inter alia pietatis opera non minimum sit Christi fidelium ex hoc sæculo migrantium corpora sepelire; Thobias enim, plus Deum timens quam regis præcepta, qui filios Israel mortuos sepulturæ tradere prohibebat, quia solicitus corpora defunctorum rapiebat, et illa in domo sua occultabat, mediisque noctibus sepeliebat, ob hoc magnam a Deo gratiam consecutus esse videtur. Nihilominus nonnulli presbyteri ac alii clerici avaritiæ cæcitate ducti quibusdam pravis suis consuetudinibus nitentes, ut nostris frequenter est auribus intimatum, parochianos suos, aut alios sibi subjectos, cum eos decedere ex hac vita contingit, in eorum ecclesiis, seu cœmeteriis sepelire nolunt neque permittunt, nisi prius eis defunctorum ipsorum hæredes aliquam pecuniarum quantitatem exhibeant, vel saltem promittant seu idonee de solvendo caveant, in animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum. Volentes autem animarum periculis, & scandalis quibuscunque, quantum cum Deo possumus, obviare, hoc perpetuo valitura constitutione sancimus, ut parochialium ecclesiarum sacerdotes parochianos suos absque aliqua pecuniarum vel aliarum rerum exactione, aut conventione, seu pacto de solvendo sepeliant, sicut est sacris canonibus diffinitum. In civitate tamen Venetiarum, in qua decimæ non solvuntur, sed pro illis in ultima voluntate consuevit parochiali ecclesiæ aliquid nomine decimarum dimitti, serventur consuetudines hactenus observatæ. Verum si alicujus defuncti hæres aliquos ex sacerdotibus seu clericis cathedralis, vel collegiatæ ecclesiæ, non autem totum capitulum, seu collegium ad ipsum defunctum sepeliendum vocaverit, ipsi dumtaxat vocati ad sepeliendum mortuum ipsum accedant, petita tamen, & obtenta licentia a plebano sive archipresbytero, sive alio principali Prælato ec-

ANNO CHRISTI 1491.

ecclesiæ collegiatæ; nec ullo modo a suo capitulo, seu collegio ire prohibeantur, prout hactenus in quibusdam ecclesiis legationi nostræ subjectis (ut audivimus) extitit observatum. Quod si ab hæredibus defunctorum totum canonicorum capitulum, seu clericorum collegium ad sepeliendum mortuos ipsos vocatum fuerit; tunc canonici, seu clerici ipsi accedant, nulla penitus pecuniarum aut aliarum rerum exactione ab eisdem hæredibus occasione funeris, seu sepulturæ ab eis factæ, aut pacto, seu conventione de solvendo interveniente, sed oblationes eis ab hæredibus defunctorum datas cum gratiarum actione suscipiant; illas inter se, juxta ecclesiarum suarum statuta seu consuetudines distribuendo, ac nihil his, qui ad funus ire noluerint, seu alias non interfuerint, pœnitus dando. In civitate autem Venetiarum (ut præmissum est) serventur consuetudines hactenus observatæ.

Ne pro ordinandis Clericis, aut sacramentis ministrandis aliquid exigatur.

Ambitiosæ cupiditati quorundam episcoporum, & sacerdotum, ac clericorum, Legationis nostræ jurisdictioni subjectorum; Giezi & Symonis magi, quorum alter Spiritum sanctum vendere, alter vero emere nitebatur; vestigiis inhærentium, qui Dei timore postposito, contemptisque sacris Canonibus, pariterque institutis divinis, clericis ordines minores aut sacros episcopi aliter conferre nolunt, nisi data, aut promissa eis ab eisdem clericis, aut aliis eorum nomine aliqua pecuniarum quantitate, & parochianis suis presbyteri ad excusandas excusationes suas in peccatis pravas quasdam consuetudines allegantes, sacramenta ecclesiastica, nisi primo ab eisdem parochianis pecunias extorserint, ministrare recusant, occurrere cupientes, hac perpetuo valitura constitutione episcopis universis in provincia legationis nostræ residentibus, sub ingressus ecclesiæ pœna, quam contrafacientes ipso facto incurrant, præcipimus, ne ab ordinandis ad aliquos minores, seu sacros ordines, pecunias, aut alias res per se, vel alios, directe, vel indirecte pro conferendis ordinibus exigere, aut exigi facere, aut cum ordinandis ipsis, vel aliis, de dando, seu promittendo aliquid pacisci præsumant, & specialiter per notarios, seu per scriptores suos pro literis ordinum ipsorum testimonialibus, vel aliis scripturis occasione dictorum ordinum scribentes ultra antiquam, & consuetam taxam, quidquam extorquere non præsumant, vel permittant. Quibus notariis & scriptoribus præsenti constitutione sub excommunicationis poena, quam eo ipso incurrere volumus, & a qua non nisi a nobis aut ab apostolica sede (præterquam in mortis articulo constituti) absolvi possint, inhibemus ne ultra antiquas, & consuetas taxas pro scripturis, seu literis super conferendis ordinibus præfatis per eos scribendis aliquid exigant, neque ante collatos ordines ipsos pro literis testimonialibus ordinum collatorum pecunias aut illarum partem ipsius antiquæ & consuetæ taxæ petant sub eadem excommunicationis poena, quam ipso facto incurrant. Presbyteris quoque quibuscunque in eadem provincia nostra commorantibus præsenti constitutione prohibemus, ne cum sacramenta ecclesiastica, aut illorum aliquid Christifidelibus ministrare contigerit, pecunias, aut aliquid aliud petant, seu extorqueant, directe, vel indirecte, sed sacramenta ipsa, quotiens requisiti fuerint, petentibus, idoneis tamen ad illa suscipienda, ministrent, consuetudine quacunque (quæ potius corruptela est dicenda) in contrarium non obstante. Oblationes tamen a parochianis suis, vel ab aliis Christifidelibus sponte oblatas licite recipiant. Qui vero pro ministrando aliquo sacramento quicquid extorserit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, a qua donec extortum restituerit, & pauperibus tantumdem erogaverit, absolvi nequeat.

De missis celebrandis occasione legatorum.

Quamvis tam humanis, quam divinis legibus provide & salubriter statutum fuerit, ut testatorum voluntates modis omnibus exequantur; quia tamen nonnulli hæredes, seu testatorum executores avaritiæ cupiditate ducti, legata præsertim, quæ pias causas, & cultum concernunt divinum juxta testatorum voluntates, exequi non curant; in plerisque namque civitatibus & locis legationis nostræ jurisdictioni subjectis, licet a multis, ut audivimus, in eorum ultimis voluntatibus hæredibus suis seu fideicommissariis mandatum fuisset, ut in certis ecclesiis missas celebrari facere deberent, certam pecuniarum quantitatem sacerdoti missas celebraturo per eosdem hæredes, seu fideicommissarios annis singulis solvendam deputando, nihilominus quidam ex hæredibus seu fideicommissariis ipsis, quantitatem prædictarum pecuniarum integre solvere nolentes, per religiosos vagabundos, aut apostatas, quidam vero per presbyteros forenses, aliquando per unum, aliquando per alium absque ordinariorum licentia missas celebrari faciunt, illius partem in usus proprios convertendo, quidam etiam non in ecclesiis, in quibus per testatorem extitit ordinatum, sed in aliis, & nonnulli tot missas, quot a testatoribus jussum fuit, celebrari non faciunt, ut minus exponant in animarum suarum periculum, & magnum divini cultus, ac testatorum ipsorum præjudicium. Cupientes igitur ut testatorum voluntates realiter ac cum effectu exequantur juxta eorum dispositiones in suis testamentis expressas, decernimus quod si a testatore mandatum fuerit missas in certa ecclesia seu altari celebrari per sacerdotem sæcularem vel regularem, certam dotem, seu pecuniarum summam constituendo, liceat hæredi per quem maluerit presbyterum, sæcularem, vel regularem, de licentia tamen prælati, sive rectoris ejusdem ecclesiæ seu altaris celebrari facere; dummodo regularis ipse apostata non sit, habeatque licentiam a sede apostolica standi extra monasterium suum, eidem sacerdoti integram dotem, seu pecuniarum quantitatem dando. Si vero testator dixerit, quod

per

ANNO CHRISTI 1491.

per presbyterum sæcularem missæ celebrentur, tunc hæres, seu fideicommissarius non per regularem, sed per sæcularem sacerdotem missas celebrari faciat, assignando integram dotem seu pecuniarum quantitatem per testatorem ordinatam. Simili modo, si in testamento expressum fuerit, quod per regularem sacerdotem missæ celebrari debeant, hæres non per sæcularem, sed regularem presbyterum celebrari faciat; quod si simpliciter missas celebrari mandaverit testator, non expresso sæculari presbytero, vel regulari, si in ecclesia sæculari celebrari præceperit per sæcularem, si autem in regulari per regularem sacerdotem illius ordinis, seu monasterii, cujus erit ipsa ecclesia, missas præcipimus celebrari. Si autem nullam expresserit ecclesiam, sed simpliciter præceperit missas celebrari non dicendo per sæcularem, vel regularem sacerdotem, tunc in hæredum suorum sit optione, in qua ecclesia, & per quem maluerint Presbyterum sæcularem, vel regularem missas celebrari facere, petita tamen & obtenta licentia a prælato, seu rectore ipsius ecclesiæ, in qua missas celebrari facere voluerint. Verum quia multi, præsertim temporibus istis, reperiuntur religiosi apostatæ, & quidam etiam sacerdotes sæculares irregulares; nonnulli quoque criminosi & ignorantes absque prælatorum suorum licentia vagantes, & indigni ad sacra mysteria celebranda; præsentium igitur tenore declaramus, atque præcipimus, ut hæredes, seu fideicommissarii sacerdotes per quos voluerint missas celebrari facere locorum prælatis præsentent; sæculares scilicet presbyteros Episcopis, vel eorum Vicariis, regulares vero prælatis monasteriorum ordinum suorum, ut intelligant, & cognoscant an sint ad missas celebrandas idonei; quibus, si idoneos repererint, celebrandi licentiam concedant, sin autem, hæredes ipsi alios idoneos præsentabunt.

Qui libri prohibeantur imprimi.

Quoniam, ut frequenter nostris est auribus intimatum, librorum impressores nonnullos libros hæresim sapientes non absque maximo animarum Christifidelium periculo imprimunt; volentes igitur ex nostræ legationis officio huic morbo, quantum cum Deo possumus, medelam adhibere, hac perpetuo valitura constitutione præcipimus, ne de cætero aliquos libros de fide catholica, aut rebus ecclesiasticis tractantes (præter quam libros, qui imprimi soliti sunt) absque expressa episcoporum locorum aut eorum officialium generalium licentia quoquomodo imprimat, seu imprimere faciat. Qui autem contrarium facere præsumpserit, excommunicatus erit ipso facto. Eos quoque qui monarchiæ librum per Antonium Rosellum juris doctorem compositum, ac etiam qui conclusiones, & tractatus Domini Mirandulæ impresserunt, aut imprimere fecerunt, vel emerunt, seu quovis modo habuerunt, præsenti constitutione sub eadem excommunicationis poena, monemus, quatenus illos, infra terminum XV dierum post horum publicationem factam in cathedrali ecclesia civitatis, seu dioecesis, in qua habitant, computandorum, comburant, ita quod non sint amplius in rerum natura, nec illos de coetero aliquis imprimat seu imprimere faciat, aut emat, seu quovis modo accipiat, aut apud se retineat. Si quis autem contra hujus nostræ Constitutionis tenorem quicquam temere attentare præsumpserit, excommunicationem incurrere volumus ipso facto, cujus absolutionem sedi apostolicæ, & nobis tantummodo reservamus. Decernentes authoritate apostolica nobis spiritualiter per apostolicas literas in hac parte concessa, quod nullus, qui dictam, excommunicationis sententiam incurrerit, ab aliquo etiam apostolica authoritate, seu vigore confessionalium ab eadem sede ipsis concessorum, præterquam in articulo mortis absolvi non possit.

ANNO CHRISTI 1491.

De modo publicandi indulgentias, & Confessionalia scribendi.

Licet apostolica sedes, saluti humani generis semper intenta, omnibus cum humilitate poscentibus, ea benigne concedat, per quæ salus proveniat animarum; quia tamen nonnulli ecclesiarum prælati cupiditati insistentes, indulgentiis, & gratiis ecclesiis suis ab eadem sede concessis diversimode abutuntur, ut sæpe numero experti sumus; quidam enim indulgentias certorum dierum, vel quadragenarum, aut annorum ecclesiis suis concessas generaliter, ut credantur indulgentiæ plenariæ, tam in voce quam in scriptis cedulas in locis publicis, ac ecclesiarum valvis affigi faciendo publicare faciunt, non autem sicut debent indulgentias tot dierum, seu quadragenarum, aut annorum, quot ecclesiis ipsis concessa fuerunt, exprimere faciunt. Quidam etiam in ecclesiis suis per clericos suos clamare faciunt, ut pro indulgentia offeratur, non exprimendo dies quadragenas, vel annos indulgentiæ concessæ, ut Christi fideles credant indulgentiam plenariam visitantibus ecclesias suas, & porrigentibus manus adjutrices esse concessam, multorum fidelium animas illaqueando, & decipiendo. Nonnulli etiam confessionalia imprimere faciunt, omissis nominibus, & cognominibus illorum, quibus conceduntur, ac etiam die & mense datæ concessionis, ut cum per eandem apostolicam sedem, ob aliquam causam indulgentias ipsas suspendi contingat, ipsa confessionalia, & indulgentias nihilominus concedere possint, scribendo in ejusdem confessionalibus sic impressis diem, mensem, & annum illius temporis, quo nondum indulgentiæ ipsæ suspensæ erant. Cupientes igitur hujusmodi fraudibus obviare, præsentium tenore, sub excommunicationis poena, quam contrafacientes ipso jure incurrere volumus, prohibemus ne de cætero aliqui ecclesiarum prælati, regulares, vel sæculares, seu plebani, vel rectores indulgentias certorum dierum, vel quadragenarum, seu annorum ecclesiis suis concessas simpliciter in voce, vel in scriptis per cedulas publicari, aut in ecclesiis suis clamari faciant, ut pro indul-

ANNO CHRISTI 1491.

gentia offeratur; sed si illas publicare in voce, vel in scriptis voluerint, numerum dierum, seu quadragenarum, vel annorum ipsius indulgentiæ exprimere faciant, ut Christi fideles intelligant quam indulgentiam visitantes ecclesias ipsas consequantur. Prohibemus quoque ne aliquis clericus, vel laicus, aut religiosus, cujuscunque dignitatis, ordinis, gradus, vel conditionis existat, ipsa confessionalia imprimi facere præsumat, sed illa manu alicujus publicæ, aut privatæ personæ, dummodo sit vitæ laudabilis, & bonæ opinionis, ac famæ scribere faciat cum ipsa confessionalia authoritate concedere poterunt.

Ne missas celebrantes Almutiis utantur.

Ad decantandas laudes divinas licet clerici indumentis ecclesiasticis induti accedere debeant, inter quæ ecclesiarum collegiatarum canonici almutias deferre solent; quia tamen cum ipsi canonici missarum solemnia celebrant, almutias ipsas super humeris detinent non absque eorum incommodo; cum sæpe ex humeris suis cadant, ex quo facile scandalum oriri; præsenti igitur edicto prohibemus, ne de cætero canonici, aut alii sacerdotes almutias super humeris suis, vel alio modo, cum missas celebrant, detineant, sed illas tunc deponant. Si quis autem contra hujus nostræ constitutionis tenorem missas cum almutiis celebrare præsumpserit per mensem a celebratione missarum noverit se ipso jure suspensum; sciturus quod si hujusmodi suspensione durante missas celebraverit, irregularitatis laqueo se involvet, a quo non nisi per Romanos pontifices liberari poterit.

Poena episcopis impositu clericos sine sufficienti titulo in aliena dioecesi ordinantibus, ac Notariis id scribentibus.

Cum secundum sanctorum patrum decreta nullus episcopus aliquem in subdiaconum, diaconum, aut presbyterum sine certo titulo, de quo vitæ necessaria percipiat, ordinare debeat, nisi ordinandus de sua aut paterna hæreditate vitæ subsidium habere possit; alias ordinator, tam diu ordinato necessaria subministrare teneatur, donec convenientia stipendia eidem in aliqua assignaverit ecclesia. Cumque abusus quidam, nostris potissimum temporibus inoleverit, ut nonnulli episcopi clericos nullum poenitus ecclesiasticum beneficium, neque bona, ex quibus congrue se sustentare valeant, habentes, ad sacros ordines promoveant, seu promoveri mandant, eis de beneficiis ecclesiasticis, aut vitæ necessariis providere non curantes, adeo ut multi, etiam in sacerdotali ordine constituti, in opprobrium clericalis ordinis tanquam mendici, seu personæ miserabiles, pannosi, & sciissis, ac laceratis vestibus incedunt. Cupientes igitur, ut ipsa sanctorum patrum decreta inviolabiliter observentur, præcipimus, ut nullus episcopus clericum aliquem in subdiaconum, aut diaconum, vel presbyterum ordinet, vel illi dimissorias concedat, etiam ad titulum sui patrimonii, nisi prius eidem episcopo legitime constiterit, quod dictus clericus ordinandus beneficium ecclesiasticum sufficiens habuerit, vel patrimonium, ex quo convenienter secundum sui decentiam status se valeat substentare, sub poena suspensionis ab ingressu ecclesiæ, quam incurrere volumus ipso facto. Præterea quia nonnulli episcopi (ut temporibus nostris sæpissime evenit) reperiuntur, qui spretis sacrorum canonum institutis, poenas in eis appositas non timentes, in alienis dioecesibus clandestine ordines conferre præsumuntur; idcirco sub poena prædicta omnino interdicimus, ne quem quam clericum alterius dioecesis ad aliquem sacrorum ordinum aut etiam minorum sine expressa dioecesani, in cujus dioecesi ordines conferre voluerint, & dioecesani clerici ordinandi licentia in scriptis redacta ordinare præsumant. Tabelliones vero, seu quosvis alios scribas, quod id in notam sumere, aut in publicam formam redigere præsumpserint, si laici fuerint privationem perpetuo officii tabellionatus, si vero clerici fuerint, excommunicationis sententiam; & nihilominus privationem dicti officii ipso facto incurrere volumus, a qua quidem excommunicatione non nisi a sede apostolica, vel a nobis, præter quam in mortis articulo, absolvi possint. Cæterum, quia, ut nobis innotuit, clerici tam religiosi quam seculares sæpenumero per saltum ad ordines promoventur, quinimo (quod dolenter referimus) quidam nullo ordine recepto, sacra missarum solemnia celebrare præsumunt (sicut nuper in quadam dioecesi nostræ legationis compertum est) religiosum quendam annis duodecim absque ordine aliquo missas celebrasse. Volentes igitur hujusmodi temerariis ausibus obviare, præsentium tenore omnibus & singulis episcopis in provincia legationis nostræ residentibus sub poena interdicti ingressus ecclesiæ, præcipimus, ne aliquem clericum secularem, vel regularem cujuscunque ordinis, seu religionis existat, ad aliquos ordines promoveant, nisi primo sibi per patentes literas, & authenticas, vel saltem per testes idoneos legitime constiterit, quod dictus clericus ad priores ordines rite promotus fuerit.

Ne quæstores absque ordinarii licentia admittantur.

Sæpe contingit, quod nonnulli eleemosynarum quæstores falsis apostolicis utuntur literis, in quibus iis qui eleemosynam eisdem quæstoribus exhibent, magna concessa esse videtur indulgentia; nec non quod præfati falsi quæstores absque dioecesanorum licentia eleemosynas a Christi fidelibus petere, & recipere, quique prædicare in ecclesiis, ac alias ubilibet libere, ac licite possint, ac valeant; propter quod multorum Christi fidelium animæ decipiuntur, & ab eis pecuniæ, aliaque bona per eosdem falsos quæstores indebite extorquentur; quare hujusmodi fraudibus, & deceptionibus provide-

ANNO CHRISTI 1491.

ANNO CHRISTI 1491.

videre volentes, præcipimus, ut nullus rector parochialis ecclesiæ ruralis eosdem eleemosynarum quæstores, eleemosynas in parochiis suis quærere, seu recipere, aut in ecclesia sua prædicare permittat, nisi primo licentiam specialem ordinarii ostenderint, etiam si apostolicas literas quibus (ut præfertur) licentiam quæstuandi, & prædicandi non petita licentia ab ordinariis concessa ipsis videatur, ostenderent sub poena librarum XXV. parvarum, quam absque aliqua monitione ipso jure incurrat. Similiter religiosos mendicantes, vel non mendicantes, cujuscunque ordinis, religionis, status, seu conditionis existant, in ecclesia sua prædicare non permittat, nisi primo ei licentiam in scriptis a dioecesano concessam prædicandi ostenderit sub poena excommunicationis, quam simili modo ipso facto incurrere volumus.

Ne Judæorum medicinis quis utatur.

Quoniam & Judæorum mores, & nostri in nullo concordant, ideo præsenti prohibemus edicto, ne aliquis christianus Judæum medicum pro quacunque infirmitate ab eo curandus modo aliquo ad se venire procuret, aut medicinas per ipsum Judæum ordinatas recipere, vel ab eo consilia requirere præsumat sub poena excommunicationis, quam contrafaciens eo ipso incurrat. Ob frequentem enim conversationem, & familiaritatem, quam Christi fideles cum Judæis haberent, Judæi ipsi ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos, facile inclinare possent.

De salariis advocatorum, procuratorum, & notariorum.

Multorum, non solum ad nos, verum etiam ad sedem apostolicam, gravis deduxit querela, quod nonnulli ejusdem apostolicæ sedis delegati, & subdelegati processuum, ac aliarum scripturarum, notariorum, & advocatorum ac procuratorum expensas in causis, quæ coram ipsis pro tempore vertuntur, adeo excessive, & enormiter taxant, ut quod in una hac Venetiarum civitate exponitur instantia, pro duobus, & eo amplius in aliis circumvicinis. Civitatibus seu etiam in sacri palatii apostolici audientia sufficeret; hujus autem excessus causa fertur esse, quia ex ipsis judicibus quidam cum notariis, advocatis, & procuratoribus ipsarum causarum de expensis ipsis participare dicuntur; quamobrem plures tam sæculares quam ecclesiasticæ personæ, in causis ad forum pertinentibus ecclesiasticum litigantes, depauperantur, & sæpenumero ob id, causas, eorumque jura deserere coguntur: nonnumquam vero causas committi facere, seu eas intentare timent; quod quidem præter id, quod eisdem personis jura sua prosequentibus, seu prosequi intendentibus valde dispendiosum esse videtur, turpe etiam & abhorrendum esse censemus. Cum autem ad nostræ legationis officium pertineat, quoscunque abusus, & pravas consuetudines, seu corruptelas, & præsertim eas, quæ ex cupiditate, quæ omnium malorum radix esse dignoscitur, procedere videtur, evellere, & eradicare, atque mores, & laudabiles consuetudines plantare, & ædificare, expensas notariorum, advocatorum, & procuratorum præfatas tali modo taxare intendimus, quo notariis, advocatis, procuratoribus præfatis pro ipsorum laboribus expensæ competenter a litigantibus solvantur, & litigantes ipsi expensas præfatas valeant supportare. Præsenti igitur constitutione authoritate apostolica nobis per literas apostolicas in forma brevis concessa, quarum tenorem inferius scribi jussimus; statuimus, quod nullus de cætero notarius in hac Venetiarum civitate, seu ejus dioecesi in quavis causa sive spirituali, sive profana, sive etiam civili, vel curiali, qua coram quovis judice tam delegato, vel subdelegato, apostolico, quam ordinario, vel ab eo delegato agitabitur, ultra infrascriptas taxas quicquam de taxatis accipiat. Si quis autem notarius, salutis suæ immemor, ac proprii honoris prodigus contra hujus nostræ constitutionis tenorem aliquid receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur, nulla eorum, quibus restitutio hujusmodi facienda fuerit, remissione ullatenus profutura eidem, & nihilominus excommunicationis poenam ipso facto incurrat, a qua præterquam a nobis, vel a sede apostolica absolvi nequeat, nisi in mortis articulo constitutus. §. Pro citatione igitur judicis delegati, seu subdelegati apostolici in forma cum insertione inhibitionis, & commissionis ipsius judicis in totum expedita notarii causarum non accipiant ultra libras quinque parvorum. §. Decernimus quoque quod notarii præfati in unaquaque parte chartarum registri, seu processus causæ ponant lineas ad minus vigintiquinque, ita quod unaquæque linea in se contineat sex dictiones, seu triginta duas literas, vel circa; & pro sexdecim ex ipsis chartis registri, sive processu non plures recipiant quam libras sex parvorum. §. Dicta vero, & attestationes testium non scribant in registro causæ, sed illa in alio quaterno conscribant per se, ipsumque quaternum in fine ipsius registri ponant; & pro examinatione unius testis in domo judicis sive ipsius notarii facta sint contenti libra una parvorum. §. Si vero de mandato judicis oportuerit notarium accedere ad aliquam personam egregiam, tunc pro examinatione illius recipiat libras duas parvorum. §. Pro nota vero sententiæ competentiæ judicis, vel alterius interlocutoriæ, a qua non appellabitur, vel si appellabitur non tamen a judice deferetur, habeant libram unam parvorum. §. Item pro nota sententiæ diffinitivæ non exigant ultra quam libras sex parvorum. §. Pro apostolicis vero dimissoriis, vel reverentialibus, aut refutatoriis habeant libras tres parvorum. § Item pro literis exequutoribus in forma solita & consueta, ac in membranis scriptis, & authenticatis cum sigillo judicis appendente, ac etiam cum insertione commissionis, & sententiæ diffinitivæ expeditis in totum non recipiant ultra quam li-

ANNO CHRISTI 1491.

bras duodecim parvorum. §. Pro unaquaque sententia interlocutoria, quando non procedatur ad diffinitivam, authenticata, & sigillata ut supra habeant libras quinque parvorum. §. Folia vero copiarum, quæ partibus petentibus dabunt, tot lineas, & dictiones, seu literas in se contineant, quot continebunt in se folia registri seu processus causæ, quorum foliorum non minus quam XXV. partibus ipsis dabunt pro libris sex parvorum. §. Advocatis autem advocati & procuratoris officium simul in una causa exercentibus judices ipsi tam ordinarii, quam ab eis delegati, vel a sede apostolica, sive subdelegati ab eisdem apostolicis delegatis deputati in civitate Venetiarum in causis sibi commissis, aut ordinariis, in quibus termini juris servari de jure debent, in unaquaque causa quantuncunque magna, & gravi in prima instantia non ultra quam decem ducatorum pro eorum salariis taxent. §. Si vero talis fuerit causa, pro cujus labore, sive salario minus taxari debebit, tunc judices præfati Deum præ oculis habentes, inspecta qualitate causæ, & litigantium conditione, advocatorum prædictorum salarium taxent, & moderentur, ita quod ipsorum laboribus satisfiat, & litigantes expensis nimium non graventur. § Quod si advocatus suum dumtaxat officium exercuerit, tunc ei non ultra quam sex. §. Procuratori vero non plures quam quinque ducati pro quavis causa a judicibus ipsis taxentur; & hoc in magnis causis. §. In levibus autem, aut parvis causis, consideratis causarum qualitatibus, & litigantium paupertate (ut præmissum est) minus taxent. §. In secunda vero instantia non plures quam sex ducati in magnis, & gravibus causis. Advocatis suum, & procuratoris officium simul exercentibus. §. In tertia autem & ulteriori non ultra quatuor ducatorum taxentur. §. Si autem in secunda seu ulteriori instantia advocati suum tantum, non autem procuratoris officium exercuerint, ipsis pro suis salariis ultra quatuor; procuratoribus vero ultra tres ducatos judices non taxent. §. Si quis vero judicum prædictorum salutis suæ immemor, ac proprii honoris prosequutor in gravamen alicujus partis litigantium contra formam, & tenorem hujus nostræ constitutionis advocatis seu procuratoribus, quicquam taxaverit, excommunicationis vinculo, si episcopo inferior fuerit, eo ipso innodatus erit, a qua donec parti læsæ integre satisfecerit, absolvi nequeat. Episcopus autem vel superior, cui propter pontificalem dignitatem deferri volumus, si [ut præfertur] contra hanc nostram constitutionem taxaverit, ab ingressu ecclesiæ ipso jure se noverit esse suspensum, a qua suspensione similiter absolvi non poterit, nisi primo de suo parti gravatæ plene satisfecerit. Hanc autem nostram constitutionem in civitate Venetiarum, & ejus diœcesi, non autem in aliis civitatibus & diœcesibus observari volumus. Tenor literarum apostolicarum prædictarum talis est.

Innocentius Papa octavus.

„ Venerabilis frater, salutem, & apostolicam benedictionem. Ad aures nostras „ fide digna relatione nuper pervenit, enormem satis isthic corruptelam invaluisse, „ qua nonnulli judices delegati, seu subdelegati nostri, & apostolicæ sedis in causis, quæ coram eis pro tempore intentantur, non ante sententias ferant, aut „ ferre volunt, quoniam expensæ processuum notariorum, procuratorum, seu advocatorum utriusque partis taxent, & „ illas exhibitas esse intelligant; quodque „ dolenter magis intelleximus, & insuper „ illas ita excessive, & enormiter taxant, „ ut quod in una instantia ibidem exponitur „ pro tribus, & eo amplius in audientia „ sacri palatii nostri persæpe sufficeret, ita „ quod quamplurimi eximii ecclesiastici, & „ laici, si agere velint in rebus, vel depauperentur, vel causas ob id quascunque, „ & jus eorum deferere coguntur, ac quamplurimi etiam intentare causas, easque „ committi facere ob id territi minime audeant; sicque pauperes, dum non habent „ quid offerant, in judicio non solum audiri contemnuntur, sed etiam contra veritatem opprimuntur. Quod præterquam „ quod partibus ipsis valde admodum dispendiosum est, turpissimum, etiam horrendum æstimamus. Quocirca pro officio „ nostro pastorali, ne corruptela hujusmodi, „ quæ est sacris canonibus inimica, ulterius „ invalescat, ac tam pauperibus quam aliis „ quibuslibet deinceps jura sua in causis „ intentare volentibus providere cupientes „ fraternitate; tuæ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus a te „ taxis curiarum Aquilejensium, Vicentinorum, Paduanorum, Veronensium, & „ Tarvisini episcopatuum adhibitis, illisque seu earum juribus diligenter inspectis, & consideratis tabulam taxarum expensarum, quam pro officio, seu labore „ notariorum, & advocatorum, seu procuratorum, aliorumque officialium juxta „ moderationem præfatarum ecclesiarum „ taxandarum modum & tempus solutionis illarum, prout tibi fuerit visum, conficias, & reformes; illamque ab omnibus „ tam ordinariis, quam delegatis, seu subdelegatis, & in futurum delegandis, & „ subdelegandis judicibus in civitate ista „ perpetuis futuris temporibus sub dictis „ pœnis, & censuris ecclesiasticis inviolabiliter observari authoritate nostra statuas, & provideas. Si quos autem inveneris cum notariis de quota participasse, „ & ob id expensas magis excessive taxasse juris remediis punias, ut cæteris „ transeat in exemplum. Nos enim reformationem hujusmodi, si per te fieri contingat, ex nunc, prout ex tunc, approbamus, & perpetuo observari sub excommunicationis latæ sententiæ poena volumus pariter, & mandamus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum „ sub annulo piscatoris die quinto Julii „ 1490. Pontificatus nostri anno sexto.

B. de Gavionibus.

A tergo Ve-

ANNO CHRISTI 1491.

Venerabili fratri Nicolao Franco episcopo Tarvisino Oratori nostro.

LEctæ & publicatæ fuerunt præsentes Constitutiones Venetiis in patriarchali ecclesia infra missarum solennia statim post cantatum evangelium in præsentia Reverendissimi D. D. Maphei Girardo Patriarchæ Venetiarum, ac archipresbyteri, canonicorum nonnullorum, & aliorum mansionariorum, & clericorum, populique multitudine astante, audiente, & intelligente per me Bartholomæum Bucellum, presbyterum Missanum, Rectorem parochialis ecclesiæ, scilicet, Bartholomæi de Padua, & præfati Reverendissimi D. D. Nicolai Franchi episcopi Tarvisini, & legati apostolici capellanum, notarium, ac familiarem continuum commensalem. Anno a Nativitate 1491. *indictione nona, die vero dominico in octava resurrectionis Domini nostri Jesu Christi X. Mensis Aprilis, Pontificatus sanctissimi præfati Domini nostri Domini Innocentii Papæ octavi anno septimo.*

Ego Joannes Paulus Oliva, juris utriusque Doctor, suprascriptas constitutiones ex originali de verbo ad verbum fideliter manu propria exemplavi, & transcripsi, die sabbati vigesimo septimo Septembris anno D. N. MDXXXIII. indictione sexta Tarvisii, ætatis meæ anno vigesimo quarto, mense decimo, die quinto.

Ex membranula, sæculo XI., ut videtur scripta in tabulario capituli Tarvisinæ ecclesiæ asservata.

ANNO CHRISTI 1491.

Ut unaquæque ecclesia mansum unum integrum habeat sine servicio.

SAncitum est, ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servicio attribuatur, & presbyteri in eis constituti de decimis, neque de oblationibus fidelium, nec de domibus, neque de atriis, vel hortis juxta ecclesiis (*sic*) positis, neque de præscripto manso aliquod servicium faciat, præter ecclesiasticum, & si aliquid amplius habuerint inter senioribus suprascriptum debitum servicium impendant, ut nullus de dote ecclesiæ vel manso presbyterium censum solvere cogat.

Juxta synodalia præcepta decrevimus, ut nullus mortalium de agro ecclesiæ, neque de decimis & oblationibus fidelium quemquam presbyterum aliquem censum persolvere cogat, nec quisquam, cujuslibet ordinis, aut dignitatis, exinde quicquam subtrahat, & redibitionem quamcunque exigat temporalem. Quod si fecerit, communione usque ad satisfactionem privetur.

AD

ANNO CHRISTI 1511.

AD CONCILIUM LATERANENSE V. OECUMENICUM

Anno 1511. habitum.

ADDITIO NOVA.

ORATIO

Angeli Anachoritæ Vallisumbrosæ pro Concilio Lateranensi

Contra Conventiculum Pisanum.

Epistola Julio papæ Romano œcomenioq.

Ex edite tunc Romæ.

ANgelus peccator Anachotita Vallisumbrosæ Beatissimo Papæ Julio perpetuam salutem. Mitto sanctitati tuæ, quæ in odium & ruinam Conventiculi Pisani, in favoremque & patrocinium tuum & sanctæ sedis Apostolicæ in præsentia descripsimus: quæque in lucem in populorum plebiumque judicio commisimus. Nec velim admireris mi ecclesiarumque pater optime orationem hanc meam non observatam in tempore opportuno. Quoniam cum ad aures perveniisset meas Conciliabulum Pisis initium concepisse, ne notarer ignavia, ne obprobrium daretur Deo meo, quod canes suburbani, canes alpestres tacerent dormitarentque, meum statim (periculis & persecutionibus neglectis) volui sanctæ matri meæ Romanæ ecclesiæ (quod potui) concessisse præsidium, meque illi in principio opponere: Cum dictum sit: Principiis obsta: ejusque vires meis scriptis, meo judicio, meaque sententia infringere, enervare, & quantum in me est prosternere, errantesque fratres monere, suum scelus eis pandere, eosque in viam justitiæ & veritatis hortari, continere; seu quos oportebat restituere. Timui insuper Pater sancte, cum ego sim minimus Christianorum in Concilio Lateranens. in confessu sanctorum patrum, orandi locum mihi omnium infimo merito denegari, dicens mecum. Quis sum ego? Si tamen dabitur (mihi crede) audies mordacem in Schismaticos bestiam, non sine strepitu sua verba resonantem. Cæterum te scire percupio, omnes ecclesiarum prælatos, cunctumque catholicum populum, Clericos, Monachos, Anachoritas, totamque œcumenicam Ecclesiam te sequi, te colere, te venerari, teque ad mortem tuis sic petentibus meritis venerabiliter observare. Omnisque creatura clamitat: Vivat Julius. Vale. Ex eremo Vallisumbrosæ. Sexto idus Septembris. MDXI.

Oratio Angeli Anachoritæ Vallisumbrosæ pro Concilio Lateran.

Dicturus hodierna die de re christiana Beatissime pater, Tuque sacer Senatus dominici gregis, eum invoco primi potentem Deum, quem in personarum trinitate, & in deitatis unitate consistere profitemini. Cum eorum patrum auctoritate, quorum nomina scripta sunt in cælis, sacro canone sancitum sit, insurgentibus in vinea Dei in silvaque evangelica lupis rapacibus, mordaces canes evigilandos immittendosque, etsi multos ad hoc adventasse crediderim, Dei tamen spiritu soporatus, ex asperrimis alpibus e dulci solitudine (imminentibus hujusmodi non parvis catholicæ Ecclesiæ periculis) ad latrandum, ad mordendum tractus sum. Mordacibus igitur verbis meisque latratibus, quisquis es seu Miles, seu Dux, aut Imperator, tua pace, æquoque animo tuo conquiescas. Etsi multa in hujusmodi sacro Conventu contemplanda sint dive Juli, tuque Senatus sanctissime: In primis tamen demonstrandum censeo, non ad Reges, non ad ipsum Imperatorem convocandi œcomenici Concilii onus pertinere. Deinde nec ad sacrosanctæ Romanæ Eccles. Cardinales his temporibus, rebusque sic stantibus spectare potuisse. Mox nuntiandum solius esse Romani Antistitis Concilia congregare. Postmodum declarandos eos Schismaticos, qui Pisis Conciliabulum, seu diaboli synagogam temerarie procurarunt. Postremo nulla quæ mei ingenioli viribus in hujus sanctæ universalis Ecclesiæ reformatione, emendatione, & correctione digna judicata est. Prestet igitur Sanctitas tua, vosque cæteri patres venerandi meæ ineptitudini, sed bone menti, gratum quisque benignus auditum. Nec vobis erit in fastum, si quod Dei spiritu concepimus, evomendo paulo altius, quam forsitan expectetis, initium faciemus. Quamque mihi longe antea cognitum sit Beatissime pater, vosque astantes celeberrimi, Constantinum illum magnum, eum dico, non orientis, non occidentis, sed universalis machinæ Imperatorem unicum, qui christianam rempublicam, qui catholicam fidem, qui hujusmodi sacram sedem tantis decoravit muneribus, tantis privilegiis roboravit, tantisque insigniis honestavit; qui sacrum hoc palacium Lateran. in quo sanctissime residetis, Silvestro, imo vobis condonavit, aliosque quam plurimos Imperatores generalia Concilia indixisse, traxisse, consecrasseque ut abundanter ecclesiastica, & tripartita commemorat historia. Immo & sacri Canones in cap. sexta synodus 16. di. copiosissime manifestant. Quo in loco descriptum

ANNO CHRISTI 1511

ptum legimus Julii papæ pontificatu contra Arrium Constantino principe. 318. patrum in Nicea universalem synodum congregatam. Iterumque sub Gratiano Roman. Rege, Damasi temporibus. Rursus sub Theodosio, Celestino Antistite summo existente. Postmodum Vigilio Petri Cathedram ministrante sub Justiniano Imperatore. Sed quoniam rationabilibus causis Deum universalemque ecclesiam moventibus, indecens postea judicatum est, Principes seculares, Reges videlicet, ac Imperatorem ipsum admitti debere ad Clericorum negotia, seu errores agnoscendos, pertractandos, & corrigendos, cum ad eorum non spectet officium, Theodorico Rege magnifico affirmante, qui volentibus Symmachum Pon. max. ejus favore sede Petri expellere, religiosissime locutus est dicens: Non nobis aliquid de ecclesiasticis negociis præter reverentiam cognoscimus pertinere, cooperante spiritu sancto publica lege sancitum est: ad omne schisma tollendum, ad omnem confusionem evitandam, ad solum Romanum pontificem tanquam ad Archimandritam pastorum convocationem omnimodam pertinere. Estque interdictum Regibus & Imperatori, ne in re Clericorum se in posterum interponerent, prout posteritati mandat divus ille Aquinatensis Thomas, ea suorum commentariorum parte, quæ secunda secundæ quæstione 1. titulo prænotatur. Quod etiam in patrum decretis di. 17. sole clarius demonstratur, dum Pelagius papa episcopis qui convenerant ad illicitam convocationem, ad nefandam synodum (ut modo Pisis) scribit dicens: Non est Concilium, sed conventiculum, vel conciliabulum, quod sine sedis Apostolicæ consensu celebratur. Et Marcellus: Absque Romani pontificis auctoritate, synodum aliquibus celebrare non licet. Et Julius primus orientalibus episcopis: Non est ratum Concilium, quod Romanæ ecclesiæ auctoritate non est fulcitum. Et Symmachus: Concilia sine Romani pontificis præsentia pondere carebunt. Secluſa itaque eorum vesania, qui convocandi concilii opus ad Reges spectare impudenter asserebant. Eorum etiam iniquitatem opprimemus, qui nonnullis Cardinalibus malo consilio suaserunt, ad eorum officium pertinere hujusmodi concilii convocationem; quorum doctrinis in præcipitium proruerunt. Et ut verum fatear Patres, si duo essent de Pontificatu contendentes, quorum neuter ullo modo ejus possessione unquam gavisus esset, aut unus demum, qui hæresis labe esset infectus, non negaverim congregandi concilii onus ad Cardinalatus officium pertinere. Sed in præsentia, qua ratione cum unicum habeamus sanctissimum pontificem, virum per omnia integrum christianæ fidei optimum professorem, ab omni hæresis, simoniæque & avaritiæ prorsus alienum a teneris unguiculis veridicum, libertatis ecclesiasticæ acerrimum propugnatorem, recuperatorem, dilatatoremque: ita ut Constantini & Theodosii tempora suo pontificatu rediisse videantur: Cum pax & quies sua opera, sua integritate suaque constantia ecclesiis restituta sit. Quis vestrum eo naviculam Petri procurante unquam decimis & oneribus infensus est? Quis vestrum impositionibus aut mutuis, eo vigilante & protegente a tyrannis oppressus est? Quis denique aut carceratus, aut detentus, aut expoliatus ejus patrocinium imploravit, quod illi ab eodem denegatum sit? Minime igitur dicendum censeo, nonnullis licuisse Pisis præter ejus mentem œcomenicum Concilium indicere, aut ulla præsumptione celebrare. Cum in Clementina: Ne Romani: Quæcumque per Cardinales gesta fuerint, Pontifice dissentiente irritentur, & invalida, ac nulla esse decernantur. Cum igitur nec Regibus, nec Imperatori, nec sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus spectet onus hujusmodi, ad Lateranensem Antistitem demum pertinere demonstrabimus. Petro etenim soli dictum est: Pasce oves meas. Et iterum: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et rursus: Duc cimbam in altum. Quo in loco Chrysostomus commentatus est: Tunc Petro datum mundi principatum, cum illi soli mandatum est naviculam in altum ducere. Quod pulchre Hieronymus contra Jovinianum insinuans scribit: Super Petrum fundatur Ecclesia: licet cuncti Apostoli regni claves accipiant: Et ex duodecim unus eligitur, ut capite constituto scismatis occasio repellatur. Crediderim insuper Deum meum Jesum Christum, ut suæ ecclesiæ unitatem denotaret, unum illi summum ac maximum voluisse præesse pastorem. Cum entia (Philosopho teste) cupiant bene disponi, sitque dominantium pluralitas mala: unus ergo princeps. Et apud Homerum dictum est: Unus sit princeps, ad quem omnia referantur. Scriptum quoque invenio: Erit unum ovile & unus pastor. Quamobrem dicant velim hi, qui se clavium moderatores nuncupant, & inscribunt, quam Christus legem, quam moderationem, quodque frenum Petro imposuerit: cum jussit illum piscari in altum: dicens: Hamum reteque trahe: cum illi retulit: Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cœlis: Cum ait: Pasce oves meas. Quod speculator (& si homo prophanus) in excessu tamen mentis suæ admiratus evomit, Romanum Pontificem Petri successorem, non puri hominis, sed puri Dei vicem gerentem in terris omnia posse disponere pro libito voluntatis. Ut etiam copiose describitur 9. q. 3. Per principalem, & capit. Cuncta per mundum, jugumque ab eo impositum, quamquam grave ferendum est. In memoria. Cum superiorem in terris habeat neminem, de electione in fine: non debet nec potest ab aliquo judicari di. 21. Quoniam manibus suis cæleste arbitrium continet, Juraque superni & terreni imperii ei divinitus commissa sunt. 22. di. Quo loco cognosci facillime potest, per verbum illud Romanam fundatam ecclesiam, per quod cœlum, terra, mareque constructum est. Quod etiam contemplatus Hostien. in cap. per Venerabilem. Qui filii sint legi: admirandam gustandamque hujusmodi emisit vocem: Romana ecclesia altera Hierusalem Petri sanguinis effusione facta est, quam in Petro homine iterum Christus crucifixus est, cum illi protulit: Vado

ANNO CHRISTI 1511.

Romam iterum crucifigi. Unde Urbi huic, suoque antistiti, & tibi dive Juli tanta plenitudo potestatis concessa est, ut non debeant nec possint Cardinales seu alii Ecclesiarum prælati calcaneum nec verbum ullum in te erigere; cum monstro sit horribilius membra a suo capite dissentire, & subditos in suum principem judicium exercere. Sicut enim in triumphanti ecclesia Deo subiiciuntur & parent throni, ac universæ potestates, sic in militanti nostra ecclesia neminem esse convenit, qui Romano pontifici Dei vices gerenti resistat, obviet, & se opponat, Clavesque in ejus manibus consistentes, ulla fiducia se velle moderari clamitet & confidat. Et quoniam schisma illicita est divisio ab unitate Romanæ ecclesiæ, quæ super omnes ecclesias tenet principatum, quæ omnium ecclesiarum est mater & magistra, non solum eos Cardinales Schismaticos judicabimus, qui armati per fugam ab obedientia Romani Pontificis se traxerunt, conciliabulumque indixerunt, sed eos etiam omnes, qui timore aut jussu Regum schismaticis Cardinalibus adherentes, Pisis ad conventicula facienda convenerunt; cum hi trepidaverint timore, ubi non erat habendus timor, cum ab ecclesiarum prælatis minime Reges timendi sint; cum a Christo dictum sit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Et iterum: Qui amat animam ideſt vitam suam, timens propter justitiam sibi auferri (ut commentatur Chrysostomus) perdet eam. Et Augustinus referat: Christum, ut nullum genus mortis homini metuendum esse demonstraret, voluisse in cruce mori. Et in decretis mandatum sit, non esse timendos occisores corporis, contra justitiam homines impellentes, quoniam in Apocalypsi dictum est: Timidis erit pars in stagno ignis & sulfuris. Quamobrem non timuit Ambrosius Theodosium, non Joannes Baptista Herodem: quoniam auctores consentientesque Pisanæ synagogæ timentes gladium carnis & Regum, in pravitatem videlicet schismaticam inciderunt, juxta Ezechielis oraculum dicentis, Gladium metuistis, gladium inducam super vos, ait dominus omnipotens. Propterea jure optimo scismatici judicandi, & habendi sunt. Nec possum non admirari tot, tales, tantosque viros in tam scelus in tam profanum facinus incidisse. Et si qui eorum sunt, qui sacros ignorent canones (cum philosophiam profiteantur plerique) debent tamen doctrinæ sui Philosophi ad minus meminisse dicentis in tertio suorum Ethicorum lib. Quædam esse (ut in re præsenti & quæstione nostra) quæ nullo timore aliquis cogi debet. Fatentibus tamen eis errorem suum Pater beatissime redeuntibusque ad gremium & unitatem Romanæ sanctæ matris ecclesiæ (cum homines sint) eos admittendos recipiendos & venia donandos judico; cum nostra mater Ecclesia nulli claudat gremium redeundi, magnanimusque Imperator noster Christus, qui patiendi humilitate, non dominandi potentia, coeli & terræ regnum adeptus est, apertis extensisque brachiis in cruce pendeat, ut ad se venientes redeuntesque semper admittat. Pro qua re & venia hujusmodi condonanda, & te pater sancte & catholicum Senatum tuum humili prece deposco, oroque imitemini illum ducem vestrum, cujus proprium est misereri semper & parcere. Postremo, ut quæ obtulimus, videlicet quæ in præsenti Concilio in Dei ecclesia reformanda seu tollenda judicio, proferamus, pronunciabimus curandum esse in primis, ne boves in ecclesia subleventur; cum nihil sit quod christianam rempublicam admodum inficiat, dilaniet atque perdat, quam quod imperiti rudes ac immeriti ad ejus principatum promoventur. Pensiones ulterius abdicandas cassandasque cum devenient; sintque contra Canonem jubentem ecclesiastica beneficia sine aliqua diminutione conferri & committi. Religionum insuper divisiones tantas, etiam in ordine Sancti Benedicti evertendas, ipsumque ordinem ad unum habitum & ad unam congregationem sub uno prælato restringendum, & propter ejus singularia merita atque in ecclesia Dei beneficia sub protectione tanctæ sedis Apostolicæ conservandum censeo. Reliquarum etiam institutionum seu ordinum semotis tot tantisque divisionibus, mundialem machinam perturbantibus reduci ad unum opportunum & proficuum demonstramus: cum regnum in se divisum (teste domino) desoletur. Cætera præterea omnia tam electiones Episcoporum, quam Abbatum, cæterorumque prælatorum ad jus commune omnia reducenda & limitanda esse deposco. Dispensationes etiam tantas temperari debere, humili voce pronuntio. Corrigendos insuper clericorum, monachorumque & vitam & mores & pompam & fastus. Non desunt præterea pater sancte, qui proferant annatas tamquam Catholicam ecclesiam infestantes, Romanæ ecclesiæ esse prohibendas. Sed cum opportunum sit & proficuum ecclesiæ universali, auri plurimum esse apud Romanum Pontificem, ut Regum & Principum plerumque temeritatibus possit obsistere, eosque in virga ferrea regere, penitus dissentio atque contradico. Doleoque quam plurimum, non satis auri esse apud Lateranensem Episcopum, ut queat tantis ecclesiæ latronibus obviare. Oporteret namque illum semper esse accinctum gladio super femur suum potentissime, ut posset obsistere, fugare, evertere tot Pharaones, tot Nerones, tot Tyrannos libertatem civitatesque Ecclesiæ opprimentes devastantesque; Orientalia insuper regna atque Imperia Civitatemque sanctam Hierusalem Barbarorum manibus oppressam atque laniatam redimere, & obedientiæ hujus sanctæ Sedis restituere. Quorum recuperationem in hujusmodi sacra synodo pertractari & exequi (cum locus & tempus postulet) Beatissime pater oro, peto, supplico, & sommopere exopto. Imitationem Concilii apud Claramontem, instante Urbano secundo habiti, in quo Christi plebs et a Pontifice, & a Concilio ad recuperandam Hierosolymam ita animata & accensa fuit ut tercenta vel (ut alii scribunt) sexcenta millia virorum armaverit, Crucemque Christi suscipere coegerit. Exercitum nempe, qualem nunquam antea neo post latinis, nec occidentalis Europa descri-

ANNO CHRISTI 1511.

ANNO CHRISTI 1511.

scripsit. Vos igitur, & te in primis, Beatissime pater ad expeditionem hujusmodi (ut Apostoli Christum in navi dormientem) excito, hortor atque impello, victoriamque polliceor, attestantibus tam veteris quam novi testamenti Prophetarum omnium oraculis. Sin autem poenitus genus deficiet Christianum, nosti illud in extremo occidentalis Europæ clausum, detentum atque carceratum. Miseremini miseremini ejus, & totius collabentis ecclesiæ. Oblivioni enim dabitur dextera vestra, si memores non eritis ipsius sacerdotalis civitatis sanctæ Hierusalem. Multa postremo essent recensenda, sed ne videar ego solus omnia velle perstringere, cupiamque vobis patribus pro rebus gravioribus locum dare, quiescam. Unum tamen rogatum vos facio, ut Julium Pontificem nostrum, quem libertatis ecclesiasticæ egregium conservatorem esse monstravimus, his temporum turbinibus a Deo nobis datum agnoscatis, cognitumque & orationibus & suffragiis commendatum, & ut Christi Vicarium, ac verum Petri successorem gratum, & summopere dilectum juvetis, faveatis conservetisque.

Dixi.

EPISTOLÆ

Angeli Anachoritæ Vallisumbrosæ.

Julio secundo Pont. Max. Francorum Regi

Bernardino, tunc cardinali sanctæ Crucis, pro Christiana unitate servanda.

Epistola Angeli Anachoritæ Vallisumbrosæ ad Julium secundum Pont. Max.

ANgelus peccator Anachorita Vallisumbrosæ beatissimo papæ Julio perpetuam salutem; et si omni cura, officio, ac diligentia, quantum in me fuit, procuraverim dive Juli harum omnium epistolarum exemplaria, tota fidelitate deferri. Quoniam tamen, non proprio Tabellario: (qui nobis in his nebulosis alpibus nulli sint, sed potius incerto tradita cognoscimus. Ita, ut non bene mihi conscius sim, illa ad te atque ad cæteros, quibus inscriptæ sunt; fideliter perveniisse. Non indecens judicavi, pro animi mei quiete, ac devotorum suorum satisfactione, illa venali Bibliopolæ consignare, ut sua dilucidatione, si non prælatorum, saltem amicorum vestrorum solicitudine, ad te ac omnes reliquos comode per veniant. Quamobrem catholicum quenque oro, obsecro, atque obtestor, cum hæc ad ejus manus sic impressa convenerint, curet quamprimum illa ad te, ad omnesque alios, quibus dicta sunt,, omni celeritate convehi, & conferri. Munus orationum mearum habituri pro pretio operis, & laboris sui. Vale.

Ex eremo Vallisumbrosæ.

EPISTOLA

Angeli Anachoritæ Vallisumbrosæ Bernardino Carvagal, tunc cardinali sanctæ Crucis.

ANgelus peccator Anachorita Vallisumbrosæ Bernardino Carvagal emendationem. Cum una demum fuerit arca Noe, extra quam nemo salvatus est, sitque Petri navicula unica, unaque catholica ecclesia: Salomone in cantjcis canticorum referente. Una est columba mea unaque sponsa mea: una insuper sit Christi domus: de qua dictum est: Beati qui habitant in domo tua domine. Cujus regimen, habenas, clavesque Romanus pontifex cælesti quodam jure tenet, possidet, atque moderatur. Cujus pacem, quietem, ac tranquillitatem involvens, perturbansque, non cardinalis, non Christianus, sed Antichristus vocari debeat, cum Deum, nec Christum habeat patrem, qui Romanum pontificem, suamque ecclesiam non habet matrem. Scire a te summopere exopto quo spiritu, qua audacia, quave temeritate sacrificas, ac Christi corpus conficis? cum Schismaticos minime deceat munera, nec sacrificia ullo instinctu offerre. Ozea suo oraculo referente, Sacrificia eorum tamquam panis luctus, & omnes qui manducant ea, contaminabuntur. Et in libro Exodi describatur. Non comedetis agni hostiam, nisi in una domo: neque comedetis de carnibus ejus foris. Tu enim agni carnes foris comedis, qui extra arcam Noe, extra naviculam Petri, extra domum Dei, extra unitatem Romanæ ecclesiæ, in scismate constitutus, Deo (immo diabolo) missam facis. Ex Angelo enim idest ex venerabili ecclesiæ membro, te Cherinthum, te Ebionem, te Arrium, te Judam, teque Luciferum effectum esse non dubites. Quos si in scelere, si in errore, si in scismate sequutus es, eos saltem in pertinacia non subsequaris. Redi ad cor tuum. Redde te ipsum tibi. Redde nobis concivem nostrum. Redde confratrem nostrum. Redde nobis doctorem nostrum. Redde Rom. ecclesiæ tam venerabile membrum suum. Præsto est enim, ut tibi indulgeat (pro te jam supplicavimus) ut te admittat, ut te amplectatur, ut te ad oscula recipiat. Erravit namque & Petrus, ne te in errorem lapsum de salutis spe dejiceret, sed sua imitatione tuum scelus, tuam erga Rom. ecclesiam ingratitudinem uberibus lacrymis baptizares. Totum christianæ divisionis pondus, totum onus scismatis, omne perversum dogma Conventiculi Pisani tibi opponitur, tibi datur, tibi ascribitur. A Deo insuper in tremendo judicio tibi exprobrabitur; quod tunicam dilecti filii sui inconsutilem, quam nec Judæi, nec principes sacerdotum, nec ejus crucifixores scindere voluerunt, tu eam ne dum scindere, sed lacerare, ac penitus discerpere pertinaciter conaris. Et quoniam in manibus tuis esse dinoscitur, eum tibi quantis possum precibus, quantisque lacrymis valeo, gratam atque commendatam summopere facio. Dixi.

Ex eremo Vallisumbrosæ Non. Octobris. MDXI.

ANNO CHRISTI 1511.

EPISTOLA

Regis Francorum.

ANgelus peccator Anachorita Vallisumbrosæ Ludovico Franc. regi inclito, reverentiam Rom. ecclesiæ exhibendam dicit. Ne unquam mihi in confusionem, in contumeliam, ac in obprobrium a quoquam dari possit rex Ludovice, quod tibi cæterisque omnibus congregationis christianæ unitatem scindere cupientibus, me murum non opposuerim, pro domo domini statueram mecum longiorem epistolam (jam conceptam) ad te facere; sed dum mente revolvi mea, cautum esse in lege simili, Codice de precibus imperatori exhibendis, ne regibus diffusa verba proferamus. Multis, quæ scripseram resecatis; hoc demum tibi quam breviter denuntiasse volui. Illustrissimum videlicet principem prædecessoremque tuum Carolum. Eum cui ob egregia facinora et in rempublicam christianam singularia beneficia a cognomento magnus fuit in Urbe, post pedum Hadriani pontificis obscula beatorum, in basilica principis apostolorum super altare, in quo Petri, & Pauli sacratissimi cineres considunt, & requiescunt, jurejurando perpetuam pro se ac suis successoribus, cum Romano pontifice sanxisse amicitiam, fœdusque æternum, unitatem, ac pacem perpetuam confeciſſe. Obedientiam insuper Romanæ ecclesiæ cum amicitia, & pace servaturum se suosque successores, cunctumque inclitum Francorum regnum indelebili juramento in perpetuum religiosissime constrinxisse. Mortuo postmodum Hadriano, suffectoque in ejus locum Leone III. cum ab iniquis quibusdam, Carolo tunc Romanorum imperatori (falso Pontifex accusatus esset) velletque in synodo in Petri templo per eum congregata, de ejus vita, ac moribus judicium ac sententiam consummare, continuo ab omnibus uno animo, uno impetu, una voce, a totoque concilio incessanter proclamatum est, Romanum pontificem, Dei locum in terris gerentem, sedemque apostolicam omnium ecclesiarum caput, a nemine (præsertim laico) ullo modo, ullaque autoritate judicare posse. Quod divinum responsum a Carolo degustatum, tanquam oraculum a Coelo sibi factum, a conceptis abstinuisse, ad suaque, & laicorum negotia, se magna omnium commendatione penitus contulisse. Quod autem tu in præsentia, ne dum tanti principis juramenta transcendas, sed quod deterius est, Romani pontificis vitam & mores perscrutari coneris. Cavendum summopere tibi est a turbida apostolorum Petri & Pauli indignatione. Insuper ab ira Dei, ne in te multipliciter insæviat. Scire enim te oportet Roman. pontificem, cum nullis subjaceat legibus, non debere etiam tuis judiciis, tuisque perscrutationibus subjacere. Cum habeat, te cæterosque reges & honestare & corripere, & regno si placet exauctorare. Ut late constat in Canone XV. q. VI. Qua in parte Zachariam episcopum Lateranensem regno denudasse describitur Ludovicum illum inutilem Francorum regem, ac ei coronam & potestatem regiam ademisse, atque ad domesticam & privatam vitam reddidisse. Et alibi Innocentium III. depositisse imperio Ottonem. Et Innocentium IV. Federicum. Diebus præterea nostris pari lege, Innocentium VIII. Ferdinandum Siciliæ citra Pharum, ejusque oræ Italiæ, quæ quondam magna Græcia vocabatur, regem, apostolica authoritate depositisse conspeximus. Quamobrem tibi officii, & debiti tui esse denuntio, te in re, causa hujusmodi talem exhibere, ne Christianissimi regis cognomen, quo nil charius, nil jucundius, nil preciosius a majoribus tuis judicatum est aliqua tua impietate, aliqua curiositate aliquave ambitione deturpes, perdas jactes atque aboleas. Dixi.

Ex eremo Vallisumbrosæ sexto Idus Octob. MDXI.

EPISTOLA

Julio II. Pont. Max.

ANgelus peccator Anachorita Vallisumbrosæ beatissimo Papæ Julio perpetuam salutem. Tibi in altitudine maris, in tantis rerum perturbationibus in tantisque tempestatibus constituto, aliquid solaminis, spei, & solatii, his meis pater beatissime contuliſſe volui. Rem videlicet Christianam brevi felici fine potituram. Quoniam mens & eorum cornua, qui impetebant illam attrita & comminuta, cælesti oraculo quodammodo perpendimus. Scito (velim) me ipsa nocte, qua eam Ludovico Francorum regi feci epistolam (prius enim Bernardino cardinali sanctæ Crucis consimilem feceram), mihi per somnum visum est videre maximum quendam canem (quoniam sic scripseram) me invadentem, ut morsibus totum discerperet. Quem prospiciens retraxi continuo pedem. Postmodum resumpto virili animo: me illi obviam contuli. Quem (ut voluit me comprehendere) cæpi in capite, & tandiu ejus compressi fauces: quod dentes ejus confregi cunctos. Quod cum vidisset sacerdos quidam, qui canem diligere videbatur, in me quam primum irruit ut cæderet. Quo viso steti. Dum autem me aggreditur, eum fortiter impuli meoque impulsu prostravi. Strato taliter me conviciis afficiebat maximis; quibus commotus comprehenso ejus capite illius truncavi linguam. Sicque gaudio magno affectus sum. Canem illum maximum pater sancte Francorum regem interpretatus sum. Dentes ejus confractos ejus, potentiam, seu nocendi voluntatem, nostris orationibus, nostrisque scriptis diminutam seu diminuendam. Sacerdoti illi linguam cæsam Bernardinum cardinalem sanctæ Crucis, aut se emendaturum credimus, et in omnibus sanctæ Romanæ ecclesiæ præceptis pariturum, nec ultra in te, in unitatemque Christianæ congregationis, & tuam sedem latraturum, aut e vita migraturum, aut honorem & authoritatem perditurum. Quamobrem te ne cedere malis commoneo: sed contra audentior ire. Quoniam Petri cimba, quæ (& si tempestates quandoque pas-

sa

ANNO CHRISTI 1511.

sa est) sicut nunquam submersa est; Sic nec te duce, ac gubernatore, quidem optimo, ullis ventorum turbinibus suffocabitur. Vale

Ex eremo Vallisumbrosæ XI. kal. Novemb. MDXI.

EPISTOLA

Angeli Anachoritæ Julio II. Pont. Max.

ANgelus peccator Anachorita Vallisumbrosæ beatissimo papæ Julio perpetuam salutem. Audio pater sancte doctores quosdam Papien. alios q. quam plures, tam latinos quam barbaros in præcipitium tuum in discrimenque & desolationem puritatis nostræ unionis christianæ, in munimen insuper, robur Conciliabuli Pisani: multa esse commentatos. Crediderim eorum exemplaria ad te imprimis devenisse. Te itaque quantis possum precibus rogatum, facio, cures illa ad me deferri. Quoniam si ad nostram convenient solitudinem (mihi crede) a nostra censoria virgula a meoque mordaci, ut post rusticano atque alpestri calamo, ab ardenti etiam meo in sanctam sedem apostolicam, & christianam fidem, graphio non recessura, quin poeniteat eorum auctores ab infantia litteras imbibisse. O prophanum facinus. O scelus horrendum. Debebant hujusmodi non ignorasse evangelicum patrem familias, Deum S. optimum maximumque vineam sabaoth domumque Israhel, Romanam videlicet atque catholicam ecclesiam incustoditam, & absque aliquo vigili, atque mordaci cane unquam reliquisse. Quos & procreat, & relaxat et immittit, pro loco pro causa, pro necessitatibus, ac pro ipsorum temporum opportunitate. Et si non veriti sunt urbanos, tanquam molles, formidasse saltem debuissent montanos, atque alpestres sub divo perpetuo degentes, atque cœlum ipsum semper contemplantes. Quoniam in omnes latrant, omnes mordent, transgressorem quemque lacerant, et contundunt, cum nullum agnoscant, nemini neque duci, nec regi, nec cardinali, nec imperatori quidem ipsi parcunt. Quum unum demum profiteantur Deum in coelis, unam sanctam matrem Romanam atque catholicam ecclesiam cognoscunt in terris; pro qua parati, & prompti sunt in ignem in ferrum atque in mortem ire. Si prophani hujusmodi talia essent contemplati, tam impium, tam nefandum, tamque crudele scribendi onus instantibus regibus ulla spe, ullis precibus ulloque præmio, tam audacter assumpsissent. Pro quibus ad cœlum nihilominus supplico ad saniorem intellectum eorum ingenia commoveri. Nollem tamen Pater sancte post poenitentiam (& quidem gravem) a me illis indictam, a te tuaque sancta sede; (cum nemo debeat duplici poena conteri) Nec Deus bis judicet in idipsum in posterum eos alia pœna affligi, quoniam (ut spero) eos tanta afficiam, quanta ab acerbo quoque Judice flagitioso omni, pro turpissimo quoquam scelere, proque nefando crimine læsæ majestatis ullo tempore ingesta impressaque atque inflicta fuerit. Vale.

ANNO CHRISTI 1511.

Ex eremo Vallisumbrosæ. VIII. Kal. Novemb. MDXI.

DE CORRECTIONE KALENDARII

Propositiones XIII Recollectæ ex multis disceptationibus habitis per D. ad hoc specialiter deputatos ex parte S. D. N. Papæ & sacræ deputationis fidei in Concilio Lateranensi.

De correctione Romani Kalendarii pro Pascha rite celebrando Propositiones XIII.

PROPOSITIO I.

Defectus æquinoctii, & causa.

ROmanum Kalendarium deficit in duobus. Primo in sede vernalis æquinoctii quam assignat 21. mensis Martii. Cum in veritate hodie ibi minime contingat, sed 11. vel 10 ejusdem. Et hic defectus procedit ex eo, quod annus solaris descriptus in Kalendario cum bisexto, quarto quoque anno addito, major est in veritate anno solari coeli, decem minutis & fere, 44. secundis. Quæ excrescentia aggregata, faciunt fere unam diem naturalem in 134. annis, quæ dies debuit tunc dimitti, vel anteriorari in Kalendario, ad servandam veritatem realem æquinoctii; & ex ea non dimissa, vel non anteriorata, hodie per tot dies ascendit æquinoctium a sede Nicænæ synodi, quæ tunc recte manebat a Nicænis patribus ex 25. Martii, ubi eam Julius fixerat, ad dictam 21. reducta; quod etiam in effectu hirundines & aliæ aves, quæ suo modo pascha & transitum suum quolibet anno cum coelo faciunt, nos docent. Ex edito tunc Romæ.

PROPOSITIO II.

Defectus cycli, & causa.

DEficit secundo prædictum Kalendarium in cyclo lunari decemnovali aureo numero, nuncupato, in eo descripto, per quem ætas Lunæ a congressu solis computatur. In quolibet enim cyclo, in singulis 19. annis revolutiones lunæ anticipant totidem solis revolutiones, una hora & 28 minutis, & tribus secundis: ex eo quod 19 anni lunares cum suis semptem embolismis tantundem sunt breviores 19. annis solaribus cum suis quatuor bisextis & 18 horis. Qui defectus computatus deinde in 16 cyclis, qui faciunt 304 annos, ascendit fere ad unam diem naturalem. Quare tunc ad conservandum cyclum dies illa omitti debuit vel anteriorari, aut aliter tunc cyclus corrigi debuit, ut vere ætatem lunæ significaret. Et quia post Nicænam synodum hoc minime est factum, cyclus hodie tantum ascendit, ut communiter, ubi per eum computamus primam lunam, fere in coelo quarta conspiciatur. Et sic de cæteris cycli computationibus.

ANNO CHRISTI 1511

PROPOSITIO III.

Defectus paſchæ, & cauſa.

CUM ergo iſta duo, æquinoctium videlicet, & luna 14 ſint fundamenta & termini paſchæ: eccleſia enim catholica, & univerſalis ordinavit in conciliis Sebaſtenſi & Neceno, & deinde in Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano, & aliis pluribus confirmavit atque decrevit, paſcha domini celebrandum eſſe a Chriſtianis die Dominica poſt lunam 14 primi menſis. Et menſis primus dicitur, cujus lunaris primatio propinquior eſt æquinoctio vernali. Ita ut ejus luna 14 ſit in ipſo æquinoctio vel immediate poſt ipſum, & talis 14 luna terminus paſchæ vocabitur. Ut ſequenti Dominica paſcha Domini debeat celebrari, neceſſe eſt æquinoctio & 14 luna in Kalendario tam deficientibus, ab illis qui hodie hujuſmodi Kalendario utuntur paſcha Domini cum defectu aliquo celebrari, nec in veritate juxta integram præceptionem Domini, & intentionem ſanctæ eccleſiæ catholicæ.

PROPOSITIO IV.

Excuſatio prædeceſſorum.

SUperiores autem patres, ſi hactenus hæc non reſolverunt, excuſandi veniunt: quoniam defectus hic æquinoctii, & cycli apud eos non fuit tam inſignis, vel quia in conciliis, ubi hæc rectius diſcuti poterant, fuit eccleſia aliis majoribus præpedita occupationibus, & nonnunquam ſciſmaticis cautis perplexa, quæ non permittebant illos novi aliquid diffinire, occaſionem minoris obedientiæ timentes. Aſtronomica etiam ars, quæ olim chriſtianis fuit propter ritus gentilium plurimum odioſa, nec venerat ad ſui perfectionem, cum etiam poſt tempora Ptolomei, motus acceſſus, & receſſus, ac alia plæraque hujuſmodi ad perfectam temporis notitiam neceſſaria, plenius innotuerint.

PROPOSITIO V.

Obligatio paſchalis & myſteria ejus.

HUjuſmodi autem paſchalis celebratio non obligat nos ex inſtitutione veteris teſtamenti: cum illius cerimonialia in morte Domini fuerint conſummata, ſed ex inſtitutione nova aut confirmatione eccleſiæ ſanctæ catholicæ, quæ ita ſervandum paſcha inſtituit. In Dominica tamen die propter reſurrectionem Domini, & ut ab obſervantia iudæorum diſtarent Chriſtiani, ſervatis tamen aliis temporis conditionibus, propter aliquid moralitatis in illis latentis, ut paſcha, ideſt tranſitus domini de morte ad immortalitatem, celebretur in menſe novorum: ideſt ſub vernali æquinoctio, & in plenilunio ſicut vere contingit, ſub quo tota dies naturalis eſt lucida. In quibus multiplex cauſa moralis in quadruplici ſenſu ſcripturæ, & in triplici partitione ſacramenti ſigni, rememorativi, indicativi, & pronoſtici continetur.

PROPOSITIO VI.

An peccent celebrantes paſcha non correctum.

ANNO CHRISTI 1511.

ET tamen celebrantes paſcha ſecundum hujuſmodi canones & Kalendarium defectuoſum eccleſiæ minime peccant, cum modum illis datum ab Eccleſia cuſtodiant. Quinimmo non correcto aut moderato Kalendario, & ipſis canonibus ab Eccleſia, peccaret ſubditus, qui aliter celebrare paſcha tentaret. Princeps tamen Eccleſiæ videns defectum artis querendi ætatem luminarium, omni ope niti debet artem illam pro officio Eccleſiæ rite celebrando ad perfectum reducere; cum eccleſia nec macula ignorantiæ, nec ruga malitiæ aſpergi debeat, & cum cuilibet etiam minori ſacerdoti juxta volumen decretorum ars computi ſit neceſſaria, ita ut ſacerdotis nomen in eo rite non conſtet, ne eidem principi contingat illud evangelicum de ſervo ſciente voluntatem Domini, & non faciente, ſignanter cum hæc temporis reparatio introducta ſub hac oecomenica ſynodo, omnino pacifica, & negotiis multis non gravata, fuerit univerſo orbi, & illius principibus maxime publicata, & a principe univerſalis eccleſiæ illis nunciata. Unde gravis nota eſſet illam ad ultimum non reſolvere. Quinimmo videretur defectus cognitus approbari; quando ei non reſiſteretur, nec careret in proprio alio itidem evangelico: homo hic cæpit turrim ædificare, & non potuit conſummare.

PROPOSITIO VII.

Reparationis æquinoctii prima via.

CORrectio igitur æquinoctii duabus viis fieri poterit, una per omiſſionem 11 dierum, ſicut Julius Cæſar, quantum ſuo tempore oportebat, fecit, & ſimiliter Cuſanus Cardinalis in Baſilea conſuluit, videlicet illos 11 dies omittendo in aliquo menſe anni: ut ſi apoſtolico dicto præciperetur quod 21 Octobris hoc anno vel ſequenti eſſet prima Novembris: vel quod in 44 anni ſequentibus, dies 11 biſextiles minime intercalarentur, ſed omnino dimitterentur.

PROPOSITIO VIII.

Secunda via.

SEcunda via facilior eſſet per anticipationem ſedis æquinoctii in Kalendario ſegendæ ad iſtos 11 dies, ita quod ex die 21 Martii transferretur, & poneretur 10 ejuſdem, ſicut patres Niceni quantum ſuo tempore ſatis erat, fecerunt. Et Cameracen. Cardinalis in Conſtantien. ſynodo ex toto animo docuit. Quod Joannes 23 in eadem ſynodo expedire cogitabat; niſi quod multis fuit præpeditus anxietatibus. Et ſynodus ipſa, poſtquam rejectis tribus, qui pro ſummis pontificibus ſe gerebant, canonico uno Pontifice Martino V. gaviſa eſt, cum tempus

ANNO CHRISTI 1511.

pus hyemis, & in Germania tunc appropinquaret cito dissoluta fuit. Et hæc, & aliæ causæ diffiniendæ ad sequentia concilia sint remissæ.

PROPOSITIO IX.

Confirmationes, & objectiones ad primam viam.

PRima via obmissionis dierum posset esse conformior antiquis regulis conciliaribus de terminis paschæ infra 21 Martii, & 25 Aprilis concludendis, & conformior regulis breviarii consuetis de intervallis & Dominicis inter Epiphaniam & Septuagesimam, ac Penthecostem, & Adventum. Corrumperet tamen tabulas astrologicas, & libros eorum confunderet, similiter & computationes mercatorum, & chronicorum; Scandalizaretque populum, diminuens annum unum diebus 11. Corrumperet etiam cyclum solarem, & ordinem Litterarum dominicalium. Lunarem quoque cyclum corrumperet. Nec videtur secundum eam viam posse alium lunarem cyclum conformem observationi ecclesiæ constitui aut regulari. Et similiter modus dimissionis bisextorum (ultra hoc quod ad unam fere generationem non esset integre practicabilis) eisdem fere inconvenientibus subjaceret.

PROPOSITIO X.

Confirmationes secundæ viæ.

SEcunda via facilior anticipationis dierum in fixione æquinoctii, nec populum scandalizaret, qui hoc non sentiret, neque sapientes ex ea mirarentur, qui cognoscunt æquinoctium tunc in veritate contingere; Cyclum recte servaret, Patribus Nicenis & Constantiensibus conformior esset, quorum potissima laus est in ecclesia Dei ..... alii graviores hæreses, alii scismata gravior in Dei ecclesia sedaverunt. Jejunium quoque quadragesimæ ad breviores ac temperatiores propinquiores.

PROPOSITIO XI.

Objectiones contra secundam viam.

ET tamen huic secundæ viæ objecta non deessent primum quod exorbitaret a regalis patrum in terminis paschalibus. Nam secundum istam viam Pascha claderetur inter 10 Martii & 15 Aprilis. Secundo non semper conveniret cum intervallis consuetis Epiphaniæ & Penthecostes, quorum primum aliquando esset brevissimum, nec capax dominicarum, & epistolarum Pauli, quæ tunc leguntur. Secundum etiam quandoque esset longissimum continens nonnumquam 30 dominicas, quarum non sunt nisi 24 dominicalia officia. Quare illis deficerent. Tertio quod septuagesima contingeret quandoque infra octavam Epiphaniæ ubi videtur grave alleluja dimittere. Quarto, quod hæc via tempus sufficiens celebrandis Nuptiis non dimittit solutiones. Primum tamen non militat, quia admissa mutatione sedis æquinoctii, quæ hodie veritati innititur, necesse est regulas illas paschales commutare; quum variata causa, necesse sit effectum quoque variari. Quod clare & certo fiet, cum id liqueat demonstratione numerali mathematica. Similiter & de intervallis variatis non convenit, quæ etiam sine mutatione sedis æquinoctii non semper paria esse consueverunt, & ecclesia non inde gravatur, & officia primi intervalli; similiter epistolæ Pauli distribuuntur, quando tempora sunt illarum capacia, alias non. Sed sufficit, quod aliquando legantur, vel possunt tunc ad secundum intervallum transferri, & in illo secundo quando dominicis abundaverit, agatur prout in rubricis Breviarii nuper correctis. De alleluja subticeatur in septuagesima, etiamsi octava Epiphaniæ contingeret, sicut agitur in festo annunciationis. Verum nunquam continget juxta hujusmodi correctionem septuagesima ante Epiphaniam nec in ea. De Nuptiis possunt alias per annum celebrari, vel commodius S. D. N. mutata sede æquinoctii poterit statuere usque ad quinquagesimam absque pompa posse a fidelibus expediri.

PROPOSITIO XII.

Conservatio æquinoctii.

COrrectio igitur æquinoctii per unam istarum viarum ut est dictum ad perpetuam illius conservationem sufficiet deinceps singulis 134. annis, vel prope diem unam bisextilem dimitti ut supra.

PROPOSITIO XIII.

Reparatio cycli.

QUia vero cyclus magnam habet difficultatem, & varietatem in servanda perpetuitate sua, & illius conservatio post sufficientem ejus reparationem foret singulis 304 annis diem unicam bisextilem dimittere. Quæ conservatio ex prædicta æquinoctii conservatione impediretur. Dum eo temporis cursu jam duos dies, & sex horas pro æquinoctio dimiserimus, qui cyclo conservando superfluerent, videretur modo consultius ad paschalem lunam dumtaxat indagandam, uti tabulis astronomicis, in quibus ad mille annos computetur, & describatur præcise Luna paschalis. Et in principio Kalendarii ponatur. Quia vero ecclesia tanto tempore cyclo vel aureo numero fuit usa, ne eo videatur omnino privari, reparetur nunc cyclus sufficienter ad minus ad tercentos quattuor annos. Quod factu facile est. Et in Kalendario correctus de more describatur, duplici tamen protestatione prævia; altera, quod post lapsum dicti temporis videlicet 304 annor. iterum ab ecclesia per sapientes corrigatur. Altera quod interim & semper quando in cyclo & tabulis prædictis de Luna paschali discordia intercesserit, præcisiori tabularum supputationi ab omnibus stari debeat. Quibus servatis deinceps domino concedente,

ANNO CHRISTI 1511.

te, defectus in paschali observatione minime succedet.

ANNO CHRISTI 1511.

SUMMARIO

Kalendarii correctio.

ÆQuinoctii vernalis sedes fixa in Kalend. rio Roman. a patribus Nicænæ Synodi 21 Martii cum hodie lapsu temporis non tunc sed 10 vel 11 Martii æquinoctium contingat.

Primum debet reparari & corrigi.

Secundo debet etiam corrigi cyclus quoad motum Lunæ, cum fere quinque diebus primationes Lunæ singulis mensibus hodie contingant ante numeros cycli, quibus illæ ostenduntur.

Æquinoctium autem posset duabus viis corrigi. Prima via per dimissionem illorum 11 dierum in aliquo mense futuro, vel in pluribus mensibus vel in annis 44. 11 dies bisextiles non intercalando. Secunda facilior per anticipationem sedis æquinoctii figendo illam 10 Martii. Et una istarum viarum æquinoctio semel reparato, ad illius perpetuitatem necesse erit ex tunc singulis 134 annis unam diem bisextilem non intercalare sed omnino dimittere.

Cyclus vero reparetur ex nunc ad annos 304 pro quibus sufficienter procedet, & ex tunc si volumus eum custodire in perfectione sua, necesse haberemus similiter tunc unam diem bisextilem dimittere, vel per diem numeros illos anteriorare. Sed quia conservatio æquinoctii prædicta impediret istam cycli conservationem, & hæc cycli illam æquinoctii turbaret, necesse erit singulis 304 annis iterum cyclum reparare per sapientes Theologos & astronomos. Et ad præcisam ætatem Lunæ habendam pro pascha rite celebrando, facere ex nunc tabulas astronomicas ad mille annos vel ultra pro sola 14 Luna paschali, quæ ponantur in principio Kalendarii. Et tunc solemnitas paschæ perpetuo rite procedet cum fixo æquinoctio vero & præcisa 14 Lunæ computatione, ut sequenti Dominica post 14 Lunam primi mensis cum veritate, laudibus juxta Domini, & Ecclesiæ catholicæ intentionem pascha Domini celebretur. Ita tamen ut si in 14 Luna paschali tabulæ a cyclo discordarent; tabulis staretur pro tunc. Maneret tamen cyclus pro memoria antiquæ observationis ecclesiæ, & pro aliis lunationibus anni per illum habendis.

A

BREVE

Sanctissimi domini nostri domini Leonis divina providentia papæ decimi ad correctores super correctione Kalendarii pro recta paschæ celebratione.

Leo Papa Decimus.

ANNO CHRISTI 1511.

Ex edito tunc Romæ.

UNiversis & singulis studiorum generalium, & universitatum rectoribus ac gubernatoribus, nec non doctoribus & magistris Theologiam, & Astrologicam disciplinam profitentibus quarumcunque civitatum, terrarum, & locorum ditionis Christianæ, ad quos præsentes pervenerint; Salutem & apostolicam benedictionem. Ex quo divinæ providentiæ placuit nos ad summi apostolatus apicem assumi pro pastoralis officii cura, & sacri Lateranensis concilii celebratione, cui auctore domino præsidemus, inter multa & ardua, quæ in eo mature tractanda, & consulte decernenda curavimus, prout in nostris libris & scedulis; quas in sessionibus hactenus habitis edidimus, satis constare putamus: ad divini quoque cultus augmentum, atque perfectionem, & eorum, quæ collapsa in eo sunt erectionem instaurationemque animum adjecimus: & quoniam sæpe numero intellexi- C mus, idque in sancta synodo multorum doctorum virorum relatione fuit propositum, descriptionem kalendarii in positione vernalis æquinoctii solis cursum designantis, & in cycli lunaris aurei numeri nuncupati assignatione (quo lunæ discursus notatur) ex diuturnitate temporum aliquibus minutis partibus non exacte numeratis a suo recto tramite deflexisse; atque propterea jam ab aliquibus annis rectam paschæ observationem (quæ ab his duobus præcipue pendet) a prima ecclesiæ institutione quandoque declinasse. Cupientes veritatem, & recta super his prudentum ac doctorum, nec non fidelium consilia intelligere, ac nonnullorum prædeD cessorum nostrorum Romanorum pontificum vestigia imitari; qui idem ætate sua cum viris sapientibus indagare studuerunt. Nos peritissimos Theologicæ, & Astrologicæ disciplinæ viros consuluimus. Cunque in eo omnes convenire animadvertissemus, positio vernalis æquinoctii, ac descriptio cycli decemnovennalis propter minuta prædicta in vero cursu anni solaris atque lunaris non exacte computata firmam in kalendario sedem habere non possunt; quæ etiam minuta in communi annorum computatione propter tenuissimas, & minimas particulas connumerari non potuerunt, licet postea per multa temporis intervalla adeo excre- E verint, ut annis fere mille ducentis, qui a Nicæna synodo defluxerunt (quæ in hujusmodi difficultatibus paschæ suo tempore quietem ecclesiæ dedit) æquinoctium ad dies decem a prima ejus positione sedem suam anticipaverit, ac lunam quoque propter mutationem dicti cycli decemnovennalis contingit in cœlo quintam conspici, quando ab ecclesia prima denunciatur. Nos hæc considerantes, indignum esse putavimus: ut tem-

ANNO CHRISTI 1511

temporibus noſtris cum præſertim ſacrum Lateranenſe celebretur Concilium error aliquis tam evidens in rationibus eccleſiæ ſine correctione toleretur, in his maxime quæ ad divinum cultum ſpectant; & kalendarium a quo feſta quæ mobilia & ex parte etiam quæ fixa dicuntur, & ordo pene totus, ac norma divinorum officiorum ac jejuniorum, & aliorum multorum priorum operum dependet & regitur, a vero ordine detortum & devium videre; paſchæque celebritatem quæ maxima omnium totius anni, & non modo anniverſarium monumentum Dominicæ reſurrectionis, ſed uti parentum de fathanæ vinculis liberatorum, ita noſtræ quoque futuræ reſurrectionis per conformitatem carnis Dominicæ nec non perfectæ jam fidei & gratiæ ac plenitudinis gloriæ, ad quam exemplo ac merito domini omnes qui in eum recte credimus aſpiramus; itemque aliorum myſteriorum rememoratrix indicatrix, & prænuncia exiſtit, a ſuo loco nobis univerſali eccleſiæ præſidentibus aberrare; terminumque quem ei tot ſanctiſſimi patres prædeceſſores noſtri romani pontifices, & ſacroſancta vetuſta concilia tradiderunt, non ex integro tenere; ipſam etiam eccleſiam, quæ eruditiſſimis in omni ſcientia abundat viris non modo ipſum errorem agnoſcere, eumque conniventibus oculis tranſire, ſed a perfidis quoque judæis & aliis infidelibus ea de cauſa irrideri. Idcirco nos præſtantiſſimos quos diximus theologos, & aſtrologos ac alios plures eorum ſimiles in hujuſmodi diſciplinis de remedio, & emendatione congrua cogitare quam diſtrictius fieri potuit monuimus, & hortati ſumus; qui partim ſcriptis, partim diſputationibus nobis, & mandatis noſtris ſtudioſe paruerunt. Sed poſtquam res ad ſacras ſynodi deputationes deducta eſt, & crebris ac longis diſceptationibus agitata, tum demum difficultates quæ ex illa oriuntur apparuerunt; quas noviſſima quoque concilia cum defectu ipſo kalendarii inſpexerunt, & cognoverunt, & ut veriſimiliter creditur correxiſſent niſi gravioribus aliis rebus ſemper illi fuiſſent impediti. Volentes igitur ſicuti decet hæc omnia mature & conſiderate decerni, ut decreta poſtea ac deliberata ab omnibus obſerventur; devotionem veſtram hortamur in Domino, vobis nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ mandantes, ut ex vobis aliquos peritiores deligatis, & ad hoc ſacrum Lateranenſe concilium pro communi cauſa, & tam honeſta ratione mittatis, ut in eo cum cæteris omnibus a quoque regno regione principatu republica, & univerſitate vel dominio venturis, & nunc præſentibus errorem prædictum, & alia opportuna communi conſilio accuratius diſcutiant, & remedium ſalubre ad tam neceſſariam emendationem perquiratur, & tandem votis omnium res ad determinationem veram, & ſinceram obſervationem auctore domino perducatur. Si qui vero fuerint qui legitima cauſa impediti ad concilium venire non poſſint, injungimus vobis & mandamus, ut omni quo poteritis ſtudio cura, & vigilantia, re tota prius a vobis diligenter examinata, atque diſcuſſa, quid veſtrum quiſque ſentiat & quid magis profuturum amoto ſtudio contentionis juxta ſuam conſcientiam arbitretur, ad nos pro decima ſeſſione calendis Decembris atque aliis ſeſſionibus ſucceſſive tenendis diligenter in ſcriptis tranſmittatis. Quo vero interim facilius & convenientius omnes & venturi & remanſuri rem conſiderare, & diſcutere poſſint, ſummarium aliquarum propoſitionum ſuper præmiſſis a nonnullis ſapientibus in ſacri concilii deputationibus exhibitum mittendum curavimus, ut tandem omnium propoſitis auditisque rationibus exactiſſimo cujuſque bene inſtructi judicio quod eccleſiæ populoque Chriſtiano magis expediat, & ab omnibus in futurum teneri debeat ac obſervari, ſalubriter divina ope decernere valeamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub anulo piſcatoris die 24 Julii M. D. 14. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ja. Sadoletus.

ANNO CHRISTI 1511.

EDICTUM

Contra ſubjectos R. P. D. almæ urbis, & ejus diſtrictus &c. In ſpiritualibus Vicarii generalis pro ſacri Lateranenſis concilii conſtitutionum obſervatione.

Lecta in audientia noſtra V. Caroſius Auditor.

QUia ſanctiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter dominus Leo divina providentia Papa X. eccleſiarum omnium univerſalem curam & populi chriſtiani regimen vigilanti ſtudio amplexus ad ſalutem omnium Chriſti fidelium inter alia etiam improbos mores corrigendo plura in præſenti ſacroſancto Lateranenſi concilio diſpoſuit & ordinavit. Deceatque propterea illa in hac urbe inclita, quam caput orbis divina clementia ſtabilivit, executioni quam primum demandare; Ideo nos dominus Jacobatius Dei et apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopus Lucerinenſis prælibati ſanctiſſimi domini noſtri Papæ in alma urbe et ejus diſtrictu &c. in ſpiritualibus vicarius generalis, non ignari ſtatuta prædicta jam dudum ſolemniter eo modo publicata, ut nullus ignorantiam illorum pondere poſſit, omnes & ſingulas univerſitates & quaſcunque particulares perſonas, tam eccleſiaſticas, quam ſæculares noſtræ jurisdictioni, tam active quam paſſive ſubjectas & præſertim quoscunque clericos Romanos conventus regulares ordinum quorumcumque eorumque religioſos, tam in dicta urbe commorantes, quam ad illam pro tempore confluentes, ac ſancti Anaſtaſii, ſancti Sebaſtiani, ſancti Pauli ad tres fontes, ſanctæ Agnetis, ſancti Laurentii & ſancti Sabbe aliorumque monaſterium, tam exemptorum, quam non exemptorum hoſpitalium confraternitatum & locorum piorum urbis quorumcunque ac etiam judæos harum ſerie requirimus & monemus, ut omnia & ſingula juxta dicta decreta, & alias litteras apoſtolicas deſuper ema-

Ex edito tunc Romæ.

ANNO CHRISTI 1511.

emanatas, ac eorum tenores eis quomodolibet incumbentia sub censuris & pœnis in ejusdem statutis & litteris contentis manu teneant & observent. Et insuper quia nonnulli nostræ jurisdictioni subjecti, tam in civilibus quam criminalibus causis aliena tribunalia non sine diminutione, jactura, ac gravi damno ejusdem nostri officii vicariatus contra tenorem litterarum apostolicarum, quæ desuper emanarunt adire ausi fuerunt, ut in dies audent, idcirco supradictos omnes sub quinquaginta aureorum cameræ apostolicæ applicandorum, ac excommunicationis poenis monemus, ut a prædictis de cætero abstineant certificando eosdem. Quod alias ad executionem dictarum pœnarum contra inobedientes & rebelles pro ut juris ratio expostulabit procedemus. Et ne aliquis præmissi se ignorasse prætendere possit mandamus hujusmodi nostram intimationem, in valvis principis apostolorum de urbe cancellariæ apostolicæ audientiæ sacri palacii in audientia litterarum contradictarum ac nostræ curiæ legi ac publicari præsentes litteras affigi. Decernentes hujusmodi publicationem ita omnes afficere debere, ac si personaliter eisdem præsentes litteræ presentatæ forent. Datum Romæ in domo nostræ solitæ residentiæ sub nostri, quo in talibus utimur sigilli impressione. Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo sexto decimo indictione quarta die vero 13. mensis Octobris pontificatus prælibati sanctissimi domini nostri domini Leonis divina providentia papæ X. Anno IV.

Joannes Antonius Bucha dictæ curiæ notarius. P. Q. C.

Anno indictione, & pontificatu quibus supra, die vero 13. mensis Octobris præsentes litteræ affixæ & publicatæ fuere in Basilica sancti Petri de urbe, & audientiæ causarum palacii apostolici valvis. Necnon die 14. ejusdem in acie Campi Floræ & platea judæorum. Nec non cancellariæ apostolicæ & audientiæ curiæ ejusdem R. P. D. Vicarii valvis: copiis in singulis locis prædictis debite collationatis, ac ejusdem R. P. D. vicarii sigillo & prædicti D. Jo. Antonii Bucha notarii sigillatis subscriptis dimissis per me

Jo. Turderi Cursorem.

P. F. de Sancto Lucca Notarius contradictarum.

EDICTUM

Contra Transgressores constitutionum & ordinationum sacri concilii Lateranensis.

Lectum in audientia. Antonius Lachins Locum tenens.

ANNO CHRISTI 1511

CUm sanctissimus in Christo pater & dominus noster dominus Leo divina providentia Papa decimus solita sua solerti cura supra gregem domini sibi commissum invigilans diversa salutaria instituta ubique terrarum & præsertim in hac alma urbe totius christianitatis primaria observanda præsenti sacrosancto Lateranensi concilio inter alia pro more & officiallium Romanæ curiæ reformatione indicto approbante, & divino spiritu operante, ediderit & toto cordis affectu prospexerit, ut ecclesia quæ Christi corpus existit, capiti suo Salvatori nostro quam convenienter convenire posset famularetur. Cum enim ecclesiam ipsam sine ruga & macula esse deceat, plura nephandorum scelerum & nota abusuum, ac pravarum consuetudinum succincta atque conspersa apparere nullibi debet. Et præcipue Romæ, unde reliqua Christianitas improbos mores edoceri consuevit, & cum precordiis prefatis sanctissimi domini nostri firmiter incedat, ut postquam verbo prævia sancti spiritus admonitione præmissa instituta fuerunt, ad omnipotentis Dei laudem opere compleantur. Nos Hieronymus de Ghinuccis Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Asculan. curiæ causarum cameræ apostolicæ generalis auditor, & jure officii nostri hujusmodi decretorum apostolicorum & sententiarum, ac censurarum in Romana curia latarum ordinarius executor. Licet sacrosancta hujusmodi instituta non solum ad præfatæ curiæ incolarum, sed ad totius orbis notitiam certo deveniſſe credendum sit. Ea enim sollemnitate publicata fuere, ut nemo de eis verisimilem ignorantiam prætendere possit; ad recentiorem tamen præmissorum sacrosanctorum institutorum commemorationem. Attendentes parum esse jura condere nisi essent qui ea observari facerent. Ad officiumque nostrum in Romana curia pertineat, ut omni diligentia curemus mandata apostolica inviolabiliter observari. Ea propter omnibus & singulis universitatibus, capitulis & collegiis, ac quibusvis particularibus personis, tam ecclesiasticis, quam secularibus etiam Romanæ curiæ officialibus præsentes nostras litteras inspecturis, lecturis sive audituris ac aliis sub institutis prædictis quomodlibet comprehensis cujuscunque status, gradus & conditionis fuerint, etiam si episcopali archiepiscopali, aut alia quavis etiam majori dignitate præfulgeant. Tenore præsentium intimamus, eosque districte & peremptorie monemus, ut unusquique quantum ad eum pertinet, omnia & singula in præfato sacrosancto concilio edita. & per diversas litteras apostolicas, aut alias quomodolibet publicata sub poenis in dictis

Ex edito tunc Romæ.

ANNO CHRISTI 1511.

dictis litteris expressis juxta earundem litterarum tenorem observent. Notificantes omnibus & singulis ad quos spectat quod ad executionem pœnarum antedictarum post terminum decem dierum contra transgressores debito rigore procedetur. Mandantes præsentes nostras monitionis & intimationis litteras ad omnem notitiam iterum clarificandam in valvis apostolorum principis de urbe nec non valvis cancellariæ apostolicæ, ac audientiæ sacri palatii, nec non nostræ affigi, ac in audientiæ contradictarum legi earumque publicationem sic factam omnes afficere, ac si eis personaliter intimata forent; & licet per impressores urbis tot fere omnium dictarum litterarum exemplaria confecta sint, ut unusquisque earum copiam abcis qui ea vendere soliti sunt, aut habuerit vel habere possit. Ne tamen quispiam sub prætextu hujusmodi se excusare possit omnes litteras in dicto concilio editas etiam adhuc forsan non impressas infrascripto notario tradidimus, eique mandavimus, ut unicuique petenti earum copiam tradat. Datum Romæ in domo nostræ solitæ residentiæ sub nostri sigilli impressione. Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo decimosexto indictione quarta, die vero primo mensis octobris, pontificatus prælibati sanctissimi domini nostri domini Leonis divina providentia Papæ X. Anno quarto.

P. Q. C.

Guillermus de Vegio Nt. subscripsit.

Anno a nativitate ejusdem domini millesimo quingentesimo sextodecimo indict. & pontific. supra quibus supra, die vero prima mensis octob. præsentes litteræ affixæ & publicatæ fuere in basilica sancti Petri de urbe, ac audientiæ Causarum sacri Palatii apostolici valvis & successive die secunda ejusdem mensis octobris in acie Campi Floræ, nec non cancellariæ apostolicæ Arcis S. Angeli de urbe & præfati R. P. D. auditoris Cameræ valvis copiis earundem sub simili sigillo. Vidi. R. P. D. auditoris Cameræ ac D. Guillelrmi de Vegio ejusdem Not. manu subscripsi in singulis locis prædictis dimissis per me Johanne Surderi S. D. N. papæ cursorum.

Dominicus de villanis magister Cursorum.

ANNO CHRISTI 1511.

MONITORIO

Per la observatione de la reformatione del sacro concilio Laterano.

Ex edito tunc Romæ.

PEr comandamento del R. S. Amadio Berruto vescovo acusustente & generale governatore di Roma, & per speciale comissione vivæ vocis oraculo fatta dal SS. nostro per la divina providentia Papa Leone X. Se notifica ad ogni & qualunche persona di qualunche stato, grado, qualita, o conditione sia, che tanto in iuditio come fuora di juditio debba observare tutte le constitutione fatte per sua sanctità nel sacro concilio Laterano, sotto le pene in esse constitutione contente. Non obstante qualuncha tolerantia che forse para essere fatta; la quale non vole sua sanctita, che sabba ad operare derrogatione, o diminutione alcuna de le predicte constitutione: ma quanto piu neligentemente se non si sono observate tanto piu vole che rigorosamente siano puniti li transgressori imperhoche qeanto piu l homo repugna a le bone e sancte constitutione, tanto piu se dimostra essere contumace rebelle & inobediente, & aggravatore de la transgressione.

Per tanto ogni parsona debba per lo advenire studiare a la observatione predicta con diligentia, altrimento sara proceduto contro coloro che non le observarano senza rispetto alcuno. Peroche sarebbe cosa ridiculosa di fare legge & non farle observare, et essendo state publicate et stampate non si potra alcuno excusare de ignorantia, pero che la sarebbe troppo crassa, e supina.

Siano adoncha advertenti tutti li trangressori, peroche contra di loro sono fatte le predicte constitutione da le quale tanto expressamente quanto virtualmente se ne cava le infrascripte conclusione.

Et primo, che siano advertenti li Signori reverendissimi cardinali di observare & fare observare molte juste honeste & honorevole cose scritte in le predicte constitutione maxime circa il modo del vivere loro, e de suoi familiari.

Secondo quelli, che debitamente non sono qualificati secundo li sacri canoni, & correno ad impetrare dignita & beneficii ecclesiastici in grande pernicie di loro anime & de li popoli a loro comissi, & similmente in obtenere dispensatione ad plura beneficia curata ut presint, non ut prosint.

Tertio quelli a chi sono concessi li monasterii et ad altri beneficii in comenda, et non fanno le debite spese circa lo culto divino reparatione de giesie et li edificii, ma fanno murmurare con grande scandalo li populi.

Quarto li prelati li preti clerici palaferneri, et familiari di N. S. et de R. S. C. et prelati che se vergognano di portare lo habito conveniente a suo stato, et non se curano di fare injuria a lordine clericale desiderando piu presto di parere seculari che clerici.

Quinto li blasphematori de Dio, e de la Ver-

ANNO CHRISTI 1511.

Vergine Maria et de li Sancti, tanto clerici, come seculari, li quali provocano Dio a mandare li flagelli, che spesse volte manda a li populi in diversi modi per tale horrendo vitio lo quale de directo contradice a la divina essentia et bonta.

Sexto quelli li quali dal diavolo excecati comettono quello pessimo et nephandissimo vitio per lo quale Dio fece submergere cinque citade et piovere foco et sulphure.

Septimo quelli che senza timore de Dio et vergogna del mondo presumano tenere publicamente le concubine, & in questo modo stare in continuo peccato mortale in lo quale spesso per promessione divina se morino senza penitentia.

Octavo quelli li quali senza alcuno timore de Dio non considerando quanto sia detestabile quella pernitiosissima peste di Simonia, con la quale le cose spirituale se vendeno & acomprano.

Nono quelli che non si curano di dire lo officio ecclesiastico, ma li basta godere li beneficii, li frutti delli quali non dicendo lo officio, sono obligati a restituire.

Decimo quelli principi, e signori, li quali sotto molti colori occupano le gesie et beneficii ecclesiastici vacanti & dano impedimento a li veri rectori et prelati a quali ne stato proveduto da la sede apostolica: non aspetta di disponere de le cose spirituale essendo le iurisdictione distincte per il che A dice Jesu Christo reddenda esse quæ sunt Cesaris Cesari & quæ Dei Deo.

Decimoprimo quelli che non hanno reverentia alcuna al ordine clericale lo quale se non per lo merito de la vita saltem per la reverentia de la sacra unctione non debbe essere injuriato ne molestato ne violata la iurisdictione et liberta ecclesiastica.

Decimo secundo quelli principi signori o comunità che presumano imponere et exigere senza licenza del summo pontefice graveze alcune, et a tale cosa date conseglio & favore.

Decimo tertio quelli li quali lascino di ricorrere a Dio et a soi sancti, et recorreno per molte loro facende a li Demonii facendo incanti divinatione et superstitione. B

Decimo quarto quelli che sono facti christiani et tengono li ritimi, e cerimonie judaiche, et sono heretici apostate de la fede, et de quella male sentino.

Decimo quinto li maestri di scola, che non insegnano a li discipuli boni costumi, et le cose spirituale.

Decimo sexto quelli, che non observano li sacri canoni, li quali sono perfecta norma del ben vivere.

Et chi piu diffusamente vora intendere le cose predicte le quale per modo de sumario sono scrite ricorra a le predicte constitutione le quale sono in latino stampate.

ANNO CHRISTI 1511.

Jo-

JOANNES DOMINICUS MANSI

AD LECTOREM.

CUm ſupplemento huic conciliorum ſuprema jam manus eſſet appoſita, & omnia tradita typographo, ut formis excuderentur, opportune fatis ab eo admonitus ſum vacuas paginas ſupereſſe geminas, quas, ſi forte aliquid haberem in prompiu, implere poſſem. Rem haud ingratam lectoribus me facturum cenſui, ſi hic promerem catalogum orationum, quæ in Conſtantienſi Concilio a delectis viris habitæ ſervantur MS. in Codice Cæſareo cartaceo minoris formæ Cod. Theol. MSS. num. 527. mihique olim eum Vindobonæ agoren deſcripſi. Eſt autem in multis plane diverſus ab iis, quos ex Sebelhornio aliiſque habemus.

CATALOGUS ORATIONUM.

In Conc. Conſtantienſi habitarum.

1. SErmo P. de Lamburga licent. in jur. habitus in concil. Conſtantienſi in feſto Nativ. D. N. J. C. Incipit *ſi præſentis feſti.*

2. Sermo factus coram papa Dominica I. in quadrageſima per Mag. Jo. de Monte an. 1415. Incipit *Agite nunc dies ſalutis* 2. Cor. 6. Porro hæc verba &c.

3. Collatio Mag. Theodorici de monaſterio facta in Concilio Conſtantienſi in renunciationem papatus Gregorii per Carolum de Malateſtis in illud: *qui ſequitur me non ambulat in tenebris*: Incipit *Verba ſunt &c.*

4. Collatio Mag. Petri de Pluka facta in Concilio Conſtantienſi in illud: *bii ſunt viri miſericordiæ.* Incipit: *Sub his verbis.*

5. Sermo F. Bertrandi S. Th. Prof. Ord. FF. Carmelitarum Conventus Montispeſſulani Domin. XI. poſt Trinit. factus in conc. Conſtant. in illud: *Bene omnia fecit.*

6. Anonymi (Anglici) ſermo in illud: *Erunt ſigna in ſole luna & ſtellis in Evangelio Dominicæ præſentis* (ſic) *ſecundum uſum & obſervantiam eccleſiæ Anglicanæ.* Incipit: *in principio.*

7. Anonymi ſermo ibid. in illud *Principes populorum congregati ſunt.* Incipit: *hæc Prophetica.*

8. Sermo ibid. in illud: *obſecro vos tanquam advenas* in fine legitur: *Iſte ſermo ſupraſcriptus fuit factus Conſtantiæ pro.... in eccleſia majori per D. Cancellarium Pariſienſem die Veneris de mane XXVI. April., in qua die fuerunt proceſſiones totius concilii generalis.*

9. Anonymi ſermo ibid. in Dominica IV. poſt Paſcha ſuper illud: *multa habeo vobis dicere.*

10. Sermo Bernardi Baptizati monachi & abbatis ord. S. Benedicti, quem prædicavit in concilio Conſtantienſi Dom. III. poſt Paſcha an. 1416. in illud *plorabitis & flebitis vos &c.*

11. Sermo factus ibid. Dominica in Septuageſima in illud: *ite & vos in vineam meam.* Incipit: *hæc dies Dominica.*

12 Sermo per F. Aleſſium ord. Minorum ep. Placentinum in Dominica II. Quadrageſimæ an. 1416 ſuper illud *faciamus hic tria tabernacula* Incipit: *in Evangelio hodierno.*

13. Sermo prædicatus ibid. in die S. Michaelis per F. Jo. Zacariæ S. Th. Prof. Ord. Eremit. S. Auguſtini an. 1416 in illud: *gratia vobis & pax*, Incipit: *hoc thema eſt valde authenticum.*

14. Sermo factus in exequiis cardinalis Barentis ab epiſcopo Laudenſi an. 1416. incipit *mihi occiſum flebilem.* Ex hac oratione diſcimus virum hunc ex archidiacono Bononienſi ad archiepiſcopum Barenſem tranſiſſe & annis 36. *& amplius* egiſſe S. R. E. cardinalem. *Pro ſtatu & defenſione eccleſiæ, quam egregie laboraverit*, ait Orator, *teſtatur nobilis civitas Peruſina, tota Tuſcia, Apulia, atque Italia &c. Non indulſit ſuæ ſenectuti, neque expenſis pro unione S. eccleſiæ. Dicat ſuperior Alamania, Bavaria, Auſtria, Athis* (ſic) *Franconia, Miſia, Bohemia, Carinthia, quas partes aſpera, & media hyeme perluſtravit pro extirpatione peſtiferi ſchiſmatis excitando Germanos tam illuſtres principes quam prælatos. Antea quidem laboraverunt permaxime inclyti DD. Anglici, Gallici atque Italici, ſed tunc per adventum hujus S. Patris ad eosdem labores excitati ſunt Germani; qui licet fuiſſent poſteri facti ſunt promptiores. Et licet tunc facta fuerit diverſa obedientia in Alamania, ſane objectum eſt, ut omnes de papatu contendentes habereni æmulos & ſtimulos &c. Hic. R. P. & D. debitum obibat obſequium* (Divinum officium recitando) *attente & devote. Unde cum aliquando contigiſſet eum aliqua gravi infirmitate gravari, ſi non poterat per ſe legere, ſatagebat per alium audire.*

15. Sermo F. Matthæi de Aula Regia Ord. Ciſterc. S. Th. Prof. ibid. in Dominica IV. poſt feſtum SS. Trinitatis ad illud: *Eſtote miſericordes.*

16. Sermo Mag. Stephani de Paliz de Praga S. Th. Prof. ibid. in Dominica III. poſt SS. Trinitatem an. 1416. ſuper illud: *reſiſtite fortes in fide.*

17. Sermo Mag. Mauritii de Praga S. Th. Prof. in Dominica VII. poſt Pentecoſten in illud: *Attendite a falſis Prophetis &c.*

18. Sermo prædicatus ibid. in feſto Corporis Chriſti per R. P. & ep. Firmanum de ordine FF. Min. an. 1416. in illud: *Caro mea vere eſt cibus.*

19. Sermo ibid. Bernardi Baptizati Ord. S. Benedicti de Gaſconia in Dominica XI. poſt Pentecoſten an. 1416 in illud: *duo homines aſcenderunt in Templum.*

20. Sermo Theobaldi S. Th. prof. Ord. S. Dominici factus in concilio Constant. Dominica XI. post Pentecosten an. 1416. in illud *bene omnia fecit*.

21. Sermo Anonymi ad Patres concilii; incipit: *RR. PP. felicitet & conservet Altissimus*.

22. Sermo alius ibid. in illud: *curam illius habe*. Incipit: *verbum propositum de Evangelio*.

23. Sermo Cancellarii Parisiensis ibid. in die Nativitatis B. M. V. an. 1416. in illud: *Jacob genuit &c.* Incipit: *invocandem te prædicamus*.

24. Sermo prædicatus ibid. a Mag. Petro de Pluka S. Th. Prof. an. 1416. in illud: *ite, ostendite vos sacerdotibus*. Incipit. *in jam lecto Evangelio*.

25. Sermo Mag. Mauricii de Praga ibid. habitus an. 1416 in illud: *hæc vidua erat*.

26. Sermo ibid. in illud: *hora est jam nos de somno surgere*. In fine legitur: *Mag. Ursini*.

27. Sermo alius ibid. in illud: *bonus pastor animam suam*.

28. Sermo Cancellarii Parisiensis, quando Rex Romanorum iverat de Constantia ad regem Aragonum, & ad Petrum de Luna. Incipit *prosperum iter faciet &c.*

29. Sermo D. Petri card. Cameracensis prædicatus Constantiæ in honorem S. Ludovici regis Franciæ Ord. Min.

30. Ejusdem Sermo de omnibus Sanctis ibid. habitus in illud; *signum magnum &c.*

FINIS TOMI TRIGESIMI QUINTI.

GTU LIBRARY
3 2400 00639 9210